6 - a - 5 -
1.

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Estante 12
Tabla
Número 103

A
12-103

# CONFESSIO HIERONYMIANA, EX OMNIBVS GERMANIS B. HIERONYMI OPERIBVS OPTIMA FIDE COLLECTA; ET, PER LOCORVM THEOLOGICORVM CAPITA, PERSPICVA METHODO, IN QVATVOR TOMOS DISTRIBVTA.

De el Colº de la Compª de Jesus de Granada

*Opera ſtudioq́ue* CORNELII SCHVLTINGI STEINVVICHII, *Sacræ Theologiæ Licentiati, Sanctorum Apoſtolorum apud Colonienſes, Canonici.*

Quid verò toto opere contineatur, vide Lector, pagina ſequente.




COLONIÆ.
ET.
Pariſijs apud Michaelem Sonnium, ſub ſcuto Baſilienſi, via Iacobæa.
M. D. LXXXV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

# CONTENTA HOC VOLVMINE.

## CONFESSIONIS HIERONYMIANÆ TOMI QVATVOR, QVORVM

Primus, *tractat de principijs Theologicis.*

Secundus, *de iuſticia Chriſtiana amiſſa & recuperata, & de locis cõmunibus, huic argumento annexis & cognatis.*

Tertius, *de Eccleſiæ Sacramentis & affinibus.*

Quartus, *qui eſt poſtremus, de igni emendatorio, Sanctorum cultu, Imaginibus, Ieiunio, Cælibatu, varijsq́ ceremonijs & ritibus Eccleſiaſticis antiquis.*

*Omnia ad imitationem, methodum, & ordinem Confeßionis Auguſtinianæ, & Ambroſianæ conſcripta, niſi quod hæc Hieronymiana Confeßio nonnullis capitibus & articulis ſit auctior, ijsq́ locis, quæ ab hæreticis fuere deprauata, medicina adhibita.*

Acceſſerunt ad Operis illuſtrationem

*Præfationes, ſingulis tomis præmiſſæ. Cenſura de operibus, & ſingulis libris B. Hieronymi. Elogia viginti ſex diuerſorum Theologorum, de B. Hieronymo. Abſurda teſtimonia hæreticorum de B. Hieronymo.*

*Teſtimonia Doctorum quorũdam virorum de Comite, ſiue antiquo Lectionario eiuſdem. Antidota contra xxxij. calumnias Centuriatorum Magdeburgenſium, & Caluini. Antidota contra errores Kemnitij, in examine Concilij Tridentini. Excerpta plus quàm quingenta loca ex Gratiano, D. Thoma, Petro Lombardo, ſcholæ auctoribus, quæ ab ijs citata fuere, & explicata. Diſputatio, an B. Hieronymus parœciæ Bethlehemiticæ rector, ſeu presbyter Hieroſolymitanus, vt Græci patres eum vocant, fuerit Romanæ Eccleſiæ presbyter Cardinalis. Scholia varia contra hæreticorum corruptelas, obſcurioribus locis paßim inſerta, quibus in margine nonnunquam adſcripta ſunt aliorum grauiß. morum auctorum loca ſimilia.*

## EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY.

PAR grace & priuilege du Roy, il eſt permis à Michel Sonnius, Marchant libraire de l'Vniuerſité de Paris, d'imprimer ou faire imprimer, mettre en vente & diſtribuer, vne fois ou pluſieurs, vn liure intitulé *Confeßio Hieronymiana per Cornelium Schultingũ ſacræ Theologiæ Licentiatum*. Et faict deffence ledit Seigneur à tous Libraires, Imprimeurs, ou autres de quelque qualité qu'ils ſoyent, de non en imprimer, ou faire imprimer, vendre ou diſtribuer en ſes pays, terres, & Seigneuries, autres que ceux qu'aura fait imprimer ledit Sonnius. Et ce iuſques au temps & terme de ſix ans, à compter du iour & datte que leſdits liures ſeront acheuez d'imprimer, ſur les peines contenues és lettres patentes dudict Seigneur. Données à Paris, le 20. Auril, 1585.

PAR LE ROY EN SON CONSEIL — Signé, De Villontreijs.

# BEATISSIMO PATRI SANCTISSIMOQVE DOMINO NOSTRO GREGORIO XIII. ROMANAE, ATQVE ADEO CATHOLICAE ECCLESIAE PONTIFICI MAXIMO.

BEATISSIME Pater Summis Theologis nulla expeditior decidendi controuerſias religionis via ac ratio viſa vnquã fuit, quàm quæ à Theodoſio Imperatore de conſilio Nectarij Epiſcopi Arrianis fuit propoſita. Cùm enim Arrianis in ſectas varias diſſectis totus mũdus diuerſis ſeditionibus agitaretur, neq; diſputationibus vllis hęreſes componi atq; ſopiri poſſent, imò multo magis inualeſcerent, prǽſertim dum obſtinatiſſima hæreſis nec ferro, nec igni, nec rationibus, nec ſcripturis, nec veterũ autoritatibus cederet, omniaq; ad ſuũ ſenſum detorqueret, vndiq; collectos hæreſiarchas interrogat, haberẽtne in magno pretio illos Eccleſiæ doctores qui ipſorum tẽpora præceſſerant: vt ſi illos improbarent, aut anathemate notarẽtur, & protinus à populi multitudine exploderentur. Illi dum faterentur ſe eos tanquam præceptores colere & venerari, rurſum quærit Imperator, velintne eos ipſos, vt fide dignos Chriſtianorum dogmatum teſtes amplecti, vt eo poſito atque conceſſo non aliud ſupereſſet Catholicæ fidei propugnatoribus remedium, quàm vt veterum libros proferrent, quorum productis teſtimonijs vera dogmata ſtabilirentur, & contraria conuellerentur. Hoc Imperatoris conſilio intellecto inter Arrianos multiplex diſſidium exortum eſt: alijs quidem aſſentientibus, alijs negantibus, quod id ipſorum ſcopo aduerſaretur. Atque hoc pacto nõ modo ſecta vna ab altera diſſentiebat, ſed neque illi inter ſe mutuò concordes erant, qui prius in vnam hæreſim conſpirauerant. Ex quo reſponſo animaduertit Imperator eos in ſola Sophiſtica cauillatione, non autem veritate, aut veterum authoritate & expoſitione confidere. O verè laudabile Theodoſij conſilium, omniumq́ue vocibus prędicandum, quod ſi etiam hodie ſequi aduerſarij vellent, controuerſiarum finis eſſet, & penes Catholicos certa & indubitata victoria. Sancti enim veteres Patres, à nobis ſtant vniuerſi, contra aduerſarios quaſi in acie dimicant omnes. Sed proh dolor excœcati hæretici, eò dementiæ venerunt, vt omni ſtudio vniuerſam antiquitatem, grauiſſimos Eccleſiæ doctores in contemptum adducere moliantur, ſeq́ue in illorum locum ſubſtituere, & tantum non vt idola adorari velint. Nullum autem in veritatis inueſtigatione poſt ſacras literas certius ac firmius eſſe pręſidiũ, nullum incorruptius antiquitatis teſtimoniũ, ad controuerſa dogmata cõſtabiliẽda, quàm quod ab autoritate vnanimi veterum Orthodoxorum Patrũ petitur (ſalua ſemper ſacrarũ literarum ſedis Apoſtolicæ, & Occumenicorũ Conciliorũ prærogatiua) partim copioſè infrà ca. 11. li. 1. demonſtratũ eſt: partim ex eo euidẽtiſſimè cõſtare poteſt, quod ſine omni affectu, ſine omniũ partium ſtudio iudicent, nullo odio (neq; enim futuras hæreſes perſpectas habebant) excœcati, neq; amore (quo enim amore ignotorũ, abſentium, nondũ in rerum natura exiſtentium teneri aut ferri poterãt) impediti, nullo poſteritatis affectu alior ſum abrepti, ſyncerè & candidè ſententiam proferãt. Quamobrẽ ſumma fuit, & inuiolabilis eſt, eritq; ſemper in Catholica Eccleſia, illuſtriũ Eccleſiæ luminum autoritas. Ac ſanè ex aduerſarijs pleriq;, qui moderatioris ſunt ingenij, veterum autoritatẽ non aſpernãtur, ſed eorum iudicia magni faciunt, niſi quod eo præiudicio ac præſumptione eos euoluũt, vt ad ſcripturas malè intellectas à ſe, id eſt, ad plumbeã regulam accõmodent. Cùm aũt ob vaſtitatem & amplitudinẽ ingentia illa Patrum Volumina paſſim ab Eccleſiaſticis omnib. raró euoluantur, partim impedientibus occupationibus Eccleſiaſticis, partim ob tẽporis penuriam, partim etiã ob rei familiaris & numariæ tenuitatem ac inopiã, prudentes omnes exiſtimant honeſtã, vtilem atq; neceſſariã operam nauare eos, qui ex grandibus veterum Voluminib. methodum cõcinnant, controuerſos locos confusè locatos digerũt, & ad certa capita redigũt, vt paruo labore, breui tẽpore vniuerſam controuerſiarũ Ideam, aptè diſpoſitam, omnes poſſint intueri. Qua ratione non modò Theologiæ tyronibus, quibus euoluẽdi amplos iſtos libros otium non ſuppetit, ſed etiam prouectoribus, vt memoriam refricent, rectiſſimè optimeq́ue conſulitur. Atque his alijsq́ue rationibus Beatiſſime Pater impulſus ſum, vt ad imitationem præſtantium Theologorum, D. Hieronymi Torrenſis, Societatis Ieſu Theologi, & Academiæ Dilinganæ Profeſſoris, & Reuerendi D. Ioannis Nopelij Sacræ Theologiæ Licentiati, & ad D. Svviberti in Inſula Cæſaris Decani, qui in colligenda, ac dirigẽda Auguſtiniana, atq; Ambroſiana Confeſſione diligẽter & magno cũ fructu Eccleſiæ, quod multorum hæreticorum per hæc ſcripta cõuerſio declarauit, cla-

turpiter excuſſit. Gregorius Septimus vir omni laude cumulatiſſimus, Suecos atq; Da-
nos, qui opera Gregorij Quarti, prima fidei fundamenta iecerāt, in ſuſcepta ſemel Chri
ſtiana fide corroborauit. Et cùm ob linguę imperitiam difficultas oborıretur ad vtriuſ
que gentis Regem datis literis eos adhortatus eſt, Romam ſuæ gentis adoleſcentes mit
terent, Chriſtianæ fidei elementis plenius imbuendos. Quam curam cogitationemq́;
hic Gregorius Septimus tanquam amantiſſimus liberorum parens, in Suecis atq; Da-
nis ad Chriſti fidem adiungendis ſuſcepit. eandem diligentiam Gregorius Decimus vi
gilantiſſimus paſtor in Tartaris conuertendis, licet impari ſucceſſu, præſtitit. Gregori-
us Vndecimus natione Gallus, ob vitæ ſanctitatem à pluribus commendatus in Lithu-
anos lucrifaciendos, toto pectore incubuit. Peculiare ſemper ac proprium fuiſſe vide-
tur omnibus anteceſſoribus tuis, quibus Gregorij nomen fuit inditum, vt in extremis
his Germaniæ & vicinis Septentrionalibus mundi populis, ad Chriſtianam fidem ad-
ducendis, alijs forent, vt dicuntur, longè vigilantiores. Horum exempla ita ad viuum
exprimis, vt nulli eorum in vigilantia cedas. Teſtatur id vetus de Seminario Germani-
co Theologico Romano erecto pium, neque vnquam ſatis laudatum, & recens de Se-
minario Germanico Iuridico Bononienſi erigendo inſtitutum, quo anteceſſorum ef-
fuſam largitatem longo interuallo poſt te reliquiſti. Verè igitur Gregorij, id eſt, vigilis
nomen tibi aſſumpſiſti, qui pro Eccleſiæ Colonienſis ſalute & incolumitate tam ſedu-
lò vigilaſti, excubias egiſti continuas, atque conſtituerat apud animum ſuum certoq́;
decreuerat S. V. potius theſaurum ærarij Eccleſiæ Romanæ profundere, quam ſinere
vt hęc Colonienſis Eccleſia. Romanæ Eccleſiæ fidelis filia, totius theſauri Eccleſiaſtici
longè omnium precioſiſſimi, id eſt, fidei Catholicę naufragium, & verſuram faceret: in
telligebat S. V. quanto excellentiſſimus hic theſaurus diuini cultus, & veræ orthodoxę
auitæ religionis præſtantior ſit, quàm externa fortunæ ludibria, opesq́ue fragiles ac ca-
ducæ. Teſtantur hoc legationes in hac prouincias Catholicæ religionis conſeruandæ
cauſa miſſæ. Prudenter exiſtimauit S. T. non alia neque ſalubriora, neque efficaciora ad
hanc peſtem depellendam remedia nec excogitari. nec admoueri poſſe, quā quæ olim
Patrum ætate adhibita fuiſſe memoria repetebat. Nam ſimulatq́ue tempore Iulij Pon
tificis, & Conſtantij Imperatoris primi anno redemptionis humanæ 345. blaſphemus
Euphrata Agrippinenſis Epiſcopus venenis Arrij imbutus, virus perfidiæ ſuæ in vulgus
ſpargere, & diſſeminare latius cœpit, ſtatim coacta fuit Agrippinenſis ſiue Colonien-
ſis Synhodus, in qua authoritate S. Seruatij. S. Seuerini, & tredecim Collegarū conſen-
tientibus ſuffragijs, pronunciatis ſententijs Epiſcoporum, Athanaſij cæterorumq́ue Ori
entalium Presbyterorū, & Diaconorum exaudito teſtimonio, hæreſis fuit repreſſa, Eu-
phrata Arrianus de ſede Epiſcopali deturbatus, atque deiectus, & in laicorum ordinem
redactus, & communionis laicæ pœna damnatus, nihil Sacerdotij impreſſo charactere
obſtante, & ad publicam pœnitētiam inter laicos tranſigendam compulſus fuit: cuius
in locum protinus ſynceriſſimus vir Seuerinus eſt ſuffectus. Simili planè methodo D.
Bonifacius Moguntinus Epiſcopus temporibus Pipini & Carlomāni olim indicta Syn
hodo, Epiſcopos Bauaros & Saxonicos venatores, milites, raptores, ſtupratores, homi-
cidas ad frugem reuocauit. Vt externa infinita exempla omittam, quibus comproba-
tur facultatem omnibus honoribus & dignitatibus exuendi Epiſcopos, penes Apoſto-
licam ſedem reſidere, ad domeſtica veniam, quibus euidenter oſtenditur Patrum no-
ſtrorum memoria Pontificem, Archiepiſcopos Colonienſes, ante & poſt Electoralis di
gnitatis acceſſionem, priuaſſe, & ſedibus ſuis deturbaſſe. Nunquid circa Annum Domi
871. Gunterus Archiepiſcopus Colonienſis, vna cum Thetgaudo Treuirenſi Archiepi-
ſcopo, à Nicolao Pontifice excommunicatus, & loco motus eſt, eò quod Lotharij Lo-
tharingiæ Ducis, qui vxorem ſuam Tybergam repudiauerat, & Colonienſis Archiepi-
ſcopi ſororem Valdradam ſuperinduxerat, facinus approbaſſet? Idemne fulmen ſentijt
Adolphus Comes ab Altena, Colonienſis Archiepiſcopus, & Elector, quem Innocen-
tius Tertius per Syphridum Moguntinum, & Cameracenſem, anno 1205. in ipſa Eccle-
ſia Metropolitana, Ottone Rege, totoq́ue Clero inſpectante, omnib. dignitatibus ſpo-
liauit: & Capitulū de mandato S. S. nouum Archiepiſcopum elegit? Illud verò tacitus
nullo modo præterire poſſum, quod Theodoricus quoque Montenſis Comes, Archie-
piſcopus & Elector Colonienſis, à Summo Pontifice circa Annum Domini 1214. ana-
thematis fulmine percuſſus, toto vitæ tempore priuatus vixit. Recentiſſima noſtræ æ-
tatis exempla Hermanni à VVeda Comitis, & Archiepiſcopi Colonienſis, & Geb-
hardi Truchſij ſceleratiſſimi Eccleſiæ Colonienſis proditoris, totq́ue modis periu-
ri, ac impuri Apoſtatæ, capite diminutorum, omnibus notiſſima ſtudioſè omitto.
Iam verò nobis ex tantis periculis ereptis, & flamma incendij repreſſa in eam rem S. T.
omneſq́ue Eccleſiæ proceres incubituros ſperamus, ne in poſterum in ſimilia pericula
incidamus, ne tantis tempeſtatibus iactati, penitus re omni cum ſpe amiſſa fluctibus ir-
ruentibus opprimamur. Quare vndique conquirenda remedia ſunt præſentiſſima, qui
bus futuris calamitatibus Eccleſiæ Colonienſis occurratur, omnia præmeditanda incō
moda

*Huius fit mentio in c. Venerabilem: extra de electione & electi poteſtate.*



moda, omnia præuidenda longè ante mala, præcauendæ procellæ, vt non ſolum alie-
nis vicinorum, ſed etiam noſtris domeſticis periculis cautiores efficiamur. Neque tan-
tum Sathan per ſua organa hanc prouinciam ſibi ſubijcere, & hæreſibus implicare ſata
git, ſed etiam vniuerſas Catholicæ religionis reliquias radicitus in omnibus prouinci-
js in Germania extirpare molitur. Quare ſi S. V. Catholicis in Germania ſuperſtitibus
Eccleſijs & Epiſcopatibus proſpectum, optimeq́ue conſultum eſſe velit, in Repub. Co-
lonienſi arx, firmamentum & præſidium Catholicæ religionis conſtituendum eſt, ex
qua dependet ſalus & incolumitas omnium vicinarum prouinciarum. Suſcipe igitur
Beatiſſime Pater, hanc vtilem, & piam Hieronymianæ, ſiue Catholicæ fidei Confeſſio-
nem, quæ tuo nomini dicata, in vulgus prodit: & D. Hieronymum totius mundi magi
ſtrum, atque oraculum, qui in Romana veſtra vrbe totius orbis parente nutritus, edo-
ctus, & baptizatus fuit, quiq́; ſub Damaſo Presbyter, magnum Romanæ Eccleſiæ onus
(Damaſo enim ab epiſtolis & conſilijs fuit) pertulit, veluti è ſua Bethlehem Romam re
deuntem, Lutherum, Caluinum, aliosq́ue hæreticos proterentem, Romanæ ſedis au-
thoritatem, & firmitatem conſtantiſſimè aſſerentem, hilari fronte amplectere. indeq́ue
hanc ordinatè diſpoſitam Confeſſionis harmoniam, in cunctas Eccleſiarum oras emit
te, vniuerſoq́ue mūdo oſtende, quanti præ ſanctitate, & doctrina tu facias virū, qui tanti
Romanā ipſe viuēs fecit Eccleſiam. Vnus ex quatuor eſt ijs, quos hęc ſedes, veluti Chri
ſtianorum magiſtros, doctoresq́ue ab omnibus legendos, audiendosq́ue propoſuit. Et
cum multa præclara pro Eccleſiæ vtilitate geſſeris, ac quotidie geras, vt vix maiora poſ
ſint deſiderari, vt poſt perfectam, abſolutamq́ue totius Iuris Canonici caſtigationem
aliorum etiam Patrum ſcripta emendata in lucem exeant, vt Græcorum Patrum alio
rumq́ue Latinorum Confeſſiones prodeant, & mendaciſſimis hæreticorum Confeſſio
nibus opponantur, vt Caluini inſtitutiones ſolidius confutentur, vt Centuriatorum
Magdeburgenſium fraudes, in corrumpenda Hiſtoria Eccleſiaſtica, & ſanctis Patribus
apertius detegantur, omnem operam impende: ex his enim pijs inſtitutis maius, quàm
ex alijs, & Chriſtianis emolumentum, & S. T. non minor, quàm ex omnibus alijs præ-
clarè geſtis, honor naſcetur. Quam ad rem præſtandam, ſi mea tenuis opella, aliquid in
medium conferre poterit, meum ſtudium Romanæ Eccleſiæ promptum & addictum
offero, neque quicquam laboris & induſtriæ prætermittam, quod quidem ad Eccleſiæ
& religionis Romanæ, id eſt, Catholicæ propagationem, atque amplificationem vllo
modo facere videbitur, in eoq́ue præcipuè omnes curæ, & cogitationes conſumentur.
Nam omnia mea ſtudia, omnipotenti, & miſericordi Deo inprimis, tum fidei & reli-
gioni Catholicæ, ipſiq́ue Romano Pontifici, Religionis præſidi & protectori pe-
nitus addixi, deuoui, conſecraui, quorum clientelæ, patrocinio, &
fidei me, meaq́ue ſtudia quàm poſſum, humillimè
deuotiſſimeq́ue commendo at-
que committo.

(∴)

*Sanctitati Veſtræ Deditiſſimus*
*in Chriſto ſeruus*

*Cornelius Schultingius*
*Steinvvichius.*

# AVTHOR PIO ET ERVDITO LECTORI S.

HVMANISSIME ſtudioſiſſimeque Lector, priuſquam ad huius operis lectionem accedas, præmonendus es mihi, de nonnullis capitibus, ad ſubſequentis Hieronymianæ Confeſſionis faciliorem intelligentiam, & ad depellendas calumnias neceſſarijs ac valdè opportunis. Principiò non defuturos certò ſcio, qui operis huius magnitudinem, & prolixitatem ſint reprehenſuri, præſertim ſi ad eiuſdem argumenti, ac methodi libros, videlicet Confeſſionem Auguſtinianam, & Ambroſianam reſpiciant, cum grata breuitas Lectorem ſtudioſum allicere, ac detinere, operis verò immenſitas à legendo deterrere, & ad ipſum fontem, neglecto riuulo prouocare poſſit. Hos ego bonos viros rogatos velim, primum ne ſummam diligentiam in iudicando, colligendo, digerendo, ac deſcribendo adhibitam (abſit verbo arrogantia) vertant in calumniam, ac negligentiam potius, quàm diligentiam comprobent. Id enim in toto opere vnicè mihi propoſitum fuit, vt illud copioſiſſima, grauiſſimorum, ac ſolidiſſimorum teſtimoniorum ſupellectile inſtruerem, vberrimamque argumentorum ſegetem, & ampliſſimam atque exactiſſimam de omnibus controuerſis articulis, ex ſacris Scripturis variarum materiarum deciſionem ſuppeditarem, vt omnes perſpicuè intelligant, quàm firmiter in Sacris literis rectè intellectis, & fideliſſimo earum interprete B. Hieronymo, doctrina Catholicæ Eccleſiæ ſit fundata, altiſſimis defixa radicibus, quàm pulchrè & ordinatè procedat, inſtructa acies Eccleſiaſtica, contra exercitum Gigantum, turris Babylonicæ, omnemque aduerſariam poteſtatem & munitionem. Neque diffido, quin veniam, dabit beneuolus Lector operis magnitudini, in quam, me prope ignorante excreuit, ſi cauſas ex quibus prolixitas naſcitur, candidè mecum expenderit. Primum enim id ſtudioſè operam dedi, ne vllum teſtimonium præterirem, quod non ad ſuam claſſem, & quaſi tribum ordine digeſtum referrem, in quem finem iterum atq; iterum, magnam illam molem, operum B. Hieronymi euolui atque reuolui. Ac licet probè meo munere functus fuiſſe, plerisque viſus fuiſſem, ſi ſaltem ſelectiora, illuſtriora, ac notabiliora teſtimonia annotaſſe, leuioribus perindicem duntaxat notatis: eo quod omnium ferè Patrum, hic mos ſit perpetuus, eadem iterato repetere, ac frequẽter inculcare, diuerſa occaſione ſeſe offerente: mihi tamen ipſi non potui ſatisfacere, neque deſiderium explere meum, niſi omnia nullis penitus omiſſis, præclara teſtimonia in ſua quaſi acie collocaſſem, ne vel negligentiæ, & deſidiæ accuſari iure poſſem, nẽ ve ipſum opus, tanquam imperfectum minus ponderis eſſet habiturum. Ac tametſi eadem nonnunquam in diuerſis locis repeti videantur: non tamen prorſus eodem modo, neque eadem occaſione, neque pari intentione, neque ſimili copia, grauitate ac pondere. Locuples teſtimoniorũ ſupellex, plurimum quoque faciet ad conuincendos pertinaces aduerſarios, qui in hoc genere argumenti, cauillari ſolent teſtimonia, contra mentem authoris detorta induci, quibus omnis calumniãdi anſa, apud æquos Iudices præcidetur, & præripietur, ſi mutuis ſimilibus varijs teſtimonijs, in eandem ſententiam conſpirantibus, ac ſeſe inuicem, vt fit in acie inſtructa & ordinata, confirmantibus omnia, vndique firmiſſimè videant conſtabilita. Accedit eodem & alia cauſa magnitudinis, quod hoc opus, non modo plerisque ſummis Capitibus ac Titulis, vtpote de tranſlatione ſacræ Scripturæ Hieronymiana, de Prædeſtinatione, de Imaginibus, &c. qui nec in confeſſione Auguſtiniana, neque Ambroſiana reperiũtur, ad quarum imitationem, & quaſi præſcriptam formam, ac exemplar, vt conſtantia, vnitas, ac conſonantia Catholicæ fidei, in diuerſis Patribus, diuerſas orbis partes incolentibus, clarius eluceat totum hoc opus compoſitum, ſed etiam plurimis articulis, ſub iiſdem Titulis adiectis auxerim, atque locupletauerim. Adde quod multas inſignes Antiquitates Eccleſiaſticas, quæ tamen propriè ad controuerſias non ſpectant, deſcripſerim. Neque ſanè quicquam, quod in toto Hieronymo præ reliquis inſigne, ac præſtans eluceret, prætermiſi, ſed tanquam gemmam, loco quam potui commodiſſimo inſerui, vt deſiderio auidi Lectoris ſatisfieret, quamlibet controuerſos articulos non attingeret. Quamquam ego profectò non video, quo pacto meritò ea prolixitas moleſta eſſe poſſit, quæ infinitis commodis, & vtilitatibus compenſetur ac ſarciatur. Ac profectò nec ego impedio quidem, imò per me cuilibet licet ipſum copioſum, & limpidum fontem adire, & haurire ad ſatietatem, ſi quis in ea hæreſi ſit, qui ex fonte vberius, & certius, ac fidelius, quàm ex riuulis depromere ſe poſſe confidat. Non enim hic labor à me, in hunc finem ſuſceptus eſt, vt fontes obſtruam, ſed potius vt digitos ad fontes intendam, eaque, quæ ſunt, exigente Scripturæ interpretatione, diſputata confuſè, in methodum redigere, & ordinem noſtris temporibus accommodatum propoſitum eſt, vt quid de omnibus, & ſingulis articulis, in controuerſia poſitis, B. Hieronymus confuſis, & diuerſis in locis ſenſerit, vno in loco coniunctim, omnibus conſentientibus locis, q. in vnam harmoniam contractis, ſtudioſus Lector poſſit intueri. Quare mirari ſoleo vehementer, eorum peruerſa iudicia, qui hoc nomine eiuſmodi Herculeos profectò labores ſolent reprehendere, quaſi à limpidis, & puris fontibus, ad turbidos riuulos Lectores abducantur, quaſi fontes obturentur, obſtruantur, apertis riuulis, quaſi vetuſtiſſima, & præſtantiſſima monumenta veterum Orthodoxorum Patrum, hac via & ratione perpetua obliuione deleantur, & in eorum locum, neſcio quæ inde deductæ lacunæ, non ſine infamia ac ignominia veterum ſuccedãt. Econtra verò, ego exiſtimo tantùm abeſſe, vt antiquitatis nobiliſſima



nobiliſſima monumenta hac ratione obſcurentur, vt etiam maximè illuſtrentur. Quid enim hæ methodi, ac loci communes Patrum aliud ſunt, quàm ſtatuæ quædam Mercuriales, quæ compẽdioſum iter ad confuſam, vagam, prolixam, ac copioſam Patrum lectionem demonſtrant, & veterum ſcripta, ſuis temporibus coaptata, noſtri præſentis temporis vſibus accommodant. Nõnne Hieronymus ante mille, ducentos annos fato functus, ita ad vitam reuocatur, vt non abſens cum abſentibus, non defunctus cum viuis, non cum veteribus tantùm hæreticis pugnare, ſed præſens, cum præſentibus hæreticorum laruis congredi (redeunt enim in orbem, & quaſi circulum hæreſium furiæ) viuus cum viuis pede collato dimicare, & quaſi in aduerſa acie, fortiſſimus noſter pugil, & inuictus athleta, ac Sampſon certare videatur. Quod ſi in omni genere tam inferiorum, quàm ſuperiorum ſcientiarum, ob bonæ memoriæ præſidium, atque adiumentum ſingulare, hæ methodi atque compendia commendantur, amantur, auidè leguntur, cur in veteribus Patribus, ex quibus firmamenta religionis, contra vanas ſuperſtitiones petuntur, hoc ſtudium tantopere reprehenditur: Iureconſulti, & Medici, quamuis eximia doctrina polleant, ſua Paratitla, ſummas & methodos auidiſſimè tamen arripiunt. Philoſophi quoque, & humanitatis ſtudioſi, quamuis excellentes, quamlibet præſtantes, amant tamen, & legunt ſuas epitomas: neque interim fontibus quicquam detractum arbitrantur, ſed potius ad primos fontes viam patefactam, & quaſi acceſſum præparatum, apertum aditum optimo iure exiſtimant. Quod ſi ita eſt, cur Theologis vitio verti debet, & non potius laudi duci, ſi non quidem ſummis Theologis (qui forte niſi renouandæ, ac refricandæ memoriæ, ac facilioris inueutionis cauſa, his adiumentis non admodum egebunt) ſed Tyronibus Theologiæ candidatis, ac aliarum profeſſionum alumnis, qui ſedulam ſuæ ſalutis curam gẽrunt, quibusque vel ob tyrocinium, vel aliorum grauiorum ſtudiorum ſerias occupationes, ad ingẽtia & grandia Patrum volumina euoluenda otium non ſuppetit, fontes aperiant, cibumque præmanſum in os ingerant. Omitto quod hæc via, non tantùm ad Catholicos in ſinu Eccleſiæ retinendos: ſed etiam ad ſeductos hæreticos, in viam veritatis reuocandos, & ad gremium matris Eccleſiæ reducendos, doctiſſimorum hominũ iudicio aptiſſima & expeditiſſima exiſtimetur. Tametſi enim ſanctiſſimorum Veterum elaboratiſſimas lucubrationes, tanquam vulgarium hominum opiniones contumelioſè, indigneque hæretici aſpernentur, & vix, ac rarò ad eorundem lectionem ſe conferant (ſi enim ſyncero & candido animo, abſque præſumptione, peſſimo magiſtro & præiudicio, ad horum illuſtrium Eccleſiæ luminum lectionem accederent facillimè tot inuictis veritatis teſtibus conuicti, ad nos celerrimè ſummo cum gaudio redirent) his tamen diſpoſitis aptè, & coagmentatis epitomis, mirum in modũ afficiuntur, adeò, vt Auguſtinianæ Confeſſ. lectione nonnullos in viam rediſſe, ac hæreſibus renunciaſſe, mihi planè ſit compertum. Ac quoniam nonnulla in operibus B. Hieronymi reperiuntur, quæ in ſpeciem, ac prima fronte Catholicæ veritati repugnare videntur: quæ partim ab aduerſarijs Eccleſiæ, nobis obiecta fuerunt, partim tanquam tela præuiſa obijci poſſe præcognoſcebam, omnia iſta loca, ne veritati præiudicarent, & impedimentum adferrent ab hæreticorum calumnijs vindicanda, ſuo ſano intellectui reſtituenda, & adhibita perſpicua interpretatione illuſtranda eſſe mihi exiſtimaui. Quamobrem quicquid telorum contra Eccleſiaſticum ſacræ Scripturæ a Canonem, à ſacroſancto Concilio Tridentino ſaluberrimè conſtitutum, ex B. Hieronymo, aduerſus Eccleſiam contortum eſt, vel torqueri in poſterum poſſet (eſt enim varij generis hæc armatura, ſiue Panoplia) diligenter remoui. Poſt tractatum de vulgata Hieronymiana, atque 70. Interpretum tranſlatione Scholia ſubieci, quibus authoritate, veterum Patrum Eccleſiæ, tranſlationem 70. Interpretum confirmaui, & quæ ad eam vniuerſam materiam perpurgandam pertinent, fusè ac latè indicatis fontibus per indicem, & omnia compendio perſtringens, declaraui. b Excluſi etiam obiectiunculam, contra authoritatem Apoſtolicæ ſedis, ipſiusque (cuius tamen B. Hieronymus eſt obſeruantiſſimus) Romani Pontificis aduerſus c traditiones Apoſtolicas, vnum atque alterum qui inijciebatur, ſcrupulum ſuſtuli. Hæc præcipua erant, quæ in primo libro animaduerſione, ac cenſura, & quaſi præmunitione neceſſariè, digna viſa fuerunt, ac præſertim, cum nemo veterum Patrum doctius, ac copioſius vniuerſum ſacrarum literarum Canonem explicarit, ex nullo quoque plura, contra Canonem argumenta petantur, planè neceſſariò faciendum fuit, vt iſti materiæ diutius inhærerem, omnesque ſcopulos, qui certè nec pauci, nec parui momenti obijciebantur, depellerem. Dubium locum, qui diuinam d prouidentiam impugnare videbatur, commoda adhibita interpretatione explicaui. e Sub titulo de Eccleſia, qua ratione ſoli iuſti & boni Eccleſiæ mẽbra, mali autem minimè eſſe dicantur, expoſui. f Sub capite de authoritate & præeminentia Romani Pontificis, obiectionem quandam aliam nouam Centuriatorum Magdeburgenſium, aliorumque hæreticorum, contra prærogatiuam, & primatum Apoſtolicæ ſedis remoui. In ſecundo libro, ſub Capite de Libero arbitrio, quendam iniectum g à Lutheranis ſcrupulum contra libertatem arbitrij, ſuſtuli. h In eodem libro, ſub eodem titulo tertio, artic. nono. Lutheri contra D. Hieronymum calumnia depellitur. i Sub titulo decimo & poſtremo, libri ſecundi, de Prædeſtinatione explicui, quo ſenſu dixerit B. Hieronymus, homines ex præſcientia meritorum prædeſtinari ad vitam æternam. k Denique alium locum ſanctiſſimi viri, quo abutuntur ad docẽdum neminem, quantumlibet perfectum in hac vita, verè iuſtum eſſe, ſed in omnibus peccatum, ira Dei dignũ permanere vſque ad mortem, à corruptela hæreticorum vindicaui. In tertio libro, ſub titulo de l Sacramento Confirmationis, quendam locum B. Hieronymi, quo abutuntur ad declarandum vnicuique ſimplici Sacerdoti fas eſſe, ſanctum Confirmationis Chriſma conficere, & manus, his, qui confirmantur, imponere;

a Lib. 1 cap. 7. artic. 3.
b Lib. 1. c. 9. art. 5.
c Lib. 1. ca. 8 art. 4. & 6.
d Lib 1. tit. 1, art. 7. de Prouidentia
e Lib. 1. c. 6. de Eccleſia art 7.
f Centuria 4. cap. 10.
f Lib. 1. c. 9. art. 5. Bodius in Collectaneis
g Lib. 2. c. 3. art. 8.
h Lib. 2. tit. 3. art. 9.
i Lib. 2. tit. 10. art. 2.
k Lib. 2. tit. 5. de Iuſtificatione, art. 14 Bodi⁹ in Collectaneis. & ad art. 2. ca. 10 de Prædeſtinatione lege Scholia.
l Lib. 3. c. 5. de ſacramento Confirmationis, Art. 4.

*imponere; deinde eſſe in poteſtate cuiuſcunque Sacerdotis, vt ſacros ordines conferat, à deprauatione hæreticorum legitimo ſuo ſenſui aſſerui.* a *Sub titulo ſexto, quendam Hieronymi locum à Bertramo detortum, contra veritatem, realemque præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia, reſtitui.* b *Sub eodem titulo 6. lib. 3. de Euchariſtia locum quendam B. Hieronymi, ex quo veriſimiliter conſequi videbatur, malos Sacerdotes conſecrare non poſſe, interpretatus ſum.* c *Alteri quoque loco, qui vſum communicandi ſub vna ſpecie damnare, ac reprehendere, & vtranque ſpeciem etiam laicis porrigendã mandare videtur, reſpondi.* d *Præterea ſub capite vndecimo, de Sacramento Ordinis nodum penè indiſſolubilem, ac planè Herculeum, de æqualitate Epiſcopi & Presbyteri, qui ſummorum Theologorum ingenia exercuit, quanta potui diligentia maxima diſſecui.* e *Exemplum Fabiolæ quod ab aduerſarijs contra nos in aciem producitur, quæ viuo priori marito alteri nupſit, nihil luminibus Catholicorum officere demonſtraui.* f *Capite nono, de Pœnitentiæ Sacramento, alius quaſi in via obiectus eſt ſcrupulus, ex quo conficiunt aduerſarij, Sacerdotes nullam habere vim ac poteſtatem ſoluẽdi & ligandi, ſed tantũ ex verbo Dei pronunciandi, alios peccatores eſſe ligatos, alios eſſe ſolutos, quum animis lectorum pro captu meo exemi.* g *Sub capite quoque vndecimo, quæ contra traditionem Eccleſiaſticam, abradendi Sacerdotum capillos & barbas, ex Hieronymo ab aduerſarijs proponuntur, dilui.* h *In quarti Tomi veſtibulo occurrunt ſtatim nobis aduerſarij, & contra ignem emendatoriũ, ſiue expiatorium, apertas Hieronymi producunt tabulas, quibus confido, in noſtris ſcholijs prolixè ſat & abundè eſſe ſatisfactum.* i *In capite 2. libri quarti obijcitur locus, in quo docere videtur B. Hieronymus, ſanctos in cælo non habituros memoriam præcedentium malorum ſiue criminum. ſed & iſte nodus diſſectus eſt.* k *In eodem capite articulo 4. propoſita eſt obiectio & diſſoluta ex B. Hieronymo, aduerſus receptam & laudatam ſanctos inuocandi conſuetudinem.* l *In eodem capite, articulo penultimo, videlicet 14. diſſoluitur quidam ſcrupulus contra eorum conſuetudinem, qui ex pio animi affectu, diuina verba, & res ſacras collo ſuſpenſas gerũt.* m *In capite ſeptimo eiuſdem libri quarti, ſingularis & priuata quædam B. Hieronymi opinio, qua exiſtimat, contra communem aliorum Patrum, & Eccleſiæ definitionem, vitium bigamiæ, in ordinandis Epiſcopis per baptiſmum tolli, purgatur & excuſatur.* n *In eodem capite 7. articulo 3. Pauli Apoſtoli cælibatus in ſcholijs defenditur, & Pauli Apoſtoli locus 1. Cor. 9. à deprauato intellectu vindicatur.* o *In capite octauo, articulo ſeptimo, putatur Hieronymus improbaſſe piam Monachorum conſuetudinem, qua præfectos ſuos honoris gratia, Abbates, ac Patres appellant, ſed locum iſtum eſſe corruptum operarum negligentia, contraria inducta B. Hieronymi authoritate demonſtratur.* p *In capite nono, de Imaginibus Epiſtolæ Epiphanij, cuius interpres eſt B. Hieronymus, de ſciſſo velo, affictas fuiſſe nugas oſtenditur, neque ſancti alicuius, ſed profani hominis (fortè Herculis, vel Veneris) imaginem depictam fuiſſe conuincitur.* q *Sub capite decimo libri quarti, vindicatur locus ſanctiſſimi viri, in quo ſentire videtur, quod in templis, diuinæ laudes nõ ſint muſica voce decantandæ.* r *Aliud quoq; teſtimonium B. Hieronymi, ex Commentarijs in ca. 3. Danielis, contra venerationem Imaginum in ſcolijs, ſano & integro ſuo ſenſui reſtituitur.* ſ *Sub capite decimo, alius inijciebatur ſcrupulus, qui peregrinationum neceſſitatem & vtilitatem infringere videbatur, is quoque ſublatus eſt.*

*Præclara laus ſanctiſſimi & doctiſſimi huius viri, quod cùm hæretici, non modo Scripturas, ſed & omnium penè veterum Patrum, præſertim verò B. Auguſtini, Chryſoſtomi, & Ambroſij, ter ſacroſancta æterna monumenta ſacrilegè violarint, turpiſſimè corruperint, obtorto collo aliorſum in ſuum ſenſum pertraxerint, fœdiſſimè lacerarint, tanta tamen B. Hieronymi fuerit fidei ſanitas, religionis caſtitas & integritas, vt penè ab eo violando manus abſtinere fuerint coacti, vt pauciſſimas, eaſque ſatis friuolas, contra apertam & manifeſtam veritatem obiectiones indagando inueſtigare potuerint. Exiſtat fortè aliquis, qui inutiliter & ſuperuacuè eos tempus conſumere arbitretur, qui in colligendis, diſponendis, & ad præſentem vſum veterum Patrum ſcriptis accommodandis, illud omne collocant. Nam cum controuerſiæ ex ſacris Scripturis ſint decidendæ, vniuſque priuati Doctoris, ac Patris Eccleſiæ authoritas, parum virium ad confirmanda cõtrouerſa dogmata obtinere videatur (cum Eccleſia enim Doctores recipere, vel reijcere, non ex Doctore vno Eccleſiam facere, nec cum Doctoribus Eccleſiæ dogmata deſerere debemus, vt ait Vincentius Lyrinenſis) nec ſolius Hieronymi pronunciata & axiomata, indubitatam firmamque fidem facere, nec peruicaces aduerſarios conuincere, probabalia tantum, non firma argumenta ſubminiſtrare poterunt. Profectò ijs, qui ad labefactandum pium, vtilem, atque honeſtum bonorum conatum ita ratiocinantur, facilè poteſt occurri, quod dum vnius B. Hieronymi fidei, publicam profeſſionem in lucem proferimus, eadem opera omnium aliorum Patrum (qui vel eodem ſæculo cum B. Hieronymo, vel ante ætatẽ Hieronymi floruerunt) Confeſſiones exhibemus. Nam cùm Auguſtino teſte, omnium Patrum, qui eius ætatem anteceſſerunt, libros B. Hieronymus euoluerit, ab eorum communibus impreſſis vetuſtatis veſtigijs, ne latum quidem vnguem diſceſſiſſe, tanquam compertum, certò ſtatuendum eſt. Adde quod ipſe palam varijs in locis (vide caput vndecimum libr. 1. de authoritate Doctorum & Patrum Eccleſiæ, vbi ea loca ſunt copioſiſſimè obſeruata) clamat ac conteſtatur, ſe in explicandis Scripturis, non propria ſomnia proponere, ſed ſententias veterum Patrum, maximè Græcorum imitari, vnde ab eorum inſtitutis ac placitis Hieronymiana Controuerſiarum explicatio, vſque adeò non abhorret, ut ex ijs expreſſa, diducta, atque deſumpta eſſe videatur. Huc accedit aliud grauiſſimum authoritatis pondus ab eiuſdem penè ſæculi Scriptoribus, Auguſtino atque Ambroſio mutuo acceptum, quorum Confeſſiones in ſingulis capitibus atque articulis, ſi cum præſenti noſtra*

Hieronymiana

a Li. 3. de Euchariſtia ca. 6. art. 1. Bertramus in lib. de corpore & ſanguine Domini.
b Lib. 3. tit. 6. art. 6.
c Lib. 3. tit. 9. artic. 13.
d Lib. 3. tit. 11. de ſacramento Ordinis art. 7.
e Lib. 3. tit. 12. art. 6.
f Lib. 3. c. 9. art. 9. de Pœnitentia.
g ad finem c. 11. libr. 3. de ſacramento Ordinis.
h Lib. 4. ca. 1. artic. 1.
i Lib. 4. cap. 2. art. 2.
k Lib. 4. ca. 2. art. 4.
l Lib. 4. cap. 2. art. 14.
m Lib. 4. c. 7. artic. 1.
n Lib. 4. c. 7. articul. 3.
o Lib. 4. c. 8. artic. 3.
p Lib 4. c. 9. de Imaginibus articulo vnico.
q Lib. 4. ca. 10 art. 2.
r Lib. 4. ca. 9. articulo vnico.
ſ Lib. 4. c 10 artic. 10.

Melchior Canus lib. 7. de Sanctorum veterum authoritate ca. 2 & 3.

Lib 1 contra Iulianum Pelagianum. cap 7.



*Hieronymiana comparentur, vno ore, locis diſsiti, animo concordes, quaſi ex diuerſis mundi partibus, ad dicendum teſtimonium aduocati teſtes, eãdem veritatem Catholicam profitebuntur, & oppreſſo ab hæreticis per corruptam intelligentiam Dei verbo, opem atque teſtimonium ferent. Ex quibus efficitur, quod quicunque vnius ſolius Hieronymi autoritatẽ contempſerit, ſimul etiã totius antiquitatis Eccleſiaſticæ corruptæ, reus peragatur, omniumq; veterũ Orthodoxorum Patrum inſignis proditor, & ſycophanta habeatur. Quod ſi verò quis adeò impudens, atque effrons reperiatur, vt communem quaſi omnium veterum Patrum venerandũ Senatũ, & Eccleſiæ ampliſſimũ conſeſſum (*a *cùm conſors omniũ veterum Sanctorum conſenſus à Spiritu ſancto dubio procul profectus, certiſſimum argumentũ Theologo præſtet, ad Theologicas aſſertiones corroborandas) ſuggillare, atque traducere, & ab ijſdem ad ſacrarum literarum oracula prouocare, & appellare audeat, reſpõdeat obſecro ille mihi, quem ex ſuo grege in linguarũ cognitione, in eloquẽtiæ nitore, in rerũ varietate, cum B. Hieronymo poſsit comparare? Quem in Scripturarum ſolida, non modò tranſlatione (quam vniuerſa teſte* b *Auguſtino &* c *Iſidoro approbauit Eccleſia) ſed & interpretatione huic tantùm, non totius mũdi oraculo ac magiſtro poſsit opponere? Ecquis quæſo vnquam ſolidiora ac efficaciora ſcripturarũ teſtimonia, pro ſingulis controuerſis articulis confirmandis, corroborandis, quaſi in aciem produxit? Quis vnquam diligẽtior, fidelior, grauior, ſanctior Scripturarum interpres habitus eſt? Quis vnquam maiora adiumenta ad ſacras literas intelligendas attulit? Quis ab hiſtoria, ab omni antiquitate, linguarum cognitione adeò plenè fuit inſtructus? Quis adeò in numerato habuit, non modò ſingula ſacrarũ literarum teſtimonia, ſed ſyllabas penè atque adeò apices, vt quotieſcũque vox vnaquæq;, & in qua acceptione in vniuerſis Biblijs occurreret, ex tẽpore poſſet ſuggerere? Dicat fortè aliquis. Ex huius operis editione nulla ad te laus redit, ſed quicquid profers, totum Hieronymo vendicandum, ex ea re nil tuum eſt: ſi Eccleſiæ prodeſſe ſtudes, ede tua, non alienis plumis inſtar Aeſopicæ auis te exornes, Ne ſua repetens moueat cornicula riſum. Agnoſco ingenuè, ſi materiam operis ſpectes, omnẽ laudem B. Hieronymo, viro ſingulari, & prope diuino acceptam eſſe ferendam, nihil enim inde mihi decerpo: ſed ſi formam operis, ordinem, diſpoſitionem, methodum, diuturnam B. Hieronymi repetitam lectionem, colligẽdi laborem, diſponendi iudicium, deſcriptionem, ſcholiorum adiectionem intuearis, id ſolum eſt, quod mihi meo iure quodãmodo vendicare poſsim. Teſtor ſanctè Deum & conſcientiam, tanto mihi cõſtitiſſe hoc opus, tam magno labore ac ſudore comparatum, quatuor penè annorũ cõtinuo ſtudio confectum, vt minori labore, & minori temporis ſpacio meo marte opus proprium cudere, quàm alienũ toties euoluere, colligere, digerere, deſcribere potuiſſem: tametſi aliena malui, ob antiquitatis venerandam authoritatem ſuppeditare, quam mea turpiter, ac indoctè ingerere: quãquam à me non eſt quæſita hic laus vlla, ſed Dei honos, & Eccleſiæ vtilitas, & victoria, atque triũphus de hoſtibus Eccleſiæ mihi vnicè propoſita fuerunt, quæ ſi obtinuero, ipſe quoque ſatis triumpho. Oro quoque atque obteſtor candidos lectores, ſyncerè fidem Catholicam adamãtes (nam inuidos ſycophantas, occultos ſuſurrones, atque Democritos ne pili quidẽ facio) vt ſi quid à me fortè prætermiſſum ſit, vel parum aptè diſpoſitum, neque ſatis ordinatè ſuo loco collocatum, vel parũ accurato, & exacto iudicio collectum, (vt ſolet in magno etiam opere ſomnus obrepere, & dormitare aliquando bonus Homerus) eius me ſyncerè, & ex Chriſtiano pectore commonefacere, & non clam ſuggillare, vt ſi hoc opus ſæpius typis mandare contingat, maiori cum fructu Lectorum prodeat, velint. Quod autem vitam B. Hieronymi non attigerim, eo conſilio factum, quod eam Marianus Reatinus operibus B. Hieronymi poſtremò editis caſtigatis, & correctis præmiſerit, ne actum agere viderer. Atque iſtius ſtudioſum Lectorem admonitum eſſe cupio, me in teſtimonijs Hieronymi inducendis diſtributionem Tomorũ & ordinem Epiſtolarũ eum eſſe ſequutum, qui in vltima caſtigatione, ac correctione Operũ B. Hieronymi per Marianum Reatinum Epiſcopum Amerinũ, &c. exſtat. Quæ editio, vt eſt poſtrema, ita etiam omnium eſt longè caſtigatiſsima ac limatiſsima, qui quantum hac in re præſtiterit, beneuolus Lector, ex ipſius Præfatione, tanquam ex vnguibus Leonem facilè agnoſcet. Vt autem certò ſcire poſſes, qui ſint germani & genuini B. Hieronymi libri, qui verò adulterini, & ex quibuſnã libris, hæc Confeſſio Hieronymiana collecta ac digeſta ſit, in gratiã ſtudioſi Lectoris, Cenſurã ſiue κρίσιν, de Operibus γνησίοις, vel ſuppoſititijs B. Hieronymi, cũ adiectis rationibus præmiſi, ex qua, vt confido aliquanto fidelius, certius ac euidentius, quàm hactenus præſtitum eſt, poterit beneuolus Lector, authenticos & veros libros Hieronymi ab apocryphis diſcernere. Et ne quicquam eorum præteriſſe, ac prætermiſiſſe, quæ ad illuſtrem commendationẽ ſanctiſsimi, iuxta ac doctiſsimi viri facerent, videri meritò poſſem, exiſtimaui hoc quoque officiũ meum poſtulare, & in primis ad induſtriam diligentis artificis pertinere, neque iucundum cognitu, neque infructuoſum Lectori fore, ſi quæcũque iuſſu & mãdato Damaſi Pontificis (ſunt autem illa multa ac præclara valdè, vtpote Euangeliorum, Epiſtolarum, Prophetiarum, Pſalmorum, & omnium ferè ſacrarum literarũ, quæ per totum anni curſum in Eccleſia leguntur, diſtributiones, ordinationes, lectiones ſuis quæque anni tẽporibus ingenioſiſsimè artificioſiſsimeque accommodatæ, atque pulchrè applicatæ) B. Hieronymus, in diuino Eccleſiaſtico officio inſtituit, atque diſpoſuit, ex Eccleſiaſticorum officiorũ antiquis Scriptoribus, & ſanctorum Patrum monumentis fideliter collecta, ſubijcerem. Quod ſanè non parum faciet quoque ad noſtri temporis hæreticos confutandos, qui diuini officij ordinatiſsimam diſpoſitionem, à Spiritu ſancto per SS. Patres compoſitam cõuellere, temerè non erubeſcunt. Libro ipſi, B. Hieronymus, Comitis ſiue Lectionarij titulũ indidit. Lectionarij nomen ideo libro tribuit, quòd Lectiones Epiſtolarum, Euangeliorum, Prophetiarum ſecundum*

a Melchior Canus lib. 7. de Veterum Sanctorum authoritate cap. 3. concluſione 5.
b Lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 43 & li. 4. de doctrina Chriſtiana.
c Lib. 6. Etymologiarum cap. 5.

Horatius.

*totius anni progreſſum diſpoſitas, (ſicuti adhuc hodie in omnibus Eccleſijs obſeruantur) complectatur. Comitis verò nomine, eundē quoque librum ideò appellauit, quod hunc, tanquā incūdum comitem ſemper circunferre, in manibus, vel in ſi u geſtare, clericis præſertim & Sacerdotibus omninò officij ratione conueniat. Demonſtro duntaxat ad diuini huius viri nomen illuſtrandum, famamque celebrandam, hæreticoſque diuini officij oſores confutandos, ex varijs diuinorum officiorum Scriptoribus, Patrúmque vetuſtis monumentis huius, ſiue Comitis, ſiue Lectionarij B. Hieronymū noſtrū, verum autorem agnoſcēdum eſſe. Ipſum verò Comitis librū ſpecialiter non attingo, partim quod nimia prolixitas, quæ ex ſingularum lectionū annotatione, ac deſcriptione per totius anni curſum oriretur, impedimento ſit; partim etiā, quod ex quotidiana Eccleſiæ praxi, Eccleſiaſticis ſui officij ſatagentibus, & ſalutem non negligentibus cognitus atque diuturno vſu perſpectus ſit. Quod ſi verò antiquitatis Eccleſiaſticæ cupidus & amās Lector ipſum deſcriptū Comitis Librū in ſpecie videre auidè deſiderat, doctiſſimus idēque de Cypriano ac Tertulliano optimè meritus, Iacobus Pamelius, Brugenſis, Archidiaconus Audomaropolitanus in poſteriorē librū ſuorū Latinorū Liturgicōn eum retulit, inde ad manum, & in promptu erit petere: exiſtit etiā penes me idem Liber Comitis manuſcriptus, qui à Pamelij Lectionario non diſcrepat. Iam verò ne quid amplius in vindicando, & purgando B. Hieronymo deſiderari, vel deeſſe poſſet: operæpretium me quoq; facturum, atque vtilem ſtudioſo Lectori operā nauaturū exiſtimaui, ſi præter ſcholia, quæ ſuis ſingula locis, contra calumnias ac ſycophantias hæreticorum, plus quam cētum inſerta ſunt, ſaluberrima triginta duo alia Antidota, contra totidem Centuriatorum Magdeburgenſiū, peſtilentiſſima ac noxia venena (ipſi ſcilicet, ſi Deo placet, næuos ac ſtipulas B. Hieronymi vocant) adhiberem. quibus eorum venena depellerem, erroribus mederer, ex quibus inter ſe diligenter collatis, quàm bona ſcilicet fide, iſti turris Babylonicæ exædificatores, non modò in B. Hieronymi, ſed etiam reliquorum ſanctiſſimorum Patrum, & hiſtoricorū monumentis graſſentur, quàm fœdè ac turpiter ea corrumpant, facillimo negotio ſtudioſus Lector poterit perſpicere. Craſſiſſima B. Hieronymo impingi mēdacia, ipſa luce clarius videbis, ſi ad ea loca huius Confeſſionis, quò breuitatis ſtudio te remitto, recurras. Poſtremò cum ſingulis Tomis grauiſſimorum partim antiquorum, partim recentium authorū, tum ſoluta, tum ligata oratione, ſolidiſſima accuratiſſimáque in cōmendationem ſanctiſſimi viri 26. teſtimonia atq; elogia diligenti ſtudio conquiſita præmiſiſſem, cōmittere nolui, nec debui etiam, quin (vt contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcerent) impudentiſſima, impijſſima, atq; ſceleſtiſſima quorundam noſtri temporis hæreticorum, partim contra ſanctiſſimam, integerrimā, caſtiſſimámq; vitam, partim de dogmatibus B. Hieronymi prolata ſtulta, temeraria, ac ridicula iudicia, mihi ab optimo & doctiſſimo amico Ioanne Neopolio, Sacræ Theologiæ Licētiato, Paſtore S. Columbæ, & S. Vrſulæ, & ad Gradus Mariæ Canonico, Confeſſionis Ambroſianæ collectore, ſyncerè & candidè communicata: in gratiam Lectoris ſubijcerem, vt quo ſpiritu iſti homines ferantur, quantum ab antiquiſſimis, ſanctiſſimiſque Patribus diſtent, quo ſint affectu in Eccleſiæ Doctores, quáue reuerentia & honore eos proſequantur, liquidò cognoſcatur. Id quoque oro atq; obteſtor, ne prudens Lector multa errata Grammatica & orthographica, quæ operarum partim incuria, partim imperitia irrepſerunt, mihi illa imputare velit. Quanquam enim ſtudioſè operam dederim, vt quàm correctiſſimè hoc opus prodiret, euitari tamen non potuit, quin me inuito, dolente, conquerente ac ſæpe acriter eos increpante, plurimæ mendæ remanſerint. Spero tamē relicta errata eiuſmodi, eſſe adeò tenuia & palpabilia, vt ſaltem à non planè imperito, & rudi facili negotio poſſint agnoſci atque diſcerni. Conteſtor quoque palam, Deum teſtem inuoco, publicéque profiteor, me ſcienter & ſtudioſè nulla B. Hieronymi teſtimonia violenter torſiſſe, ac in alienam à voluntate authoris mentē aliorſum traxiſſe, ſed optima fide, ſyncero ac candido animo, abſque fuco, fraude, dolo vllo in colligēdis, digerēdis, ac diſponēdis teſtimonijs verſatū eſſe, ne quiſquā ex hoc capite mihi moleſtus ſit, néue hoc colore & falſo prætextu fidem & autoritatem Hieronymianæ Catholicæ apertiſſimæ Confeſſioni, & grauiſſimæ detrahat. Poſtremò cùm incidiſſem data facultate in quatuor partes Examinis Cōcilij Tridentini per Martinū Kemnitium editas, deprehendi nonnulla adhuc loca reſtare in B. Hieronymo, antea à me in ſcholiis non attacta nec vindicata, miſerè corrupta, & turpiſſimè deprauata à Kemnitio: quæ exiſtimaui omninò vindicanda, nullóq; modo prætereūda eſſe ſum arbitratus, ne quid deeſſet, ad operis perfecti elaborationē, néue quis iuſtè ac meritò me deſidiæ coarguere poſſet. De Eraſmi in Hieronymi libros cenſuris, déque eius ſcholijs mei inſtituti non eſt modo ſententiam temerè ferre. Illud verò iudicium Chriſtianus Lector, ex Mariano Victorio Epiſcopo Amerino, qui nouiſſimè caſtigatiſſimū & correctiſſimum B. Hieronymum adiectis ſcholijs nobis edidit, plurimáque Eraſmi errata notauit, atq; obſeruauit, requirat. Etenim Marianus Victorius in Commentarijs Eraſmi editis in tres priores Hieronymi tomos, vt de alijs modò taceam, ſexcentos & eò amplius errores, quos Eraſmus ijſdem illis, ſiue interpretandis, ſiue peſſimè emendandis infarciuerat, doctiſſimè redarguit. Quàm ſe iniquum Ariſtarchum, in cenſendis libris B. Auguſtini præbuerit, ſatis luculenter in Præfatione ad Lectorem Auguſtinianæ Confeſſ. author D. Hieronymus Torrenſis demonſtrauit. Extat & de libris B. Ambroſij, Cenſura doctiſſimi Neopolij noſtri, in qua & Eraſmum notatum reperies. In genere: de Eraſmi collato in Hieronymum, alióſque Patres labore, iudicium præſtantiſſimi Theologi, & magni noſtri Hieronymi cultoris, diligentiſſimique Lectoris D. Petri Caniſij, omnibus in promptu eſt petere, ex præfatione ante ſelectas à ſe epiſtolas B. Hieronymi. Interim humaniſſime Lector noſtro labore fruere, & fidei Catholicæ indubitatam, certiſſimámque veritatem, confeſſione ſanctiſſimi Hieronymi contra futiles nouas & ineptas hæreticorum opiniones communire & conſtabilire ſtude.*

CENSV-



## CENSVRA SIVE ΚΡΙΣΙΣ DE LIBRIS ET OPERIBVS B. HIERONYMI, qui germani, ſiue γνήσιοι, quiúe adulterini ac nothi, & ex quibuſnam libris hęc Confeſſio Hieronymiana ſit collecta, ac concinnata, Lectori demonſtratur.

IN ferenda cēſura de libris B. Hieronymi, ſequendum mihi propoſui ordinem nouem tomorum, poſtremæ caſtigatiſſimæ editionis, Mariani Victorij Reatini Canonici, ac Sacræ Theologiæ Profeſſoris. Ac inprimis nulla eſt controuerſia, neque dubitandi ratio, de ijs epiſtolis atq; libris, qui in primos tres Tomos, ſiue Ordines coniecti atque relati ſunt. Conſtat enim hodie, & conuenit inter doctos, eos omnes germanos eſſe B. Hieronymi, neque quiſquam de ijs hactenus dubitationem mouit, exceptis Traditionibus Hebraicis in libros tres Regum, & Paralipomenōn, & locis Hebraicis in Acta Apoſtolorum, & Homilijs in Cantica Canticorum, quæ tertio Tomo comprehenduntur. Quæſtiones ſeu Traditiones Hebraicæ in libros Regum, per ſtudioſum quendam ex Commētarijs Hieronymi decerptæ ſunt, vel verius ex quæſtionibus eiuſdem quæ non extant, quas ipſe in hos libros, ſicut in cæteros quoque Scripturæ ſacræ, ſe editurum initio erat præfatus, conſarcinatæ. Ab ipſomet verò Hieronymo hoc opus non eſſe editum, indè apertè conuincitur, quod neque LXX. neque aliorum Græcorum interpretum, neque Aquilæ, Symmachi, Theodotionis translationes, vt alibi more Hieronymi accuratè factum, recenſeantur: neque Hebręa paſſim & Græca, diuinæ Scripturæ teſtimonia proferat, Hebraicis & Græcis verbis expreſſa, vide Sixtum Senenſem lib. 4. Bibliothecæ ſanctæ. Nicolaus Lyranus in Commentarijs eorundem Voluminum, negat eſſe Hieronymi, & harum annotationum affirmat authorem fuiſſe Neophytum quendam Iudæum, qui ex Hebraicis fabulis, multa non minus ficta, quàm ridicula annotauerit. De Traditionibus in libros Paralipomenōn, etſi quidam eas inter dubia & ἀμφιβόλως νόθα referant, alij an ſint Hieronymi rem omninò certam non eſſe affirment; attamē Marianus Reatinus Victorius, optimè de B. Hieronymi operibus meritus, has eſſe Hieronymi certò conſtituere videtur. Opus de locis Hebraicis in Acta Apoſtolorum eruditum ſanè eſt, & à docto quodam viro editum; D. autem Hieronymi non eſſe, ex eo colligitur, quod dum de Smyrna Lyciæ ciuitate meminit, in ca. 27. Actorum, ipſum Hieronymum in libris Hebræorum nominum allegauit. Homiliæ duę in Cantica, neq; verè ſunt, neq; etiam attribuuntur B. Hieronymo, ſed earum author eſt Origenes, & fidelis interpres Hieronymus, vt ipſemet teſtis in Catalogo de Viris Illuſtribus. Præfatiunculam in Baruch, præfationes duas in Machabæorū libros, geminas item præfationes in Pſalterium, totidē in Prouerbia Salomonis, dum Marianus Reatinus Victorius in nouiſſima editione ſilentio tacitè præterijt, neque tertio Tomo cum alijs præfationibus inſeruit, ſatis ſignificauit, & Lectori inſinuauit, ſe eas pro Hieronymianis, conſentientibus alijs doctis viris nō agnoſcere. Quicquid igitur præter hæc dubia & ἀμφιβόλως νόθα in tres priores Tomos ſub expreſſo titulo beati Hieronymi à Mariano Amerino relatum eſt, id pro germano eius fœtu ab omnibus merito recipiendum eſt. Iam verò de Commentarijs in maiores Prophetas, quæ in quartum Tomorum ordinem rediguntur à Reatino, an verè ſint ipſius, nemo vnquam ſani iudicij cōtrouerſiam vllam mouit, niſi quod de Commentarijs in Threnos ſiue Lamentationes Hieremiæ, orta ſit inter doctos diſceptatio. Sixtus Senenſis, libro quarto Bibliothecæ ſanctæ eximit è numero Operum beati Hieronymi. Primò quod nullum inſit, vel Græcæ vel Hebraicæ intelligentiæ veſtigium: Deinde quod ſtructura ſermonis vbique inæqualis apertè clamet, nil aliud eſſe hoc opus, quam farruginem centonum à ſtudioſo collectorum, ex varijs diuerſorum authorum dictis, ex Gregorij potiſſimum ſententijs, atque integris capitulis coaceruatam. Nec veretur affirmare coaceruationis, huius collectorem fuiſſe Rabanum Maurum, in cuius operibus Baſileæ excuſis, hi tres libri habentur. Hos Typographi, vt Hieronymi ſcripta in maiorem molem aucta plauſibilius publicarent, & maiori pretio venderent, Hieronymi Tomis inſeruerunt, reciſis ex initio præfationis Rabani aliquot lineis, quò minus impoſtura à cœcis emptoribus deprehenderetur. Hactenus Sixtus. Poſtremi Iuris Canonici correctores, diſtinction. 45. ca. recedite, & c. 33. quæſt. 3. & de pœnitentia, diſtinctio. 1. cap. 2. hos Commentarios non Hieronymo, ſed Rabano Mauro tribuunt. Interim ſanè Gratianus doctum & eruditum hoc opus, Hieronymi nomine aliquoties retulit, & ad ſtylum & eruditionem Hieronymi proximè accedit: Deinde omnibus conſentientibus exemplaribus, ad Euſebium Cremonenſem D. Hieronymi indiuiduum Achatem, cui etiam totum in Hieremiam dicatum eſt opus, fœtus hic inſcriptus eſt. Sed & Epiſtòla libro præfixa beati Hieronymi, eſt eadem prorſus cum ea, quam ad Paulam Vrbicam de Alphabeti Hebraici myſterio, & metrorum apud Hebræos genere ille inſcripſit. inuenitur ea Tomo tertio, numero 115. opus ita pium & eruditum eſt, vt Hieronymi nomine ſecurè legi, & pro eius labore iure proferri ab omnibus poſſit. Atque hanc ſententiam Mariani Victorij ſequutus nonnulla quoque ex his libris ad meum inſtitutum facientia excerpſi. In Tomo quinto Commentaria in Eccleſiaſten, & duodecim minores Prophetas continentur, quæ indubitatò abſque omni hæſitatione, nullo contradicente, & ſunt, & ab omnibus beato Hieronymo tribuuntur. Tomus ſextus continet Commentaria in Matthæum, & Epiſtolas Pauli ad Galatas, ad Epheſios, ad Titum, & Philemonem, & librū Didymi de Spiritu ſancto ab Hieronymo verſum. De his quoq; nullus eſt iniectus ſcrupulus. Præfatio autem in Marcum falsò eſt Hieronymo inſcripta. Commentarij etiam in Marcum non ſunt Hieronymi, tametſi non indigni qui legantur, relicti ſunt in ſexto Tomo à Reatino, ne ab ipſo Euangelio, quod cæteris Euangelijs Canonum ratione adiungebatur, ſepararentur. Cur autem Commentarij in Marcum Hieronymo nec poſſint, nec debeant attribui, rationes omnes præter alios retulit Sixtus Senenſis, libro quarto Bibliothecæ ſanctæ. Commentarij, in-



quit,

quit, myſticæ explanationis in Marcum, magis abhorrent à ſtylo Hieronymi, quàm ignis ab aqua, hoc eſſe hominis, qui non multum Latinè, minus etiam Græcè & Hebraicè nouerit, argumento ſunt orationis barbaries, & inepta peregrinarum vocum interpretatio, cuius exemplū habes in capite decimoquarto, vbi author annotauit hanc dictionem, Paſcha Latinè ſignificare tranſitum, phaſe verò immolationem, & Nardū pyſticam idem valere, quod myſticam, & interpretatur venuſtam ac pretioſam. ſed & in eodem loco affirmat Mariam, quæ in domo lepro ſi vnxit caput Chriſti, fuiſſe peccatricem illam, quæ in domo Phariſæi eiuſdem pedes lachrymis lauit: huic oppoſitum docet Hieronymus in capite viceſimo ſexto Matthæi. In expoſitione capitis decimi quinti ſcribit, arietem pro Iſaac immolatum ab Abraham in mōte Caluariæ, quam ſententiam improbat Hieronymus in Epiſtola ad Marcellam, affirmans idem arietis ſacrificium oblatum in monte Moria. Rurſum in explicatione capitis decimi quinti inſerit verſus quoſdā de figura crucis, mutilatim reuulſos, ex quarto libro Carminum Sedulij, quem quidem conſtat aliquot annis Hieronymo fuiſſe poſteriorem. adde ad Sixti, aliorumque rationes & hanc, quod in expoſitione capitis decimi quinti aſſerit, bene dictum eſſe à Marco, quod eum hora tertia crucifixerunt, quia hora ſexta erant tam denſæ tenebræ, vt nemo Iudeorum potuiſſet titulum Cruci ſuperimpoſitū legere, quod à Melchiore Cano, libro ſecundo, capite decimo octauo, Locorum Theologicorum doctè refellitur, & hæc Commentaria ab eodem indefinitè allegantur, neque Hieronymo verè ab eo tribuuntur. Præfationes quæ in Lucam & Ioannem Hieronymi titulo circūferebantur, quia reuera iudicio omnium Doctorum communi eius nō ſunt, rectiſſimè à Mariano Reatino in poſtrema editione prætermiſſæ fuerunt. Nunc porrò de Commentarijs in Pſalmos (quæ reponuntur in ſeptimo Tomo) maxima exorta eſt controuerſia, dū docti viri in diuerſas diſcedunt partes. quidam acriter defendunt omnia hæc Commentaria in omnes Pſalmos, verè eſſe ipſius Hieronymi, quam ſententiam adeo fortiter tuetur Marianus Victorius Reatinus, in ſua Præfatione ante ſeptimum Tomum, & tam ſolidè aduerſam opinionem, omneſque obiectiones refellit, vt me vicerit, atque in ſuas partes attraxerit, in ſuamque ſententiam deduxerit: alij aſtruunt planè contrarium cum Sixto Senenſi, libro quarto Bibliothecæ ſanctæ, atque nihil horum ſapere Hieronymum mordicus defendūt: plerique mediam viam ingrediūtur, atque cum Reuerendiſſimis in Chriſto Patribus Melchiore Cano, Epiſcopo Canarienſi, & VVilhelmo Damaſi Lindano Ruræmundenſi exiſtimant, in quoſdam quidem Pſalmos beatum Hieronymum ſcripſiſſe, ſed non in omnes. Antequam ad Mariani Reatini Victorij ſententiam confirmādam deſcendam, commemorabo prius aliorum Doctorum hominum iudicia, & vnicuique, quam opinionem ex omnibus ſeligere, atque amplecti velit, liberum erit. Ego cùm diu multumque anceps hærerem, quò me tandem verterem, dedi literas ad inſignem Theologum, & in Patrum ſcriptis verſatiſſimum, Reuerendiſſimum Dominum VVilhelmum Damaſi Lindanum, Ruræmundenſem Epiſcopum, quem conſului, quid potiſſimum in hac ancipiti quæſtione ſequendum foret, qui pro ſua ſingulari humanitate, & in Catholicam Eccleſiam, ac religionem feruenti, ac indefeſſo ſtudio amiciſſimè in ſequentem modum reſpondit. Venerabili D.L. Salus & pax à Chriſto Ieſu. Silentium noſtrum tuas ad literas æquò diutius, quæſo ne tibi ſiniſtræ alicuius ſuſpicionis ſit argumētum; cum eius non alia fuerit cauſa, quam laborum immenſitas, qui partim in abſoluendā noſtram diſcordem Concordiam, partim in occurrentia negotia fuere impendendi. Quod igitur petis an Commentarij in Pſalmos, qui D. Hieronymi nomen præferunt, ſint genuini & germani, non leuem apud plurimos habet difficultatem. Nos poſt longam huius quæſtionis conſiderationem, ita de ijs, ſaluo aliorum iudicio arbitramur: eos varijs ex authoribus rapſodicè confutos, aut ex varijs potius ſtudioſorum appendicibus, hinc illinc centonum more coaluiſſe, eſſe tamen inſperſas illas D. Hieronymi notas, quarum alicubi meminit. Exſtat apud me Titulo Excerpti in Pſalmos libellus, quem vt genuinū exoſculor, qui ex doctiſſimi Origenis ſcriptis ſe collegiſſe profitetur. Si qua in re pium tuum in Dei domum ornandam, atque à peſtiferis quorundam erronum opinionibus vindicandā ſtudium adiuuare alicubi queamus, tibi perſuaſum habeas, me ſemper tibi ex animo fore fideliſſimum ſymmachum, donec ſpiritus hos reget artus: quos indies haud leuiter ſentio, varijs inſtantis optatiſſimæ illius reſolutionis præambulis tentari, quibus tandem vt ex miſera iſtius tetrici exſilij peregrinatione, ad beatam illam perducamur patriam, nos tuis obſecro digneris quotidianis adiuuare precibus, caſtiſque ſacrificijs Deo commendare. Vale diu, nobis & Eccleſiæ Chriſti Catholicæ incolumis. Ruræmundæ 4. Iunij Anno 1582.

Tui in Domino Ieſu Chriſto amantiſſimus, VVilhelmus Lindanus.

Conſilium quoque expetij in hac dubia quæſtione eruditiſſimi viri, mihique coniunctiſſimi in profeſſione cariſſimi collegæ, iam Paſtoris D. Petri, & S. Ceciliæ Canonici, Iacobi Hutteri ſacræ Theologiæ Licentiati, vt quid ipſe ſentiret, expiſcarer, quæ mihi humaniſſimè per literas in ſequentem ſententiam reſpondit. Iudicium meum de Hieronymi in Pſalmos Commētarijs doctiſſime Domine Schultingi miſiſſem citius, niſi tuam & aliorum ea de re ſentētiam cognoſcere, quam meam prodere maluiſſem. Sed quando ſæpius ob hanc cauſam me interpellaſti, quid ſtatuam homini amiciſſimo exponam. Equidem ſcio qd' Eraſmus, Bruno Amerbachius, Sixtus Senēſis libro quarto Bibliothecæ ſanctæ, & quidam alij Commentarios in Pſalmos, qui Hieronymi titulo circumferuntur, ipſius eſſe negant. Contra ego dico & in Pſalmos ſcripſiſſe, & eorū quæ hodie circumferūtur, non omnia falsò ipſius nomini adſcribi. In Pſalmos enim ipſemet ſe ſcripſiſſe memorat, cum alibi, tum in Catalogo & epiſtola quadam ad Auguſtinum, in qua Auguſtini expoſitiones in Pſalmos, à ſuis & veterū Græcorum interpretationibus ait diſcrepare. Iam verò Gregorius Magnus in quartum Pſalmum pœnitentialem, illius verſus, Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies, expoſitionem ex Hieronymo inducit, quam eodem ſenſu verbis non





bis non admodum differentem in his Hieronymianis Commentarijs inuenies. Adde quod palmarium eſt, D. Auguſtinum Epiſtola centeſima vndecima ad Fortunatianum, locum quendam contra Anthropomorphitas, ſic ſatis prolixum citare ex Hieronymi expoſitione in illum verſum, Pſalmi nonageſimi tertij. Intelligite ergo qui eſtis inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Qui plantauit aurem, non audiet, &c. quem totum locum verbotenus apud Hieronymum eodem Pſalmo videre eſt. Quo ego argumento liquere puto, ſi non omnium, quorundā certè Pſalmorum Hieronymi germanos eſſe Cōmentarios. Vale. Raptim ex ſcholis artium ipſo Diui Andreæ. Anno 1582. Tui ſtudioſiſſimus Iacobus Hutterus. Melchior Canus lib. 2. cap. 14. de locis Theologicis, hanc de his Commentarijs ſententiam retulit. Commentaria, quæ Hieronymi titulo in Pſalmos circumferuntur, D. Hieronymo tribuere, manifeſtæ ignorantię eſſe, vel ex hoc vno apertè conuincitur. Ait enim hic author, Pelecanum Latinè dici Onocratalum. ecqua autem maior ignoratio eſſe poteſt, quam vocem Onocratali Latinam exiſtimare? additum eſt tamē ibidem in margine à Cano. Credo tamē licet non in omnes, in quoſdam tamen Pſalmos B. Hieronymum Commentaria edidiſſe, quæ opinio etiam Caſſiodori fuiſſe videtur, vt inferius dicemus. Sed ne prolixitate nimia moleſtus ſim beneuolo Lectori, remitto eundem ad Cenſuram Mariani Victorij, Reatini Epiſcopi Amerini, qui in præfatione ſeptimi Tomi, ante Pſalmos ſatis fortiter ac firmiter hos Commentarios B. Hieronymo aſſeruit, ac vindicauit, tredecim validiſſimis rationibus in medium allatis, ac nouem contrarijs obiectionibus (inter quas ſex ſunt Sixti Senenſis libro quarto Bibliothecæ ſanctæ) ſolidiſſimè confutatis, vt vltra in hoc argumento nil deſiderari, nec amplius requiri poſſe videatur. Rationes autem quibus ego impellor, & propemodum neceſſariò adducor, vt certò ſtatuam, quòd Commentaria in Pſalmos beato Hieronymo attribuenda ſint, quæ ipſius nomen præferunt, hæ ſunt primariæ. Primò quod aliquoties in Commentarijs in Eſaiam, & in Catalogo Virorum Illuſtrium in fine ſuos Commentarios in Pſalmos ipſemet inducat, & hoc vel illo modo, ſe de præſenti loco in explicatione Pſalmorum diſſeruiſſe palam profiteatur. Deinde quod & in epiſtolis mentionem faciat, ſe in cōuentu virginum Bethlehemiticarū, Pſalmos expoſuiſſe ipſemet teſtetur. Præterea nullum argumentum plus apud me ponderis habet, quàm quod, quotieſcunque in alijs ſuis Commentarijs extra Pſalmos, in locum aliquem in Pſalmis explicatum incidit, eodem planè modo, & in eādem prorſus ſententiam expedit, atque euoluit, quo videlicet modo prius in Pſalmis expedierat, nonnunquam tacitè, plerunque etiam expreſsè, ad ſuos Commentarios in Pſalmos nos remittens atque relegans. Quæ ratio apud me plurimum valet, poſſemque eam exemplis pluribus illuſtrare, niſi breuitati ſtuderem. Nec quemquam moueat, quod ſcholia ſint potius breuia, quàm iuſta Commentaria. Nam mihi hæc ſcholia ſimillima eſſe videntur, ſcholijs in Matthæum, in quibus breuiter verbis rem ſtringit, ſenſibus dilatat, & paucis diebus rem abſoluit: & omiſſa veterum authoritate, quos nec legendi, nec ſequendi facultas dabatur, hiſtoricam interpretationem ſtrictè digeſſit, & interdum ſpiritualis intelligentiæ flores miſcuit. Accedit & alia euidentiſſima ratio. Quod cum liquidò conſtet ex Comite, ſiue Lectionario, B. Hieronymum in horis Canonicis, Pſalmos ad ſingula feſta & tempora diuini officij aptè diſtribuiſſe, & accommodaſſe, profectò inueniemus eam Pſalmorum applicationem, per omnia, expoſitioni D. Hieronymi reſpondere. In more quoque beato Hieronymo poſitum eſt ſingulorum Pſalmorum expoſitionem, aliqua pulcherrima precatiuncula, ex ſenſu Pſalmi expreſſa atque educta, abſoluere & concludere. Vnde exiſtimo pleraſque etiam Catholicæ Eccleſiæ collectas, quæ vehementer ſpiritualem hominem recreant, dimanaſſe.

*Hierony. in Proœmio in Matthæum.*

Accedo ad Tomum octauum, quo continentur Hieronymo adſcripta, ſed falsò, cùm alij authores horum Commentariorum eſſe credātur. Sixtus Senenſis, lib. 4. Bibliothecæ ſanctę iiſdem argumentis, quibus reiecerat Commentaria in Pſalmos, confirmat quoque Commentarios in Iob, non eſſe Hieronymi, ſed potius venerabilis Bedæ presbyteri Angli, quæ argumenta, tum à phraſi & ſtylo, tum à commentandi modo, tum deniq; ex Chronologiæ ratione deſumpta, apud Sixtum loco citato reperies: nec abhorret ab hac opinione, Marianus Victorius, Epiſcopus Amerinus, quem ſtudioſus Lector conſulere poterit. Ego interim diſſimulare non poſſum, grauiſſimi & antiquiſſimi ſcriptoris Caſſiodori iudiciū, in libro vnico Inſtitutionis diuinarum lectionum de Commentarijs in Iob, cuius hæc ſunt expreſſa verba, cui ob venerandam antiquitatem tribuo plurimum. Librum Iob, ait, Hieronymi labore, Latina lingua cautiſſimè tranſlatum, & expoſitum habere promeruit. Commentarios in Prouerbia Salomonis non eſſe quoque Hieronymi, ſed Bedæ presbyteri, iiſdem ac planè conſimilibus certiſſimis rationibus Sixtus Senenſis libro quarto Bibliothecæ ſanctæ, & Marianus Victorius, ad quos ſtudioſum Lectorem remitto, comprobant. In capite triceſimo primo citatur Gregorius ex Homilia, in Dominica quadā, & in capite triceſimo nominatim citatur ipſemet Hieronymus, in capite ſexto adducitur Auguſtinus. Sanè à Trithemio Bedæ adſcribuntur. Priorum opinioni ſubſcribit Melchior Canus, libro ſecundo Locorum Theologicorum capite decimo quinto Commentarij, inquit, qui circūferuntur titulo Hieronymi in Prouerbiorum libros, quanquam Hieronymo in Decretalibus, titulo de Conſtitutionibus, capite quinto (deſumpta ſunt iſta verba, ex Commentar. in caput tertium Prouerbiorum, repetita ſunt eadem verba in gloſſa ordinaria: Ne inuitaris, & cæt.) tribuantur, Hieronymi tamen non eſſe liquido deprehenditur. Iuuaret vehementer Latinam intelligentiam, ſi Hieronymus Commentarios in libros Prouerbiorum edidiſſet: Hæc ille hactenus. De Homilijs duabus in Cantica, ſuprà cùm agerem de ijs, quæ in tertium Tomum ſunt reiecta, ſententiam dixi. De Homilijs verò quatuor, in Cantica Canticorum in octauo Tomo collocatis, ſequutus ſum iudicium Epiſcopi Amerini. Commentarios in tredecim Epiſtolas Pauli, nequaquam eſſe Hieronymi, ſed alterius potius ſcilicet Pelagiani cuiuſdam

ab omnibus aſſeritur,& ab vtroque tam Sixto Senenſi, libr. 4. Bibliothecæ ſanctæ, quàm ab Epiſcopo Amerino ſolidiſſimè ac fortiſſimè corroboratum atq; conſtabilitum eſt. Omiſſis eorum rationibus id liquidò conſtat ex B. Auguſt. li. 3. de peccatorum meritis,& remiſſione, c. 12. & 15. Vide etiam iſtum Comment. in ca. 5. 6. 8. ad Roman. & in epiſt. ad Philippenſ. ca. 1. & 3. nec non 1. Cor. 15. & 1. ad Timoth. 6. quibus notatis locis multas ſententias apertè Pelagianas inuenies, & circa duo vltima loca obſeruabis, quod doceant Pelagiani non licere iurare, neq; diuitias poſſidere, hæc dogmata eſſe Pelagianorum affirmat Auguſtinus epiſt. 89. His ita firmiter poſitis atq; conſtitutis: ſtudioſum Lectorem amicè præmoneo, me hanc Hieronymianam Confeſſ. duntaxat ex ſeptem prioribus Tomis germanis B. Hieronymi libris confeciſſe, atque in methodum, legitimumq; ordinem digeſſiſſe, exceptis ſaltem paucis ijs, quę ſupr. in 3. Tom. non tribui B. Hieronymo, fuit obſeruatum. Ex 8. & 9. Tomis decerpſi planè nihil, quod ea ab Hieronymo alieniſſima eſſe, compertum ſit. Quanquam autem ea, quæ duobus poſtremis Tomis continentur, licet Hieronymi minimè ſint, ſanctorum nihilominus & eruditorum hominum labores pleriq; orthodoxam fidem, & piam eruditionem complectantur: nolui tamen veris falſa, aliena proprijs, germana peregrinis, γνήσια νόθοις commiſcere, atque indocta pleraq; doctis inſerere, ne ſub falſo titulo Hieronymi deliteſcerent; partim vt ob celeberrimam ſolius Hieronymiani nominis memoriam, grauius autoritatis pondus huic Confeſſioni accederet: partim etiam quod ad cognoſcēda noſtro tempore inter partes dogmata cōtrouerſa, hæc ſupellex abundè ſatis ſit inſtructa, atq; nimia prolixitas Lectori moleſtiam creare, faſtidium adferre, minusq; ob incertitudinem authoritatis habere poſſet. In Tom. 9. continentur epiſtolæ D. Hieronymo falsò aſſcriptæ, eæq; in tres ordines, ſiue claſſes digeſtæ. In prima parte locatæ ſunt epiſtolæ doctæ quidem, ſed quarum authores vel ignorantur, vel certò non ſciuntur. In ſecunda ſerie locata ſunt ea, quæ continent ab Hieronymo aliena eius ſcriptis immixta, & ſuis titulis proprios authores præferentia. In tertio ordine ponuntur, quæ ſuos authores ipſa etiam præferant, ſed comparatione primæ claſſis, & ſecundæ ſunt indocta. Vt perſpicuè ſtudioſus Lector has epiſtolas & libros in 9. Tomo poſitos, & ritè diſcernere ac internoſcere poſſit, omnia cū ſubiecta cenſura, quaſi in tabula depinxi, ac ſtudio breuitatis, memoriæque conſulendi gratia, omnibus ſpectanda dilucidè propoſui.

*Primæ ſeriei Epiſtolæ doctæ, ſuis veris authoribus, quantum eius fieri potuit, reſtitutæ ac vindicatæ.*

EPiſt. 1. Ad Demetriadem de Virginitate, Pelagiana eſt planè, & à D. Auguſtino lib. de gratia Chriſti, cap. 22. 27. 39. & 40. ipſi Pelagio attribuitur, quia nimium libero arbitrio, etiam ſine Dei gratia adſcribit, & ab Auguſtino etiā, & Alipio in ſequenti epiſtola redarguitur: quidam libri, hanc epiſtolam Celeſtij Pelagiani titulo circumferunt.

Epiſtol. 2. Auguſtini & Alipij ad Iulianum. Hæc veros prodit authores ex communi conſenſu Doctorum.

Epiſt. 3. Ad Geruntij filias, de contemnenda hæreditate, Pelagiana eſt, docuerunt Pelagiani, Chriſtiano homini non licere diuitias poſſidere. vide Commentaria Pelagianorum, quæ falsò Hieronymo adſcribuntur, in 1. Epiſt. ad Cor. ca. 15. & 1. ad Timoth. cap. 6. hoc fuiſſe dogma Pelagianorum docet B. Auguſtinus epiſt. 89.

Epiſt. 4. Ad Marcellam vt aduerſa toleret exhortatio. Paulini eſt ex communi calculo.

Epiſt. 5. Ad virginem in exilium miſſam conſolatio. Itidem Paulini.

Epiſt. 6. Ad amicum ægrotum. Tertulliani eſſe ſentiunt omnes.

Epiſt. 7. Ad amicum ægrotum de viro perfecto: errat Eraſmus, qui tribuit Tertulliano, rectius Marianus Maximi eſſe affirmat, quia meminit D. Ambroſij, & de Inuentione corporū Geruaſij & Protaſij.

Epiſt. 8. Inſtituit amicum in ſcientia diuinę legis. Pelagiana eſt.

Epiſt. 9. De tribus virtutibus. Pij nec indiſerti hominis eſt, alij Bernardo, alij Auguſtino aſſcribunt.

Epiſt. 10. Ad Paulam & Euſtochium de Aſſumptione B. Mariæ virginis ſermo. Conſentiunt omnes Græci potius, quàm Latini eſſe ſcriptoris. Caniſius lib. 5. de Maria Deipara, cap. 1. eſſe Sophronij, Hieronymi familiaris pro compertiſſimo habet.

Epiſt. 11. De Aſſumptione B. Mariæ virginis ſermo. Similiter cadentia & deſinentia, agnominationes, traductiones, aliaque id genus ſchemata, denique totius ſermonis guſtus Auguſtinum ſapit. Atque etiam in pleriſque libris lectiones, quæ recitantur in feſto Purificationis hinc decerptæ, nomen Auguſtini præferunt. Reuerendus Dieguus Payua, lib. 5. contra Kemnitium pro defenſione Concilij Tridentini, modò Auguſtino modò Hieronymo aſſcribit,

Epiſtol. 12. De honorandis parentibus ἄδηλον ſcriptum.

Epiſt. 13. De ſeptem gradibus Eccleſiæ ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, ſeptem capita continens. Quanquam D. Thomas in ſumma Theologica, Gratianus in Decretis, M. S. in Sententijs, adeoq; ipſi doctiſſimi poſtremi Iuris Canonici emendatores, hanc Hieronymi nomine paſſim allegant; ipſius tamē reuera non eſſe duobus indicijs colligi poteſt. Primò quod in exemplaribus variat titulus, in nonnullis ad Damaſum inſcripta eſt, in alijs ad Ruſticum, in quibuſdam nullius habet aſſcriptum nomen. Deinde in alijs codicibus integra, & in alijs mutila habetur.

Epiſ. 14. Virginitatis laus ad Mauritij filiam. In exemplaribus hic quoq; variat Titulus. Nam in quibuſdam habetur diuerſus Titulus à priori, nempè ad Mauritum filiam, in pleriſq; eſt etiam nullius nomen adſcriptum.

Epiſt. 15. De his quæ Deo in ſacris Scripturis attribuuntur. Nihil in hoc opuſculo, nec ſermonis, nec eruditionis, nec pectoris, quod Hieronymum reſipiat. Sed de hoc argumento pulcherrima quæq; ex Hieronymo collecta, vide in Confeſſione Hieronymiana Titulo primo, articulo tertio.

Epiſtola 16. Damaſi ſymbolum. Plura ſymbola inter epiſtolas Hieronymi reperiuntur, ſed nullum ab ipſo creditur eſſe conſcriptum.



Epiſtola 17. Symboli explanatio ad Damaſum. Pelagij eſt, non ad Damaſum, ſed ad Innocentium ſcripta, vt docet Auguſt. lib. 1. de gratia Chriſti cap. 31. & 32. vbi eadem verba adducit. D. Thomas Aquinas, & M. S. pro iſtius ſæculi ratione nomine Hieronymi nonnunquam inducunt.

Epiſt. 18. Explanatio fidei ad Cyrillum. Cyrillus Hieroſolymitanus ante Hieronymum obierat, infr. vide in iudicio de tertia claſſe.

Epiſt. 19. Symbolum Ruffini ad Laurentium Epiſcopum.

Epiſt. 20. Ad Præſidium Diaconum de Cereo Paſchali, ἄδηλον.

Epiſt. 21. De celebratione Paſchæ. Auguſtini eſſe conſentiunt.

Epiſtol. 22. In Suſannam lapſam obiurgatio, duo capita continens. ἄδηλον. A phraſi & ſtylo Hieronymi abhorret maximè.

Epiſt. 23. In Euagrium obiurgatio, quod Leuitam lapſum non ſit conſolatus. Conſentiunt omnes eſſe Paulini.

Epiſtola 24. Hortatio ad militem ſæculi, vt Chriſto militet, conſentiunt omnes eſſe Paulini.

Epiſt. 25. De decem tentationibus populi Iſraelitici, ἄδηλον. Neoterici alicuius ſtylus eſſe videtur.

Epiſtola 26. Explanatio in Pſalmum 41. Apparet eſſe fragmentum ex Homilijs alicuius in Pſalmos myſticos.

Epiſt. 27. Explanatio in Pſal. 117. eiuſdē eſt farinæ.

Epiſtola 28. Ad Dardanum, de diuerſis generibus Muſicorum. ἄδηλον. indigna hoc ordine.

Epiſtola 29. De Reſurrectione Domini Sermo. Nulla vmbra Hieronymi pectoris: & in alijs Codicibus, alio atq; alio Titulo prænotatur.

Epiſ. 30. De Natiuitate Domini Sermo. ἄδηλος. Videtur tamen Leonem aut Maximum referre.

Epiſt. 31. De Epiphania Domini ſermo. ἄδηλος.

Epiſtol. 32. Sermo de Quadrageſima. ἄδηλον. Hieronymum minimè ſapit.

Epiſt. 33. In Vigilia Paſchæ, de eſu agni ſermo. ἄδηλον.

Epiſt. 34. De Reſurrectione Domini ſermo. ἄδηλον.

Epiſtol. 35. Ad Euſtochium de vinculis Petri. ἄδηλον.

Epiſtola 36. De obſeruatione Vigiliarum. ἄδηλον.

Epiſtola 37. Ad Pammachium & Oceanum exhortatoria. Obiurgat eos, quorum pietatem ſemper ſolet prædicare. Non igitur legitima eſt inſcriptio.

Epiſt. 38. Ad quendam qui in ſæculo pœnitebat. ἄδηλον.

Epiſtola 39. De diuerſis generibus leprarum. Iouiniani videtur eſſe, adeò balbutit, & quantum odorari licet ex his, quę D. Hieronymus ex illius Commentarijs recenſuit.

Epiſtola 40. De duobus filijs frugi & luxurioſo. Fertur hic tractatus inter opera Chryſoſtomi. Cur Hieronymus iterum de eodem argumento ſcripſiſſet?

*Secunda ſeries, quæ continet aliena Hieronymi ſcriptis intermixta, ſed tamen ſuis Titulis proprios Scriptores præferentia.*

EPiſtola 41. Paulinus Sebaſtiano Eremitæ. Apologia pro Origine non eſt Pamphyli Martyris, ſed Euſebij Cæſarieſis hominis Arriani. Quam Pamphyli nomine editam à Ruffino, vt facilius tali laudatore impijſſimi libri Origenis περὶ ἀρχῶν, Romanis auribus ingererentur, ſæpe D. Hieronymus obiurgando conteſtatur. vide in Confeſſione Hieron. tit. 12. De hæreticis. Quomodo hæreticorū ſit vetus & recens praxis, libros ſuos ſub confictis Catholicorum titulis edere, ſicuti Caluinus Inſtitutiones ſuas primò edidit, ſub nomine Alcuini, præceptoris Caroli Magni, vt ob antiquitatem plauſibilius exciperentur. vide in Tom. 9. Hieronymi circa finem, Fol. 132. Marianum Victorium Epiſcopū Amerinum in epiſt. ad pium & eruditum Lectorem, qui Hieronymi verbis probat Apologiam pro Origine, Euſebij Cæſarienſis eſſe, non Pamphyli Martyris.

Ruffini liber de adulteratione librorum Origenis ad Macharium, duo capita continens.

Prologus Ruffini in Periarchon Origenis, ad Macharium, duo capita continens.

Epiſt. 42. Ruffini ad Anaſtaſium vrbis Romę epiſcopum pro fide ſua.

Epiſt. 43. Anaſtaſij Romani epiſcopi ad Ioannem Hieroſolymorum epiſcopum, de Ruffino ſententia.

Ruffini Aquileienſis Inuectiuarū in D. Hieronymum lib. 1.

Inuectiuarum Ruffini in Hieronymū lib. 2.

Epiſt. 44. Auguſtinus Hieronym. de eo quod ſcriptum eſt. Qui totam legem ſeruauerit, &c.

Epiſt. 45. Auguſtinus Hieronymo de ratione animæ.

Epiſt. 46. Auguſtini ad Optatum Mileuitanū epiſcopum, de Origine animarum.

Epiſt. 27. D. Auguſt. Homilia de Paſtoribus.

Epiſt. 48. Valerius Ruffino, ne ducat vxorem.

Gennadij Illuſtrium virorum Catalogus. licet hoc opus nec admodū eruditum, nec eloquēs: tamen haud indignum eſt, quod ob hiſtorię cognitionem ſeruetur. In eo tamē craſſè labitur, quod tantis laudibus efferat Ruffinum, nullo modo cum Hieronymo comparandum. Iniuriam quoque facit ſanctiſſimo Hieronymo, in eo quod aſſerat eū obtrectationis morbo ſcripſiſſe aduerſ ſanctiſſimum virū, vide Gennadiū de Ruffino.

Martini V. Pontificis Regulæ Monachorum approbatio.

Regula Monachorum D. Hieronymi ex ſcriptis eiuſdem per Lupum, de Oliueto collecta 32 capita continens.

Dialogus ſub nomine Hieronymi & Auguſtini ex vtriuſque ſcriptis, ab incerto authore, de origine Animarum.

De corpore & ſanguine Chriſti, homilia incerto authore.

Homilia ſuper Euangelium Matthæi. Quis veſtrum habebit amicum.

*Tertia pars ſiue ſeries continet, non ita docta & erudita, ſicut ea ſunt, quæ in prima, ſecundaque claſſe continentur, licet ſuos autores præferant.*

EPiſt. 49 Ad Tyraſium ſuper morte filiæ conſolatio. Sermo totus iacet, adeò non facūdus, vt nec ſemilatinus. Deniq; rara & frigida ſacrarum Scripturarum teſtimonia teſtantur, non eſſe Hieronymi.

Epiſt.50. Ad Oceanum de ferendis opprobrijs hortatoria ἄδηλος.

Epiſto.51. Ad Oceanum de vita Clericorum. Nuſquam patris nomen exprimit Hieronymus, quod ſtatim hic in ſalutatione præter moré nominatur.

Epiſt.52. Damaſus Hieronymo.

Epiſt.53. Hieronymus Damaſo.

Hæ duæ Epiſtolæ minimè ſunt Hieronymi, author eſt incertus, ſed interim vnius artificis vtraque eſt. Phraſis tantum diſtat à ſtylo Hieronymiano, quantum cœlum abeſt à terra.

Scriptorum Eccleſiaſticorum Catalogus ad Deſiderium. Duabus de cauſis non eſt Hieronymi. Prima eſt, quia hęretici Pelagius, Iouinianus, Origenes referuntur in hoc catalogo inter eccleſiæ lumina. Altera, quia Hilarius Romanus Pontifex hic nominatur, qui S. Leoni ſucceſſit, quiq; diu poſt obitum Hieronymi claruit.

Epiſt.54. Ad Paulam & Euſtochium, De virtute Pſalmorum. Ne minimus quidem in hac Hieronymi guſtus, imò barbarum quid, & neotericum ſapit.

Epiſt.55. Ad Damaſum de oblatione altaris. Chryſoſtomi Commentarios nominatim adducit, cùm D. Hieronymus Chryſoſtomum prorſus ignorarit.

Regula Monachorum cap.41. continens. Regulam hanc non eſſe Hieronymi, totus ſermonis inſulſiſſimus character adeò palam præ ſe fert, vt vel ab indoctiſſimis ſentiri queat.

Epiſt.56. Chromatius & Heliodorus Epiſcopi Hieronymo.

Epiſt.57. Hieronymus Chromatio & Heliodoro. Hæ duæ epiſtolæ eiuſdem artificis, cuius Regula Monachorum quæ præceſſit.

Epiſt.58. De Natiuitate S. Mariæ: Caniſius li.1. cap.12. in opere Mariano agnoſcit, nó eſſe Hieronymi, ſed tamen eſſe alicuius veteris Doctoris aſſerit.

Epiſt.59. Euſebius de morte Hieronymi ad Damaſum. Euſebij Cremonenſis indiuidui D. Hieronymi ſocij eſſe creditur, cui Hieronymus totum opus in Hieremiam dedicauit. Sed nomine Damaſi in epigrapha, alius quã Summus Pontifex, toto orbe notiſſimus intelligendus eſt, ne falſo nomine circumferatur. Nam Damaſus Pótifex, longè antè D. Hieronymum (qui ſub ſex Pontificibus floruit) obijt.

Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi ſcriptum ad Cyrillum Hieroſolymitanum Epiſcopum, de magnificentijs B. Hieronymi. Non eſſe B. Auguſtini, obſeruauit ante omnes recẽtiores D. Antonin⁹ inſignis Canoniſta, Theologus & Hiſtoric⁹.

Cyrilli Epiſcopi Hieroſolymitani de Miraculis S. Hieronymi, ad S. Auguſtinum Epiſcopũ Hipponenſem. Non eſſe Cyrilli annotauit, etiã ſanctus Antoninus. Atque id ipſum ex chronologiæ ratione efficaciſſimè cõuincitur. Cyrillus enim Hieroſolymitanus ante D. Hieronymum obijt: qui potuit igitur Miracula D. Hieronymi conſcribere? Hieronymus in libro de Viris Illuſtribus de Cyrillo Hieroſolymitano ſic ſcribit. Cyrillus Hieroſolymę Epiſcopus, ſępe pulſus ab Eccleſia & receptus, ad extremum ſub Theodoſio principe, octo annis inconcuſſum epiſcopatum tenuit. Præterea hic ſuppoſititius Cyrillus Sabinianum vocat peſtiferum hæreſiarcham, quod in Chriſto duas eſſe voluntates aſſereret, additq́ue Hieronymum, epiſtolam ad deſtructionem huius erroris edidiſſe. Ex quo vno maniſeſtiſſimè huius indocti impoſtoris fraudulenta hæreſis agnoſcitur. præſertim cum germanus Cyrillus in 6. Synhodo, actione 17. ad probandũ Chriſtum habuiſſe duas voluntates, ab Agathone inducatur. Nec pudet hunc effrontem Eutychianum, ſanctum Hieronymum in patrocinium, ſuæ hæreticæ ſententiæ aduocare, cum quid B. Hieronymus, de duobus in Chriſto voluntatib. Catholicè ſenſerit, ſatis apertè hæc Hieronymiana Confeſſio Tom.1. cap. 4. artic. 2. 3. & 4. profiteatur.

Vita D. Hieronymi incerto authore. Verior fideliorq́ue vita B. Hieronymi ex fontibuus ipſis, id eſt, libris ipſius hauſta, ab Epiſcopo Amerino edita, & poſtremæ caſtigatiſſimæ editioni operum eiuſdem præmiſſa, quàm conſulere pius & eruditus Lector poterit.

*Cenſura vetuſtiſſimi Caſſiodori ex Senatore Monachi, qui floruit Anno Domini 492. id eſt, eodem ſæculo, cum B. Hieronymo, in libro vnico Inſtitutionis Diuinarum lectionum, de libris quibuſdam B. Hieronymi partim dubiis, partim etiam temporum iniuria amiſſis.*

Vnum Volumen Quæſtionum Hebraicarum in Geneſin edidit: ſimiliter Explicationes Hebræorum nominum, & Locorum partim tranſtulit, partim compoſuit. Annotationes D. Hieronymi breues ſcriptæ in tyronum gratiam, in Prophetas deſiderantur. Codicem Pſalmorum in quibuſdam Pſalmis Hilarius, beatus Ambroſius, & beatus Hieronymus, in omnibus tamen beatus Auguſtinus ſtudioſè nimis, latiuſq́ue tractauit. Eccleſiaſten Salomonis beatus Hieronymus potenter expoſuit. Librum Iob beati Hieronymi labore, Latina lingua cautiſſimè tranſlatum, & expoſitum habere promeruit. Annotationes quæ extant hodie titulo Primaſij, Sedulij, & D. Hieronymi in tredecim epiſtolas Pauli (quas Gelaſio Pontifici Romano, à nonnullis fuiſſe tributas ſuo tempore, teſtis eſt Caſſiodorus) Pelagij eſſe præter authoritatem Caſſiodori, conſtat ex D. Auguſtino, libro tertio de Peccatorũ meritis, & remiſſione cap.12. & 15. Caſſiodorus quoque affirmat & allegat, ſe habuiſſe breues Annotationes B. Hieronymi in Epiſtolas Pauli, quæ, proh dolor, interciderunt. Quinetiam adiungit B. Hieronymum, præter Expoſitiones in epiſtolas ad Galatas, ad Epheſios, ad Titum, ad Philemonem, reſiduas etiam duas ad Corinthios, duas ad Theſſalonicenſes, ad Coloſſenſes vnam, ad Timotheum duas etiam ex profeſſo iuſtis Commentarijs illuſtraſſe, quę Caſſiodorus ſe diligenter inquiſiturum ſcribit, ſibiq; ab amicis transmittendas eſſe ſperat. Apocalypſis quoque Ioannis, ait, antiquiſſimus ſcriptor Caſſiodorus, ſancti Hieronymi expoſitione eſt conſpicua Chronica, deniq; Euſebij Gręca in Latinum ſermonem idem tranſtulit. hæc de dubijs & amiſſis pleriſq; libris B. Hieronymi κρίσις & cenſura eſt: Caſſiodori vetuſtiſſimi, ac viciniſſimi temporibus B. Hieronymi. Dolendũ & deflẽdum, tam multos, tamq; pulchros B. Hieron. libros, & pręſertim breues Annotationes, in Prophetas, & epiſtolas Paulinas temporum iniuria intercidiſſe.





## ELOGIA VIGINTI SEX D. Hieronymi Stridonenſis, quæ paſſim in veterum ac neotericorũ monumentis exſtant, obſeruato ferè ordine temporis, quo ſinguli floruerunt, aptè diſpoſita.

*Auguſtinus lib.1. contra Iulianum Pelagianum, cap. 7.*

Nec ſanctum Hieronymũ, quia Presbyter fuit contemnendum arbitreris, qui Græco & Latino inſuperet, Hebræo eruditus eloquio, ex Occidentali ad Orientalem tranſiens Eccleſiam, in locis ſanctis, atque in litteris Sacris, vſque ad decrepitam vixit ætatem, cuius nobis eloquium ab Oriente vſque in Occidentem, ad inſtar lampadis reſplenduit. Hic omnes, vel penè omnes, qui ante illum ex vtraque parte orbis de doctrina Eccleſiaſtica ſcripſerant, legit, nec aliam de hac re tenuit, prompſitq́ue ſententiam, &c.

*Auguſtinus libro 18. de Ciuitate Dei, Capite 43.*

Non defuit temporibus noſtris Presbyter Hieronymus, homo doctiſſimus, & omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco, ſed ex Hebræo in Latinum eloquium eaſdẽ Scripturas litterato labore conuertit.

*Auguſtinus Epiſtola 903. ad Hieronymum Tomo 2. operum eiuſdem Hieronymi, & apud D. Auguſtinum in Epiſtolis.*

Tantae mihi in litteris tuis, quæ in manus noſtras peruenire potuerunt, apparent res, vt nihil ſtudiorum meorum mallem, ſi poſſem, quam inhærere lateri tuo, quod ego, quia non poſſum aliquem noſtrorum in Domino filiorum erudiendum, nobis ad te mittere cogito, ſi etiam de hac re tua reſcripta meruero; nam neque in me tantùm ſcientiæ diuinarum ſcripturarum eſt, aut eſſe iam poterit, quantum ineſſe tibi video, & ſi quid in hac re habeo facultatis, vtrunque impendo populo Dei.

*Paulò poſt Ibidem.*

Recurro ad illa verba epiſtolæ tuæ dulciſſima, ſanctique deſiderij tui pleniſſima, & ea facio viciſſim mea: Vtinam mereremur complexus tuos, & collatione mutua, vel doceremus aliqua, vel diſceremus: ſi tamen eſſe vllo modo poſſet, quod ego te docerem.

*Ex Epiſtola Auguſtini ad Hieronymum, quæ exſtat Tom.2. Epiſtolarum Hieronymi, Epiſtola 907. & apud D. Auguſtinum in Epiſtolis.*

Qvanqvam ſecundum honorum vocabula, quæ iam Eccleſiæ vſus obtinuit, epiſcopatus presbyterio maior ſit: tamen in multis Auguſtinus Hieronymo minor eſt: Licet etiam à minori quolibet non ſit refugienda, vel dedignanda correctio.

*Auguſtinus Tom.2. Epiſtola 102. ad Euodium.*

Scripsi librum ad ſanctum Presbyterum Hieronymum de animæ origine, conſulens eum quomodo defendi poſſit illa ſententia, quàm religioſæ memoriæ Marcellino ſuam eſſe ſcripſit, ſingulas animas nouas naſcentibus fieri, vt non labefactetur fundatiſſima Eccleſiæ fides, qua inconcuſsè credimus, quod in Adam omnes moriuntur, & niſi Chriſti gratia liberentur, qui per ſuum ſacramentum, etiam in paruulis operatur, in condemnationem trahuntur. Scripſi alium librum ad eundem Hieronymum, quomodo illi videatur accipiendum eſſe, quod ſcriptum eſt in epiſtola Iacobi 2. Quicunque autem totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus. Sed in hoc dixi etiam, quod mihi videtur: in illo autem de animæ origine tantum quid ei videatur, conſultatoria quadam diſputatione quæſiui: Occaſionem quippe cuiuſdam ſanctiſſimi, & ſtudioſiſſimi iuuenis Presbyteri Oroſij, qui ad nos, ab vltima Hiſpania, id eſt, ab Oceani littore, ſolo ſanctarum ſcripturarum ardore inflammatus aduenit, amittere nolui, cui, vt ad Hieronymum quoque pergeret, perſuaſi.

*Damaſus Romanus Epiſcopus ad Hieronymum Tom.3. Epiſt.124.*

Nvllam puto digniorem diſputationis noſtræ confabulationem fore, quàm ſi de ſcripturis ſermocinemur inter nos, id eſt, vt ego interrogem, tu reſpondeas, qua vita nil puto in hac luce iucundius; quo animæ pabulo omnia mella ſuperantur. Quam dulcia, inquit Propheta, gutturi meo eloquia tua ſuper mel ori meo. Vide Tomo 3. Epiſtola 144. in qua Damaſus Papa obſecrat D. Hieronymum, vt quid ſignificet in Euangelio. O ſanna filio Dauid, ſibi ex Hebraica veritate ediſſerat.

*Gelaſius Pontifex in Concilio Romano 70. Epiſcoporum celebrato, diſtinct. 15. cap. Sancta Romana Eccleſia.*

Rvfinvs vir religioſus plurimos Eccleſiaſtici operis edidit libros: nonnullas etiam ſcripturas interpretatus eſt. Sed quoniam B. Hieronymus in aliquibus eum de arbitrij libertate notauit, illa ſentimus, quæ B. Hieronymum prædictum ſentire cognoſcimus, & non ſolùm de Rufino, ſed etiam de vniuerſis, quos vir ſæpius memoratus, zelo Dei, & fidei religione reprehendit. Item Origenis nonnulla opuſcula, quæ vir B. Hieronymus non repudiat, legenda ſuſcipimus. & paulò ſuperius: Vitas patrum Antonij, Pauli, Hilarionis, & omnium Heremitarum, quas vir beatiſſimus ſcripſit Hieronymus, cum omni honore ſuſcipimus.

*Synodus Mileuitana, cui D. Auguſtinus interfuit, in Epiſtola ad Innocentium primum Papam.*

Plvrimi, qui eius ſenſus diligentius indagare potuerunt, aduerſus Pelagium pro Chriſti gratia, & Catholicæ fidei veritate confligunt: ſed præcipuè ſanctus filius tuus frater & cõpresbyter noſter Hieronymus.

*Proſper Aquitanicus in libro περὶ ἀχαρίστων, hoc eſt, de ingratis contra Pelagianos.* — *Proſper σύγχρονος Auguſtini et Hieronymi.*

*Iiſdem namq; ſimul decretis, ſpiritus vnus*
*Intonuit, peſtem ſubeuntem prima recidit*
*Sedes Roma Petri; quæ paſtoralis honoris*
*Facta caput mundo, quicquid non poſsidet armis,*
*Relligione tenet, non ſegnior inde orientis*
*Rectorum cura emicuit: captumque nefandi*
*Dogmatis authorem conſtrinxit lege benigna*
*Commentum damnare ſuum: niſi corpore Chriſti*

*Abiungi, & ſancto vellet grege diſſociari.*
*Lene quidē hoc, nimiumq́; malos toleraſſe videtur*
*Iudicium, ſed ſancta fides examine in illo*
*Vicit oborturam diro de ſemine prolem*
*Proſpectum namq́; eſt, diuino & munere cautum*
*Vt licet inſtantem declinans beſtia pœnam,*
*Perfidiæ cæcum ſenſus tenuiſſet eoſdem*
*Ipſa tamen proprium germen damnando necaret*
*Ore malā extinguens ſobolem, quam protulit ore*
*Tunc etiam Bethlæi præclari nominis hoſpes.*
*Hebræo ſimul & Graio, Latioq́; venuſtus*
*Eloquio, morum exemplum, mundiq́; magiſter*
*Hieronymus, libris valdè excellentibus hoſtem*
*Diſſecuit: noſciq́; dedit, quo turbine veram*
*Vellent exortæ lucem obſcurare tenebræ.*

*Floruit Anno 406.*

*Gennadius in Catalogo virorum illuſtrium in vita Pauli Oroſij.*

PAVLVS Oroſius ab Auguſtino pro diſcenda animæ ratione ad Hieronymum miſſus, rediens reliquias B. Stephani primi Martyris, tunc nuper inuentas primus intulit Occidenti. Meminit autem ſuauiſſimæ, iucundiſſimæque conſuetudinis ſuæ, cum beatiſſimo Hieronymo Preſbytero, Paulus Oroſius libro 7. Hiſtoriarum capite 43.

*Poßidonij elogium de Hieronymo.*

HIERONYMVS tanta laborauit æmulorum inuidia, vt ab ea obrueretur virtus doctrinæ, id Palladius ſibi à Poſſidonio in aurem dictum ſcripſit.

*Hic fuit σύγχρονος Hieronymi, et Auguſtini. meminit ei Hieronymus in cap 35. Ezechielis. vide Carolum Sigonium de vita, morib. doctrina & ætate Sulpitij, poſt præfationem in ſacram Hiſtoriam Seueri Sulpitij.*

*Ex ſancti Sulpitij Seueri, Bituri Archiepiſcopi, Dialogo primo de virtutibus Monachorum Orientalium: Elogium B. Hieronymi.*

PROGRESSVS Bethlehem oppidum petij, quod ab Hieroſolymis ſex milibus diſparatur, ab Alexandria autem ſedecim manſionibus abeſt, Eccleſiam loci illius Hieronymus presbyter regit: nam parochia eſt Epiſcopi qui Hieroſolymam tenet, mihi iam pridem Hieronymus ſuperiore illa mea peregrinatione compertus, facilè obtinuerat, vt nullum mihi expetendum rectius arbitrarer. Vir enim præter fidei meritum, dotemque virtutum, non ſolùm Latinis atq; Græcis, ſed & Hebræis etiam, ita literis inſtitutus eſt, vt ſe illi in omni ſcientia nemo audeat comparare: Miror autem, ſi non & vobis per multa quę ſcripſit opera compertus eſt, cùm per totum orbem legatur. Nobis verò, Gallus inquit, nimium nimiumque compertus eſt: Nam ante hoc quinquennium quendam illius libellum legi, in quo tota noſtrorum natio Monachorum ab eo vehemētiſſimè vexatur, & carpitur. Vnde interdum Belgicus noſter valde iraſci ſolet, quod dixerit, nos vſq; ad vomitum ſolere ſatiari. Ego autem illi viro ignoſco, atque ita ſentio, de Orientalibus illum potius Monachis, quàm de Occidentalibus diſputaſſe. Nam edacitas in Græcis gula eſt, in Gallis natura. Tum ego: Scholaſticè, inquam, Galle defendis gentem tuam: ſed quæſo te, liber iſte, nunquid hoc ſolùm vitium damnat in Monachis? Imò verò inquit, nihil penitus omiſit, quod non carperet, laceraret, exponeret: præcipuè auaritiam, nec minus vanitatem inſectatus eſt. Multa de ſuperbia, non pauca de ſuperſtitione diſſeruit: verè fatebor, pinxiſſe mihi videtur vitia multorum. Cęterùm de familiaritatibus Virginum & Monachorum, atque etiam Clericorum, quàm vera, quàm fortia diſputauit: vnde à quibuſdam, quos nominare nolo, dicitur non amari. Nam ſicut Belgicus noſter iraſcitur, edacitatis nos nimiæ notatos, ita illi fremere dicuntur, cùm in illo opuſculo ſcriptum legunt: Cœlibem ſpernit virgo germanum fratrem, quærit extraneum. Ad hæc ego: Nimium inquam, Galle progrederis: caue ne & te aliquis, qui hæc fortaſſis agnoſcit, exaudiat, teque vna cum Hieronymo incipiat non amare: Nam quia Scholaſticus es, non immeritò te verſu Comici illius admonebo: Obſequium amicos, veritas odium parit. Tua nobis potius, vt cęperas Poſthumiane, repetatur Orientalis oratio. Ego, inquit, vt dicere inſtitueram, apud Hieronymum ſex menſibus fui, cųi iugis aduerſus malos pugna, perpetuumque certamen. Conciuit odia perditorum. oderunt eum hæretici, quia eos impugnare non deſinit: oderunt clerici, quia vitam eorum inſectatur & crimina: Sed planè eum boni omnes admirantur, & diligunt: nam qui eum hæreticum eſſe arbitrantur, inſaniunt. Verè dixerim Catholica hominis ſcientia, ſana doctrina eſt. Totus ſemper in lectione, totus in libris eſt, non die, nō nocte requieſcit: aut legit aliquid ſemper, aut ſcribit, quod niſi mihi fuiſſet fixum animo, & promiſſum, Deo teſte, propoſitam eremum adire, vel exigui temporis punctum, à tanto viro diſcedere noluiſſem. huic ergo traditis atque commiſſis omnibus meis, omnique familia, quę me contra voluntatem animi mei ſecura tenebat implicitum, exoneratus quodammodò graui faſce, penitus ac liber regreſſus Alexandriam, viſitatis ibi fratribus, ad ſuperiorē inde Thebaida, id eſt, ad Aegypti extrema contendi. Ibi enim vaſtæ patentis eremi ſolitudines, plurimū ferebantur habere Monachorum.

*Hic ex Senatore Monachus vixit Anno Chriſti 491. circa finem imperij Anaſtaſij.*

*Magnus Aurelius Caßiodorus Inſtitutionis diuinarum lectionum, libr. 1. cap. 21. eiuſmodi Elogium Hieronymi profert.*

BEATVS Hieronymus Latinæ linguæ dilatator eximius, qui nobis in diuinæ Scripturæ translatione tantùm præſtitit, vt ad Hebræum fontem penè non egeamus accedere, quādo nos facundiæ ſuę multa vbertate cognoſcitur ſatiaſſe, plurimis libris, copioſis epiſtolis fecit beatos, planus, doctus, dulcis, parata copia ſermonum ad quamcunq; partem conuertit ingenium, modò humilibus ſuauiter blanditur, modò ſuperborum colla confringit, modò derogatoribus ſuis vicem neceſſaria mordacitate reſtituēs, modò virginitatem prædicans, modò matrimonia caſta defendens, modò virtutum certamina glorioſa collaudans, modò lapſus in Clericis atq; Monachis prauitatis accuſans: ſed tamē vbicunque ſe locus obtulit, gentilium exempla dulciſſima varietate præmiſcuit, totum explicans, totū exornans, & per diuerſa diſputationum genera diſertus ſemper, & æqualis incedens. Nam cum aliquos magna vbertate libros protendat, tamen pro dulcedine dictorum ſuorum ſemper gratus eſt. Quem in Bethlehem habitaſſe otioſum non arbitror: niſi vt in terra illa miraculorum ad inſtar ſolis, eius quoque ab Oriente nobis more lampadis ſplenderet eloquium. Is Epiſtolam ſuam ad Paulinum, & Senatorem, & preſbyterum mirificam deſtinauit, docens quemadmodum ſcripturas diuinas adhibita cautela perlegeret, vbi breuiter virtutem vniuiuſque libri veteris & noui teſtamenti mirabiliter indicauit. Quam ſi ante reperiſſem, eloquentiæ ipſius cedens, contentus fortaſſe fueram, de eadem parte nihil dicere. Sed quia & ille alia, & nos diuerſa in opere iam confecto, Domino largiente, conſcripſeramus, credo quod Lector diligens, & in hoc opuſculo nō inutiliter occupetur. Ille enim ſcripſit ad diuinæ legis nouum Lectorem, qui tamen erat literis ſecularibus eruditus, vt etiam librum de Theodoſio principe prudenter ornateque confecerit. Nec illa tempeſtate vt datur intelligi, tantos Scriptores ſuæ partis habuit, quos eum in ordine legere commoneret, quoniam illo tempore milites Chriſti, in Gymnaſio legis diuinæ, ſalutari adhuc laborabāt ſudore, in quo & ipſe poſtea multa conſcripſit.

*Vixit temporibus Caroli & Ludouici ante 800. annos.*

*Ionas Aurelianenſis lib. 1. de cultu imaginum.*

CLAVDII Taurinenſis Epiſcopi, Iconomachi & Ariani nouicij ſanctæ Eccleſiæ hoſtis, anima ex duorum animabus priſcorum comparata, atque vni corpori indita. Vigilantij ſcilicet & Euſtatij, qui (vt verbis Sedulij vtamur) ambo errore pares, quamquam ſunt diuerſa ſequuti. Licet enim in plurimis ab alterutro deſciuerint, in contemnendis tamen ſanctorum Martyrum reliquijs, eorumque ſepulchris dehonorandis, & nonnullis Eccleſiaſticis traditionibus reprehendendis, vnum peruerſiſſimè ſenſerunt. Quorum alterius error à B. Hieronymo ſanctæ Dei Eccleſię eximio Doctore, veritatiſque fideliſſimo aſſertore, & veſani erroris experientiſſimo execratore ſtrenuè ſuperatus: Alterius verò Gangrenſi Concilio perpetuò anathemate à ſanctis Patribus eſt deſtinatus.

*Trithemius de Viris Illuſtribus. Claruit in Concilio Conſtantienſi. Anno Domini 1420.*

*Petri Pauli Vergerij, Iuſtinopolitani viri, in diuinis Scripturis ſtudioſi, & in ſæcularibus literis eruditiſsimi Philoſophi & Rhetoris celeberrimi, Græco ac Latino ad perfectum inſtructi. Chryſoloræ Byzantini Philoſophi ad Venetias Græcas literas docentis, quondam auditoris. De ſancti Hieronymi laudibus inſigne teſtimonium.*

QVOD ſi ex me quiſpiam quærat, quam huius ſancti glorioſi viri primam, potiſſimamque laudem exiſtimem: hanc ſcilicet incontanter reſpondebo: quod meo quidem iudicio, non poſſit dignè humano ore laudari: Deinde quod vnoquoque genere laudum earum: quæ ad doctum rectumque hominem, ac planè religioſiſſimum Chriſtianum pertinent laudari eximiè de ſingulis poteſt. Quod ſi iam in eo laudando cœpero literarum peritiam commemorare, diuerſarum experientiam linguarum, orationis facūdiam, rectos fabularum ſenſus, multam hiſtoriarum memoriam, naturalium rerum cognitionem, moraliumque ſermonum, tum verò Scripturæ ſacræ, veræque Theologię perceptionem, non videbor forſitan aliquid magnum dicere, quod hæc ipſa malis etiam hominibus poſſint aduenire, neque enim iſta bonos faciunt, ſed eruditos: Aut ſi præterea continentiam, fortitudinem, prudentiam, conſtantiam, manſuetudinē, patientiam, benignitatemque in illius laudibus reçognouero: nec ſic quidem forſitan magnoperè eum ornare iudicabor: quod & his virtutibus plurimi gentilium præditi fuére: ſuntq; hæ laudes, vt debitæ quidem viro bono: ita planè non propriè homini Chriſtiano. Poſtremò ſi fidem conſtantem, ſpem certam, charitatem intēſam, omnemque ſanctimoniam & ceremoniarum cultum, religioniſque ſtudium demonſtrauero, nec ſic quoque fortaſſis laus erit eximia, quod hæc ipſa debet vnuſquiſque de ſe rectus, fideliſque Chriſtianus exhibere. At verò ſi hęc omnia, & quæcunque his nominibus, aut omninò virtutis nomine continentur, in ea fuiſſe vniuerſa cōteſtor, eaque ipſa non mediocriter, aut vulgari quondam ſummotenus modo, ſed excellentiſſimè, atque incomparabiliter affuiſſe conſtet: nonne hoc diuinum quoddam in homine videri neceſſe eſt. Ego ſanè cum trita eſſe vulgo vocabula, eruditionem, eloquētiam, fortitudinem, prudentiam ac charitatem: & cætera huiuſmodi cōmemoro, talia quædam mihi dicere videor, qualia ſolent in communi hominum vita reperiri, & non eminentiſſimas illas virtutes, quas in excellentiſſimis viris, paucis illis quidem omni ętate fuiſſe conſtat. Quamobrem ægrè ferre ſoleo, & Latinæ orationi indignari: quod proprijs atq; exquiſitis nominibus, exquiſitiſſimas laudes efferre non licet: quæ tantùm penè à communibus diſtant virtutibus, quātum fermè virtus à vitio. Verùm quod orationi deeſt, oro, ſuppleat audientis intellectus: & non quod dicam, ſed quod dicere velim, accipiat: quod & huic quoque licebit intelligere: Nam ſolent pauca horum, aut ſingula quædam, dum intenſo gradu cuipiam adſunt, magnum virum conſtituere: admirabiliſq; excellentiæ eum videri, qui plura ex his ſit aſſecutus. Quid ergo is debet exiſtimari: qui omnium virtutum, cunctarum bonarum artium cumulum non perfunctoriè, ſed ad ſummum in ſe collegiſſet: cuius vita totius ſanctitatis exemplū, eloquentia ſtupor, doctrina miraculum. Itaque non tam ſanctum nomen habuit, quod quidem ipſum denotat Hieronymi vocabulum, quam ipſam in ſe habuit ſanctitatem. Nam cum duabus rebus fundata eſt in initio ſacra religio: prædicatione ſcilicet Apoſtolorum, & ſanguine Martyrum: cumque quod illi ſermone docebāt, hi per carceres & tormenta, ac denique mortem ipſam aſtruerent: in vtrorumque locum ſuo gradu ſubierūt ſancti Doctores, qui quod illi compendioſè docuerant, latius explicarent: quodque Martyres ſanguine ſuo teſtati ſunt, hoc iſti vitæ ſanctimonia confirmarent: atque aduerſus omnem hæreſin, omnemque vitiorum labem pro fide, iuſtitiaque conſiſterent: ijdem & militum vices gererent & ductorum. Multa autem, variaq; Hieronymus vti fortis miles, in hac vita bella ſuſtinuit: cum mundo quippe bellum geſſit, & vicit: & quando Sacerdos iam factus, & ſummo ſacerdotio dignus habitus, ab vrbe ceſſit: pompiſque ſæculi, & omni ambitioni mundanorum honorum renunciauit: cum carne ac dæmonibus, cùm in illa trans mare vaſta ſolitudine: quæ vt ipſe ait, exuſta ſolis ardoribus, horridum Monachis habitaculum præſtabat, carnem quidem ieiunijs frangeret, ſpiritales autem hoſtes orationibus effugaret: cum improbis atq; ęmulis, in quos ſæpe per Prologos, ſæpe per Epiſtolas ſcribendo inuectus

inuectus eſt: cum hæreticis, quos libris, tractatibusque ſcribendis, ſæpenumero de diuerſis conuicit erroribus, diſputandoque vi rationum ſuperauit: Doctoris ergo nomen vt habet, ita & officium ſtudioſiſſimè viuens, geſſit: præſentes voce & exemplis erudiens: abſentes ſcriptis. Vtroſque verò, tam ſuæ ætatis, quàm poſteros voluminibus diuerſi idiomatis, varia interpretatione linguarum, viuorum Doctorum eruditionem adiuuans, rudiores hiſtoria delectans, acutiores inſtruens arcanis, ſacræ Scripturæ ſenſibus explicandis. Eloquentiam certè iam eius laudare tentarem, quæ tanquam riuus limpidiſſimus leniter defluens, & aſpectu, & ſono delectat: niſi ipſe ſe multo melius, quam à me fieri poſſit, elegantia ſua legentibus commendaret: ad quam dignè prædicandam, eius ipſius eloquentia opus eſſet. Nec me deterret, quod damnatus fuerit eius ſtudij aliquando Hieronymus, cum extatica viſione tractus, ad Iudicis æterni tribunal; & quinam eſſet interrogatus, pro Chriſtiani nomine, quod inter metum, trepidationemque profitebatur, Ciceroniani ſibi nomen obijci audiuit: Neque enim res ipſa damnata eſt, ſed fortaſſis eius ſtudium vehementius: ſine qua profectò vix ſacræ literæ, certè non tanta cum voluptate legerentur. Hæc igitur vt cæteræ quoque dotes, quas ſtrictim commemoraui; multos acerbiſſimosque illi æmulos comparauêre, quorum vt improbitati cederet, Roma migrauit: & qui Doctor latè clariſſimus habebatur, Gregorio Nazianzeno in diſciplinam ſe tradidit. Poſt quæ ſtudia, cum de frequentiſſima vrbe receſſiſſet, ad eremum ſe tranſtulit, & qui in vrbe omnium vrbaniſſima homines perpeſſus erat beſtiales, in deſertiſſima eremo beſtias eſt expertus humanas, ibique leo natura ſęuiſſimus imperium eius pertulit, cum hic homo natura mitis in ſe ſæuiret. Roma igitur Bethlehem permutauit, diuitique ex vrbe non tam pulſus, quàm cedens; elegit ibi pauper viuere, vbi pauper Chriſtus eſt natus: & inde ſalutêm petere, vnde ortus eſt author ipſe ſalutis. Quid enim aduerſus malignitatem tutum vſpiam eſſe poterit: quando tanta virtus perſequutore non caruit? Quod ſi quid nobis tale accidat, ex eius caſu conſolari nos ipſos debemus, interea verò maledicos benefaciendo vincere; & eorum in nos odium virtute patientiæ, manſuetudinisque ſuperare: illo præſtante, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum.

*Platina in vita Damaſi primi Pontificis.*

PACATA Eccleſia, Damaſus otio literario delectatus, vitas Pontificum omnium, qui ante ſe fuere, conſcripſit, easque ad Hieronymum miſit. Non deſtitit tamen & templa, & cultum diuinum augere.

PRIMVS etiam Hieronymi ſcriptis authoritatem dedit, cùm prius Septuaginta interpretum ſcripta tantummodò in pretio eſſent. Nam & Biblia Hieronymi legi cœpta ſunt, & Pſalmi eiuſdem fideliter ex Hebraico traducti, cum antea apud Gallos potiſſimum incompoſitè legerentur.

*Platina in vita Innocentij Primi.*

TEMPORE Theodoſij, Hieronymus presbyter in Bethlehem habitans, ingenio ac facundia ſua, Chriſti fidem mirum in modũ auxit: quod etiam eius ſcripta declarant.

*Platina in vita Bonifacij Primi.*

BONIFACII Primi Pontificatum inſignem reddidere multi præclari viri, maximè verò Hieronymus presbyter, patre Euſebio, natus oppido Stridonis, quod à Gothis euerſum, Dalmatiæ quondam, Pannoniæq́; in finibus fuit. Quantum iuuerit iſte Eccleſiam Dei, vita & ſcriptis, non attinet dicere, cum & vita eius ſanctiſſima omnibus præluceat, & ſcripta eius, ita & in pretio & honore ſint, vt nemo magis legatur, ab eruditis præſertim. Moritur autem Hieronymus in Bethlehem, ætatis ſuæ anno 91. pridiè Calendas Octobris.

*F. Baptiſtæ Mantuani Carmelitæ Theologi carmen de laude B. Hieronymi, ex libr. 9. Faſtorum depromptum.*

*VLtima Septẽbris tua lux ſanctiſſime patrũ*
*Hieronyme, Stridone ſat⁹ Romana petiſti*
*Gymnaſia, & celeri ſtudio ſapientiæ in altum.*
*Aſcendiſti apicem, fari tribus omnia linguis*
*Doctus, & illius tanto ſublimior æui*
*Ingenijs, quantum colles præcellit Olympus.*
*Cùm verò tibi fama foret lucentior aſtris,*
*Vitaq́ conflato decies ſyncerior auro,*
*Dignus habebaris Petro ſuccedere, & omnis*
*Vrbs Romana oculos in te coniecerat vnum,*
*Optabantq́ decus tibi Pontificale Latini.*
*Iſtius aggreſſus ſplendorem extinguere laudis,*
*Inſidias tibi liuor edax mira arte tetendit;*
*Nam tua ſubducens furtim tibi pallia noctu*
*Suppoſuit muliebrẽ habitum, quẽ cantica ſurgẽs*
*Ad diuina priuſquam lux albeſceret: heu ſors*
*Inuida virtuti ſemper, temeraria ſemper:*
*Induis, & ſacras tendis, ſine lumine ad aras.*
*Sic tua tam florens probitas inhonora remanſit.*
*Hanc Deus indignã voluit te incurrere fraudẽ,*
*Vt mala corruptæ fugeres conſortia gentis.*
*Et fieres viuus cœli de ciuibus vnus.*
*Ad Syriæ ſyluas igitur, ſaltusq́ Sabæos*
*Continuò tranſis, rapidiq́ incendia ſolis*
*Nudus, & eſuriens longo in mærore tuliſti,*
*Mox Bethlehem remeas, vbi cũ diuina relinquẽs*
*Ethnica cœpiſſes verſare volumina, noctu*
*Viſus es in ſomnis magni ſtare ante tribunal,*
*Iudicis, ac probris & duro verbere plecti,*
*Quod ſtudia haurires ſacris humana relictis,*
*Temporeq́ ex illo mundi primordia, legem*
*Sinaicam, vatum anfractus, Saulea q́ regna*
*Voluere cœpiſti, ſacrisq́ incumbere chartis.*
*Dum verò in cœtu fratrum diuina ſedendo*
*Sacramenta doces, legumq́ abſcondita ſenſa,*
*Ecce leo ſeptum ingreditur pede claudus inerti*
*Aufugere omnes, tu ſolus in hoſpite tali*
*Nil hoſtile timens, læſæ medicamina plantæ*
*Influis, ille autem poſita feritate clientem*
*Se tibi deuouit, quid multa moramur? Agaſo*
*Factus ad hybernos aſino vectante ſolebat*

Conciſa

*Conciſa in truncos, ac diſcuneata ſecuri*
*Ducere ligna focos: ſed cum ſopita teneret*
*Lumina, iumentum paſcens rapuere latrones.*
*Poſtquam experrectus ſocium non vidit, amaro*
*Per ſyluas animo, perq́ omnia rura cucurrit.*
*Aſt vbi quærendo tempus ſe amittere nouit*
*Anxius ad fratres redijt, nec vt ante ſolebat,*
*Ingenuè tectum ingreſſus, collegia patrum*
*Erubuit, longeq́ abiens à limine triſti*
*Procubuit, vultu culpam mærore fateri*
*Viſus, & aſpectu miſero, veniamq́ precari,*
*Te tandem mandante feram, quis tam manſuetã,*
*Tam docilem ſperet? lignis generoſa ferendis*
*Terga dedit, nec ſe regem memor eſſe ferarum*
*Demiſſa ceruice humili ſucceſſit aſello.*
*Sic homines docuit ſceleris cum pœnitet illos*
*Quid ſit opus facto, qualiq́ ardore dolendum eſt.*
*Ligna tulit, donec pecudem latrone perempto*
*Repperit in campis, gaudensq́ in tecta reduxit.*
*At cùm perſpiceres, diuina volumina multis*
*Deprauata locis, & conceptacula lymphæ*
*Vnde bibunt animæ, primum amiſiſſe nitorem*
*Hanc tua ſcabriciem vigilans induſtria longo*
*Deterſit ſudore, tuus labor iſta fugauit*
*Nubila & expulſa fecit vada lympida fece,*
*Tu ſale illius, quo ſylueſtres colocyntas*
*Incola Carmeli docuit compeſcere vates,*
*Fungeris officio, tu raptus ab arbore ramus*
*Quo Moſes purgauit aquas fontesq́ Sabæos.*
*Tu velut Alcides contra Stymphalica monſtra*
*Hæreſiarcharum claua decernis & arcu:*
*Tu quaſi ſol lucis genitor iubar elicis almum.*
*Ignitasq́ tuo totum iacularis in orbem*
*Ore faces, fideiq́ fugas à finibus hoſtem.*
*Tu ſimilis Zephyro, qui pallida nubila & imbres*
*Diſſipat, & pulſo cœlum ſqualore ſerenat,*
*Qui ſolem lunamq́ aperit Titaneaq́ aſtra.*
*Qui vitam infundit paſſis horrentia plantis*
*Frigora, ad Auſtralẽ dũ ſol procul exulat vrnã.*
*Ad ſuperos tandem longo iam frigidus æuo,*
*Vtpote qui ſtabas annorum in limine centum*
*Scandis, & æternæ frueris dulcedine vitæ.*
*O Pater ad noſtras voces conuertere & audi,*
*Prandia iam dudum ſumus ad diuina vocati.*
*Et tranſire prius per ſancta negotia longo*
*Eſt opus inceſſu, ſed inertia corporis obſtat.*
*Faſce ſub hoc igitur ne deficiamus, adeſto*
*Tu cui conceſſum eſt, epulis accumbere Diuûm,*
*Et fer opem poſitæ tanto in diſcrimine cymbæ.*

In Imaginem D. Hieronymi hymnus Cælij Calcaguini Ferrarienſis.

*ECquis in anguſto ſpirantem imagine fixit*
*Te pater, incuruumq́ genu impexumq́ capillos*
*Et multa illuuie ſquallentem, incanaq́ menta*
*Pallidaq́ ora fame, & multo mẽbra horrida tabo*
*Promentem è ſacco, & maculoſa nebride cinctum*
*Et duro toties plangentem pectora ſaxo:*
*Pectora tot fœcunda bonis, quæ flumine largo*
*Fuderunt nobis arcana volumina, nobis*
*Diuinas & opes, priſcorum oracula vatum,*
*Vnde ſalus, vnde & vitæ melioris origo*
*Heu mihi te nimium exemplis crudelibus vrges!*
*Quid malè mulctatum tergus, quid liuida ceruix,*
*Commeruere? quid in ſuperos cõmittere tantum*
*Hæ potuere genæ, flagris fletuq́ rigentes?*
*Quid latera hæc cilicum crudeliter obſita ſetis*
*Et ſpinis implexa? quid enthea pectora tantum*
*Admiſere nefas? quid mens cœleſtibus hauſta*
*Auſa quid eſt? tantis quæ digna piacula pœnis*
*Quam lachrymis & ſollicitis ſingultibus vſque*
*Nocte die crucias. En vix cutis arida membris*
*Nititur, attritæq́ hærent compagine coſtæ.*
*Nec iam ille es, gelidum qui quõdam natus ad Iſtrum*
*Arua Paleſtino petijſti torrida cancro*
*Illius tenuis tunc vix agnoſcitur vmbra.*
*Cur tantum licuit de te tibi? Non ferus hoſtis*
*Hæc auſit, non monſtra iſtis errantia ſyluis;*
*Tu monſtris ſæuoq́ in te crudelior hoſte.*
*Parce pater, tibi parce pater, Nos verbera, nos hæc*
*Flagra decent, quos mille modis rapit impetus amẽs*
*Dũ cœlũ toties, ſuperosq́ laceſſimus vltro.*
*Hinc vocat ambitio, trahit hinc veſana libido:*
*Hinc mouet ira ſuos ſtimulos, timor inde coercet:*
*Hinc premit illa animo ſemp rediuiua voluptas.*
*Nos ergo exultantem atq́ in diuerſa trahentem*
*Caſtigemus equum, vt ſpacijs incluſus iniquis*
*Et mores ferat, & leges patiatur heriles:*
*Sed quoniam ſine præſidio ſine numine diuum*
*Nitimur incaſſum, quia vis humana fatiſcit,*
*Heus age, & infandos animo miſerate labores*
*Huc ades ô pater, & propius res aſpice noſtras,*
*Atq́ tuæ nobis plagæ, tua verbera proſint.*

Ex B. Dardanio. Quæ poterat dicere D. Hieronymus in deſerto.

*Proſopopœia Hieronymi.*

*Carmen hoc elegans extat in Floribus Epigrammatum, ex optimis quibuſque autoribus excerptis, per Leodegarium à Quercu, Lutetiæ Anno 1555.*

*EN hoſpes rigidus pulſo mea pectora ſaxis*
*Ante ſalutiferi vulnera quinq́ Dei.*
*Pœnitet admiſſi, ſi quid peccauimus olim,*
*Fœlix qui minima labe carere poteſt:*
*Poſſumus hinc certam nobis ſperare ſalutem,*
*Et ſimul æternum conciliare patrem.*
*Vrbis delitias, humanæ incendia mentis,*
*Fugimus, & quidquid mollia corda facit.*
*Antra ideo incolimus viuo pendentia topho,*
*Quæ prius hirſutis luſtra fuere feris*
*Nulla hominum ſi non hic ſunt commercia nobis.*
*At mecum vitæ ſunt benefacta meæ.*
*Nemo poteſt ſolus vel ſolis viuere ſyluis,*
*Diuinus ſi cui pectore feruet amor.*
*Nõ volucrum hic deſunt cãtus, nec dulcis in æſtu*
*Aura, nec irriguæ garrulus amnis aquæ.*
*Viuitur hic paruo, nec me conuiuia tangunt;*
*Et quia nil cupio, nil mihi deeſſe poteſt.*
*Sola fames reddit ſtomacho gratiſſima noſtro*
*Fercula, ponuntur qualiacunq́ mihi.*
*Terra etenim nullo fruges parit alma labore:*
*Pro molli, frondes, ſunt mea ſtrata, toro*
*Nullius hic nigra tingo loligine famam,*
*Nec mea corrodit pectora liuor edax.*
*Nulla meam ambitio vexat, nec gloria mentem*
*Pendet ab æterno, gloria noſtra, Deo.*
*Non Venus huc vario ingreditur fucata colore;*
*Protinus egreditur, ſi qua libido venit.*

Securos

*Securos placida ſomnos captamus in vmbra*
*Nec tuba, nec fures ſomnia noſtra fugant.*
*Non auri inuigilat loculis, victuq́; parando*
*Mens intenta patri ſola placere Deo.*
*Omnia ſunt nihili cœleſtum præter amorem*
*Quicquid agunt homines concipiuntq́; ſibi.*
*Sæpe mihi aſſiſtunt manſueto corde leones:*
*Horrendæ aſſurgunt terribilesq́; feræ.*
*Me ſatis effecit Domini cuſtodia tutum:*
*Et mea nullius conſcia mens ſceleris,*
*His tamen in rigidis ſcopulis domibusq́; ferarum*
*Fons vbi dat potum, præbet & herba cibum.*
*Expugnare meum tentat cor blanda voluptas,*
*Sed ratio ſumma perſtat in arce mihi,*
*At tu, qui indulges genio dulciq; Lyæo,*
*Mollibus & plumis mollia membra foues,*
*Ah miſer, ah quantos patiere libidinis ignes.*
*Si ruit huc cupido dira libido pede.*

*Melchior Canus lib. 2. cap. 14. De locis Theologicis.*

DIVVS Hieronymus verborum copia, eloquentia ſeculari, trium linguarum peritia, rerum multijuga cognitione abundè inſtructus.

LEO Caſtrus, Doctor & Profeſſor Theologię Salmanticenſis in Prolegomenis Commenta. in Eſaiam, appellat B. Hieronymum fulgentiſſimum Eccleſiæ ſydus, eo quod quantum ſol alijs planetis, tantùm Hieronymus reliquis Patribus & Eccleſiæ Doctoribus præluceat atque prępon deret.

*R. P. F. Lodouicus Granatenſis ſacræ Theologiæ Profeſſor, in Tomo Concionum de ſanctis, Concione vnica, in feſto B. Hieronymi habita.*

QVID non in Hieronymo mirabile? Quid non amplum atque magnificum? Alius in eo mirabitur hebdomadarum inediam, alius vigiliarum diuturnitatem, alius orationum inſtantiā: ego verò in illo ſanctarum Scripturarum amorem, & continuum diuinæ ſapientiæ ſtudium, cui ſe totum addixerat, vehementer admiror. Hoc enim faciebat, vt minima noctis portio daretur ſomno, minor cibo, nulla otio: Hoc autem ſtudio vir ſanctus magnam Eccleſiæ, diuinarumq́ue literarum ſtudioſis lucem prætulit: & quoniam omnibus virtutibus fuerit ornatus, præcipuè tamen in B. Hieronymo ſapientię donum eluxit, atque in recte viuendi ſcientia fuit verſatiſſimus.

*R. P. F. Ludouicus Granatenſis, Concione vnica de laudibus B. Hieronymi in Tomo de Sanctis.*

HIERONYMVS in Epiſtola quadam ad virgines Deo dicatas, de ſeipſo ſic ait, & Euangelicę ſapientiæ incomparabilem theſaurum ſe aſſequutum ſatis confirmat. Experto ſeni conſulenti credite filiæ, ſi ſemel guſtaſtis, quàm dulcis eſt Dominus, poteritis ab eo illud audire; Venite & oſtendam vobis omne bonum. Scio quid loquar chariſſimæ. Nam vt meam inſipientiam loquar, ego homunculus ſic abiectus, ſic vilis in domo Domini, adhuc viuens in corpore, angelorum ſępe choris interfui, de corporeis per hebdomadas ſuſtentationibus, & nutrimentis, nihil ſentiens diuinæ viſionis intuitu. Poſt multorum autem dierum ſpatia præſcius futurorum, redditus corpori flebam. Quid ibi manens fœlicitatis habebam, quid inenarrabilis delectationis ſentiebā, teſtis eſt ipſa Trinitas, quam cernebam, neſcio quo intuitu; teſtes & ipſi beati ſpiritus qui aderant; teſtis eſt etiam conſcientia mea: qui tantis bonis fruebar, quod & qualia neſcit proferre infirmitas corporis mei. Hactenus Hieronymus. Quid igitur hac fœlicitate maius? quid mirabilius? Si quis autem hanc eſſe Epiſtolam Hieronymi neget, multò maiora ſunt, quæ idem in Epiſtola ad Euſtochium, de virginitate ſeruanda literis prodidit, in qua non ſolùm has diuini ſpiritus delitias, ſed mirabiles etiam virtutes, quibus ad eas ſanctiſſimus vir peruenit luculenter, deſcribit, ſic enim ait. O quoties ipſe in eremo cōſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus, horridum Monachis præſtat habitaculum, putabam me Romanis intereſſe delitijs. Sedebam ſolus, quia amaritudine repletus erā, Horrebant ſacco membra deformia, ſqualida cutis ſitum Aethiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lachrymæ, quotidie gemitus, & ſi quando repugnantem ſomnus imminens oppreſſiſſet, nuda humo vix oſſa hærentia collidebam. De cibis verò & potu taceo, cùm etiam languentes Monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepiſſe luxuria ſit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum, tali me carcere ipſe damnauerā, ſcorpionum tantum ſocius, & ferarum, ſæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiunijs, & mens deſiderijs æſtuabat. In frigido corpore, & ante hominem ſuum iam carne præmortua, ſola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio deſtitutus, ad Ieſu iacebam pedes, rigabam lachrymis, crine tergebam, & repugnātem carnem hebdomadarum inedia ſubiugabam. Non depudeſco infidelitatis meę, quin potius plango me non eſſe quod fuerim. Memini me clamātem, diem crebro iunxiſſe cum nocte; nec prius à pectoris ceſſaſſe verberibus, quàm rediret Domino increpante tranquillitas; Ipſam quoq; cellulam meam, quaſi cogitationum mearum conſciam pertimeſcebam, & mihimet iratus & rigidus, ſolus deſerta penetrabam. Sicubi concaua vallium, aſpera montium, rupium prærupta cernebam, vbi meæ orationis locus, ibi illud miſerrimę carnis ergaſtulum proijciebam. Et vt ipſe mihi teſtis eſt Dominus, poſt multas lachrymas, poſt cœlo inhęrentes oculos, nonnunquam videbar mihi intereſſe agminibus Angelorum, & lętus gaudensq́ue canebam: Poſt te in odorem vnguentorum tuorum curremus.

PRONVNCIATA NONNVLla abſurda, ac impia noſtri temporis hæreticorum, in contemptum maximum ſanctiſſimi viri prolata, ex iſtius fecis ac farinæ libris excerpta, mihi à doctiſſimo iuxta ac pietate conſpicuo Domino, Domino Ioanne Nopelio, ad S. Columbæ Paſtore, Sacræ Theologiæ Licentiato, & ad S. Vrſulā Canonico, benè meritò, in profeſſione & ſtudiorum communicatione, collegæ amantiſſimo communicata atq; ſuppeditata: vt facta comparatione grauiſſimorum teſtimoniorum, & elogiorum veterum, aliorum ac recentiorum doctiſſimorum hominum, de S. Hieronymo, cum impio & execrando iudicio noſtræ ætatis apoſtatarum, non modò hæreticorum, audax impudentia atque impietas, temeraria ac ſceleſta cenſura; ſed etiā (cum ab impijs vituperari præcipua laus ſit) Hieronymi inde ſanctitas ac doctrina, quem tantopere oderunt, ac metuunt hoſtes Eccleſiæ, clarius eluceat.



*Aurifaber in Colloquijs menſalibus Lutheri, Folio 377. b.*

1. *Eccleſia eum in Sanctorū Canonem retulit, & eius pietas, ex relatis veterū & recentiorum, ſanioribus teſtimonijs ſatis perſpecta.*

SI quis mihi numeraret, ac donaret decem millia aureorū (ſic aiebat D. Martinus Lutherus) nollem in eo periculo atque extremo ſalutis diſcrimine, in quo Hieronymus eſt cōſtitutus, verſari; & multò minus optarem eo loco eſſe, quo eſt Eraſmus, qui vno in loco magnam mihi ſcandali præbuit occaſionem. Nam cùm de fide in Chriſtum, illi foret reſpondendum, ſic aiebat. Hanc materiam tanquam leuis momenti tranſeo atq; prætereo.

*Idem ibidem, Fol. 474.*

2. Hieronymus legi poteſt hiſtorię cauſa. *Nā de vera fide in Chriſtum, de recta ac ſana religione in libris eius ne verbum quidem vllum extat. Originem diu diris deuoui. Chryſoſtomum nihili facio, nil niſi futilis ac loquax rhetorculus eſt. Baſilius nullius planè pretij eſt, nil niſi merus eſt Monachus, ne pili quidem eum facio. Apologia Philippi Melanchthonis præſtat & antecellit longè Eccleſiæ Doctores, etiam ipſum Auguſtinum ſuperat. Hilarius & Theophylactus non ſunt contemnendi. Ambroſius quoque aliquo ſaltem loco eſt habendus. Nam attingit nonnunquam præcipuum religionis articulum, de remiſſione peccatorum, nempè quod diuina maieſtas condonet peccata, ac remittat ex gratia ob Chriſti meritum.

* *Oppoſitum clamat tota hac Confeſſio, præſertim de fide in Chriſtum, libro ſecundo, capite quinto, articulo 6. 7. 8. & libro ſecundo, capite quarto, articulo 10. & deinceps per articulos 13.*

*Idem ibidem Fol. 475.*

3. Amabo intueamini, dicebat D. Martinus Lutherus, quantæ ſunt tenebræ, quantiq́ue errores in libris veterum Patrum de fide? Quamdiu enim articulus de iuſtificatione (quomodo videlicet coram Deo iuſti efficiamur) tenebris obſcuris eſt inuolutus, tamdiu fieri non poteſt, vt craſſiſſimus error extinguatur atq; ſopiatur. S. Hieronymus ſcripſit Commentaria in Matthæum, in epiſtolam ad Galatas, & ad Titum. ſed quàm frigida, quàm tenuia, quàm ieiuna ſunt. Ambroſius ſcripſit Hexameron libros ſuper Geneſin. O quàm ſunt minuta ac tenuia iſta Commentaria. Auguſtinus quoq; de fide nihil nec peculiare nec ſingulare tradit, niſi cum illi negotium eſt cum Pelagianis, iſti enim Auguſtinum dormientem, quaſi è ſomno excitarunt, & tantam illi nominis celebritatem conciliarunt, ac virum inter viros effecerunt.

*Sanā doctrinam de iuſtificatione hominis copioſè, eruditè, ſolideq́; ab Hieronymo traditam, lege lib. 2. Confeſſionis Hieronym. cap. 5. per 24. artic.*

*Idem ibidem. Fol. 477.*

4. Auguſtinus ſanè egregius, & præclarus, ac pius Eccleſiæ Doctor extitit, is ſi hodie ſupereſſet, à noſtris partibus ſtaret. Sed a Hieronymus modò ſi viueret, nos penitus & abſolutè condēnaret. qui & homo fuit, & aliquid humani paſſus eſt, & varijs tentationib⁹ atq; infirmitatibus fuit obnoxius. Nam * Euſtochium tam perditè amauit, vt alijs occaſionem ſcandali dederit. Sancti Patres & ſuos habuerunt nœuos.

*a Per iugulū aduerſariorū erumpit veritas, idque conuincit tota hæc Confeſſio.*

* *Vide Apologiam Hieronymi, Tom. 2. Epiſtola 99. ad Aſellam, tota Epiſtola manifeſtè contrarium edocet. nam Chriſti virginem, Chriſti ſponſi amoris amplexibus iungere cupit, & maximè ad caſtitatem integrè ſeruandam adhortatur.*

*Ibidem Fol. 478.*

5. b Hieronymus nō eſt dignus, qui inter Doctores Eccleſiæ numeretur. c nam hæreſeos labe fuit infectus. d Credo tamen propter fidem in Chriſtum eum ſalutem eſſe adeptum. e De Chriſto in eius ſcriptis nulla mentio, niſi quod tantū in labris eius hoc nomen natarit. Nemo eſt inter omnes Eccleſiæ Doctores, cui æquè ſim infeſtus atque Hieronymo. Nam in libris eius nihil niſi de ciborum delectu, ieiunio, virginitate exſtat. Si adhuc vrgeret opera bona fidei congruentia, ferendus eſſet aliquo modo. * ſed neque de fide, neque de ſpe, neque de charitate, neque de operibus fidei in eius Operibus mentio vlla. Doctor Staupitius de Hieronymo frequenti ſermone illud vſurpare ſolebat. Scire vehementer, & cognoſcere deſiderarem, quo pacto Hieronymus potuerit æterna fœlicitate perfrui. Certè Hieronymum tanquam meum Eccleſiaſten ferre non potuiſſem, nam inſolens & inuſitatum nobis eius doctrinæ genus eſt.

*b Vide Cēſuram Damaſi, Innocentij, Auguſtini, Proſperi, Cōcilij Mileuitani, & aliorum.*
*c Vide lib. 1. cap 12. de hæreticis.*
*d Lege prolixum cap. 4. lib. 1. integrū de Chriſto*
*e Vide inconſtantiam & leuitatē Lutheri, nam ſupra in primo teſtimonio eum penitus condēnauit, & ad inferos relegauit.*

* *Apertiſſimè mendacij conuincit Lutherum tota hac Confeſſio de fide, ſpe, charitate, lege totum caput 4. libr. 2. De fidei operibus iungendis, libro ſecundo, capite quinto, articulo octauo. & libro ſecundo, capite 8. & 9. paſſim.*

*Philippus in Confeſſione Auguſtana, Carolo exhibita, Anno 30. Fol. 136.*

6. Citant & Hieronymum contra Vigilantium, in hac arena, inquiunt, ante mille, & centū annos vicit Hieronymus Vigilātium, ſic triumphant aduerſarij, quaſi iam ſit debellatum. Nec vident iſti aſini apud Hieronymum contra Vigilantium nullam extare ſyllabam de inuocatione. Loquitur de honoribus Sanctorum, non de inuocatione.

*Vide latiſſimè hoc craſſum & palpabile mendacium detectum, lib. 4. Confeſſ Hieronym. ca. 2. toto præſertim artic. 5. 6. 7.*

*Lutherus in Poſtilla in die Exaltationis Sanctæ Crucis. Fol 138.*

7. Iam verò quicquid de ſancta cruce dixi, intelligi cupio de omnibus Sanctorum reliquijs. Reliquiæ enim nil aliud ſunt, quàm fraudes & ſeductiones fidelium. Quare omninò infra terram defodiantur. Hoc de explodendis atq; exibilandis Sanctorum reliquijs argumētum olim pertractauit & Vigilantius, cui ſe fortiter & acriter oppoſuit Hieronymus. Vellē iſto labore ſuperſediſſet. Credo certo, quod ſi adhuc Vigilantij monumenta ſupereſſent, quemadmodū Hieronymi etiam num extāt, multò magis Chriſtianè, & piè in iſto argumento fuiſſet verſatus Vigilantius, quàm Hieronymus.

*Vide lib. 4. cap. 2. artic. 14. & 16. de reliquijs Sanctorū & verſipellem, ac doloſum Lutheri animū deprehendes*

*Spangenbergius* im Karnoffelſpiel wider den alten Gecken Jaſpar Gennep. *Fol. 232.*

8. Hieronymus in Vigilantium ſcripſit librum, ſatis amarulētum, ac durum, & miris modis deſtomachatur in bonum iſtum virū, * quod inuocationem & imagines Sanctorum abuſum luminum, confictam, commentiamq́; caſtitatē

Eccleſiaſticorum,& alias ſimiles humanas traditiunculas, atque conſtitutiunculas oppugnauerit. Vide lib. 4. cap. 2. art. 14 & 16. Sed in iſto libro aduerſus Vigilantium, nihil neq; ſolidè cōfutat, neq; confirmat ex puro Dei verbo, tantummodò Vigilantium conuicijs onerat, amplius autem præſtat omninò nihil.

*a Philippus ſupra negat, vel minimam ſyllabam apud Hieronymum extare de Inuocatione Sanctorum. Sed Spangenbergius id non inuitus fatetur, ſuum præceptorem iugulans.*

*Lindanus Tomo ſecundo Apologetici, Folio 17.*

9. Porro tam eſt manifeſtum D. Hieronymum aureo libello contra Vigilantium, Sanctorum Chriſti Martyrum aſtruere inuocationem, licet mirifica dicam impudentia, an imperitia iſtud inficietur Confeſſionis Auguſtanæ Apologia; vt propterea Theodorus ille Beza, Poeſeos atque ſaltatoriæ in popina, ſalacisque amatoriæ in ganea, quàm Theologiæ doctior, D. Hieronymum idololatriæ damnare nihil dubitarit. Reſponſ. ad argum. Brentij de Vbiquitate, Folio *400*.

Solvtio.

Qvantopere idololatriam execratus fuerit B. Hieronymus, non modò Commentaria in Prophetas, qui in idola inuehūtur acerrimè, ſed & Hiſtoria eius, ac publica pictura clariſſimè demonſtrat. Cùm enim loco crucis Chriſti ſtatuam quandam gentilem coli vidiſſet, accenſus ſingulari Dei zelo eam deiecit, ac mutilauit: vnde extant hi verſus:

*Cùm ſacrū hos offers contriti Hieronyme cordis,*
*Cumq; hanc ſacrilegam comminuis ſtatuam.*
*Propterea Domino placet vtraq; victima, quod*
*Virginis in nati ſit tua fixa cruce.* (ſpes

*Caniſius libr. 10. de Corruptelis verbi Dei, cap. 14.*

*10.* Centvriatores in Cēturia quarta, capite octauo, pagina *602.* cum Sanctorum hoſtibus apertè conſpirant, & totius Eccleſiæ calculo damnatum, hæreſiarcham Vigilantium, nō modò laudare, ſed etiam ab inferis quodammodò in vitam reuocare contendunt, cultumque omnem, qui Sanctis in Eccleſia ſolet exhiberi, abrogatum cupiunt.

## De Divi Hieronymi Comite, ſiue Lectionario, ex Prolegomenis Iacobi Pamelij, in ſecundo Tomo Liturgicōn.

Inter multa quę D. Hieronymi hortatu in Eccleſiam Romanam introduxit D. Damaſus Papa: etiam lectionum per totum anni circulum, certā diſtinctionem acceptam D. Hieronymo ferunt, diuinorum officiorum interpretes, atque adeò nominatim hunc librum, non vno in loco citāt quidam D. Hieronymi titulo, alij authoris non expreſſo nomine. Et in primis (omitto locos citatos, Tom. 1. Liturgic. & Alcuinum, qui eaſdē frequenter lectiones citat) Amalarius lib. *3.* cap. *40.* In antiquis (inquit) libris Miſſalium, & Lectionariorum reperitur ſcriptum: Hebdomada v. ante Natalem Domini. Totidem enim Lectiones habentur in Lectionario, & totidem Euangelia, à tempore memorato vſq; ad Natiuitatem Domini: ac paulò pòſt: Author Lectionarij excitat fidem noſtram, ad recolēdum Domini noſtri Ieſu Chriſti in mundum venturi præconium, per quinque ætates mundi. Atque huius & aliam rationem reddit, libro quarto, capite triceſimo, vbi ſic inquit. Addimus etiam alterum ſenſum poſſe imitari Aduentum Domini, in quinta, ſeu quarta hebdomada, ſequendo autores Lectionarij, & Antiphonarij, ac Miſſalis, cuius authorem credimus eſſe, Beatum Gregorium Papam. Berno verò Augienſis, libro de Miſſa, duas tractat quæſtiones, de varietate Officiorum Lectionarij, & Antiphonarij, ac Sacramentorum libri, vbi hos diuo Gregorio, illum diuo Hieronymo adſcribit. Hanc nempè quæſtionem tractat, capite quarto. Quare author Officiorum in aduentu Domini, quatuor tantùm hebdomadas numeret, cùm Ordinator Lectionarij quinque numeret. Alteram queſtionem examinat, capite ſexto. Quare author Officiorum, ab octaua Pentecoſtes, vſque ad Aduentum Domini, *23.* ſolummodò poſuerit officia, cùm Ordinator Lectionarij *25.* Lectiones conſtituerit, exceptis his Lectionibus & Euangelijs, quæ leguntur in hebdomada octauæ Pentecoſtes, & in Dominica quinta ante Natiuitatem Domini, & de ſancta Trinitate, quæ ſuperioribus *25.* coniunctæ, videntur *28.* numerum adimplere. Item capite quinto. De Concordia agit trium horum librorum, hac inſcriptione: De Miſſa: Deprecationem noſtram, & cæt. & Concordia Euangeliorum. & Apoſtolicarum Lectionum cum cæteris officijs, ac præcipuè cum Miſſis. Horum tractatūm ipſum prolixitatis vitandæ gratia omittimus, vnico hoc eius ſubiecto teſtimonio. Sicut Sanctum Gregorium libri Sacramentorum & Antiphonarum: ita Beatum Hieronymum credimus Ordinatorem Lectionarij, vt ipſius teſtatur Prologus, in capite eiuſdem Comitis, ſic eum appellauit. Porrò Micrologus de Eccleſiaſticis obſeruationibus, capite vigeſimo quinto nominatim in hæc verba, diuo Hieronymo hunc librum attribuit. Liber etiam Comitis, inquit, ſiue Lectionarius, quem Sanctus Hieronymus compaginauit, eidem ieiunio poſt Pentecoſten, Lectiones ad feſtiuitatem Spiritus ſancti pertinentes attribuit. Ac deinde Lectiones quoque, quæ eo libro continentur, citat capite viceſimo octauo, & triceſimo primo (vbi rurſum Hieronymo verbis Tom. *1.* citatis adſcribit) *30. 40. 50. 52. 54. 56.* Radulphi Tungrenſis locum ſupra citauimus, Tomo primo ſub Damaſo Papa. Eodem alludit etiam Ioannes Beleth Theologus. Rationali diuinorum Officiorum, capite viceſimo ſeptimo, vide infra. Illud denique ad huius rei confirmationem facit, quod cùm antea Patres vetuſtiores Lectionum duntaxat meminerint in genere Teſtamenti vtriuſque, poſt Damaſum etiam certarum Lectionum Apoſtolicarum, & Euangeliarum mentionem faciant: vti è Diuis Ambroſio Mediolani, Auguſtino in Africa, Leone Papa Romæ, Saluiano, & Cæſario in Gallijs, ſupra Tomo primo exempla reperire eſt, quorum etiam tres poſteriores translatione diui Hieronymi vſos conſtat, non Septuaginta. Berno Augienſis Abbas, capite primo, Libelli



Libelli de quibuſdam rebus ad Miſſæ officium pertinentibus. Credimus Beatum Hieronymum ordinatorem Lectionarij, vt ipſius teſtatur Prologus appoſitus, in capite eiuſdem Comitis (ſic eum appellauit) Damaſus conſtituit (inquit liber Pontificalis de vita Damaſi) vt Pſalmi diu noctuque canerentur per omnes Eccleſias, qui hoc præcepit presbyteris, Epiſcopis, ac Monaſterijs, idem ijſdem planè verbis oſtendunt ac demonſtrant VValafridus Strabus, de Eccleſiaſticis officijs, capite vigeſimo quinto. item Marianus Scotus Hiſtoriarum libro ſecundo. Beda, Ado, Vſuardus in Martyrologijs *3.* Idus Decembris, Sigebertus in Chronicis ad Annū Domini. *382.* Qui omnes haud dubiè alludunt ad verba D. Hieronymi, quæ ſubſequuntur.

*Pſalmis additum: Gloria Patri.*

Hieronymvs Epiſtola ad Damaſum Tomo primo, &cæt. Conciliorum. Precatur Cliens tuus, vt vox iſta pſallentium. in ſede tua Romana die noctuque canatur, & in fine Pſalmi cuiuslibet, ſiue matutinis, vel veſpertinis horis coniungi præcipiat Apoſtolatus tui ordo: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum Amen. Iſtud carmen laudis omni pſalmo præcipias coniungi, vt fides *318.* Epiſcoporum Niceni Concili, in veſtro ore pari conſortio declaretur. Quod confirmat Albinus Flaccus de diuinis officijs. Gloria, inquit, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Quæ verba ad diuiſionem Pſalmorum, qui prius indifferenter canebantur, Beatus Hieronymus Damaſo Papa petente compoſuit. Sed quum nequaquam id ſufficeret, prædicto Apoſtolico iterum ſuggerente, addidit adhuc. Sicut erat in principio, & idem docet Sigebertus in Chronicis, vbi ſuprà & Radulphus Tungrenſis de Canon. obſeruatione, capite vltimo.

*Epiſtolæ & Euangelij Lectio.*

Peto (inquit idem diuus Damaſus ad Hieronymum) tuam charitatem, vt ſicut à Rectore tuo Alexandro Epiſcopo noſtro didiciſti, Græcorum pſallentiam ad nos dirigere tua fraternitas delectetur: quia tantæ apud nos ſimplicitatis indago eſt, vt tantum in die Dominica, Apoſtoli Epiſtola recitetur, & Euangelij capitulum replicatur, & nec pſallentium mos tenetur, nec hymni decus in ore noſtro cognoſcitur. Quod rectius explicat VValafridus Strabus de rebus Eccleſiaſticis, capite vigeſimo ſecundo. Videtur (inquit) non alias lectiones ante Euangelium fuiſſe tunc poſitas, niſi tantum Apoſtoli Pauli, quas ſolum nominauit, qui geſta Pontificum ſcripſit, cum Antiphonarum mentionem ſubiunxit: Quod ante non fiebat, niſi tantùm Epiſtola Beati Pauli Apoſtoli legebatur & ſanctum Euangelium. Quod etiam ſanctus Damaſus Papa ad Hieronymum ſcribens, penè ijſdem verbis oſtendit. Et fortaſſis in primis ſolius Pauli lectiones eo loco legebantur: poſtea autem omnibus latius augmentatis, aliæ lectiones, non tantùm de nouo, verùm etiam de veteri (prout feſtorum ratio poſcebat) intermixtæ ſunt teſtamento. Et rurſum Radulphus Tungrenſis, de Canon. obſeruatione, capite vltimo. Beatus (inquit) Hieronymus presbyter Cardinalis, Epiſtolas & Euangelia, vt hodie habet Eccleſia collegit & ordinauit, vt in libro qui Comes dicitur, habetur, & ipſe, ait, ſcribens ad Conſtantium Epiſcopum. Et Damaſus Papa, vt nunc moris eſt legi cenſuit.

*Alleluia.*

Hieronymvs Epiſtola ad Damaſum, Tomo primo Conciliorum. Vbi (inquit) ad diuum Damaſum, D. Hieronymus: Deus & homo honorabili voce prædicatur, Alleluia ſemper cum omnibus pſalmis affigatur, vt in omni loco communiter reſpondeatur nocturnis temporibus. In Eccleſia autem à ſancta Reſurrectione vſque ad Pentecoſten finiatur: inter dierum verò ſpatia quinquageſimæ propter nouitatem Paſchæ, vt vox iſta laudis canatur. Eundem locum citat diuus Gregorius Papa, in Epiſtola ſexageſima tertia, ad Ioannem Syracuſanum, citata ab Amalario, de officijs Eccleſiaſticis, libro quarto, capite triceſimo tertio. Vt Alleluia hic diceretur (inquit) de Hieroſolymorum Eccleſia, ex beati Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damaſi Papæ, traditur tractum. Radulphus Decanus Tungrenſis, in libro de Canonum obſeruantia, propoſitione octaua. Sancti Patres Hieronymus ad mandatum Sancti Damaſi Papæ prædicti, & beatus Benedictus Pſalterium ita diuiſerunt, vt qualibet ſeptimana, ex integro in officio diuino pſalleretur. Beatus Hieronymus plures ſacratas virgines, & alias perſonas ad Pſalmorum lectiones in ſuie Epiſtolis exhortatur, vide Epiſtolam ſeptuageſimam quintam ad Ruſticum Monachum, quæ ponitur de conſecratione, diſtinctione quinta, Romani habent translationem Pſalterij beati Hieronymi, quæ Romana appellatur, ex qua officium Eccleſiæ ſumptū eſt. Alięnationes vtuntur translatione Hieronymi, quæ dicitur Gallicana, quam nos habemus, & c. Ibid.

*Idem propoſitione decima.*

Credendum eſt, quod Hieronymus in diſtributione, & diſtinctione pſalterij aliqua ex parte Ambroſium ſit ſequutus. Porrò venerabiles patres Hieronymus & Benedictus, ex Sanctorum obſeruatione conſiderantes, totum pſalterium ex integro qualibet hebdomada perſolui debere, aliter pſalterium diſtinxerunt. Nam pro aliquibus horis diurnis, certis pſalmis reſeruatis, reſiduos omnes in *7.* nocturnos diſtribuerunt, ſcilicet Hieronymus pro Dominica decima octaua, & Benedictus *12.* Ambo verò pro qualibet feriarum ſimiliter duodecim pſalmos deputantes, feſtiuitates autem Benedictus in numero Pſalm. Dominicis adæquauit, vt cap. *33.* Hieronymus verò illas reſpectu Dominicarum mediauit. Vtriuſque diuiſione totum pſalterium qualibet ſeptimana, niſi feſtiuitas occurrat, eſt complendum. Hanc Hieronymi diuinam adinuentionem cœlitus Angeli magiſterio fuiſſe delatam, ſcribit Caſſianus libro ſecundo, de inſtitut. Cœnobiorum, cap. *4.*

*Ex formula viuendi Canonicorum, & Vicariorum edita, in ſtatutis Synodalibus Epiſcopi Hildeſemenſis, Anno à natiuitate Domini 1539. capite 11. Formulæ.*

Beatvs Hieronymus diuinum officium ordinauit Ambroſius hymnos & cantum ſuperaddidit: Pachomius, Baſilius, Auguſtinus, & alij regulas ediderunt.

*Ioannes Belethus Theologus Pariſienſis, in rationali diuinorum officiorum. cap. 57.*

Haec officia Eccleſiaſtica inſtituit B. Hieronymus, rogatu Damaſi Papæ, & quæcunq; etiam alia ex veteri & nouo teſtamento leguntur in Eccleſia. Gregorius tamẽ quoſdam cantus appoſuit. Gelaſius quoſdam hymnos, & alij alia. Tempore ſiquidem Theodoſij Imperatoris, inordinatè pſallebant, qui rogauit Damaſum Papam, vt curaret ſapienter ordinari Eccleſiaſticum officium. Quod diligenter Damaſus per beatũ Hieronymum effecit.

*Ibidem, cap. 19.*

In primis dicimus generaliter, nihil eſſe cantandum, aut pſallendum, aut etiam legendum, quod à ſummo Pontifice non fuerit approbatum. In primitiua Eccleſia, diuerſi diuerſa cantabant, quiſque pro ſuo libitu, ita tamen, ſi illud quod canebant, ad diuinam laudem pertineret. Pleraque tamen officia obſeruabantur, quæ ab initio erant conſtituta, vel à Chriſto, vt oratio Dominica, vel ab Apoſtolis, vt Symbolum. Poſtea Eccleſia velut ſciſſa eſt, per diuerſas hæreſes & ſciſmata. Quod quidem cum vidiſſet Theodoſius Imperator, qui ſuo tempore omnes hæreſes extirpauit. negotium dedit Damaſo Pontifici, vt aliquem ſapientem, & Catholicum ad ſe accerſeret, qui Eccleſiaſticum officium ordinaret. Præcepit igitur Damaſus Hieronymo viro, trium linguarum peritiſſimo, vt qui ad eam rem erat maximè idoneus, vt quædam officia Eccleſiaſtica in certum ordinem redigeret. Habitabat autem tum temporis Hieronymus Bethlehemiæ, cum Paula & Euſtochio, atque alijs virginibus religioſis, poſteaquam iam antea Romæ, ſub ſeptem Apoſtolicis viris habitauerat. Ordinauit ergo hic, quantum ad Pſalmos attinet, qui quibus diebus canerentur. Sed & Euangelia, & Epiſtolas, atque alia officia in ordinem quendam redegit, vt quid quoque die cantandum eſſet, ſemel conſtaret. Nam omnes cantus ferè compoſuit, ijs exceptis, quos alij Eccleſiæ Doctores poſtea adiecerunt. Hieronymus itaque cùm opus iſtiuſmodi abſoluiſſet, miſit Romam, vbi à Damaſo fuit approbatum, & in communi concilio canonizatum. Poſtremò Papa Damaſus eam dedit operi authoritatem, vt poſtea ſemper in omnibꝰ Eccleſijs obſeruaretur, quemadmodum in eo erat ordinatum.

*Gregorius magnus libro ſeptimo Epiſtolarum, Epiſtola ſexageſima tertia, ad Ioannem Epiſcopum Syracuſanum, contra aliquorum murmurationem rationem reddit de Miſſæ ordinatione.*

Vt Alleluia hic diceretur, de Hieroſolymorum Eccleſia, ex Beati Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damaſi Papæ traditur tractum.

*Ex Tom. 9. Epiſtola B. Hieronymi ad Paulam & Euſtochium, de virtute Pſalmorum.*

Qvia à me dulciſſimæ filiæ meæ, in ſpe miſericordiæ Dei petiſtis, vt vobis diuerſos Pſalmos, per ordinem ſequeſtrarem, qui vbi pſalli debeant. A vobis quoq; ego petij pro me precari Dominum Deum noſtrũ, vt dono ſuo mihi concedere dignaretur, quo poſſim ſanctam petitionem veſtram arripere, vel ipſo donante cõplere, in cuius miſericordia ſperans, neceſſe habui tam ſanctæ petioni veſtræ pro affectu Domini obedire. Pro quo opere, ſi nobis gratia fuerit integrè aſſignata, de omnibus quæcunq; dicta ſunt, ipſi Domino noſtro omnipotenti, pro humilitate mea orantes, gratias referte, qui etiam aſinæ loqui præcepit, quæ ipſe Dominus voluit. Licet enim vniuerſi Pſalmi legis diuinæ propemodũ omnia habeant: tamen donante Deo, & Domino noſtro Ieſu Chriſto, & Spiritu ſancto in confeſſione Trinitatis, qui Pſalmi propriè ad ſingulos dies feriatos, Domini Saluatoris noſtri, filij Dei pertineant, ſequeſtratim expoſuimus. Qui ad Natalem, qui ad ſanctam Epiphaniam, id eſt, ad Baptiſmum Dominicum, ſiue apparitionis ſtellæ diem, & qui in quinta feria ante paſſionem Domini, & qui in ipſa paſſione Dominica, qui in Paſcha Reſurrectionis ipſius Domini noſtri Redemptoris, & qui in Aſcenſione eius in cœlos, qui etiam in Aduentu eius, & qui de iudicio futuro, & qui de ciuitate æterna, in qua Chriſtus Dominus noſter, ſanctos ſuos à principio mundi, vſque ad finem huius ſæculi, ſibi congregat, ſecum conregnaturos in æterno regno cœleſti, Sanctus Dominus, trinus & vnus Deus æternus: qui etiam ad Dominum Deum deprecandum in Letania, vel qui à pœnitentibus pſalli debeant; qui etiam in natali Sanctorum dici debeant. Cæteros verò Pſalmos inuenies, qui quotidie legendi ſunt. Omnes tamen Pſalmi quotidie in toto anno per ordinem pſalli poſſunt, ſecundum conſuetudinem Eccleſiarum, & monaſteriorum. Sanè qui legis, conſidera, quia vnus Pſalmus ad multos dies ſanctos pertinet: & Pſalmi Deo iterantur multipliciter per ſingulos dies. Nam eſt Pſalmus qui vbique pſalli poteſt. Alij iterum ſunt, qui ad vnius diei figuram pertinent: ad pauſantes verò, qualis perſonæ fieret, vtrum religioſæ an laicæ. De Pſalmis qui quinta feria ante paſſionem, aut qui in ipſa paſſione Domini dicuntur, atque in natalibus Sanctorum exinde eligendi ſunt Pſalmi: ita etiam de canticis Prophetarum fecimus, vt non in diebus ſupra dictis confuſè pſallantur, ſed qui in quo die dici debeant, qui legis inuenies. Ad maiores operas pertinet Pſalmus ſeptuageſimus ſeptimus. Attendite popule meus: Pro Catechumenis & electis, vigeſimus quartus Dominus regit: per ieiunium decimus nonus Exaudiat. vigeſimus quartus, vt ſuprà & ſeptuageſimus ſecundus. Quam bonus Iſrahel: de Baptiſmo per Paſcha *64*. Te decet. De lamentatione *131*. Memento: ad conuentionem fratrum: Ecce quam bonũ: ad benedictionem *133*. Ecce nunc benedicite Dominum: Vt laudes ante Deum fundantur: *9*. Cõfitebor tibi Domine: vt pœniteat homo *50*. Miſerere. De fixa fide: *10*. In Domino confido. De monendo. *108*. Deus laudem meam. Vt oculum pudicitiæ agas primus. De vigilijs in grabato. *6*. Domine ne in furore. De iuſtitia. *14*. Domine qs habitabit. De honeſta oratione: *85*. Inclina Dñe. De communione cum omnibus hominibus, vel pauperibꝰ, *40*. Beatus qui intelligit. De natali Domini: *109*. Dixit Dominus. De Trinitate, vt nõ timeatur homo: *9*. Confitebor ſup. De inſidijs hæreſum. *3*. Domine quid multiplicati. De monendo proximum. *4*. Cùm inuocarem. De ſpe in Deum. *22*. Dominus regit. De credulitate. *10*. In Domino confido. De oratione in homine. *30*. In te Domine ſperaui: Benedictio ſuper Principes. *20*. Domine in virtute tua. De amore legis, *26*. Dominus illuminatio mea. De tribulatione inimicorum *25*. Iudica me Domine, vt creatura creatorem laudet *102*. Benedic anima mea Domino. De martyrio *44*. Eructauit & *50*. Miſerere. De perſequutoribus *82*. Deus quis ſimilis erit tibi, dum intras ad alienigenam. *81*. Deus ſtetit in Synagoga. Oratio ſuper ægrum *83*. Quam dilecta tabernacula. Oratio nocturni temporis *90*. Qui habitat in adiutorio. Oratio ad altare. *33*. Benedicam Dominum in omni tempore. Hieronymo emendante Roma legendos canendoſque in Eccleſia Lxx. interpretum Pſalmos ſuſcepit, lib. 2. contra Ruffinum. Ipſe teſtamentum nouum, quod Romana poſtea ſemper legit Eccleſia. Damaſo rogante, è Græco correxit, epiſtola *123*. ad Damaſum. vide Marianum Victorium Reatinum, Epiſcopum Amerinum in vita B. Hieronymi præfixa poſtremæ editioni. Ipſe Martyrũ fines, qui in Eccleſijs recitantur, primus, vt Caſſiodorus Vſuardus, Adeoq; teſtantur, in vnum ſub breuitate collegit.

*Honorius Auguſtudunenſis in Gemma animæ, lib. De concordia diuinorum officiorum.*

Olim diuinum officiũ in Catholica Eccleſia Chriſti peragebatur, prout cuiq; bonum videbatur: ſed poſtquam vnitas Eccleſię Ieſu Chriſti cœpit multiformiter ab hæreticis ſcindi, & à ſchiſmaticis multipliciter in diuerſa cõuenticula ſindi, beatæ memoriæ Theodoſius Imp. Synhodum Cõſtantinopoli congregauit, omnes hæreſes damnauit, diuinũ officium ordinari à Synhodo humiliter poſtulauit. Quod negotium Damaſus tunc temporis Papa Romanus, ſancto Hieronymo presbytero in prophanis & ſacris Scripturis eruditiſſimo iniungere dignum iudicauit. Sanctus itaque Hieronymus presbyter conſtitutus in Bethlehem ciuitatula, vbi Dominus & Saluator mundi naſci voluit, Pſalmos ad nocturnas, & ad reliquas horas ſapienter diſtribuit, ſicut & hodie ſancta Catholica Eccleſia Chriſti pſallit. Ad Miſſæ autem officium, Lectiones & Euangelia ex veteri & nouo teſtamento collegit, prout tempori & ſtationi congruere vidit, Romana quippe Eccleſia implorando Sanctorũ ſuffragia, ſtationes facit per diuerſa loca Sanctorum. Poſtquam ergo Damaſus Papa, diſpoſitionem diuini officij à ſancto Hieronymo presbytero eleganter editam accepit, Collegium collegit, ac vbique ſic cantari præcepit. Poſtea quoq; Gelaſius Papa, & Gregorius orationes, & cantum Lectionibus & Euangelijs congruentes addiderunt, & ſicut hodie in Catholica ſancta Dei Eccleſia cantatur, celebratione diuini officij inſtituerunt.

Centvriatorvm Magdeburgenſium fraudes & corruptelæ, in deprauatis atque detortis 32. locis Hieronymianis detectæ propoſitis, ſaluberrimis Antidotis manifeſtè repugnantium locorum eiuſdem, per indicem breuitatis cauſa annotatorum, vt ſtudioſus Lector craſſa eorum mendacia, huic ſancto viro doloſè impacta, manu palpare, ac contrectare poſſit, recurrendo ad ea loca, ad quæ digitos, ad fontem intendendo remittitur. Vt ſtabiliant figmentum & ſomnium ſuum, de imputatiua iuſtitia, hæc ferè, & cõſimilia ſequentia loca, ex Hieronymo producunt in Centuria 4. cap. 10. de Epiſcopis & Doctoribus.

Peccatvm ineſſe omnibus homini- 1.
bus, quantumuis ſanctis, libr. tertio aduerſus Pelagianos teſtatur, vbi ait: In Prophetis quoque vnctis Spiritu ſancto, inuentum eſſe ſermonem peccati. Et ex Ignatio citat, Apoſtolos ipſos, & Martyres, ſuper omnes homines fuiſſe peccatores. addit etiam: fac aliquem baptizatum, vel ſtatim, vel in ipſis diebus morte ſubtractum: & concedã tibi, quod concedere non debeo, nec cogitaſſe aliquid; nec loquutum, in quo errore & ignorantia laberetur. Num ideo ſine peccato erit, quia videbitur non ſuperaſſe, ſed fugiſſe peccatum? ac non potius, quia Dei miſericordia, de peccatorum carcere liberatus, migrauit ad Dominum? Idem Epiſtola octogeſima octaua: Affectus & perturbationes, quamdiu in tabernaculo corporis huius habitamus, & fragili carne circundamur, moderatè regere poſſumus, amputare nõ poſſumus. Et in epiſtola ad Ruſticum: Iob qui iuſtus ac immaculatus, & ſine querela in principio voluminis ſui ſcribitur, poſtea & Dei ſermone, & confeſſione ſui peccator arguitur. Si Abraham, Iſaac, & Iacob, Prophetæ quoq; & Apoſtoli, nequaquam caruere peccato, ſi puriſſimum triticum habuit admixtas paleas, quid de nobis dici poteſt? In enarratione capitis ſexti ad Galatas ait, etiam ſpirituales peccare poſſe.

Antidoton.

Haec loca pro conſtabiliendo figmento ſuę imputatiuæ iuſtitiæ Centuriatores in mediũ adducunt ex B. Hieronymo. Sed ſtudioſus Lector recurrat ad ca. *5*. lib. 2. Confeſs. Hieronymianæ art. *11*. *13*. & *14*. & *23*. ac *24*. & abundè reperiet, vndè imputatiuæ iuſtitiæ excogitatam chymeram poſſit explodere: Docet enim apertè B. Hieron. art. *14*. In iuſtificatione prorſus auferri peccata mortalia, neq; ita manere, vt qui iuſtificatur, partim iuſtꝰ ſit, partim iniuſtus. vide & art. *23*. & 24. & Ruardũ Tapperum de iuſtificatione. licet. n. imperfecta ſit iuſtitia noſtra, ob venialia admiſſa peccata, vera tamẽ nihilominus eſt cẽſenda. latè vide de vniuerſa iuſtificationis doctrina Thomam Stapletonũ Anglum, S. Theologiæ Doct. & in Academia Regia Duacena Controuerſiarũ Profeſſorem regium & ordinariũ, lib. *6*. de perfectione iuſtitiæ, & li. *7*. de imputatiua iuſtitia. Qđ autem etiam frequentia venialiũ non repugnet iuſtitiæ docet pulchrè Andreas Vegha lib. *11*. de iuſtificatione c. *20*. & li. *14*. de iuſtificatione, c. *13*.

2. Solam fidem iuſtificare confirmant ex Commentarijs,in caput tertium ad Galatas:Scientes quod non poſſimus ex legis opere, ſed ex Chriſti ſaluari fide,credidimus in Chriſtum: vt quod lex nobis non dederat,fides tribueret, quā habebamus in Chriſto.

Antidotum.

Hunc textum perperam detorquent ad ſolā fidem iuſtificantem, quam oppugnat manifeſtè B.Hieronymus,libro ſecundo capite quinto,articulo octauo Confeſſionis ſuæ,quo pacto verò, & in quem ſenſum hæc verba Hieronymi ſint accipienda, vide librò ſecundo Confeſs. Hieronymianæ, cap. quinto, articulo primo & ſexto. conſule etiam Andream Vegham,toto ſecundo libro de Iuſtificatione, & libro octauo: & Thomam Stapletonum libro octauo de Iuſtificatione:& Ruardum Tapperum Tomo ſecundo operum ſuorum.

3. Bona opera à iuſtificatione excludi,ſolamque fidem ſufficere his docent,libro aduerſus Pelagianos:In Deuteronomio perſpicuè demōſtratur,non in operibus noſtris atq; iuſtitia, ſed Dei miſericordia nos conſeruari, dicente Domino per Moyſen: Ne dicas in corde tuo,&c.In Commentarijs in Iob: Ab infernalibus ergaſtulis, inter immenſas abyſſi aquas conſtitutis, nullus homo ſuo merito liberatus eſt, niſi gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti.Libro quarto Commentariorum in Eſaiam, & libro quinto Commentariorum in Ezechielem. Non ob merita,ſed ob gratiam & fidem Chriſti, Deo reconciliati ſumus. In explicatione capitis quarti, Epiſtolæ ad Romanos.Conuertentem impium, per ſolam fidē iuſtificat Deus,non per bona opera,quæ non habuit. Libro aduerſus Pelagianos: Mariam beatam eſſe dicit, non proprio merito atque virtute,ſed Dei in ſe habitantis clementia.Ibidem: Secundum propoſitum gratiæ Dei, qui propoſuit gratis per ſolam fidem peccata dimittere. & ibidem: Vt omnes,qui ex gentibus credūt, filij ſint Abrahæ, dum & illis ſola fides ad iuſtitiam reputatur.

*Commentaria in Iob nō ſunt Hieronymi, vide Cenſuram.*

*Comment. in epiſtol. Pauli ad Rom. Pelagianorum ſunt, & non Hieronymi. vide Cenſuram.*

Antidotum.

HIS allatis teſtimonijs abutuntur Magdeburgenſes duobus modis. Primò vt inde colligant omnia bona opera, etiam ſubſequentia à iuſtificatione excludi. Deinde vt demonſtrent ſuum abſurdum illud Axioma,ſolam fidem iuſtificare.Sed B.Hieronymi ſententia eſt, nulla opera præcedentia, iuſtificationem eam poſſe promereri,cùm omnis iuſtificatio ſit gratuita, vt cōfirmat Hieronymiana Confeſſio libro ſecundo cap.5.articulo primo & ſecundo. Quod verò bona opera ſequantur iuſtificatum, & iuſtificationem multis teſtimonijs aſtruit Hieronymiana Confeſſio,lib.2.cap.5.artic.16. Quod autem ſola fides non iuſtificet,habes in eodem libro,& capite,articulo 8. vide contra ſolam fidem iuſtificantem,præter Ruardum Tapperum, Tomo 2. D.Thomam Stapletonum libro octauo de iuſtificatione, & eundem de bonorum operum meritis ad iuſtificationem neceſſarijs,li.10. de iuſtificatione, & Andream Vegham libro ſecundo, octauo & vndecimo de iuſtificatione. & in Opuſculo quindecim quæſtionum de iuſtificatione, quæſt. 2.3.4.5.6.7.8.

4. AD tollendas laudabiles Eccleſiæ conſuetudines,tam generales, quā particulares, hoc teſtimonio abutuntur. in Epiſtola ad Luciniū diſſerit de Conſuetudinibus Eccleſiæ, quæ contra fidem non ſunt, in ijs vnamquanq; prouinciam in ſuo ſenſu poſſe abundare.

Antidotum.

ADIAPHORISTAE hoc textu abutuntur ad tollendas laudabiles & antiquas, tam generales, quàm particulares Eccleſiæ cōſuetudines,ac præcepta, quaſi liberum ſit ac indifferēs,vnicuiq; ſine vulnere cōſcientię ea tranſgredi.Sed expreſſa Hieronymi verba,aliud manifeſtè in eadem Epiſtola euincunt,dum inquit, Traditiones Eccleſiaſticas,præſertim quæ fidei non officiant, ita obſeruandas,vt à maioribus traditæ ſunt; nec aliorum conſuetudinem,aliorum contrario more debere ſubuerti. Et rurſus eadem Epiſtola 28. Tomo primo. Vnaquæque prouincia abundet in ſenſu ſuo, & præcepta maiorum leges Apoſtolicas arbitretur. Cùm verò, inquit, Vnaquæque prouincia abundet in ſenſu ſuo, & cum ſupra ait, aliorum conſuetudinem, aliorū contrario more non debere ſubuerti, ſatis indicat de particularibus, non de vniuerſalibus conſuetudinibus ſe fuiſſe loquutum. Quanquam vnius prouinciæ particularem conſuetudinē non aſtringere, aliam prouinciam ſemper velit, tamen contraria conſuetudine particulari, particularis alicuius prouinciæ, priorem prioris particularis prouinciæ conſuetudinem non vult eſſe ſubuertendam, ſed potius religioſè præcepta maiorum tanquam leges Apoſtolicas,obſeruanda. Nihil igitur hic locus recte intellectus Adiaphoriſtis patrocinatur,præſertim cum ea,quæ adiaphora & indifferentia ante fuerunt, interueniente ac interpoſito præcepto matris Eccleſiæ adiaphora amplius eſſe deſinant. Confirmant exempla ſanctiſſimi viri adhibitā ſolutionem. Loquitur enim de temporibus ieiuniorum, in quo ritu,diuerſarum Eccleſiarum contrarias viguiſſe conſuetudines, ex Auguſtino & Ambroſio planum eſt. Vide Confeſſionem Auguſtinianam libri primi, capite octauo, articulo ſeptimo. Quid aūt tam de generalibus,quàm particularibus conſuetudinibus Eccleſiæ,ſana doctrina beati Hieronymi tradat, vide libro primo Confeſſionis Hieronymianæ, titulo octauo copioſè, articulis 1. 2. 3.4.5.6.7.

5. AIVNT Hieronymum de coniugio alias aliter ferè,atque aliter ſentire, modo concedere & laudare, modò prohibere & improbare,adductis his textibus, libro 1. aduerſus Iouinianum, vbi ait: Eccleſia matrimonia non damnat. ſed ſubijcit:nec abijcit,ſed diſpenſat. In eodem libro:Tantum abſit,inquit, vt matrimonium damnarit, vt ſecundas etiam & tertias nuptias conceſſerit.

Antidotum.

*Vide Hoſium in lib. de authoritate ſacræ Scripturæ, contra Brentium in nouiſſima editione,fol. 545.*

NEMINI mirum videri debet, quod Centuriatores,Eraſmus Roterodamus, alijque plures impegerint Beato Hieronymo,quaſi iniquior fuerit matrimonio, præſertim ſæpius repetito,cum etiam viuo Hieronymo ipſius æmuli ac hoſtes hāc calumniam ſtruxerint, adeò vt ad depellendam iſtam calumniam,Apologiam pro libris contra Iouinianum ſcribere fuerit coactus: quam ſi legeris,certè me vindice,& patrono contra Sycophantas Hieronymus non egebit, ſed ad ſuas partes tutandas ſat erit ipſe idoneus. pro antidoto & remedio veneni Magdeburgenſis, inſpicito Hieronymianam Confeſſionem libr. tertio, de Sacramento Matrimonij, capite duodecimo, articulo primo & ſecundo.



6. Pro coniugio Sacerdotum allegant ex Hieronymo,exemplum ſui temporis, quod plurimi Sacerdotes matrimonijs vtebātur:& Apoſtolus Epiſcopum deſcribat vnius vxoris maritum, & filios habentem.Libro primo contra Iouinianum.

Antidotum.

BENEVOLVS Lector euoluat librum quartum Confeſſionis Hieronymianæ, capite ſeptimo, articulo primo, ſecundo, tertio, & reperiet, quantoperè Beatus Hieronymus requirat & commendet Cœlibatum in Diaconis,Presbyteris,& Epiſcopis, & quid reſpondendum ſit his craſſis Magdeburgenſium mendacijs,facilè perſpiciet.omnes enim obiectiones, & veterum, & noſtrorum hæreticorum, contra Eccleſiaſticorum caſtitatem, & continentiam, ſolidè confutat.

7. CONTRA primatum Pontificis allegant Hieronymum ex Epiſtola ad Euagrium,vbi docet, omnes Epiſcopos pari potentia eſſe præditos: ac diſertè exæquat Romanum Epiſcopum alijs minimorum oppidulorū Epiſcopis. Quinetiam latè probat,Epiſcopos non diuino,ſed humano iure Presbyteris eſſe ſuperiores. Fuiſſe enim idem olim Presbyterum & Epiſcopum.

Antidotum.

PRIORIS inſtātiæ ſolutionem pete ex ſcholijs,libr.1.capit.9. articulo quinto;poſterioris,ex ſcholijs libr.3.capite vndecimo,art.7.

8. VT oſtendant Apoſtolos fuiſſe authoritate æquales allegant Hieronymum in Commen. ſuper Galatas,quod Paulus nequaquam Petrum obiurgare auſus fuiſſet,niſi ſe ipſi parem eſſe nouiſſet.

Antidotum.

HVIVS dubij reſolutionem vide lib. 1. cap. 9,in fine,in ſcholijs art.5.

9. IN Scripturarum enarrationibus hanc ei notam impingunt,quemadmodum & Origeni, quod Scripturæ ſimpliciſſimæ, ſimpliciſſimos ſenſus, in plures ſit partitus: quod myſterium iniquitatis Lutherus dixit, in expoſitione Pſalmi vigeſimi ſecundi.Item in Præfatione in Pſalmos:& in Præfatione in Eſaiam, pronūciat eum hiſtoriam frigidius tractare,ac ſæpe nimium aberrare à regula fidei.

Antidotum.

ISTIVS animaduerſionis apertam falſitatem dilucidè perſpiciet Lector, ſi ſaltem libr.1.cap.7. art.7.9.10.excutere non grauetur.

10. Ex enarratione primi capitis Epiſtolæ ad Galatas, hunc locum malè detorquent, perſpicuum eſt ex antecedentibus, natura omnibus Dei ineſſe notitiam,nec quenquam ſine Chriſto naſci,& non habere ſemina ſapientiæ in ſe & iuſtitiæ, reliquarumque virtutum. Vndè multi abſq; fide & Euangelio Chriſti,vel ſapienter faciunt aliqua, vel ſanctè.

Antidotum.

QVID ad hunc locum reſpondendum ſit,vide lib.2.cap.7. articulo decimo quarto, & lib. 2. cap.3.art.11.

11. Pro euerſione liberi arbitrij,ſequentia loca miſerè deprauant in primum caput ad Epheſios: Quia nullus abſque propria voluntate ſaluatur (liberi enim ſumus arbitrij) vult nos bonum velle: vt cùm voluerimus, velit in nobis, & ipſe ſuum implere conſilium. Citatur ab ijſdem & hoc Hieronymi dictum. Qui dixerit Deum præcepiſſe impoſſibilia, anathema ſit. Quod à Luthero prolixè confutatum eſſe aſſerunt,Tomo ſecundo,vbi & ſic pronūciat: Cùm in nouo Teſtamento propriè regnare debeat miniſterium ſpiritus, id eſt, prædicatio ſpiritus & gratiæ, vt Apoſtolus ait: optandum fuit, vt hoc verbum, aut Hieronymus nunquam dixiſſet, aut in tenebris ſepultum manſiſſet. Chriſtianis enim non conuenit,niſi gloriam Dei prædicare, & magnificare: hoc eſt,confiteri noſtram impoſſibilitatem,& Dei poſſibilitatem.

Antidotum.

PRO liberi arbitrij confirmatione ad effugandas has nebulas,lege librum ſecundum Hieronymianæ Confeſſionis cap. 3. De libero arbitrio articulo primo, & ſecundo, & reperies non putaſſe nec ſenſiſſe beatum Hieronymum cum Martino Luthero,Liberum arbitrium eſſe Titulum,ſiue nomen inane ſine re.allegato loco copioſa teſtimonia pro veritate Orthodoxiæ affatim ſuppeditantur. Quam verò impium ſit, Deum tam crudelem ac tyrannum fingere, vt nobis impoſſibilia præceperit,cognoſces beneuole Lector,ſi Hieronymianam Confeſſionem libr. 2. capite octauo, articulo primo, inſpicere non dedigneris.

12. PRO næuo Hieronymi, contra peccatum originale in infantibus adſerunt Commentaria in caput ſeptimum ad Romanos.Si cùm lex non eſſet, peccatum in me mortuum eſt. inſaniunt qui de Adam per traducem aſſerunt,ad nos venire peccatum:propterea hic dicit,peccatum mortuum eſt: quia in infantibus, qui ſine lege ſunt, non viuit: id eſt, impunè committitur.

*Hæc Comm. in epiſtol. ad Rom. nō ſunt Hieronymi. ſed potius alicuius Pelagiani, vide Cenſuram.*

Antidotum.

VERBA iſta cum non Hieronymi,ſed alicuius Pelagiani ſint, nos minimè premunt nec vrgent. Veram aūt & ſanam beati Hieronymi,ipſiuſq; Eccleſię Catholicæ doctrinam de Originali peccato, inuenies huius noſtræ Hieronymianæ Confeſſionis, libr. 2.capit.1 articulo quarto, quinto, ſexto, ſeptimo. De peccato originali in Infantibus libro tertio, capite tertio, articulo ſecundo.

13. Infantes carere peccato Originali, nituntur demonſtrare ex libro quarto Commentariorum in Ezechielem capite decimo ſexto. Anima noſtra quamdiu in infantia conſtituta eſt, peccato caret.

Antidotum.

EXTRA omnem controuerſiam eſt, beatum Hieronymum loqui de peccato actuali, quo dubio procul carent infantes, ante vſum rationis non verò de originali, quo ſimulatq; editi ſunt in lucem,infantes ſunt infecti. vide Confeſſionis Hieronymianæ lib. 2. cap.1.artic.4.& libr.3. cap.3.articulo 2.

14. Neminem poſſe viuere ſine peccato, & cogitationum malarum neminem luere pœnas, moliuntur probare ex libro decimo ſexto Commentariorum in cap. 18. Ezechielis, ait ſtimulos cogitationum Deum non punire. Ibidem: Aſtra quoq; non ſunt munda in conſpectu Dei.

Antidotum.

DE diſcrimine & varietate peccatorum, quę

que à Deo puniantur, & quæ maneant impunita tanquam imperfecta, & per conſenſum minimè conſummata elegãtem, & peculiarem: vide Tractatum in Hieronymiana Confeſſione libro ſecundo, de Lapſis & eorum recuperatione cap. *6.* articulo *3.* & *5.*

*15.* Aiunt Lutherum affirmare in Commentario in Epiſtolam Petri hoc ipſum, quod in doctrina Chriſtiana certò ſtatuendum ſit in Sanctis ſcilicet remanere peccatum, ab Hieronymo nunquam fuiſſe intellectum.

Antidotum.

LIBET hic exclamare. O cœcos, & duces cœcorum. Lege quæſo humaniſſime domine Lector, libro ſecundo Hieronymianæ Confeſſionis capite quinto, articulo vigeſimo tertio, & vigeſimo quarto. & abundè deſiderium tuum explebitur. vide ſuprà Antidotum primum, contra primum venenum.

*16.* PER legem naturalem, abſque gratia Chriſti aliquos iuſtificatos, ex Commentarijs in caput tertium ad Galatas aſſerere cupiunt, vbi ipſis ſentire videtur Cornelium Spiritum ſanctũ accepiſſe per opera legis naturalis: & per eam quoque Abraham & Moſen, & cæteros ſanctos iuſtificatos eſſe.

Antidotum.

VT quid de vtroque iſto puncto Beatus Hieronymus ſenſerit Lector perſpicere poſſit, remitto eum de priori quidem ad libr. 2. capite quinto, articulo ſecundo: de poſteriori ad lib. 2. cap. *7.* articulo 1*4.*

*17.* Stipulis ac nœuis annumerant, quod ſtatuit Hieronymus, fidẽ cum bonis operibus coniungendam, libro octauo Commentariorum in Eſaiæ caput vigeſimum primum. Non ſufficit murum, habere fidei, niſi ipſa fides bonis operibus confirmetur.

Antidotum.

INCREDIBILIS horum Centuriatorũ eſt cœcitas, quod ea dogmata quæ ſana & integra ſunt inter ſtipulos ac nœuos numerant. Sed benè habet quod ipſimet contra ſeipſos ferunt ſententiam, neque aliundè melius quàm ex proprio teſtimonio poſſunt conuinci, vt Cardinalis Hoſius in quadam Epiſtola ad Franciſcum Turrianum, ac ipſe Franciſcus Turrianus in præfatione libri primi, pro Canonibus Apoſtolorum, & epiſtolis Decretalibus primorum Pontificum, alijque qui contra eos ſcripſerunt apertiſsimè teſtantur, ac res ipſa docet ita, vt in prouerbio eſt, ſorex ſuo indicio perit. Pro coniunctione autem fidei & operum neceſſaria ad Iuſtificationem, lege plura, ſi placet lib. 2. Hieronymianæ Confeſſionis capite octauo articulo primo, ſecundo, tertio, quarto, quinto, & libri ſecundi, cap. quinto, articulo octauo, vide ſupra Antidotum, ſecundum & tertium, contra ſecundum, & tertiũ venenum.

*18.* INTER nœuos recenſent quod conſtituit diuerſitatem præmiorum & meritorum, vt: In Epiſtola ad Demetriadem; Diſpares ſunt in regno cælorum per ſingulorum merita manſiones. Diuerſitas enim operum, diuerſitatem facit præmiorum: quantumque aliquis hic in humilitate fulſerit, tantum ibi fulgebit in honore.

Antidotum.

HIC illud Cæſaris inculcare poſſumus. Si accuſare ſufficit nemo erit innocens, ſi defendere ſat eſt, nemo erit reus. altera parte non audita, nec vocata. Si ſolo præiudicio nulla adducta cauſa ac ratione, erroris à Magdeburgenſibus condemnabitur ſanctus Hieronymus, facile erit hac via omnibus Patribus (ſi tantum ſcilicet horum Criticorũ authoritas ac Cenſoria arrepta temerè virgula valebit) erroris notã inurere. Tu verò ſtudioſe, valere iuſsis his ineptis ac falſis Patrum iudicibus, confirmationẽ integerrimi Hieronymiani dogmatis pete ex Confeſsionis Hieronymianæ, libro ſecundo, capite nono, articulo *6.*

*19.* INIMICI bonorum operũ, habent pro ſtipula, quod ſcribit in libro ſecundo aduerſus Iouinianum. Reuera grandis iniuſtitia Dei, ſi tãtum peccata puniret, & bona opera non ſuſciperet.

Antidotum.

HIC nullo antidoto niſi confortante ac corroborante opus eſt. vide robur huius dogmatis, lib. *2.* cap. *9.* art. *1.* 2.

*20.* DVO loca in aciem producunt, contra ſatisfactionem tertiam partem pœnitentiæ, ac primo ex libro ſexto Commentariorum in Eſaiam: Afflictio corporis peccatorum indulgentiam deprecatur. Secundo in Epiſtola ad Ruſticũ ait, Petrum trinam negationem amaritudine abluiſſe lachrymarum.

Antidotum.

HOC dogma ſatisfactionum pœnitentialium Eccleſiaſticarum firmiſſimè & latiſſimè cõprobatum, vide lib. *3.* cap. *9.* de Sacramento Pœnitentiæ, art. *11.* & *12.*

*21.* PRIMAM pœnitentiæ partem, videlicet Contritionem oppugnant, quaſi nimium ei Hieronymus tribuat, ex Commentarijs in orationẽ Hieremiæ: Peccato commiſſo, inquit, & non per condignam pœnitentiam & correctionem vitæ emendata, merita vindicta ſucceſſit: quia quod homo pœnitendo non corrigit, diuinæ vltionis ſententiam expectabit.

Antidotum.

O molles & delicatos Theologos, quaſi contritio cordis & vehemens de peccato dolor (quæ primaria pœnitentiæ pars eſt, quamque penè ſolam, ſi intenſiſſima ſit, plerique veteres Patres inducti à Gratiano & Turrecrematæo ſufficere putarunt) nimius eſſe poſſit. Lege ſanam doctrinam hac de re B. Hieronymi lib. *3.* cap. *9.* artic. *6.* ſuæ Confeſſionis.

*22.* Reprehendunt ob hoc etiam, quod pœnitentiam in Commentarijs in Danielem, ſecundam dixerit poſt naufragium tabulam: quaſi verò Baptiſmus non ſit pœnitentia, quibus ſubſcribit Ioannes Caluinus lib. quarto Inſtitutionum Chriſtianæ religionis, capite decimo nono, ſect. *17.* qui ementitum hoc ait pœnitentiæ ſacramentum, ornatum falſo elogio,* ſecundam eſſe tabulam poſt naufragium: quia ſi quis veſtem innocentiæ in Baptiſmo perceptam peccando corrumperit, per pœnitentiam reparare poſſit. Sed dictum eſt Hieronymi. Cuiuſcunque, ait, ſit, quin planè impium ſit excuſari nequit, ſi ex noſtro ſenſu exponatur.

*Lib. 4. Sententiarum, diſt. 14. ca. 1. De Pœnitentia, diſt. 1. c. 1*

* *Kemnitius in Examine Concilij Tridentini, imitatus Caluinum, Periculoſum verbum D. Hieronymi, ait, multis erroribus occaſionem præbuiſſe, ſiue male poſitum, ſiue male intellectum, quo Pœnitentiam appellat ſecundam poſt naufragium tabulam.*

Quaſi verò per peccatum deleatur Baptiſmus,

& non



& non potius in memoriam reuocandus ſit peccatori, quoties de peccati remiſſione cogitat, vt illinc ſeſe colligat, animumque recipiat, & fidem confirmet, peccatorum remiſſionem ſe impetraturum, quæ ſibi in Baptiſmo promiſſa ſit. Quod autem durè & impropriè Hieronymus dixit, pœnitentia reparare Baptiſmum (à quo excidunt, qui excommunicari ab Eccleſia merentur) nos boni, ſcilicet Caluino interpretes, ad noſtram impietatem trahimus. Aptiſſimè itaque Caluino dixeris, ſi Baptiſmum pœnitentiæ Sacramentum vocaueris, quum in confirmationem gratiæ & fiduciæ ſigillum, ijs datus ſit, qui pœnitentiam meditantur. Quod ne commentum eſſe Caluini putes, præterquam quod Scripturæ verbis conforme eſt, apparet ipſi in veteri Eccleſia fuiſſe peruulgatũ inſtar certiſſimi axiomatis. Nam in libello de fide ad Petrum, qui Auguſtino inſcribitur, Sacramentum fidei & pœnitentiæ dicitur. Et quid ait, ad incerta confugimus? Quaſi verò apertius quippiam requirendum ſit, quam quod recitat Euangeliſta: Ioannem prædicaſſe Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.

*Ca. 30. citat Decret. 15. quæſt. 1. ca. firmiſſimè. Marc. 1. Luc. 3.*

Antidotum.

METAPHORICA loquendi hæc forma, qua Pœnitentia ſecunda poſt naufragium tabula elegantiſſimè appellatur Beato Hieronymo perquam familiaris eſt, atque identidem vſurpata ac repetita. Primò in Epiſtola octaua, ad Demetriadem capite ſexto. Deinde in Epiſtola *47.* de ſuſpecto vitando contubernio, tum Tom. ſecundo, Epiſtola *65.* ad Pammachium & Oceanum, denique Tomo quarto, libro primo Commentariorum in caput tertium Eſaiæ; adeò hac phraſi vir diſertiſſimus fuit delectatus. quàm dicendi rationem poſteriores patres, & Concilia frequenter repetiuerunt. Neque enim Beatus Hieronymus primus, neque ſolus hoc genus loquendi inuenit, ſed ante ipſum Patianus, Epiſtola prima ad Sympronianum Nouatianum, Tertullianus in libro de pœnitentia, Ambroſius ad virginem lapſam, capite octauo, Denique M. S. ipſemet Gratianus, Concilium Tridentinum, Seſſione ſexta, capite decimo quarto vſurparunt, quibus tam grauibus & antiquis Scriptoribus, quis non potius accederet, quàm mille recentibus mendacibus Centuriatoribus, ac mille fraudulentis Caluinis rectè obſeruat Ruardus Tapperus hanc loquutionem tropicam ſi rectè intelligatur ex Scripturis eſſe deſumptam, in qua plerunque non per omnia ſignato reſpondit ſignũ. Huius dicti intelligentiam Patres Concilij Tridentini loco prius aſſignato, & plenius Magiſter Sententiarum diſtinctione *14.* lib. *4.* explicant. Magna igitur impietas atque impudentia Centuriatorum, & Caluini eſt, quod non modò auream Hieronymi ſententiam impiam eſſe affirmant, ſed etiam docent, non eſſe Pœnitentiam Sacramentum nouæ legis à Baptiſmo diſtinctũ, ipſiuſque Chriſti & Ioannis Baptiſmum confundunt, contra quem abſurdiſſimum errorem, intonat Canon ſecundus Concilij Tridentini. Si quis Sacramenta confundens, ipſum Baptiſmum Pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hęc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideo Pœnitentiam non rectè, ſecundam poſt naufragium tabulam appellari: anathema ſit. Neque errori Caluini patrocinatur, quod Auguſtinus in libello de fide ad Petrum, cap. *30.* Baptiſmum vocat Sacramentum fidei & pœnitentiæ. eodem nanque capite ſtatim explicatur, hoc ideo dici, quia maioribus, hoc eſt, adultis, neceſſarium eſt, & pœnitentiam de malè admiſſis agere, & fidem Catholicam, ſecundum regulam veritatis tenere: idque antequam Sacramentum Baptiſmatis accipiant. & apud Marcum dicitur, Ioannes prædicaſſe Baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum: eò quod pœnitentiam antecedentem in adultis requirat Baptiſmus, vt ſuos pariat fructus, & ſolis detur pœnitẽtibus. vide Petrum Caniſium, libro primo de corruptelis verbi Dei cap. *6.* de Baptiſmo pœnitentiæ, Folio *123.* & deinceps, Ruardum Tapperum, Tomo primo in Reſponſionibus ad argumenta Caluini, de Sacramento Pœnitentiæ. & Franciſcum Horantium, libro ſeptimo, cap. *8.* contra Inſtitutiones Ioannis Caluini.

*Vide Tiletanum in altera parte Apologiæ, Folio 103. 151.*

*Apoc. c. 2. 3. Luc. 13.*

*c. ſecunda poſt naufragium. De pœnitentia diſt. 1.*

*Cap. 1.*

*23.* FERRE quoque non poſſunt, quod ait Beatus Hieronymus, Eccleſiam fundatam eſſe, ſuper Petrum, libro primo aduerſus Iouinianũ, & libro duodecimo Commentariorum in Ezechielem: Super Petrum Apoſtolũ Dominus Eccleſiæ fundamenta ſolidauit.

Antidotum.

QVAM lato diſcrimine ſuper Chriſtum, vel ſuper Petrum ſit fundata Eccleſia, fusè explicat Beatus Hieronymus in ſua Confeſſione, libri *1.* cap *9.* art. *2.*

*24.* CONIVGIO, dum pro virginitate decertat, iniquiorem eſſe aiunt, dum omnem ei dignitatem prorſus adimit: digamiam verò, & nuptias ſecundas, vel tertias, eodem propè loco, quo ſcortationem habet, libro aduerſus Iouinianum.

Antidotum.

VIDE Antidotum quintum ſuprà, & craſſum mendacium Hieronymo impingi, reipſa ſenties, ſi non graueris euoluere Hieronymianæ Cõfeſſionis Tomum tertium, capite duodecimo, de Sacramento Matrimonij, articulo primo & ſecundo.

*25.* ASSIGNANT inter errata & hæc loca libro decimo octauo Commentariorum in Eſaiam: Non eſt voluntas pura ſecundi matrimonij, quæ fornicationis comparatione vileſcit. In explicatione ſeptimi capitis, epiſtolæ prioris ad Corinthios, peccare eos ad cõdemnationem, ait, qui poſteaquam Deo caſtitatem ſemel vouerunt, poſtea tamen nubant. Sic & ab iterandis nuptijs vehementer deterret Saluiam, & in epiſtolis ad Furiam, & Gerontiam.

*Commentaria iſta non ſunt Hieronymi, vide Cenſuram.*

Antidotum.

STVDIOSE Lector de comparatione matrimonij, & virginitatis, primarum & ſecundarum nuptiarum, ſanam doctrinam require, Hieronymianæ Cõfeſſionis, Tomo quarto, capite ſexto, articulo *1.* & 2. & nihil erit, quod te meritò poſſit offendere, facillimeq; hiſce calumnijs reſpondere poteris. Commentaria in Epiſtolam ad Corinthios, pro Hieronymianis non agnoſcimus vt ex adiecta Cenſura noſtra poteris perſpicere. Interim non diffitemur, hanc eſſe conſtantem Beati Hieronymi ſententiam ſacræ Scripturæ, aliorum Sanctorum Patrum, & Oecumenicorũ Conciliorum definitioni conſentaneam, quod qui perfectum ſolemniterque emiſſum votum violãt, in extremo ſalutis diſcrimine verſentur.

vide

vide copioſè in Hieronymiana Confeſſione, libro 4.cap.6.art.4.5.6.7.8.9.

26. Qvod ſolitariam vitam commendat, pati non poſſunt, libro 2. Commentariorum in Lamentationes Hieremiæ: Is verè, & non ex parte perfectus eſt, qui & in eremo ſqualorem ſolitudinis; & in Cœnobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate ſuſtentat.

Antidotum.

Recvrrat Lector ad librum quartum, capite octauo, articulo 6. Hieronymianæ Confeſſionis, vbi affatim ſatis multa de laude & perfectione ſolitariæ, & monaſticæ vitæ pro defenſione ſanctiſſimi viri inueniet.

27. Professionem Monaſtices explodunt, & improbant hæc teſtimonia Hieronymi, in Epiſtola ad Demetriadem, præcipit Demetriadi, vt in Monaſterium ſe abdat, nihil metuens parētum authoritatem. Sic nimium extollit monachatum, in Epiſtola ad Iulianum, & Exuperantium. Quomodo etiam non ſine acerba multorum reprehenſione, & obtrectatione, nobiles fœminas, ad profeſſionem monaſtices Romæ ſolicitauit, & adegit: quemadmodum ſuprà retulimus.

Antidotum.

Apologiam ipſius Hieronymi conſulito, lib. 4. cap. 8. artic. 1.2.3.4.5. & de poſteriori cauillo, libro quarto, capite ſexto, articulo primo, & octauo.

28. Ieivnio nimium ipſis tribuere videtur, vt in libro ſecundo aduerſus Iouinianum. Qđ ebrietas perdiderat, inedia reperit. Ex quo oſtenditur, poſſe nos per ieiunium redire ad paradyſum, vnde per ſaturitatem fueramus eiecti.

Antidotum.

Apologeticvm Hieronymi, vide prolixè libro quarto, capite tertio, articulo primo, 2.3.4.5.6.7.8.

29. Opinionem de Reliquijs venerandis nimis tuetur ipſis aſperè in ſcripto contra Vigilantium.

Antidotum.

Defensionem Hieronymianam vide libro quarto, capite ſecũdo, articulo decimoquarto, 15.16.

30. Qvod ſanctos contendit eſſe vbique, reprehendunt: vt in Epiſtola aduerſus Vigilantium. Sequuntur agnum, quocunque vadit; Si agnus vbique, igitur & hi qui cum agno ſunt (ſcilicet Sancti) vbique eſſe credendi ſunt. In Commentarijs in Iob, ait, Sanctos claros eſſe apud Deum gloria meritorum ſuorum.

*Nõ ſunt Hieronymi hæc Commentaria.*

Antidotum.

Defensionem Hieronymi, quære lib. 4. cap. 2. artic. 2.3.4.

31. In Commentarijs in Eccleſiaſten, dum exponit dictum hoc: Mortui nihil ſciunt amplius, & non eſt in eis merces: malè torquet eorũ iudicio iſtum locũ ad mercedem mortuorũ in Purgatorio. vbi & ait. Mortuos, quamuis nihil ſciant, quæ aguntur in mundo, tamen ſcire quid rerum agatur in cœlo.

Antidotum.

Propvgnacvlvm iſtius loci, vide libro quarto, capite primo, articulo primo, ſecundo, 4.5.6.8.

32. Hieronymi pietatis exercitia, & mortificationem carnis quoque lacerant ac mordent. Quemadmodum plenum ſuperſtitionis hoc ipſum fuit (aiunt) quod Eccleſiaſticas functiones fugiens, monaſticen colere ac profiteri, exemplo nocenti, & ad errorem ſimilem multos, veluti ſupra monuimus, inuitare maluit: ita duriſſimas in eo vitæ genere moleſtias tum expertus eſt, tũ falſa religionis & ſanctitatis perſuaſione ſibi ipſi accerſiuit & auxit. enumerat ipſe quaſi catalogum moleſtorum exercitiorum ſeu afflictionum in epiſtola ad Euſtochium, & ad Pammachium & ad Auguſtinum ſcribit. ſe obrui perpetuis moleſtijs in diuerſorio iuxta Monaſterium, cui præfuit, ædificato, ob frequentes monachorum turbas eo confluentes alioſque Chriſtianos peregrinationis ergò eò venientes.

Antidotum.

B. Hieronymi pia exercitia ab ipſo in ſingulis Capitibus & Articulis quatuor Tomorum huius Confeſſionis, fusè defenſa videre poteris. De Monaſtices Hieronymiana laudabili profeſſione, habes in hac Confeſſione, libro 4. capite octauo, articulo quinto, & paſſim eodem capite in genere, per vndecim articulos. Quod autem hi boni viri Monaſticen ſuperſtitionis nomine appellant, faciunt ſanè more ſuo. Exercitia verò ſancta, corporis afflictiones, canonicas ſatisfactiones, quas ipſe ſibi ad carnem edomandam, ſpirituique ſubijciendam ſponte impoſuit, nemo non commendare merito poterit, tantùm abeſt, vt iure calumniari queat, qui modò ipſius Apologiam, libro tertio, capite nono, articulo vndecimo & duodecimo, & de vtilitate & neceſſitate pœnitentialium priuatarum, & publicarum ſatisfactionum, ac expiationum inſpicere paululum minimè dedignabitur.

## ANTIDOTA CONTRA PEſtifera loca à Martino Kemnitio, in Examine Concilij Tridentini, in D. Hieronymo corrupta & deprauata.

BENEVOLE Lector. Cùm noſtri temporis Heterodoxi quàm plurima loca in Beato Hieronymo, ad alienum ſenſum detorſerint, vt ex noſtris ſcholijs inſperſis cuiuis obuium eſt perſpicere, tum ſanè neſcio, an quiſquam reperiatur, ex toto ſectariorum numero, qui plura in Sancto Hieronymo deprauarit, quàm Lutheranorum omnium peſtilentiſſimus Kemnitius, qui ſedulam nauat operam, ne vllo ex auis, & proauis in propaganda ſecta inferior, neve ab vllo ſuperatus fuiſſe videatur. Nemo omnium eſt hæreticorum, qui ſanctiſſimo, & diſertiſſimo noſtro Hieronymo plures labes aſperſerit. Id ſanè pro meo in diuinum hominē ſingulari ſtudio & affectu, indigniſſimè tuli, nec committere potui vllo modo, quin à ſycophantijs, & calumnijs huius vaferrimi hæretici mihi tantopere carum Hieronymum vindicarē. Non ignoro profecto, non deeſſe, nec defuturos æmulos, qui meum ſtudium, diligentiamq́; qualemcunque mille coloribus, & prętextibus inuentis, ſint reprehenſuri, atque in malignam ſententiam rapturi, ſed per Dei gratiam me cõſolantem, atque confirmantem ad inuidorum inſidias occallui, adeoque ipſos Democritos, & Lucianos, ac Me-



zentios conſtanti, infractoque animo contemnere, longo vſu & experientia iam edoctus didici. Quanquam autem pleraq; ſint eadem argumenta, cum ijs quæ in noſtris ſcholijs inſertis attigimus, atque diſſoluimus, nonnulla tamē adhuc reſtant, quorum in annotationibus nulla eſt facta mentio, quæ prætereunda eſſe, nullo modo exiſtimaui. Ac tametſi trium eruditiſſimorum, eloquentiſſimorum, grauiſſimorumq́ue virorũ, quorum immortalis eſt futura in Eccleſia Dei memoria, D. VVilhelmum Lindanum Epiſcopum Ruremundanum, D. Tiletanum, & diſertiſſimum Andradium dico, in hoc certamine, & paleſtra erecta trophæa, & decreti contra Kemnitium triumphi omnibus ſolidè doctis & veritatis, quàm contentionis amantioribus, quiq́ue nullo deprauato affectu ducuntur, ſint manifeſti, publiceq́ue ſeſe oſtendant, ac pateant, nolui tamen prætermittere, cùm id diligens officium meum poſtulare neceſſariò videretur, quin mei Hieronymi, vſque adeò mihi adamati, poſt tantos viros defenſionem ſuſciperem. Hanc palmã tribuo vni Kemnitio, quod vt reliqui ſuæ, quod aiunt, farraginis homines in Scripturis corrumpendis excelluerunt: ita ipſe in Patribus torquendis, poſt Matthiam Flaccum Illyricum, omnib9 ſuis palmam præripuiſſe, neminemq́; parem habere videatur. Deſcripſeram manu mea, & ſtudioſiſſimè collegeram ex quatuor partibus Examinis Concilij Tridentini à Kemnitio in lucem editis, quicquid vel minutiſſimum ab hoc hoſte Eccleſiæ, in libris D. Hieronymi erat contortũ, ac detortum, ſtatueramq́ue certò primum ipſius expreſſa verba, ac teſtimonia proponere, deinde confutationem, vt in refellendis Centuriatorum Magdeburgenſium mendacijs, & fabulis iam ante præſtitum, ſubijcere. Sed quoniam hac ratione hic liber in immenſum creuiſſet, modũ omnem, mediocritatemq́ue exceſſiſſet (id quod ab æmulis in inuidiam rapitur maximè, diligentiaq́ue aſſidua, & induſtria indefeſſus, prolixitatis ſcilicet nimiæ prætextu, ab hominibus parũ fortè induſtrijs, & vigilantibus immeritò reprehenditur, cùm nodum in ſcirpo quærant, qui inuident) hanc breuiſſimam ineundam viam eſſe putaui, vt inuidiæ cederem, ac locum darem, vt omiſſis Kemnitij textibus, ſtrictim eius ineptis obiectionibus reſponderem, ijs præſertim, quarum videlicet, in præcedentibus ſcholijs mentio nulla erat habita, vel quibus ex Annotationibus noſtris medicina adhiberi non poſſet. Quotieſcunque autem Kemnitius proponit obiectiones antea à me in ſcholijs refutatas, eò mox breuitatis ſtudio, Beneuolum Lectorem remitto. Ne verò quiſquam me Kemnitium falſa allegatione iniuria afficere, iuſtè conqueri poſſit, præſertim cùm eius diſerta & expreſſa verba, ex cauſa iam adducta, à me omittantur, annotaui optima fide, quoto folio, quave parte Examinis ſui ſingula reperiantur. Sequutus ſum autem ordinem 4. partium Examinis Concilij Tridentini. Quod ſi verò noſtræ Animaduerſiones atque Obſeruationes in Kemnitium contractiores, ac breuiores alicui videantur, quàm cauſę grauitas poſtulet, is velim ſic exiſtimet, quicquid à me prætermiſſum eſt, id ex Lindano, Tiletano, & Andradio abundè poſſe ſuppleri, & à me ſummam breuitatis rationem, vt calumnias euitarem, habitã fuiſſe. Ac tametſi Lindanus, Tiletanus, & Andradius non niſi duas priores duntaxat, Examinis Kemniciani, Concilij Tridentini partes grauiſſimè, diſertiſſimeq́ue diſcuſſerint, nihil tamen eſt in poſterioribus duabus partibus, quod non à noſtri ordinis hominibus, alibi, aliaq́ue occaſione ſolidiſſimè ſit confutatum, quodq́ue non, ſi Deus nonnullis eruditiſſimis viris, longiorem vitam largietur, in poſterum firmiſſimis rationibus, grauiſſimiſq́ue authoritatibus, & teſtimonijs ſit euertendum. Ac principio quidem in præfatione primæ partis Examinis Concilij Tridentini, allegat Kemnitius ſub nomine & authoritate beati Hieronymi, falſam & ementitam ſententiam, quam ego liberrimè affirmo, & cum Kemnitio audaci pede in certamen procedo, qđ illud Axioma hæreticum, in nullis Germanis, & genuinis Hieronymi libris reperiatur: eſt autem communis ſententia hæreticorum iſta: Spiritus ſancti doctrina eſt, quæ Canonicis literis eſt prodita, contra quam, ſi quid ſtatuant Concilia, nephas duco. De re enim magna, & complectente ſalutem animarum agitur. Hactenus confictus à Kemnitio Hieronymus. Quæ ſententia, etſi prima fronte & genuino intellectu accepta vera ſit, tamen prout eam accepit & vſurpauit Kemnitius, manifeſtè falſa eſt. Is enim conſtituit Oecumenica Concilia, cum eò detorqueat, cum Sacris Canonicis literis pugnare, cùm potius ex Sacris literis ſuos Canones, & Concluſiones, Concilia deducant. conſtituit etiam falſum principium, quod quicquid Concilia reuelatione Spiritus S. conſtituunt, de aliqua noua controuerſia exorta, de qua nihil expreſsè ſacris literis proditũ eſt, id temerè reijciendum ſit. præſupponit & aliud falſum principium: Omnia controuerſa dogmata, explicitè in Sacris literis contineri. Sed vt dixi, hoc axioma accommodatiſſimum ſuę hęreſi, ex ſuo cerebro confinxit Kemnitius, vel ſi extat vſpiam, apud Beatum Hieronymum, cur non notat & deſignat certum locum.

*Vide de hac ſentẽtia Diegui Payuæ Andradij librum 1. pro defenſione Tridentinæ Synhodi contra Kemnitium, Fol. 52. 53. 54. & Tiletanum in præfatione 2. partis Apologiæ, Fol. 9.*

Sequentes obiectiones ex Hieronymo quatuor contra authoritatem Traditionum, pro ſufficientia, & abſoluta perfectione Sacræ ſcripturæ, quarum prima exſtat Folio 26. in Examine ſecũdi Decreti, quartæ ſeſſionis, parte prima. Altera Folio 199. Tertia ex ſententia Hieronymi, in ca. Matthæi 23. Folio eodem. Poſtrema ex Commentarijs in Pſalmum 86. Folio 200. Hæ inquam obiectiones, antequam Kemnitium legerem, erant à me obſeruatæ, & ſub Titulo de Traditionibus diſſolutæ. Ne actum agere videar, eas non repeto, inde petat Lector ſi volet. Porrò quicquid Kemnitius contra Canonem Scripturæ* ſacræ, Eccleſiaſticum Hieronymianum, Fol. 235. 236. 249. 248. 256. 257. 260. 261. 262, 263. tam generatim, quàm ſigillatim, deq́ue diuiſione ſacrorum librorum latè proponit, à me tam planè & dilucidè, vt ſpero, lib. 1. titulo ſeptimo, articulo 3. de Canone † Scripturæ declaratum, & diſtin-

*Vide Tiletanum contra Kemnitium in prima parte, Fol. 78. 79. 80. 110. ibi quoque hæ obiectiones ſoluũtur.*

* *Vide etiam defenſionem Hieronymi in Canone Scripturæ contra Kemnitium, apud Dieguum Payuam, Andradium Luſitanum Theologiæ Doctorem, lib. 3. Defenſionis Concilij Tridentini, Folio 201. 202. 203. 204. 205. 206. 216. 217. 220. 227. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 234. prolixè de ſingulis libris.*

† *Hieronymum quantum ad Canonem Scripturæ attinet, vindicatum à calumnijs Kemnitij, amplius poteris legere in prima parte Apologiæ D. Tiletani, Folio 95. 96.*

ctè demon-

ctè demonſtratum eſt, partim in adiectis ſcoliolis, partim in diſtinctione accurata Canonis Eccleſiaſtici & Hebraici, vt nullis hic nouis omnino antidotis opus ſit. Porrò quæcunq; folio *274.* *275.277.278.279.280.* à Kemnitio in reprehenſionem vulgatæ Hieronymianę translationis adducuntur ex ijs, quæ à me ad iſtum locum ex profeſſo li. *1.* ex Melchioris Cani locis Theologicis, ex Driedone, de Translatione Scripturæ, ex Leone Caſtro, in Prolegomenis prolixis in Eſaiam obſeruata, & annotata ſunt, ſolidè poterunt confutari.

*De vulgatæ latinæ editionis authoritate, & obiectionum Kemnitij aduerſus eam diſſolutione vide D. Payuam Andradium toto l. de 4. Defenſionis Cōcilij Trident. contra Kemnitium.*

IAM in conſequentibus, fol. *289. 290. 288.* & paululū antecedentibus, multis teſtimonijs Hieronymi, ex Epiſtol. *19.* ex Epiſtola ad Minerium & Alexandrum, ex præfatione ſuper Oſeam, ex Comm. in 2. cap. Micheæ, in 2. cap. Sophoniæ, in *19.* Eſaiæ, in cap. *36.* & *40.* Ezechielis, & lib. 2. Comment. in Zachariam, & ex Epiſtola ad Auguſtinum, & ex Apologia pro libris contra Iouinianum, ex Auguſtino ad Paulinam, Epiſtola *112.* Veterum Patrum authoritatem labefactare in explicandis Scripturis, atque conuellere contendit, præſertim ex eo, quod ſancti Patres, qua erāt humilitate, de ſuis interpretationibus quamlibet eruditis modeſtè loquantur. Quæ omnia eo ſenſu & ordine capienda ſunt, prout in Confeſſ. Hieronymiana, ſub Tit. *11.* De Doctoribus, ſeu Patribus diſtinctè demonſtratū eſt. Primo enim articulo ipſis Hieronymi verbis oſtenditur, neminem Patrum parem cum Scripturis habere authoritatem, quantum verò alias ijs in explicandis ſacris literis in hæreſibus refellendis, in controuerſijs decidendis, & dijudicandis deferendū ſit, ex artic. 2. *3.4.5.* ſub eodem titulo *11.* lib. *1.* Cōfeſſionis Hieronymianæ poterit intelligi. Neq; nos adeò cœci ſumus, vt inter priuati vnius Doctoris ſententiam, & communem, ac publicam conteſtatam omnium vocem, vnanimemq; conſenſum nihil penitus diſtinguamus. qua de re à noſtris accuratiſſimè diſputatum eſt, à Cardinali Stanislao Hoſio, in Confeſſione Polonica cap. & à Melchiore Cano lib. *7.* Locorum Theologicorum per varia capita, eadē de re in hac noſtra Hieronymiana Confeſſione videre licet, art. *6.* *8.9.10.* ſub Tit. *11.* de authoritate ſanctorum Patrum. Nititur quoq; docere, fol. *482.* ex B. Hieronymo, in cap. 7. Matthæi. Concupiſcentiam eſſe reuera peccatum, ſed eius contrarium docet te hæc Confeſſio, lib. 2. cap. 2. art. *1.* & 2. Andradiū tortorem Hieronymi vocat, fol. *505.* quod ex eo probet, in Baptiſmo totum veterem hominem mori. Hanc verò ſanam, germanam, veram Orthodoxam eſſe Hieronymi ſententiam, pro Andradio docebit te præſens Confeſſio ſatis prolixè, lib. *3.* cap. 2. art. 2. Ex Hieronymo frequenter in ore habet hoc axioma Kemnitius, vide folio *423.* Gladius Dei percutit omnia, quæ ſine authoritate, & teſtimonijs Scripturarum, tanquam ex traditione Apoſtolica proponūtur. Sed Hieronymus in ca. *1.* Aggæi ſcribens, loquitur de ijs, quæ hæretici ſponte ex ſuo cerebro confingunt, atque excogitant, abſque authoritate, vel teſtimonijs Scripturarum, iactantes ea titulo Traditionum Apoſtolicarum, cùm ſint propria ipſorum ſomnia & commenta, ait Tiletanus, parte *1.* Apologiæ, folio *110. 111.* Adducit contra traditiones Eccleſiaſticas, fol. *199.* etiam illud Hieronymi. Sine authoritate Scripturarum garrulitas nō habet fidem. Reſpondeo cum Tiletano, Kemnitium perperam citare Hieronymi ſententiam. ſic enim ſcripſit. Et quidem ſine Scripturarum authoritate garrulitas non haberet fidem, niſi viderentur peruerſam doctrinam, etiam diuinis teſtimonijs roborare. Hieronymi itaque ſententia oppugnat peruerſos doctores, qui peruerſum dogma, quod per garrulitatem inferunt Eccleſiæ, ſtudent Scripturæ ſanctæ authoritate confirmare, non autem oppugnat eos, qui per garrulitatem, ſine Scripturæ authoritate falſa dogmata adferunt. Quanquam etiam alioqui veriſſima eſt ſententia, ſine authoritate Scripturarum garrulitatem non habere fidem. Nō enim meretur garrulitas, quæ ſcilicet idoneis, & firmis probationibus deſtituta eſt, fidem. Sed ad garrulitatē impiè referūtur Apoſtolicæ & Eccleſiaſticæ Traditiones, quæ certiſſimis & ſolidiſſimis antiquitatis, & venerandæ vetuſtatis teſtimonijs comprobantur. Nunc porrò illud Hieronymi ex Comm. in cap. *23.* Matthæi, quod in Examine 2. Decreti, *4.* ſeſſionis, fol. *26.* parte 1. adfert Kemnitius ſcilicet. Quod de Scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur, etiam fraudulenter à Kemnitio citatur. Neque enim ſic Hieronymus ſcripſit: Quod de Scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Quæ phraſis loquendi idem efficere, ac valere videtur, atque ſi generali ſentētia dictum foret: Quicquid de Scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua aſtruitur. In quam ſententiam Kemnitius procul dubiò dictum illud citauit & accepit. Sed Hieronymus ſcripſit: hoc quia de Scripturis authoritatem non habet, &c. hoc inquam, quod Zacharias filius Barachiæ, occiſus inter templum & altare, fuerit pater Ioannis Baptiſtæ: qui propterea ſit occiſus, quia Saluatoris prædicauit aduentum: hoc inquam, quia de Scripturis authoritatem non habet, neque vllis legitimis Hiſtorijs confirmatur, eadem facilitate contemnitur, qua probatur, tanquam profectum ex apocryphorum ſomnijs. Sic aiunt Philoſophi, verba ſecundum materiam ſubiectam, accipienda eſſe.

*Vide huius ſententiæ ſimilem ſolutionem apud D. Payuam Andradium in defenſione Tridentinæ ſynodi contra Kemnitium libr. 2. Fol. 154.*

Deinceps quæ Kemnitius, fol. *200.* ex Hieronymi Commentarijs in Pſalmum *86.* producit, prorſus nihil faciunt contra Traditiones non ſcriptas, cùm Beatus Hieronymus eas tam diſertè Tit. *8.* lib. *1.* huius Confeſſionis aſtruat, & ſcribat, multa per traditionem obſeruari in Eccleſijs, quæ authoritatem ſibi ſcriptæ legis vſurpauerunt, ipſam quoque Heluidij hæreſin, contra Mariæ perpetuam virginitatem, ſine Scripturarum authoritate, ex Traditione Eccleſiaſtica labefactauit & ſubuertit. Sed in Commentario iſto in Pſal. *86.* duo, ait Tiletanus, rectè aſſerit ſanctus ſcriptor. Primò, Quicquid poſt ſcripta Apoſtolorum, & Prophetarum aliud adfertur, à quocunque quamlibet ſancto aut diſerto, non habere authoritatem, quin potius eſſe reijciendum. Sicut Apoſtolus dicit, Galatas translatos in aliud Euangelium, hoc eſt, diuerſum & contrarium ei, quod prius acceptum erat. Deinde quālibet ſanctus ſit, quiſpiam aut eruditus, non poſſe tamen in Eccleſia eam obtinere authoritatem in docendo populo, quam habuerunt illi primi Principes, per quos doctrina ſacra conſcripta eſt.

Hactenus de prima parte Examinis Kemnitiani,



tiani quantum quidem D. Hieronymi corruptelas attingit iam ſatis vindicatas, deſcendamus ad alteram Partem Examinis Kemnitiani. Initio folij, *45.* falſo ſic ait. Coniugium Auguſtinus tunc potiſſimum Sacramenti appellatione ornauit cum cōtra Hieronymi immodeſtas criminationes, diſſimulato Hieronymi nomine ex verbo Dei defendere vellet, eſſe ſanctum ſtatum ſeu vitæ genus bonum, purum & ſanctum. Beneuole Lector hic quot pene verba totidem ſunt & mendacia. Primū enim non minus Hieronymus agnoſcit Coniugium eſſe ſacramentū quam Auguſtinus vt videre poteris in hac Confeſſione lib. *3.* ca. *12.* art. *1.* & 2. ibidemque & honeſtum ac laudabilem vitæ ſtatum eſſe eruditè confirmat: nullæ ſunt igitur immodeſtæ criminationes Hieronymi contra Matrimoniū. Neq; vſquam B. Auguſtinus vel diſſimulato nomine Hieronymi vel expreſſo, ex verbo Dei cōtra Hieronymum Coniugium defendit. Quid obſecro erat operæprecium. Nunquam enim ſe B. Hieronymus hoſtem Matrimonij prodidit ſed potius Encomiaſten vt ar. *1.* ti. *12.* li. *3.* perſpicere poteris. Et cur quæſo Auguſtinus ſi Hieronymum tanquam hoſtem Matrimonij oppugnare voluiſſet nomen S. Hieronymi diſſimulaſſet ac reticuiſſet. forſitā, dicet, modeſtię cauſa pro ſuo in Hieronymum amore, quem publicè traducere nolebat. At in acri controuerſia de reprehēſione Petri, nonne cum S. Hieronymo aperto Marte congreditur nullo modo diſſimulato eius nomine. figmentū igitur hoc Kemnitianum eſt inuentū ad perſuadendum populo quod Patres inter ſe digladiētur, quod Hieron. matrimonio ſit iniquus. An nō ſatis aperta ſunt verba B. Hieron. in Apologia cōtra Iouin. Aperiant quæſo aures obtrectatores mei, & videant me ſecundas & tertias nuptias in Dño cōceſſiſſe. Qui ſecūdas & tertias nuptias nō damnaui, qui potui primum damnare matrimoniū? Cōfirmationis Sacramentum li. *3.* ca. *5.* per *4.* art. ex Hieron. ſatis declaratū, vnde quę Kemnit. fol. *308. 316. 317.* obijcit nō difficulter refellentur. Contra circūgeſtationē Euchariſtiæ obijcit fol. *469.* quod Exuperi9 Epiſc. Tholoſanus corpus diu in caniſtro viminio portauerit, & ſanguinem in vitro nō ad circumgeſtationem, nec ad oſtentationem, ſed vel ad communionē, ait Kemnitius, in Eccleſiaſtico cętu circumtulit, ſicuti Cypriani ſęculo fiebat, vel ad ſumptionē pro abſentibus iuxta Iuſtini ritum. Sed anne meminit Kemnitius ex Ireneo & D. Hieron. quod etiam Pontifices Romani peregrinis epiſcopis Catholicis Romā venientib. euchariſtiam tranſmittere ſoliti ſint qđ ſine latione & geſtatione fieri nō potuit? Neque nos poſt circungeſtationem aliū ſcopum habemus, quā vt ſumatur & conſumatur euchariſtia. Priuatę reſeruationis euchariſtiæ exempla ſunt apud Hieron. in Apolo. pro lib. aduerſus Iouin. c. *6.* Tertul. li. 2. ad vxorē, Ambroſium, de obitu fratris Satyri, Baſiliū ad Cæſareā Patritiā Communionē ſub vtraq; ſpecie Fol. *551.* nititur Kemnitius probare ex Hiero. in *1.* ad cor. c. *11.* vbi hęc ſunt verba. Dominica cœna omnibus debet eſſe cōmunis, quia ille omnib. diſcipulis ſuis qui aderant ęqualiter tradidit ſacramēta. Reſpondeo primū cum Tiletano, Hieron. omnibus cōmunem dū dixit eſſe debere cœnam dominicā, non hoc agere vt omnib. diſtribuatur ſemel ſanguis & corpus Chriſti, ſed exponere illud; conuenientib. vobis in vnū, iam non eſt dominicā cœnam manducare, ſed vnuſquiſq; ſuam præſumit, nō expectatis. ſ. alijs, vt poſſit agitari oibus communis cœna. Quod tamen Chriſtus ſatis faciendum monuit, dum omnib. ſuis diſcipulis cōgregatis ęqualiter tradidit ſacramenta, non aūt alijs diſtribuit, alijs nō diſtribuit ſacramēta. Vbi dic q̄ſo auditur hic vllum pręceptū vtranq; ſpeciem ſemper ſumendi? Hactenus Tiletanus. Sed non erat neceſſe ad explicationē verborum recurrere cum omnibus doctis hodie ſatis conſtet illos Cōmentarios nullatenus eſſe B. Hieron. de quo vide Cenſurā & Vindiciū noſtrum. Gratias habemus Kemnitio quod fol. *1018.* agnoſcat Hiero. in ca. *16.* Matt. & c. 1*0.* Eccleſ. ſecretā Confeſſionem faciendam Sacerdoti, profiteri. Rurſus iniuria nos afficit, dum aſſerit, fol. *1129.* nos extremæ Vnctionis Sacramentū ex Hieron. Com. in ca. *6.* Marci aſtruere, cū non ignoremus hos Co. in Marc. Hieron. non eſſe tribuendos ſicuti in Vindicio ac Cenſura noſtra, ſatis expoſitum eſt. Sed habemus, Deo laus, firmius ex Hiero. præſidiū pro ſacramento extremę Vnctionis. ſuppeditaui atq; ſuggeſſi locū ex to. *5.* li. *2.* Co. in c. *14.* Oſee. vide li. *3.* Confeſſ. noſtrę c. *10.* contra ſeptē ordines fol. *1151.* ex Hieron. libello qui inſcribitur de ſeptē gradib. eccleſię diſputat, affirmatq; exorciſtas & acoluthos in eo libello nō recenſerit. Sed benè habet qđ alia de ijs ſelecta teſtimonia ſuppetūt à me notata art. *16.* li. *3.* tit. de Sacramento Ordinis. Neq; firma eſt collectio Kemnitij dum ab authoritatis loco negatè ratiocinatur adde quod libellus iſte Hieron. eſſe minime exiſtimetur, tametſi poſtremi caſtigatores Iuris Canonici pro Hieron. fœtu videantur agnoſcere. De Diaconorū officis quędam diſſerit Kemnitius fol. *1153.* quæ ex noſtra Confeſſione vberius & fidelius peti poterunt, vbi offendit Lectorem dum ait multa Diaconis in Romana pręſertim Eccleſia impoſita fuiſſe præter Apoſtolicā diſciplinā & præter morem aliarum Eccleſiarū cōqueritur quidem Hieron. quod Diaconi ſeſe efferrent inſolentius & pręsbyteris ſe pręferrēt in epiſt. ad Euagrium, illumq; abuſum caſtigat, quæ ſatis latè inuenies ſub tit. de Sacramēto Ordinis in Harmonia Confeſſ. pręſentis, ſed ab Eccleſia plura ijs fuiſſe iniuncta quā muneris ratio poſtularet, nuſquā aſſerit. Prolixè ſe torquet Kēnitius fol. *1180. 1181. 1182. 1183, 1185.* vt probet quod Hieron. ad retundendum ſupercilium Epiſcoporum voluerit eundē eſſe planè presbyterum & epiſcopū. Verum in ſcholijs inſertis lib. *3.* ſub Sacramēto Ordinis art. ſeptimo huic cauillationi reſponſū eſt. Iam verò quā mirabiliter hiſtoriā Fabiolę Kēnitius transformat atq; peruertit, & ad permiſsā diſſolutionem nuptiarum detorquet directè cōtra mētem Hiero. In noſtris ſcholijs ſub tit. de Matrimonio art. *6.* obiectionibus reſponſum eſt aliqđ tamē hic adijciendū in gratiā Kēnitij, qui admiſcet plures errores. Primò turpiter & falsò negat publicā pœnitentiā fuiſſe mortalis peccati pęnā, cui9 oppoſitū patet ex omniū penè Cōciliorum Canonib. & Canonib. pœnitentialib. Quando auditum vel lectum ob veniale peccatum ab epiſcopis impoſitā publicam pœnitentiam, deinde in eo labitur multo grauius, quod affirmat veteres, in cauſa diuortij duriores fuiſſe fœminis quam viris ne illis poſt diuortium alterum concederetur coniugium, cum Innocentius, Papa Epiſtola tertia, ad

*32. 45. c. Chriſtiana.*

Exuperium Epiſcopum,c.*4*.parem cauſam, pa-
remq́; pœnam in vtroq; ſexu eſſe aſtruat, addu-
citur à Gratiano *32*.q.*5*.c. Chriſtiana. Quod ve-
ro Kẽnitius Ambroſ. quoq; in explicatione c.7.
Epiſt. 1 .ad Corint. in patrociniũ ſui erroris ad-
uocat,qui viris diuortium permittere, fœminis
adimere prorſus videtur, ei ex eodem Ambroſ.
in c.*16*.Lucę occurrendum eſt,qui ſeipſum expli
cans,ſatis oſtendit, ſe in Commẽtarijs ad Corin-
thios, non de iure diuino,ſed humano fuiſſe lo-
quutum. Id quod & Lindanus,libr.*4*. Panopliæ
obſeruauit.

### *Antidota contra 3.partem Examinis Concilij Tridentini Kemnitiani, quantum B. Hieronymum attingit.*

Beneuole Lector. Kemniti⁹ huius *3*.partis, fol.
*73.74*.& fol. *28.29.30.36.37-43.49.52.78.82.185.*
*188.210.224.225.276*.dũ tractat de matrimonio
& virginitate, peſſimè & indigniſſimè tractat S.
Hieron. illumq́; ſtatuit matrimonij hoſtẽ acer-
rimum, profertq́; ſi Deo placet ſcilicet innume-
ra argumenta, & cõtorta loca Scripturæ, à B. Hie
ron. contra matrimoniũ. Quibus omnib⁹ calum
nijs, & ſophiſmatib⁹ breuiter, & verè reſpondeo,
in toto Hieron. abſolutè & ſimpliciter loquen-
do, nullum argumentũ contra matrimoniũ in-
ueniri, quinimò potius à B. Hieron. matrimoni
um iuſtis ac debitis promeritis laudib⁹ exorna-
ri, vt cuilibet liquidò conſtare poteſt, ex c.*12*.ar.
*1*.& 2.li.*3*.Hieron. Confeſs. Fateor ingenuè, lu-
bensq́; agnoſco, quod quoties Hieron. verſatur
in comparatione matrimonij, & virginitatis, ita
virginitatem efferat, vt matrimoniũ non abſo-
lutè, ſed collatione virginitatis deprimere vide
atur, eoq́; eũ impulit Iouiniani hæretici impro-
bitas, qui coniugiũ virginitati adæquabat, eiuſ-
demq́; meriti eſſe dicebat, quẽ vt reprimeret, er-
rorisq́; conuinceret, argumenti propoſiti neceſ-
ſitas, vt quanti meriti apud Deũ ſuprà coniugiũ
foret virginitas, doctè lateq́; demonſtraret, po-
ſtulabat. Quę quidẽ pro virginitatis excellentia
& matrimonij præ cœlibatu depreſſione allata,
ita etiã tempore B. Hieron. ab æmulis ſuis acce-
pta, & perſuerſè intellecta fuerũt, ac ſi ex propſi-
to ad vituperium, deteſtationemq́; matrimonij
tenderẽt. Quare cõpulſus etiã fuit ſanctiſſimus
vir, huius calũniæ depellendæ cauſa Apologiã
pro libris contra Iouinianũ ſcribere, in qua quic
quid nunc à nouo Iouinianiſta Kemnitio ex Hi
eronymo contra coniugium obijcitur, ſolidè &
exactè poteſt diſſolui atque refelli, vt planè nõ
ſit neceſſe nouam Apologiam pro Hieronymo
inſtituere, cùm ad tutandas ſuas partes ſatis per
ſe virium habeat, ſatisque ſit inſtructus armis ne
ceſſarijs, etiam contra plurimos Kemnitios vn⁹
Hieronymus. Apologiam itaque pro libris con
tra Iouinianum legito, & quod reſpondeas Ke-
mnitio, non deſiderabis. Extremæ autem, & in-
credibilis malitiæ eſt hæreticæ, quòd cùm dili-
genter annotet Kemnitius, ea quæ ætate Hiero-
nymi, ei in hoc argumenti genere ab aduerſari-
js & æmulis fuerunt obiecta, nequiter tamen &
callidè, imò vaferrimè diſſimulat, quæ tam ac-
curatè à ſancto viro reſponſa fuerunt, vt Lecto-
ri imperito, fucum facere, faciliusque imponere
poſſit. Hinc excurrit Kemnitius, vt diſcipulum
Iouiniani poſſis agnoſcere, in virginitatis, & cœ
libatus Eccleſiaſtici reprehenſione, quæ omnia
à Medina in *5*. libris de continentia, doctè con-
futata tranſeo. Id verò diſſimulare nullo modo
poſſum, quod fraudulẽter Auguſtinum & Hie-
ron, inter ſe committat Kemnitius, quaſi Augu
ſtinus non ex profeſſo, ſed ſuppreſſo eius nomi-
ne Hieronymum oppugnarit in argumẽto ma-
trimonij, cùm hæc duo clariſſima Eccleſiæ lu-
mina, non modò in hoc argumento, ſed & in o-
mnibus reliquis controuerſijs, vnum idemque
ſentiãt, id quod quilibet apertè videre poterit,
qui modò in ſingulis partibus, has vtriuſq; edi-
tas Confeſſiones inter ſe comparare non graua-
bitur. Cœlibatus autem Eccleſiaſtici, & virgini
tatis cõtra omnes falſas cauillationes, & prolixa
ſophiſmata Kemnitij, ſolidã defenſionem repe-
ries in Hieron. Confeſs.lib.*4*.ca.*6*. & *7*. integris.
Quod verò allegat Kemnitius, fol.2*73*.ex lib cõ
tra Vigilantium, tempore Hieronymi cõſuetu-
dinem fuiſſe, vt Diaconi priuſquam ordinaren-
tur, ducerẽt vxores, vt ita coniugati, poſtea poſ-
ſent ad ſuperiores ordines promoueri, & ex illa
conſuetudine legem rigidiſſimam poſtea factã,
more ſuo corrumpit Hieronymum. Non enim
affirmat generalem conſuetudinẽ fuiſſe Eccle-
ſiæ Catholicæ, ſed apud Vigilantianos, Iouinia-
niſtas, alioſque hæreticos, neq; laudat, ſed repre-
hendit iſtum abuſum vir ſanctus. Dum argu-
menta grauiſſima Hieronymi pro Cœlibatu
more ſuo ineptè diluere nititur, aqua illi, quod
aiunt, hæret, ſeq; dum in omnes partes torquet
doctis ridendum prębet. Kemnitius & Iouinia-
nus in alteram partem nimium deflectentes pec
cant, dum matrimonium immodicè commen-
dant, deprimũt virginitatem. Hieronymus viã
mediam tutiſſimam ingreditur, & matrimoniũ
ita ſuo debito loco conſeruat, vt tamen virgini-
tatem excellenti ſua laude non fraudet, nec adi-
mat illi iuſtum encomium. Quod autem li.*1*.cõ *Fol. 278.*
tra Iouinianum ſcribit, ſuo tempore plurimos
Sacerdotes in matrimonio vixiſſe, & frequẽter
in ordinatione ſacerdotali cœlibem in Eccleſia
negligi, & maritum aſſumi, id cõtra Canones fa
ctum fuit Eccleſiaſticos, ait Epiphanius, ita for-
tè exigente raritate, & inopia idoneorum mini-
ſtrorum. Quod Hieronymus in Epiſt.ad Ocea- *Kemnitius*
num aſſerit, digamorum ordinationibus totũ *fol.371.374.*
mundũ plenũ eſſe, facti id & non iuris eſt, qđ to *375.*
lerabatur ob perſonarum defectum, non lauda
batur. Quid cõmunis Eccleſiæ praxis, & lex obti
nuerit, docebit te hæc Confeſs.li.*4*.c.*7*. integro.
Sunnionẽ & Fritellam, ad quos Hieron. ſcripſit
epiſt. in Treuirenſi Eccleſia cõiugatos, & mari- *Fol. 306.*
tatos fuiſſe Sacerdotes, vnde confirmare poſſit *307.*
Kẽnitius, plane nõ video. De primis monachis
Aegypti, ex inſtituto Marci, ex Philone tam eſt
cõteſtata, & plena omnis antiquitas, tã plenæ o-
mnes hiſtoriæ, vt egregiè frontẽ perfricuiſſe, om
nesq́; modeſtiæ fines tranſijſſe Kemnitiũ ſit ne- *Fol. 244.*
ceſſe, qui leui cauillo tã notã, & ab omnib⁹ tradi *245.*
tam hiſtoriã eludere auſus fuerit. vide de antiq.
vitæ Monaſt. contra Kemnitiũ, li. *4*. huius Con
feſs c.*8*.toto:& Illuſtrat. vitæ Monaſt. Petri à S.
Audomaro, li.*1*.c.*1*. Hiſtoriã Theclæ ſanã & in-
tegram vindicatam à calumnijs Kemnitij, lege *Fol. 249.*
apud Ambroſ. li.*3*.de Virginibus, & li.*2*.de Vir- *250.*
ginibus, & lib.*10*.epiſtolarum, epiſt. *82*. Hieron.
ad Euſtochium de virginitate ſeruanda, Maxi-
mum Taurinenſem in Serm.de D. Agnete, Epi-
phanium lib.*3*. Tom.*2*. contra hæreſin *78*. &*79*.
contra



cõtra Antidicomarianitas, Gregoriũ Nazianze-
num oratione *19*.& *29*. rurſus apud Ambroſ. to.
*3*.li. *2*.epiſt.*7*.& ad virginẽ lapſam, c.*3*.& ca.*4*.a-
*Folio 370.* pud Euagrium li.*3*.c.8. Controuerſia inter Au-
guſtin. & Hieron. de ijs qui vnã ante alterã poſt
baptiſmum duxerunt vxorẽ, an digami ſint cen
ſendi, in ſcholijs diſſoluta & cõpoſita eſt, li. *4*.c.
*7*.art.*1*. Origenis ſentẽntias, quantũ ad dogmata
*Fol. 421.* nunquam ſe ſequi manifeſtè profitetur Hieron.
*422.* vide cap. de Doctoribus Eccleſiæ *11*.li.*1*.ar. de de
lectu in legendis Patribus adhibendo. Proindè
deprehenditur Kemnitius in nouo figmento ꝙ
Hieronymus in conſtituendo Purgatorio Ori-
genis ſententiam tantùm ſequatur. Miræ hic fa
bulæ Kemnitianæ, qui ex Platonica ſcilicet ſcho
la, Virg.*6*. lib. Aeneid, & Origenis commentis
*Fol. 424.* emendatorij ignis originem falsò repetit. Augu
*430.431.* ſtinum & Ambroſ. eãdem cum B. Hieronymo
de emendatorio igni, ſententiam mordicus te-
nuiſſe, contra mẽdacia Kemnitij, docebit te Au-
guſtiniana & Ambroſiana Confeſs. cũ Hierony
*Fol. 445.* miana collata. Hieron. orationem Dominicam
in Canone recitari ab Apoſtolis fuiſſe acceptum
teſtatur, ſed ad ſolam orationem Dominicam
Apoſtolos celebraſſe actionem diuinorum my-
ſteriorum, id nuſquam dicit, verùm in peragen-
dis myſterijs, etiam alias orationes adhibitas fu-
iſſe teſtificatur, vide lib.*3*. Confeſs. Hieronym.
cap. 8. de Ritibus & Cęremonijs ſacrificij Miſſæ,
art.*6*. Iniuria igitur magna afficit Hieronymũ
Kemnitius, & falſo cum Chryſoſtomo eum pu-
gnare aſtruit. Cyrilli Epiſcopi Hieroſolymi
*Fol. 510.* tani, epiſtola de Miraculis Hieronymi, non eſt
*511.* quod nobis obijciat Kemnitius, cùm eam nos ip
ſi falsè rideamus, nec pro genuina agnoſcamus;
cum temporum ratio repugnet, vt in Vindicio,
*Fol. 557.558* & Cenſura noſtra demonſtratum eſt. Quæ autẽ
quaſi in aciem producit Kemnitius teſtimonia,
& loca B. Hieronymi ex Commẽtarijs, in ca. 6.
ad Galatas, in cap. *9*. & *11*. Eccleſiaſtis, & in Pſal.
1*06*.& in Pſal.*65*.vt euincat inde, poſt hanc vitã
non eſſe locum precibus, vel beneficijs, vel meri
tis ad defunctorum ſtatum commutandum, ijs
omnibus in ſcholijs inſertis, li.*4*.c.1. reſponſum
eſt. Libros Machabæorum, quàm ineptè toties
*Fol 850.* reijciat Kemnitius, idq́; ex authoritate B. Hiero
*Fol. 403 & in 1. parte Examinis, Fol 206.* nymi, videbis lib. 1.c.*7*.art.*3*, in ſcholijs noſtris,
& in ipſo textu, cum oppoſitum ex ipſo B. Hie-
ronymo illthic demonſtretur euidentiſſimè. B.
Hieronymum contra Vigilantium, Sanctorum
*Fol. 941.* cultum & inuocationem manifeſtiſſimè defen-
*942.945.* dere, contra quam fabulatur Kemnitius, demõ-
ſtratur aliquot locis huius Confeſſionis, lib.*4*.c.
2.per diuerſos articulos, idq́; adeò apertè agno-
ſcit Theodorus Beza, vt Hieronymum hoc no-
mine idololatriæ inſimulare non erubuerit, in
reſponſione ad argumenta Brentij, de Vbiquita
*Fol. 940. & 943.* te, fol.*40*. Kẽnitius nõ obſcurè declarat, ſe vt pri
us magis Iouiniano, ſic nunc magis Vigilantio,
quàm Hieronymo fauere, præſertim cùm nuge-
tur Vigilantium, magis conuitijs, quàm rationi
bus, & Scripturis fuiſſe cõuictum & oppreſſum,
*Lege infr. textum Hieronymi, & conſidera an ne Scripturis obruat Vigilantium. Fol. 944.* & cùm opinetur, ſi extarent Vigilantij ſcripta,
ipſum ſuperiorem futurum, & primas laturum,
cuius falſæ opinionis, quoſdam aſtipulatores ha
bet Kemnitius ſui ordinis homines, quorum fit
mentio in abſurdis Pronunciatis hæreticorum,
de S. Hieronymo. Quod autem animę Sanctorũ
vbique eſſe poſſint in cœlo & in terra, illud do-
gma Hieronymi minimè Kẽnitij repugnat Au-
guſtino, quinimò illud li.*4*. Auguſtin. Confeſs.
c.2. teſtimonijs certiſſimis Auguſt. confirmatũ
videbis, neq; cum Chryſoſt. pugnare S. Hierony
mum ſenties, ſi Homil.*59*.ad populũ Antioche-
num, Sermonem de B. Philogonio, Homil. in il-
lud Sapient. Iuſtorum animę in manu Dei ſunt,
Sermonem 1. in epiſt. ad Epheſios. Sermonẽ *4*. in
cap.*1*.ad Philip. In *1*.ad Timoth. Homil.4. In 2.
ad Timoth. Hom.*10*. diligenter inſpexeris. Quę
producit falſa teſtimonia Hieron. Kemnitius *Fol. 946.*
ex epitaphio Nepotiani, & ex oratione ſuper obi *947.*
tũ Bleſillæ, & ex vita Hilarionis de Conſtantia
ſancta muliere contra inuocationem Sanctorũ,
& nomine Rhetoricarum apoſtropharũ nimis
pueriliter eludit, ea omnia tanquam ficta & cõ-
mentitia euaneſcent, & in fumos abibunt, ac diſ-
ſoluentur, ſi à me allata firmiſſima, plurima te-
ſtimonia in veram partem prioribus oppoſue-
ris, ex lib.*4*. Confeſſionis Hieronymianæ, cap.
2.per varios articulos.

### *Antidota contra 4.partem Examinis Concilij Tridentini. Kemnitiani quantum D. Hieronymum attingit.*

KEMNITIVS fol.*50.51*. quod accendãtur ce-
rei ad Martyrum reliquias, & ad Euangelij
Lectionẽ ferre non poteſt, gentilem eſſe conſue-
tudinem, & tanquã à prophanis profectam abo-
minandã ſtatuit. Sed audiat veram Apologiã B.
Hieron. qui eam conſuetudinẽ ſeriò defendit,
& cauillationibus Kemnitij, noui Vigilantiani
occurrit. ſic loquitur to.2.lib. aduerſus Vigilan-
tium, c.*3*. Cereos non clara luce accendimus, ſic-
ut fruſtra calũniaris; ſed vt noctis tenebras hoc
ſolatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne *Vide lib. 4.*
cœci tecum dormiamus in tenebris. Quod ſi ali *huius Con-*
qui, propter imperitiam, & ſimplicitatem ſæcu- *feßionis, ca.*
larium hominum, vel certè religioſarum fœmi *10. art. 19.*
narum, de quibus verè poſſumus dicere: Confi- *Rom. 10.*
teor, zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſci-
entiam: hoc pro honore Martyrũ faciunt, quid
indè perdis? Cauſabantur quondam & Apoſto-
li, quod periret vnguentũ, ſed Domini voce cor *Matth. 26.*
repti ſunt. neque enim Chriſtus indigebat vn-
guento, nec Martyres lumine cereorum: & ta-
men illa mulier in honore Chriſti hoc fecit, de-
uotioque mentis eius recipitur: & quicunque ac
cendunt cereos, ſecundum fidem ſuam, habent
mercedem, dicente Apoſtolo. Vnuſquiſque in *Rom. 14.*
ſuo ſenſu abundet. Idololatras appellas huiuſ-
modi homines? Non diffiteor, omnes nos qui in
Chriſto credimus, de idolatriæ errore veniſſe.
non enim naſcimur, ſed renaſcimur Chriſtiani.
& quia quondam colebamus idola, nunc Deum
colere non debemus, ne ſimili videamur eum
cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis,
& idcirco deteſtandum eſt: hoc fit Martyribus,
& ideò recipiendum eſt. nam & abſque Marty-
rum reliquijs, per totas Orientis Eccleſias, quan-
do legendum eſt Euangelium, accenduntur lu-
minaria, iam ſole rutilante, non vtique ad fu-
gandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demon-
ſtrandum, &c. quæ ſequuntur his Hieronymi
verbis facilè cauillis Kemnitij occurri poteſt,
quia non modò cauſam confirmat, ſed & obie-
ctionibus Vigilantij, atque Kemnitij reſpõdet,
neque vt loquitur Kemnitius, ſine Dei verbo,
ex ſuo ſenſu quicquã præſumit, ſed verbis Scri-

pturæ hunc morem antiquum comprobat. Epiſtolæ Epiphanij, ex tranſlatione Hieron. contra imagines, quàm nec præterit Kemnitius fol. *136. 137.* in ſcolijs inſertis, lib. *4.* cap. *9.* prolixè ſatisfactum & reſponſum eſt. Claudius Taurinenſis, & Kemnitius fol. *197.* ex Hieronymi Commentarijs in Danielem, alium locum producunt cōtra vſum imaginum, qui etiam in ſcholiolis diſſolutus eſt. Impudētiſſimū verò mendaciū illud eſt, abhorretq; ab omni ſimilitudine veritatis, quod in laude ieiunij ſequutus ſit B. Hieron. Tertullianum Montanizantem, vt ait, fol. *480.* cùm Hieronymus Montanum, eiq́ue adhærentes inſanas fœminas Priſcillam, & Maximillam paſſim condemnet, & præcipuè in Epiſtola ad Marcellam. Tom. 2. Epiſt. *54.* multò minus veritati conſentaneum eſt, quod Tertullianum Montanizantē imitetur, cùm in Catalogo virorum Illuſtrium, *6.* libros Tertullianum contra Eccleſiā ſcripſiſſe, cùm ſe ad partes Montani contuliſſet, profiteatur, neq; conſueuit Hieron. id ſibi ad imitandū proponere, quod Eccleſia non recipit. In multis alijs, fateor, quæ Tertullianus in Eccleſia manēs eiq; conſentiens edidit, eum ſequutus eſt B. Hieronymus, id quod plurimis in locis accuratè demonſtrauit doctiſſimus Pammelius, in ſuis eruditiſſimis in Tertullianum Comm. vide etiam ca. *11.* li. 1. huius Confeſs. vbi animaduertes quanto cum delectu, & iudicio B. Hieron. in Origenis, Tertulliani, aliorumq́; Patrum, qui ab Eccleſiæ iudicio, in pleriſq; diſſenſerunt, lectione fuerit verſatus. Iam quod fol. *645. 646.* ex Epiſt. *54.* Tom. *2.* ad Marcellam concludere nititur, excepta quadrageſima, omnia reliqua ieiunia nō neceſſaria eſſe, ſed libera ineptum & friuolum eſt. Nam dum libera quædem ieiunia eſſe conteſtatur, illa intelligit, quæ excepta Pentecoſte, toto anni tempore, quiſque ſibi priuatim extra tēpora ieiunandi, ab Eccleſia præſcripta, imponit. Nam alia etiā ieiunia, ab Eccleſia ordinata, præter quadrageſimam, obſeruatu neceſſaria, B. Hieronymum cenſuiſſe, docere te poterit hæc Confeſſio, lib. *4.* cap. 3. art. *8.* & *9.* & lib. *4.* c. *10.* art. *17.* Noua hic Kemnitium inceſſit religio, qui cum Hieronymo contra Montaniſtas vnam quadrageſimam obſeruatu neceſſariam eſſe agnoſcat, eam tamen alibi impugnat, & impunè eam ſuis violare permittit. Nunc porrò quod fol. *646.* ex Hieronymo, in cap. *4.* ad Galatas, non opinione neceſſitatis & cultus, ſed ſolum ordinis gratia docet ieiunia & feſta inſtituta, id quam maximè, & quaſi è diametro ipſi Hieronymo repugnat: ait enim in Cōmentarijs cap. *4.* ad Galatas, non modò ordinis cauſa, ſed & vt Deo deuotior cultus adferatur, fideliusq́; inſeruiatur, feſtos dies eſſe inſtitutos. Ieiunijs autem Deum coli, manifeſtè profitetur, cùm ex Scriptura Ioelis c. *1.* elicit ieiunium ſanctificare animas, & curationem, ac medicinam adfere animabus noſtris, & Tom. 2. li. *2.* contra Iouinianum, cap. *4.* affirmat quidem, ieiunium non eſſe perfectionem ſanctitatis, ſed eſſe hanc virtutem adiumentum maximū ad ſanctitatem, ipſamq́; adiuuare plurimum, & To. 1. Epiſt. *8.* ad Demetriadem, Ieiunium cæterarum virtutum omnium fundamentū vocat, & ipſam ſanctificationem, ſine qua nemo videbit Deum, quodq́; gradum præbeat, ad ſumma ſcandentib⁹ aſſerit. Præterea quę Kemnitius latè proponit, & exaggerat, fol. *647. 648.* ex B. Hieron. lib. *2.* aduerſus Iouinianum, & ex Epiſt. ad Nepotianum, alijsq́ue locis Hieronymi, ex Gratiano tranſcriptis, de pleriſque turpibus abuſibus, qui circa ieiuniorum obſeruationem accidere, & cōmitti non nunquam ſolent: ea ſanè, neque nos Catholici approbamus, vel collaudamus, ſed optamus poti⁹ omnibus votis, vniceq́; deſideramus, vt quæ de ordine, modo, qualitate, & moderatione, ac ieiuniorū regulis, à B. Hieron. ſaluberrimè præſcripta ſunt, ea accuratè obſeruentur, quæ legere poterit ſtudioſus Lector, diligenter notata, libr. *4.* Confeſs. præſentis, cap. *3.* art. *6.* Corrumpit quoque Kemnitius ſententiam Hieron. ex lib. *1.* contra Pelagianos, vbi ſic loquitur. Quid ergo ſapimus, imò quid ſapere debemus, qui perfecti non ſumus? Imperfectos nos eſſe confitemur, & nondum comprehendiſſe, nedum accepiſſe. hæc eſt enim hominis vera ſapientia, imperfectum eſſe ſe noſſe, atque (vt ita loquar) omnium in carne iuſtorum imperfecta perfectio eſt. Hinc colligit falsò Kemnitius Hieronymum ſentire: Omne opus iuſtificati hominis eſſe peccatum. Sed hanc calumniam ait Tiletanus, in parte *1.* Apologiæ, fol. *348.* ipſe Hieron ſatis confutauit, quando noſtram imperfectionem in eo poſitam eſſe explicat, quod nondum comprehenderimus, nondū acceperimus, iuxta ſententiam Pauli: Non quia *Philip. 3.*
iam acceperim, aut perfectus ſim. Perſequor au- *ſic legit Hieronymus.*
tem ſi comprehendam, in quo apprehenſus ſum à Chriſto. Fratres ego necdum me arbitror comprehendiſſe. Vnum autem poſteriorum obliuiſcens, ad ea quæ anteriora ſunt, me extendens iuxta propoſitum ſequor, ad brauium ſupernæ vocationis. Et poſtea concludens Hieronymus diſputationē de perfectione, dicit: Ex quo perſpicuum eſt, duas in Scripturis eſſe perfectiones. Primam Dei virtutibus coaptandam, quæ videlicet eſt, & ſine omni peccato, & prorſus immutabilis, qualis in ſolo Deo eſt. Secundam quæ competit noſtræ fragilitati, quæ videlicet, non eſt ſine omni peccato, quæ non comparatione ad Dei iuſtitiam, ſed ſcientia Dei dicitur eſſe perfecta. Secūdum quam iuſtitiā Iob, Zacharias & Elizabeth iuſti dicuntur. Et in 2. lib. palam dicit. Si iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator, vbi parebunt. Certè iuſtus eſt, qui in die iudicij vix ſaluatur. Saluarentur autem facilè, ſi nihil in ſe haberent maculæ. Ergo iuſtus eſt in eo, quod floret multis virtutibus, & vix ſaluatur, quod in quibuſdam eget Dei miſericordia. An non palam vides Lector Chriſtianè, Hieronymum diſertè pronunciare, quod iuſtus non in omnibus operibus, ſed tantum in quibuſdā eget Dei miſericordia. Falſiſſimum igitur eſt Hieronymum ſentire: Omne opus iuſtificati hominis eſſe peccatum. Hactenus verè, doctè, & eleganter Tiletanus. Vide pro defenſione Hieronymi, in eandem ſententiam plura, lib. 2. Harmoniæ huius Confeſs cap. *5.* articulo 2*3.* De perfectione noſtræ iuſtitiæ. Conſulito quoque Chriſtianè Lector D. Tiletanum in *Et fol. 207. & 210. 212.*
altera parte Apologiæ, fol. *202. 203.* vbi confutat eleganter cauillationem Kemnitij, qui ex Hieronymo ſe probaturum ſuſpicatur, quod manuū Epiſcopi impoſitio ſuper baptizatos, non aliud fuerit, quàm Catecheſis quædam, & oratio, vt legitimè baptizati, in fide recta perſeuerarent, neque aliam factam fuiſſe confirmationem, quàm per verbum, & doctrinam, poſt interrogationē, & examinationem baptizatorum, de doctrina & fide.



fide. Verùm hanc cauillationem eſſe inanem docet Tiletanus, ex ipſis Hieronymi verbis, & hui⁹ Confeſſionis harmonia, lib. *3.* cap. *5.* per *4.* artic. ex quibus liquidiſſimè conſtat, in Eccleſia baptizatis per manus Epiſcopi, dari Spiritum ſanctū, ſicuti vero & legitimo baptiſmo, non Arianico tribuitur.

Quid autem reſpondebimus ad id quod Hieronymus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, in vita fort. & addit. ad Chronica Euſebij tradit Liberium Pontificem exilij tædio victū, & Fortunatiani ſuaſionibus prouocatum, Arianæ tandem hæreſi ſubſcripſiſſe. Illuſtris & R. D. Diegu us Payua Dandrada, Luſitanus inſignis ſacræ Theologiæ Doctor, in defenſione Tridentinæ fidei Catholicæ, aduerſus deteſtabiles calumnias Martini Kemnitij, lib. *2.* fol. 1*00.* ita occurrit. Non deſunt, qui exiſtiment Hieronymum in lo-
*Lib. 4. c. 15.* cis Paleſtinæ deſertiſſimis degentem, falſis fuiſſe rumoribus deluſum, quos Sozomenus ab Arianis cenſet ſparſos fuiſſe, eò quod vel vna Romani Pontificis authoritate, certiſſimam ſibi de pietate victoriam pollicerentur. Eoq́; magis hi ſibi
*Lib. 2. c. 27.* perſuadent, Hieronymum fuiſſe deceptū, quod
*Lib. 2. c. 37.* Ruffinus affirmare non audeat, in gratiāne populi Romani, vt Socrates inquit, an quod impi-
*Lib. 2. c. 17.* am Imperatoris Conſtantij opinionem, Liberius approbaſſet, fuerit ab exilio reuocatus. Theodoritus verò author grauiſſimus confirmet, matronarum precibus Imperatoris animum flecti ſe paſſum fuiſſe, vt optimum Pontificem ab exi-
*Epiſtola ad ſolitariam vitam degentes.* lio reuocaret. Verùm cùm Athanaſius, qui præcipuam veteris illius Tragœdiæ perſonam geſſit, & in cuius cæde Conſtantij, Arianorumq́; furor bacchabatur, Liberium dicat, poſt exactum biennium, in exilio inflexum eſſe, miniſq́; mortis ad ſubſcriptionem inductum, omnem certè quæſtionem ſuſtuliſſe videtur. Nam quamuis de ſua damnatione Athanaſius agat, qui res tamen illius temporis diligenter perlegerit, intelliget, ita fuiſſe cum Athanaſij approbatione, Nicænam fidem copulatam, vt qui Athanaſium damnaret, Nicænam etiam fidem improbare videretur. Quid verò? hæreticum ne ideo Liberium pronunciabimus, aut extortam ab illo ſubſcriptionem ad hæreſim magis, quàm ſanum, fideq́; imbutum, pectus ad pietatem valere putabimus? ſi hæreſis perſuaſionem continet Catholicę veritati, palam aperteq́; contrariam, quomodo hæreticum illum dicemus, qui nullum vnquam errorem animo concepit? quomodo tantam illi contumeliam imponemus, qui ærumnis, metuq́; perturbatus, aliqua dedit tantummodò infidelitatis indicia? Quare quamuis Liberium Pontificē mobilem, infidum, iniuſtumq́ue dicamus, impium certè, atque hæreticum dicere nequaquā poſſumus. Cùm præſertim ex hac illius inconſtantia ad Nicænam fidem, ſuamq́; innocentiam confirmandam maximum ſumat Athanaſius argu-
*Epiſtola ad ſolitariam vitam degētes.* mentum. Verùm (inquit) illud ipſum quoq; (coactam Liberij ſubſcriptionem intelligit) & tyrannorum violentiam, & Liberij in hæreſin odium, & ſuum pro Athanaſio ſuffragium, cùm liberos affectus habebat, ſatis coarguit. Quæ enim per tormenta, contra priorem eius ſententiam extorta ſunt, eæ iam non metuentium, ſed ita cōgentium voluntates habendæ ſunt. Omnia quidem illi pro hæreſi ſua moliti ſunt, ſingulæ tamen Eccleſiæ fidem, quam didicerant, retinuere, ſed ita, vt & magiſtros deſiderarent, & Chriſto inimicam hæreſin coacti admitterent, quàm tamen, vt ſerpentem animis ſuis auerſabantur. Hactenus Athanaſius. De Liberio conſule Melchiorem Canum, lib. *6.* cap. *8.* fol. *415. 416.* & Alanum Copum Anglum, Dialogo *1.* fol. *51. 52.* qui Liberium Papam ab hæreſeos nota, quàm Apologetici ei inuſtam exprobant, aſſerit & vindicat doctiſſimè.

## NOTATA OMNIA, ET SINgula loca B. Hieronymi, quæ à Gratiano in prima parte Decretorum, hoc eſt, in Diſtinctionibus allegantur, quæ vice Commentariorum eſſe poterunt, in hanc Cofeſſionem Hieronymianam.

DISTINC. *9. c. vt Veterū: diſt. 12. c. illud: diſt. 25. c. primum: diſt. 26. c. vnius: diſt. 27. c. vouentibus, & c. ſi nupſerit: diſt. 29. c. neceſſe: diſt. 31. c. ſi laicus. diſt. 32. c. hoſpitiolum: diſt. 34. c. quorundam, in medio canonis: diſt. 34. c. vidua: diſt: 35. c. ab exordio, & c. luxurioſa, & c. eccleſiæ, & c. venter, & c. vinolentum ibidem: diſt. 36. c. ſi quis vult: diſt. 37. c. ſacerdotes, c. nonne, c. vino, c. legant, c. legimus, c. ſi quis, c. qui de menſa: diſt 38. c. ſi iuxta, c. eccleſiaſtica: diſt. 40. c. non eſt facilè: diſt. 41. initio ecce: diſt. 42. citatur Hieronymus in regula monacharum: diſt. 43. initio pudicus: diſt. 45. c. recedite: diſt. 49. c. ſacerdotes: diſt. 50. c. & purgabit, c. cùm exaudiero, c. Ieſus filius, c. quicunq;: diſt. 56. c. naſci, c. Dominus: diſt. 76. c. ieiunium, & c. vtinam: diſt. 86. c. Eſau, & c. qui clementiam: diſt. 92. c. cantantes: diſt. 93. c. illud ex Hieron. de 7. ord. Eccleſiæ, & c. legimus: diſt. 65. c. olim, c. ecce ego, c. eſto.*

### Obſeruati contextus Gratiani, ex ſecunda parte Decretorum, hoc eſt, ex cauſis, qui ex B. Hieronymo deſumpti ſunt, eruntq́ue Commentariorum loco in hanc Confeſſionem.

C. 1. *q. 1. c. iudices, & c. nunquam, & c. hi quoſcunq;: c. 1. q. 1 ſic populus, c. odit, c. illi, c. Marcion, c. vide ibidem, c. ſicut Chriſtus, c. maledicam, c. ô propheta, c. ſacerdotes: c. 2. q. 7. c. non omnes. c. Paulus: c. 7. q. 1. c. in apibus. c. 8. q. 1. c. Moyſes, c. qui vos. c. licet, c. ſi ergo, c. audacter, c. illud, c. qualis, c. vereor, c. 10. q. 1. c. quia ſacerdotes: c. 11. q. 3. c. audi, c. nolite recedere, & c. nihil. verſ. itē Hieronymus, & c. quomodo, c. ſi quis dixerit, c. ſi quis hominem, c. quicunque, c. exiſtimant, c. ſi Dominus: c. 12. q. 1. c. clericus, c. duo ſunt; & c. 12. q. 2. c. gloria Epiſcopi: c. 13. q. 2. c. poſtquā, & c. in præſenti: c. 14. q. 3. c. putant: c. 15. q. 5. c. nemo: c. 14. q. 6. c. fur autem: c. 15. q. 5. c. ſi quis inſaniens, & c. ſi quis non iratus, c. 16. q. 1. c. monachus, c. ſi cupis eſſe, c. alia cauſa, c. Eccleſia, c. ſic viuo, c. ſi clericatus; c. 16. q. 2. c. reuertimini: c. 17. q. 1. c. vouentibus: c. 22. q. 1. c. & iurabunt, c. & conſidera: c. 22. q. 2. c. animaduertendum, c. vtilem: c. 22. q. 5. c. quoties: c. 22. q. 3. c. ſi quis: c. 23. q. 4. c. qui ſecundum, ibidem, c. ille gladium, verſ.* Porrò illud Hieronymi: *c. 23. q. 5. c. quid ergo, c. regum officium, c. ſi apud, c. non ſolum; c. non eſt, c. qui malos, c. iudex, c. homicidas: c. 23. q. 8. c. legi: c. 24. q. 1. c. hæc eſt, c. quoniam, c. odi: c. 24. q. 3, c. qui negligunt, c. ſi quis, c. reſecandæ, c. transferunt: c, 26. q. 2. c. non ſtatim, c. ſed & illud: c. 27. q. 2. c. additur, c. quapropter, c. genuit, c. egreſſus: c. 31. q. 1. c. quomodo: c. 32. q. 1. c. ſicut non omnis, c. connubia, c. ſicuti fœmina: c. 32. q. 4. c. in eo, c. liberorum: c. 32. q. 5. c. ſi Paulus, c. præcepit* Dominus, *c. apud nos: c. 32. q. 7. c omnes: c. 33. q. 3. de pœnitentia, diſt. 1. c. omnis iniquitas, c.* & *venit, c. im-*

*portuna, c. qui ſanctus, c. ſi agamus, c. quamobrem, c. vide benignum, c. Eccleſia, c. ſuper tribus, c. ſecunda, c. quia, c. ne fortè, c. prædixerat, c. menſuram: c. 33. q. 3. de pœnitentia, diſt. 2. c. ſuper tribus, c. firmum, c. nullus, c. ſi enim. c. 33 q 3. diſt. 3. c. ſepties, c. totam, c. Achab, c. ſicut ait, c. Nahum, c. nihil Iudæ, c. 1. verſ. item opponitur, c. quærat, c. ſi quando, c. cùm ita puniatur diſt. 4. & c. hæretici: c. 33. q. 4. diſt. 7. c. ſciatis: c. 33. q. 5. diſt. 7. c. tunc ſaluabitur, c. hoc ſolũ, c. qui ſitit, c. cùm caput: c. 34. q. 1. & 2. c. nõ fiat: c. 36. q. 2. c. tria legitima.*

Excerptæ autoritates B. Hieronymi, quæ in tertia parte Decreti, hoc eſt, de Conſecratione à Gratiano inducuntur.

*De conſecratione diſt. 2. c. dupliciter, & c. de hac quidem, & c. ſinguli, c. nec Moyſes, c. accipite, c. ſacerdos: De conſecratione diſt. 4. c. eodem modo: De cõſecratione diſt. 5. c. non dico, c. ſint tibi quotidiana, c. ſint tibi ieiunia, c. nõ mediocriter, c. quicquid, c. ne tales, c. legimus, c. nunquam.*

Deprompta teſtimonia ex B. Hieronymo à Petro Lombardo, ſiue M.S. in lib. 1. quæ multum faciunt ad intelligentiam vberiorem huius Confeſſionis Hieronymianæ.

*Diſt. 6. litera C. diſt. 8. A. & B. lit. diſt. 10. F. diſt. 12. D. diſt. 25. M. diſt. 26. A. diſt. 33. A. & E. diſt. 39. D. diſt. 46. G.*

Teſtimonia, quæ ex B. Hieronymo in 2. lib. Sententiarum allegata ſunt, interpretationis loco breuiter indicata.

*Diſt. 2. E. litera. diſt. 7. B. & D. diſt. 11. A. & E. diſt. 12. B. diſt. 14. E. diſt. 15. G. diſt. 18. H. diſt. 25. D. diſt. 28. H. diſt. 33. K. L. M. N. diſt. 36. H. I. diſt. 39. C. diſt. 42. F. diſt. 43. B.*

Annotatæ authoritates, quæ in libro Sententiarum adductæ ſunt ex B. Hieronymo.

*Diſt 2. A, diſt. 5. A. diſt. 7. H. diſt. 10. E. diſt. 15. F. diſt. 36. A. diſt. 37. B. & C. diſt. 39. A.*

Quæcunque loca in 4. lib. Sententiarum ex operibus B. Hieronymi adducuntur, hic ſtrictim citata.

*Diſt. 1. C. diſt. 2. F. diſt. 4. B. diſt. 6. B. diſt. 8. D. diſt. 14. A. diſt. 15. A. diſt. 17. A. diſt. 18. D. & F. diſt. 25. A. & C. diſt. 27. G. diſt. 31. E. diſt 32. D. diſt. 33. B. diſt. 35. A. diſt. 42. I. diſt. 43. diſt. 48. E. diſt. 50. G.*

Per indicem notata loca, quæ D. Thomas, Doctor Angelicus, in 1. parte Summæ Theologicæ ex B. Hieronymi libris induxit.

*Prima parte quæſt. 19. art. 10. in 1. obiectione, eiuſq; ſolutione, q. 25, art. 4. in vera deciſione. q. 29. art. 3. in 3. obiectione, & 3 ſolutione. q. 31. in concluſione arc. 2. q. 43. artic. 1. obiectione 2. q. 61. art. 3. in 1. obiectione, & 1. ſolutione, q. 70. art. 3. in concluſione. q. 89. art. 5. in deciſione veritatis. q. 96. art. 1. in 3. obiectione. q. 113. art. 5. in deciſione veritatis, & in cõcluſione, & in reſponſione ad 3. q. 113. art. 8. in concluſione. q. 115. art. 5. in reſponſione ad 1. q. 117. artic. 1. q 117 art. 2. in reſponſione ad primum.*

Quicquid ex Hieronymo allegat D. Thomas in prima ſecundæ partis Theologicæ Summæ obſeruatum.

*Quæſt 23. art. 1. in obiectione 2. & in reſponſione ad 2. obiectionem. q. 72. art. 7. in deciſione veritatis. & in reſponſione ad 2. q. 80. art. 1. in 2. argumento. q. 99. art. 5. in concluſione ex Procemio in Marcum q. 102. art. 2. in concluſione. q. 102. art. 6. in reſponſione ad 7. q. 103. art. 4. in reſponſione ad primum & ſecundum.*

Omnes textus demonſtrati, quos ex B. Hieronymo D. Thomas adducit, in ſecunda, Secundæ partis Summæ Theologicæ.

*Quæſt. 10. art. 12, in Concluſione. q. 11. art. 1. ad primam. q. 11. art. 2. ad 3. & art. 3. in concl. & art. 4. ad 2. q. 14. in concl. q. 19. art. 12. in cõcl. q. 23. art. 1. ad 3. q. 28. art. 10. in deciſione veritatis, & art. 12. ad 3. q. 29. art. 3. ad 2. & in ſolutione ad 2, q. 33. art. 2. ad 1. & art. 3. ad 1. & in reſponſione ad 1. art. 5. in concluſione, art. 6. ad 2. art. 7. in concluſ. art. 8. ad 3. q. 36. art. 2. ad primum, q. 39. in reſponſ. ad 3. art. 1. q. 43. art 2. ad 2. & art. 4. ad 2. art. 7. ad 4. art. 8. ad 2. q. 44. ar. 6. ad 1. q. 55. art. 6. ad 2. art. 7. in deciſione veritatis. q. 77. art. 4. ad 3. q. 83, ar. 11. in concl. q. 86. art. 2. in concluſ. & in 2. argumento, q. 89. art. 2. in reſponſione ad 1. & art. 5. in 2. argumento, & ar. 6. in 1. argumento, & 1. ſolutione q. 91. in reſponſione ad 1. art. 1. & art. 2. in 2. argumento, q. 95. art. 1, in concluſ. q. 99. art. 3. ad 3 q. 101. in concluſione, q. 103. art. 1. in deciſione veritatis, q. 109. ad 3. q. 110. art. 4. ad 4. q. 124. art. 4. ad 1. & art. 5. in deciſione veritatis, q. 142. art. 2. ad 1. q. 147. art. 1. ad 2. & art. 3. in deciſione veritatis, & art. 5. ad 3. & art. 8. ad 3. q. 149. art. 3. ad 3. q. 152. art. 5. ad 2. q. 153. art. 2. ad 2. q. 153. art. 8. ad 2. q 158. art. 1. ad 1. & art. 2. ad 4. & art. 3. ad 3. q. 162. art. 4. ad 3. q. 167. art. 1. ad 3. & in concluſ. q. 171. art. 5. ad 2. & art. 6. in concluſione, q. 172. art. 3. ad 1. & ad 3. q. 174. ad 1. & in deciſione, & art. 2. ad 3. & art. 6. ad 3 q. 184. art. 3. in reſponſione ad 1. q. 183. art. 6. ad 1. art. 8. ad 4. q. 185. art. 2. ad 3. & art. in concluſione, & art 6. ad 3. & ad 2. art. 7. in 3. q. 186. art. 3. in 3. & ad 6. art. 8. ad 1. q. 187. art. 1 ad 1. & 2. & art. 2. in 3. & art. 3. in concluſione, & art. 4. in 3. & in concluſione, art. 5. in concluſione, & art. 6. in 2. & in concluſione, q. 188. art. 1. in 3. art. 2. in 2. & art. 5. in cõcluſione, & deciſione veritatis, art. 7. in 3. & in concluſione, & ad 2. & ad tertium, & ad 5. art. 8. in 3. & in concl. q. 189. art. 3. ad 1. art. 8. ad 2. art. 9. ad 2. art. 10. in concl.*

Contextus, qui ex B. Hieronymo in tertia parte Summæ Theologicæ S. Thomæ Aquinatis allegantur, hic obſeruati.

*Quæſt. 13. art. 2. ad 1. q. 15. art. 4. in concluſione, & art. 6. ad 1. art. 7. ad 1. q. 16. art. 8. in concluſione, q. 21. art. 4. ad 1. q. 25. art. 6. ad 3. q. 27. art. 5. in deciſione, q. 28. art. 1. ad 2. & art. 3. ad 1. ad 3. & ad 5. q. 29. art. 3. in 3. & in 4. & in concluſione. & art. 2. in 1. & in 2. q. 30. art. 2. in concluſione, q. 31. art. 2. ad 1. art. 3. ad 1. ad 2. ad 4. & ad 5. q. 32. art. 2. in 2. arg & in reſponſione, ad 2. q. 35. art. 6. ad 3. & art. 8. ad 1. q. 38. art. 3. ad 1. art. 6. in 4. & in reſponſione ad 4. q. 39. art. 5. ad 2. & art. 8. in concluſione. q. 40. art. 1. in Concluſione, art. 3. in deciſione veritatis, & in concluſione, & in reſponſione ad 2. q. 41. art. 4. ad 6. q. 43. ar. 3. ad 1. q. 44. art. 1. ad 4. art. 2. ad 2. & art. 3. ad 3. & ad 2. q. 45. art. 1. ad 1. art. 2. in deciſione veritatis, art. 3. ad 2. & ad 4. & art. 4. ad 4. q. 46. art. 7. in 3. arg. art. 9. ad 1. ar. 10. ad 3. art. 11. in concluſione. q. 47. art 5. in 1. arg. q. 51. ar. 2. in reſponſione ad 3. q. 53. art. 3. ad 2. q. 80. art 7. ad 2. q. 82. art. 4. ad 3. art. 5. in 1. & in reſponſione ad 1. q. 84. art. 6 in deciſione veritatis, q. 89. art. 3. in 2. arg. & ad 2. & art. 6. in 3.*

Ex tertiæ partis Supplemento.

*Quæſt. 2. art. 4. in 2. & reſponſione ad 2. q. 6. art. 3. in 1. arg. q. 13. art. 1. in deciſione veritatis, q. 15. art. 3. in 2. q. 17. ar. 2. in 1. q. 18. art. 4. in 1. q. 21. ar. 4. in 2. & ad 2. q. 40 art. 3. in 1 q. 41. art. 3. in 2. q. 48. art. 1. in 1. q. 64. art. 1. in 1. & ad 1. q. 66. art. 4. in 1. & ad 1. q. 69. art. 3. in deciſione veritatis bis: q. 72. art. 3. in veritatis deciſione: q. 77. ad 3. q. 78. art. 3. in 2. q. 88. ad 2. q. 92. art. 2. in deciſione veritatis: q. 93. art. 1. in concluſione.*

HAEC loca Hieronymiana ex tribus authoribus Scholæ vſitatiſſimis, ac familiariſſimis ideo à me diligenter collecta fuerunt, vt inſpectis fontibus, & eorũ textuum interpretibus, ad manum habeat Chriſtianus Lector, iuſta in B. Hieronymum Commentaria, ad plurima obſcura illuſtranda. Non adſcripſi fontes ipſos B. Hieronymi,



ex quibus Gratianus, D. Thomas, vel Petrus Lombardus iſta deprompſerunt, eo quod ſequutus ſim textus emendatiſſimos, & recentiſſimos, in quibus ipſi fontes aſſignati extant.

Obſeruandum Gratianum in tribus partib[9] Decretorum pene ducenta: M.S. in 4. libris 62. D. Thomam in tribus partibus Summæ Theologicæ ducẽta & 6. loca, B. Hieronymi illuſtraſſe atque illuminaſſe.

## DISPVTATIO DE HAC quæſtione, An B. Hieronymus fuerit Presbyter Cardinalis Romanus.

CONSTANTER pernegant aduerſarij, vſquam ante tempora B. Hieron. auditum fuiſſe nomen Cardinaliũ. Verùm hanc falſam opinionem funditus euertere mihi tam facile eſt, & in promptu, quàm quod facillimum. Nam tempore Hieron. fuiſſe Cardinales docet Volaterranus li. 22. Anthropologiæ. Inuenio (ait) in antiquis tabulis, apud Eccleſiam Aretinam Donationis cuiuſdam Zenobij Senatoris Romani, eidẽ Eccleſiæ, vſq; à tempore Damaſi Pont. factæ, vbi eſt huiuſmodi ſubſcriptio. Et ego Io. S. R. E. Diaconus Cardinalis ex parte Damaſi Pont. laudo & confirmo. Non mirũ itaque quod Damaſus Pont. B. Hieron. S. R. E. Presbyterum Cardinalem (vtpote cui ab epiſtolis erat Eccleſiaſticis) tam paterno affectu fuerit proſequutus. Fateor quod non magnis reditibus abũdabat, neq; Eccleſiam immoderatis ſumptibus onerabat, ſed, quod ad ſplendorẽ, & maieſtatem huius ampliſſimi ordinis facit maximè, tã profundæ fuit eruditionis, vt cum eo ex hoc ordine nemo vnquam fuerit comparandus. Falluntur autem quotquot ſcriptis mandarunt, nomen & dignitatẽ Cardinalitiam fuiſſe conditam à Benedicto 8. ſub ann. 1033. Nã & D. Gregorius Cardinalem Sacerdotem cõmemorat, qui & Epiſcopus eſſe non deſinit, li. 2 epiſt. 52. & 25. huic dans & vſum pallij, li. 7. epiſt. 5. Inſignia Cardinaliũ eſſe recentiora, & circa ann. Domini 1033 illis addita, & deinde circa ann. 1250. ab Innocentio 4. amplificata, non inuitus conceſſero, ſed Cardinalium nomen veteribus fuiſſe planè ante ætatẽ Benedicti 8. incognitum planè pernego. In publico officio, quod Eccleſia de S. Hieron. ſolenniter celebrat, bis S. Hieron. Cardinalis fuiſſe perhibetur. Nec mirum profectò. Nam ſi, vt ipſe locuples ſatis teſtis eſt, in Apologia contra Ruffinum, totius vrbis ſtudia in ipſum conſonabant, & omnium pene iudicio, dignus ſummo Sacerdotio decernebatur, quid abſurdi cõtinet, ſi Cardinalem, quæ dignitas à Pontificia ſecũda & proxima eſt, fuiſſe aſſeramus. Neq; ſanè arrogantiæ vitio id aſſcribendum eſt, quod ipſemet ſe faſtigio, & culmine Pontificię Maieſtatis dignum fuiſſe ob ſanctitatem, humilitatem, & diſertitudinem profitetur. Nam veritatis hanc vocem Ruffini, inuidi ſycophantæ, & æmuli ſanctiſſimi viri malitia, & improbitas, ab inuito tanquam teſtimonium integritatis extorſerat. Audiamus quæſo magnum, & perdiligentẽ antiquitatis inueſtigatorem Carolum Molinæum, bonum Iureconſultum, malum Chriſtianũ, ſi ſola ſine ratione, vel teſtibus eius valeret authoritas. Notandum obiter (ait) de Cardinalium origine non fuiſſe inuentum vnius ſolius Papæ: ſed ſymmiſtarum quoq; ſuorum, videlicet parochorũ Romæ (quos vulgò curatos vocant) nõ totius Diœceſis Romanæ, ſed ſolius vrbis, & ſuburbiorum. cùm enim hi eſſent Papę (vtpote proprio Epiſcopo) non minus aſſidui, quàm in eadem vrbe vicini, videntes fauore iudicioq; Imperatorũ, Officialium, & ſubiectorum Imperialium, plus ſuo Epiſcopo, quàm reliquis Epiſcopis prouincialibus tribui (vtpote in loco, quod eſſet caput imperij ſedenti) cœperunt & ipſi cum ſuo Epiſcopo, & eius Archipresbyteris, & Diaconis, hunc mundanum fauorem pro iure arreptũ, quacunque occaſione augere, propriumq́ue & Papæ velut commune negotium collatis operis vrgere: atq; ſe tanquã aſſiduos, familiares, conſiliarios, & laterabiles Papæ è numero reliquorum parochorum in altiorem ordinem, nonnunquã prærogatæ dignitatis collegiũ erigere, nouo & ſplẽdido in id confecto vocabulo ſeſe Cardinales appellarunt. hæc Molinæus. Ioann. Caluinus li. 4. c. 7. verſ. 30. non Inſtitutionum, ſed Deſtructionum Chriſtianę fidei, originem Cardinaliũ, ad tempora Gregorij 1. tantũ extendit, nihilq́; Cardinales ab Epiſcopis differre exiſtimat, imò Epiſcopis fuiſſe longè inferiores, nihilq́; præter fucum, & inanem laruam retinere Card. noſtros, mentitur.

Remundus Rufus Iurium Doctor diſertiſſimus, & in ſupremo Pariſiorum Senatu aduocatus, in doctiſſima ſua defenſione pro Pon. Max. Cardin. Epiſc. totoq́; ordine ſacro in Molinæũ grauiſſimè, ſolidiſſimeq́; Caroli Molinæi calũniam refellit, & tria capita Cardinalium mun[9], originem nominis, & inſignia diligenter explicat, cuius grauiſſimi Scriptoris, ſubiecta verba ſic habent. Munus quidẽ ipſum ortu ſuo æquale eſt presbyterio, & diaconatui, quod intelleximus iamdudum ex Ignatio, qui vixit Apoſt. tẽporibus, in epiſtol. ad Trallianos. Quid eſt, inquit, presbyterium, niſi inſtitutio ſancta conſiliarij & Confeſſoris Epiſcopi? quid Diaconi, niſi imitatores Chriſti miniſtrantes Epiſcopo? Iſtud autem eſt munus Cardin. quod nemo negarit, & Molinęus nunc fatetur. Quare Hieron. ad Ruſticum cœtum presbyterorum Senatũ appellat, apud Gratianum diſt. 16. q. 1. Senatum inquit, Romani habebant, cuius cõcilio cuncta agebant: & nos habemus Senatum noſtrũ, cœtum presbyterorum. antea oſtendimus presbyteros, vt iuuarent Epiſcopos inſtitutos. Itaq; Concilium Carthaginenſe 4. Can. 25. quod eſt in Gratiani diſt. 95. tranſcriptum. Epiſcopus, inquit, in Eccleſia, in conceſſu presbyterorum ſublimior ſedeat, intra domum verò collegam presbyterorum ſe eſſe cognoſcat. Et hæc quidem de munere. de nomine verò iſta comperta habemus, ex Auguſt. li. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas, c. 6. vbi Auguſt. Cardinales Donatiſtarum vocat grandioris partis presbyteros, quæ pars Carthagine erat, eiuſq́; Epiſcopus ille Primianus. Carthaginenſem enim ſæpenumerò intelleximus Afrorum Primatum, Primatem eſſe, vt vulgò dici ſolet. Ex Auguſt. igitur diſcimus, Cardinales presbyteros, vel Diaconos, non omnium quidem Epiſcoporum, ſed primæ & maioris ſedis. diſtinguebantur ergo magnitudine Epiſcoporum ſuorum, presbyteri iſti, ab alijs aliorum Epiſcoporum. genere quidem omnes presbyteri, conſilia-

conſiliarij,& confeſſores, Epiſcopi & commune iſtud munus omnium : at non omnes Cardinales,vt nec omnes maiores Epiſcopi. Cardinalis enim nil niſi presbyter erit vel Diaconus primarum ſedium præſertim primates primatum Et ante Auguſtinum nomen iſtud fuiſſe ex Cõcilio Romano à Syluestro circiter annum 325. habito intelligitur ca.6. Diaconi (ait) Cardinales vrbis Romæ ſint ſeptem. Non eſt itaq; nouũ & recens Cardinalium vocabulũ vt iam M.C. ætatem ab Auguſtino qui illa ſcripſit, ſuperet, & à Syluestro M C C. Nec tum primum inditũ probabile eſt. Plura de etymologia & vi nominis atque Cardinaliũ inſignibus accuratiſſima & erudítiſſima apud eundem Remundum Ruſum reperies quæ breuitati conſulens prætergo. Paulus Borgaſus Feltrenſis Epiſcopus Nemoſiẽſis Gubernator generalis,ac prolegatus in Thuſcia I.V.C.acutiſsimus in Tractatu de Irregularitatibus & impedimentis Ordinum, Officiorũ & Beneficiorũ Eccleſiaſticorum,Parte ſexta de origine prima Cardinalium prolixè varias,diuerſorum commemorat opiniones vbi primũ ortum Cardinalium refert ad tempora Pontiani Papæ,qui floruit Anno Chriſti 237. & fuit 19. Papa poſt Petrum, vel ad Marcelli Papæ ætatem qui fuit 31. Papa poſt Petrum,& vixit anno Domini 294. Summus hic Canoniſta doctiſsimuſque Epiſcopus in eodẽ loco non veretur B. Hieronymum bis Carnidinalem presbyterum appellare. His Remũdi Rufi & Pauli Borgaſi verbis diligenter inſpectis attenteque conſideratis non modo Caroli Molinæi,ſed & Ioannis Caluini atque Polidori Vergilij commentum in fumos euaneſcit. Polydorus Vergilius de Inuentione rerum lib. 4.cap.9. ad Euariſtum ſeu Euchariſtum natione græcum à patre Bethlehemita Bethlehemiten cognominatum qui floruit Anno Chriſti 112. primam Cardinalium originem refert. Is enim Pontifex primus omnium titulos ipſis presbyteris diuiſit, ſeptemque diaconos inſtituit imitatione Apoſtolorum. Hunc Dionyſius circiter annũ ſalutis 267. & Marcellus circa annum redemptionis noſtræ 294. Pontifices ſequuti titulos dilatarunt atque amplifirunt vt Damaſus & Platina teſtificantur, à quib. Guido Archidiaconus in Commentarijs in ſextum iuris Pontificij librnm & Franciſcus Zabarellus Cardinalis ex teſtimonio Martini Ciſtertienſis hiſtorici non diſcrepant.

Hæc quidẽ veritati conſentaneè nec ineptè ab eo prodita arbitror. ſed in ſequentibus priora manifeſtè oppugnare & ſibijpſi contradicere videtur. Quam enim ineptũ & falſum ſit illud quod in ſubſequentibus affirmat, per id tempus quo Hieronymus vixit, ne nomen quidem tam ſublime Cardinalis fuiſſe auditum cuius oppoſitum ante ex Volaterrano, Auguſtino Cõcilio Romano ſub Syluestro clariſſimè eſt demõſtratum. Quam planè hæreticum quod in eodẽ capite aſſerit Bonifacium tertium ab Imperatore Phoca impetraſſe, vt in omnes epiſcopos prærogatiuam haberet, omniumq; caput perpetuo foret quaſi vero non iure diuino Pontificis authoritate & mandato Chriſti ſemper in omnes & ſuper omnes alios Epiſcopos habuerint eminentẽ poteſtatem, quod à noſtris euidentiſsime eſt cõprobatum. Quid referret ſi maximè vocabulũ Cardinalis eo tempore in vſu non fuiſſet cum Romanæ Eccleſiæ Conſiliarij & Papæ Coadiutores in executione Pontificialis officij ſemper extiterint. Quid litigamus per inanem λογομαχίαν de verborũ apicibus cum de re ipſa liquidiſſime conſtet. Sane in generali Concilio ſub Syluestro iam conſtat fuiſſe Cardinales vt eſt textus in ca. prçſul 2.q.4.& in c.a ſubdiacono, diſt. 93. Cum autem Damaſus Pontifex in omnibus cauſis & grauiſsimis negotijs Eccleſiaſticis decidendis, epiſtoliſq; ſacris ſcribendis adeoq; ipſis Scripturis explicandis conſilio, & opera B. Hieronymi aſſiduò ſit vſus, quis dubitabit B. Hieronymum catalogo Cardinalium aſſcribere. Quod autem pictores inſignia Cardinaliũ, quæ poſterioribus temporibus ab Innocentio Quarto, circiter Annum 1550. inuenta ſunt, & à Polydoro Vergilio, omnium autem eruditiſſimè à Remundo Rufo ex Lazaro Bayſio explicantur, D. Hieronymo attribuerunt, atque impertiti ſunt. quibus etiam nunc eius imago paſſim in Sacris ędibus ornata viſitur, id eorum imperitiæ, licentiæ, & libertati nimiæ aſſcribendum eſt, pictoribus enim fictoribus, atq; Poetis quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas. Pictores quoque imperiti, ſe præſenti potius tempori,& habitui, atque moribus, quàm præteritis, vel antiquis accommodare,& ex vſitatis hodiernis Cardinalium inſignibus vetuſtum habitum per errorem æſtimare ſolent.

CON.

# CONFESSIONIS HIERONYMIANÆ TOMVS PRIMVS, TREDECIM CAPITA COMPLECTENS.

## *Caput primum de Deo.*

### 1 *Deum eſſe ne paganis quidem fuiſſe incognitum.*

IN Hebraico: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populi tui, & domus patris tui : & concupiſcet rex decorem tuum : quia ipſe eſt Dominus tuus,& adora eum, Hucuſq; per Prophetæ linguam, quam calamo ſcribenti velociter comparat, loquitur Spiritus ſanctus, ipſum regem & bellatorem, & Deum, ſponſumque compellans. Hinc perſona patris inducitur loquentis ad ſponſam filij ſui, & cohortantis eã, vt veteris gentilitatis & idololatrię errore contempto, primum ijs, quæ dicantur attendat, & propter quod de alienigena filia nominetur: deinde videat vel ipſa, quæ dicuntur, vel vniuerſam conditionem, ex viſibilibus intelligens inuiſibilia,& ex creaturis ſentiens creatorem: & diligenter inclinet aurẽ ſuam, vt quæ dicuntur, memoriter teneat. *Tom. 3. Epiſto: 140 ad Principiam.*

*Iuſtinus Martyr to.3. lib. quæſtio. quæſtio. 6.*

*Rom. 1.*

Acceperat prodigus filius à patre facultates vt inuiſibilia eius per ea, quæ erant viſibilia cognoſceret, & ex pulchritudine creaturarũ conſequenter intelligeret creatorem. Qui veritatem in iniuſtitia detinens,& pro Deo idola colens, naturæ bona vniuerſa conſumpſit, & conſumptis omnibus, cœpit, egere virtutibus, derelicto fonte virtutum. *Tom. 3. Epiſto. 146. ad Damaſum.*

Ab initio conſiderate mundi, quod præter me nullus ſit Deus, nec alius potuerit ſcire ventura, niſi ego qui per prophetas nuncio quæ facturus ſum: vt cum prædicta compleuero, diuinatione probem diuinitatem. Ego enim myſterium quod retrò cunctis generationibus fuerat ignoratum, imo conſilium meum ſtatutum eſſe nunc dico, vt cùm illud videritis effectum, nullum ſciatis Deum, niſi eum qui hæc futura cognouit, imo præcepit fieri. Ego ſum qui ab Oriente voco auem, vt putant Hebræi, Cyrum regem Perſarum ſiue Darium Medorum principem: & de terra longinqua virum voluntatis meæ: qui expleat omnem voluntatem meam contra Babylonem, atq; Chaldæos: Siue, vt nos verum eſſe conuincimus, Dominum ſaluatorẽ. De quo & Balaam vaticinatur: Orietur ſtella ex Iacob, & Homo ex Iſrael: cuius nomen eſt Oriens: quem adorauerunt Magi de Oriente venientes. *Tom. 4. lib. 13. Com. in cap. 46. Eſaiæ.*

*Diuinatione probatur diuinitas.*

*Nume. 24.*

Qvamcvnqve creaturam aſpexerimus, fulgurat Dei notitiam, dum ex creaturis creator agnoſcitur. De medioq; animantium ſplendor ignis,& fulgur egredietur, Si enim Euangelia ſibi colliſeris, in medio litteræ viliſque hiſtoriæ ſpiritus ſancti ſacramenta reperies. *To. 4. lib. 1. Co. in Cap. 1. Ezechielis.*

*Deus naturâ cognoſcitur ex operibus, doctrina ex prædicationibus. Tertullianus lib. 1. contra Marcionem.*

Ipsvm eſt animal quod videram iuxta fluuium Chobar, etc.] Omnia viuunt Deo,& ſuũ ſentiunt creatorem. Non eſt enim Deus mortuorum, ſed viuentium. Vnde & omnia corpora rotarum plena ſunt oculis. Et in Pſalmo dicitur: Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Dies diei eructat verbũ,& nox nocti indicat ſcientiam. Sol quoque & luna, mare & flumina, montes & colles, laudant Deum,& in ſuum circulum, per annos ſingulos elementa voluuntur : cælorumque rationem in terris deprehendimus : vt antiquæ legis ordinem conſeruantes, voluantur & currant,& nihil nouum cernamus ſuper terram. *Tom. 4. lib. 3. Com. in Cap. 10. Ezechielis.*

*Matthæ. 22.*

*Pſal. 18.*

*Eccleſ. 1.*

Et fecit frontes per ſexaginta cubitos &c.] Et ante frontes, inquit, porticuum, pictura ſiue cœlatura palmarum: per quæ oſtenditur in introitu portæ, ſtatimque ingredientibus murum, ſexaginta occurrere cubita cum varijs ornamentis: quæ referuntur ad conditionem mundi, vt ex creaturis creator intelligatur, & omnia ordine & ratione currentia oſtendant mundi varietatẽ: qui apud Græcos κόσμος ab ornatu nomẽ accipit,& in ſex diebus factus eſt vt per ſingulos dies decades ſingulæ ſupputentur, quem perſectum numerum ſupra diximus. Poſt hæc ingredientibus nobis atrium interius occurrunt ante ipſum veſtibulum portæ interioris thalami cũ obliquis feneſtris, quinquaginta cubitorum tenentes ſpatium: qui & ipſe ſacratus eſt numerus Et poſt ſeptem hebdomadas plenas feſtiuitatis & gaudij. Ogdoadis prima incipit dies, quæ eſt reſurrectionis,& introducit nos ad viciniam tẽpli. Cum enim omnia fecerimus, agentes prioris erroris pœnitentiam, tunc vicini & proximi efficimur Deo: vt in exteriori atrio, notitiam creatoris creaturarum ordo nos doceat atq; conſtantia: & in interiori, verus iubileus, in quo omnia nobis debita dimittuntur, inſtruat θεολογίαν & introducat ad ſancta ſanctorum. *Tom. 4. li. 12. Com. in cap. 40. Ezechielis.*

*Plin lib. 2.*

*Ordo creaturarum et cõſtantia docet notitiam creatoris.*

Et introduxit me &c.] Et ex vtraq; parte latitudo tabernaculi ſenum cubitorum erat ſacramentum creaturarum omnium continens. In ſex enim diebus, mundus eſt conſummatus Per quorum notitiam cauſaſque conditionis atque rationem, intramus ad templum Dei & ex creaturarum ordine atque conſtantia cognoſcimus creatorem. *Tom. 4. lib. 12. Com. in cap. 41. Ezech.*

COGNOVI quia omnia quæ fecit Deus, ipſa erunt, &c.] Idcirco Deus certa ratione cuncta moderatus eſt, & iuſsit humanis vſibus elementa ſeruire: vt homines hæc videntes, intelligant eſſe prouidentiam, & timeant à facie Dei, dum ex rerum æqualitate, curſu, ordine atque conſtantia, intelligunt creatorem. Inuiſibilia enim Dei per ea quę facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas, *Tom. 5. Com. in cap. 3. Eccleſiaſtis.*

*Rom. 1. c.*

IMPERAVIT ventis & mari, &c.] Ex hoc loco intelligimus, quod omnes creaturæ ſentiant creatorem. Quas enim increpauit, & quibus imperauit, ſentiunt imperantem, non errore hęreticorum, qui omnia putant animantia, ſed maieſtate conditoris, quæ apud nos inſenſibilia, illis ſenſibilia ſunt, *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 8. Matth.*

*Hæretici quidam putarūt omnes creaturas eſſe animātia.*

ABIIT autem qui quinque talenta, &c.] Acceptis terrenis ſenſibus cæleſtium ſibi notitiam duplicauit: ex creaturis intelligēs creatorem, ex corporalibus incorporalia, ex viſibilibus inuiſibilia, ex breuibus æterna. *Tom. 6. lib. 4. Commen. in cap. 25. Matthæi.*

IN omni ſapientia & prudentia] Sapientiam & prudentiam eſſe diuerſas, Stoici quoque opinantur, dicētes: Sapientia eſt rerum diuinarum humanarumque cognitio: Prudentia verò tantum mortalium. Iuxta hanc diuiſionem poſſumus ſapientiam inuiſibilium & viſibilium accipere, prudētiam verò tantum viſibiliū. Quæritur itaque quomodo nobis Deus in omni ſapientia & prudentia notum fecerit myſteriū voluntatis ſuę. Et quidem primum ſimpliciter accipiendum, quod myſterium volūtatis eius, redemptio noſtra ſit per ſanguinem filij ipſius, & miſsio peccatorū, ſecūdum diuitias gratiæ eius, quæ abūdauit in nobis: Quod ſcilicet nos in paſſione Domini credentes (quæ eſt ſtultitia non credentibus) ſapientiam poſsideamus atq; prudentiam. Clemens lib. 8. Recognitionum. Iuſtinus in oratione contra gentiles. & lib. quæſtion. quæſtione 6. Clemens Alexandrinus lib. 2. Pæda. cap. 3. Deinde quod per ſcripturas ſuas nobis nota fecerit vniuerſa myſteria: quomodo primum cælum & terram machinatus ſit, & omnia quæ intra ea ſunt fecerit, ordinarit atque diſtinxerit, vt plaſmatus homo, & vſq; ad paſsionem Chriſti mundus impletus ſit, quomodo ex viſibilibus ea quę ſunt inuiſibilia cognoſcantur, ad extremum ꝙ etiā ea, quę in terra ſunt, ſapientia indigeant atque prudentia. Quotus enim quiſq; noſtrū ſcit quid ſit illud quod aues in aera ſuſpendat, piſces in fluctibus non necet, hominum greſſus promoueat, & rabiē incitet beſtiarum. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 1. ad Epheſ.*

SVNT enim multi & non ſubditi, &c.] Qui Eccleſiæ futurus eſt princeps, habeat eloquentiā cum vitæ integritate ſociatam, ne opera abſque ſermone ſint tacita, & dicta factis deficientibus erubeſcant, maximè cùm ſint non pauci, ſed plures: nec ſubditi ſed proterui, qui non curent illud Pſalmiſtæ dicere: nonne ſubiecta eſt Deo anima mea? Sed bonarum mētium ſementem, quæ naturaliter habet notitiam Dei, inani perſuaſione peruertant. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 1. ad Titum.*

*Pſalm. 61. Dei notitia naturalis & hominibus congenita.*

STVLTAS autem quæſtiones, &c.] Plurima exempla ſunt quærentium non rectè Deum. Iudæi prauè quærunt Deum, ſperantes ſe eum inuenire poſſe ſine Chriſto. Hęretici vano ſermonum ſtrepitu concrepantes quærunt quem inuenire non poſſunt. Philoſophi quoque & Barbari de Deo varia ſentientes, quæſierūt Deum: ſed quia non rectè quæſierunt, fuerunt eorum fatuæ quæſtiones, putantium Deum humanis ſenſibus poſſe comprehendi. Ab his igitur Paulus nos reuocat quæſtionibus. Cæterum ad ſapientes, & quæ ſcripturarum authoritate ſunt fultę, magis cohortatur & prouocat præceptorū nō neſcius Saluatoris, in quib. ait. Quærite & inuenietis: pulſate & aperietur vobis: petite & dabitur vobis: Omnis enim qui quærit, inueniet, & qui petit, accipiet: & qui pulſat, aperietur ei, modo non ſit corpus noſtrum ſubditum peccatis, & ingredietur in nos ſapientia. Exerceatur ſenſus, mens quotidie diuina lectione paſcatur, & quæſtiones ſtultæ non erunt quæſtiones. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 3. ad Titum.*

*Triplex genus hominū non rectè quærentium et cognoſcentium Deum.*

*Quartū verum genus Chriſtianorū quærentium et cognoſcentium Deum ex ſcripturis Luc. 11. c.*

MVLTIPLICATAE ſunt infirmitates eorum, &c.] Gentes de quibus nunc Eccleſiam cōgrego, antequam idola eorum multiplicarētur, Deum naturaliter nouerāt. Sed poſtquam multiplicata ſunt idola, quod 70. infirmitates interpretati ſunt: relinquentes ea, ad me celerrimè ſunt reuerſi. *Tom. 7. in Pſalm. 15.*

ETENIM correxit orbē] Nullæ gentes ſunt, quæ naturaliter non intelligant creatorē ſuum. Licet enim lapides & ligna venerentur: tamen intelligūt aliquid maius eſſe quam ipſi ſunt, & in errore ſuo indicāt ſe habere ſapientiam, hoc eſt, nulla gens eſt, quæ naturaliter nō intelligat Deum. Denique gentiles idola colunt, hoc eſt, lapides & ligna venerantur: & ſi fortè rixam fecerint, & ſi iuramentum aliquod inter illos venerit, non dicunt lapides iſti vident, ligna vident: ſed Deus videt, & Deus audit. *Tom. 7. in Pſal. 95. Plura in eandem ſententiam vide. Tom. 7. Com. in Pſal. 18. Et in Pſal. 91.*

*Gentiles naturaliter cognoſcunt Deum.*

## II. *Deum eſſe incorporeum.*

HIC eſt filius amantiſsimus, in quo ſibi cōplacuit anima Dei, non quod Deus animā habeat: ſed quod in anima omnis Dei monſtretur affectus. Et non mirum, ſi in Deo anima nominetur; cum vniuerſa humani corporis membra, ſecundum leges tropologiæ, & diuerſas intelligentias habere dicatur. *Tom. 3. epiſt. 151. ad Algaſiam, quæſt. 2.*

*Vniuerſa humani corporis membra tropologicè habet Deus.*

AVDITE me domus Iacob, &c] Docet filios Iſrael inſtar puerorum atque lactentium, ita à Deo quaſi matris vtero, & vulua prægnantis ex Aegypto eſſe portatos. Nō quo ineffabilis Dei, incomprehenſibiliſq; maieſtas, aut vterum habeat, aut vuluam, pedeſque & manus, & cætera corporis membra. Sed quo nos affectum Dei per noſtra verba diſcamus. *Tom. 4. lib. 13. Com. in cap. 46. Eſaiæ.*

*Affectum Dei per noſtra verba diſcimus.*

ET quomodo deſcendit imber, &c.] Iuxta Anagogen duplex intelligentia eſt, quod verbum Domini vel ille ſit, de quo ſcriptum eſt: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Qui non reuertetur ad eum vacuus, niſi patris fecerit voluntatē: & vniuerſa cōpleuerit, propter quæ fuerat corporatus:

*Ioann. 1.*



poratus: & mundum reconciliauerit Deo. Qui de ore procedere dicitur, & de vtero ac vulua: non quod Deus hæc membra habeat, ſed quod nos naturam Domini per noſtra verba diſcamus. *Tomo quarto libro 15. Commenta in cap. 55. Eſaiæ.*

IVSTVS eſt Dominus: quia os etc.] Hoc eſt, iuſtum iudicem, & natura clementem, meis prauis meritis compuli duram contra me ferre ſententiam. Membra hominis, ſicut & affectus humani, tropicè Deo adſcribuntur, non propriè: q incircumſcriptum lumen, & immenſa maieſtas, liniamentis corporis circumſcribi non nouit. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 1. lamenta. Hiere.*

INTELLIGITE, qui inſipientes etc.] Qui figulus eſt, ignorat vas ſuum? Qui alium facit audire, ergò ipſe non audiet? Qui mihi dedit oculos, ergò ipſe non videt? Qui author eſt intelligentiæ meæ, ipſe non intelliget? Iſte locus aduerſus eos maximè facit qui Anthropomorphitæ ſunt, qui dicūnt Deum habere membra, quæ etiam nos habemus. Verbi cauſa: Dicatur Deus habere oculos: oculi Domini reſpiciūt omnia, manus Dei facit omnia: Et audiuit, inquit, Adam ſonum pedum Domini deambulantis in paradiſo. Hæc ſimpliciter audiunt, & humanas imbecillitates ad Dei magnificentiam referunt. Ego autem dico, quod Deus totus oculus eſt, totus manus eſt, totus pes eſt, Totus oculus eſt: quia omnia videt. Totus manus eſt: quia omnia operatur. Totus pes eſt: quia vbique eſt. Ergò videte quid dicat: Qui plantauit aurem non audiet? Non dixit: qui plantauit aurem, ergò ipſe aurem non habet. non dixit ergò ipſe oculos non habet. Sed quid dixit? Qui plantauit aurem, non audiet? & qui finxit oculos non conſyderat? Membra tulit, efficientias dedit. *7. Tom. in Pſal. 93.*

*Contra Audeanos ſiue Anthropomorphitas Epiphanius hæreſi 70. et Athanaſius in oratione aduerſus Arrianos. Gene 3.*

RECORDARE, quęſo illius diei, quando ad horam ſeptimam inuitatus populus ſpe ſola, quaſi poſtea auditurus Epiphanium eſſet detinebatur, quid tunc concionatus ſis, nempe contra Anthropomorphitas, qui ſimplicitate ruſtica Deum habere membra, quæ in diuinis libris ſcripta ſunt, arbitrantur, furens & indignans loquebaris. *Tom. 2. epiſto. 61 ad Pammachium in cap. 4. contra Anthropomorphitas.*

## III. *Quid ſit Deus, ineffabile nobis eſſe, & incomprehenſibile.*

NOVVM, τετραγράμματον, quod ἀνεκφώνητον, id eſt, ineffabile putauerunt, quod his litteris ſcribitur iod. י he ה. vau ו. he ה, quod quidam non intelligentes propter elementorū ſimilitudinem, cum in Græcis libris repererint pipi legere conſueuerunt. *Tom. 3. epiſto. 136. ad Marcellam.*

*Quod reuerentia plenū ſit & quod Deo magis conueniat ita appellarunt.*

DOMINV'S ipſe hic quatuor litterarum eſt, quod propriè in Deo ponitur iod י he ה iod י he ה, id eſt duabus ia, quæ duplicata ineffabile illud & glorioſum Dei nomen efficiunt. *Tom. 3. epiſto. 142. ad Damaſum.*

*De deo, ait Dionyſius magis dicere poſſumus, quid non ſit, quā quid ſit. affirmando autem à ſubſtantia accommodatiſsimè Deum denominamus*

REGEM Dominum Sabaoth ego vidi. Aiunt Iudæi, Eſaiam à maioribus ſuis idcirco interemptum, quia cum Moyſes poſteriora Dei viderit, hic Dominum Sabaoth oculis carnalibus vidiſſe ſe ſcribat: ſuper hoc Deo dicente: Nemo faciem meam videbit & viuet: cum facie ad faciem ſe ad Moyſen locutum eſſe fateatur: reſpondebunt vtique: iuxta poſsibilitatem humanam Deum viſum, non vt eſt, ſed vt voluit ſe videri, quibus & nos dicimus, eodem modo ab Eſaia eſſe viſum, reſtante ſumma: vt Moyſes Deum aut viderit, aut non viderit, ſi vidit, vidit ergò & Eſaias: qui vidiſſe ſe dicens impiè eſt interfectus à vobis: quia Deus videri poteſt: ſi nō vidit, interficite & Moyſen cum Eſaia, quia eiuſdem mendacij reus eſt, dicens ſe vidiſſe eum qui videri non poteſt. Quæcunque in expoſitione eius loci ſuper Moyſen habuerint intellectum, etiam nos ad Eſaiæ temperabimus viſionem. *Tom. 3. epiſto. 142. ad Damaſum.*

*deum τὸν ὄντα. I. eum qui ſit. Exodi 3. c. Num. 33.*

*Conſulatur Petrus Galatinus de arcanis myſterijs Catholicæ veritatis.*

QVOD ait, in manu habebat carbonem: manum intelligamus operationem: vt ibi. In manu linguæ, mors & vita: & Pſalmo: Cadent in manu gladij. Aut certè verè manus apparuit, vt per ſimilitudinem humanę formæ, dum manus cernitur porrigentes propheta nō timeat: iuxta quod & ipſum Deum, & angelos in humanas vidimus ſe mutaſſe formas, vt metus videntibus demeretur. *Tomo tertio epiſtola 143. ad Damaſum.*

*Pſal. 18. Deus & angeli in humanas formas ſe mutant vt metus videntibus demattur. Pſal. 62.*

ET factus eſt ſermo Domini &c.] Quod ſæpè in propheta Ezechiele dicitur Adonai dominus propter Græcos & & Latinos, qui Hebrææ linguæ non habent ſcientiam, breuiter exponendum videtur. Adonai vnum nomen eſt de decem vocabulis Dei, & ſignificat Dominum: quo ſæpe & in hominibus vtimur. Denique & Sara vocans Abraham Dominum ſuum, hoc vocabat nomine. Et vbi dicitur: Domine rex: Adonai ſcriptum eſt. Quando igitur duo, domini & domini iuncta ſunt nomina: prius nomen commune eſt, ſecundum propriè Dei, quod appellatur ἄρρητον, id eſt, ineffabile, & quod ſcriptum fuit in lamina aurea, quæ erat in fronte pontificis. *Tomo quarto libro ſecundo Com. in cap. 6. Ezechielis.*

*Gen. 18.*

*Dei nomen ἄρρητον. ineffabile.*

ET coronam decoris in capite tuo &c.] Volumus ſcire, quæ ſit corona decoris in capite Hieruſalem? reuoluamus Exodum, in quo ſcriptum eſt: Et fecit laminam auream, & ſcripſit in ea literas deformatas ſigillo ſanctificationis Domini: & poſuit ſuper caput Aarō. Signum dominicę ſanctificationis nomē eſt omnipotentis Dei ꝙ quatuor literis Hebraicis ſcribitur, & apud eos vocatur ineffabile, dū nomen eius non poteſt dici. Cuius maieſtatem etiam gentilitas non ignorat, & Athenienſium teſtatur ara, ignoto Deo. Vnde & Apoſtolus: Quem vos, inquit ignotum colitis hunc nos annunciamus vobis. iſtam puto coronam eſſe, de qua & Pſalmiſta dicit: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui domine. Et Apoſtolus loquebatur: Curſum conſummaui, fidem ſeruaui, de cætero repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi iuſtus iudex. Et in alio loco ad credentes: Gaudium meum & corona mea. Gloria enim patrum filij. Et in Salomone ſcribitur: Corona glorię ſenectus, eorum videlicet, qui deſtruxerunt ea quæ paruulorum ſunt, & poſt ætatem perfecti viri venerunt ad ſenectutem, & ad patrum nomina. *Tom. 4. lib. 4. Com. in cap. 16. Ezechie.*

*Exod. 39.*

*Exiſtimant quidam à nomine Iehouæ Hebraico ſuperſtitioſam Græciā Iouis nomen deduxiſſe: Iehoua enim vox Ioui ſimilis. Actor 17. Pſalmo. 4.*

*2. Timot. 4.*

*Philip. 4.*

*Prouerb. 17.*

ET factus eſt ſermo Domini &c. Vbicunque iuxta 70. ſecundò ponitur, Dominus dominus; primum nomen tetragrammaton eſt: quod propriè ad Deum pertinet, & ineffabile dicitur: ſecundum commune, quod ſæpè in hominibus inuenitur. *Tomo quarto libro Commentariorum in caput 28. Ezechielis. ( Quod apud tres præcipuas nationes quatuor literis Dei nomen ſcribatur ex eo deſcendit myſterio, vt in titulo crucis per eas totus orbis Chriſtum pro Deo vero agnoſceret: totidem enim in eo fuerunt dictiones quot in Dei nomine ſunt literæ. nam quem Hebræi vocant* יהוה*, græcis* θεὸσ*, latinis Deus nominatur, vt per has tres linguas, tres earum populos, tam in crucis titulo, quam in Dei nomine deſcribendo, præcipuè ſibi Chriſtus ſacrarit.)*

ET nemo nouit filium niſi pater: neque &c.] Erubeſcat Eunomius tantam ſibi notitiam patris & filij, quantam alterutrum inter ſe habeant iactitans. Quod ſi inde contendit, & ſuam inſaniam conſolatur, quia ſequitur: Et cui voluerit filius reuelare. Aliud eſt naturæ æqualitate noſſe quod noueris, aliud reuelantis dignatione. *Tomo ſexto libro ſecundo Commentariorum in cap. 11. Matthæi.*

ET audientes diſcipuli ceciderunt &c.] Triplicem ob cauſam pauore terrentur: vel quia ſcilicet erraſſe cognouerant: vel quia nubes lucida operuerat eos: aut quia Dei patris loquentis vocem audierant: Quia humana fragilitas conſpectum maioris gloriæ ferre non ſuſtinet: ac toto animo & corpore contremiſcens ad terram cadit. Quanto quis ampliora quęſierit, tanto magis ad inferiora collabitur, ſi ignorauerit menſuram ſuam. *Tom. 6. lib. 3. Commen. in cap. 17. Matthæi.*

IN laudem gloriæ gratiæ ſuæ &c.] De ſubſtantia Dei omnium hominum conſentit opinio. quod diuina ſit, & nullius ſenſu facilè comprehendatur, errat verò vnuſquiſque dum talem vel talem eam putat: ita vt Chriſtum, ſecundum id quod diuerſas virtutes ſonat omnes diligunt, licet plures factis non poſſint probare quod diligunt. Iſte eſt dilectus, quem æſtimo & in Eſaia ſignificari: Cantabo dilecto canticum dilecti vineæ meæ: & vinea facta eſt dilecto. *Tomo ſexto libro primo Commentariorum in cap. 1. ad Epheſios.*

*Eſaias. 5.*

## IIII. *Quis homini de Deo ſenſus habendus ſit.*

*Non eſt ſexus in Deo.*

NEC putandum ſexum eſſe in virtutibus Dei, cum etiam ipſe ſpiritus ſanctus, ſecundum proprietates linguæ Hebrææ, fœmineo genere proferatur Ruha, Græcè neutro τό πνεῦμα, Latinè maſculino, ſpiritus. Ex quo intelligendum eſt, quando de ſuperioribus diſputatur, & maſculinum aliquid, ſeu fœmininum ponitur, non tam ſexum ſignificari, quam idioma ſonare linguæ, ſiquidem ipſe Deus inuiſibilis & incorruptibilis, omnibus penè linguis profertur genere maſculino, cum in eum non cadat ſexus. *Tom. 3. Epiſto. 143. ad Damaſum.*

*Deus maſculino genere in omnibus linguis profertur.*

## V. *Scriptura ſacra multa de Deo ad captum & ſenſum noſtrum accommodatè ſiue (vt loquitur D. Hieronymus)* ἀνθρωποπάθωσ, *pronunciat.*

IDEO iratus &c.] furere Dominus dicitur, non quod humanis perturbationibus ſubiaceat, ſed quod nos qui delinquimus, niſi iraſcentem audierimus, Dominum non timeamus *Tom. 4. lib. 2. Com. in cap. 5. Eſaiæ.*

ISTE fumus erunt &c.] furorem, obliuionem, iram, pœnitudinem, ita in Deo debemus accipere: quo modo pedes manus, oculos aures & cętera membra quæ habere dicitur incorporalis & inuiſibilis Deus. Non quo his pateat perturbationibus, qui eas dono gratiæ ſuæ extinguit in nobis: ſed quo per noſtra verba Dei erga nos intelligamus affectũ. Neq; enim ira, quę eſt vltionis libido, ita definitur in Deo, vt in hominibus: quæ materiam habet in noſtris vitijs, nõ in Domini voluntate: qui theſaurizamus nobis iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei: vt tribulos noſtros & ſpinas, & zizania, quę ꝑ ſemine Dei attulimus: ligna quoq; fœnũ & ſtipulam, quæ ſuper fundamentum Pauli ædificauim⁹ ſapiens flamma cõſumat. De hoc igne perpetuo, & in Moyſi cantico legimus: Ignis accenſus eſt de furore meo, & ardebit vſque ad infernum deorſum. Deuorabit terram & genimina eius: comburet fundamenta montium: congregabo in eos mala, & ſagittæ meæ conſument eos. Cuius teſtimonij ſenſus eſt, quod ignis Dei atque vindicta, ſemper ardeat peccatoribus, & eos vſque ad inferos perſequatur. *Tom. 4. lib. 18. Com. in cap. 65. Eſaiæ.*

*Per noſtra verba Dei erga nos intelligimus affectum.*
*Rom. 2.*
*1. Cor. 3.*

QVOD iuxta 70 dicitur: Nunquid eris quaſi homo dormiens, & quaſi vir qui ſaluare non poſſit: ſimilitudinem ponit, & non rei veritatem, ſecundum illud quod ſcriptum eſt: Surge, cur dormis Domine? non quod dominus dormiat, de quo dicitur: Non dormitabit, neq; dormiet, qui cuſtodit Iſraël: ſed quod his videatur dormire, quos deſerit. Denique in ſequentibus non ſcribitur vir dormiens qui ſaluare non poſſit: ſed quaſi vir in vtroq; ἀνθρωποπάθωσ, ſcribitur. *Tom. quarto libro Tertio Commen. in ca. 14. Hieremiæ.*

*Pſalmo 42.*
*Pſalmo 120*
*Illis dormit Deus quos deſerit.*

HAEC dicit Dominus &c.] Nulli dubium quin in templo Dei, Baal idolum poſuerint: ſiue in delubro quòd erat in valle filij Ennom, vbi & lucus Baal & ara eius fuit: ſuper quam immolauerunt & incenderunt filios ſuos. Quæ dominus nec cogitauit, nec locutus eſt, nec aſcenderunt in cor eius. Non quod Deus futura neſcierit, ſed quod indigna ſua notitia, ignorare ſe dicat: iuxta illud Euangelicum: Diſcedite à me operarij iniquitatis, neſcio vos: Nouit enim dominus eos qui ſui ſunt &: Qui ignorat ignorabitur. Vel certè ἀνθρωποπάθωσ, & hæc de Deo accipienda ſunt, ſicut & alia. *Tom. quarto, libro quarto Commentariorum in caput 19. Hieremiæ.*

*Indigna ſua notitia Deus ignorare ſe dicit.*
*Luc. 13.*
*2. Timot. 2.*

EGO feci terram & hominem, &c.] Licet ἀνθρωποπάθωσ hæc ſcriptura loquatur, quomodo nos homines loqui poſſumus & intelligere: tamen





tamen fortitudo Dei & brachium eius ille eſt, de quo & Apoſtol⁹ loquitur: Chriſtus Dei virtus, & Dei ſapientia, Et Eſaias: Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt? Scribit & Ioannes euangeliſta: Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factũ eſt nihil. Dauid quoque in ſuo carmine loquitur: Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Quod autem ait: Dedi eam ei cui placuit in oculis meis: hoc ſignificat, quod omnia humano generi per Dei gratiam ſint tributa, Ego, inquit, feci terram, & hominem & iumenta. *Tom. 4. lib. 5. Com. in cap. 27. Hieremiæ.*

*Chriſtus brachium & fortitudo Dei.*
*2. Cor. 1.*
*Eſai. c. 53.*
*Ioannes. 1.*
*Pſalmo 32.*

TERTIA tui pars peſte, &c.] Quomodo ſentiendus ſit furor & indignatio & zelus Dei, ſępè expoſuimus: quod humanis Deus loquatur affectibus, non quo ipſe iraſcatur, ſed quo nos per pœnas atq; cruciatus Deum ſentiamus iratum. Zelus aũt ſub metaphora viri & exoris, accipiendus: q quamdiu vxorem diligit Zelotypus eſt: ſi neglexerit dicit illud quod in conſequentibus dicturi ſumus. Zelus meus recedet à te, & vltra non iraſcar tibi. *Tom. 4. lib. 2. Com. in cap. 5. Ezechielis.*

*Deus humanis loquitur affectibus.*

QVAPROPTER nunc migrabunt &c.] In Deo patre caput & pedes & cætera quæ dicuntur, nõ ſunt membra, ſed per eorum vocabula efficientiarum diuerſitas indicatur: ſic & animam non eſſe ſubſtantialem: ſed affectum mentis internæ, & cogitationũ locũ per quem Deus indicet ſuam voluptatẽ. *Tom. 5. lib. 3. Com. in cap. 6. Amos.*

HAEC oſtendit, &c.] Pœnitentiã Dei in ſcripturis ſic debemus accipere: quomodo ſomniũ & iram: non quod Deum pœniteat, aut mutet ſententiam, qui loquitur per Prophetam: Ego Deus, & non mutor. Et cui nos dicimus: Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient: ſed quod nobis meliora conuerſis, & ipſum pœniteat ſententiæ ſuæ: vt nec iuſto reddat præmia, quæ promiſit, ſi declinauerit ad iniquitatẽ: nec peccatori pœnas, quas comminatus eſt, ſi conuerſus fuerit ad ſalutem. *Tom. 5. lib. 3. Com. in cap. 7. Amos.*

*Malac. 3.*
*Pſalmo 101.*

ET egreſſus eſt Ionas, &c.] Quod dicit: vt videret quid accideret ciuitati, ſolita conſuetudine vtitur ſcripturarum, vt humanos Deo iungat affectus. *Tom. 5. Com. in cap. 4. Ionæ.*

*Scriptura humanos Deo iungit affect⁹*

ET egreditur Dominus, &c.] Egredi Deum, & pugnare contra gentes, & ſtare pedes eius ſuper montem Oliueti, & cętera quæ in ſcripturis ſanctis ἀνθρωποπάθωσ dicta & carnaliter continẽtur, dignè Deo debemus accipere: Alioquin cũ loquatur Apoſtolus: Qui eſt imago Dei inuiſibilis. Et rurſum: Regi autem ſęculorum, incorruptibili, inuiſibili Deo. Et in Euangelio ſcriptum ſit: Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus filius qui eſt in ſinu patris, ipſe narrauit. Et iterum: Non quia Deum vidit quiſquam præter: eum qui eſt de patre: ſicut iram eius, & pœnitẽtiam, & animam, & manus, & pedes & ventrem, & oculos, & cœtera corporis membra, pro varietate cauſarum & ſenſuum interpretationis accipimus: ſic & hoc quod ſcriptum eſt: Egredietur Dominus, & præliabitur, iuxta illud accipiendum quod in Habacuc legimus: Egreſſus es in ſalutem populi tui: in ſalutem cum Chriſto tuo Et in Michea: Quia ecce Dominus egredietur de loco ſuo, & deſcendet & calcabit ſuper excelſa terræ: & conſumentur montes ſubter eum, valleſq; ſcindentur. In Eſaia quoq;: Dominus virtutum egreditur, & conteret bellum, & ſuſcitabit Zelum, & clamabit ſuper hoſtes ſuas cum fortitudine. Egredietur ergò Deus de loco ſuo, quando quietem & manſuetudinem, & clementiam ſuam, pro emendatione peccantium rumpere cogitur: qui cum per naturam dulcis ſit, vitio noſtro παραπικραίνεται, id eſt, amarus efficitur non ſibi, ſed patientibus, quibus amara tormenta ſunt. *Tomus 5. liber 3. Com. in caput 14. Zachariæ.*

*Col. 1.*
*2. Timot. 1.*
*Ioan. 1.*
*Ioan. 6.*
*Habac. 3.*
*Michea. 1.*
*Eſaias. 42.*

DILEXI vos, dicit Dominus &c.] Odiſſe Deus ἀνθρωποπάθωσ dicitur: vt flere, vt dolere, vt iraſci: vt quando audimus odium eius in malos, ea quæ Deum intelligimus odiſſe fugiamus *Tom. 5. Com. in cap. 1. Malachiæ.*

O GENERATIO incredula & peruerſa &c.] Non quod Chriſtus tędio ſuperatus ſit, & manſuetus ac mitis: qui non aperuit ſicut agnus coram tundente, os ſuum: nec in verba furoris eruperit: ſed quod in ſimilitudinem medici, ſi ægrotum videat contra præcepta ſua ſe gerere, dicat: Vſquequo accedam ad domum tuam: quouſque artis perdam induſtriam: me aliud iubente, & te aliud perpetrante? *Tom. 6. lib. 3. Co. in cap. 17 Mathæi.*

*Chriſtus in ſimilitudinẽ medici obiurgantis inobedientem ægrotum ſe nobiſcum gerit.*

ET ſedere eum faciens &c.] Per humanam ſimilitudinem, Dei potentiam demonſtrauit, non quo ſolium ponatur, & Deus pater in eo ſedeat, ſecumque filium habeat reſidentem: ſed quo nos aliter iudicantem atque regnantem niſi per noſtra verba intelligere nequeamus. Ad hoc pertinet & illud, quod in centeſimo nono Pſalmo ſcriptum eſt: Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis, donec ponã ſcabellum pedum tuorum *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 1. ad Epheſios.*

ET nolite contriſtare ſpiritum ſanctum &c.] Mœror ſancti ſpiritus ſic intelligendus, quomodo ira Dei & ſomnus, & cæteræ in humanam ſimilitudinem paſſiones. Non quo contriſtetur ſpiritus, & vllam perturbationem diuinitas ſentiat, ſed quo ex verbis noſtris Dei diſcamus affectus: quod mœreat quotieſcunque peccamus, & defleat peccatores. Nam & Saluator in corpore conſtitutus fleuit Hieruſalem, & omne hominum genus in Propheta deplorat: dicens Miche. 7. Heu mihi anima quia perijt reuerens à terra: & qui corrigat inter homines nõ eſt. Omnes in ſanguine iudicantur. Et in Ezechiele opera quondam ſanctæ ciuitatis enumerans, ait: In omnibus iſtis contriſtabas me. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 4. ad Epheſios.*

*Diuinitas non ſentit vllam perturbationem.*
*Luc. 19*
*Ezech. 16*

OMNIS amaritudo & furor, &c.] Amaritudo contraria dulcedini eſt, vnde amari vulgò appellantur & dulces. De qua & Hieremias loquitur, dicens: Et amaritudo tua aſcendit ſuper me. Furor verò incipiens ira eſt, & ferueſcens in animo indignatio. Ira autem eſt, cuius amaritudo, & furor ſpecies ſunt, quæ furore reſtincto deſiderat vltionem, & eum quem nocuiſſe putat, vult lædere. Quæ quidem licet in Deo ſæpè dicantur, ſecũdum illud: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias

*Pſal. 6.*

pias me: non ſunt perturbationes animi compu tandæ ſicut in nobis, quia in illo moderata & ordinata ſunt omnia, & pœna, qua peccatores corriguntur, noſtris vocibus appellatur. Nos verò ſi iraſcimur, perturbamur, & furore rapti, noſtri eſſe deſinimus. Vnde à nobis omnis amaritudo, & furor, & ira penitùs auferenda ſunt. *Tom.6.lib.3.Com.in cap.4. ad Epheſios.*

*In Deo ſunt perturbationes ordinatæ & moderatæ.*

QVI habitat in cælis, &c.] Per humanæ ſermocinationis exempla, affectus Dei diſcimus. non quo ille quempiam derideat, ſed quòd nos deriſu digna faciamus. *Tom.7.Com.in Pſal.2.*

DEVS ſtetit in ſynagoga Deorum] Multa ſunt ſchemata: frequenter enim ſedemus, interdum ſtamus, interdum iacemus, interdum currimus, interdum ambulamus: ita & Deus deſcribitur pro varietate hominum, & ſtatus ipſius diuerſus inducitur. Si ſancti ſumus, & ſumus ſimiles Moyſi, dicitur ad nos: Tu verò hîc ſta mecum. Hoc enim dixit Deus ad Moyſen. Stabat enim Moyſes ſuper petram, propterea & Dominus ſtabat illi. Si verò prius ſancti fuerimus & poſtea peccatores: iam non nobis ſtat Deus, ſed ambulat, hoc eſt, mouetur de loco ſuo, qui nobis ante ſteterat. Poſtquam nos moti fuerimus, & ipſe nobiſcum pariter mouetur. Denique & Adam, quamdiu in paradiſo fuit & mandatum ſeruauit, ſtabat ei Deus. Poſtquam verò tranſgreſſus eſt, audiuit vocem Dei ambulantis in paradiſo. Vis ſcire, quia ambulabat ei Deus? Quid ei dixit? Adam vbi es? Qui ante ſtantem Deum non fugerat, poſtea ambulantem fugit, diximus de ſtante, diximus de ambulante: dicamus de ſedente. Quandocunque ſedens inducitur Deus, dupliciter inducitur, aut quaſi rex, aut quaſi iudex. Si quaſi rex, videtur ſicut Iſaias: Vidi Dominum ſedentem ſuper thronum excelſum & eleuatum. Ibi quaſi rex regnans inducitur: throni poſiti ſunt, & libri aperti ſunt, vt in Daniele ſcriptum eſt. Quid dicitur? Throni poſiti ſunt, & libri aperti ſunt: Hoc eſt, Dominus quaſi iudex ſeſſurus, & omnium opera lecturus. Libri qui modo complicati ſunt, tunc aperientur. Omne quod facimus, quod loquimur, quod cogitamus, etiam de otioſo verbo reddituri ſumus rationem. Scriptũ eſt in libris Dei. Putat aliquis libros eſſe in cælo, vbi ſcribantur peccata noſtra? Ego libros puto conſcientias noſtras, quæ tunc aperientur, & videbit vnuſquiſque quod fecit. Nil occultum, quod non reuelabitur. Propterea throni poſiti ſunt, & libri aperti ſunt. Quãta ſcripta ſunt in libro meo, & ne fratri quidem meo, neque amico meo audeo confiteri, Sciunt angeli quid fecerim, ſciunt throni, ſciunt Seraphini, ſcit pater & filius & ſpiritus ſanct᷒. Diximus de Deo, quod alijs ſtet, alijs ambulet: alijs verò ſedeat, aut quaſi rex, aut quaſi iudex: alijs verò dormiat. Si quando nos derelinq̃t tentationib. licet ſimus ſancti: tamen relinquimur tentationib. vt probemur, eo tempore nobis dormit Dominus. Denique ꝙ dicit Pſalmiſta. Exurge, vt quid dormitas Domine? Et Apoſtoli, quando erant in naui, & nauis fluctibus tundebatur, dormiebat eis Dominus: Propterea enim nauis fluctibus tũdebatur. Denique excitant eum, & euigilat, & ſtatim tempeſtas quieſcit. Diximus de quatuor ſchematib. Dei: quia alijs ſtat, alijs ambulat, alijs ſedet, & alijs quaſi dormit, alijs verò euigilat & conſurgit. Deus ſtetit in ſynagoga Deorum. Quia dij erant, propterea ſtabat eis Deus. In qua ſynagoga noſtra, diuerſa Deus habet ſchemata: Alijs ſtat, alijs ſedet, alijs ambulat, alijs dormit. Cùm ipſe ſit immutabilis, pro noſtra varietate mutatur. Vide hominis dignitatem. Deus ſtetit in ſynagoga Deorum. Largitur nobis nomen, vt largiatur & meritum. *Tom.7.Com.in Pſal.81.*

*Pro varietate hominum ſitus & ſtatus Dei diuerſus inducitur.*
*Exodi 17.*
*Sanctis ſtat Deus, & peccatoribus ambulat.*
*Geneſ.3.*
*Sedens Deus inducitur, vel vt iudex vel vt rex.*
*Eſaiæ 6.*
*Daniel.7.*
*Libri Dei conſcientiæ noſtræ.*
*Matth.10.*
*Daniel.7.*
*Pſalm.41.*
*Matth.4.*
*Quatuor Dei ſchemata ſeu ſitus pro noſtra varietate.*
*Dignitas hominis quod Deus & nomen & meritum ſuum illi communicat.*

## VI. *Deum omnipotentem eſſe.*

DIcendum eſt, quod diuinę ſit potentiæ ponere animam quando voluerit, & rurſum accipere eam. *Tom.3.epiſt.150.ad Hedibiam quæſt.8.*

QVIS menſus eſt pugillo, &c.] Ne quis putaret difficilem eſſe vocationem gẽtium, & quod omnis caro videret ſalutare Dei, ſuper montem excelſum iubetur aſcendere, qui euangelizat Sion: & dicere, quòd ipſe Dominus veniret in fortitudine, & redderet vnicuiq; ſecundum opus ſuum: inſtarque paſtoris agnos foueret in ſinu, & fetas ipſe portaret: Nunc autem deſcribitur illius magnitudo, quod nihil ei impoſſibile ſit: & qui vniuerſa condiderit, creatorque ſit omnium, etiam hæc quæ comparatione eorum parua ſunt, valeat perpetrare. Quod autem pugillum vocat, & palmum: humanæ conſuetudinis verbis vtitur, atque menſuris: vt Dei potentiam per noſtra verba diſcamus. In eo vbi 70. tranſtulerunt τίς ἐμέτρησε τῇ χειρὶ τὸ ὕδωρ, id eſt. Quis menſus eſt manu aquam? Siue vt nos vertimus. Quis menſus eſt pugillo aquas? Aquila trãſtulit: Quis menſus eſt minimo digito aquas? Hoc enim λιχανὸς ſonat: vt ſcilicet non tota manu, ſed paruo digito, quem vulgò guſtatorem vocant, omnis aquarum vaſtitas ponderetur: σπιθαμὴ autem, hoc eſt palmus, extentam ſignificat manum à pollice vſque ad extremum digitum. Sin autem contrahamus manum, pugillus efficitur: vt per palmum & pugillum, extentos cælos globum terræ nouerimus. Pro pugillo, quem in comprehenſione terræ 70. tranſtulerunt in Hebraico ſcriptum eſt שליש, quem Symmachus τρίτον, Aquila τρίσωμον interpretati ſunt: & nos vt maniſeſtius faceremus, in tres digitos vertimus: quod ſcilicet molem terræ, & excelſa montium, colliumque, quaſi tribus digitulis, & ſtateræ paruo momento appenderit, per quæ Dei maieſtas & creatoris potentia demonſtratur. Quis, inquit, adiuuit ſpiritum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit, & oſtendit illi, &c. Pro quibus Symmachus interpretatus eſt: quis parauit ſpiritum Domini, & virum cõſilij eius quis oſtendit ei? cum quo inijt conſilium, deditque ei intelligentiam, & docuit eum viam iudicij, & inſtruxit illum ſcientia, & iter prudentiæ monſtrauit ei? Per quod oſtendit manifeſtiùs paratum ſpiritum, ſiue firmamentum illum eſſe, de quo in Apoſtolo legitur: Dominus autem ſpiritus eſt: Et ſuper quem requieuit ſpiritus Dei, ſpiritus ſapientiæ, & intelligentiæ, & reliqua: Qui dicit in conſequentibus. Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me. Ipſe eſt enim ſpiritus Domini, & vir conſilij eius, in quo habitabit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: cum illo inijt conſilium, de quo ſupra

*Dei magnitudo & potentia amplificatur comparatione maiorum.*
*Ioann.4.*
*Coloſ.2.*



pra diximus: Admirabilis, cõſiliarius. Et in Prouerbijs ſcriptũ eſt: Deus ſapientia fundauit terram: parauit autem cælos prudentia. Porrò 70. qui dixerunt τίς ἔγνω νοῦν κυρίου καὶ τίς αὐτοῦ σύμβουλος ἐγένετο; id eſt, quis nouit mentem Domini, & quis conſiliarius eius fuit? hoc intelligi volunt, quod mens & ratio & ſenſus Dei per quem facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil: ille ſit, de quo in Pſalmis canitur: verbo Domini cæli firmati ſunt: & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Omnes gentes quæ nõ nouerunt creatorem ſuũ, ſiue vniuerſum mortaliũ genus, ad comparationem Dei quaſi ſtilla ſitulæ ſunt, & quaſi momentum ſtateræ, quod leui pondere in partem alteram declinatur. Et quomodo ſi de ſitula ſtilla modica fluat, à portante negligitur, ita vniuerſa gentium multitudo ſuperius miniſterijs comparata, & Angelorum multitudini, pro nihilo ducitur. Inſulæ quoque quaſi ſaliua reputantur, ſiue vt Symmachus & Theodotio ipſum ponentes Hebraicum, ſicut dak quod decidit: pro quo Aquila λεπτὸν βαλλόμενον tranſtulit. Aiunt autem Hebræi hoc verbo ſignificari tenuiſſimum puluerem, qui vento raptante ſæpè in oculos mittitur: & ſentitur: potius quam videtur. Minutiſſima ergo fruſta pulueris, & penè inuiſibilia, hoc verbo appellantur, quas forſitan Democritus cum Epicuro ſuo atomos vocat, multaque ſunt nomina, quæ ita leguntur in Græco, vt in Hebraico poſita ſunt, propter interpretandi difficultatem, & ad comparationem linguæ Hebrææ, tam Græci quam Latini ſermonis pauperiem, ſimulque vt paulatim homines abſtrahat ab idololatria, aufert ceremonias victimarum: & docet quòd omnia ligna Libani & armenta quæ in eo paſcuntur, holocauſtis eius ſufficere nequeant. Si autem omnes gentes ſic ſunt in conſpectu illius quaſi non ſint: & quaſi nihil & inane reputantur: in omnibus autem gentibus, & Iſrael eſt: ergo & ipſe ſic eſt, quaſi non ſit, & in nihili atque inane reputatur. Hoc dicimus vt frangatur eius ſuperbia, & cæterarum gentium ſimiles eſſe ſe nouerint, *Tom.4.lib.11. Com.in cap.40. Eſaiæ.*

*Prouerb.3.*
*Pſalm.32.*
*Elegantiſſima ſimilitudine hominũ vniuerſorũ infirmitas comparatione Dei oſtenditur.*

CVI ergo ſimilem feciſtis Deum, &c.] Deſcripta Dei magnitudine, & potentia illius ex parte monſtrata: gentibus quoque, inſulisque quaſi ſtilla ſitulæ, & momento ſtateræ reputatis, ac puluere & hoſtiarum ceremonijs refutatis: cur omnes gentes quaſi nihili ſint in conſpectu eius, & quaſi inane reputentur, ſequentibus docet. Cui ſimilem feciſtis Deum: aut quam imaginem ponetis ei, qui ſpiritus eſt, & in omnibus eſt, & vbique diſcurrit, & terram quaſi pugillo continet? Simulque irridet ſtultitiam nationum, quod artifex ſiue faber ærarius, aut aurifex, aut argentarius Deum ſibi faciant, & laminis, clauiſque compingant, ac fortiter ſtatuant: ne ventorum flatibus detrudatur. Quodque intulit, forte lignum & imputribile elegit artifex ſapiens: in Hebraico dicitur hamſuccan, quod genus ligni eſt imputribile, quo vel maximè idola fiunt. Hæc autem dicit: vt idolis reprobatis, euangelicæ doctrinæ paret viam: & omnia praua dirigantur in rectum: exaltentur valles & colles humilientur, & reueletur gloria Domini: vt omnis caro videat ſalutare Dei. Iuxta tropologiam poſſumus dicere: quod increpentur principes hæreticorum, diuerſa idola de ſuo corde fingẽtes, vel eloquij venuſtate, quod interpretatur argentũ, vel ſplendore auri, quod refertur ad ſenſum, vel ligno imputribili, quæ viliora ſunt dogmata: & perpetua putentur à fingentib. & Dialectica arte firmentur: ne moueantur & corruant, ſed ſolida radice conſiſtãt, Ibidem.

NVNQVID non ſcietis? nunquid non audietis? &c.] Ab initio, inquit, naturali lege vos docui, & poſtea per Moyſen ſcripta lege teſtatus ſum, quod nihil eſſent idola, & quod creator mundi ipſe eſſet Deus, qui tantam molem terrę fundaſſet ſuper maria, & ſuper flumina collocaſſet eam: vt elementum grauiſſimum ſuper tenues aquas Dei penderet arbitrio, qui inſtar regis ſedet ſuper gyrum terræ: ex quo nonnulli quaſi punctum & globum eam eſſe contẽdunt. Et habitatores illius quaſi locuſtas: Si enim in toto orbe conſideremus varias nationes, & ab Oceano vſq; ad Oceanũ, id eſt, ab Indico mari vſque ad Britannicum: & ab Atlantico vſque ad Septentrionis rigorem, in quo congelaſcunt aquæ, & ſuccina pulchra concreſcunt: omne in medio hominum genus quaſi locuſtas habitare cernimus. Quid igitur ſuperbit terra, & cinis? quia cælum, imò, vt ſcripturarum vtar authoritate, cæli extenduntur quaſi camera, ſiue vt in Hebraico continetur, quaſi dak, de quo ſupra diximus: pro quo 70. ibi ſaliuam interpretati ſunt: & vnum verbum, nunc ſputum, nunc cameram, id eſt, fornicem, tranſtulerunt: & tantam eorum latitudinem quaſi tabernaculum & papilionem extendit deſuper, vt ſimilitudine tecti operiret homines, & quaſi in domo latiſſima habitare faceret: quid miremur ſi parua hominum corpora quaſi locuſtæ, & minuta reputentur animãtia? Rurſum & in hoc loco qui ἡμικύκλιον terris imminere cælum, & in ſimilitudinem ſphæræ cælum eſſe contendunt; abutuntur nomine fornicis, quod ſcilicet media pars ſphæræ terras operiat: cum in Hebraico nõ fornicem, ſed dak, id eſt, tenuiſſimum puluerem legerimus: Pro quo ſaliua, quę proijcitur in terram, & pulueri commiſcetur & deperit, oſtendit vniuerſam corporum magnitudinem pro nihili reputandam. Qui autem extendit cælos & expandit eos, vt vel ſupra habitarent Angelorum multitudines, vel ſubter homines morarentur: & quaſi magnam rationabilibus creaturis fecit domum: ipſe pro qualitate temporum principes conſtituit, ſiue ſecretorum ſcrutatores, vt ſint quaſi non ſint: & iudices terræ velut inane fecit: Pro quo 70. tranſtulerunt τὴν δὲ γῆν εἰς οὐδὲν ἐποίησεν, id eſt, terram autem quaſi nihil fecit. Siquidem & in principio Geneſeos, vbi ſcriptum eſt: Terra autem erat inuiſibilis & incompoſita: cæteri tranſtulerunt: Terra autem erat inane & nihili. Quantos reges & Græca, & Barbara, Romanaque narrat hiſtoria? Vbi eſt Xerxis innumerabilis ille exercitus? Vbi Iſraelitica in eremo multitudo? vbi regum incredibilis potentia? Quid de veteribus loquor? præſentia exempla nos doceant, eſſe principes quaſi nihili, & iudices terræ quaſi inane reputari. Qui principes & iudices terræ, ſiue vt alij ſuſpicantur,

*Pſalm.23.*
*Homines locuſtis comparantur.*
*Mundus magna creaturarum domus.*
*Geneſ.1.*

cæli: nec ſati ſunt, nec plantati, nec firma radice ſolidari: & repentè iuſsione Dei ita auferuntur & pereunt, quaſi ſtipula quæ à turbine & tẽpeſtate raptatur, iuxta illud quod ſcriptum eſt: Et tranſiui, & non erat, & quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius: Cum ergò tanta ſit potentia creatoris atq; maieſtas, cui Deum ſimilitudini comparatis? & non potius ex creaturarũ magnitudine intelligitis conditorẽ? Si non creditis verbis, ſaltem oculis veſtris credite, & ex cælorum elementorumqúe omnium ſeruitute, poteſtatem Domini cogitate. Qui educit in numero militiam eorum, id eſt, cælorum: & omnes ex nomine vocat, ſubauditur, ſtellas. De quibus & in Pſalmis canitur: Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnes eas ex nomine vocat. Siue militiam cæli angelos interpretemur, & omnes cælorum exercitus, de quibus & Daniel loquitur: Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſsiſtebant illi? Vnde & Dominus ſabaoth appellatur, qui noſtra lingua dicitur, Dominus militiæ, atque exercituum, ſiue virtutum. Educit autem iuxta numerum cælorum militiam: quod ſol, & luna & aſtra cœtera, quę Abraham numerare non potuit, illi numerata ſint, & ſeruiant officio delegato. dum eundem cæli curſum ſol vno anno, lucifer veſperqúe biennio, luna ſingulis expleat menſibus, omneſq; ſtellæ certis peragant temporibus: & quædam ex his vocantur errantes, atque inęquales: earum motus, oculis non mente conſpicimus, nec tam intelligimus quam miramur: Magnitudo enim fortitudinis Dei ſuo facit ordine cuncta ſeruire. SIVE iuxta 70 à multitudine gloriæ & potentiæ virtutis eius, nihil eum latere poteſt: ſed omnium vias, rationeſqúe & curſus, creatoris maieſtate cognoſcit. *Ibidem.*

*Pſalm.36.* — *Ex magnitudine creaturarum magnitudo cõditoris intelligitur.* — *Ex cælorum & elemẽtorũ ſeruitute poteſtas domini cognoſcitur.* — *Pſalm.146.* — *Dan.7.*

HAEC dicit Dominus redemptor, &c] Deſtructis idolis, & iniquitatibus Iſrael, peccatiſque deletis, quando omnis ſimul creatura gaudebit, & iuxta euangelij fidem, ſuper poenitentia peccatorum angeli lætabuntur in cælis, deſcribitur potentia Dei, quod nequaquam ei grande ſit redimere Iacob, & Iſrael inſtaurare cor rectum quem formauit ex vtero. Etſi hoc alicui non paruum videtur, non ſit illi difficile, qui extenderit cælos ſolus. Iuxta quod alibi legitur: Qui extendit cælum quaſi pellem. Non quo filius excludatur ab extenſione cælorum: Omnia enim per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt: ſed quo, vt ſæpe diximus, per hanc ſententiam excluduntur idola. Nam & in Prouerbijs Salomonis ex perſona Chriſti Dei virtutis Deique ſapientiæ dicitur: Quando parabat cælum, ego eram cum eo: ipſe mandauit & creata ſunt. Et: Verbo Domini cæli firmati ſunt: & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. *Tom.4.lib. 12 Com.in cap.44. Eſaiæ.*

*Pſal. 10.* — *Ioan.1.* — *Prouerb. 8.* — *Pſal.32.* — *Exod.14.* — *Ioſue 3.*

NVNQVID abbreuiata eſt &c] Aduerſum eos qui putabant Dominum non potuiſſe liberare populum ſuum de captiuitate, ponit rationem & exempla pleniſsima: Quod qui mare rubrum fecit peruium populo ſuo: Iordanis fluenta ſiccauit: & areſcentibus in AEgypto fluuijs piſces vertit in putredinem: & qui tribus diebus in AEgypto tenebras fecit eſſe palpabiles, ita vt cælum quaſi ſacco opertum videretur & tenebris: vtique potuerit & populum ſuum de periculo liberare. Siue quia ſupra dixerat: Veni, & non erat homo: vocaui, & non erat qui audiret: Illud poſſumus dicere: quod qui tantorum ſignorum patrator eſt, & cælum terraſque & maria ſuo facit ſeruire nutui: etiam ipſe crucẽ euadere potuerit, dicens in Euangelio: An putas quia non poſſum rogare patrem meum, & exhiberet mihi modo pluſquam duodecim legiones angelorum. *Tom.4. lib.13.Com.in cap.50 Eſaiæ.*

*Potentia dei ex miraculis veteris teſtamenti declaratur.* — *Exod.7.* — *Mathei.26.*

DVO ſunt quæ occurrerunt tibi &c] Quod dicit: Duo ſunt quæ occurrerunt tibi: ſiue duo hæc contraria tibi: quis contriſtabitur ſuper te? & pro duobus, infert quatuor: vaſtitatem & contritionem, famem & gladium: illi ſimile eſt, quod in Pſalterio canitur, in Pſalmo ſexageſimo primo: Semel locutus eſt Deus, duo hęc audiui: quia poteſtas Dei, & tibi Domine miſericordia: quia tu reddes vnicuique iuxta opera ſua. Et ibi enim ſemel loquitur Deus, quod omnipotens ſit, & duo audit propheta, quod omnipotentia illius in vtraque parte pręualeat: vt & poenitentib. tribuat miſericordiam, & permanentibus in peccato reddat ſupplicia quæ merentur. Iuxta quod & in alio loco duo occurrerunt Heruſalem, quæ ſingula bina habent. Ruinam etiam ſiue vaſtitatem ſequitur contritio, & famem & gladiũ interitus. Poſſumus hęc iuxta Anagogen, & ſuper anima intelligere peccatrice, quæ nolens bibere calicem furoris Domini, dicit in Pſalmo: Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me. Si autem biberit: bonum eſt ei ſua ſentire ſupplicia, & audire Dominum dicentem: Cum ira furoris mei tranſierit, rurſum curabo. Et alibi: Nunquid qui cadit non reſurget, dicit Dominus? *Tom. 4.lib.1. Com.in cap.51 Eſaiæ.*

*Omnipotentia Dei in vtraque parte præualet in miſericordia et iuſtitia* — *Pſal 6.* — *Hier.8.*

SICVT elegit nos in ipſo &c.] Volens Paulus oſtendere quod Deus vniuerſa ſit machinatus ex nihilo: non conditionem, non creaturam atque facturam: ſed καταβολὴν, id eſt, initiũ fundamenti ad eum retulit: vt non iuxta Manichęum & coeteras hęreſes (quæ factorem & materiam ponunt) aliquid vnde creaturę factę ſint, anteceſſerit creaturas: ſed omnia ex nihilo ſubſtiterint. *Tomo ſexto lib.1. Coment.in cap.1. Ad Epheſios.*

*Manichei et aliæ hæreſes ex antecedente materia conditum mundũ docẽt*

## VII. *Dei prouidentia omnia regi.*

ANNO quo ingreſſus eſt &c.] Eſt hic ordo prouidentiæ Dei, omne hominum genus ineffabili iudicio diſpenſantis: Contra Dei iram Iſrael ſperauit in Damaſco: diruatur ciuitas quæ aduerſum illius voluntatem impijs pręſtat auxilium. Iudas ſperauit in AEgyptijs, & AEgyptus deſtruatur, AEgyptij confiſi ſunt in AEthiopibus, AEthiopes quoq; vincantur ab Aſſyrijs. Aſſyrij ſuperbierunt, non Dei, ſed ſuarum virium arbitrantes eſſe victoriam: & ipſi vincantur à Babylonijs. Babylon eleuauit contra Deum caput: & ipſa Medis Perſiſque ſuperetur. Perſæ & Medi ex parte perſecuti ſunt populum Dei: & aries ſæuiſsimus ad Orientem

*De prouidentia Dei diſſertè tractat 2. libris eloquẽtiſsimus Saluianus Maſſilienſis epiſcopus & Lactãtius Firmian9 Diuinarum Inſtitutionũ lib.1.cap. 2. & 3.* — *Dan.8.*



tem & Occidentem omnes populos ventilauit: veniat hircus Alexander, & conterat eum pedibus ſuis. Et iſte qui vltra modum erectus eſt, veneno pereat, regnumque eius diuidatur in partes: & cum multo tempore inter ſe colliſum fuerit, Romano vincente, populetur: Romanus ipſe ferratis dentibus vnguibuſque, ſanctorum carnes & cruento ore lacerauit: excidatur lapis de monte ſine manibus: & potentiſsimum primum regnum ac ferreum, deinde fragile & infirmum, in teſtarum modum conterat. *Tom. 4.lib.5.Com: in cap.20. Eſaiæ.*

*vide Chryſoſtomum in 3. libris de Prouidentia Dei & homilia 5. de fide Annæ. & homilia de Iona propheta. homilia .9.10. 11.14. ad populum Antiochenum.* — *Dan.2.*

QVARE dicis Iacob. &c.] Eſt ſenſus: Dicitis, ad Deum terrena non pertinent, nec conſiderat quid vnuſquiſque noſtrum gerat. Vnde & nos ab hoſtibus iniuſtè opprimimur, & in iumentorum & piſcium ſimilitudinem, iuxta Habacuc, abſque vllo rectore diſperdimur. Quibus reſpondet Deus: Nunquid neſcis, nec præcedentium ſcripturarum te verba docuerunt? ſiue iuxta *70.* ignoras, quia non audiſti quod æternus Deus & creator omnium Dominus: omnia nouit, omnia continet, omnia ſua maieſtate diſpenſat? Nec aliquando deficit, nec laborat, vt tuum iudicium non intelligat, & abſconditæ ſint ab eo viæ tuæ? Nec eſt, inquit, inueſtigatio ſapientiæ eius, de quo loco illud Apoſtoli ſumptũm reor: Incomprehenſibilia iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. *Tom. 4.lib. 12.Com.in cap.40. Eſaiæ.*

*Hab.1.* — *Deus omnia ſua maieſtate diſpenſat.* — *Rom.11.*

QVOMODO ſi mater cui blandiatur &c.] Miſericordiam creatoris in creaturas ſuas, exemplo matrum diſcimus: quæ liberos amore in ſinu nutrientes, omnem ſuperát charitatem. Denique volens Deus oſtendere, quomodo diligat quos creauit: Nunquid obliuiſcetur, ait, mulier, vt non miſereatur ſobolis vteri ſui? ſed & ſi illa fuerit oblita, ego tamen non obliuiſcar tui. Quem ſenſum & illud habet Euangelicum, in quo Dominus loquitur ad Hieruſalem: Quotiens volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Et Deuteronomium in quo tale quid reſonat: Sicut aquila proteget nidum ſuum, & pullos ſuos delyderauit: expandens alas ſuas ſuſcepit eos, & portauit in humeris ſuis. Aiunt qui de animantium ſcripſere naturis, omnium quidem beſtiarum, & iumentorum, & pecudum, auiumque ingenitum eſſe in filios, pulloſque ſuos affectum: ſed maximum eſſe amorem Aquilarum, quæ in excelſis & inaccelsis locis nidos collocauit, ne coluber fœtus violet: Amethyſtum quoque inter pullos eius lapidem reperiri, quo omnia venena ſuperentur. *Tom.4.lib.18.Com: in cap.65. Eſaiæ.*

*Dei miſericordia & prouidentia erga ſuos exemplis ſimilibus oſtẽditur.* — *Matt.23.* — *Deut.32.*

HAEC dicit Dominus, &c.] Omnis hominum aufertur ſuperbia, dũm & ſapientia, fortitudo, & opes eorum reputantur in nihilum, & iſta eſt ſola gloriatio, vt ſciat & intelligat, quòd ipſe ſit Dominus: qui facit miſericordiam & iudicium & iuſtitiam ſuper terram: quod omnia Dei prouidentia & iuſtitia gubernentur, & quę nobis videntur non habere rationem, iuſtitiæ plena ſint, atque rationis. Hæc enim ſola placẽt Deo, & in his volũtas illius eſt, *Tom.4.lib.2.Com. in cap.9.Hieremiæ.*

*Quæ nobis non videntur, habent rationem iuſtitiæ, ſunt plena rationis & prouidentiæ.*

ET factũ eſt verbum Domini &c.] Sunt qui prouidentiam creatoris vſque ad rationalia cõfiteantur, bruta autem, fortuitis caſibus afferant, vel perire, vel viuere. Propheticuſqúe ſermo declarat, nihil eſſe quod fugiat prouidentiam & ſcientiam Dei: quia alia propter ſe, alia in vſum hominum ſunt creata. *Tom. 4.lib.6. Com.in cap.32. Hieremiæ.*

*Prouidentiã Dei extendi ſe etiam ad bruta.*

VT conteret ſub pedibus ſuis &c.] Domini iudicium nullo modo errabit: nec aliquid ſit in terra ſine cauſa: neminẽ iniuſtè damnat, neminem ſpernit, neminemqúe indebitè relinquit, quia omnia numero, menſura, & pondere diſponit, ordinat atque gubernat. Nec vllo modo credendum eſt, quod aliquid per ignorantiam authoris ſui contingat in rebus humanis, quod ſequens ſententia ſonare videtur. Vt declinaret iudicium viri &c.] Huic quoque ſimile eſt, quod in libro Iob in Eliphaz verbis legitur, vbi ita ſcriptum eſt: An cogitas quod Deus excelſior cælo ſit, & ſuper ſtellarum vertices ſublimetur? & dicis: Quid enim nouit Dominus, quaſi per caliginem iudicat. Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cæli perambulat. Sunt pleríque ita hebetes, vt formidare neſciant, niſi quod corporaliter vident, vnde fit, vt Deum non metuant, quem videre non poſſunt. *Tomo 4. libro 2. Comment. in cap.3. Lamentatio. Hieremiæ.*

*Nihil per ignorantiam authoris ſui contingit in rebus humanis.* — *Iob.22.*

ET dixit ad me &c.] Porrò quod ſequitur: Dereliquit Dominus terram, quorundam etiam philoſophorum ſententia eſt: qui ex ſyderum curſu atque conſtantia, ſuſpicantur eſſe in cæleſtibus prouidentiam, & terrena contemni, dum nihil recti, nec iuxta ordinẽ in terris geritur. *Tom.4.lib.3.Comment. in cap.8. Ezechielis.*

*Errant philoſophi qui Dei prouidẽtiam ad ea quæ ſub cælo lunæ ſunt pertinere nõ putant.*

ET dixit ad me: Iniquitas domus &c.] Repleta eſt, inquit, terra ſanguinibus, ſiue vt 70. tranſtulerunt, populis: & ciuitas eſt repleta auerſione: aut vt vulgata habet editio, iniquitate, & immunditia: non modicus ſanguis effuſus eſt, ſed de porta vſque ad portam, & omnis ciuitas declinauit à cultu Dei, & pro eo plena eſt immunditia, idololatriæ videlicet ſordibus: Cauſa autem tantorum ſcelerum illa eſt, quod putauerunt prouidentiam non eſſe ſuper terram, nec Deum curare mortalia; iuxta illud quod alibi legimus: Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos Sollicitat. Quia igitur illi vel putauerunt, non eſſe prouidentiam, vel quæ ante fuerat in populis, hoc tempore ſuum populum reliquiſſe, propterea & Dei non parcet oculus, nec miſerebitur: vt contra vitia ſæuiens, placabilis ſit virtutibus: viaſque eorum atque peccata reddat ſuper capita eorum: vel ſuper principale cordis, vel ſuper principes populi, iuxta Numerorum librum, in quo capita populorum principes eſſe dicuntur. *Tom.4.lib.3.Com. in cap.9 Ezechielis.*

*Verg in 4. Aeneid.* — *Omniũ ſcelerum cauſa eſt ignorãtia prouidentiæ diuinæ.*

ET egreſſa eſt gloria Domini &c.] Cherubim in lingua noſtra ſcientiæ multitudo eſt: notitia ſacramentorum Dei, & thronus eius ac requies. Vnde & in Pſal. dicitur: Qui ſedes ſuper Cherubĩ manifeſtare. Sẽper enim gloria Domini ſedet in ſcientiæ multitudine, & tunc manifeſtatur, quando cũcta rei prouidẽtia demõſtrantur: Nec fortuitò quid fieri, nec dicere quempiã:

*Pſal.79.* — *Nihil in reb9 humanis fortuitum eſt.*

Dereli-

Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt: Vnde & intuitus Cherubin, & appetitus eorum eſt, obliuiſci præteritorum, & in futura ſe extendere. *Tom. 4. lib. 3. Com. in cap. 10. Ezechielis*

Feci ergò ſicut præceperat &c. Illud autem notandum, quòd vno atq; eodem tempore Hieremias prophetabat in Hieruſalem, & Ezechiel in Babylone, & illius prophetia mittebatur ad captiuos, & huius ad eos qui habitabant in Hieruſalē: vt vnius in diuerſis regionibus Dei prouidentia probaretur, & intelligerent audientes, quæcunque accidebant populo, nequaquam idolorū poteſtate, ſed Domini iuſsione conſiſtere. *Tom. 4. lib. 3. Com. in cap. 12. Ezechielis.*

*Ex creaturis & elementis intelligitur Dei Prouidentia.*

Cognoui quia omnia &c.] Nihil eſt in mundo quod nouum ſit: Solis curſus & Lunæ vices, & terræ, arborumq́ue ſiccitas vel viror, cum ipſo mundo nata ſunt atque concreta. Et idcirco Deus certa ratione cuncta moderatus eſt, & iuſſit humanis vſibus elementa ſeruire: vt homines hæc videntes, intelligant eſſe prouidentiam & timeant à facie Dei, dum ex rerum æqualitate, curſu, ordine atque conſtantia, intelligunt creatorem. Inuiſibilia enim Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas. *Tom. 5. Com. in cap. 3. Eccleſiaſtis.*

*Id quod obijci poterat cōtra Dei prouidentiam diſſoluitur.*

SI calumniam pauperis, &c.] Supra dixerat: Ne dixeris in conſpectu angeli, quoniam ignorantia eſt: ne iraſcatur Deus ſuper vocem tuam, & reliqua, & aduerſus eos fuerat locutus qui negarent prouidentia Dei res humanas regi. Quia igitur aduerſus hoc præceptum ſuboriebatur quæſtio: quare iuſti calumniam ſuſtinerent, & quare iniqua fiant in toto orbe iudicia, & non eſt vltor Deus in illis: Nunc infert & ſoluit opinionem, quæ opponi potuerat, dicens: Si videris calumniam pauperis, qui beatus in Euangelio prædicatur, & res vigere, non iuſtitiam: ne mireris, & tibi nouū aliquid eſſe videatur. Excelſus quippe ſuper excelſum hæc reſpicit Deus: qui angelos ſuos ſuper iudices & reges terræ poſuit, qui poſſunt vtique prohibere iniuſtitiam, & magis in terra valere, quam quæuis hominum poteſtates. Sed quoniam ſeruat in finem iudicium, & in conſummatione mundi, quando cùm matura ſeges fuerit, & meſſores venerint, iuſſurus eſt vt ſeparetur triticum, & lolium tradatur incendio: ideò nunc expectat & differt ſententiam, quamdiu ager iſtius mundi excolitur. Quod autem ager interpretetur mūdus: Dominus in parabola zizaniorum & tritici expoſuit. *Tom. 5. Com. in cap. 5. Eccleſiaſtis.*

*Mat. 13.*

*Proſopopœia Epicureorū contra Dei Prouidentiam.*

VADE & comede in lætitia &c.] Quia in ſuperiori capitulo fuerat prælocutus, quòd poſtquam mortui fuerint homines, à corde viuentiū excidant, & nec dilectionem quis in eos habeat nec odium, ſecundum illud Poetæ: Nullū cum victis certamen & æthere caſsis, & quia ſub ſole vltra nihil poſsint, nunc quaſi errorem humanū & conſuetudinem, qua ſe ad fruenda huius ſæculi bona inuicem hortantur, induit, & προσωποποιίας facit more Rhetorum & Poetarum, dicens. O homo, quia ergo poſt mortē nihil es & mors ipſa nihil eſt: audi conſiliū meū: & dū viuis in hac breui vita, fruere voluptate, vtere dapib. vino curas opprime, & intellige quoniam à Deo nobis donata ſunt ad vtendum. Candidis veſtib. ornatus incede: vnguentis ſpiret caput tuum: quæcunque tibi placuerit fœminarum, eius gaude complexu, & vanam hāc & breuem vitam, vana & breui voluptate percurre. Nihil enim extra hæc habebis amplius, quam frui quodcunque delectare poteſt: feſtinus carpe ne pereat. Neque enim friuola debes formidare commenta: quod ſingulorum operum vel bonorum vel malorum apud inferos tibi reddenda eſt ratio. Non eſt enim in morte aliqua ſapientia: nullus poſt diſſolutionem vitæ huius ſenſus. Et hæc, inquit, aliquis loquatur Epicurus, & Ariſtippus, & Cyrenaici, & cæteri pecudes philoſophorum. Ego autem mecum diligenter retractans, inuenio non, vt quidam æſtimant, malè omnia fortuitò geri, & variam in rebus humanis fortunam ludere, ſed cuncta iudicio Dei fieri. Neque enim velox pedibus, ſuum debet curſum putare, ſi currat. Nec fortis in ſuo confidat robore, nec ſapiens diuitias & opes æſtimet prudentia congregari: nec eloquens & doctus per eloquentiam & doctrinam apud populum inuenire ſe poſſe gratiam: ſed omnia Deo fieri diſponente. Et niſi ille ſuo cuncta arbitrio rexerit, & ędificauerit domum, in uanum laborant qui ædificant eam. Niſi ille cuſtodierit ciuitatem, in uanum vigilant, qui cuſtodiunt eam. Non eſt itaque, vt illi putant, vnus euentus & incertus vitæ huius ſtatus: quia quando non ęſtimant, repentina morte ſubducti ad iudicium venient. Et quomodo piſces hamo capiuntur & retibus, & aues per eam liberæ, laqueo, dum neſciunt, alligantur: ſic & homines pro merito ſuo ad æterna ſupplicia deducentur, cum repentè mors venerit, & iudicium in eos qui putabant in certo ſtatu omnia volutari. *Tomo 5. Comment. in capite 9. Eccleſiaſtis.*

*Refellūtur Epicurei.*

*Pſalm. 126.*

*Confutantur irriſores & contemptores diuinæ prouidentiæ*

ASPICITE in gentibus &c.] Ad ſuperiores querelas cauſantis prophetæ, & dicentis: Vſque quo Domine clamabo, & non exaudies, & reliqua vſque ad finem huius exordij. vox Domini reſpondentis inducitur: vt hanc iniquitatem, quam in ſolo Iſrael fieri putat, cernat in gentibus. Et quod Chaldæis non vt Propheta arbitrabatur, Iudas tantum & Iheruſalem traditi ſunt, ſed omnes per circuitum nationes: & tantum eum eſſe valiturum ruiturumque poſtea vt ſi quis prædixerit quod futurum eſt, pro rei magnitudine videatur incredulum. Sed & hoc quod 70. & cæteri interpretes ediderunt: Videte contemptores, ſiue videbitis calumniatores, & declinantes, cum ſenſu huius loci congruit, & ex ipſo ſermone arguuntur audaciæ, & contemptus in DOMINUM: ex quorum perſona Propheta clamauerat: quare auſi ſunt Dei contemnere maieſtatem, & temerariè loqui, & quantum in ſe eſt, DEI prouidentiam calumniari, & declinare à Domino coarguentes eum iniquitatis. Videbitis ergò contemptores, & tunc admirabimini, & omnem veſtrá querelam pro nihilo computabitis, cum perſpexeritis me facere in diebus veſtris: ne fortè dicatis, quid ad nos pertinet de futuro? Opus quod tam grande erit, & veſtram omnem opprimet cauſationem: vt ſi quis nunc futurum



futurum eſſe prædixerit, fidem non facilè accommodetis. *Tom. 5. Com. in caput 1. Habacuc.*

ECCE ego ſuſcitabo &c.] Comminatur Deus aduerſum contēptores & calumniantes prouidentiam ſuam, ſuſcitaturū ſe Chaldæos, qui interpretantur quaſi dæmonia: vel angelos peſſimos ſignificans, qui miniſtrant furori eius & iræ, & tribulationi quam infert in peccatores: vel animas hominum peſsimorum, per quas mœrentes cruciat. *Tom. 5. Com. in cap. 1. Habacuc.*

MVNDI ſunt oculi tui &c.] Sicut in hominibus per ſingulos Dei currit prouidentia, ſic in cœteris animalibus generalem quidem diſpoſitionem & ordinem, curſumq́ue rerum intelligere poſſumus. Verbi gatia: quomodo naſcatur piſcium multitudo, & viuat in aquis: quomodo reptilia & quadrupedia oriantur in terra, & quibus alātur cibis. Cœterùm abſurdum eſt ad hoc Dei deducere maieſtatem, vt ſciat per momenta ſingula quot naſcantur culices, quotue moriantur: quæ cimicum & pulicum, & muſcarum ſit in terra multitudo: quanti piſces in aqua natent, & qui de minoribus maiorum prædæ cedere debeant. Non ſimus tam fatui adulatores Dei, vt dum potentiam eius etiam ad ima detrahimus, in noſipſos iniurioſi ſimus: eandem rationabilium quam irrationabilium prouidentiam eſſe dicentes: ex quo liber ille apocryphus ſtultitiæ condemnandus eſt, in quo ſcriptū eſt, quendam angelum nomine Tyri præeſſe reptilibus: & in hanc ſimilitudinem piſcibus quoq; & arboribus & beſtijs vniuerſis proprios in cuſtodiam angelos aſsignatos, *Tom. 5. Comment. in cap. 1. Habacuc.*

*Petrus Lombardus lib. 1. Sententiarum diſtinctione 39. ſoluit hanc Hieronymi opinionem, quæ non modò communi ſententiæ Patrum: ſed & alijs hic ſubiectis Hieronymi locis, aduerſatur. Nam eo ſenſu illud dictum nouerimus, vt Deum illa alteri natum vel particulatim ſcire neget, nec per diuerſa temporum momenta ſic illa cognouit ſicut per varia momenta illorum, quædam deficiunt. quædam incipiunt. Neq; irrationabilibus ita prouidet ſicut rationabilibus. numquid enim vt ait Apoſtolus, 1. Cor. 9. cura eſt Deo de bobus? rationabilibus enim præcepta dedit, & angelos ad cuſtodiam deputauit. Hanc diſtinctionem M. S. adcommodatam eſſe ad mentem ipſius B. Hieronymi apertè oſtendit eiuſdem expoſitio in cap. 10. Matthæi vbi explanans illud, Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro? ait: Sententia hæc, eſt expreſſa ducto argumento à minori ad maius. Si parua animalia & vilia non niſi Deo auctore decidunt, & in omnibus ſemper eſt prouidentia, & quæ in his peritura ſunt, ſine Dei voluntate non pereunt: vos, qui æterni eſtis, non debetis timere, quòd abſq; Dei viuatis prouidentia. Si igitur de vilibus animalculis Dei prouidentia eſt, multò magis de homine. vide Sixtū Senenſem lib. 5. Bibliothecæ ſanctæ, annotatione 257*

ET erit in die illo &c.] Et viſitabo ſuper eos qui confidunt in corporibus ſuis, & in viribus ſuis, quas διασυρμῶν fæces vocat: ſiue peccata in quibus penitùs fuēre defixi. Qui tollētes prouidentiam, nec boni nec mali Deum authorem eſſe dixerunt, hoc eſt, quod nec bonis bona, nec malis mala redderet: ſed quod fortunæ cuncta regerentur arbitrio, & caſu ferrentur incerto. *Tom. 5. Com. in cap. 1. Sophoniæ.*

ECCE venit, dicit Dominus exercitu. &c.] Supra legimus motam Domino quæſtionem ab his qui dicunt: Omnis qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Domini, & tales ei placent: aut certè ſi diſplicent, vbi eſt Deus iudicij? hoc eſt, vbi eſt iuſtitiæ veritas? Ad quam diſſoluendam Domini ſermo reſpondit: Mittam angelū meum, qui præparabit viam meam, & veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis: qui iudex eſt veritatis, de quo dicitur in Pſalmo: Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis: Non enim pater iudicat quenquam, ſed iudicium omne dedit filio. *Tom. 5. Com. in cap. 3. Malachiæ.*

*Antipophorā contra diuinam prouidētiam ſoluit.*

*Pſal. 71.*

*ἔνστασις contra Dei Prouidentiā.*

INVALVERVNT ſuper me &c.] Populus, qui de Babylone reuerſus videbatur Dei habere notitiam, & obſeruare legem, & intelligere peccatum ſuum, & pro peccato offerre victimas, decimas reddere, obſeruare ſabbatum, & cætera quę Dei lege præcepta ſunt: cernens cunctas in circuitu nationes rebus omnibus abundare, ſe in penuria & fame & miſeria conſtitutum, ſcandalizabatur ad ſingula, atque dicebat. Quid mihi prodeſt, quia vnum & verum Deū colo, abominor idola, & compunctus conſcientia delictorum antè Deum triſtis incedo? Quem locum, vt ſupra diximus, ſeptuageſimus & ſecundus pſalmus plenius latiuſque proſequitur. Vnde propheta, qui eſt medicus ſpiritualis, medetur cunctis vulneribus, & verba blaſphemiæ in creatorem recidere conteſtatur, & dicit ex perſona Dei. Inualuerunt ſuper me verba veſtra, ſiue ingrauata ſunt: Etenim iuxta Zachariam iniquitas ſedet ſuper talentum plumbi, & quod contra Deum dicitur, graui blaſphemiarum mole deprimitur. Qui non intelligentes verba grauiſsima & blaſphemiam ſuam, interrogant: quid locuti ſumus contra te? Quibus reſpondit DOMINUS: Dixiſtis, vanus eſt qui ſeruit Deo, quod emolumentum, quia cuſtodimus præcepta eius? In præſenti ſæculo mercedē pro Dei exigunt ſeruitute: ideo non recipiunt. Et quia ambulauimus triſtes coram Domino, iuxta illud quod ſcriptū eſt in Pſalmis: Tota die triſtis ingrediebar. Beatos igitur dicimus arrogantes, qui ſuperbiunt contra Deum, & impia blaſphemiarum verba iaculantur. Si quidem ędificati ſunt, & poſt ſcelera atque blaſphemias proſperis omnibus perfruuntur. Tentauerunt Deum, ſiue reſtiterunt Deo, & ſalui facti ſunt: Salutem fælicitatem præſentis ſæculi putant, & idcirco decipiuntur erroribus. *Tom. 5. Com. in ca. 3. Malachiæ.*

*Zachar. 5.*

*Pſal. 37.*

*ἔνστασις ſuperior diſſoluitur.*

ET attendit Dominus & audiuit &c.] Hæc iuſtis loquentibus, & timentibus Deum, ſingulis cū proximo ſuo: qui verba blaſphemiæ nec audire voluere nec dicere: Attendit DOMINUS & audiuit, ſcriptus eſt liber monumenti coram eo timentibus, & cogitantibus nomen eius: vt cum dies iudicij venerit, reddat & blaſphemantibus pœnas, & timentibus præmia. Liber autē ſcriptus, eſt de quo in Daniele legimus: Throni poſiti ſunt, & libri aperti ſunt. Et erunt Domino exercituum in peculium timentes Dominū, in die qua iudicij tempus aduenerit. Pro peculio in Hebræo legitur ſegoula quod Aquila περιούσιον & cęteri περιποίησιν interpretati ſunt. Timentes igitur DOMINUM qui locuti ſunt cum proxi-

*Daniel 7.*

proxi-

proximo ſuo, & ad verba blaſphemiæ reſponderunt, erunt in die iudicij in peculium, & parcet eis: Quia omnis homo ſub peccato. Siue eliget eos ſicut eligere ſolet homo filium ſuũ ſeruientem ſibi: In quo duplex affectus eſt, & pietatis in filium, & ſeruitutis in famulum. Et tunc qui nunc blaſphematis & dicitis: quod emolumentum, quia cuſtodiuimus præcepta eius, & ambulauimus triſtes coram Domino? ex illorũ electione, & beatitudine, & veſtram miſeriam cognoſcetis, & verſi in pœnitentiam videbitis, quid ſit inter iuſtum & impium, & inter ſeruientem Deo & non ſeruientem ei. *Tom. 5. Com. in cap. 3. Malachiæ.*

*Dei prouidẽtia reguntur omnia animalia.*

RESPICITE volatilia cæli &c.] Apoſtolus præcipit, ne plus ſapiamus, quam oportet ſapere. Iſtud teſtimonium & in præſenti capitulo conſeruandum eſt. Sunt enim quidam, qui volunt terminos patrum excedere, & ad alta volitare, in ima merguntur. volatilia dicentes cæli angelos eſſe, cæteraſque in Dei miniſterio fortitudines, quę abſque cura ſui Dei alantur prouidentia. Si hoc ita eſt, vt intelligi volunt, quomodo ſequitur dictum ad homines: Nõne vos magis pluris eſtis illis? Simpliciter ergò accipiendum: quod ſi volatilia abſque cura & ærumnis, Dei aluntur prouidentia: quæ hodie ſunt, & cras non erunt: quorum anima mortalis eſt, & cum eſſe ceſſauerint, ſemper nõ erunt: quanto magis homines, quibus æternitas promittitur, Dei reguntur arbitrio? *Tom. 6. Coment. lib. 1. in cap. 6. Mathæi.*

NONNE duo paſſeres &c.] Si parua animalia & vilia abſque Deo auctore non decidunt, & in omnibus eſt prouidentia, & quæ in his peritura ſunt, ſine Dei voluntate nõ pereunt: vos qui æterni eſtis, non debetis timere quod abſque Dei viuatis prouidentia. Iſte ſenſus & ſupra dictus eſt: Reſpicite volatilia cæli: quoniã non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater veſter cęleſtis paſcit illa: Nõne vos pluris eſtis illis? Ac deinceps: Cõſiderate lilia agri: quo modo creſcunt, & reliqua. Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit: quanto magis vos modicæ fidei? Quidam coactè duos paſſeres, animam & corpus interpretantur. Quinque quoque paſſeres ſecundum Lucam, qui duobus aſsibus veneũt, ad ſenſus referunt. Sed quo modo illa intelligentia toto Euangelici ſermonis corpori coaptetur, non paruæ difficultatis eſt. Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt. Nolite ergò timere, multis paſſeribus eſtis meliores vos. Manifeſtiùs ſuperior noſtræ expoſitionis ſenſus expreſſus eſt: quod timere non debeant eos, qui poſſunt occidere corpus, & animam non poſſunt: quoniam ſi ſine Dei ſcientia parua quoque animalia non decidunt, quanto magis homo qui Apoſtolica fultus ſit dignitate? Quod autem ait: Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt: immenſam Dei erga homines oſtendit prouidentiam, & ineſtabilem ſignificat affectum: quod nihil noſtrũ lateat Deum, etiam parua & otioſè dicta, eius ſcientiam non fugiant. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 10. Matthæi.*

*Matthæi. 6.*

*Luc. 12.*

QVONIAM non eſt nobis &c.] Poſt hæc retractandum, à quo principatus & poteſtates, & rectores tenebrarum mundi, & ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus, vt hoc ſint acceperint poteſtatem. Et quidem dicat alius, apoſtatam diabolum, ſatellitibus ſuis diuerſa officia commiſiſſe, & non eſſe harum diſtributionum authorem Deum. Cui poteſt illud diligẽs lector opponere, & quomodo ſcriptum eſt: Nõ eſt enim poteſtas niſi à Deo? Quod ſi de hominibus dicitur quanto magis de his qui ſunt ſubtiliores melioriſq; naturæ? Nec ſtatim qui hoc ſentiat blaſphemiæ eum crimen incurrere, quia vnuſquiſque iuxta ſuam voluntatem, diuerſa miniſteria ſortitus ſit. Quomodo enim in vrbibus eos qui aliquid commiſere flagitij, videmus vel beſtias alere, vel ſecare marmora, vel mũdare ſpurcitias cloacarum vel præeſſe gladiatoribus, & fundendo reorum ſanguini deſtinari. Ita & dæmones ex proprij arbitrij libertatẽ, inſidiarũ, fraudum, ſcelerum atque periurij, & reliquam vitiorum prouinciam eſſe ſortitos: vt ſint rectores tenebrarum, quia eſſe lucis principes noluerunt. *Tomo ſexto libro. 3. Com. in cap. ſextũ ad Ephe ſ.*

*Rom. 13.*

*Dei prouidẽtia conatus impiorum aduerſus pios vertit in piorum vtilitatem.*

ET vocauit famem ſuper terram &c.] Sæpius euenit, vt quæ putantur contraria eſſe, hæc prouidentia Dei pro vtilitate fiant. Niſi enim fratres Ioſeph zelati fuiſſent eum, ſi non vendidiſſent eum: quomodo deſcenderet in AEgyptum? Si non fames facta fuiſſet, quomodo Patriarchę deſcenderent in AEgyptum, & cognoſcerẽtur à fratre ſuo? Quomodo Pharao percuteretur decem plagis? Quomodo exirent de AEgypto? Quomodo in eremo de petra exirent aquę? Quomodo myſteria, quæ in deſerto facta ſunt in figura, nos ea ſpiritualiter intelligeremus? Si non Iudas Dominum prodidiſſet: quomodo nos ſaluaremur? Si non Iudæi crucifixiſſent & increduli fuiſſent: quomodo nos crederemus? Ioſeph ergò iuit in AEgyyptum præparare hoſpitium & alimenta fratribus ſuis. *Tom. 7. Com. in Pſal. 104.*

## VIII. Deum eſſe vbique.

*Hier. 23.*

SI Deus cælum tenet palmo, & terram pugillo; & Hieremias dicit: Deus appropinquans, & non Deus de longinquo: per Dauid quoque, quia nullus abſque eo locus ſit, prędicatur: quomodo filius peregrè proficiſcitur, & à patre diſcedit? Sciendũ igitur, nõ locorum ſpatijs, ſed affectu, aut eſſe nos cum Deo, aut ab eo diſcedere. Quomodo enim ad diſcipulos loquitur: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi: ita ad eos, qui ſui iactantiam præferunt, & eſſe cum Domino nõ merentur, dicit: Diſcedite à me: non noui vos, qui operamini iniquitatem. *Tom. 3. epiſto. 146. ad Damaſum.*

*Affectu aut ſumus cum Deo aut ab eo diſcedim⁹.*

EXTREMA ſchedula continebat, vtrũ poſt reſurrectionem, quadraginta diebus Dominus cum diſcipulis conuerſatus ſit, & nunquam alibi fuerit; an latenter ad cælum aſcenderit, atque deſcenderit, & nihilominus Apoſtolis ſuã præſentiam non negarit. Si Dominum Dei filium conſideres, de quo ſermo eſt, & illum eſſe, qui loquitur: Nonne cælum & terram ego repleo, dicit Dominus; Et de quo alius Propheta teſtatur. Cælũ mihi thron⁹ eſt, & terra ſcabellũ pedũ meorum. Et rurſum alibi: Qui tenet cælum palmo, & terram pugillo. De quo Dauid canit: Quo ibo à ſpiritu tuo: & à facie tua quo fugiam? ſi aſcẽdero in cęlum, tu ibi es, ſi deſcendero ad infernum tu ades? Et ſi habitauero in extremis maris: etenim ibi manus tua deducet me, & continebit me dextera tua: profectò non ambiges, etiam ante reſurrectionem ſic in Dominico corpore habitaſſe Deum Verbum, vt & in patre eſſet, & cæli circulum clauderet, atq; in omnibus infuſus eſſet, & circũfuſus. i. vt cuncta penetraret interior & cõtineret exterior. ſtultum eſt igitur, illius potentiam vnius corpuſculi peruitate finiri, quem non capit cælum: & tamen, qui vbiq; erat, etiam in filio hominis totus erat. Diuina quippe natura, & Dei ſermo in partes ſecrari non poteſt, nec locis diuidi: ſed cum vbiq; ſit, totus vbiq; eſt. Erat igitur vno eodemq́ue tempore & cum Apoſtolis quadraginta deibus & cum angelis, & in patre, & in extremis maris finibus erat: in omnibus locis verſabatur, cum Thoma in Iudia, cum Petro Romæ, cum Paulo in Illyrico, cum Tito in Creta, cum Andrea in Achaia, cum ſingulis Apoſtolis & Apoſtolicis viris in ſingulis cunctiſq́; regionibus. Quòd autem dicitur quoſdam deſerere vel non deſerere: non naturæ illius terminus ponitur, ſed eorum merita deſcribuntur, apud quos eſſe vel non eſſe dedignatur. *Tomo tertio, epiſtola centeſima quadrageſima octaua ad Marcellam.*

*Iier. 23.*

*Eſaiæ. 66.*



*Eſaiæ. 40.*

*Pſal. 13.*

*Deus vbiq; totus eſt.*

*Propter mala merita deſeruntur homines à deo.*

QVIA hæc dicit excelſus &c.] Cælum cæli Domino: in quem ſenſum & Moyſes famulus Dei pari voce conſentit: Ecce Domint Dei tui cælum, & cælum cæli: quod vtiq; non more Iudaico debemus accipere: vt Deus vllo claudatur loco, & in cælo tantùm habitet, qui vbiq; diffuſus eſt, & à quo omnia centinentur: Sed excelſa & cælos, ſanctos meritò intelligamus, atque virtutes. Iſte eſt enim qui habitat in cælo: de quo in Euangelio ſcriptum eſt: Nemo aſcendit in cælũ, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis qui eſt in cælo. Iſte requieſcit in ſanctis, & habitat in humilibus, & in his qui contriti ſunt ſpiritu. De quibus dicitur: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, Cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet. *Tomo. 4. lib. 16. Comment. in cap. 57. Eſaiæ.*

*Ioan. 3.*

ATTENDE de cælo &c.] Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis, Non quo omnipotens Deus qui tenet cælum palmo, & terram pugillo, vllo claudatur loco: ſed quæ ſanctiora ſunt, locus & habitaculum illius eſſe dicantur. Denique Salomõ qui ædificauit domum Dei, ad eum precans loquitur: Cæli cælorum, & terra non ſuſſiciunt tibi. Et in oratione Dominica dicitur: fiat voluntas tua ſicut in cælo, ita & in terra. Vbicunque ergò fit voluntas Dei, illud eſt habitaculum eius & domus Dei. *Tom. 4. lib. 17. Com. in cap. 63. Eſaiæ.*

*Præcipuè quæ ſanctiora ſunt, Dei locus & habitaculũ eſſe dicuntur.*

*Matth. 6.*

*Actor. 7.*

HAEC dicit Dominus &c.] Ne montem ſanctum intelligeremus Sion, & Iudaico caperemur errore, qui putant extruendam Hieruſalem, & omnia quę Dominus pollicetur ibi explẽda carnaliter: aufert nobis hanc ſuſpicionem, & ponit teſtimoniũ, quo vſus eſt Stephanus primus Martyr in Chriſto, aduerſum Iudaicam contentionem. Salomon ædificauit ei domum (haud dubium quin Deo) ſed non in manufactis excelſis habitat, ſicut propheta ait: Cælum mihi thronus eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Et Paulus in eodem volumine Deus qui fecit mundum, & quæ in eo ſunt, nequaquam in templis manufactis habitat. Si enim inſtar ſedentis in ſolio atq; regnantis, cælum thronus eſt, & terra ſcabellum pedum illius: Quo modo paruo claudetur loco qui complet omnia, & in quo ſunt omnia? Vnde & Moyſes: Ne dicas inquit, in corde tuo, longè eſt: Deus enim in cælo ſurſum, & ſuper terram deorſum, & non eſt alius præter eum Deus. Et Pſalmiſta: Quò ibo à ſpiritu tuo, & à facie tua quo fugiam? Si aſcendero in cælum, illic es: ſi ad inferna deſcendero, ades. Cui & Hieremias ex perſona Dei congruit dicens: Deus appropinquans ego, & non de longè Deus. Nunquid latere quis poterit in abſconditis, & ego non videbo eum? Nonne cælum & terram ego impleo? In ipſo enim omnes ſumus, & mouemur. Hoc autem dicit, vt Iudaicum conuincat errorem: qui putant inuiſibilem & incorporalem, & incomprehenſibilem Deum, templo Hieruſalem poſſe concludi. Quod quidem & ipſe Salomon extructor templi, in oratione ſua ad Dominum prolixiùs confitetur. Ac ne arbitremur cælo quoque & terra Dei magnitudinem metiendam: in alio loco de eo legimus: Qui tenet cælum palmo, & terram pugillo. Per quæ oſtenditur Deus & forinſecus, & intrinſecus, & infuſus & circumfuſus, dum & ſolio ambiente non concluditur, & pugillo concludit ac palmo. Qui non ſolum cæli & terræ, ſed & inuiſibilium creator eſt angelorum, & archangelorum, Dominationum, poteſtatum, & cunctorum hominum, de quibus Apoſtolus loquitur: Quæ omnia Dei manus operata eſt. De qua & Iob & Pſalmiſta commemorant: Manus tua fecit me & plaſmauit me. Omnia enim per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. De quo rurſum Ioannes: In mundo erat, ait, & mundus per ipſum factus eſt: Ipſe enim dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt. Et hoc quod ſcriptura Geneſeos myſtico ſermone demonſtrat: Dixit Deus, & fecit Deus. Verbo enim Domini cæli firmati, ſunt & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Nulluſq́ue locus eſt requietionis Domini, niſi iſte quem Propheta ſubnectit. *Tomo quarto Commentariorum libero Decimooctauo in caput 66. Eſaiæ.*

*Actor. 17.*

*Deut. 4.*

*Pſal. 138.*

*Hier. 23.*

*3. Reg. 8.*

*Col. 1.*

*Iob. 10.*

*Pſal. 118.*

*Ioan. 1.*

*Gen. 1.*

*Pſalm. 32.*

NVNQVID Deus è vicino ego ſum &c.] Aquila & Symmachus ſimiliter interpretati ſunt: Nunquid Deus de propinquo, ſiue vicino ego ſum, & non Deus de longè? ſeptuaginta verò & Theodotio ſenſu vertere contrario vt dicerent: Deus appropinquans ego, dicit Dominus, & non Deus de longe. Quòd ſcilicet ſuperiores aſſerant Deum non tantum vicina, ſed & ea quæ longè ſunt cognoſcere: nec pręſentia, ſed futura conſpicere. Iſti verò vbique Deum exiſtimant eſſe præſentem: nec aliquem eſſe locum vbi non adſit Deus. Omnibus enim, & præcipuè ſanctis appropinquat Deus quo modo ſi veſtimentum adhæreat cuti. Peccatores autem longè recedentes ab eo peribũt. Hunc ſenſum & in Pſalmis leginus: Quo ibo à ſpiritu tuo, & à facie tua quo fugiam? Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero ad infernum, tu ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis

*Præcipuè ſanctis ita appropinquat De⁹ quomodo veſtimentum adhæret cuti.*

*Pſal. 138.*

maris: Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Amos quoque in hæc verba conſentit dicens: Si deſcenderint vſque ad infernum, inde manus mea educet eos, & ſi aſcenderint vſque ad cælum, inde detraham eos. Et ſi abſconditi fuerint in vertice Carmeli, inde ſcrutans auferam eos: Et ſi cælauerint ſe ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo ſerpenti, & mordebit eos. Rurſumque in ſuperiori Pſalmo: Quia tenebræ, ait, non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ eius, & ita lumen eius.

*Amos. 9. Pſal. 138.*

Et introduxit me in atrium &c.] Orientali lumine omnia tenentur incluſa: ſecundum illud quod ſcriptum eſt: Nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Sin autem exterius & interius accipimus atrium: ſic intelligendum eſt, quod Deus & circunfuſus ſit, & infuſus: dicens per Prohetam: Qui tenet cælum palma & terram pugillo: vt omnia videantur ab illo includi. Et rurſum: Cælum mihi thronus eſt: terra autem ſcabellum pedum meorum, vt intra omnia eſſe credendus ſit: iuxta illud Vergilianum: Principio cælum, ac terras, campoſq; liquentes: Lucentemque globum Lunæ Titaniaq; aſtra Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus. Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet. *Tom. 4. lib. 12. Com. in cap. 40. Ezechielis.*

*Eſaiæ 10.*

Aliam parabolam audite &c.] Et peregrè profectus eſt, non loci mutatione: Nam Deus vnde abeſſe poteſt, quo complentur omnia? & qui dicit p Hieremiam: Ego Deus appropinquãs, & non de longinquo dicit Dominus. Sed abire videtur à vinea, vt vinitoribus liberum operandi arbitrium relinquat. *Tomo 6. Comment: lib. 4. in cap. 21. Matthæi.*

Nunc autem in Chriſto &c:] Deus vbiq; eſt, & totus vbique eſt, à quo quis poteſt ſeparari cum in eo ſint omnia: & ipſe per Prophetam loquatur. Ego Deus appropinquans, & non de longè: Et Pſalmiſta teſtatur. Si aſcendero in cælum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades. Cum igitur in eo ſint omnia procul tamen eſſe ab impijs dicitur: iuxta illud: Longè eſt Dominus ab impijs. Iſte à quo impij longè ſunt vicinus eſt ſanctis. Denique cum & ab Epheſijs eſſet procul in ſanguine Ieſu prope eis factus eſt. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 2. ad Epheſios.*

*Hier. 23. Pſal. 138. Deus procul ab impijs, & vicinus ſanctis. Prouerb. 15.*

Statuiſti in loco &c.] Quomodo dicit, in loco? Nunquid localis eſt Deus: Et localis, & non localis. Localis eſt ad ſe venientibus, & non localis, quia vbique eſt, ſed inuenitur in loco purè quærentibus. Vt illud: Et motus eſt locus in quo erant ſedentes. *Tomo ſeptimo Commentariorum in Pſal. 30.*

*Actor. 4.*

Eſto mihi in Deum &c.] Nunquid Deus localis eſt? Licet localis ſit ad ſe venientibus: ſed nõ eſt localis, quia vbiq; eſt. *Tom. 7. Com. in Pſal. 70.*

In omni loco &c.] Nihil reperitur vbi non dominetur. Omnia continet, & ſe vbiq; diffundit. *Tom. 7. Com. in Pſa: 102.*

Quo ibo à ſpiritu &c.] Quomodo tuam poſſum comprehendere notitiam, cum in te ſint omnia, nihilq; ſit quod te fugiat, & vbiq; ſit ſpiritus tuus? Ex quo intelligimus Deum eſſe qui totus vbiq; ſit. *Tom. 7. Com. in Pſal. 138.*

## IX. *Deum eſſe æternum.*

Paulus ſeruus Dei &c.] Sed nec hoc ſilentio prætereundũ puto, quo modo nõ mẽdax Deus ante æterna ſæcula, æternam ſpoponderit vitam: ex quo, iuxta hiſtoriam Geneſeos, factus eſt mundus, & per vices noctium ac dierum, menſiũ pariter & annorum, tempora conſtituta ſunt. In hoc curriculo & rota mundi, tempora labuntur & veniunt, & aut futura ſunt, aut fuerunt. Vnde quidam philoſophorum nõ putant eſſe tempus præſens, ſed aut præteritum aut futurũ: quia omne quod loquimur, agimus, cogitamus, aut dum fit, præterit, aut ſi nondum factum eſt, expectatur. Ante hæc igitur mundi tempora, æternitatem quandam ſæculorum fuiſſe credendum eſt: quibus ſemper cum filio & Spiritu ſancto fuerit pater, & vt ita dicam, vnum tempus Dei, eſt omnis æternitas, immò innumerabilia tẽpora ſunt, cum infinitus ſit ipſe, qui ante tempora omne tempus excedit. Sex millia necdum noſtri orbis implentur anni, & quantas prius æternitates, quanta tempora, quantas ſæculorum origines fuiſſe arbitrandum eſt: in quibus angeli, throni, dominationes, cæteræque virtutes ſeruierint Deo, & abſque temporum vicibus atque menſuris, Deo iubente ſubſtiterint. Ante hæc itaque omnia tempora, quæ nec ſermo eloqui, nec mens comprehendere, nec cogitatio tacita audet attingere, promiſit Deus pater ſapientiæ ſuæ Verbum ſuum, & ipſam ſapientiam ſuam, & vitam eorum qui credituri erant mundo eſſe venturam. Diligenter attendite textum & ordinem lectionis: quoniam vita æterna, quam non mendax Deus antè ſæcula æterna promiſit, non ſit abſque verbo Dei. *Tom. 6. libro. 1. Comment. in cap. 1. ad Titum.*

*Exod. 3. Hieronymus videtur exiſtimaſſe mundum ſex mille annos duraturum.*

## X. *Deum ſummum eſſe bonum, in quo vita beata conſiſtat.*

Nonageſimum Pſalmum legens, in eo loco, quo ſcribitur: Qui habitat in adiutorio altiſsimi, in protectione Dei cęli cõmorabitur: dixeram apud Hebræos pro Deo cæli eſſe poſitum, ſaddai, quod Aquila interpretatur, ἄλκιμον: quod nos robuſtum, & ſufficientem ad omnia perpetranda, accipere poſſumus: vnumque eſſe de decem nominibus, quibus apud Hebræos Deus vocatur. *Tom. 3. epiſt. 136. ad Marcellam.*

*Deus ſaddai ſufficiens ad omnia.*

Viuo ego, dicit &c] In veteri teſtamento, Dei iuramentum eſt. Viuo ego dicit Dominus. In nouo autem: Amen amen dico vobis. Sin autem hoc commune cum cæteris eſt: Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob: non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium. Et in alio loco: Placebo Domino in regione viuentiũ: quęrimus qua ratione commune vocabulũ propriè ſibi vendicet Deus. Sed quomodo dicitur, arbor bona & bonus homo, & bonus paſtor, & bonus ſeru⁹, nemo autem abſolutè bonus, niſi ſolus Deus: ſic cũ angeli cæteræq; virtutes, patriarchæ quoq; & prophetæ atque apoſtoli ſint viuentes, comparatione Dei omnipotentis, mortui appellantur. Quis eſt enim homo qui viuet, & non videbit mortẽ? Vnde & Apoſtolus Paulus de Deo, Qui ſolus, inquit, habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſsibilem. Et de fonte viuentium: Vita, inquit, veſtra abſcõdita eſt cum Chriſto in Deo. *Tom. 4. Com. lib. 5. in cap. 16. Ezechie.*

*Num. 14. Ioan. 1. 2. Matt. 13. Pſalmo 114. Deus ſolus abſolutè bonus, alij per participationem. Luc. 18. Pſal. 88. 1. Tim. 6. Coloſ. 3.*

## XI. *Deum eſſe inuiſibilem.*

Audite verbum Domini &c.] Aiunt Hebręi ob duas cauſas interfectum Eſaiam quòd principes Sodomorum & populum Gomorræ eos appellauerit: & quod Domino dicente ad Moyſen: Non poteris videre faciem meam: iſte auſus ſit dicere: Vidi Dominum ſedentem, ſuper thronum excelſum & eleuatum: non conſyderantes quod faciem & pedes Dei ſiue ſuos, quia in Hebręo ambiguè legitur, Seraphim texerint: & media tantum eius Eſaias vidiſſe ſe ſcribat. Homo igitur faciem Dei videre non poteſt: Angeli autem etiam minimorum in Eccleſia, ſemper vident faciem Dei. Et nunc in ſpeculo videmus & in ænigmate: tunc autem facie ad faciem quando de hominibus in angelos profecerimus, & poterimus cum Apoſtolo dicere: Nos autem omnes reuelata facie gloriam Dei ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, quaſi à Domini ſpiritu: Licet faciem Dei iuxta naturæ ſuæ proprietatem nulla videat creatura: & tunc mente cernatur, quando inuiſibilis creditur. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 1. Eſaiæ.*

*Duas ob cauſas interfect⁹ Eſaias. Exod. 33. Matth. 28. 2. Corin. 13. 1. Corint. 3.*

Et ea quæ ſub ipſo erant &c.] Quærat aliquis, quomodo nunc propheta Dominum vidiſſe ſe dicat, & non abſolutè Dominum, ſed Dominum Sabaoth, vt in conſequentibus ipſe teſtatur: cum Euangeliſta Iohannes dixerit: Deum nemo vidit vnquam? Et ad Moyſen loquatur Deus: Non poteris faciem meam videre: neq; enim videbit homo faciem meam, & viuet. Ad quod reſpondebimus, non ſolum patris diuinitatem, ſed ne filij quidem, & ſpiritus ſancti, quia vna in trinitate natura eſt, poſſe oculos carnis aſpicere: ſed oculos mentis. De quibus ipſe Saluator ait: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt: legimus, quod Abrahæ viſus ſit Dominus in hominis figura: Et cum Iacob quaſi homo luctatus ſit, qui Deus erat. Vnde & appellatus eſt locꝰ ipſe Phanuel: hoc eſt facies Dei. Vidi enim, ait Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea. Ezechiel quoq; vidit Dominum in forma hominis ſedentem ſuper Cherubim: à lumbis eius, & deorſum erat quaſi ignis: & ſuperiora habebant ſpeciem electri. Ergò Deus natura non cernitur, ſed videtur hominibus vt voluerit. *Tom. 4. lib. 3. Com. in cap. 6. Eſaiæ.*

*Ioan. 1. Exod. 33. Matthei 5. Geneſ. 32. Deus apparet hominib. vt voluerit.*

A ſæculo non audierunt &c.] Porrò iuxta 70. dicunt ſe nunquam alium Deũ cognouiſſe, præter eum qui verè eſt Deus: nec alterius talia opera tantaque vidiſſe, quę facturus ſit his, qui expectent miſericordiam eius, faciantq; iuſtitiam, & viarum illius recordentur. Et quomodo ſcriptũ eſt: Deum nemo vidit vnquam: Et iterum: Nemo videt faciem meam, & viuet? Ergo Deus nequaquam ſermonibus explicatur, nec oculis contemplabilis eſt: ſed ab his videtur, de quibus ſcritum eſt: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. *Tom. lib. 17. Com: in cap. 64. Eſaiæ.*

*Ioan. 1. Exod. 33.*

Et conuertit me &c.] Quod porta Orientalis extrà terminos mundi ſemper clauſa ſit, & humano nequaquam pateat aſpectui, Ioannis Euangelium probat, dicentis: Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus filius qui eſt in ſinuꝰ patris ipſe enarrauit, Quaſi alijs verbis dixerit: Eritq; clauſa principi. Princeps ſolus ſedebit in ea, vt comedat panem perfectæ & conſummatæ ſcientiæ. Nemo enim nouit filium, niſi pater, & nemo nouit patrem niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. *Tomo quarto lib. 13. Commentar. in cap. 44. Ezechielis.*

*Ioan. 1. Per reuelationem Trinitas cognoſcitur.*

Haec dicit Dominus exercituum &c.] Qui viderit filium, videt & patrem, & imago eſt Dominus Saluator Dei inuiſibilis: non quod filius viſibilis ſit, & inuiſibilis pater, ſed quod filio nominato ſentiatur pater. Nequaquam enim pater eſt, ſi non habet filium. Vnde & ipſe loquitur in Euangelio:: Pater, manifeſtaui nomen tuum hominibus, *Tomo quinto libro 2. Comment: in cap. 8. Zachariæ.*

## XII. *De decem Dei nominibus.*

Nonageſimum Pſalmum legens, in eo loco qui ſcribitur: Qui habitat in adiutorio altiſsimi, in protectione Dei cæli commorabitur: dixeram apud Hebræos pro Deo cęli eſſe poſitum, ſaddai, quod Aquila interpretatur, ἄλκιμον, quod nos, robuſtum, & ſufficientem ad omnia perpetrãda, accipere poſſumus, vnumque eſſe de decem nominibus, quibus apud Hebræos Deus vocatur, Illicò ſtudioſiſsimè poſtulaſti, vt tibi vniuerſa nomina cum ſua interpretatione digererẽ: faciam, quod petijſti.

*Conſulatur Petr⁹ Galat. de arcanis myſterijs Catholicæ veritatis.*

Primum
nomen Dei eſt El, quod Septuaginta θεὸν, id eſt 1. *Dei nomẽ.*
Deum, Aquila ἐτυμολογίαν eius exprimens ἰσχυ-
ρὸν, id eſt, fortem interpretatur: deinde Eloim, & 2. 3.
Eloe, quod & ipſum Deus dicitur. Quartum Sa- 4.
baoth, quod Septuaginta, virtutum, Aquila, ex-
ercituũ tranſtulerunt. Quintum Helion, quod 5.
nos excelſum dicimus. Sextum Eſer eheie, quod 6.
in Exodo legitur: Qui eſt, miſit me. Septimum 7.
Adonai, quem nos Dominum generaliter ap-
pellamus. Octauum, ia, quod in Deo tantum po 8.
nitur. & in alleluia extrema quoque ſyllaba ſo-
nat. Nonum, τετραγράμματον, quod ἀνεκφώνητον, 9.
id eſt, ineffabile putauerunt, quod his literis ſcri-
bitur, iod, he, vau, he: quod quidam non intelli-
gentes propter elemẽtorum ſimilitudinem, cum
in Græcis libris repererint, pipi legere conſueue-
runt. Decimum, quod ſuperiùs dictum eſt Sad- 10.
dai, & in Ezechiele interpretatum ponitur.

Scire autem debemus, quod אלהים communis numeri ſit, quod & vnus Deus ſic vocetur, & plures: ad quem ſimilitudinem cælum quoque appellatur, & cæli, id eſt ſamaim, vnde & ſœpe interpretes variant, cuius exemplum nos in lingua noſtra habere poſſumus Athenas, Thebas, Salonas. *Tom. 3. epiſto. 136. ad Marcellam.*

Lavdate Dominum, quoniam &c.] Iſte Pſalmus halleluia titulo prænotatur. Solent hi, qui Hebræam ignorant linguam, quando viderint in pſalmorum titulo eſſe præpoſitum halleluia, quærere quid ſignificet. Pſalmus igitur iſte non ſolum in titulo, ſed & in exordio Pſalmi habet alleluia. Vbi autem dicitur: Laudate Dominum in Hebræo dicitur halleluia, Deus enim apud Hebræos decem habet nomina: dicitur Sabaoth: dicitur Saddai, dicitur Eloim: dicitur El: dicitur etiam Ia: dicitur Aeheieh. Inter cætera autem nomina vnum eſt nomen, quod dicitur Ia: Ia autem interpretatur inuiſibilis. Vbi ergò dicitur laudate, in Hebræo dicitur hallelu. Sic di-

*Decem dei nomina.*

citur hic halleluia: quo modo ſi diceretur hallelu Sabaoth, hallelu Saddai, hallelu Eloim: ſic & nunc dicitur halleluia. Deniq; Theodotio, qui vnus eſt de interpretibus, volens interpretationis ediſcere veritatem, ait: ἀινεῖτε θεὸν. Hoc totum quare diximus? Vt ſciamus in iſto Pſalmo halleluia eſſe præpoſitum: laudate Dominum, Hæc interpretatio eſt. *Tomo ſeptimo Com. in 146.*

## *Caput ſecundum, De Trinitate & Vnitate Dei.*

### I. *In diuinis eſſe Trinitatem perſonarum & Vnitatem eſſentiæ.*

*Lege Genebrardum Doctorem Pariſieſem aduerſus Trinitarios.*

*Sabelliani trinitatem in vnius perſonæ anguſtias cogunt.*

PRIMVM in fidei regula diſcrepamus. Nos patrem & filium & ſpiritum ſanctum in ſua vnumquemq; perſona ponimus, licet ſubſtantia copulemus: illi Sabellij dogma ſuſtinentes Trinitatē in vnius perſonæ anguſtias cogunt. *Tom. 2. Epiſto. 54. ad Marcellam.*

QVID reſpondebis pro Didymo, qui certè in trinitate catholicus eſt. *Tom. 2. li. 2. aduerſus Ruf.*

HAERETICVS vocor, homouſion prædicans trinitatem. Sabellianæ impietatis arguor, tres ſubſiſtentes, veras, integras, perfectaſq; perſonas indefeſſa voce pronuncians. ſi ab Arrianis, meritò: ſi ab orthodoxis qui huiuſmodi arguunt fidem, orthodoxi eſſe deſierunt. *Tom. 2. Epiſ. 77. ad Marcum.*

INTER poſſeſſione & creationem multa diuerſitas eſt poſſeſſio ſignificat, quod ſemper filius in patre, & pater in filio fuerit. Creatio autem eius, qui prius non erat: conditionis exordium. *Tom. 3. epiſto. 139. ad Cyprianum.*

QVIDAM ex perſona patris dictum intelligi volunt: quod ex imis vitalibus & cordis arcanis verbum ſuum, quod in ſe erat ſemper protulerit, iuxta alterius Pſalmi vaticinium: Ex vtero *Pſalmo 109* ante Luciferum genuite: vt quomodo vterus non ſignificat vterum (neque enim Deus diuiditur in membra, ſed eandem ſubſtantiam patris filijq; demonſtrat) ſic cor & verbum, quod profertur ex corde, patrem oſtendat, & filium. Et quod ſequitur: Dico ego opera mea regi: illi aptant intelligentiæ. Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt: quod dicente patre operatus ſit filius. Omnia enim quæcunq; pater facit, eadem & filium facere: ſimiliter & patrem manentem in eo operari cuncta per filium. *Tom. 3. epiſt. 140. ad Principiam.*

*Pſalm. 31.*
*Ioan. 14.*

QVANQVAM pater in filio, & filius in patre & alterutrū ſibi & habitator, & thronus ſint: tamen in hoc loco ad regem, qui Deus eſt, ſermo dirigitur. *Tom. 3. epiſt. 140. ad Principiam.*

MIHI Perſonæ diuerſitas non facit quæſtionem: cum ſciam & Chriſtum & ſpiritum ſanctum vnius eſſe ſubſtantiæ, nec alia ſpiritus verba eſſe, quam filij: nec aliud filium iuſſiſſe, quàm ſpiritum. *Tom. 3. epiſto. 142. ad Damaſum.*

IN ambobus teſtamentis trinitas prædicatur. *Tom. 3. Epiſt. 142. ad Damaſum.*

NVNC breuiter illud attingimus, quare in Hebræo ſit poſitū, & quis ibit nobis? Sicut enim in Geneſi dicitur; faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: ita & hic putò dictum, & quis ibit nobis? Nobis autem quibus alijs exiſtimandum eſt, niſi patri, & filio & ſpiritui ſancto, quibus vadit, quicunq; eorum obſequitur voluntate? Et in eo quidem: quod vnius loquentis perſona proponitur, diuinitatis eſt vnitas. In eo verò quod dicitur, nobis, perſonarū diuerſitas indicatur. *Tom. 3. epiſto. 143. ad Damaſ.*

NON ait, vt ſit pater omnia in omnibus, ſed vt ſit Deus: quod proprium nomen eſt trinitatis etiam ad patrem quā ad filium & Spiritū ſanctum referri poteſt, vt humanitas ſubijciatur diuinitati. *Tomo 3. Epiſto. 147. ad Amandum.*

*Humanitas diuinitati ſubijcitur.*

SI & pater conſolator, & filius conſolator, & ſpiritus ſanctus conſolator eſt, & in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, quod intelligitur Deus, baptizantur credentes: Quorum vnum diuinitatis & conſolatoris eſt nōmen, eorum & vna natura eſt. Hic ſpiritus ſanctus non ſolum in Apoſtolis, ſed etiam in Prophetis fuit, de quo Dauid orabat, dicens: Spiritum tuum ſanctum ne auferas à me. Et Daniel ſpiritum Dei habuiſſe *Pſal. 51.* narratur: & Dauid in ſpiritu loquitur, dixiſſe Dominum Domino ſuo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Nec ſine ſpiritu ſancto prophetauerunt prophetæ: & verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum: & quicquid patris & filij eſt, hoc idem & ſpiritus ſancti eſt: & ipſe ſpiritus ſanctus cum mittitur, à patre & filio mittitur: in alio atq; alio loco, ſpiritus Dei patris, & Chriſti ſpiritus appellatur. *Tom. 3. Epiſto. 150. ad Hedibiam. quæſt. 9.*

NOTANDVM, quod myſterium trinitatis in huius capituli fine monſtretur, ex Deo enim in ſpiritu ſancto, coram Deo patre, in Chriſto loquimur. *Tomo tertio epiſtola 150. ad Hedibiam quæſt. 11.*

QVOD ſi quæſieris, quare vocetur villicus iniquitatis in lege, quę Dei eſt: iniquus erat villicus qui benè quidem offerebat, ſed non benè diuidebat, credens in patrem, ſed filium perſequens: habens Deum omnipotentem, ſed ſpiritum ſanctum negans. Prudentior itaq; fuit Paulus Apoſtolus in tranſgreſſione legis filijs quondam lucis, qui in legis obſeruatione verſati, Chriſtum qui Dei patris verum lumen eſt, perdiderunt. *Tom. 3. epiſt. 151. ad Algaſiam, quæſtione. 6.*

*Iudæi Chriſtum lumen patris perdiderunt.*

IAM & tertius ictus ſacramentum fruſtratus erat trinitatis. *Tom. 1. epiſt. 49.*

SCRIPSIT de Paſcha, de ſabbatho, de circūciſione, de ſacerdote, de Oratione, de cibis Iudaicis, de inſtantia, de Attalo, multaq; alia, & de trinitate grande volumen. *Tom. 1. de viris illuſtribus in Nouatiano.*

IN ſymbolo fidei & ſpei noſtræ, quod ab Apoſtolis traditum non ſcribitur in charta, & atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus poſt confeſſionem Trinitatis & vnitatem Eccleſię, omne Chriſtiani dogmatis Sacramentum carnis reſurrectione concluditur. *Tom. 2. Epiſtola. 61 ad Pammachium cap. 9.*

*Symbolum Apoſtolorum ex traditiōe.*

INTERROGAMVS, quid tres hypoſtaſes poſſe arbitrentur intelligi. Tres perſonas ſubſiſtentes, aiunt. Reſpondemus nos ita credere. Non ſufficit ſenſus, ipſum nomen efflagitant: quia neſcio quid veneni in ſyllabis latet. Clamamus, ſi quis tres hypoſtaſes, aut tria enyſpoſtata, hoc eſt, tres ſubſiſtentes perſonas nō confitetur, anathema ſit. Et quia vocabula non ediſcimus, hæretici iudicamur. Si quis autem hypoſtaſin vſiam intelligens, non in tribus perſonis vnā hypoſtaſin dicit, alienus à Chriſto eſt: & ſub hac cōfeſsione vobiſcum pariter cauterio vnionis inurimur. Diſcernite, ſi placet obſecro: non timebo tres hypoſtaſes dicere: ſi iubetis, condatur noua poſt Nicenam fides: & ſimilibus verbis, cum Arrianis cōfiteamur Orthodoxi. Tota ſęculariū litterarum ſchola nihil aliud hypoſtaſin, niſi vſiam, nouit. Et quis, rogo, ore ſacrilego tres ſubſtantias prædicabit? Vna eſt Dei & ſola natura, quæ verè eſt: id enim, quod ſubſiſtit, non habet aliundè, ſed ſuum eſt. Cętera, quæ creata ſunt, etiam ſi videntur eſſe, non ſunt: quia aliquando nō fuerunt, & poteſt rurſum non eſſe, quod nō fuit. Deus ſolus, qui æternus eſt, hoc eſt, qui exordiū non habet, eſſentiæ nomen verè tenet. Idcircò & ad Moyſen de rubo loquitur: Ego ſum, qui ſum. Et rurſum: Qui eſt, me miſit. *Tom. 2. epiſto. 57. ad Damaſum.*

*Hæretici etiā in ſyllabis laqueos tendūt & venenā occultant.*

*Exod. 3.*

NON diſcutio parumper elocutiones tuas, quas & tu contemnis, & deſpicis: tantum ſenſibus reſpondebo. Aliud à te quæritur, & pro alio ſatisfacis. Contra Arrij domata iam Alexandriæ in carceribus & exilijs dimicaueras, non voce, ſed ſanguine, nunc ſuper Origenis hæreſi tibi calumnia commouetur. Nolo cures quæ ſana ſunt, vulnera medicare: Trinitatem dicis vnius eſſe deitatis. Hoc toto credente iam mundo, puto quod & dæmones confiteantur filium Dei natum de Maria virgine, & carnem naturæ humanæ, atque animam ſuſcepiſſe. *Tomo ſecundo lib. 2. Apologiæ. aduerſus Ruffinum.*

DOMINE Deus noſter, &c.] Quod ſequitur, Domine abſque te alium non nouimus, non excludit filium, ſed iungit patri, neq; enim dixit, aliū nō nouimus, ſed extrà te alium non nouimus. *Ioan. 14.* Cum autem dicat filius: Ego in patre & pater in me, extrà patrem non nouimus filium: quia in patre cognoſcimus eum. Deniq; & nomen illius *Matt. 6.* nominamus, dicentes in oratione Dominica: Pater noſter qui es in cœlis. *Tomo. quarto lib. 8. Com. in cap. 26. Eſaiæ.*

SERAPHIM ſtabant ſuper &c.] Quod clamat alter ad alterū: vel iuxtà Hebręos: iſte ad iſtū id eſt, vnus ad vnū: inuicem ſe ad laudes Domini cohortantur, & dicunt. Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus exercituum: vt myſterium trinitatis in vna diuinitate demonſtrent: Et nequaquam templū Iudeorum, ſicut prius, ſed omnem terram illius gloria plenam eſſe teſtentur: qui pro noſtra ſalute dignatus eſt humanum corpus aſſumere, ad terraſque deſcendere. Denique & Moyſi cum pro adorato vitulo Dominum precaretur, vt parceret populo peccatori: reſpondit Dominus: *Num. 14.* Propitius ero illis: Veruntamen viuo ego, & viuit nomen meum: quia implebitur gloria mea omnis terra. Et ſeptuageſimus primus Pſalmus canit: Implebitur gloria eius omnis terra. Vnde *Luc. 2.* & angeli clamabant paſtoribus: Gloria in excelſis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Impiè ergò quidam, duo Seraphim, filium & ſpiritum ſanctum intelligit: cum, iuxtà Euangeliſtam Iohannem, & Paulum Apoſtolum, filium Dei viſum in maieſtate regnantis, & ſpiritum ſanctum locutum eſſe doceamur. *Tomo*



*4. lib. 3. Com. in cap. 6. Eſaiæ.*

ET audiui vocem Domini &c.] Quando ex Dei perſona dicitur, nobis: illo ſenſu accipiendum eſt, quo in Geneſi legitur: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: vt *Gen. 1.* ſacramentū indicet Trinitatis. Quomodo enim in Euangelio legimus dicentem Dominum: Ego *Ioan. 10.* & pater vnum ſumus: & vnum, ad naturam referimus: ſumus, ad perſonarum diuerſitatem. Sic Domino iubente Trinitas imperat: *Tom. 4. lib. 3. Com. in cap. 6. Eſaiæ.*

ICCIRCO ſuper hoc &c.] Quia per Apoſtolos de ſtirpe Iſrael in toto Orbe Euangelium ſeminabitur, & deſtruetur idololatria, & comminuentur aræ vſque ad puluerem: ſuccidentur luci, delubra corruent, & Dei vnius ſub myſterio trinitatis notitia prædicabitur. *Tom. 4. lib. 8. Com. in cap. 17. Eſaiæ.*

HAEC dicit Dominus Deus &c:] Quod infert Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo: non excludit filium, cui dicenti in Euangelio: Pater, glorifica me gloria *Ioan. 17* quam apud te habui, priuſquam mundus eſſet: Ipſe reſpondit: Et glorificaui, & glorificabo. Neque enim dixit: Gloriam meam nulli dabo, quod ſi dixiſſet, excluſiſſet & filium: ſed gloriam meam alteri non dabo, præter te, cui dedi, cui daturus ſum: Vnde proprietatem ſanctæ Scripturæ vehementer admiror, quod verbum אחר ahet omnes interpretes voce cōſona tranſtulerūt, alterum: qui in multis alijs ſoliti ſunt diſcrepare. Vt autem ſciamus per hanc ſententiam non excludi filium. ſed idola, ſequentia verba teſtātur: Et laudem meam ſculptilibus. *Tom. 4. lib. 12. Com. in cap. 42. Eſaiæ.*

*Proprietas ſacræ ſcripturæ mira.*

ET nunc hæc dicit &c.] Ego teſtis dicit Dominus Deus, & puer quem elegi, dicente hoc ipſum Domino in Euangelio: Duorum hominum teſtimonium verum eſt. Ego ſum qui teſtimonium perhibeo ad me, & qui miſit me pater. Sic & de Diuinitate illius ſentiendum eſt, quod nullus ſit Deus, niſi ipſe qui loquitur, & puer eius quē elegit. Pulchreque præter Deum patrem, alter nullus eſt Deus: quia Chriſtus Dei virtus eſt, & Dei ſapientia, qui loquitur in Euangelio: Ego in patre, & pater in me eſt. Sicut enim vnus Chriſtus Dominus non aufert patri, ne Dominus ſit: ſic vnus Deus pater non aufert filio, ne Deus ſit: qui in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum. Quodque ſequitur: Et non eſt abſque me Saluator: oſtendit in patre filium cuncta ſaluare, de quo idem Propheta teſtatur: Et mittet eis Dominus Saluatorem, qui ſaluos eos faciet. Neque enim Deus ſapiens & fortis, ſine ſua poteſt eſſe ſapientia & virtute. *Tom. 4. lib. 12. Com. in cap. 43. Eſaiæ.*

AVDI me Iacob &c.] Quando fiebant omnia à patre, ipſe erat cum eo, cui adgaudebat, qui etiam nunc dicit: Ego qui ſemper eram cum patre, & in patre, & ſine patre nunquam eram, etiam nunc loquor, & iuxta fragilitatem carnis aſſumptæ dico, quòd Dominus Deus miſerit me, & ſpiritus eius Breuiq; verſiculo trinitatis nobis oſtēditur ſacramentum. *Tom. 4. lib. 13. Com. in cap. 48. Eſaiæ.*

*Quędā verba loquitur Chriſtus iuxta fragilitatem humanæ carnis.*

ET peruertiſtis verba Dei &c.] Notandū quòd verba Dei viuētis, Domini exercituū, Dei noſtri

Latini & Græci codices non habeant, & Hebræi in ſuis voluminibus contra ſe legant, quod propriè myſterium ſignificat trinitatis. *Tom. 4. lib. 4. Com. in cap. 23. Hieremiæ.*

*Sancti viri anima eſt Dei hoſpitium.*

Benedicta gloria Domini de loco ſuo, &c.] Locus Domini eſt omnis in quibus hoſpitium inuenit, aut certè filius locus eſt patris, ſicut & pater locus eſt filij, dicente Domino Saluatore: Ego in patre, & pater in me: Hoc idem ſignificat & Michæas: Ecce Dominus egredietur de loco ſuo: & deſcendet ſuper excelſa terræ: & cõmouebuntur montes ſubter eum, & valles tabeſcent ſicut cera à facie ignis, & ſicut aqua quæ defertur in præceps: deſcendẽte enim Domino Saluatore, & proficiſcente de patre, excelſa terræ, monteſque commoti ſunt, & inferiora vallium liquefacta. *Tom. 4. Com lib. 1. in cap. 3. Ezechielis.*

*Ioan. 14. Mich. 1.*

Similam & mel &c.] Poſt veſtitum, ciborum curam gerit, vt comedat Hieruſalem similam, mel, & oleum: vel per partes, vt pleriq; æſtimant, vel commiſtione triũ, dulciorem panẽ, qui panis de cælo deſcendit, ac ſub tribus nominibus (vt nonnulli putant) ſacramentum indicat trinitatis: non quo alia atque alia ſubſtantia ſit, ſed quo diuerſis ſimilæ & mellis & olei nominibus, patris & filij, & Spiritus ſancti vna dulcedo monſtretur. Et hoc animaduertendum, quòd in multis ſacrificijs offeratur ſimila, medulla frumẽti atq; puriſsima, de qua ſcriptũ eſt: Et de adipe frumenti ſatiauit eos: nõ de hordeo nec de farina quæ tunc ſolũ offertur, quãdo maritus zelotypiæ ſpiritu cõmouetur. In Iudicũ volumine Deborã legimus, quæ interpretatur apis: cuius prophetia mella dulciſsima ſunt, & refertur ad Spiritũ Sanctum, qui apud Hebræos appellatur genere fœminino רוח. In Euangelio quoque Hebræorũ, quod lectitant Nazaræi, Saluator inducitur loquẽs: Modò me arripuit mater mea, Spiritus Sãctus. Porrò ſimila, quæ de frumento conficitur, refertur ad Dominum, qui de ſemetipſo ait: Niſi granum tritici ceciderit, & in terra mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Oleum verò, quòd laſſorum membra ſuſtentat & reficit, & luminis nutrimentum, & quo in tabernaculo Dei iuge lucernæ lumen accenditur, patri dicitur conuenire. Quæ omnia vnam credentibus tribuunt gratiam, dicente Apoſtolo: Diuiſiones ſunt gratiarum, vnus autem ſpiritus: & diuiſiones miniſteriorum, vnus autem Dominus: & diuiſiones operationum, vnus autem & idem Deus: Qui talem comederit cibum, & hoc dulciſſimo & ſuauiſſimo pane, oleique ſplendore fulgente, paſtus fuerit ac nutritus, vertetur in decorem, & fiet pulcherrimus, non ſemel, ſed repetito, nimis nimis. Duplicatum enim aduerbium pondus facit orationis: quo ad pulchritudinis magnitudinem addi vltra nihil poſsit. *Tom. 4. lib. 4. Com. in cap. 16. Ezechielis.*

*Ioan. 6. Pſal. 80. Num. 5. Iud. 4. Rouah. Spiritus ſanctus mater noſtra appellatur. Ioan. 12. 1. Cor. 1.*

Vivo ego dicit Eominus &c.] Ipſe dicit: Pater quod dedit mihi, omnibus maius eſt, & nemo poteſt rapere de manu patris mei. Ex quo perſpicitur, vna patris filijque poteſtas, virtus, atque ſubſtantia. Si enim de filij manu, quæ dedit pater, nemo poteſt rapere: & hæc eadem in patris manu ſunt, quę non rapiuntur ab eo: liquido comprobatur, omnia patris & filij eſſe communia, & in filij manu tenere patrem, ſicut patris manu tenetur quæ filij ſunt. *Tomo quarto libro ſexto Com. in caput 40. Ezechielis.*

*Patris & filij omnia cõmunia.*

Portam quoque, &c.] Quod dicuntur thalami, tres hinc & tres inde: hoc docet, quod tam litera quam ſpiritus, & vtraq; intelligentia, & hiſtoriæ & tropologiæ, ad trinitatis ſacramenta pertineant, *Tom. 4. lib. 12. Com: in cap. 40. Ezechielis.*

*Trinitatis myſterium eſt, porta ad Deum ingredientium.*

Et introduxit me in veſtibulum &c.] Statim prudens lector intelligit, trinum numerum ad trinitatis myſterium pertinere, quæ porta eſt ingredientium ad Deum: dum & pater in filio eſt, & filius in patre, & in vtroque ſpiritus ſanctus. Qui ternus numerus, vna porta eſt eorũ, qui poſt baptiſmum trinitatis perueniunt ad ſalutem. *Tom. 4. lib. 12. Com. in cap. 40. Ezechielis.*

Et contrà pauimentum ſtratum &c.] Vna porticus ab imbre & æſtu protegens ſacerdotes, & iuncta porticui triplici demõſtrat myſterium trinitatis: quod cum patris, & filij, & ſpiritus ſancti diuidatur nominibus, tamen vna ſibi diuinitate cõiungitur. *Tom. 4. Com. li. 13. in ca. 42. Ezech.*

*Tit. 3. Pſal. 20. Patris & filij vnum regnum. Pſal. 71.*

Ego os regis cuſtodio &c.] Videtur mihi quidem præcipere iuxta Apoſtolum regibus & poteſtatibus obſequendum: maximè 70. interpretibus imperatiuo modo dicentib. στόμα βασιλέως φύλαξον, id eſt, os regis cuſtodi. Sed ego puto de illo rege nunc dici, de quo Dauid ait: Domine in virtute tua lætabitur rex: Et in alio loco: vt patris & filij regnum vnum ſignificet ſcriptura commemorat: Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis. Non enim iudicat pater quenquam, ſed omne iudicium dedit filio, Qui rex filius Deus, patris regis eſt filius. *Tom. 5. Com. in cap. 8. Eccleſiaſt.*

Qvia hæc dicit Dominus Deus &c.] Sicut ſeptenarius numerus habet ſacramentum ſuum: ſic ſanctificatus atque perfectus, & vt ita dicam, verus eſt numerus, qui vnione retinetur, & vnius Dei maieſtate concluditur Vnde dicit filius: Ego in patre & pater in me: volenſque omnes vnum eſſe cum patre, loquitur ad eum: Pater da, vt ſicut ego & tu vnum ſumus: ſic & iſti in nobis vnum ſint. *Tomo 5. lib. 2. Com. in cap. 5. Amos.*

*Pſalm. 148. Ioan. 1.*

Qvia ecce dominus &c.] Si mandat, quo modo percutit? Si percutit, quo modo mandat? Sed in eo quod mandat & iubet miniſtris videtur percutere quomodo in iubente patre & faciente filio, facit ipſe qui iuſsit impleto illo verſiculo: Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit & creata ſunt: Omnia enim per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. *Tom. 5. lib. 3. Com: in cap. 6. Amos.*

*Saluator quaſi homo poſtulat & quaſi Deus pollicetur*

Veruntamen rurſum &c.] Vel certè quia legitur: Pater in me, & ego in patre: Sicut templũ patris filius eſt: ita templum filij pater. Ipſe enim dicit: Ego de patre exiui, & veni: Et verbum erat apud Deum & Deus erat verbum: Aut vnus idemq; Saluator, quaſi homo poſtulat, quaſi Deus pollicetur, & de ſua quam ſemper habuit poſſeſsione ſecurus eſt. Ex Ionę verò perſona vel optantis, vel confidentis affectu, liquidò intelligi poteſt: quod deſiderauerit in profundo maris poſitus videre templum Domini, & ſpiritu prophetali alibi ſit, & alibi contempletur. *Tom. 5. Com. in cap. 2. Ionæ.*

*Rom. 16. Gen. 1.*

Et ſuſcitabimus ſuper eum &c.] ſuſcitabimus ego & filius meus, & ſpiritus ſanctus, iuxta illud quod in Geneſi ſcriptũ eſt: faciamus hominem



nem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Et in Abdiæ principio: Surgite & aſcendamus aduerſus eam in prælio. *Tom. 5. lib. 2. Coment. in cap. 5. Micheæ.*

Devs ab Auſtro veniet &c.] Agnitio Dei patris his qui digni ſunt, venit in pleno lumine. Et agnitio ſancti, id eſt filij Dei, venit de monte vmbroſo & condenſo. Mons vmbroſus atque condenſus: vel ipſe pater intelligitur, plenus virtutibus omnique ſapientia, & maieſtate ſua cuncta protegens, & extendens alas, & confouens pullos ſuos. Vel certè paradiſus & cæleſtia plena angelis, plena virtutibus, plena arboribus vberrimis. Atque vtinam & mihi contingat vt ad vocem meam, & ad expoſitionem, Deus veniat in claro lumine, & filius eius, de quo ſcriptum eſt. Sancti eſtote quoniam ego ſanctus ſum, de ſublimitate eloquij vmbroſi & condenſi, & ſcripturarum teſtimonijs hinc inde contexti, & patre ſimul filioque veniente, fiat eorum auditor habitaculum, & compleatur ſcriptura dicens. Ego & pater meus veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus. Sed quia pro monte vmbroſo, & condenſo in Hebræo ſcriptum eſt, mons Pharan, & Pharan interpretatur os videntis: pulchrè iuxta interpretationem noſtram, de eruditi ſermone viri venit notitia filij, & non qualiacunque ſermone, ſed de eo qui plenus eſt lumine, plenus oculis: vt manifeſtus & purus ad aures audientium deferatur. *Tomo 5. in cap. 3. Habacuc.*

*Leuit. 19. Scripturarũ teſtiomnia ad vnã materiam pertinentia hinc inde contexenda ſunt.*

Ficvs enim non florebit &c.] Multi putant ficum, & vineam & oliuam in myſterio accipi trinitatis: quod ficus propter pomorum dulcedinem Spiritus ſanctus intelligatur: Vinea ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui dicit in Euangelio: Ego ſum vitis. Oliua autem Deus pater omnipotens: à quo cuncta illuminentur, & de quo egrediatur lux, & ad quem poſſumus dicere: ô oliua in lumine tuo videbimus lumen, id eſt, in filio videbimus ſpiritum ſanctum. Ad has fructuoſas arbores, & vberrimam vineam, veniunt infructuoſa ligna in Iudicum libro, & rogant vt regnet ſuper ſe. Sed nunquam ſuper ligna ſyluarum, quæ debentur incendio, regnat oliua, ficus & vinea: ſed magis imperat eis ramus plena ſentibus, & ericio ſimilis, qui habitat in Babylone, & ſemper verſatur in foueis. Quæ arbuſcula non ſolum ſpinas habet, ſed & ignem: vulnerans & comburens quidquid attigerit. Denique egreſſus eſt ignis, & conſumpſit ligna ſyluarum. *Tom 5. Com. in cap. 3. Habacuc.*

*Ioan. 15.*

Qvapropter expecta me &c.] Et iuxta illud quod in alio loco præcipit: Eſtote mihi teſtes, & ego teſtis, dicit Dominus Deus, & puer quem elegi, teſtis eſt nobis, pater cum filio & ſpiritu ſancto: vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. Et magis mihi videtur ſic ſtare ſentẽtia, & ſub his tribus teſtibus veritas confirmari, quam per litteram, duo enim fuerunt teſtes contra Suſannam, & contra ipſum Dominũ Saluatorem, & tamen non ſtetit verbum in ore eorum. Contra Nabaoth quoque penè tota ciuitas dixit teſtimoniũ: conſenſusq; teſtiũ peſsimorũ non firmitatẽ habuit veritatis, ſed ſceleris coniurationem. *Tom. 5. Com. in cap. 3. Sophoniæ.*

*Eſaiæ 43. Matth. 18. Daniel. 13. Matth. 26. 3. Reg. 21.*

*Lampas Deus pater.*

Et reſpondi, & dixi ad eum &c.] Duas oliuas quidam è noſtris filium interpretantur, & ſpiritum ſanctum, & mediam lampadem Deum patrem. *Tomo quinto. lib. 1. Com. in cap. 4. Zachariæ.*

Et qui procul &c.] Legi in cuiuſdam libro hoc quod dicitur: Et conſilium pacificum erit inter duos: ad patrem referri & ad filium: quia non ſuam, ſed patris venerit facere voluntatem: & pater in filio ſit, & filius in patre. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 6. Zachariæ.*

Qvis eſt in vobis &c.] In vobis claudentur oſtia; patris videlicet & filij & ſpiritus ſancti. Vnde Saluator loquitur: Ego ſum oſtium. *Tom. 5 Com. in cap. 1. Malachiæ.*

*Ioan. 10. Myſterium Trinitatis in baptiſmate Chriſti.*

Et ecce aperti ſunt &c.] Myſterium trinitatis in baptiſmate demonſtratur: Dominus baptizatur, ſpiritus deſcendit in ſpecie columbæ: patris vox teſtimonium filio perhibentis, auditur. Aperiuntur autem cæli non reſeratione elementorum, ſed ſpiritualibus oculis: quibus & Ezechiel in principio voluminis ſui apertos eos eſſe cõmemorat. Sedit quoque columba ſuper caput Ieſu: ne quis putaret vocem patris ad Iohannem factam, non ad Dominum. *Tom. 6. Com. in cap. 3. Matthæi.*

*Luc. 11. Exod. 8. Deut. 9.*

Si autem ego in ſpiritu Dei &c.] In Luca iſtũ locum ita ſcriptum legimus: Si autem ego in Dei digito eijcio dæmones. Iſte eſt digitus, quem cõfitentur & Magi, qui contra Moyſen & Aaron ſigna faciebant, dicentes: Digitus Dei eſt iſte, quo tabulæ lapideæ ſcriptæ ſunt in monte Sina. Si igitur manus & brachium Dei, filius eſt, & digitus eius Spiritus ſanctus: Patris & filij & ſpiritus ſancti vna ſubſtantia eſt: nõ te ſcandalizet membrorum inæqualitas, cum ædificet vnitas corporis. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 12. Matthæi.*

Alia m parabolam locutus &c.] Dicam & tertiam quorundam intelligentiam, vt curioſus lector è pluribus quod placuerit, eligat; Mulierem iſtam & ipſi Eccleſiam interpretantur: quæ fidem hominis farinæ ſatis tribus commiſcuerit: credulitati patris & filij & Spiritus ſancti. Cumque in vnum fuerit fermentata: non nos ad triplicem Deum, ſed ad vnius diuinitatis perducit notitiam. farinę quoque ſata tria, dum nõ eſt in ſingulis diuerſa natura, ad vnitatem trahunt ſubſtantiæ. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 13. Matthæi.*

Iesvs autem conuocatis &c.] Miſeretur turbę, quia in trium dierum numero, patri, filio, ſpirituiq; ſancto credebãt. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 17. Matthæi.*

*Trinitas vnũ in pectore noſtro tabernaculum.*

Si vis, faciamus &c.] Si quæris tria tabernacula, nequaquam ſeruos cum Domino conferas, ſed fac tria tabernacula: imo vnum patri, & filio & Spiritui ſancto, vt quorum eſt vna diuinitas, vnum ſit & in pectore tuo tabernaculum. *Tom. 6. lib. 3. Com. in cap. 17 Matthæi.*

*Rom. 8. 1. Corinth. 3. Luc. 12.*

Qvoniam autem eſtis filij Dei &c.] Manifeſtè Apoſtolus Paulus tres ſpiritus nominat: Spiritum filij Dei, vt in illo præſenti loco, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra: Et ſpiritum DEI, Quotquot ſpiritu DEI aguntur, hi filij Dei ſunt. Et ſpiritum ſanctum, vt ibi: Corpora veſtra templum ſancti ſpiritus ſunt, qui eſt in vobis Alium autẽ ſanctum ſpiritum eſſe quam filium Dei, manifeſtè & in Euangelio comprobatur: Qui dixerit verbum cõtra filium hominis, dimittetur ei. Quicunque autem dixerit cõtra ſpiritum ſanctum, nec hic, nec in futuro dimittetur ei. Hoc ideo, quia multi per imperitiam ſcripturarum, quod & Firmianus

*Lactantij error notatur.* in octauo ad Demetrianum epiſtolarum libro facit: aſſerunt ſpiritum ſanctum ſæpè patrem, ſæpè filium nominari. Et cùm perſpicuè in trinitate credamus, tertiam perſonam auferentes, non ſubſtantiam eius volunt eſſe, ſed nomen. Ne autem longum faciam (non enim dialogus, ſed commentarius ſcribitur) de quinquageſimo Pſalmo tres ſpiritus nominatos breuiter oſtendam propheta dicente: *Pſalm.50.* Cor mũdum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Ne proijcias me à facie tua, & ſpiritum tuũ ſanctum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me: Principalem ſpiritum, patrem appellat: quia filius ex patre, & non ex filio: Spiritum autem rectum veritatis atque iuſtitiæ, Chriſtum Dominum ſignificat: quia pater omne iudicium dedit filio, vt Dauid ait: Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis. Porrò ſpiritum ſanctum aperto nomine vocat. Quæ quidẽ cùm vocabulis perſoniſque diſſentiant, ſubſtãtia naturaque ſociata ſunt & indifferenter idem ſpiritus ob naturæ ſocietatem, nunc patris dicitur eſſe, nunc filij. *Tom.6.lib.2.Comment.in cap.4.ad Galatas.*

VT ſciatis quæ ſpes &c.] Dupliciter intelligenda hęreditas, ſiue quod primogenitus omnis creaturæ hæreditas ſit animi Domini noſtri Ieſu Chriſti, & eius qui ex corpore & anima aſſumptus eſt hominis, noſquè cum hæreditate animæ hæreditemus Deum verbum: ſiue quod in Chriſto hæreditas noſtra ſit, patris & filij & ſpiritus ſancti vna diuinitas: Vt quo modo vocatur hęreditas domorum atque villarum, ea ipſa quæ ab hæredibus poſsidentur: ſic ipſe Deus hæreditas credentium ſit atque ſanctorum. *Hæreditas, credentium, atque ſanctorũ Deus eſt.* Scriptum eſt & in veteri teſtamento: *Num.18.* filijs autem Leui non dabitis hæreditatem in medio fratrum ſuorum: quia ego pars eorum. Et alibi: *Ioſue.13. Deut.18.* Dominus hæreditas eorum eſt. Et ſanctus qui extrà Deum nihil habere ſe nouit, audacter loquitur: *Pſal.72.* Pars mea Dominus. Et: Tu es pars hæreditatis meæ & calicis mei. *Tomo ſexto Comment. libro primo in capte 2. ad Epheſios.*

ESTOTE autem inuicem &c.] Deus nobis donauit in Chriſto, non extrà poſitus; ſed habitans in eo, quia pater in filio, & filius in patre. *Tom.6.Com:lib.3.in cap.5.ad Epheſios.*

HO c autem ſcitote &c.] Ad hæc videndum quid ſentire voluerit, dicens: In regno Chriſti & Dei: vtrum nam aliud regnum Chriſti ſit, & aliud Dei: An idem regnum ſit patris & filij. *Patris & filij vnũ regnũ.* Et ſi quidem dixiſſet, in regno filij & patris: per filium veniremus ad patrem, & licet eſſet diuerſitas perſonarum: tamen eſſet regnantium vna maieſtas: nunc verò cùm dixerit, in regno Chriſti & Dei, ipſum Chriſtum & Deum intelligamus: *1.Cor.15.* quia & cum tradiderit regnum Deo & patri, nõ erit pater omnia in omnibus, ſed Deus omnia in omnibus. Vbi autẽ Deus eſt, tam pater quã filius intelligi poteſt. Porrò quod de patre & de filio dicimus: hoc idẽ & de Spiritu ſancto ſentiamus. *Tom.6. Com.lib.3.in cap.5.ad Epheſios.*

CVM autem bonitas & humanitas &c.] Diligentiùs attendamus, & inueniemus in præſenti capitulo manifeſtiſsimam trinitatem. Benignitatis quippè atq; clementia Saluatoris noſtri Dei, non alterius quam Dei patris, per lauacrum regenerationis & renouationẽm ſpiritus ſancti, quem effudit ſuper nos abundè, per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, iuſtificauit nos in vitam æternam. Salus credentium myſterium trinitatis eſt. *Salus credẽtiũ myſteriũ Trinitatis eſt.* *Tomo ſexto. lib. 1. Comment. in caput.3. ad Titum.*

VERBO Domini cæli &c.] Trinitatis maieſtas manifeſtiſsimè declaratur: Dominus, verbum, ſpiritus Domini. *Tomo. ſeptimo. Comment. in Pſal.32.*

IN lumine tuo &c.] Lumen patris Chriſtus eſt. In Chriſto patris lumine: lumen ſpiritum ſanctum videbimus. Lumen tuum pater eſt: cuius voluntatem faciens, veniſti illuminare occulta tenebrarum, vt in te, qui es lux mundi, mereremur illud lumen cernere in gratia mentis puræ. Sic enim ait ad Philippum: Qui videt me, videt & patrem meum. *Ioan.14.* In lumine eius, id eſt in Chriſto: videbimus lumen, id eſt, ſpiritum ſanctum, *Act.2.* qui ſuper Apoſtolos in ſpecie ignis illuminantis apparuit. Et in lumine tuo videbimus lumẽ, id eſt, à Chriſto illuminabimur, vt ait in Euangelio: *Ioan.1.* Erat lumen verum, quod illuminat omnẽ hominem, venientem in hunc mundum. *Tom.7. Com in Pſal.35.*

ET ſpiritu principali &c.] Vt ipſe in me, & non vitia principentur. Tu verò qui legis ſanctam ſcripturam, ſanctam hîc trinitatem intellige. Vel confirma me, in regno. Spiritum rectum, hoc eſt innouando ſpiritum ſanctum, hoc eſt ſpiritum prophetiæ: ſpiritum principalem, patrem: ſpiritum rectum, filium: ſpiritum ſanctum, ipſum ſpiritum ſanctum. *Tomo 7.in Pſal.50.*

BENEDICAT nos Deus &c.] Deus, pater, Deus noſter, filius. Ipſe enim Deus noſter: Et vocabis, inquit nomen eius Emanuel, id eſt, nobiſcum Deus, Deus noſter benedicat nos, Deus ſpiritus ſanctus. Videte myſterium trinitatis in vno verſiculo comprehenſum. Terra dedit fructum ſuum. In iſto fructu, trinitatis myſterium continetur. Benedicat nos Deus Deus noſter. Qui Deus eſt omnium per naturam, noſter propriè factus eſt Deus. *Qui omnium per naturam propriè is noſter Deus eſt.* *Tomo ſeptimo Commentario. in Pſalmum 66.*

FLAVIT ſpiritus eius &c.] Videtis quoniam vbi pater & verbum Dei, ſtatim & ſpiritus ſanctus eſt. *Tom.7 Com.in Pſal.147.*

## *II. In diuinis quamuis plures perſonæ diſtinctæ ſint, non tamen plures Deos, ſed vnum eſſe Deum.*

TRINITATEM dicis vni' eſſe Deitatis. Hoc toto credente iam mundo, puto, quod & dęmones confiteantur filium Dei natum de Maria virgine, & carnem naturę humanæ, atque animam ſuſcepiſſe. *Tomo.2. lib.2. Apologiæ aduerſus Ruffinum.c.1.*

MARCION, qui iuſtum Deum & creatorem legis facit & prophetarum, bonum autem Euangeliorum & Apoſtolorum, cuius vult eſſe filium Chriſtum, duos introducit Deos: alterum iuſtũ, & alterum bonum: *Marcion duos deos facit.* & pro iuſto aſſerit, vel nullos vel paucos oppetiſſe mortem, pro bono autem, id eſt, Chriſto innumerabiles martyres extitiſſe:



*Tomo.tertio. Epiſtola.151. ad Algaſiam. quæſtione 7.*

QVASI cadauer putridum &c.] Nec ſtatim fatemur hæreſim, quæ diuerſas aſſerit naturas, & aliam eſſe, quæ nunquam recipiat ſanitatẽ. *Tom. 4.lib.6.Com.in cap.14. Eſaiæ.*

EGO Dominus, & non eſt alter &c.] Cum inſtructus armatura Apoſtoli, omnes docuerit, nõ eſſe alium Deum, niſi vnum, qui ſit Iacob, & Iſrael Deus: confundetur Marcion, duos Deos intelligens, vnum bonum, & alium iuſtum, alterum inuiſibilium, alterum viſibilium conditorem. *Vnus ſolum Deus, contra Marcionem.* E quibus prior lucem faciat, ſecundus tenebras; ille pacem, hic malum: cum vtrunque pro diuerſitate meritorum vnus Deus idemque cõdiderit. *Tomo quarto libro.12. Commentario in cap.45. Eſaiæ.*

IN charitate prædeſtinans &c.] Colligitur ſẽper patrem, ſemper fuiſſe filium, & in quibus æternitas coæqualis eſt, eandem eſſe naturam. Nec non etiam hoc inferendum, quod cum prædeſtinet nos, ſiue præſiniat Deus in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum, tamen non ante filij eſſe poſſumus, niſi filij eius Ieſu Chriſti fidem & intelligentiam recipiamus. Et ille quidem natura filius eſt, nos verò adoptione. Ille nunquam filius non fuit, nos antequam eſſemus, prædeſtinati ſumus, & tunc ſpiritum adoptionis accepimus, quando credidimus in filium Dei. *Tomo.6. lib.1.Com.in cap.1.ad Epheſios.*

QVOD ſi non putant eorum eſſe parua, quorum & magna ſunt: alterum mihi conditorem iuxta Valentinum, Marcionem & Apellem, formicæ, vermium, culicum, locuſtarum: alterum cæli, terræ, maris & angelorum debent introducere. *Valentinus & Apelles cum Marcionẽ plures Deos introducũt lege Irenæum contra hæreſes Valentini & aliorum.* An potius eiuſdem potentiæ eſt, ingenium quod in maioribus exercueris, etiam in minoribus non negare. *Tomo.6. Proœmio ad Philemonem.*

CONFITEMINI Domino dominorum &c.] Hęc refertur ad filium, & Deo deorum, ad patrẽ. Patri ergò & filio confitemur. Pater enim in filio, & filius in patre. Qui facit mirabilia magna ſolus: quoniam in ſeculum miſericordia eius] Prius dixit. Confitemini Deo deorum, & iterum, Domino Dominorum: Et quoniam dixit duas perſonas: nunc dicit: qui facit mirabilia magna ſolus, vt non dicat duos Deos. Scriptum eſt enim: Vnus eſt Deus, ex quo omnia, & vnus Dominus Ieſus, per quem omnia, & nos per ipſum. *Tom.7. Com.in Pſal.135.*

## *III. In Deo eſſe tres perſonas ſeu hypoſtaſes, & vnam numero eſſentiam*

INTERROGAMVS, quid tres hypoſtaſes poſſe arbitrentur intelligi. Tres perſonas ſubſiſtẽtes, aiunt. Reſpondeamus nos ita credere. Nõ ſufficit ſenſus, ipſum nomen efflagitant: quia neſcio quid veneni in ſyllabis latet. Clamamus, ſi quis tres hypoſtaſes, aut tria eny poſtata, hoc eſt, tres ſubſiſtentes perſonas non confitetur, anathema ſit. *Amphibologia in vocabulo hypoſtaſis latente Arriani Catholicis imponere voluerunt.* Et quia vocabula non ediſcimus, hæretici iudicamur. Si quis autem hypoſtaſin vſian intelligens, non in tribus perſonis vnam hypoſtaſin dicit, alienus à Chriſto eſt: & ſub hac confeſsione vobiſcum pariter cauterio vnionis inurimur. Diſcernite, ſi placet, obſecro: non timebo tres hypoſtaſes dicere: ſi iubetis, condatur noua poſt Nicænam fides: & ſimilibus verbis, cum Arrianis confiteamur orthodoxi. Tota ſęcularium litterarum ſchola nihil aliud hypoſtaſin, niſi vſiam nouit. Et quis, rogo, ore ſacrilego tres ſubſtantias prædicabit? Vna eſt Dei & ſola natura, quæ verè eſt, id enim, quod ſubſiſtit, non habet aliundè, ſed ſuum eſt. Cætera quæ creata ſũt, etiam ſi videntur eſſe, non ſunt; quia aliquando non fuerunt, & poteſt rurſum non eſſe, quod nõ fuit. Deus ſolus qui æternus eſt, hoc eſt, qui exordium non habet, eſſentiæ nomen verè tenet. Iccirco & ad Moyſen de rubo loquitur: *Exod.3.* Ego ſum, qui ſum. Et rurſum. Qui eſt, me miſit. Erant vtique tunc angeli, cælum, terra, maria, & quo modo commune nomen eſſentiæ propriè ſibi vindicat Deus? Sed quia illa ſola natura eſt perfecta, & in tribus perſonis vna Deitas ſubſiſtit, quæ eſt verè, & vna natura eſt: quiſquis tria eſſe, hoc eſt, tres eſſe hypoſtaſes, id eſt, vſias dicit; ſub nomine pietatis, tres naturas conatur aſſerere, & ſi ita eſt; cur ab Arrio parietibus ſeparamur, perfidia copulati? *Hæretici cũ Catholicis nõ poſſunt in fide coniungi.* Iungatur cum beatitudine tua Vrſicinus, cum Ambroſio ſocietur Auxentius. Abſit hoc à Romana fide: ſacrilegium tantùm religioſa populorũm corda non hauriant. Sufficiat nobis dicere, vnam ſubſtantiam, tres perſonas ſubſiſtentes, perfectas, æquales, coæternas. *Hæretici venenũ ſub melle tegunt.* Taceantũr tres hypoſtaſes: ſi placet, & vna teneatur. Non bonæ ſuſpitionis eſt, cùm in eodem ſenſu verba diſſentiunt. Sufficiat nobis memorata credulitas. Aut, ſi rectum putatis tres hypoſtaſes cum ſuis interpretationibus debere nos dicere, non negamus: ſed, mihi credite, venenum ſub melle latet, *2.Corint.11.* tranſfigurauit ſe angelus Sathanę in angelum lucis. Benè interpretantur hypoſtaſin; & cùm id quod ipſi exponunt, habere me dicam, hæreticus iudicor. *Tom.2.Epiſt.57.ad Damaſum.*

ET ea, quæ ſub ipſo &c.] Viſus eſt filius in regnanti habitu: & locutus eſt ſpiritus ſanctus propter conſortium maieſtatis, vnitatemque ſubſtantiæ. *Tomo quarto. Comment. libro tertio in cap. ſexto Eſaiæ.*

VNVS Dominus. Vna fides &c.] Quomodo alia eſt fides à baptiſmate, Deo & Domino: ſic baptiſma. Dominus & Deus, alia ſunt à tribus ſingulis, quæ pariter nominantur. Hoc autem dico propter Sabellium, qui eundem Deum patrem & filium arbitratur: confunditque perſonas, dum eandem diuinitatem in vtròque deprehendit: *Sabellius cõfundit perſonas Trinitatis.* Ecce manifeſtiſsimè vnus Dominus filius, & vnus Deus pater vocantur. Quod ad Corinthios quoque pleniùs ſcriptum eſt: *1.Cor.8.* Sed nobis vnus Deus pater, ex quo omnia, & vnus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, per quem omnia: & nos per ipſum. Sicut enim Deo patri non adimit filius, ne Dominus ſit, cùm Dominus ſolus ipſe dicatur: ita & filio non aufert pater, vt Deus ſit, quia pater Deus tantummodò nominatur. Legimus & in alio loco: *Pſalmo 99. Deut.6.* Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus. Et alibi, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. Si enim vt exiſtimant Arriani, DEVS pater ſolus eſt Deus: eadem conſequentia, ſolus erit Dominus, nec filius Deus. *Arrius notatur.* Sed abſit vt non ſit vel in dominatione Deitas, vel in Deitate dominatio.

Vnus eſt Dominus, & vnus eſt Deus: quia patris & filij dominatio, vna diuinitas eſt. Propterea & fides vna dicitur: quia ſimpliciter in patrem & filium & in Spiritum ſanctum credimus, & baptiſma vnum. Eodem enim modo & in Patrem, & in Filium, & in Spiritum ſanctum baptizamur. Et ter mergimur, vt trinitatis vnum appareat ſacramentum. *Tom.6.lib. 3. Com.in cap.4. ad Epheſios.*

*Trina immerſio in baptiſmo deſignat myſteriũ Trinitatis.*

## IIII. Subſtantialia nomina in Diuinis ſingulari numero de tribus coniunctim perſonis eſſe intelligenda.

VNvs Dominus, vna fides, &c.] Propterea & fides vna dicitur: quia ſimpliciter in patrem & filium & Spiritum ſanctum credimus, & baptiſma vnum. Eodem enim modo & in Patrem, & in Filium, & in Spiritum Sanctum baptizamur. Et ter mergimur, vt trinitatis vnum appareat ſacramentum. Et non baptizamur in nominibus patris & filij & Spiritus ſancti, ſed in vno nomine, quod intelligitur Deus. *Tom. 6. Com.lib.2.in. cap.4.ad Epheſios.*

*Non baptizamur in nominibus ſed in vno nomine*

## V. In trinitate non eſſe diuerſitatem gradus aut operationis, ad extrà vt Scholaſtici vocant.

DIVERSITAS præpoſitionũ in quib. dicitur vnus Deus & pater omnium, qui ſuper omnes & per omnes, & in omnibus: diuerſam intelligentiam ſapit. Super omnes enim eſt Deus pater, quia author eſt omnium: per omnes filius: quia cuncta tranſcurrit, vaditque per omnia, in omnibus Spiritus ſanctus: quia nihil abſque eo eſt. Nec verò putandum, vnum Deum & patrem omnium eſſe communiter: vt ſcilicet ad irrationabilia iumenta, nomen patris poſsit aptari: ſed quomodo ſi in decem hominibus, quinque filijs & quinque ſeruis pariter diceremus: horum decem, vnus eſt Dominus, & vnus eſt pater: non vtique omnium patrem, nec Dominum omnium vocaremus: ſic & in eo quòd ait: Vnus Deus & Pater omnium, aliorum pater, aliorum Deus accipiendum eſt. Tale quid de creaturis & de Deo etiam Zeno cum Stoicis ſuſpicatur. Quẽ ſequutus Virgilius ait: Deum nanque ire per homines, terraſque tractuſque maris, & reliqua. Et: Principio cælum ac terras, campoſq; liquentes. Lucentemque globum Lunæ, titaniaque aſtra: Spiritus intus alit: totamq; infuſa per artus Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet. Quidam hoc quod eſt ſcriptum: Super omnes, & per omnes, & in omnibus: ad patrem & filium & Spiritum ſanctum, ſic æſtimant eſſe referendum: vt ſuper omnia pater ſit, quia autor eſt omnium: per omnes filius, quia per filium creata ſunt omnia: in omnibus Spiritus ſanctus: ipſe enim credentibus datur, & templum ſumus Spiritus ſancti, & pater & filius habitant in nobis. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap.4. ad Epheſios.*

ESTOTE ergò imitatores Dei &c.] Non poterant ſtatim imitatores Chriſti fieri, ſed grande illis erat ſi imitatores poſſẽt imitatoris exiſtere. Epheſijs verò quaſi his quos iam myſteria tãta docuerat, non ait, imitatores mei eſtote, nec imitatores Chriſti, ſed imitatores Dei: Non quo minus ſit imitatorem Chriſti eſſe quam Dei (Deus quippè Chriſtus eſt) ſed quod aliud ſit ſecundum hominem imitari, aliud ſecundum Deum. Nam & ſi Chriſtum ſecundum carnem antea noueramus, nunc iam nequaquam eum nouimus ſecundum carnem. Loquitur & ipſe Saluator, humilitatem diſpenſationis oſtendens: Quæcunq; viderit patrem facientem, hæc eadem filius facit ſimiliter. Non quo aliud cælum, & aliam terram pater fecerit, & ad ſimilitudinem eorum, aliud cælum, & alia terra & elementa à Chriſto facta ſint cætera, ſed quo quæcunque operetur pater, hæc eadem & filius operetur. *Tom.6.lib.3.Com.in cap.5.ad Epheſios.*

*Opera Trinitatis ſunt indiuiſa.*

## VI. Hæreticos eſſe, qui filium aut ſpiritum ſanctum creaturam, aut minorem patre, aut diuerſæ ab eo eſſentiæ ponunt.

SI quis hypoſtaſin vſian intelligens, non in tribus perſonis vnam hypoſtaſin dicit, alienus à Chriſto eſt. Et paulò poſt. Quia illa ſola natura eſt perfecta, & in tribus perſonis Deitas vna ſubſiſtit, quæ eſt verè, & vna natura eſt. *Tomo.2. epiſt.57.ad Damaſum.*

ORIGENES Tertium dignitate, & honore poſt patrem & filium, aſſerit ſpiritum ſanctum, de quo cum ignorare ſe dicat, vtrum factus ſit, an infectus; in poſterioribus, quid de eo ſentiret, expreſſit, nihil abſque ſolo Deo patre infectum eſſe confirmans, filium quoque minorem patre, eò quod ſecundus ab illo ſit, & ſpiritum ſanctũ inferiorem filio, in ſanctis quibuſque verſari, atque hoc ordine maiorem patris fortitudinem eſſe, quam filij & ſpiritus ſancti: & rurſum maiorem filij fortitudinem eſſe quam ſpiritus ſancti: & conſequenter ipſius S. ſpiritus maiorem eſſe virtutem cæteris, quæ ſancta dicuntur. *Tom.2. Epiſt.59.ad Auitum.cap.1.*

*περὶ ἀρχῶν.*

*Errores Origenis de deo filio & ſpiritu ſancto.*

PATER omnia comprehendit. Inter omnia autem & filius eſt. Ergo & filium comprehendit. Et vt ſciremus cauſas, quibus pater comprehendat filium, & filius patrem non queat comprehendere, hæc verba ſubnectit. Curioſus lector inquirat, vtrum ita à ſemetipſo cognoſcatur pater, quomodo cognoſcitur à filio: ſcienſq; illud quod ſcriptum eſt: Pater qui me miſit, maior me eſt: in omnibus verum eſſe contendet, vt dicat, & in cognitione filio patrem eſſe maiorẽ, dum perfectiùs & puriùs à ſemetipſo cognoſcitur, quam à filio. *Tomo ſecundo. Epiſto.59.ad Auitum. cap.4.*

*Quomodo accipiendum id quo Arriani abutebãtur. Pater maior me eſt.*

QVIS Catholicorum poſſit æquo animo ſuſtinere, & eorum qui fidem ſuam bonis operibus exornant, vt audiant Originis doctrinam, atque conſilium, & credant præclaræ illius prædicationi: Non poteſt filius videre patrem, neq; Spiritus ſanctus videre filium? Hæc in libro περὶ ἀρχῶν ſcribuntur, his verbis legimus, & ita locutus eſt Origenes. Sicut enim incongruum eſt dicere, quod poſſit filius videre patrem: ſic inconſequens eſt opinari, quod Spiritus ſanctus poſſit videre filiũ. *Tom.2.epiſt.60. cap.2.ad Ioannem Hieroſolymitanum.*

DIC mihi diſputator egregie de octo capitulis ad quæ reſponderis. Pauliſper de cæteris taceo. Prima illa blaſphemia, quod nec filius Patrẽ, nec filium poteſt videre Spiritus ſanctus, quibus à te telis confoſſa eſt? Sanctam, inquit, & adorandam trinitatem, eiuſdem ſubſtantiæ, & coæternam, eiuſdem gloriæ & diuinitatis credimus, anathematizãtes eos, qui grande aut paruum, aut inæquale, aut viſibile in Deitate trinitatis quidquam loquuntur. Sed ſicut incorporalem, inuiſibilem & æternum dicimus patrem: ſic incorporalem, inuiſibilem, & æternum dicimus filium, & Spiritum ſanctum. *Tom.2.Epiſt.61.ad Pammachium.cap.3.*

*In deitate Trinitatis nihil grande aut paruum, nihil inæquale aut viſibile conſtituendum.*

NVNQVID in eodem opere eiuſdem libri, & interdum, vt diximus, ſtatim in conſequenti capitulo oblitus ſui eſſe potuit? Verbi gratia: vt qui ſuperiùs dixerat, nuſquam inueniri in omni ſcriptura, vbi Spiritus ſanctus factus vel creatus eſſe diceretur, continuò ſubijceret, inter cæteras creaturas factum eſſe Spiritum ſanctum? aut iterum, qui Patrẽ & filium vnius ſubſtantiæ, quod Græcè ὁμοούσιον dicitur, deſignauit in conſequẽtibus ſtatim capitulis alterius eſſe ſubſtantiæ, & creatum poterat dicere eum, quem paulò ante de ipſa natura Dei patris pronunciauerat natum? Hæc ipſius verba ſunt, negare non poteſt. Nolo dicas, verbi cauſa, vt qui ſuperius dixerat: ſed ipſum librum nomina, vbi prius benè dixerit, & poſtea malè, vbi Spiritum ſanctum & filium de Dei patris ſcribens eſſe ſubſtantia, ſtatim in conſequentibus aſſeruerit creaturas. *Tom.2.lib.1. aduerſus Ruffinum cap.1.*

HABETVR Dialogus apud Græcos Origenis, & Candidi, Valentinianæ hæreſeos defenſoris: in quo duos Andabatas digladiantes inter ſe ſpectaſſe me fateor. Dicit Candidus, filium de patris eſſe ſubſtãtia, errans in eo quod προβολὴν aſſerit. E regione Origenes, iuxta Arrium, & Eunomium, repugnat, eum vel prolatum eſſe, vel natum: ne Deus pater diuidatur in partes: ſed dicit ſublimem & excellentiſſimam creaturam voluntate extitiſſe patris, ſicut & cæteras creaturas. *Tom.2.lib.1.aduerſus Ruffinum cap.5.*

*Origenis et Candidi Valentiniani cõſenſio.*

HAEC dicit Dominus &c.] Qui extendit cælum quaſi pellem. Non quo filius excludatur ab extenſione cælorum: Omnia enim per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factũ eſt: ſed quo, vt ſæpe diximus, per hanc ſententiam excludantur idola. Nam & in Prouerbijs Salomonis ex perſona Chriſti Dei virtutis, Deique ſapientiæ dicitur: Quando parabat cælum, ego eram cum eo. Ipſe enim dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit & creata ſunt. Et: Verbo Domini cæli firmati ſunt: & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Hæc frequenter ingerimus, ne vlla blaſphemandi Chriſtum hæreticis occaſio relinquatur. *Tomo quarto lib. 12. Comment. in capite 44. Eſaiæ.*

*Hæreticorũ blaſphemijs in Chriſtũ occurrendum.*

ET ſuccidi tres &c.] Legi in cuiuſdã commẽtarijs, paſtores Domini indignatione ſucciſos, in ſacerdotibus & falſis prophetis, & regibus intelligi Iudæorum: quòd poſt paſſionem Chriſti, vno omnia ſucciſa ſint tempore, de quibus loquitur Hieremias: Sacerdotes non dixerunt, vbi eſt Dominus: tenentes legem meam, neſcierunt me. Et paſtores præuaricati ſunt in me, & prophetæ prophetabant in Baal, & idola ſecuti ſunt. Nec hac explanatione contentus, tres paſtores in vno mẽſe ſucciſos, eos vult accipi, qui in patrẽ & filium & ſpiritum ſanctum peccauerunt: Omnes enim hæreticos, aut in vnam aut in duas, aut in tres ſimul peccare perſonas. *Tom.5.lib.3.Com.in cap.11.Zachariæ.*

*Hier.2.*

*Obſerua regulam: Oẽs hæreticos aut in vnã, aut in duas, aut in tres ſimul peccare perſonas*

VNVS Dominus, vna fides &c.] Miror, qua conſequentia in vno vocabulo, eodem opere, & eodem ſacramento, naturæ diuerſitatem Arrius, Macedonius & Eunomius ſuſpicentur (concordante in impietate diſcordia) & creaturæ in filio & ſpiritu ſancto, cænoſum fontem tenentes, diuerſos hæreſeos riuulos duxerint. *Tomo ſexto libro ſecundo. Comment. in capite 4. ad Epheſios.*

*Hæreticorũ concors in impietate diſcordia.*

*Hæretici ex vno cænoſo fõte diuerſos riuulos ducũt*

SPIRITVS tuus bonus deducet me &c.] Hic impijſſimi Arriani proponunt nobis, & dicunt: Magiſter bone, quid faciam boni vt ſaluus fiam? Qui dicit: Quid me dicis bonum? Nemo eſt bonus, niſi vnus Deus. Ergo ſi filius non eſt bonus, ſed pater: maior eſt pater filio. Ergo ſecũdum tuum ſenſum impijſſime Arriane, quis maior, filius an ſpiritus ſanctus? Vtique dicis filius. Hic ergo dicit: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Ergo ſi ſpiritus bon' eſt, qui minor eſt, ſicut tu dicis: multo magis filius bonus eſt, quem tu maiorem dicis. In Euangelio autem ita habet: Et accedens vnus de ſcribis tentans eum ait: Magiſter bone, & ait: Quid me dicis bonum & non confiteris: Sicut ſi aliquis tentans Epiſcopũ ſuum, quem contemnit, dicat illi: Epiſcope: & ille reſpondeat: tibi non ſum Epiſcopus, recede à me. Alibi autem non legiſtis. Bonus paſtor ponit animam ſuam pro ouibus ſuis? Quid autem melius filio, qui carnem induit propter nos, & paſſus eſt: & deſcendens de ſua maieſtate, nouẽ menſes in vtero virginis in ſanguine fuit, in cunabulis fuit; paſſus eſt per momenta creſcere, & verberari & colaphizari, & crucifigi? Quid hoc melius? *Tom.7.Com: in Pſal.142.*

*Matth.19.*

*Ioan.10.*

# CAPVT TERTIVM. de Deo patre.

## I. Ipſum eſſe patrem, qui filius, hæreſim fuiſſe Noëtianorum & Sabellianorum.

VNvs Dominus, vna fides] Quomodo alia eſt fides à baptiſmate, Deo & Domino: ſic baptiſma Dominus & Deus, alia ſunt à tribus ſingulis, quæ pariter nominantur. Hoc autem dico propter Sabellium, qui eundem Deum patrem arbitratur & filium: confunditque perſonas, dum eandem diuinitatẽ in vtroque deprehendit: Ecce manifeſtiſſimè vn' Dominus filius, & vnus Deus pater vocãtur. Quod ad Corinthios quoq; pleniùs ſcriptum eſt: Sed nobis vnus Deus pater, ex quo omnia, & vnus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, per quẽ: & nos per ipſum. Sicut enim Deo patri non adimit filius, ne Dominus ſit, cum Dominus ſolus ipſe dicatur: ita & filio non aufert pater, vt Deus ſit, quia pater Deus tantummodò nominatur. Legimus & in alio loco: Scitote quoniam Dominus ipſe eſt DEVS. Et alibi:

*Sabellius cõfundit perſonas Trinitatis*

*1.Corint.8.*

*Pſal.99.*

Domi-

*Deut.6.* Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. Si enim, vt exiſtimant Arriani, Deus pater ſolus eſt Deus: *Arrius reprehenditur* eadem conſequentia, ſolus erit Dominus Ieſus Chriſtus: & nec pater erit Dominus, nec filius Deus. Sed abſit, vt nõ ſit vel in dominatione Deitas, vel in Deitate dominatio. Vnus eſt Dominus; & vnus eſt Deus: quia patris & filij dominatio, vna diuinitas eſt, propterea & fides vna dicitur: quia ſimiliter & in patrem & in filium & in Spiritum ſanctum credimus, & baptiſma vnum. *Tom.6.lib.2.Com.in cap.4.ad Epheſios.*

ET ipſe dedit quoſdam &c.] Ex hoc loco maniſeſtiſsimè comprobatur patris & filij vna diuinitas. Siquidem hoc quod nunc Chriſtus tribuiſſe deſcribitur: in prima epiſtola ad Corinthios, Deus pater dediſſe narratur: Alios enim, ait, poſuit Deus in Eccleſia, primò Apoſtolos, ſecundò prophetas, tertiò doctores, deinde virtutes, & *Diuerſorum eadem operatio.* dona ſanitatũ, opitulationes, gubernationes, genera linguarum. Quod Sabellius nõ intelligens, patrem confundit & filiũ, dum eandem operationem non putat eſſe diuerſorum. *Tom. 6. lib. 2. Com.in cap.4.ad Epheſios.*

## II. *Patrem non eſſe maiorem filio, ſecundum diuinitatem.*

ET ipſe dedit quoſdam &c.] Ex hoc loco maniſeſtiſsimè cõprobatur patris & filij vna diuinitas. Siquidem hoc, quod nunc Chriſtus tribuiſſe deſcribitur: in prima epiſtola ad Corinthios, Deus pater dediſſe narratur. *Tom. 6. libro. 2. Com.in cap.4.ad Epheſios.*

PAVLVS ſeruus Dei &c.] Si pater & filius vnum ſunt, & qui crediderit in filium, credit & in patrem, ſeruitus quoque indifferenter Apoſtoli Pauli vel ad patrem eſt referenda, vel ad filium. *Tom.6.lib.1.Com.in cap.1.ad Titum.*

DIXI Domino, Deus meus es tu &c.] Oſtendit ſe hominem in humilitate carnis, cum æqualis ſit in omnipotẽtia maieſtatis: quia ſi dixiſſet, Dominus meus es tu, filium minorẽ demonſtraſſet, patrem maiorem. Propterea dixit: Dixi domino, Deus meus es tu, quia in diuinitate æqualis eſt patri. *Tom.7.Com.in Pſal.15.*

A ſummo cælo &c.] A ſummo cælo, id eſt, à patre, quod eſt principale nomen: nõ ideò quòd maior ſit filio ſecundum diuinitatem, ſed pro nomine patris. A ſummo, id eſt, ab ęternitate egreſſus eius, Et occurſus eius vſq; ad ſummum eius: Occurſus eius, in coæqualitate æternitatis. Quia aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram patris: vbi antea & ſemper fuit cum ipſo. *Tom. 7. Comment. in Pſal.18.*

ET ſpiritu oris eius &c.] Paracleto ſcilicet cooperante, horum virtutes cælorum creatæ ſunt. Nam in Domino pater, in verbo filius, in ſpiritu oris, Spiritus ſanctus declaratur. Et quia dicit, oris eius: non procedens quaſi minor credatur. Nam ſicut filius à patre & æqualis patri: ita & ſpiritus ſanctus æqualis patri habetur ac filiò, vel ſpiritu oris eius omnis virtus eorum: id eſt, per Spiritum ſanctum virtutes illorum. Quia per Spiritum ſanctum habuerunt diuerſas gratias, id eſt, virtutes. Nam per nos nihil boni habuimus, niſi per ipſum. *Tom.7.in Pſal.32.*

ERVCTAVIT cor meum &c.] Non de coniunctione corporea, ſed de corpore protulit æquale ſibi verbum, per quod facta ſunt omnia. Bonum eſt enim hoc verbum: quia quod factum eſt, in ęo, vita eſt. *Tom.7.Com.in Pſal.44.*

EXVRGE in occurſum meum &c.]. Ad patrem hæc loquitur, à quo ſe in euangelijs clarificari precatur. Qui & tanquam occurrens, manũq́ue porrigens, reſpondit dicens: Et clarificaui, & *Ioan. 12.* iterum clarificabo. Quem occurſum vſque ad viſitationem extendi poſtulat, dicens: Sed exurge in occurſum mihi, id eſt, fac illos intelligere de illo curſu quem habui, quod ego æqualis ſum tibi. Vnde ait: A ſummo cælo egreſsio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius, hoc eſt. Deus pater ſuper oẽs creaturas ſpirituales. *Tom. 7. Com: in Pſal.58.*

DOMINVS à dextris tuis &c.] Rem nouam video. Dicitur in principio: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis: & nunc dicitur ad eum, Dominus à dexteris tuis. Si ipſe ad dexterã patris ſedet, quomodo rurſum pater ſedet ad dexteram filij? Quando enim dicitur: Dixit Dominus domino meo, ſede à dexteris meis: maniſeſtiſsimè dicitur, quod ad dextram patris ſedet filius. *Filius patri æqualis.* Quando autem dicitur: Dominus à dextris tuis: hoc dicitur, quod ad dexteram filij ſedeat pater. Hoc totum propterea dicitur, vt æqualis ſit filius patri. *Tom.7.Com.in Pſal.109.*

## III. *Quod ab æterno pater genuit filium.*

PROPTEREA curuo genua &c.] Porrò quod ſequitur, ad patrem, ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur, non vt in Latinis codicibus additum eſt, ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed ſimpliciter ad patrem legendum, vt Dei patris nomen, non Domino noſtro Ieſu Chriſto, ſed omnibus creaturis rationabilibus coaptetur. Quærendum ergo, quomodo ex Deo patre omnis paternitas in cælis & in terra ſit nominata. Et ſimul, antequam aliquid retractetur. Notandum, quòd non dixerit, ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nata eſt, vel creata, ſed ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur. Aliud eſt enim appellationem paternitatis mereri, aliud naturæ habere cõſortium: Paternitatem quæ in Græco, πατρία in Hebræo miſpahat, id eſt, cognatio vel familia dicitur, legimus & in Numeris: Tollite, inquit, *Num.1.* ſummam omnis ſynagogę Iſrael, iuxta cognationes & populos, ſecundum domos paternitatũ, iuxta numerum nominum eorum. Et poſt paululum: Hi ſunt electi ſynagogæ principes tribuum; iuxta paternitates ſuas duces Iſrael. Et rurſum de tribu Leui: Et locutus eſt Dominus ad Moyſen in deſerto Sina, dicẽs: Numera filios Leui, ſecundum domos paternitatum ſuarum, ſecundum populos eorum, ſecundum cognatiões eorum, omne maſculinum à menſe vno & ſupra conſyderate eos. Hæc de populo Iſraël, & de Sacerdotali ac Leuitica tribu. Cæterum mecum ipſe pertractans, vbi de gentibus paternitatum vocabulum legerim, nunc interim aliud non inuenio, niſi viceſimi primi Pſalmi teſtimoniũ, in quo ſcriptum eſt: Et adorabunt in conſpectu eius omnes patriæ gentium. Et in nonageſimo quinto: Afferte Domino patriæ gentium: afferte Domino gloriam & honorem: Quomodo er-

gò Deus



gò Deus eſſentiæ ſuæ nomen atque ſubſtantiæ, etiam cæteris impertit elementis, vt ipſa quoque eſſe dicantur, non quò ſecundum naturam ſint (fuit enim tempus, quando vniuerſa non fuerunt, & rurſum ſi voluerit in nihilum reuertentur) ſed vt eſſe dicantur, habent Dei bonitate donatum, ſic & paternitatis nomen ex ſemetipſo largitus eſt omnibus. Quod vt maniſeſtiùs fiat, ſcripturarum teſtimonium proferamus. *Exod.3.* Loquitur in Exodo Dominus: Ego ſum qui ſum: Et: Hæc dices filijs Iſrael: Qui eſt, miſit me ad vos. Nunquid ſolus Deus erat, & cætera non erant? Vtique angeli, cælum, terra, vel maria, & ipſe Moyſes, cui Dominus loquebatur, & Iſrael & Aegyptij, ad quos, & contra quos princeps & aduerſarius mittebatur, erant. Et quomodo nomen commune ſubſtantiæ, ſibi proprium vendicat Deus, illa vt diximus, cauſa, quia cætera vt ſint, Dei ſumpſere beneficio: Deus verò, qui ſemper eſt, nec habet aliundè principium, & ipſe ſui origo eſt, ſuæq́ue cauſa ſubſtantiæ, non poteſt intelligi aliundè habere, quod ſubſtitit. Nam & in igni, aliud eſt eſſe calidum, aliud calefactum. Ignis abſque calore intelligi non poteſt. Cætera quæ ex igni caleſiunt calorem illius mutuantur, & paulatim ſi ignis abſceſſerit, calore tenuato, redeunt in naturam ſuam, & nequaquam calida nuncupantur. Iuxta hunc ſenſum & in Euangelio dicitur ad eum, qui Saluatorem non quaſi Dei filium, ſed quaſi magiſtrum bonum putabat: Quid me appellas bonum, nemo eſt bonus, niſi vnus Deus. Et certè terram bonam legimus, & hominem, & paſtorem bonum, ſed nemo iuxta naturam bonus, niſi ſolus Deus. Cætera vt dicantur bona, bonitatẽ illius conſequuntur.

SICVT ergò ſolus bonus, bonos facit: & ſolus immortalis, immortalitatem tribuit: & ſolus verus, veritatis nomen impertit: ita ſolus pater, quia creator eſt omnium, & vniuerſorum cauſa ſubſtantiæ, præſtat cæteris, vt patres eſſe dicantur. De terrenis cæleſtia contemplemur. Adam, quem primum plaſmauit Deus, & creator ipſius, & pater fuit, certè Deo patri ſcit ſe debere quod ſubſiſtit: Rurſum hi qui geniti ſunt ex Adam, patrem illum intelligunt, ex quo orti ſunt. *Luc. 3.* Vnde & in Euangelio ſecundum Lucam, cùm paulatim à Chriſto Dauid & Abraham retrorſum eſſet generatio ſupputata, ad extremum Scriptura ait: filij Seth, filij Adam, filij Dei, vt paternitatis in terra vocabulum, à Deo primùm ortum eſſe monſtraret. Quæritur verò quam ob cauſam & in cælis ab eo omnis paternitas appelletur. Quo modo nos, qui non ſumus de genere Abraham, ſi fidem illius habuerimus, filij vocamur Abraham, Patriarchas quoque & Prophetas, ſi tamen nos peccata ab eis non ſeparent, noſtros *Angeli habẽt Patres in cæleſtibus.* patres dicimus; Ita puto & angelos cæteraſq́ue virtutes habere principes ſui generis in cæleſtibus, quos patres gaudeant appellare, Archangelus enim niſi angelorum dici non poteſt: & dominatio, & principatus, & poteſtas, niſi inferiores ſubiectos habeant, non vocantur. poteſt ergò & hoc dici, ex eo quòd Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti iuxta ſubſtantiam pater eſt, & vnigenitus non eſt adoptione filius, ſed natura, cæteræ quoque creaturæ, paternitatis nomen adoptione meruerunt. Quicquid autem de patre & filio dicimus, hoc ſciamus dictum eſſe de ſpiritu ſancto. Nam & Saluator noſter patrem ſe eſſe nouit, dicens: fili, dimittuntur *Mar.2.* tibi peccata. Et: filia, fides tua te ſaluam fecit. Et: *Matt.9.* filioli mei, adhuc modicum vobiſcum ſum: & *Ioan.13.* per ſpiritum ſanctum, iuſti quiq; adoptantur in filios: Valentinus ſæculorum ſuorum parabolas atque coniugia, ex hoc vel maximè loco confirmandas putat, nequaquam intelligens, vt ſupra diximus, ad ſimilitudinem Dei patris, & in cælo & in terra, paternitates non fieri, ſed appellari. *Ad ſimilitudinem Dei patris & in cælo & in terra paternitates non fiunt ſed appellantur.* *Tomo ſexto libro ſecundo Commentariorum in cap.3. ad Epheſios.*

ADIICIES annos &c.] Generatio huius regis prima eſt qua de Deo patre ineffabiliter naſcitur. Secunda, qua factus eſt primogenitus mortuorum, quæ extenditur vſque ad illam generationem futuri iudicij, de qua Dominus ait: Vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione, cum ſederit *Matt.19.* filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël. Ergo adijcientur inter iſtas generationes regis huius, & dies & anni, cum congregatis electis, ſupplantatiſq́ue inimicis ſub pedibus, tradiderit regnum Deo patri, ipſis ſimul congregatis ſanctis. *Tom.7.Com.in Pſal.60.*

## IIII. *Iniuriam eos inferre patri, qui conſubſtantialem negant filium.*

GRATIA vobis, & pax &c.] Quod ait: Gratia vobis, & pax à Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto: adhuc à duobus ad plures ſcribitur, & in omnibus penè epiſtolis æquale principium eſt: vt gratiam eis, & pacem à Deo patre & Chriſto Domino imprecetur. Ex quo oſtenditur vnam filij patriſq; eſſe naturam: cum *Filij et patris vna natura.* id poteſt filius præſtare, quod pater: & dicitur id præſtare pater quod filius. *Tom.6. lib. 1.ad Philemonem. cap.1.*

DEVS qui præcinxit &c.] Per ſimilitudinem ſicut homo præcingit veſtimenta ſua vt non noceant pedibus, qui ſunt ſenſus: & manibus quæ ſunt opera. Præcinxit, hoc eſt, vt reſtringant ſinus cupiditatis vt ſupra dixi, ne impediantur per cupiditatem. Vel aliter: Deus qui præcinxit me virtute: ſpiritus ſanctus, qui nos armat aduerſus poteſtates iniquas, ſecundum Apoſtolum Induite vos arma Dei, & gladium ſpiritus ſancti: *Epheſ.6.* vt poſſitis reſiſtere Diabolo Conticeſcant nunc hæretici aſpicientes hic trinitatem expreſſam, & cognoſcunt filium, quem minorem patre dicunt, primum à propheta prænuntiatum non quaſi priorem, ſed nihil inferiorem. *Tom.7.Com. in 17. Pſal.*

TECVM principium in die virtutis etcæt.] Pater principium, ſed & filius principium. Principium non habet principium. Si enim habuerit aliud principium, iam ipſum deſinit eſſet principium. Quicquid ergo dederimus patri, hoc damus & filio. Si enim pater in filio, & filius in patre: & omnia patris filij ſunt: & omnia filij patris ſunt: & principium patris, principium filij eſt. Ergo quod dicit, hoc eſt: eo tempo

 re quo

Tharſis, hoc eſt, in mare iſtius ſæculi: ſecundum illud quod alibi dicitur: Hoc mare magnum, & ſpatioſum, ibi reptibilia, quorum non eſt numerus: Animalia puſilla cum magnis: illic naues pertranſibunt: Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei: Iccirco enim & in paſsione dicebat: Pater ſi poſsibile eſt, tranſeat calix iſte à me: ne populo conclamante, crucifige, crucifige talẽ, & nos nõ habemus regẽ niſi Cæſarem: plenitudo gentium ſubintraret, & frangerentur rami oliuæ, pro quibus oleaſtri virgulta ſuccreſcerent: Tantæque pietatis & amoris fuit in populum pro electione patrum & repromiſsione ad Abraham: vt in cruce poſitus diceret: Pater ignoſce eis, quod enim faciunt, neſciunt. Vel certè quoniam Tharſis interpretatur contemplatio gaudij, veniens ad Ioppen propheta, quæ & ipſa ſpecioſam ſonat, ire feſtinat ad gaudium, & quietis beatitudine perfruens, totum ſe tradere theoriæ: melius eſſe arbitrans, pulchritudine, & varietate ſcientiæ perfrui, quam per occaſionem ſalutis gentium cæterarum perire populum, de quo Chriſtus in carne generandus ſit. *Tom. 5. Co. in cap 1. Ionæ.*

*Pſal. 103.* — *Luc. 22. Ioan. 19. Rom. 11.* — *Luc. 23.*

ET ego dixi &c.] Poſtquam veni in profundum maris, & hominis carne circundatus ſum: humanos imitor affectus & dico: abiectus ſum à conſpectu oculorum tuorum: Hoc quaſi homo locutus ſum, cæterum quaſi Deus, & is qui cum eſſem in forma tua, non ſum rapinam arbitratus æqualem me eſſe tui: volens ad te euehere humanum genus: vt vbi ego ſum & tu, ibi ſint & omnes qui in me, & te crediderunt, dico. *Tom. 5 Com in cap. 2. Ionæ.*

*Chriſtus loquendo humanos imitatur affectus.*

ET erit in nouiſsimo dierum &c. Iſte mons Domini in nouiſsimo dierum oſtenſus eſt, quando appropinquauit regnum cęlorum. Siquidem in conſũmatione ſæculorum in reprobationem peccati, per hoſtiam ſuam ſaluator noſter apparuit, & vndecima hora ad conducendos operarios venit. Et completa illius paſsione Ioannes loquitur. Nouiſsima hora eſt: in ſex millibus enim annis, ſi quingenti anni per horas Diei ſingulas diuidantur, nouiſsima hora conſequenter dicetur, tempus fidei gentium. Et manifeſtus, inquit, erit mons domini, præparatus ſuper vertices montium. Manifeſtus erit, qui ante fuerat occultus, & præparatus non ſolum in montibus ſed ſuper vertices montium, Moyſem & prophetas, qui de eo vaticinati ſunt. Licet enim omnia ſancta conſcripſerint, tamen ad comparationem Prophetiæ, in qua Saluatoris aduentum prophetauerunt, humilia ſunt cætera, & nequaquam vſque ad verticem montium pertingentia. Et exaltabitur, inquit, ſuper colles. Homo quidem apparuit, & formam ſerui accepit: humiliauit ſe vſque ad mortem, mortem autem crucis: ſed exaltauit eum pater & dedit ei nomẽ, quod eſt ſuper omne nomen & ad conuerſationem illius vniuerſa vita hominum comparata, campi dicuntur & valles. *Tomo. 5. lib. 1. Com. in cap. 4. Micheæ.*

*Ezech. 28* — *Matt. 10. 1. Ioan. 2.* — *Opinio de mundi duratione per ſex mille annos.* — *Chriſtus mõs ſuper vertices montium Moyſen & prophetas.*

LAVDA filia Sion &c.] Iudæi cum Chriſto quẽ putant eſſe venturum, hęc ſibi omnia repromittunt, quæ nos qui Chriſtum ſuſcepimus, iam cum ipſo ſumus omnia conſecuti. Si quis ergo Chriſtianorum, & maximè nouorum prudentium (quorum nomina taceo, ne quenquam lædere videar) exiſtimat necdum prophetiam eſſe completam: ſciat falſò Chriſti ſe portare nomẽ, & Iudaicam animam circumciſionem tantum corporis non habere. Si enim hæc nec dum facta ſunt, ſed futura, fruſtra credimus ſaluatoris aduentum: fruſtra autem non credentes, intelligimus in nobis eſſe completum myſterium, quod temporibus æternis tacitum eſt, & nunc manifeſtũ eſt per ſcripturas propheticas, & aduentum domini noſtri Ieſu Chriſti. *Tomo quinto Commentariorum in ca. 3. Sophoniæ.*

*Qui non credit prophetias de Chriſti incarnatione completas falsò Chriſti portat nomẽ & Iudaicã animam circumciſionem tantum corporis non habet.*

ECCE ego interficiam omnes &c.] Et hoc ſynagoga, quæ non claudicat, ſed vtroq; truncata eſt pede, pollicetur ſibi in aduentu Chriſti ſui, quem ſperat eſſe venturum, & putat omnes gentes interficiendas à Domino, quæ afflixerunt Iſrael, & ſaluandam ſynagogam, & eam quæ acceperat libellum repudij colligendam, & ponendos eos in laudem, & in nomen in omni terra captiuitatis ſuæ, in qua fuerant ante confuſi. Et hoc fieri eo tempore, quando captiuitas reducta fuerit Hieruſalem, & extructum templum, & reliquus ceremoniarum ordo ſeruatus. Hæc ſibi repromittit, & propterea non agit pœnitentiam, & dum ſperat incerta, perdit certam ſalutem. Nec miror ſynagogam hæc dicere: quę quia non recipit Chriſtum, oculos dolet, & cum Lia lippeſcit, & non amatur à Iacob, & Rachel ſuccedente negligitur. Chriſtianos miror, imo ſemi Iudæos, qui ſibi videntur eſſe de Eccleſia ea dicere, & ea profiteri, quæ ſi vera ſunt fruſtra credimus in Chriſtum, & omne noſtrum tollitur Sacramentum &, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus credentes eum veniſſe qui non venit. *Tomo quinto Commentariorum in caput tertium Sophoniæ.*

*Aduerſus eos qui Chriſti nõ nõ credunt aduẽtũ*

IN die illa dicit Dominus exercituum &c.] Aſſumam te Zorobabel filium Salathiel ſeruum meum. Seruus autem dicitur propter corpus humanum: quia tunc & ipſe filius ſubijcietur ei qui ſubiecit ſibi omnia, & in ſubiectis omnibus videbitur & ipſe ſubiectus. Sed cum hoc fuerit impletum, ponet illum Deus quaſi ſignaculum in manu ſua. Hunc enim ſignauit Deus pater: hic eſt imago Dei inuiſibilis, & forma ſubſtantiæ eius, vt quicunque crediderit in Deum hoc quaſi annulo conſignetur. *Tom. 5. Comment. lib. 1. in cap. 2. Aggæi.*

*1. Corint. 15.* — *Quicunq; in Deũ credit Chriſto quaſi annulo conſignatur.*

VIDI per noctem &c.] Vir qui aſcendebat ſuper equum rufum, Dominus atque Saluator eſt: qui diſpenſationem noſtræ carnis aſſumens, audit in Eſaia: Quare rubra ſunt veſtimenta tua? Hic qui nunc captiuo populo rufus oſtenditur, in Apocalypſi Ioannis in candidis veſtibus & in candido equo ſedere deſcribitur. *Tom. quinto Commentariorum lib. 1. in cap. 1. Zachariæ.*

*Eſaias 63.*

O ô fugite de terra &c.] Quòd ſequitur: Hæc dicit Dominus exercituum: poſt gloriam miſit me, & reliqua: Vox Saluatoris loquentis inducitur: qui omnipotens Deus à patre omnipotente miſſum ſe eſſe dicit: non iuxta id quod omnipotens eſt, ſed iuxta id quod poſt gloriam miſſus eſt. Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, æqualem ſe eſſe Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens & factus eſt obediens patri vſque ad mortem, & mortem crucis. Nec mirum quod Chriſtus dicatur omnipotens, & ex cuius perſona legimus

*Philip. 2.*



in Apocalypſi Ioannis: Hæc dicit teſtis: fidelis, initium creaturæ Dei, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt. Dominus Deus omnipotens. Illud quoq; quod in viceſimo tertio Pſalmo legimus: Leuate portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Rurſumque ab angelis dicitur, ignorantibus myſterium incarnationis aſſumptæ: Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus virtutum, ipſe eſt rex gloriæ: refertur ad Chriſtum. Vbi enim nos legimus Dominus virtutum: in Hebraico ſcriptum adonai Sebaoth, quòd à 70. interpretibus παντοκράτορα, id eſt, omnipotentem, vertitur. Ex quo intelligimus, vbicunque Dominus virtutum de Chriſto dicitur, omnipotentem eum debere intelligi. Nec mirum ſi Chriſtus dicatur omnipotens: Cui tradita eſt omnis poteſtas in cælo & in terra. Et qui dicit: Omnia quæ patris ſunt mea ſunt. Si autem omnia, id eſt. Deus ex Deo, Dominus ex Domino, lumen ex lumine: ergo & ex omnipotente omnipotens: neque enim fieri poteſt, vt quorum vna natura eſt, diuerſa ſit gloria? *Tom. 5. libro primo Commentariorum in caput ſecundum Zachariæ.*

*Apoc. 1.* — *Patris & filij vna natura & vna gloria.*

SILEAT omnis caro à facie &c.] AEgyptus mundus accipitur, in quem Dominus deſcendiſſe memoratur in carne: quæ ædita de vtero virginali, nullo humani ſeminis & peccatorum pondere grauabatur. *Tomo 5. lib. 1. Commentariorum in cap. 2. Zachariæ.*

ET oſtendit mihi Dominus &c.] Quod ſequitur. Increpet Dominus in te Sathan, & increpet Dominus in te qui elegerit Hieruſalem, ſic edifferunt: quia pater & filius Dominus eſt, & in centeſimo nono Pſalmo legimus: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Dominus de altero Domino loquitur non quòd ipſe Dominus cui loquitur increpare nõ poſsit, ſed quod ex vnitate naturæ eum alter increpauerit, increpet, ipſe qui loquitur. Qui enim videt filium videt & patrem, & iſte eſt, qui elegit Hieruſalem, Eccleſiam, quæ pacem Domini contemplatur. *Tomo primo libro ſexto Commentariorum in cap. 3. Zachariæ.*

ECCE ego mitto angelum, &c.] Hoc quod dicitur: Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciẽ meam, ex perſona Chriſti dicitur: quod Ioannem miſerit in deſerto Iudeæ prædicare baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Quod autem ſequitur: Et ſtatim veniet ad templũ ſuum dominator quem vos quæritis: & angelus teſtamenti, quem vos vultis: ita de ſe quaſi de altero loquitur, iuxta conſuetudinem ſcripturarum, Nulliq; dubium quin dominator iſte Saluator ſit, qui creator eſt omnium, & angelus teſtamenti, & magni conſilij angelus appellatur. Alij verò hoc quod dicitur: Ecce ego mittam angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, ex perſona patris dictum putant, & quod ſequitur: Statim veniet ad templum ſuum dominator, quem vos quæritis: & angelus teſtamenti, quem vos vultis, de Domino Saluatore ab eo dictum intelligunt. Præparat autem viam Ioannes, & rectas facit ſemitas Dei noſtri in cordibus credentium: in quibus propter prauitatem, & incredulitatem prius Deus ambulare non poterat. Templum autem vel Eccleſiam interpretantur, vel vnumquemque credentium in Eccleſia: Aedificamini domos ſpirituales, ſacerdotium ſanctum: offerentes ſpiritales victimas & acceptabiles Deo per Chriſtum Ieſum. Eos qui verè crediderint: Neſcitis quod templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? Iudæi hoc quod dicitur: Ecce ego mitto angelum meum, de Helia propheta intelligunt dictum, & quod ſequitur: Statim veniet ad templum ſuum dominator quem vos quæritis, & angelus teſtamenti quem vos vultis, referens ad ἠλειμμένον, hoc eſt, Chriſtum ſuum: quem dicunt vltimo tempore eſſe venturum. Sed miror quomodo eos rerum exitus non doceat veritatem. Quod enim templum ſuum inueniet dominator, quod vſque ad fundamenta deſtructum eſt? aut ſi ab alio deſtruendum eſt antequam Chriſtus adueniat: quid Chriſtus eorum amplius facturus eſt, cum ab alio reſtituta ſint omnia? Dominus noſter in Euangelio Heliam prophetam. Iohannem Baptiſtam interpretans loquitur: Si vultis ſcire, ipſe eſt Helias, qui venturus eſt: de quo & hic idem propheta quem nunc diſſerimus ſcribit in fine: Ecce ego mitto vobis Heliam prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Quomodo autem Helias Ioannes ſit, dedit nobis viam intelligentiæ: in virtute & ſpiritu Heliæ eum veniſſe commemorans. *Tomo quinto Commentariorum in cap. 3. Malachiæ.*

*Chriſti perſona de ſe quaſi de altero loquitur more ſcripturarum.* — *Templũ Dei vel eccleſia eſt vel vnuſquiſq; credentium.* — *1. Pet. 2.* — *2. Corint. 3.* — *Chriſtũ fruſtra vltimo tempore aduẽtum expectant Iudæi.* — *Matt. 11.* — *Luc. 1.*

ECCE venit, dicit dominus &c.] Legimus motam Domino quæſtionem ab his qui dicunt: Omnis qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Domini, & tales ei placent: aut certè ſi diſplicent, vbi eſt Deus iudicij? hoc eſt, vbi eſt iuſtitiæ veritas? Ad quam diſſoluendam Domini ſermo reſpondit: Mittam angelum meum qui præparabit viam meam & veniet ad templum ſuum dominator, quem vos quæritis: qui iudex eſt veritatis, de quo dicitur in Pſalmo: Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis: Non enim pater iudicat quenquam, ſed iudicium omne dedit filio. Et ille eſt angelus teſtamenti: quem vos quæritis: cui mala non placent, qui perſonam in iudicio non accipit: qui nulla nec miſericordia, nec ſeueritate mutatur. Calix enim in manu domini vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc, id eſt, miſericordia iuſtitiam temperat, & iuſtitia miſericordiam. Iſte igitur ſtatim & velociter veniet ad templum ſuum, id eſt, Eccleſiam. *Tomo quinto Commentariorum in cap. 3. Malachiæ.*

*Pſal. 71.* — *Ioan. 3.* — *Chriſtus miſericordia iuſtitiam temperat & iuſtitia miſericordiam.*

LIBER generationis Ieſu &c.] Non putemus Euangeliſtam Prophetæ eſſe contrariũ: vt quod ille impoſſibile dixit effatu, hic narrare incipiat: quia ibi de generatione diuinitatis, hic de incarnatione eſt dictum: A carnalibus autem cępit, vt per hominem Deum diſcere incipiamus. *Tomo ſexto Commentariorum in Caput primũ Mattha. In initio.*

*Per hominẽ Deum diſcere incipimus*

ET apertis theſauris &c.] Pulcherrimè munerum ſacramenta Iuuencus presbiter vno verſiculo comprehendit: Thus, aurum, myrrham, regique homini que Deoque dona ferunt. *Tomo ſexto libro primo Commentariorum in caput ſecundum Matthæi.*

TVNC tetigit oculos eorum &c.] Audiant

*Marcion & Manichæus negant Chriſtum natum in carne.*

Marcion & Manichæus, & cæteri hæretici qui vetus laniant inſtrumentum, & diſcant Saluatorem appellari filium Dauid: Si enim non eſt natus in carne, quomodo vocatur filius Dauid? *To. 6. lib. 1. Com. in cap. 9. Matthæi.*

*Theſaurus abſconditus vel Deus eſt vel ſacra ſcriptura.*

SIMILE eſt regnum cælorum theſauro &c.] Theſaurus iſte, in quo ſunt theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, aut Deus verbum eſt, qui in carne Chriſti videtur abſconditus: aut ſanctæ ſcripturæ, in quibus repoſita eſt notitia Saluatoris: quem cum quis in eis inuenerit, debet omnia iſtius mundi emolumenta contemnere, vt illum poſſit habere quem reperit. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 13. Matth.*

*Error Iudæorum eſt ſalus noſtra & hærticorum condẽnatio.*

NONNE hic eſt fabri &c.] Error Iudæorum ſalus noſtra eſt, & hæreticorum condemnatio. In tantum enim cernebant hominem Ieſum Chriſtum, vt fabri putarent filium. Nonne hic eſt fabri filius? Miraris ſi errent in fratribus, cum errent in patre. Locus iſte plenius in ſupradicto cõtra Heluidium libello expoſitus eſt. *Tom. 6. Com. lib. 2. in cap. 13. Matthæi.*

ET obtulerunt ei omnes &c.] Qui malè ſe habent, non tangant corpus Ieſu, neq; totum veſtimentum eius, ſed extremam fimbriam: & quicunq; tetigerint. ſanabuntur, fimbriam veſtimenti eius, vel minimum mandatum intellige, quod qui tranſgreſſus fuerit, minimus vocabitur in regno cælorum. Vel aſſumptionem corporis, per quam venimus ad verbum Dei, & illius poſtea fruimur maieſtate. *Tom. 6. Com. lib. 2. in cap. 14. Matthæi.*

*Per aſſumptionem corporis perueni tur ad Dei cognitionem*

AT illa venit & adorauit eum &c.] Nota quòd iſta Cananitidis perſeueranter primum filium Dauid, deinde Dominum vocet, & ad extremũ adoret vt Deum. *Tomo ſexto lib. 2. Comment. in cap. 15. Matthæi.*

QVEM dicunt homines &c.] Non dixit quẽ me dicunt eſſe homines, ſed filium hominis ne iactãter de ſe quærere videtur. Et, nota quod vbicunq; ſcriptum eſt in veteri teſtamento filius hominis, in Hebræo, filius Adam poſitum ſit. Illud quoq; quod in Pſalmis legimus: filij hominum vſq; quo graui corde, in Hebræo dicitur, filij Adã. Pulchrè autem interrogat: Quem dicunt homines eſſe filium hominis: quia qui de filio hominis loquũtur, homines ſunt, qui verò diuinitatem eius intelligunt, non homines, ſed dij appellantur. *Tom 6. Com. lib. 3. in cap. 16. Matthæi.*

*Pſal. 4.*

MANE autem reuertens &c.] Diſcuſſis noctis tenebris matutina luce radiante, & vicina meridie in qua Dominus paſſione ſua illuſtraturus erat orbem, cum in ciuitatem reuerteretur, eſurijt: vel veritatem humanæ carnis oſtendens, vel eſuriens ſalutem credentium, & æſtuans ad incredulitatem Iſraẽlis. *Tom. 6. lib. 3. Comment. in cap. 21. Matthæi.*

*Eſuriendo veritatem humanæ carnis oſtendit.*

CONGREGATIS autem Phariſæis &c.] Interrogantur de Chriſto, cuius filius ſit. Interrogatio Ieſu proficit nobis vſq; hodie contra Iudæos. Et hi enim qui confitentur Chriſtum eſſe venturum, hominem ſimplicem & ſanctum virum aſſerunt de genere Dauid. Interrogemus ergo eos docti à domino: Si ſimplex homo eſt, filius tantùm Dauid, quomodo Dauid eum vocet Dominum ſuum, non erroris incerto, nec propria voluntate, ſed ſpiritu ſancto. Teſtimonium autem quod poſuit, de centeſimo nono Pſalmo ſumptum eſt. Dominus igitur Dauid vocatur, non ſecundum id quod de eo natus eſt, ſed iuxta id quod natus ex patre ſemper fuit, præueniens ipſum carnis ſuæ patrem. Iudæi ad deludendam interrogationis veritatem, friuola multa confingunt: vernaculum Abrahæ aſſerentes, cuius fuerit filius Damaſcus Eliezer, & ex ipſius perſona ſcriptum Pſalmum, quod poſt cædem quinque regum, Dominus Deus domino ſuo dixerit Abrahæ, ſede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Quos interrogemus, quomodo Deus dixerit Abrahæ ea quæ ſequuntur: Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum, ex vtero ante luciferum genui te. Et: Iurauit Dominus & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem, Melchiſedech. Et reſpondere cogamus, quomodo Abraham ante luciferum genitus ſit, & ſacerdos fuerit ſecundum ordinem Melchiſedech: pro quo Melchiſedech obtulerit panem & vinum, & à quo prædæ decimas acceperit. *Tom. 6. lib. 4. Com. in cap. 23. Matthæi.*

*Iudæi interpretando corrumpunt prophetias de Chriſto.*

ET aſſumpto Petro &c. Illud quod ſupra diximus de paſſione & propaſſione, etiam in præſenti capitulo oſtenditur: quod Dominus vt veritatem probaret aſſumpti hominis, verè quidẽ contriſtatus ſit, ſed ne paſſio in illius animo dominaretur, per propaſſionem cæperit contriſtari. Contriſtabatur autem, non timore patiendi (qui ad hoc venerat vt pateretur, & Petrum timiditatis argueret) ſed propter infeliciſſimum Iudam, & ſcandalum omnium Apoſtolorum, & reiectionem populi Iudæorum, & euerſionem miſeræ Hieruſalem. Vnde & Ionas ſuper ariditate cucurbitæ vel hæderæ contriſtatus eſt, nolens perire quondam tabernaculum ſuum. *Tom. 6. lib. 4. Com: in cap. 26. Matthæi.*

*Ex affectib⁹ humanis veritas aſſũpti corporis probatur.*

ET progreſſus puſillum &c.] Vnde & ſignanter non dixit, tranſeat à me calix, ſed calix iſte, hoc eſt, populi Iudæorum: qui excuſationem ignorantiæ habere non poteſt, ſi me occiderit: habens legem & prophetas: qui me quotidie vaticinantur. Attamen reuertens in ſemetipſum, quod ex hominis præſona trepidanter renuerat, ex Dei filijq; confirmat. Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu: Non, inquit, hoc fiat, quod humano affectu loquor, ſed propter quod ad terras tua voluntate deſcendi. *Tom. 6. lib. 4. Com. in cap. 26. Matthæi.*

ET impoſuerunt ſuper caput &c.] Velitis, nolitis Iudæi, omnis vobis gentium turba reſpondet: Ieſus rex Iudæorũ eſt, hoc eſt: imperator credentium & confitentium. *Tom. 6. lib. 4. Com in cap. 27. Matthæi.*

SI autem vos Chriſti &c.] Quia repromiſſiones ad Abraham & ad ſemẽ eius factæ ſunt, quod eſt Chriſtus Ieſus: conſequenter hi qui Chriſti filij, id eſt, ſemẽ eius ſunt ſemẽ quoq; dicuntur Abrhã, cui⁹ ſunt ſemen ex ſemine. Verum quotieſcunq; Dominus noſter Ieſus ſemen Abrahæ nominatur, corporaliter ſentiendum eſt, quod ex eius ſtirpe generetur, Quotiens autem nos, qui Saluatoris ſermone ſuſcepto credidimus in eum & nobilitatem generis Abrahæ, ad quem eſt promiſſio facta ſuſcepimus: tunc ſpiritualiter ſemen fidei & prędicationis accipere debemus. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 3. ad Galatas.*

*Chriſtus ſemen Abrahæ corporaliter: nos autẽ ſemen Abrahæ fide & prędicatione*





RECAPITVLARE omnia in Chriſto &c.] Omnis diſpenſatio, quæ & ante mundum, & poſtea eſſe cępit in mundo, tam inuiſibilium quàm viſibilium creaturarum, aduentum Dei filij pollicebatur: Quod Adam qui de Paradiſo eiectus eſt, per Saluatorem reuocandus erat. Quod in fabricatione turris, linguarum vnitas ſciſſa eſt; in Actibus Apoſtolorum portendebat dona linguarum. Quod Iſaac in typo Domini crucem ſuam ipſe portauit. Quod Samſon ſanctam comam nutriens, Dalilæ pauperis dilexit amplexus, & omnia cordis ſui ſecreta confeſſus eſt. Saluatoris & Eccleſiæ ex gentibus verè pauperis, & egenæ myſterium ſignificabat. In cruce itaque Domini & in paſsione eius recapitulata ſunt omnia, id eſt, vniuerſa in hac ἀνακεφαλαιώσει ſupputata. Quod vt manifeſtius fiat, quotidianæ conſuetudinis aliquod ponamus exemplum. Verbi cauſa: Viginti denarios erogaui, rurſum quinq;, & alios quindecim, triginta quoque & ter decies, per diuerſa tempora dedi: Hæc ſi in vnum voluero ſupputare, centenarij mihi numeri ſumma ſuccreſcit, & in vno numero habebo omnia quę ante deſcripſi. Sic itaque vniuerſa myſteria, & omnis diſpenſatio vetuſtatis, non ſolum quæ in terris, ſed etiam quæ in cælis geſta eſt, in Chriſti paſsione complectur. Cum enim ſemel mihi Chriſtus paſſus fuerit, & ſepultus, & reſurrexerit, & ad patrẽ victor aſcenderit, non neceſſe habeo veterẽ numerum, quia in vno omnia teneo. Diligenter attendite, quod non ſolùm omnes hiſtoriæ ſcripturarum, quas in terris geſtas Spiritus ſanctus enumerat: ſed etiam in cæleſtibus, quæ nobis occultæ ſunt, in Chriſti recapitulata paſsione teneantur. *Tomo. 6. lib. 1. Comment. in cap. 1. ad Epheſios.*

*Gen. 3.*

*Gen. 11.*

*Act. 2.*

*Gen. 22.*

*Iud. 16.*

*Varij typi & figuræ quæ aduentum filij Dei pollicebantur.*

*Omnes hiſtoriæ ſcripturarum in Chriſti paßione recapitulãtur.*

MIHI in infimo data eſt &c.] Reſpicis cunas Chriſti, vide pariter & cælum. Vagientem in præſepe intueris infantem, ſed angelos ſimul auſculta laudantes. Herodes perſequitur, ſed adorant Magi. Ignorant Phariſæi, ſed ſtella demõſtrat. Baptizatur à ſeruo, ſed vox deſuper Dei intonantis auditur. Aquis mergitur, ſed columba deſcendit, imo ſpiritus in columba. Ad paſsionem venit, & pati timet, vult tranſire calicem, & Petrum, quia calicem timebat, accuſat. Quid hac ſtultitia prudentius, varietate diſtinctius, ſapientia obſcurius, quam fecit Deus in Chriſto Ieſu Domino noſtro? *Tom. 6. lib. 2. Comment. in cap. 3. ad Epheſios.*

*Nihil illa ſtultitia prudentius quã fecit Deus in Chriſto Ieſu.*

IPSI gloria &c.] Ipſi Deo ſit gloria, primum in Eccleſia, quæ eſt pura, non habens maculam neque rugam, & quæ propterea gloriam Dei recipere poteſt, quia corpus eſt Chriſti. Deinde in Chriſto Ieſu, quia in corpore aſſumpti hominis, cuius ſunt vniuerſa membra credentium, omnis diuinitas inhabitat corporaliter. Quę quidẽ gloria non in præſens tantùm tempus extenditur, & futuris ſæculis terminatur, ſed in omnes generationes, & ſæculum ſæculorum ineffabili æternitate permanet, creſcit, augetur. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 3. ad Epheſios.*

ESTOTE ergo imitatores &c.] Non poterant ſtatim imitatores Chriſti fieri, ſed grande illis erat ſi imitatores poſſent imitatoris exiſtere. Epheſijs verò quaſi his quos iam myſteria tanta docuerat, non ait, imitatores mei eſtote, nec imitatores Chriſti, ſed imitatores Dei. Nõ quo min⁹ ſit imitatorem Chriſti eſſe quã Dei (Deus quippè Chriſtus eſt) ſed quod aliud ſit ſecundùm hominem imitari, aliud ſecundùm Deum. *Tomo. 6. lib. 3. Com. in cap. 5. ad Epheſios.*

*Aliter imitamur Chriſtũ ſecundùm hominem aliter ſecundũ Deum.*

## *II. Chriſtum verùm Deum nihil læſa diuinitate, integram ſuſcepiſſe naturam humanam.*

IPſe eſt Dei virtus & Dei ſapientia, qui in vtero virginis ędificauit ſibi domum *Tom. 2. Epiſt. 61. ad Pammachium. cap. 6.*

TRINITATEM dicis, ô Ruffine, vnius eſſe deitatis. Hoc toto credente iam mundo, puto quod & Dæmones confiteantur filium Dei natum de Maria virgine, & carnem naturæ humanæ atque animam ſuſcepiſſe. *Tom. 2. lib. 2. Apologiæ aduerſus Ruffinum. cap. 1.*

CARNIS infirmitas Deo habitatore gaudebat: & tamen menſuram fragilitatis ſuæ excedere non potuit, vt non τῷ δοκεῖν, iuxta veteres hæreticos, ſed verè Dei filius, hominis filius crederetur, apoſtolos parumper relinquens, cecidit in terram pronus, & orabat dicens: Pater ſi poſsibile eſt. Cur quæſo ſententiam ambigenter exprimebat, qui in alio loco dixerat: Quæ apud homines impoſsibilia, apud Deum poſsibilia ſunt? Sed homo paſſurus, hominis loquitur verbis. Ille dicit: Si poſsibile eſt, vna hora prætereat. *Tom. 2. lib. 1. Dialog. aduerſus Pelagianos. cap. 5.*

*Hoc addit propter Marcionem Apellitas, & Manicheos, qui Chriſtum nõ verum ſed apparens tãtum & phantaſticum habuiſſe corpus aſſirmabant.*

HOMINEM Deum dici, multis teſtimonijs approbatur, vt ibi: Duorum hominum teſtimonium verum eſt. Ego de me teſtimonium dico, & qui me miſit pater. In alia parabola paſtor, in alia paterfamilias nuncupatur, in alia vineam locat, in alia inuitat ad nuptias: & diuerſis ſimilitudinibus rem ſignificat eandem, vt Iudæorum reprobet ſuperbiam; & in communi omnium peccatorum, ſiue gentilium ſiue Iſraelitarum pœnitentiam probet. *Tomo tertio. Epiſtol. 146 ad Damaſum.*

INCVBVIT ſuper collum ipſius, & corpus ſumpſit humanum. *Tom. 3. Epiſt. 146. ad Damaſum.*

ET dixit Dominus ad me &c.] Et licet humanus ſermo natiuitatis eius nequeat explicare myſteria: tamen Gabriel ipſi virgini loquitur, quæ concepit: Spiritus ſanctus veniet ſuper te: & virtus altiſsimi obumbrabit tibi: propterea quod naſcetur ex te ſanctũ, vocabitur filius Dei. Quidam prophetiſſam ſanctam Mariam interpretantur, quam prophetin fuiſſe non dubium eſt: Ipſa enim loquitur in Euangelio: Ecce enim modò beatam me dicent omnes generationes: quoniam fecit mihi magna qui potens eſt, & reliqua. Præcipiturque Eſaiæ, vt ipſum puerum *Pſal. 67.*
qui prius vocabatur Emanuel, nunc appellet, accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari: Aſcendens enim in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus: Et antequam huma *Epheſ. 4.*
num corpus aſſumeret, & iuxta infantiam patrẽ vocaret Deum, & matrem Mariam: auferetur Damaſci fortitudo, & ſpolia Samariæ per regem Aſſyriorum: vt nec dum natus populum ſuum, domum Dauid, ſola inuocatione liberaret. Vrias interpretatur lux Domini: Zacharias memoria Domini: & Barachias, benedictio Domini: quibus teſtibus natiuitas Chriſti comprobatur. Ipſe enim in Euangelio duob⁹ euntib. in Emaus incipiens à Moyſe & Prophetis, ediſſeruit, quod

de ſe omnia prophetaſſent. *Tom. 4. lib. 3. Com. in cap. 8. Eſaiæ.*

ECCE ſeruus meus &c.] Noli timere vermis Iacob, & paruulus numero Iſraël. Vbi autem de Chriſto eſt vaticinium, abſque Iacob & Iſraël legitur: Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum, electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea. Et in conſequentibus: Dedi te in teſtamentum generis, in lucem nationum, aperire oculos cæcorũ, & educere de vinculis alligatos, & de domo carceris habitantes in tenebris. Nec mirum, ſi ſeruꝰ vocetur, factus ex muliere, factuſque ſub lege: qui cum in forma Dei eſſet, humiliauit ſe, formam ſerui accipiens, & habitu inuentus vt homo. *Tom. 4. lib. 12. Com. in cap. 42. Eſaiæ.*

VAE qui contradicit fictori &c.] Qui cœptam ad Chriſtum refert intelligentiam, ſit explanationis ſuæ verba moderatur. Vę eis qui cõtradicunt Deo, & Chriſtum non putant eſſe vẽturum, quaſi lutum & teſta de teſtis contradicat figulo ſuo. Væ qui dicit omnipotenti patri, quare tu generas filium, & mulieri ſanctæ Mariæ, quid parturis? De qua ſcribit & Apoſtolꝰ: Quod Chriſtus factus ſit de muliere, factuſque ſub lege. Hæc ergo dicit Dominus Sanctus Iſrael, qui plaſmauit in virginali vtero ſaluatorem, dicens per Gabrielem: Spiritus ſanctus veniet ſuper te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi, quod autem naſcetur in te ſanctũ, vocabitur filius Dei. *Tom. 4. lib. 13. Com. in cap. Eſaiæ. 45.*

HAEC dicit Dominus &c.] Ergo Deus in quo eſt Deus: Dominus noſter Ieſus Chriſtus rectius intelligitur, & verius: qui in Euangelio loquitur: Ego & pater vnum ſumus: & ego in patre, & pater in me eſt. Qui Deus appellatur abſconditus propter aſſumpti corporis ſacramentum, & Deus Iſrael Saluator, quod interpretatur Ieſus. Hic enim, iuxta angelum Gabrielem, ſaluabit populum ſuum. *Tomo quarto lib. 13. Com. in cap. 45. Eſaiæ.*

*Cur Chriſtus Deus abſcõditus.*

ERGO iudicium meum cum Domino &c.] Et in vmbra, inquit, manus ſuæ protexit me, vt carnis vilitas, diuinitatis potentia tegeretur, angelo ad virginem nunciante: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Poſuit, inquit, me ſicut ſagittam electam: oſtendit Deum habere ſagittas plurimas, ſed nõ electas: quæ ſagittæ, prophetæ ſunt, & apoſtoli, qui in toto orbe diſcurrunt. De quibus & in alio loco canitur: Sagittæ tuæ acutæ potentiſsimè: populi tui ſub te cadent. Et iterum: Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatorijs. Chriſtus autem de multis ſagittis, & filijs plurimis, vna ſagitta electa, & filius vnigenitus eſt: quam in pharetra ſua abſcondit, id eſt, in humano corpore, vt habitaret in eo plenitudo diuinitatis corporaliter. *Tom. 4. lib. 13. Com. in cap. 49. Eſaiæ.*

*Luc. 1.*

*Prophetæ & apoſtoli ſunt ſagittæ dei.*

*Pſal. 44.*

SPIRITVS Domini Dei ſuper me &c.] Spiritus Domini Dei ſuper me, non quod Dominus Deus habeat Dominum Deum, ſed quod iuxta diſpenſationẽ carnis aſſumptæ dicat ea quæ humilia ſunt. Ad quem Pſalmiſta iam dixerat: Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus tuus, oleo exultationis præ conſortibus tuis. Quando enim conſortes nominantur, naturam carnis intellige: quia Deus cõſortes ſuæ ſubſtantiæ non habet. Et quia erat vnctio ſpiritualis; & nequaquam humani corporis (vt fuit in ſacerdotibus Iudęorum) iccirco prę conſortibus, id eſt, cæteris ſanctis vnctus eſſe memoratur. Cuius vnctio illo expleta eſt tempore, quando baptizatus eſt in Iordane, & ſpiritus ſanctus in ſpecie columbæ deſcendit ſuper eum & manſit in illo, De quo & hic idem propheta dicebat. Exiet virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis. Vnde & Saluator cum veniſſet in Nazareth in qua nutritus erat, poſtquam baptizatus eſt in Iordane, ingreſſus eſt iuxta conſuetudinẽ in die ſabbathi ſynagogam eorum. Cumque ſurrexiſſet ad legendum, datus ei liber Eſaiæ Prophetæ, quo aperto, inuenit ſcriptum, Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, Euãgelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captiuis remiſsionem, & cæcis viſum, dimittere fractos in libertatem, prædicare annum Domini acceptum. Quando conuolutum librum reddidit miniſtro, & ſedit, & omnium oculi qui erant in ſynagoga, attendebant eum, cœpitque ad eos dicere: Hodie eſt completa ſcriptura hæc in auribus veſtris: & omnes teſtimoniũ præbebant ei, & mirabantur ſuper ſermonibus gratiæ, quę egrediebãtur de ore eius. Si ergo illo completa eſt tempore prophetia: quo modo quidam ad conſummationis referunt tempora quæ dicuntur: niſi fortè poſſumus hoc dicere, quod tunc ex parte completum ſit, plenius eſſe complendum, quando omnis populus Dei fuerit iuſtus? Nunc enim ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus: Cum autẽ venerit quod perfectum eſt, ea quæ ex parte ſunt deſtruentur. Vnctus eſt igitur ſpiritu ſancto, vt annunciaret pauperibus ſiue manſuetis: dicens eis in euangelio: Beati pauperes ſpiritu, quoniam eorũ eſt regnum cælorũ. Et: Beati mites, quoniã ipſi poſsidebunt terram. Et miſſus eſt ad ſanandos eos, qui corde contriti ſunt & dicunt: Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Siue iuxta Symmachum & Theodotionem, ad alliganda vulnera peccatorum, prædicare captiuis remiſsionem, cęcis vt videant, vel clauſis apertionẽ, quod manifeſtius interpretatus eſt Symmachus, vinctis ſolutionem. De quo, imo ad quem ſupra dicitur: Ecce poſui te in lucem gentium: aperire oculos cæcorum: educere de vinculis alligatos, & de domo carceris ſedentes in tenebris. Annum autem acceptabilem & diem retributionis, omne prædicationis eius quo in carne verſatus eſt, tempus intellige. *Tom. 4. lib. 17. Comment. in cap. 61. Eſaiæ.*

*Pſal. 44.*

*Conſortes naturæ ſuæ Deus non habet niſi iuxta carnem.*

*Ioan. 1.*

*Luc. 4.*

*Prophetiæ iã completæ Chriſto non ſunt in conſummatione mundi expectandæ.*

*1. Cor. 13.*

*Matth. 5.*
*Luc. 4.*

*Pſal. 50.*

VTINAM diſrumperes cælos, &c.] Quoniam hoſtes noſtri conculcauerunt ſanctuarium tuum, & facti ſumus quaſi in principio, quando non inuocabatur nomen tuum ſuper nos: Propterea deprecamur & dicimus: Vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes, vt qui ſemper promitteris, tu aliquando promiſſa cõpleres. Hoc autem eo tempore dicebatur, quando necdum ſaluator aduenerat: nec de vtero virginali naturæ noſtræ atque ſubſtantiæ aſſumpſerat hominem quem ſaluaret: vt ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem ſupercæleſtis. Quod ſi faceres, inquiunt, & aperirentur cæli ſiue cælum ad aduentum maieſtatis

*1. Cor. 15.*



tis tuæ: montes defluerent, vel tremor apprehenderet montes, & conſumerentur, ſicut cera à facie ignis conſumitur. Et Ezechieli aperti ſunt cæli, & vidit viſionem magnam. Sed & Moyſes in Deuteronomij benedictionib. imprecatur: Aperiat tibi Dominus theſaurum ſuum bonum cælum, vt det tibi benedictionem. Et in Euangelio Baptiſta Iohannes vidiſſe teſtatur cælos apertos, & ſpiritum ſanctum ſuper Dominum in ſpecie columbæ deſcendentem. Montes autem qui ad aduentum Domini, de quo ſcriptum eſt, Deus ignis conſumens, inſtar ceræ conſumẽtur & liquefient: aduerſariæ poteſtates ſunt, & omnes qui ſe erigunt aduerſum ſcientiam Dei. De quibus & in nonageſimo ſexto Pſalmo canitur: Vidit & commota eſt terra. Montes liquefacti ſunt, ſicut cera à facie Domini, à facie Dei vniuerſæ terræ. Si enim tu deſcenderes, & tua promiſſa compleres, tabeſcerent (iuxta Symmachum) aquæ maris, & omnem ſalſuginem earum ignis ille conſumeret, de quo & in alio Pſalmo ſcriptum eſt: Sicut deficit fumus, deficiant: ſicut conſumitur cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei. Et hoc notandum quod cum aquæ maris diuino fuerint igne conſumptæ, tunc notum fiat nomen Domini Saluatoris inimicis eius. De quibus in ſexageſimo ſeptimo Pſalmo dicitur: Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo: vt quem beneficijs non ſenſerant, vrbis ſuæ ſubuerſione, & propria captiuitate cognoſcant. Et à facie illius gentes turbabuntur, ſiue vt ſignificantius in Hebraico dicitur, mouebuntur: vt quæ prius immobiles erant, veniant ad ſalutem. Cumque mirabilia fecerit, & oſtenderit ſigna in Euangelio, quæ quondam oſtendit in AEgypto & in ſolitudine, confitebuntur ſe gloriam, aduentus eius ferre non poſſe, ſiue quod tremor apprehenderit montes. Pulchreque iuxta Hebraicum, quaſi exauditi eſſent, qui ſupra fuerant deprecati: Vtinam diſrumperes cælos & deſcenderes, à facie tua montes defluerent: poſtea inferunt. Deſcendiſti, verbum caro factum es, & habitaſti in nobis: verè Emanuel, quod interpretatur nobiſcum Deus. & ideo à facie tua omnes montes defluxerunt: de quibus ſupra diximus. Hebræi hunc locum ita ediſſerunt: Sic combur et ignis iniquos, quomodo aquæ feruent ignis ardore: hamaſim enim non conſumptionem & tabem, vt cæteri interpretati ſunt, ſed iniquos intelligi volunt. *Tom. 4. lib. 17. Com. in cap. 6 3. Eſaiæ.*

*Ezech. 1.*

*Deut. 28.*

*Matt. 3.*

*Deut. 4.*

*Quomodo Deus ſit ignis conſumẽs impios.*

*Pſal. 67.*

*Quomodo aquæ feruent ignis ardore, ſic cõburet ignis iniquos*

ET egredientur & videbunt &c.] Miror quoſdam aereum corpus, & paulatim in auras tenues diſſoluendum, poſt reſurrectionem introducere: quia Dominus potentia maieſtatis ſuæ, ad Apoſtolos clauſis ingreſſus eſt ianuis. Qui certè & ante reſurrectionem pendulo ſuper mare ambulauit inceſſu, & hoc ipſum Apoſtolo præbuit Petro: vt qui fide ambulabat, infidelitate poſtea mergeretur: cui dictum eſt: Quare dubitaſti modicæ fidei? *Tom. 4. lib. 18. Com. in cap. 66. Eſaiæ.*

*Contra eos qui aſſerunt Chriſti corpus fuiſſe aërẽ poſt reſurrectionem.*

PRAVVM eſt cor omnium &c.] Si de Saluatore dicitur: Videns autem cogitationes eorum Ieſus: nulluſque poteſt videre cogitationes eorum, niſi ſolus Deus: ergo Chriſtus Deus eſt, qui ſcrutatur corda, & probat renes: & reddit vnicuique iuxta opera ſua. *Tom. 4. lib. 3. Com. in cap. 17. Hieremiæ.*

ET erit in die illa &c.] Iſte eſt Dauid, cuius & Euangelium meminit, daturum ſe nobis, vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus illi: In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris. Quomodo enim primus Adam, & ſecundus Adam ſcribuntur iuxta corporis veritatem, ſic & Dauid Dominus, atque Saluator: quia iuxta carnem ex Dauid, totum in eo ſancta Maria conferente, quicquid fuit ex ſtirpe Dauid, & habente origenem atque conceptum de ſpiritu ſancto. *Tom. 4. lib. 6. Com. in cap. 30. Hieremiæ.*

STATVE tibi ſpeculas &c.] Reuertere, inquit virgo Iſrael, reuertere ad ciuitates tuas quas captiuus deſeruiſti: vſquequo negligentia diſſolueris, & profundo errore vagaberis? Reſpice quid dicturus ſum, & vnde tibi tanta beatitudo expectanda ſit, diligenter attende. Audi quod nunquam ante cognoueras. Nouam rem creauit Dominus ſuper terram. Abſque viri ſemine, abſque vllo coitu, atque conceptu, fœmina circundabit virum gremio vteri ſui: qui iuxta incrementa quidem ætatis per vagitus & infantiam proficere videbitur ſapientia & ætate: ſed perfectus vir in ventre fœmineo ſolitis menſibus continebitur. Vnde Symmachus & Aquila iuxta noſtram editionẽ interpretati ſunt. Quid ſibi autem in loco hoc voluerit editio vulgata, poſſem dicere, & ſenſum aliquem reperire: niſi de verbis Dei humano ſenſu argumentari eſſet ſacrilegum. Theodotio autem & ipſe vulgatæ editioni conſentiẽs, interpretatus eſt: Creauit Dominus ſalutẽ nouã, in ſalute circuibit homo, ſingulare ponens pro plurali. Simulq; & hoc notandum, quod natiuitas Saluatoris, atque conceptus Dei, creatio nuncupetur. *Tom. 4. lib. 5. Com. in cap. 31. Hieremiæ.*

*De verbis Dei humanã ſenſu argumentari ſacrilegum.*

ET efferes foras vaſa &c.] Qui volunt in Ezechielis perſona Chriſtum intelligi, vaſa captiuitatis, humanum corpus accipiunt, & perfoſſum parietem, quo infernorum clauſtra perfregit, & reſurgens à ſolis credentibus viſus eſt: portatuſq; in humeris, quando cum angelicis poteſtatibus ad cælum victor aſcendit. Et quod abſconditus egreditur, & velat faciem ſuam, ne in carne mortali videatur diuina maieſtas, & non videt terrã, ne oculis illius illuſtretur quæ eius non meretur aſpectum. Oculi enim Domini ſuper iuſtos, & auertit faciem ſuam ab impijs. Hæc autem, inquiunt, omnia feciſſe narratur, vt per ſimilitudinẽ hominis, dura ad fidem Iſraelitici populi corda conuerteret. Et in portentum datur Domui Iſraël: iuxta illud quod ſcriptum eſt: Ecce hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum, & in ſignum, cui cõtradicetur. *To. 4. li. 3. Com. in ca. 12 Ezechielis.*

*Pſal. 33.*

*Luc. 2.*

ET ecce cum nubibus cæli &c.] Qui in ſomno Nabuchodonoſor, lapis ſcribitur abſciſſus ſine manibus, & creuiſſe in montem magnum, & cõminuiſſe teſtam, ferrum, ęs argentum, & aurum: nunc ſub perſona filij hominis introducitur: vt aſſũptio carnis humanę ſignificetur in filio Dei, iuxta illud quod in Actibus apoſtolorũ legimꝰ: Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cælũ? Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodũ vidiſtis eum euntem in cęlũ. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 7. Danielis.*

*Eſaiæ. 2.*

QVAPROPTER nũc migrabunt &c.] In Eſaia ſcriptum eſt: Neomenias & ſabbata veſtra, & dies

dies feſtos odit anima mea: non quo Deus animam habeat: ſed quo humanis loquatur affectibus. Nec mirum ſi animam habere dicatur, cum etiam membra cætera, quæ viliora ſunt anima: pedes, manus, & ventrem, & artus cæteros ſe habere teſtetur. Quòd ſi oppoſuerint nobis hi qui Chriſtum negant humanam habuiſſe animam, ſed in humano corpore Deum fuiſſe pro anima: audiant in Chriſto ſubſtantiam animæ demonſtrari, quomodo membra corporis eius habuêre ſubſtantiam. *Tom. 5. lib. 3. Com. in cap. 6. Amos.*

*Vera ſubſtãtia animæ in Chriſto.*

HAEC oſtendit mihi Dominus &c.] Adamas ſui nominis lapis eſt, quem Latinè indomitum poſſumus appellare: eò quòd nulli cedat materiæ, nec ferro quidem. Nam ſi ponatur ſuper incudem, & graui ictu feriatur mallei, antea incus & malleus vulnus accipiunt, quàm Adamas conteratur. Cumque ignis omnia domet, & vniuerſa metalla conſumat, reddit adamantem duriorem: vt ne paruulum quidem in eo angulum vis nimij ardoris obtundat. Vidi & in auro adamantem magnitudine milij: cumq; vicinum conſumatur aurum longo vſu ac nimia vetuſtate, ſolus adamas non atteritur, & nulla lima imminui poteſt: ſed è contrario limam terit, & quicquid attigerit, lineis ſulcat. Hic lapis duriſsimus & indomabilis, ſolo hircorum cruore diſſoluitur: & miſſus in calidum ſanguinem, perdit fortitudinem ſuam. Eſt autem paruus & indecorus, ferrugineum habens colorem, & ſplendorem cryſtalli. Quatuorque adamantis genera deſcribuntur: Primus eſt Indicus: ſecundus Arabicus: tertius Macedonicus: quartus Cyprius: pro qualitate regionum plus vel minus duritiam poſsidentes. Dicitur quoq; in electri ſimilitudinem venena deprehendere, & maleficis reſiſtere artibus. Talis eſt Dominus & Saluator: Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens: in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuẽtus vt homo: humilians ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. De quo & Eſaias ſcribit: Non eſt ſpecies illi, neque decor: vidimus eum, & non erat pulchritudo, deſpectum & nouiſsimum hominum: virum dolorum & ſcientem ferre infirmitatem. *Tom. 5. lib. 3. Com. in cap. 7. Amos.*

*Chriſti et adamantis comparatio.*
*Philip. 2.*
*Eſaiæ, 53.*

ET factum eſt verbum &c.] Totum quod iubetur, quod obedit, quod nõ vult, quod iterum velle cogitur, quod patris ſecundò exequitur voluntatem, refert ad hominem, & ad formã ſerui, cui talia conueniunt. *Tom. 5. Commentariorum in cap 3. Ionæ.*

ET tu Bethlehem &c.] Ne putes eum de genere Dauid tantum eſſe, cui repromiſi dicens: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam, carnis aſſumptio diuinam nõ impedit maieſtatem: de me enim natus eſt antè omnia ſæcula, & temporum conditor, in tempore non tenetur. Ipſe eſt, cui & in alio Pſalmo dixi: Ante Luciferum genui te. In principio enim erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbũ. Hoc erat in principio apud Deum. Et iccircò egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. *Tom. 5. libro. 2. Com. in cap. 5. Micheæ.*

*Pſal. 131.*
*Nil læſa diuinitate integra aſſumpta à Chriſto humana natura.*
*Ioan. 1.*

PROPTER hoc dabit &c.] Quia de Bethlehem, quæ eſt Ephrata, egreſſus eſt Chriſtus dominator in Iſrael, & egreſſus eius non eo tantum fuerat tempore, quo viſus in carne eſt, ſed ab initio æternitatis, ſiue ab initio ſæculi: Quia ſemper ipſe locutus eſt per Prophetas, & ſermo Dei factus eſt in manu eorum: Ideo dabit Iudæos, eoſque regnare permittet vſque ad tempus parientis, quando completur illud: Lætare ſterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis: quoniam multi filij deſerte, magis quam eius quæ habet virum. *Tom. 5. lib. 3. Comment. in cap. 5 Micheæ.*

*Egreſſus Chriſti duplex.*

DEDIT abyſſus &c.] Pulchrè opinationem phantaſiæ, altitudinem vocat: iuxta Ieſum filium Syrach, qui ait: Abyſſum & Sapientiam quis inueſtigabit? Vnde & de monte modico, id eſt, aſſumptione humani corporis: quam Daniel lapidem abſciſſum de monte ſine manibus, id eſt, ſine opere nuptiali vocat: Chriſtus Abyſſus, inuocat patrem alteram abyſſum in voce cataractarum ſuarum, vt det euangelizantibus verbũ virtute multa: *Tomo quinto Comment. in caput tertiũ Habacuc.*

*Eccleſ. 1.*
*Pſal. 41.*

ET factum eſt verbum &c.] Quia myſticum eſt, quod dicitur, & ad finem rerum pertinet: iccirco iubetur Propheta ſolum Zorobabel loqui: quem in typo Chriſti propter aſſumptionẽ corporis ſemine Dauid proceſsiſſe mõſtrauimus. *Tom. 5. Com. in cap. 2. Aggæi.*

*Zorobabel typus Chriſti*

ASSVMAM te Zorobabel &c.] Aſſumam te Zorobabel filium Salathiel ſeruum meum. Seruus autem dicitur propter corpus humanum: quia tunc & ipſe filius ſubijcietur ei qui ſubiecit ſibi omnia, & in ſubiectis omnibus videbitur & ipſe ſubiectus. *Tomo 5. Com. in cap. ſecundum Aggæi.*

ET ecce quidam &c.] Dominus videns cogitationes eorum, oſtendit ſe Deum, qui poſsit cordis occulta cognoſcere, & quodammodo tacens loquitur: Eadem maieſtate & potentia, qua cogitationes veſtras intueor, poſſum & hominibus peccata dimittere. *Tom. 6. lib. 1. Comment. in cap. 9. Matthæi.*

ECCE mater mea &c.] Iſti ſunt mater mea, qui me quotidie in credentium animis generãt. Iſti ſunt fratres mei, qui faciunt opera patris mei. Non ergo iuxta Marcionem & Manichæum matrem negauit, vt natus de phãtaſmate putaretur, ſed Apoſtolos cognationi prætulit, vt & nos in comparatione dilectionis carni ſpiritum præferamus. Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant, quærentes te. *Tomo ſexto. lib. 2. Comment. in caput 12. Matthæi.*

*Marcion & Manichæus de phãtaſmate natum Chriſtũ putant.*

TVNC ait illis: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem &c.] Dicant qui irrationabilem Ieſum ſumpſiſſe animam ſuſpicantur, quomodo contriſtetur, & nouerit tempus triſtitiæ. Quanquã enim & bruta animalia mœreant, tamen nõ nouerunt, nec cauſas, nec tempus, vſque ad quod debeant contriſtari *Tom. 6. lib. 4. Comment. in cap. 26. Matthæi.*

*Rationalẽ et non irrationabilem animam aſſumpſit Chriſtus*

SOLICITI ſeruare vnitatem &c.] Quod ait: vnum corpus, & vnus ſpiritus: vel ſimpliciter vnum corpus Chriſti intelligitur, quæ eſt Eccleſia: vel certè quod ex virgine eſt dignatus aſſumere: ne illum quidem putent totiens corporatum, quotiens in veteri apparuit teſtamẽto. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 4. ad Ephesios.*

*Chriſtus non eſt toties corporatus quoties in vete. apparuit teſtamento.*

ET videntes eum ſupra mare &c.] Si iuxta Marcionem & Manichæum, Dominus noſter nõ eſt natus ex virgine, ſed viſus in phantaſmate: quomodo nunc Apoſtoli timent ne phantaſma videant. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 14. Matthæi.*



*Non fuiſſe Chriſti corp⁹ phantaſticũ.*

ET deſcendens Petrus &c.] Qui putant Domini corpus ideò non eſſe verum, quia ſuper molles aquas, molle & aëreum inceſſerit: reſpondeant quomodo ambulauerit Petrus: quem vtique verum hominem non negabunt. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 14. Matthæi.*

*Non fuiſſe Chriſti corp⁹ aerium.*

ET reſplenduit facies eius &c.] Vbi ſplendor faciei oſtenditur, & candor deſcribitur veſtium, non ſubſtantia tollitur, ſed gloria commutatur. Reſplenduit facies eius ſicut Sol. Certè transformatus eſt Dominus in eam gloriam, qua venturus eſt poſteà in regno ſuo. Transformatio ſplendorem addidit, faciem non ſubtraxit. Eſto, corpus ſpirituale fuerit, num & veſtimenta mutata ſunt, quæ in tantum fuêre candida (vt alius Euangeliſta dixerit) qualia fullo ſuper terram non poteſt facere? Quod autem fullo ſuper terram poteſt facere, corporale eſt, & tactui ſubiacet: & non ſpirituale & aëreum, quod illudat oculis, & tantum in phantaſmate conſpiciatur. *Tom. 6. lib. 3. Com. in cap. 16. Matthæi.*

*Chriſti corp⁹ non fuiſſe ſpirituale.*
*Mar. 9.*

VIDENTES autem principes ſacerdotum, & Scribæ mirabilia &c.] Mihi inter omnia ſigna quæ fecit, hoc videtur mirabilius eſſe: quod vnus homo & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, vt poſtea crucifigeretur, Scribis & Phariſæis contra ſe ſæuientibus & videntibus lucra deſtrui ſua, potuerit ad vnius flagelli verbera tantam eijcere multitudinem: menſaſq; ſubuertere, & cathedras confringere: & alia facere, quæ infinitus non feciſſet exercitus. Igneum enim quiddam atque ſydereum radiabat ex oculis eius: & diuinitatis maieſtas lucebat in facie. *Tom. 6. lib. 3. Com. in cap. 21. Matthæi.*

*Inter omnia Chriſti miracula quod mirabilius.*

AT vbi venit plenitudo temporis &c.] Diligenter attendite, quòd non dixerit, factum per mulierem, quod Marcion & cæteræ hæreſes volunt, quæ putatiuam Chriſti carnem ſimulant, ſed ex muliere, vt non per illam, ſed ex illa natus eſſe credatur. *Tom. 6. lib. 2. Com: in cap. 4. ad Galatas.*

*Marcion putatiuam Chriſti carnem ſimulat.*

PROPTEREA & ego audiens &c.] Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater autem gloriæ, ita intelligendus, vt quo modo Dominus noſter Ieſus Chriſtus ipſe eſt ſermo, ſapiẽtia, veritas, pax, iuſtitia, fortitudo, ipſe ſit etiam gloria: ſecundùm illud quod alibi dicitur: Apparuit gloria Dei: & in omni penè veteri lege ſcriptum eſt, ſuper tabernaculum teſtimonij viſam eſſe gloriam Dei. Et Pſalmiſta canit: Exurge gloria mea, exurge. Quæ gloria illuminans ſuo fulgore mundum, templum ſibi de virginali vtero fabricata eſt, cuius templi pater gloriæ efficitur Deus. Et vbi Chriſtus gloria eſt, ibi tantum pater dicitur: vbi Ieſus, ibi Deus eius abſque additamento aliquo nominatur. Iſte igitur Deus aſſumpti hominis, pater verò gloriæ, ſapientiæ, veritatis, dat credentibus in filium ſuum ſpiritum ſapientiæ & reuelationis vt ſapientes fiant, & reuelata facie gloriam Domini contemplentur. Quæ ſapientia & reuelatio, cùm eos ſapientes fecerint, & myſteria illis occulta aperuerint, ſtatim ſequitur vt habeant illuminatos oculos cordis. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 1. ad Ephesios.*

*Leuit, 9.*
*Num. 9.*
*Pſal. 66.*
*Deus ſibi templum de vtero virginali fabricat⁹ eſt.*

QVI deſcendit, ipſe eſt, & cæt.] Hic locus aduerſum Ebionem, & Photinum vel maximè facit. Si enim ipſe eſt aſcẽdẽs in cælos, qui de cælis ante deſcenderat: quo modo Dominus noſter Ieſus Chriſtus non ante Mariam eſt, ſed poſt Mariam? Nec non & contra eos, qui duos filios inſano errore confingunt, filium videlicet Dei, & filium hominis. Ecce hic apertiſsimè dicitur, quod ipſe ſit aſcendens atque deſcendens. Nec ſtatim iſta dicentes locum alteri hæreſi damus, quæ dimidiatam Chriſti aſſerit diſpenſationẽ: ſed ſic vnum & Dei & hominis filium confitemur, ne diſpenſationem aſſumpti hominis, qua ſaluati ſumus, ex parte credentes, in parte truncemus. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 4. ad Ephesios.*

*Chriſti diuinitatem aſſerit contra Ebionem, & Photinum.*
*Tres hæreſes contra Chriſti Incarnationem damnat.*

QVONIAM membra ſumus &c.] Membra ſumus corporis Chriſti, non ſecundum naturã diuinitatis æternæ, ſed iuxta id quod hominem eſt dignatus aſſumere: Quanquam & homo ipſe qui aſſumptus eſt, habeat naturam noſtrorum corporum, ſed non habeat origenem. Nos enim ex humano ſemine coagulamur, ille de ſpiritu ſancto natus eſt. *Tom. 6. lib. 3. Com. in cap. ad Epheſ.*

*Origo noſtrè & Chriſti diuerſa eſt.*

ILLVXIT enim gratia Dei &c.] Vbi eſt ſerpens Arrius? vbi Eunomius coluber? Magnus Deus Ieſus Chriſtus, ſaluator dicitur, non primogenitus omnis creaturæ; non verbum Dei & ſapientia, ſed Ieſus Chriſtus: quæ vocabula aſſumpti hominis ſũt. *To. 6. lib. 1. Co. in ca. 2. ad Titũ.*

ET omnia quæcunq; &c.] Hoc quod modò lectum eſt, & omnia quæcunque faciet, proſperabuntur: non ſolùm de Ioſia, ſed de nullo ſanctorum accipi poteſt: niſi fortè in futuro ſeculo. Melius igitur de eo intelligimus homine, qui à Saluatore noſtro aſſumptus eſt atque ſaluatus: non quo alium aſſumpſiſſe, alium aſſumptum eſſe teſtemur: ſed quo vnus atque idem filius Dei & filius hominis, qui ante ſæcula verbũ ſemper fuit, ipſe poſtea & carnem eſt dignatus aſſumere. *Tom. 7. Com. in Pſal. 1.*

*Vna Chriſti perſona non duæ.*

INCLINAVIT cælos & deſcendit &c.] Hoc eſt quod in alio Pſalmo ait: Deſcendit ſicut pluuia in vellus, quia humilem ſe nobis & in forma ſerui occultum præbuit & latentem Vel aliud. Cæli, angeli inclinati ſunt, quando Gabriel ad Mariam venit, & deſcendit Chriſtus, & venit in carnem. *Tom. 7. Com. in Pſal. 17.*

ET poſuit tenebras &c.] Chriſtus in Maria quaſi ſponſus in thalamo, & corpus Mariæ, quaſi tabernaculum. Tenebras dicit, eò quod nobis obſcura eſt incarnatio vel natiuitas eius. *Ibidem.*

IN ſole poſuit tabernaculum &c.] Deus in ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquã ſponſus procedẽs de thalamo ſuo. In ſole, in vtero ſanctæ Mariæ virginis. Maria interpretatur ſtella maris. Lumen Solis magis lucet quam ſtellarum. Sol iuſtitiæ, Dominus vt ait propheta: Orietur vobis Sol iuſtitiæ: quod eſt Chriſt⁹: Illuminauit Sol iſte, ſtellã, id eſt, Mariã, vt eſſet ſicut Sol. Ideo poſuit tabernaculũ ſuũ in Sole, quando corpus aſſumpſit de vtero ſuo. *To. 7. Cõ. in Pſal. 18.*

*Mal. 4.*

OPPROBRIVM hominum, & abiectio &c.] Cur vermis & non homo: dum dicit in Euangelio: Venit filius hominis redimere quod perierat? Chriſtus & vermis dicitur & homo: Vermis vt ait propheta: Noli timere vermis Iacob. Et homo, quia ex Maria natus, aſsimilatur ſua natiuitas vermi: quia vermis qui in ligno naſcitur, nõ habet patrem, niſi matrẽ. Et Chriſtus ex Maria eſt nat⁹ abſq; coitu viri. Duo habitacula fecit Deus, cælũ & terram. Cælũ habitatio angelorum, & terra

*Luc. 19.*
*Ratio ſimilitudinis in qua vermi comparatur Chriſtus.*

terra habitatio vermium, fecit Deus vermem aſcendere in cælum,& angelum in terram Chriſtus per humilitatem ſuper omnes angelos aſcẽdit, & diabolus per ſuperbiã proiectus eſt in terram. *Tom.7.Com.in Pſal.21.*

VT ſaluam faceret &c.] Qui triſtis eſt, ſenſũ habuit. Inſenſibilis enim anima, ſenſum non habet. Inſenſibilis anima non habet ſenſum neque dolorem. Vbi enim dolor eſt & triſtitia, ibi ſenſus eſt. Si ergo habuit triſtitiam, ſi habuit dolorẽ: Ergo habuit & ſenſum doloris. Si ergo voluerint nobis dicere: propterea non dicimus eum habuiſſe ſenſum, vt nõ videatur habere peccatũ. Nos illis reſpõdeamus. Habuit corpus ſicut & nos: aut non habuit? Si dixerint, habuit: reſpondeamus illis: Ergo habuit & paſsiones corporis noſtri. Intelligat vnuſquiſq; quod dico. Si autem negauerint eũ habuiſſe paſsiones corporis: ergo dicimus illis, quod nec corpus habuit. Et nos dicamus illis: Sicut corpus habuit verũ, ſicut & nos, & nõ habuit peccatũ corporis: ita & animam veram habuit, & peccata animæ nõ habuit. Nos ergo confiteamur verũ corpus eũ habuiſſe & veram animam. Si enim nõ ſuſcepit Dominus cũcta quæ hominis ſunt, non ſaluauit hominem. Si autem ſuſcepit corpus, animam autẽ nõ ſuſcepit: Ergo corpus ſaluauit, animam autem non ſaluauit. Nos autem volumus magis ſaluari animam noſtram, quam corpus. Suſcepit ergo Ieſus & corpus & animam, vt vtrunque ſaluet: vt perfectum hominem ſaluet, ſicut & eum condidit. Si ergo dicũt illi: quia ideo Dominus non accepit ſenſum, vt non peccaret: & hoc putant quod quicunque ſenſum habuerit humanum, vincere eum non poteſt.

*Ex patibilibus qualitatibus oſtendit Chriſtum verum corpus aſſumpſiſſe Dilemmate conſtringit aduerſarium.*

*Matth.11.*

Dicant nobis: Iohannes Baptiſta habuit ſenſum, an non habuit? Illo tempore quo erat in deſerto, peccauit? Vtique dicunt, quia non peccauit. Denique & Dominus noſter dicit: Amen dico vobis: non fuit inter natos mulierum maior Iohanne Baptiſta. Petrus habuit ſenſum, an non habuit, & cęteri ſancti Apoſtoli? Si ergo Apoſtoli vicerunt ſenſum humanum: Dominus timuit accipere ſenſum, ne vinceretur ab illo? Et dum volunt glorificare Dominum, detrahunt illi. Quomodo illi detrahunt? Vt videatur timere Dominus, quod Apoſtoli non timuerunt. Nos ergo gratias agamus omnipotenti Deo, & dicam⁹: In ſenſu tuo nõ habuiſti peccatum. Et venit princeps huius mundi, & inuenit in te nihil. Ita ergo præſtes nobis. Sicut in tuo ſenſu viciſti Diabolũ, ita & in ſenſu noſtro vince Diabolum: vt quemadmodum perfectos nos creaſti, perfectos & ſalues nos. *Tom.7.Com.in Pſal.98.*

CREDO videre bona &c.] In terra viuentium, quia pignus noſtrum illuc ſurſum habemus quod eſt Chriſtus. Ille accepit de terra mortale corpus, & nos ab ipſo accepimus ſpem & fidem, & per ſpem & fidem credentes, perueniemus in terram viuentium: in qua ſancti capient hæreditatem regni cœlorum. *Tom..7. Com.in Pſal.26.*

*Spes & fides certæ duces in cælum.*

TV autem Domine ne longe facias miſerationes tuas à me: miſericordia tua & veritas tua ſemper ſuſceperunt me &c.] Quod miſericordiam patris poſtulat, quod à Iudæis ſe circundatũ, & iniquitates ſuper ſe multiplicatas dicit: quod à corde derelictus, rurſum patris præſidium deprecatur: omnia ad infirmitatem carnis ſunt referenda: vt ſicut verus Deus, ita verus homo credatur. *Tom.7.Com.in Pſal.39.*

*Infirmitas carnis Chriſti declarat verum hominẽ.*

TERRA dedit fructum ſuum &c.] Terra, ſancta Maria: de noſtra terra, de noſtro ſemine: de hoc luto, de hoc limo, de Adam. Terra es, & in terram ibis. Terra iſta dedit fructum ſuum. Quod perdidit in paradiſo, inuenit in filio. Terra dedit fructum ſuum. Primum dedit florem, Dicit & in Cantico Canticorum: Ego flos campi, & lilium conuallium. Iſte igitur flos, fructus factus eſt, vt nos illum comederemus, vt nos mãducaremus carnes eius. *Tom.7.Com.in Pſal.66.*

*Gen.3.*

*Cant.2.*

VERITAS de terra orta eſt.] Quæ eſt iſta veritas quæ de terra orta eſt? Exiet virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius exiet. Et in alio loco: Quoniam Deus operatus eſt ſalutem in medio terræ. Quid dicis Manichee, qui negas carnem habuiſſe Saluatorem? Ecce veritas, id eſt. Saluator: de terra, hoc eſt, de Maria ortus eſt. *Tom.7.Cõ. in Pſal.84.*

*Manichæi reprehenſio.*

## *III. Humanitatem & Diuinitatem in vnam conueniſſe Chriſti perſonam.*

SPECIOSVS forma præ filijs hominũ. In Hebraico: Decore pulchrior es filijs hominum. Finito proœmio, hinc narrationis exordium eſt: & fit apoſtropha ad ipſum amantiſsimum, & dilectum, & regem, cui dicentis opera conſecrata ſunt. Quæritur autem, quomodo pulchrior ſit cunctis filijs hominum: de quo legimus in Eſaia: Vidimus eum, & non habebat ſpeciem, neque decorem; ſed erat ſpecies eius inhonorata, & deficiens à filijs hominum. Homo in plaga poſitus, & ſciens ferre infirmitatem, quia auertit faciem ſuam. Nec ſtatim ſcriptura diſſonare videtur: quia ibi ignobilitas corporis propter flagella, & ſputa, & alapas, & clauos, & iniurias patibuli commemoratur: hic pulchritudo virtutum in ſacro & venerando corpore: non quo diuinitas Chriſti, hominibus comparata, non formoſior ſit: hęc enim non habet comparationem: ſed abſque paſſionibus crucis vniuerſis, pulchrior eſt virgo de virgine: qui non ex volũtate viri, ſed ex Deo natus eſt. Niſi enim habuiſſet & in vultu quiddam oculiſque ſydereum, nunquam eum ſtatim ſecuti fuiſſent Apoſtoli (nec, qui ad comprehendendum eum venerant, corruiſſent. Denique & in præſenti teſtimonio, in quo ait: Homo in plaga poſitus, & ſciens ferre infirmitatem: reddit cauſas, quare iſta perpeſſus ſit: Quia auertit faciem ſuam: id eſt, paulului diuinitate ſubtracta, corpus iniuriæ dereliquit. *Tom.3.Epiſt.140.ad Principiam.*

*Eſaiæ 33.*

*Diuinitas et humanitas Chriſti comparantur in pulchritudine.*

*Ioan.8.*

*Ioan.18.*

HAEC dicimus, non quod alium Deum, alium hominem eſſe credamus, & duas perſonas faciamus in vno filio Dei, ſicut noua hæreſis calũniatur: ſed vnus atque idem filius Dei, & filius hominis eſt, & quicquid loquitur, aliud referimus ad diuinam eius gloriam, aliud ad noſtram ſalutem. Pro quibus non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe ęqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, factus obediens patri vſque ad mortem, mortem autem crucis. Et verbũ caro factum eſt, & habitauit in nobis. *Tom.3.Epiſt. 150.quæſt.9.ad Hedibiam.*

*Non ſunt duæ perſonæ in vno Chriſto ſed duæ naturæ in vna perſona.*

ECCE teſtem populis &c.] Omnia quę dicũtur,



tur, ad eum referenda ſunt. Qui quaſi ouis ad victimam ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente ſe non aperuit os ſuum. De quo ſupra dicitur: Vidimus eum & non habebat ſpeciem neq; decorem. Et ipſe peccata noſtra portauit, & pro nobis dolet. Ad hunc confugerunt ſiue cucurrerunt, qui eum antea neſciebant, dicentes: Deus noſter refugium & virtus. Et iterum: Domine refugium factus es nobis in generatione & generatione. De quorum fide & ſupra legimus: Quibus non eſt prædicatum de eo, videbunt, & qui non audierant, intelligent. Iſte teſtis eſt omnium quæ pater mundo ſpopondit & præſtitit: cuius myſterium breui Paulus ad Epheſios ſermone comprehendens: Deus, inquit, Domini noſtri Ieſu Chriſti pater gloriæ. De quo nunc ſcriptum eſt: Propter Dominum Deum tuum, & ſanctum Iſraël, qui glorificauit te, & ea gloria quam habuit prius quàm mundus fieret. De qua & Propheta teſtatur Apparebit gloria Dei, qui eſt ſplẽdor gloriæ, & forma ſubſtantiæ eius: quando omnis lingua confitebitur, quod Dominus Ieſus in gloria patris ſit. Qui reſpondit filio gloriam, quam prius habuerat, poſtulanti: Et glorificaui & glorificabo. De quo & Ioannes Apoſtolus: Vidimus, ait, gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. Ergo quando de eo loquitur: Qui in principio apud Deum erat, Deus verbum appellatur gloriæ: quando autem de eo qui dicit in Euangelio: Quid me perſequimini hominem, qui veritatẽ vobis loquor, vocatur Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti, Non quod alter ſit (qui multorum error eſt peſsimus) ſed quod vnus atque idem filius Dei, nunc diuinitatis ſuæ gloriæ, nunc noſtræ naturæ (quam ſuſcipere dignatus eſt) loquatur affectibus. *Tomo quarto libro decimo quinto Commentariorum in cap.55. Eſaiæ.*

*Pſal.45.*
*Pſal.89.*
*Epheſ.1.*
*Ioan.17.*
*Heb.1.*
*Philip.2.*
*Ioan.17.*
*Ioan.8.*

*Peſſimus multorũ error diuidentium perſonam Chriſti.*

VAE mihi mater mea &c.] Quis philoſophorum, quis gentilium, quis hæreticorum, non iudicat Chriſtum, ponentium ei leges natiuitatis, & paſsionis, reſurrectioniſque, & ſubſtantiæ? Nec mirum iuxta aſſumpti corporis veritatem. Chriſtum dicere: Væ mihi mater mea: cum & in alio loco perſpicuæ perſonæ eius conueniat, quod dicitur: Væ mihi quia factus ſum ſicut qui colligit ſtipulã in meſſe, & ſicut racemũ in vindemia: non habens ſpicam vt comedat primitiua. Et ne putemus gemituum vilitatem referri ad verbum Dei: qui ſit iſte qui plangat, ſtatim ſequitur: Væ mihi anima: quia perijt reuerens à terra: non quòd diuidamus perſonas, vt impij faciunt, ſed quòd vnus atque idem filius Dei, nunc iuxta carnem, nunc iuxta verbum loquatur Dei. *Tomo quarto libro tertio Commentariorum in caput decimumquintum Hieremiæ.*

*Mich.7.*

*Non diuidendæ perſonæ in Chriſto ſed naturæ diuina & humana.*

HAEC dicit Dominus, Maledictus homo & cæt.] Si maledictus eſt omnis homo qui confidit in homine. Paulus autem Samoſatenus & Fotinus, quamuis ſanctum, & cunctis excelſum virtutibus prædicent Saluatorem, tamen hominem confitentur: Ergo maledicti erunt ſpem habentes in homine. Quod ſi nobis oppoſitum fuerit, quod & nos credamus in eo qui dicit: Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus ſum, quam audiui à Deo: hoc Abraham non fecit: vos facitis opera patris veſtri. Reſpondebimus illud Apoſtolicum: Etſi Chriſtum ſecundum carnem aliquando nouimus, ſed nunc iam non nouimus. Denique idem Apoſtolus in principio Epiſtolæ ſuæ ſcribit ad Galatas: Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum patrem, qui ſuſcitauit eum à mortuis: & qui mecum ſunt omnes fratres: Si enim mors abſorpta eſt in victoria: quare non carnis humilitas, quæ propter humanam ſalutem aſſumpta eſt, in diuinitatis tranſierit maieſtatem: vt fecerit vtrumq; vnum: & non adoremus creaturam, ſed creatorem: qui eſt benedictus in ſæcula? *Tom. 4. lib.3.Com.in cap.17.Hieremiæ.*

*Ioan.8.*
*2.Cor.5.*
*2.Cor.15.*
*Oſe.13.*

*Carnis humilitas in diuinitatis tranſijt maieſtatem vt fecerit vtrunq; vnum.*

VOCEM meam &c.] Vocem Dominicæ incarnationis diuinitas ipſius audiuit: qui ſalutem humani generis quam ſecundum humanitatem poſtulauit, ſecundum diuinitatem tribuit. Proinde ipſe ad patrem dicit in Euangelio: Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me: ego autem ſciebam, quoniam ſemper me audis. *Tomo 4.lib.2.Co. in cap.3.Lament.Hieremiæ.*

*Chriſtus ſecundum humanitatem poſtulat, ſecũdum diuinitatẽ tribuit.*

ISTAE autem menſuræ &c.] Et à propitiatorio minori vſque ad propitiatorium maius. & Theodotio in vtroque azara tranſtulit, illud eſt intelligendum, quod propitiatorium minus, lapis ſit exciſus de monte ſine manibus, & propitiatorium maius, ipſe lapis, qui creuit in montem magnum, & impleuit vniuerſum orbem. Siue iuxta alterum ſenſum propitiatorium minus eſt, quando exinaniuit ſe formam ſerui accipiens: & propitiatorium maius, quando recepit gloriam quam habuit apud patrem antequam mundus fieret. Prius enim Chriſti humiliora cognoſcimus, & ſic ad diuinitatis eius altitudinem peruenimus, & tamen vtriuſque naturæ propitiatorium, hoc eſt minoris atque maioris, ad vnius altaris pertinet ſacramentum. *Tomo quarto Commentariorum libro decimotertio in caput Quadrageſimum tertium Ezechelis.*

*Dan.2.*
*Philip 2.*

*Ab humanitate Chriſti ad diuinitatis altitudinẽ peruenitur.*

FECI mihi cantatores & cantatrices & cæt.] Quia Eccleſiaſten interpretamur in Chriſto, & & ſapientia in cratere miſto, in Prouerbijs prætereuntes ad ſe conuocat: Corpus Domini craterem magnum debemus accipere: in quo non meraca diuinitas, vt in cœleſtibus fuit: ſed propter nos humanitate media temperata eſt, & per Apoſtolos in minora κυλίκια, ſcyphos paruulos & crateres, in toto orbe credentibus effuſa ſapientia eſt. *Tomo quinto Commentariorum in caput ſecundum Eccleſiaſtis.*

*Prouerb.9.*

*Diuinitas humanitate media temperata eſt.*

ET oſtendit mihi Ieſum &c.] Noſtri ita diſſerunt: Sacerdotem eſſe magnum, ad quem dicitur: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Qui quoniam per ſe videri non poteſt à Domino, prophetæ oſtenditur, ſtãs coram angelo domini quem volunt magni conſilij eſſe angelum: non quod alter & alter ſit, aut duas perſonas recipiamus in filio: ſed quod idem atque vnus & quaſi homo ſordidatus oſtenditur, & quaſi angelus mediator hominum & Dei apparere dicatur. *Tom.5.lib.1.Commentariorum in cap.3. Zachariæ.*

*Pſalmo 109.*
*Eſa 9.*

ποδήρην incarnationem eius accipe: quæ de terra eſt, & ſignificatur in pedibus. Cidarim mũdam ſuper caput illius, ſplendorem diuinæ maieſtatis intellige: vt vnus atq; idem ſecundũ hominem ποδήρη, ſecundũ Deum cidari ornatus eſſe videatur *To.5.li.1.Co.in ca.3.Zachari.*

*Duplex ornamentum Chriſti diuinitas & humanitas.*

*Ieſus non eſt diuidendus in duas perſonas.*

ERIT autem hoc, ſi auditu &c.]Non Ieſum diuidimus, nec duas perſonas in vnam poſſumus facere perſonam: ſed ipſe qui Ieſus appellatur, eò quod ſaluauerit mundũ, & Oriens dicitur, quia in diebus eius orta eſt, iuſtitia. Et canitur in Pſalmo: Veritas de terra orta eſt: eò quod de vtero virginali in ſæculorum conſummatione generatus dixerit: Ego ſum veritas: & extrema hora venerit, iuxta Ioannis Epiſtolam dicentis: filioli nunc extrema hora eſt: In qua ſtantem, & nihil agentem gentium populum conduxit ex denario, & miſit ad vineam. Alioquin ſi ſecũdum diuerſitatem nominis diuerſus efficitur: alius erit paſtor, alius aries, alius agnus, alius ianua, alius lapis offenſionis & petra ſcandali. Iſte igitur qui noſtris virtutibus coronatus eſt, orietur, & appelabitur Oriens. Ad quem locutus eſt pater: filius meus es tu: ego hodie genui te. Et ſubter eum orietur multitudo credentium, & ædificabit Domum Domini, Eccleſiam, & ipſe accipiet virtutem, & decorem, ac profectum, & gloriam ſingulorum: & ſedebit & dominabitur in throno ſuo, in throno Dauid, de quo & in Euangelio ſcriptum eſt: Et erit ſacerdos à dextris eius: ſiue iuxta Hebraicum, ſuper thronum ſuum, quia ipſe & rex & pontifex eſt. Et ſedebit, tam in regali quam in ſacerdotali throno, & conſilium pacificum erit inter vtrumque, vt nec regale faſtigium ſacerdotalem deprimat dignitatem: nec ſacerdotij dignitas, regale faſtigium: ſed vnius gloria Domini Ieſu vtrumq; conſentiat. *Tomo quinto libro 2. Commentariorum in caput 6. Zachariæ.*

*Pſalmo 48.* *Ioan.14.* *1. Ioan.2.* *Matth.20.* *Chriſtus ſecundum diuerſitatem nominum non efficitur diuerſus.* *Pſal.2.* *Luc.1.* *Regale faſtigium & ſacerdotalis dignitas in vno Chriſto.*

*Perſona Chriſti non eſt ſeparata, ſed opera inter Deum & hominem diuiſa.*

ET dimiſſa turba &c.] Quòd aſcendit ſolus orare, non ad eum referas, qui de quinque panibus, quinque millia ſaturauit hominum, exceptis paruulis, & mulieribus: ſed ad eum qui audita morte Ioannis ſeceſſit in ſolitudinẽ: non quòd perſonam Domini ſeparemus: ſed quòd opera eius inter Deũm hominemq́; diuiſa ſunt. *Tomo ſexto Commentariorum libro ſecundo in caput decimum quartum Matthæi.*

*Luc.1.* *Luc.2.* *Act.1.*

ET ecce terræ motus factus eſt, &c.] Dominus noſter vnus atque idem filius Dei & filius hominis, iuxta vtramq; naturam, diuinitatis & carnis, nunc magnitudinis ſuæ nunc humilitatis ſigna demonſtrat. Vnde & in præſenti loco, quanquam homo ſit qui crucifixus eſt, qui ſepultus eſt, qui clauſus tumulo, quem lapis oppoſitus cohibet: tamen, quæ foris aguntur, oſtendunt filium Dei: ſol fugiens, tenebræ ingruentes terra commota, velum ſciſſum, ſaxa diſrupta, mortui ſuſcitati, angelorum miniſteria, quæ ab initio natiuitatis eius Deum probabant. Ad Mariã Gabriel venit: cum Ioſeph Angelus loquitur: idem paſtoribus nunciat: angelorum poſtea auditur chorus, dicentium: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Tentatur in ſolitudine, & poſt victoriam ſtatim ſeruiunt angeli. Nunc quoque angelus venit cuſtos ſepulcri Dominici, & in veſtitu candido ſignat gloriam triumphantis. Necnon aſcendente ad cœlos Domino, duo angeli in monte Olİueti cernuntur, pollicentes Apoſtolis ſecundum Saluatoris aduentum. *Tomo ſexto libro quarto Commen. in caput. 28. Math.*

*Tres diuerſæ hæreſes de Chriſto.*

PAVLVS Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem. & cætera] Ex præcedentibus approbatur Ebionis & Fotini etiam hinc hæreſis retundenda, quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus Deus ſit: dum Apoſtolus, qui à Chriſto ad prædicationem Euangelij miſſus eſt, negat ſe miſſum eſſe ab homine. 1. Subrepunt hoc loco cœteræ hæreſes, quæ putatiuam Chriſti carnem vendicantes, Deum aiunt Chriſtum eſſe non hominem. 2. Necnon & noua hæreſis, quæ dimidiatam Chriſti aſſerit diſpenſationem 3. Atque ita Eccleſiæ fides inter tanta falſorum dogmatum naufragia conſtituta, ſi Chriſtum fateatur hominem, Ebion Fotinuſque ſubrepunt: Si Deum eſſe contenderit, Manichæus & Marcion, & nouelli dogmatis author ebulliunt, In commune itaque audiant: Chriſtum & Deum eſſe & hominem, Non quod alius Deus ſit, & alius homo: ſed qui Deus ſemper erat, homo ob noſtram ſalutem eſſe dignatus eſt. Sciendum quoque in Marcionis Apoſtolo non eſſe ſcriptum, & per Deum patrem: volentis exponere Chriſtum, non à Deo patre, ſed per ſemetipſum ſuſcitatum, vt eſt illud: Soluite templum hoc, & ego in triduo ſuſcitabo illud. Nec non & alibi. Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam à me ipſo. Poteſtatem habeo ponendi eã, & rurſum poteſtatem habeo ſumendi eam. *Tom. ſexto libro primo Commentariorum in caput primum Epiſtol. ad Galatas.*

*Confutatio trium hæreſeωn.* *Ioan.2.* *Ioan.10.*

*Ebionis & Fotini confutatio.*

NOTVM enim vobis facio fratres Euangeliũ quod Euangelizatum eſt à me: quia non eſt ſecundum hominem. &c.] Ex hoc loco. Ebionis & Fotini dogma conteritur: quod Deus ſit Chriſtus, & non tantùm homo. Si enim Euangelium Pauli non eſt ſecundum hominem, neque ab homine accepit illud, aut didicit: ſed per reuelationem Ieſu Chriſti: non vtiq; homo Ieſus Chriſtus, qui Paulo Euangelium reuelauit. Quod ſi non eſt homo, conſequenter Deus eſt. Non quo hominem negemus aſſumptum: ſed quo tantùm hominem renuamus. *Tomo ſexto lib. 1. Comment. in cap. 1. ad Galatas.*

*Vnus idemq; Chriſtus pro varietate cauſarũ nunc humilis nunc ſublimis prædicatur.*

BENEDICTVS Deus, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali &c.] Dupliciter legẽdum: benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti: vt ſit benedictus, Deus qui vniuerſorum conditor eſt, & hucuſque diſtinctio, deinceps inferatur: qui eſt & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vel ita vt Deus & pater ad Dominum noſtrum in commune referatur. Benedictus Deus eius, qui aſumptus eſt hominis, & pater eius, q in principio apud Deum fuit Deus Verbum. Non quo alius aſſumptus homo, & alius ſit ſermo qui aſumpſerit: ſed quo vnus atque idem pro varietate cauſarum nunc ſublimis, nunc humilis prædicetur. *Tomo ſexto libro primo Comment. in cap. 1. ad Epheſ.*

*Tres hæreſes de Chriſto nouo argumẽto conuelluntur.*

QVI deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit &c.] hic locus aduerſum Ebionẽ, & Fotinum vel maximè facit. Si enim ipſe eſt aſcendens in cælos, qui de cælis ante deſcenderat, quomodo Dominus noſter Ieſus Chriſtus, non ante Mariam eſt, ſed poſt Mariam? Nec non & contra eos, qui duos filios inſano errore confingunt, filium videlicet Dei, & filium hominis. Ecce hic apertiſsimè dicitur, quòd ipſe ſit aſcendens atque deſcendens. Nec ſtatim iſta dicentes, locum alteri hæreſi damus, quæ dimidiatã Chriſti aſſerit



rit diſpenſationem: ſed ſic vnum & Dei & hominis filium confitemur, ne diſpenſationem aſſumpti hominis, qua ſaluati ſumus, ex parte credentes, in parte truncemus. *Tom. 6. lib. 2. Com. in ca. 4. ad Epheſios.*

*Luc. 1.* *Ioan. 4.* *1. Corint. 8.* *Ioan. 14.* *Ioan. 8.*

SICVT eſt veritas in Ieſu &c.] Vocabulum, Ieſus, interdum eum hominem ſignificat: qui à Deo verbo eſt aſſumptus ex virgine, iuxta illud: Vocabis nomen eius Ieſum: Ipſe enim ſaluabit populum à peccatis eius. Et alibi: Ieſus ergo fatigatus de via, & reliqua: Interdum verò Deum verbum: Nobis enim vnus Dominus vnus Ieſus Chriſtus, per quem omnia. Si quando ergo dicit Ieſus: Ego ſum via & veritas: iuxta id dicit, quod filius eſt Dei, Cum autem ſcribit Paulus: ſicut eſt veritas in Ieſu, de templo corporis loquitur, in quo habitat verbũ. Verbũ Deus enim caro factũ eſt, & habitauit in nobis: Niſi fortè vtrumq; de Deo verbo intelligendum: quod quomodo habitet in eo vita, & ipſe ſit vita, Sicut enim habet pater vitam in ſemetipſo: ita & filio dedit habere vitam in ſemetipſo: Sic & veritas dicatur filius, & ipſa in eo habitare monſtretur. Hæc autẽ dicimus, non Ieſum à Chriſto ſeparantes: nec rurſum Deum verbum, ab eo quem aſſumpſit, hominem alterum eſſe dicentes: ſed ſecundum intelligentias effectuum vel locorum, illum quem vnum eſſe credimus filium hominis & filium Dei, & ante virginem & poſt virginem, alium atque alium nuncupantes. *Tom. 6. lib. 2. Com: in cap. 4. ad Epheſios.*

*Non Ieſus à Chriſto ſeparandus, nec Deus ab homine, ſed ſecundum intelligẽtias effectuum vel locorum aliũ atque alium nuncupamus*

*Noua hæreſis calumniatur diuiſas perſonas in Chriſto.*

ILLVXIT enim gratia Dei ſaluatoris omnibus hominibus: erudiens nos, vt abnegantes &c.] Vbi eſt ſerpens Arrius? vbi Eunomius coluber? Magnus Deus Ieſus Chriſtus, ſaluator dicitur, non primogenitus omnis creaturæ, non verbum Dei & ſapientia, ſed Ieſus Chriſtus: quæ vocabula aſumpti hominis ſunt. Neque verò alium Ieſum Chriſtum, alium verbum dicimus: vt noua hæreſis calumniatur: ſed eundem & ante ſæcula & poſt ſæcula, & ante mundum, & poſt Mariam: immo ex Maria, magnum Deum appellamus Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum: qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt precioſo ſuo ſanguine nos redimeret ab omni iniquitate noſtra & mundaret ſibi populum περιέσιον, ita quippe habetur in Græco & bonorum operum faceret æmulatorem. *Tom. 6. libro primo Commentariorũ in cap. 2. ad Titum.*

MITTAT tibi auxilium de ſancto &c.] Qui formam ſerui acceperat, rectè ei quaſi homini imprecatur auxilium Mittat tibi auxilium de ſancto, hoc eſt de ſemetipſo, quia illa diuinitas in corpore erat. *Tom. 7. Co. in Pſal. 19.*

QVI eſt ante ſæcula &c.] Pater vtiq; quem in me manere non cognouerunt, qui eſt ante ſæcula & manet in æternum. Ille qui initium ſumpſit ex Maria, ante ſæcula genitus eſt. *Tomo ſeptimo Com. in Pſal. 54.*

*Diuerſæ operationes Chriſti ſecundum diuerſas naturas.* *Leuit. 19.*

INCLINA Domine aurem tuam &c.] Iuxta fragilitatem aſſumpti corporis ad patrem fundit orationem. Secundum Deitatem verò ſanctum ſe dicit, ſicut quondam dixerat ad Moyſen: Sancti eſtote quoniam ego ſanctus ſum. *To. 7. Com. in Pſal. 85.*

*Matt. 22.* *Quatuor hæreſes de Chriſto refelluntur.*

DIXIT Dominus Domino meo & cæter.] Dauid eſt qui loquitur, propheta, vir ſanctus, rex. Rex ergò quid dicit? Rex & propheta quid dicit? Dixit dominus domino meo, ſede & cæt. Iſtum locum Saluator in Euangelio expoſuit, dicens: Si Chriſtus eſt, inquit, filius Dauid, quomodo in Spiritu eum vocat Dominum? Vides ergò quid dicat: Si filius eſt Dauid, quomodo vos dicitis: quomodo in ſpiritu vocat eum Dominum? Dicat aliquis? Ergò non eſt filius Dauid? Hoc dicebat de Phariſæis, qui ſimplicem filium Dauid confitebantur Chriſtum. Ego ad Iudæum & Fotinum hoc ipſum dico: Si filius Dauid, quomodo filium vocat ſuum Dominum? Qui autem Dominum Deum confitetur, & Dei filium (verbi gratia, Manichæus, qui negat illum filium Dauid) apud illum probo quòd filius Dauid eſt. Nobis ergo qui filius Dei eſt, ipſe eſt & filius Dauid, Non alius filius Dei, & alius filius Dauid. Non facio duas perſonas in Deo & homine: ſed ipſe qui filius Dei, ipſe eſt & filius Dauid. *Tom. 7. Comment. in Pſal. 109.*

## IV. *Naturam humanam in perſona Chriſti, nullo modo cum eius diuinitate fuiſſe confuſam.*

*Ezech. 32.* *Diſtinctæ naturæ humana & diuina.*

QVIS ex vobis timens Dominum. & cæt.] Vos me flagellaſtis: vos meam faciem conſpuiſtis: ego tamen ad pœnitentiam prouoco perſecutores meos: Nolo enim mortem populi, peccatoris, ſed tantùm vt reuertatur & viuat. Et dico: Quis eſt inter vos qui timeat Dominum, & audiat vocem ſerui vel pueri, id eſt, filij eius? quorum aliud aſſumptæ carnis eſt, aliud naturæ. *Tom. 4. lib. 14. Commentarior. in cap. 50. Eſaiæ.*

QVIS credidit auditui noſtro. & cæt.] Aſcendet ſicut virgultum coram eo, pro quo ſeptuaginta traſtulerunt, ἀνηγγείλαμεν ὡσ παιδίον ἐναντίον ἀυτοῦ, id eſt: Annunciamus ſicut paruulum coram eo. Pro virgulto, Symmachus ramum interpretatur, vt aſſumptum oſtenderet hominem, qui proceſſit de vtero virginali. De quo infert: Sicut radix de terra ſitienti. Pro ſitienti Aquila interpretatus eſt inuia, vt virginitatis priuilegium demonſtraret, quòd abſque vllo humano ſemine de terra prius inuia ſit creatus. Iſte eſt de quo & ſupra legimus: Exiet virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, vt natiuitatis eius aſcenſum ſignificet in mundo.

*Pſal. 44.* *Naturæ diuinæ & humanæ proprietates & affectiones diuerſæ.* *Cant. 5.*

Sin autem non habebat ſpeciem, neque gloriam, ſed forma ipſius erat ignobilis, & deficiens præ filijs hominum: ſiue vt habetur in Hebræo, deſpectus & nouiſsimus virorum, quomodo in Pſalmis dicitur: Accingere gladio tuo ſuper fœmur tuum potentiſsimè, pulchritudine & decore tuo? Quod facilè ſoluitur. Deſpectus erat & ignobilis, quando pendebat in cruce, & factus pro nobis maledictum, peccata noſtra portabat: Et loquebatur patri: Deus Deus meus, quare me dereliquiſti? Inclytus autem erat. & decorus aſpectu, quando ad paſſionem eius terra contremuit, ſaxa dirupta ſunt, & fugiente ſole, æternam noctem timuerunt elementa: de quo & ſponſa in Cantico Cantico-

rum: fratruelis meus candidus, & rubicundus, electus de millibus. Candidus plenitudine ac puritate virtutum. rubicundus in paſſione, de qua poſtea lecturi ſumus: Quis eſt iſte qui aſcendit de Edom, fuluida veſtimenta eius, ex Boſor, electus de millibus in reſurrectionem: vt qui erat primogenitus omnis creaturæ, primogenitus fieret ex mortuis: Quod autem infert: Homo in dolore, & ſciens ferre infirmitatem: Siue virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: virum corpus hominis, & veram demonſtrat animam, qui ſciens ferre infirmitates, omnes eas diuinitate ſuperauit. Et abſconditus vultus illius, atque deſpectus, vt humano corpore, diuina potentia celaretur: De quo ſupra dictum eſt: Tu es Deus abſconditus & neſciebamus. *Tomo quarto lib. 14 Cō. in cap. 53. Eſaiæ.*

## V. *Recenſentur hæreſes quæ Chriſti diuinitati aduerſantur.*

*Cerint.* *Ebion.*

IOANNES Apoſtolus nouiſsimus omnium ſcripſit Euangelium, rogatus ab Aſiæ Epiſcopis, aduerſus Cerinthum, alioſque hæreticos, & maximè Ebionitarum dogma conſurgens qui aſſerunt. Chriſtum ante Mariam non fuiſſe. *Tomo primo de viris illuſtribus in Ioanne.*

*Beryllus*

BERYLLVS, Arabiæ Boſtrenus Epiſcopus, cum aliquanto tempore glorioſè rexiſſet Eccleſiam, ad extremum lapſus in hæreſin, quæ Chriſtum ante incarnationem negat, ab Origene correctus. *Tomo primo de viris illuſtribus in Beryllo.*

MARCELLVS, Ancyranus Epiſcopus, ſub Conſtantio & Conſtante principibus floruit, multaque diuerſarum ὑποθέσεων ſcripſit volumina, & maximè aduerſum Arrianos. feruntur contra hunc Aſterij & Apollinarij libri, Sabellianæ eum hæreſes arguentes. *Tomo primo de viris illuſtribus in Marcello.*

*Donatus.*

EXTANT multa Donati, ad ſuam hæreditatem pertinentia, & de ſpiritu ſancto liber, Arriano dogmati congruens. *Tomo primo de viris illuſtribus in Donato.*

*Aſterius* *Libri 12. Hilarij aduerſus Arrianos.*

ASTERIVS, Arrianæ philoſophus factionis, ſcripſit, regnante Conſtantio, in Epiſtolam ad Romanos, & in Euangelia, & Pſalmos Commentarios, & multa alia, quæ à ſuæ partis hominibus ſtudioſiſsimè leguntur, *Tom. 1. de viris illuſtribus in Aſterio.*

HILARIVS, vrbis Pictauorum Aquitaniæ Epiſcopus, factione Saturnini Arelatenſis Epiſcopi, de ſynodo Piterenſi, Phrygiam relegatus, duodecim aduerſum Arrianos confecit libros. *Tom. 1. de viris illuſt. in Hilario.*

*Victorinus ſcripſit ad Arrianos.*

VICTORINVS natione Afer, Romæ ſub Conſtantio principe Rhetoricam docuit: & in extrema ſenectute, Chriſti ſe tradens fidei, ſcripſit aduerſus Arrium libros more dialectico valdè obſcuros, qui ab eruditis modò intelliguntur *Tom. 1 de viris illuſt. in Victorino.*

*Sœbadius cō tra arrianos.*

SOEBADIVS, Agenni Galliarum Epiſcopus edidit contra Arrianos librum. Dicuntur & eius eſſe alia opuſcula, quæ necdum legi. *Tom. 1. de viris illuſtribus in Soebadio.*

*Didymus cō tra arrianos.*

DIDYMVS Alexandrinus ſcripſit contra Arrianos libros duos. *Tomo primo de viris illuſt. in Didymo.*

*Maximus cō tra arrianos.*

MAXIMVS, philoſophus, natus Alexandriç. Conſtantinopoli epiſcopus ordinatus eſt, & pulſus, inſignem de fide aduerſus Arrianos ſcripſit librum, quem Mediolani Gratiano principi dedit. *Tom. 1. de viris illuſtribus in maximo.*

*Gregorij Nyſſeni contra Eunomium libri: vide infra de hæreſibus contra ſpiritum ſanctum.*

GREGORIVS, Nyſſenus Epiſcopus, frater Baſilij Cœſarienſis, ante paucos annos mihi & Gregorio Nazianzeno contra Eunominum legit libros. *Tom. 1. de viris illuſtribus in Nyſſeno.*

*Nomine fidei infidelitas eſt ſcripta.*

SVB rege Conſtantino, Euſebio & Hippatio conſulibus, nomine vnitatis & fidei infidelitas ſcripta eſt, vt nunc agnoſcitur. Nam illo tempore nihil tam pium, nihil tam conueniens ſeruo Dei videbatur, quam vnitatem ſequi, & à totius mundi communione non ſcindi, præſertim cum ſuperficies expoſitionis nihil iam ſacrilegum præferret. Credimus aiebant in vnum Deum verum, patrem omnipotentem, hoc etiam nos confitemur. Credimus in vnigenitum Dei filium, qui ante omnia ſæcula, & ante omne principium natus eſt ex Deo, natum autem vnigenitum ſolum ex ſolo patre, Deum xe Deo, ſimilem genitori ſuo patri ſecundum ſcripturas, cuius natiuitatem nullus nouit, niſi qui ſolus eum genuit, pater. Nunquid hic inſertum eſt. Erat tempus quando non erat, vel de nullis extantibus, creatura eſt filius Dei? Perfecta fides eſt. Deum de Deo credere. Et natum aiebant vnigenitum ſolum, ex ſolo patre. Quid eſt natum? certè non factum, natiuitas ſuſpicionem auferebat creaturæ. Addebant præterea. Qui de cœlo deſcendit, conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine, crucifixus à Pontio Pilato, tertia die reſurrexit à mortuis, aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Dei patris, venturus iudicare viuos, & mortuos. Sonabant verba pietatem, & inter tanta illa præconia nemo venenum inſertum putabat. De vſiæ verò nomine abijciendo, veriſimilis ratio præbebatur: Quia in ſcripturis, aiebant, non inuenitur, & multos ſimpliciores nouitate ſua ſcandalizat. placuit auferri, non erat curæ epiſcopis de vocabulo, cum ſenſus eſſet in tuto. Denique ipſo in tempore cum fraudem fuiſſe in expoſitione rumor populi ventilaret: Valens Murſienſis epiſcopus, qui eam conſcripſerat præſente Tauro, prætorij præfecto, qui ex iuſſu regis ſynodo aderat, profeſſus eſt ſe Arrianum non eſſe, & penitus ab eorum blaſphemijs abhorrere. Res ſecretè geſta opinionem vulgi non extinxerat. Itaque alia die in Eccleſia, quæ eſt apud Ariminum, & Epiſcoporum ſimul, & Laicorum turbis, concurrentibus, Muzonius, Epiſcopus prouinciæ Byzantinæ, cui propter ætatem primæ ab omnibus deferebantur, ita locutus eſt: Ea quæ ſunt iactata per publicum, & ad nos vſque perlata, aliquem è nobis ſanctitati veſtræ legere præcipimus: vt quæ ſunt mala, & ab auribus & à cordè noſtro abhorrere debent, omnium vna voce damnentur. Reſponſum eſt ab vniuerſis Epiſcopis placet. Itaque cum Claudius, Epiſcopus prouinciæ Piceni, ex præcepto omnium blaſphemias, quæ Valentis ferebantur, legere cœpiſſet: Valens ſuas eſſe negans, exclamauit, & dixit: Si quis negat Chriſtum Deum, Dei

*Fraus hæreticorum Arrianorū ſub prætextu & ſimulatione catholicæ fidei.*

*Hæretici veræ fidei venena inſerunt.*

*Arriani vſiæ nomen abijciebant quod in ſcripturis non cōtineretur.*

*Non curāda vocabula cū ſenſus eſt in tuto.*

*Forma & ritus antiquus in celebrandis Concilijs.*

filium



filium, ante ſæcula ex patre genitum, anathema ſit. Ab vniuerſis conſonatum eſt, anathema ſit. Si quis negat filium ſimilem patri ſecundum ſcripturas, anathema ſit omnes reſponderunt anathema ſit. Si quis filium Dei non dixerit æternum cum patre, anathema ſit. Ab vniuerſis conclamatum eſt, anathema ſit. Si quis dixerit creaturam filium Dei, vt ſunt cæteræ creaturæ, anathema ſit. Similiter dictum eſt, anathema ſit. Si quis dixerit, de nullis extantibus filium & non de Deo patre, anathema ſit. Omnes conclamauerunt, anathema ſit. Si quis dixerit, erat tempus, quando non erat filius anathema ſit. In hoc verò cuncti Epiſcopi, & tota ſimul Eccleſia plauſu quodam & tripudio Valentis vocem exceperunt. Quod ſi quis à nobis fictum putat, ſcrinia publica ſcrutetur plenæ ſunt certè Eccleſiarum arcæ, & recens adhuc rei memoria eſt, ſuperſunt homines, qui illi ſynodo interfuerunt: & quod veritatem firmet, ipſi Arriani hæc ita, vti diximus, geſta non denegant. Cum ergo cuncti Valentem ad cœlum laudibus tollerent & ſuam in eum ſuſpicionem cum pœnitentia damnarent, idem Claudius, qui ſupra legere cæperat, ait: Adhuc ſunt aliqua, quæ ſubterfugerunt Dominum, & fratrem meum Valentem: quæ, ſi vobis videtur, ne quis ſcrupulus remaneat, in commune damnemus. Si quis dixerit filium Dei eſſe quidem ante omnia ſæcula, ſed non ante omninò tempus, vt ei aliquid anteferat, anathema ſit, Dixerunt cuncti, anathema ſit. Multaque alia, quæ ſuſpicioſa videbantur, ad pronunciationem Claudij Valens condemnauit, quæ ſi quis, pleniùs diſcere cupit, in Ariminenſis ſynodi actis reperiet, vnde & iſta nos libauimus. His ita geſtis, concilium ſoluitur, læti omnes ad prouincias reuertuntur. Idem enim regi & bonis omnibus curæ fuerat. vt oriens atque occidens communionis ſibi vinculo necterentur. *Tomo ſecundo in Dialogo aduerſus Luciferianos cap. 7.*

*Conciliorum acta in ſcrinijs publicis & arcis eccleſiæ aſſeruabantur.*

*Euſebius, qui eccleſiaſticam pulchrè texuit hiſtoriam impietatis Arrij apertiſsimus propugnator eſt. tomo ſecundo epiſtola 65. ad Pammachium & Oceanum: hic tamen viuo Conſtantino eam impietatem ſuppreßit potius quam depoſuit. eo autem mortuo, & Conſtantio ad Arrianam hæreſin inclinante, omni ſtudio concilij Niceni authoritatem extenuare enixus eſt. vnde & in hiſtoria ſua eccleſiaſtica pleraque narrat, quæ Arrianis fauere videntur, vt quod Conſtantinus ab Arriano epiſcopo baptizari voluerit, & tantum 20. ſint Canones Concilij Niceni, & quod propter diſsidium Paſchatis Concilium fuerit coactum.*

PROBO inter Origenis multa mala, hæc maximè hæretica: Dei filium creaturam, Spiritum ſanctum miniſtrum, mundos innumerabiles, æternis ſibi ſæculis ſuccedentes, angelos verſos in animas hominum, animam Saluatoris fuiſſe antequam naſceretur ex Maria: & hanc eſſe, quæ cum in forma Dei eſſet, non eſt rapinam arbitrata ęqualem ſe eſſe Deo, ſed ſe exinaniuit, formam ſerui accipiens. *Tomo ſecundo libro ſecundo Apologiæ contra Ruffinum cap 3.*

ARRIANI Dei filio non concedunt quod tu omni homini tribuis. *Tomo 2. lib. 1. Dialog. aduerſus Pelagianos cap. 7.*

NON poſſum, ait, ego facere à memetipſo aliquid, ſed ſicut audio ita iudico. Arriani obijciunt calumniam: ſed reſpondet Eccleſia, ex perſona hominis hæc dici, qui aſſumptus eſt. *Tomo ſecundo libro ſecundo Dialog. aduerſus Pelagianos capite ſexto.*

*Multa loquitur in ſcripturis Chriſtus ex perſona hominis aſſumpti.*

TERTIA, id eſt, extrema propoſitio tua fuit de eadem Apoſtoli epiſtola: vbi de reſurrectione diſputans venit ad eum locum, in quo ſcriptum eſt: Oportet enim eum regnare, donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus ſuis. Nouiſſimè autem inimica deſtruetur mors, omnia enim ſubiecta ſunt ſub pedibus eius. *1. Cor. 15.*

*Locus ſcripturæ ab Arrianorum corruptela vindicatur.*

CVM autem dixerit, quia omnia ſubiecta ſunt ei: haud dubium, quin præter eum qui ſubiecit ei omnia. Cum verò ſubiecta ei fuerint omnia, tunc & ipſe filius ſubijcietur ei, qui ſibi ſubiecit omnia: vt ſit Deus omnia in omnibus. Et miror te hoc à me quęrere voluiſſe: cum ſanctus Hilarius Pictauienſis epiſcopus, vndecimum librum contra Arrianos hac quæſtione & ſolutione compleuerit, tamen pauca ſaltem dicamus. Omne in hoc ſcandalū eſt, quare filius patri ſubiectus eſſe dicatur. Quid eſt turpius, ſiue inferius patri ſubijci (quod ſæpè pietatis eſt, vt in Pſalmo ſcribitur: Nonne Deo ſubiecta erit anima mea?) an crucifigi, & maledictum crucis fieri? Maledictus enim omnis, qui pendet in ligno. Qui ergo pro nobis maledictum factus eſt, vt nos de maledictione liberaret, miraris ſi pro nobis ſubiectus ſit, vt nos patri faciat eſſe ſubiectos, dicens in Euangelio: Nemo vadit ad patrem, niſi per me: & cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me? Chriſtus in ijs, qui fideles ſunt ſubiectus eſt patri: qa omnes credentes, immo omne hominum genus, corporis ipſius membra reputantur. In ijs autem, qui increduli ſunt, id eſt, Iudæis & Ethnicis, & hæreticis, inſubiectus eſſe dicitur, quia pars membrorum eius non eſt ſubiecta fidei. In fine autem mundi cum omnia membra regnantem viderint Chriſtum, id eſt, corpus ſuū, etiam ipſi ſubijcientur Chriſto, id eſt, corpori ſuo, vt omne Chriſti corpus ſubijciatur Deo, & patri: vt ſit Deus omnia in omnibus. Non ait, vt ſit pater omnia in omnibus, ſed vt ſit Deus: quod proprium nomen eſt trinitatis, & tam ad patrem quàm ad filium & Spiritum ſanctum referri poteſt, vt humanitas ſubijciatur diuinitati Humanitatem hoc loco dicimus, non manſuetudinem & clementiam quam Græci φιλανθρωπίαν vocant, ſed omne humanum genus. Porrò quod ait, vt ſit Deus omnia in omnibus, hoc ſenſu accipiendum eſt: Dominus atque Saluator noſter nunc omnia non eſt in omnibus, ſed pars in ſingulis. *Tomo tertio Epiſtola 147. ad Amandum.*

*Pſal. 61.* *Deut. 21.* *Ioan. 14.*

*Prouerbio: 8. c. Dominus creauit me initio viarum ſuarum, &c. Nullum debet creationis verbum mouere cum in Hebræo non ſit creatio quæ dicitur bara, ſed poſſeſsio. Inter poſſeſsionem & creationem magna diuerſitas eſt. Poſſeſsio deſignat quod ſemper filius in patre, & pater in filio fuerit. Creatio autem eius, qui prius non erat, conditionis exordium. tomo tertio epiſtola 139 ad Cyprianum Ex hoc loco corrupto olim Arriani ſtruxerant inſidias Catholicis, & à veteribus in explicatione huius loci præſertim à Cyrillo multum fuit ſudatum. Arriani pro ἐκτήσατο quod eſt poſſedit, ſubſtituerant ἔκτισε, id eſt, creauit.*

PORRO Arrius iuſtum ad Chriſtum refert: de quo dictum eſt: Deus iudicium tuum *Pſal. 71.*

*Ioan 5.* *Matt.19.*

regi da, & iuſtitiam tuam filio regis. Et ipſe de ſe in Euangelio: Nõ enim pater iudicat quenquam ſed omne iudicium dedit filio. Et: Ego ſicut audio, ſic iudico. Bonum autem ad Deum patrem, de quo ipſe filius confitetur: Quid me dicis bonum? Nemo eſt bonus, niſi vnus Deus pater. Cũq; huculq; blaſphemiæ ſuæ deuios calles potuerit inuenire, in conſequentibus impingit, & corruit. Quomodo enim pro patre quis audet mori, & pro filio vix moritur, cum propter nomen Chriſti tãtus martyrum ſanguis effuſus ſit? *Tomo tertio Epiſtola centeſima quinquageſima prima ad Algaſiam quæſtione ſeptima.*

*Alius locus ſcripturæ ab Arrianorũ corruptela vindicatur.*

ET dimittetis nomen veſtrũ in iuramentum] Porro iuxta 70. qui pro amen verum Deum ſunt interpretati, vt benedicatur Deus verus, & qui iurant ſuper terram, iurent Deum verum: non ſecundum errorem Arrianorum referimus tantum ad perſonam Dei patris, de quo ſcriptum eſt: Vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum: ſed ad filium, qui & ipſe verus Deus eſt, dicente Euangeliſta Iohanne: Venit filius Dei, & dedit nobis mentem, vt cognoſcamus verum, & ſimus in vero filio eius Ieſu Chriſto. Iſte eſt verus Deus & vita æterna. Si enim Saluator de ſe loquitur: Ego ſum veritas cõſequenter verus Deus à veritate nomen accepit: vt nequaquam ſecundum falſos Deos appelletur Deus, ſed ſecundum verum Deum patrem, & ipſe ſit verus Deus: alioquin ſi non eſt verus erit idolo ſimilis, quod redũdat in capita eorum, qui Chriſtum verum Deum negant. Hoc eſt autem nomen quod ei nouum in Apocalypſi ſuper calculo ſcribitur, cui in toto orbe benedicitur. *Tom. 4. lib. 18. Comment. in cap. 65. Eſaiæ. (Hebion dignus pro humilitate ſenſus paupertate nominis ſui tomo quarto lib. primo Commentariorum in caput 1. Eſaiæ. qui Hebion Hebraicè pauperem ſignificat, ſenſu autem humilem; ideo Hebionem fuiſſe ait, quod Chriſti diuinitatem negaret. hunc locum imitatus eſt Haymo libro tertio Chriſtianarũ rerum memoriæ. cap. 17.)*

*Adhuc aliꝰ locus à corruptela Arrianorum vindicatur.* *Ioan. 17.* *1. Ioan. 5.* *Ioan. 14.* *Apo. 2.*

AD Zorobabel filium &c.] Iuſtus & ſanctus Deus pater, & Deus filius, & non eſt in ipſo iniquitas. Aduerſus Marcionẽ & cæteros hæreticos, qui alterius boni, neſcio cuius Dei filium, & non creatoris, quem iuſtum vocant, aſſerunt Dominum Saluatorem. *Tomo quinto Commentariorum in cap. 1. Aggæi.*

ET dixit Dominus: tu doles ſuper hædera &c]. Nimiæ difficultatis eſt exponere, quo modo iuxta tropologiam dicatur ad filium: Tu doles ſuper hædera in qua non laboraſti, neque feciſti vt creſceret: cum omnia per ipſum facta ſint, & ſine ipſo factum eſt nihil. Vnde quidam locum iſtum interpretans, vt imminentem ſolueret quæſtionem, incurrit blaſphemiam. Aſſumens enim illud de Euangelio: Quid me dicis bonum? nemo bonus eſt, niſi vnus Deus: patrem interpretatus eſt bonum: filium verò ad comparationem eius qui perfectè & verè bonus ſit, in minori gradu poſitum: & non cõſiderauit, hæc dicens, quod in Marcionis potius incurrerit hæreſim: q alterũ Deum tantum bonum, alterũ infert iudicem & conditorem: quam Arrij, qui cum maiorem patrem, & minorem filium prædicet, tamen filium non negat conditorem. Ergo cum venia audienda ſunt, quæ dicturi ſumus, & conatus noſtri fauore potius, & orationibus fouendi & adiuuandi quàm ſpernendi aure maleuola: quia carpere & detrahere, vel imperiti poſſunt: doctorum autem eſt, & qui laborantium nouere ſudorem, vel laſsis manum porrigere, vel errantibus oſtendere iter. *Tomo quinto Commentariorum in caput quartum Ionæ.*

*Ioan. 1.* *Matt. 10.* *Arrianorũ blaſphemia cõtra Chriſtũ* *Marcionitæ blaſphemi.*

*Locus ſiue argumentũ contra Arrianos.*

IN illo tempore: reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi pater, &c.] Audiant qui Saluatorem non natum, ſed creatum calumniantur: quod patrem ſuum vocet cæli & terræ Dominũ. Si enim & ipſe creatura eſt, & creatura conditorem ſuum appellare poteſt: ſtultum fuit non & ſui & cæli ac terræ Dominum vel patrem ſimiliter appellare. *Tomo ſexto libro ſecundo Commentariorum in cap. vigeſimum primum Matth.*

*Locus cõtra Arrianos*

QVI autem in nauicula erat, &c.] Ad vnum ſignum tranquillitate maris reddita, quæ poſt nimias procellas interdum & caſu fieri ſolet, nautæ, atque vectores verè filium Dei confitentur, & Arrius in Eccleſia prædicat creaturam? *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 14. Matth.*

*Locus cõtra Arrianos.*

NOVISSIME autem miſit ad eos filiũ ſuum, &c.] Interrogemus Arrium & Eunomium: Ecce pater dicitur ignorare, & ſententiam temperat, & quantum in vobis eſt, probatur eſſe mentitus. Quicquid pro patre reſponderint, hoc intelligãt pro filio, qui ſe dicit ignorare conſummationis diem. *Tomo ſexto libro tertio Commentariorum in cap. decimum Matthæi.*

*Locus ſcripturæ ab Arrianorũ corruptelis vindicatur.* *Ioan. 1.* *Filius patri æqualis in omniũ cognitione contra Arrium.* *Luc. 10.* *Colloſ. 2.* *Act. 1.*

DE die autem illa & hora nemo ſcit: neque angeli cælorum, niſi ſolus pater, &c.] In quibuſdam Latinis codicibus additum eſt, neque filius: cum in Græcis & maximè Adamantij & Pierij exemplaribus hoc non habeatur aſſcriptum: ſed quia in nonnullis legitur diſſerendum videtur. Guepta, Arrius & Eunomius: quaſi ignorantia magiſtri, gloria diſcipulorum ſit, & dicunt. Non poteſt æqualis eſſe qui nouit & ignorat. Contra quos breuiter iſta dicenda ſunt cum omnia tempora fecerit Ieſus, hoc eſt, verbum Dei. Omnia enim per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil: In omnibus autem temporibus, etiam, dies iudicij ſit: qua conſequentia poteſt eius ignorare partem, cuius totum nouerit? Hoc quoq; dicendum eſt: Quid eſt maius, notitia patris, an iudicij? Si maius nouit, quomodo ignorat quod minus eſt? Scriptum legimus: Omnia quæ patris ſunt, mihi tradita ſunt. Si omnia patris filij ſunt, qua ratione vnius ſibi diei notitiam reſeruauit, & noluit eam cõmunicare cum filio? Sed & hoc inferendum: Si nouiſsimum diem temporum ignorat, ignorat & penultimum, & retrorſum omnes. Non enim poteſt fieri, vt qui primum ignorat, ſciat quid ſecundum ſit. Igitur quia probauimus non ignorare filium conſummationis diem, cauſa reddenda eſt, cur ignorare dicatur. Apoſtolus ſuper Saluatore ſcribit: In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Sunt ergo omnes theſauri in Chriſto ſapientiæ & ſcientiæ: ſed abſconditi ſunt. Quare abſconditi ſunt? Poſt reſurrectionẽ interrogatus ab Apoſtolis, de die, manifeſtiùs reſpondit. Non eſt veſtrum ſcire tempora vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate. Quando dicit, non eſt veſtrum ſcire, oſtẽdit quod ipſe ſciat, ſed non expediat noſſe Apoſtolis: vt ſemper incerti de aduentu iudicis, ſic quotidie viuant, quaſi die alia iudicandi ſint. Denique & conſequens Euangelij ſermo idipſũ cogit intelligi: dicens quoq; patrem ſolum noſſe, in patre comprehendit & filium. Omnis enim pater filij nomen eſt. *Tom. 6. lib. 4. Com. in cap. 24. Matthæi.*





*In patre cõprehenditur & filius.*

*Locus ſcripturæ contra Arrium.*

CENTVRIO autem, & qui cum eo erant, cuſtodientes [&c.] Et hoc conſiderandum, quod Centurio ante crucem in ipſo ſcandalo paſsionis verè Dei filium confiteatur, & Arrius in Eccleſia prædicet creaturam. *Tom. 6. lib. 4. Com. in cap. 27. Matth.*

*Ioan. 1.* *Obiectio Arrianorum contra Chriſtum excluditur.*

PAVLVS Apoſtolus Ieſu Chriſti &c.] Si (per) præpoſitio, miniſterium eius per quem res agitur oſtendit, videtur mihi in illam ſententiam ſenſus iſte congruere: Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eum ad me. Atque ita fiet, vt & illud quod in Ioannis Euangelio legitur: Omnia per illum facta ſunt: haud dubium quin per filium, non præiudicet Domino noſtro Ieſu Chriſto, quaſi ex eo minor ſit, quod patris obtemperet voluntati, quomodo & nunc non præiudicat patri, quod per voluntatem illius Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti ſit. Alij verò ita locum iſtũ intelligunt, vt Paulum Apoſtolum Ieſu Chriſti, per voluntatem Dei, qui ſit Chriſtus, oſtendi putent: Vt ſicut ſapientia & verbum & virtus Dei, & veritas, & reſurrectio, & vita dicitur, ita etiã voluntas appelletur. Nonnulli nihil referre exiſtimant, vtrum per voluntatem Dei, an ex Dei dixerit voluntate, quia his præpoſitionibus Apoſtolus indifferenter vtatur, & idipſum ſignificare per voluntatem Dei, quod ſi dixiſſet, ex voluntate Dei. *Tomo. 6. lib. 1. Comment. in cap. 1. ad Epheſios.*

*Chriſtus non eſt maior patre.* *Eſa. 40.*

ET ſedere eum faciens ad dexteram ſuã &c.] Si iuxta regnantis habitum filius ad dexteram patris ſedet: neceſſe eſt vt iuxta eandem ſimilitudinem maior ſit ab eo qui in læua parte conſederit. Quod vt ſciamus aliter intelligi quàm litera reſonat, idem Pſalmus in conſequentibus docet, dicens: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Dominus à dextris tuis. Quomodo enim filius cum patre ad dexteram ſedeat, rurſum pater à dextris eius eſſe perhibetur? Aut qua ratione terra eſt ſcabellum pedũ eius, & cælum thronus ipſius: cum & terram ſecundum Eſaiam pugillo continere dicatur, & cælum palmæ extenſione metiri? Non enim poteſt intra id eſſe quod ab eodem continetur: nec in manu incluſum tenere, à quo ipſe iuxta ſedẽtis habitum circundetur. Sicut ergo proximum eſſe Deo, vel ab eo procul recedere, non ſecundũ locorum ſpatia, ſed iuxta merita ſentiẽdum eſt, quod ſancti iuxta eum ſint, peccatores verò (de quibus ait propheta dicens: Ecce qui elongant ſe à te, peribunt) ab omni eius vicinia ſubmoueantur: ſic & in dexteris vel ſiniſtris Dei eſſe, accipiẽdum eſt: quod ſancti à dextris eius ſint, peccatores verò à ſiniſtris. Saluatore quoque idipſum in Euangelio comprobante: cum oues à dextris, hædos eſſe memoret à ſiniſtris. Sed & ipſum verbũ ſedere, regni ſignificat poteſtatem: per quam beneficium eis Deus tribuit, ſuper ouibus ſedere dignatur, quod ſcilicet regat eos, & in curru ſuo habeat, & ad nutum proprium vaga prius & libera colla conuertat. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 1. ad Epheſios.*

*Pro. 8.* *Chriſtus abſque omni periculo poteſt appellari creatura.*

IPSIVS enim ſumus factura &c.] Quia ſemel ad nomen creaturę venimus, & ſapientia in Prouerbijs Salomonis dicit ſe creatam, nimirum viarum Dei: multique timore ne Chriſtum creaturam dicere compellantur, tantum Chriſti myſterium negant: vt dicant non Chriſtum in hac ſapientia ſed mundi ſapientiam ſignificari: Nos liberè proclamamus non eſſe periculum eum dicere creaturam, quem vermem, & hominem, & crucifixum, & maledictionem, tota ſpei noſtrę fiducia profitemur: maximè cum ex duobus verſiculis, qui præcedunt, ipſa ſapientia promittat ſe dicturam eſſe, quæ poſt ſæcula ſunt. Cum autem ſæcula Chriſtus fecerit, & quæ deinceps loquitur, ea ſint, quæ poſt ſæcula dicturam ſe eſſe promiſerit, ad incarnationis myſterium, non ad naturam Dei referenda ſunt quæ ſequuntur: licet in Hebræis codicibus non habeatur: Dominus creauit me initium viarum ſuarum: ſed Dominus poſſedit me. Inter poſſeſsionem autem & creationem multa diſtantia eſt: quia qui poſsidetur, is vtique eſt, atque ſubſiſtit, & eſt proprius qui poſsidetur. Creatur verò ille, qui non erat antequam fieret, aut certè de eo quod erat, transfertur in aliud, ſicut & nos nunc creati dicimur in Chriſto Ieſu. Creati vtique, non quia ante nõ fuimus, ſed creati in bonis operibus. Quod Dauid quoque in Pſalmo quinquageſimo deprecatur; dicens: Cor mundum crea in me Deus. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 2. ad Epheſios.*

*Eripitur Arrianis locus ſcripturæ male intellectus*

VT innoteſceret nunc &c.] Quod ſi in Chriſto ſecundum myſticos intellectus dicitur facta ſapientia, intelligant Arriani, fruſtra ſe de illo teſtimonio gloriari, in quo ſapientia in initio viarum Dei creatam ſe & genitam loquitur, & fundatam. Et vtique iuxta illos, ſi creata eſt, nata eſſe non potuit. Si autem eſt nata, quomodo & fundata dicitur & creata? *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 3. ad Epheſios.*

VNVS Dominus, vna fides &c.] Si, vt exiſtimant Arriani. Deus pater ſolus eſt Deus: eadem conſequẽtia, ſolus erit Dominus Ieſus Chriſtus: & nec pater erit Dominus, nec filius Deus. Sed abſit, vt non ſit vel in dominatione Deitas, vel in Deitate dominatio. Vnus eſt Dominus, & vnus eſt Deus, quia patris & filij dominatio, vna diuinitas eſt. *Tom. 6. libro ſecundo Com. in capite. 4. ad Epheſios.*

*Tres hæreſes refelluntur de Chriſto.*

QVI deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit ſuper omnes &c.] Hic locus aduerſum Ebionem, & Fotinum vel maximè facit. Si enim ipſe eſt aſcendens in cælos, qui de cælos ante deſcenderat: quo modo Dominus noſter Ieſus Chriſtus non ante Mariam eſt, ſed poſt Mariam? Nec non & contra eos, qui duos filios inſano errore confingunt, filium videlicet Dei, & filium hominis. Ecce hic apertiſsimè dicitur, quod ipſe ſit aſcendens atq; deſcendens. Nec ſtatim iſta dicẽtes, locum alteri hæreſi damus, quæ dimidiatam Chriſti aſſerit diſpenſationem: ſed ſic vnum & Dei & hominis filium confitemur, ne aſſumpti hominis diſpenſationem, qua ſaluati ſumus, ex parte credentes, ex parte truncemus. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 4. ad Epheſios.*

ESTOTE autem inuicem benigni &c.] Deus nobis donauit in Chriſto, non extra poſitus, ſed habitans in eo, quia pater in filio, & filius in patre. Nec ſtatim ille in quo donatur minor eſt ab

*2. Cor. 2.*

eo, qui in ſe donat, quia & Apoſtolus dicit: Et ego ſi quid donaui vobis, in facie Chriſti & Dei. *Tom. 6. lib. 3. Com. in cap. 5. ad Epheſios.*

*Locus aduerſus Marcionem.*

FRVCTVS enim lucis eſt, in omni bonitate, & iuſtitia & veritate. &c. ] Aduerſus Marcionẽ, qui iuſtum Deum à bono ſeparat, & putat creatorem eſſe iuſtum: alium verò neſcio quem, cuius Chriſtus iſte qui venit filius ſit, bonum tantummodo eſſe Deum, hoc teſtimonio proferamus. Siquidem fructus lucis, non ſolum eſt in bonitate, ſed in iuſtitia, & in veritate. Vbi itaque bonitas eſt, ibi & iuſtitia? vbi iuſtitia, ibi conſequenter & bonitas. Apud bonum ergo Chriſti patrem, vt ipſi quoque fatentur, eſt veritas & bonitas. Vbi autem bonitas & veritas: apud ipſum, & non apud alium, vt nunc Apoſtolus docet, iuſtitia eſt. Intelligat quoq; Marcion ipſum Chriſtum, bonitatem & veritatem, & iuſtitiam nuncupari. Bonitatem in eo quòd non ſecundum opera, ſed ſecundum miſericordiam det gratiam credentibus in ſe. Iuſtitiam in eo, dum vnicuique retribuit quod meretur. Porrò veritatem, dum ipſe ſolus cauſas creaturarum omnium rerumq; cognoſcit. *Tom. 6. lib. 3. Com in cap. 5. ad Epheſios.*

*Hæreſis obmuteſcat quæ non vult eadem filiũ poſſe quæ patrem.*

PAX fratribus & charitas &c. ] Hanc pacem & charitatem, quam credentibus Apoſtolus imprecatur, hi tantùm habent, qui fratrum nomine merentur vocari. Pax quippè fratribus & charitas cum fide & pace. Igitur & charitatem & fidem ſic pater præſtat, vt filius: Et hæreſis obmuteſcit, quæ non vult eadem filium poſſe quæ patrem. *Tomo ſexto lib. 3. Commentariorum. in cap. 6. ad Epheſios.*

QVONIAM iudicas populos in ęquitate &c. ] Non imus ad patrem, niſi per filium. Dicat aliquis: Arrianorum dogma eſt. Ergo per filium venitur ad patrem. Ego hoc dico: quoniam per imaginem imus ad faciem, & in lumine videmus lumen: in filio videmus patrem. Myſterium & diſpenſatio eſt quæ loquitur. Cæterum ſi quis putet eſſe blaſphemum: quoniam viam diximus eſſe filium, & per viam imus quaſi ad Deum, videamus hæc ipſa via quid dicat: Nemo venit ad me, niſi pater meus adduxerit eum ad me. Quomodo ergo filius ducit ad patrem: ſic & pater ducit ad filium. Hæc humana verba ſunt. Cęterum & filius ducit ad patrem, & pater ducit ad filium: & vna natura, & vna ſubſtantia eſt. *Tom. 7. Com. in Pſalm. 66.*

*Ioan. 6.*

*Locus alius contra Arrium & Eunomium.*

*Ioan. 1.*

*Exod. 7.*

*Actor. 10.*

EGO dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes & cętera. ] Audiat Eunomius, audiat Arrius: qui dicunt filium Dei ſimiliter eſſe filium vt nos ſumus. Quòd Dij ſumus, non eſt naturæ, ſed gratiæ. Quotquot enim eum receperunt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Propterea feci hominem, vt de hominibus Dij fiant. Ego dixi Dij eſtis & filij excelſi omnes. Videte quanta ſit hominum dignitas, & Dij vocamur & filij. Ego feci vos Deos, ſicut feci Moyſen Pharaonis Deum, vt poſtquam Dij fueritis, digni efficiamini eſſe filij mei. Conſiderate ſcripturam diuinam. Non eſt perſonarum acceptio apud Deum. Non dixit. Ego dixi dij eſtis reges, eſtis & principes, ſed omnes, quibus æqualiter corpus dedi & animam & ſpiritum, æqualiter donaui & deitatem & adoptionem. Æqualiter omnes naſcimur & imperatores & pauperes, æqualiter & morimur. Æqualis enim conditio eſt. *Tom. 7. Comment. in Pſal. 81.*

*Locus alius ſcripturæ contra Arrianos.*

ET ipſe fundauit eam altiſsimus &c. ] Reſpõdeant Arriani quoniam dicunt altiſsimum ſolum patrem eſſe: ecce hic de filio dicitur: Et ipſe fundauit eam altiſsimus. Non dixit filius Dei, qui erat in principio apud patrem. Sed quid dixit. Homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſsimus? Si autem altiſsimus dicitur, quantò magis verbum Dei. *Tom. ſeptimo Commentariorũ in Pſal. 86.*

*Præoccupat Arrij argumentum.*

DEXTERAM tuam ſic notam fac, & compeditos corde in ſapientia. ] Quid ſubrepis Arri? Non dixit dexteram tuam fac. Deus enim ſine dextera ſua nunquam fuit. Sed quid dixit? Dexteram tuam, quæ ſemper fuit, & in ſinu tuo fuit, notam fac. Quoniam illum permanentem in deitate ſua noſſe non poſſumus: aſſumat hominem, & ſic intelligamus eum. Dexteram tuam ſic notam fac, & compeditos corde in ſapientia. Eos qui ſapientiæ habent compedes, hoc eſt, qui compediti ſunt, in corde per ſapientiam tuam. Non vobis ſit moleſtum, quia obſcurus eſt locus. Prophetæ habebant ſapientiam: ſed ipſa ſapientia compediebat eos, non poterant volare ſine Chriſto. Videte ergo quid dicat: Mitte dexteram tuam, hoc eſt filium tuum. Notum nobis illum fac, vt & prophetæ qui quaſi prophetauerunt vmbram, incipiant Dominum manifeſtiùs prædicare. *Tom. 7. in Pſal. 89.*

*Alius locus contra Arrianos.*

ET factus eſt mihi Dominus in refugium, & cætera. ] Locus iſte contra Arrianos facit. Quoniam enim contradicũt Domino Saluatori, quod factus dicitur; ecce nos dicimus: factus eſt mihi Dominus in refugium. Nulli dubium, quin de patre hoc interpretemur. Si autem de patre dicitur: Dominus factus eſt mihi in refugium, hoc ſenſu intelligendum eſt: Dominus qui ſemper erat mihi factus eſt in refugium. Sic & Saluator, qui ſemper erat, mihi ſaluator factus eſt. *Tom. 7. Com. in Pſal. 93.*

*יהוה*

*אדני*

DIXIT Dominus Domino meo: ſede à dextris meis &c. In ] Hebræo primũ nomen Domini, his literis ſcribitur: quibus de Deo tantum ſcribitur. Secundum verò nomen Domini his literis ſcribitur, quibus ſolent homines Dominum vocare: quomodo & à quibuſdam vocatur Dominus à ſeruo, & reges vocantur Domini. Vide ergo quid dicat: Dixit Dominus Domino meo. Huic Domino, cui præcipitur vt ſedeat, Deus non ſedet: aſſumptio corporis ſedet. Huic ergo præcipitur vt ſedeat qui homo eſt, qui aſſumptus eſt. Hoc aduerſus Arrianos dicimus & aduerſus eos qui dicunt: maior eſt pater, qui iubet, vt ſedeat, quam ille cui iubetur. Omnia Euangelia perſonant de perſona hominis, & nunc non neceſſaria eſt approbatio: quia omnia quæcunque vilia videntur, referuntur ad hominem, referuntur ad carnem. *Tomo. 7. Comment. in Pſal. 109.*

*Alius locus aduerſus Arrianos.*

*Locus ſcripturæ contra Arrium & Eunomium.*

EX vtero ante luciferum genui te ] Audi Eunomi: audi Arri. Si creatura eſt Dominus, ſi factura, nunquid artifex generat opus ſuum? Nunquid artifex filium vocat opus ſuum? Artifex carpentarius fecit ſcamnum: Nunquid de vtero illius generauit? Nunquid dicit de eo: de vtero



meo genui te ô ſcamnum? Non vtique hoc dicit. Sed quid dicit? Ego te feci manu mea. Quando autem vterus dicitur, filius ſignificatur: & filius non adoptatus: Vocantur enim & filij adoptati. Quotquot enim receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Ibi dedit eis poteſtatem, Hic verò de vtero generauit: de ſua natura, de ſuis viſceribus, de ſua ſubſtantia. Ex vtero, hoc eſt, de medullis diuinitatis ſuæ. Totum quicquid pater eſt in diuinitate dedit filio, quem generauit. Ex vtero ante luciferum genui te. Ante luciferum, hoc ſchema, Græcè dicitur συνεκδοχὴ, quòd dicunt Grãmatici à parte, totum. Quando ergò dicitur, ante luciferum, vnam creaturam nominat, & omnes indicat creaturas. Quando dicit, ante luciferum: nos ſic intelligamus, quaſi dixerit, antè lunam, antè ſolem, antè omnem creaturam. Ex vtero ante luciferum genui te. Antè luciferum. Antè iſtum luciferum, qui videtur in mundo, vera lux genita eſt, Vnde dicit in alio loco Pſalmus. In lumine tuo videbimus lumen. Sermo eſt ad patrem: O pater in lumine filij, videbimus lumen Spiritum ſanctum. *Tomo ſeptimo Commentariorum, in Pſalmum Centeſimum & nonum.*

*Ioan. 1.*

*Pſal. 35.*

*Eripitur Arrianis Eunomianis et Macedonianis alius ſcripturæ locus.*

QVIA ipſe dixit & facta ſunt, & cætera. ] Dicat aliquis: Ergò maior eſt ille qui iubet, & minor eſt iſte cui iubetur. Dicunt hoc Arriani, dicunt hoc Eunomiani, & dicunt Macedoniani. Reſpondeo tibi ſecundum ſenſum tuum: O hæretice dicis: maior eſt pater qui iubeat, & minor eſt filius in eo quod iubeatur ab illo. Si hoc ſecundum ſenſum accipis humanum, reſponde mihi: quid eſt maius iubere an facere? Dico fiat domus, & alius facit domum. Dicere nihil grande eſt, facere difficile. Maior ergò ille qui facit, quam qui præcipit. Sed & hoc impium eſt: Non enim filius maior eſt patre. Sicut enim hoc impium eſt de filio contra patrem credere, ſic & illud impium eſt de patre contra filium credere, Quia ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Vna natura iubet & facit: Deus iubet, & Deus facit. Iubet pictor, vt pingat pictor: & pictor pingit, quod pingi præceperat. *Tomo ſeptimo Commentariorum in Pſalmum 148.*

## VI. *Commemorantur hæreſes, quæ cum vera humanitate Chriſti pugnant.*

*Laus Polycarpi.*

*Marcion & Valentinus multos ſeduxerunt.*

*Hæretici filij diaboli.*

POLYCARPVS Ioannis Apoſtoli diſcipulus, & ab eo Smyrnæ Epiſcopus ordinatus, totius Aſiæ princeps fuit. Quippe qui nonnullos Apoſtolorum, & eorum qui viderant Dominum, magiſtros habuerit & viderit. Hic propter quaſdam ſuper die Paſchæ quæſtiones, ſub imperatore Antonino Pio, eccleſiam in vrbe regente Aniceto, Romam venit, vbi plurimos credentium, Marcionis & Valentini perſuaſione deceptos, reduxit ad fidem. Cumque ei fortuitò obuiam fuiſſet Marcion, & diceret: Cognoſcis nos? Reſpondit: Cognoſco primogenitum Diaboli. Poſteà verò regnante M. Antonino, & L. Aurelio Commodo, quarta poſt Neronem perſecutione, Smyrnæ, ſedente proconſule, & vniuerſo populo in Amphitheatro aduerſus eum perſonante, igni traditus eſt. *Tom. 1. de viris illuſtribus in Polycarpo.*

*Martirium Polycarpi.*

*Baſilides hæreticus oppugnatus ab Agrippa.*

AGRIPPA, cognomento Caſtor, vir valdè doctus, aduerſum viginti quatuor Baſilidis hæretici volumina, quæ in Euangelium confecerat, fortiſsimè diſſeruit, prodens eius vniuerſa myſteria & prophetas enumerans, Barcaban & Marcob, & ad terrorem audientium alia quædã barbara nomina: & Deum maximum eius Abraxas, qui quaſi annum continens, iuxta Græcorum numerum ſupputetur. *Tom. 1. de viris illuſtribus.*

*Marcion dicit Chriſti natiuitatem fuiſſe in phãtaſmate.*

*Marcionitæ Magorum præſtigijs cõparant Chriſtum.*

*Antipophora excluditur.*

NVNQVID iuxta Marcionem, dicere poſſumus, quod ideo natiuitas eius in phantaſmate fuerit, quia contra naturam, qui tenebatur elapſus eſt? quod Magis licet, hoc Domino non licet? Apollonius Tyaneus ſcribitur, cùm ante Domitianum ſtaret in conſiſtorio, repente non cõparuiſſe. Noli potentiam Domini Magorum præſtigijs adæquare: vt videatur fuiſſe quod non fuit, & putetur comediſſe ſine dentibus, ambulaſſe ſine pedibus, fregiſſe panem ſine manibus, locutus eſſe ſine lingua, & latus monſtraſſe ſine coſtis. Et quomodo inquies, non cognoſcebant eum in itinere, ſi ipſum habebat corpus, quod ante habuit? audi ſcripturam dicentem: Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent. Et rurſum: Aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum. Nunquid alius fuit, quãdo non agnoſcebatur, & alius, quando agnitus eſt? Certè vnus atque idem erat. *Tom. 2. Epiſtol. 61. ad Pammachium. cap. 13.*

*Luc. 24.*

*Dilemmate hæretici conſtringuntur.*

O ROTE, qui tantum contra reſurrectionem ſentis, argumentaris, an ſimpliciter mecum loqueris? Credis verè Dominum reſurrexiſſe, in eodem, quo mortuus, quo ſepultus eſt, corpore, an non credis? ſi credis, cur iſta proponis, per quę reſurrectio denegatur; ſi non credis, quid ita imperitorum lactas animas, & reſurrectionem caſſo nomine ventilas. *Tom. 2. Epiſt. 61. ad Pammachiũ cap. 14.*

*Origenis hæreſis contra diuinitatem Chriſti, refer ad articulum præcedentẽ.*

PROBO ego inter multa Origenis mala, hæc maximè hæretica: Dei filium, creaturam. Spiritum ſanctum miniſtrum, mundos innumerabiles, æternis ſibi ſæculis ſuccedentes, angelos verſos in animas hominum: animam Saluatoris fuiſſe antequam naſceretur ex Maria; & hanc eſſe, quæ cum in forma Dei eſſet, non eſt rapinam arbitrata æqualẽ ſe eſſe Deo, ſed ſe exinaniuit formam ſerui accipiens. *Tom. 2. lib. 2. Apologiæ aduerſus Ruffinum c. 3.*

*Ioan. 20.*

*Hæb. 3.*

*Act. 10.*

*Luc. 4.*

IN hoc loco Fotinus opprimitur, ſed Arrius caput leuat, de Euangelio proferens teſtimonium. Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrũ Deum meum & Deum veſtrum. Sed cum dilectũ audiat eum, accinctum gladio ſuper fœmur, & regnare propter veritatem, & manſuetudinẽ, vngi ob dilectam iuſtitiam & exoſam iniquitatem, & vnctum eſſe prę conſorribus ſuis, de quibus ſcriptum eſt: Participes Chriſti facti ſumus: ſi tamen principium ſubſtantiæ vſque ad finem firmum retineamus: miror, cur ſolum Deum Dei ad calumniam vocet; quaſi vniuerſa, quæ dicta ſunt diuinitati Verbi, & non humilitati hominis conueniãt. Audiant Actus Apoſtolorũ: Ieſum Nazarenum, quem vnxit Deus ſpiritu ſancto. Audiat Euangelium: Spiritus ſanctus

veniet

veniet ſuper te, virtus altiſsimi obumbrabit tibi: propterea quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Ipſum Dominum ſentiat intonantem: Spiritus Domini ſuper me, eò quòd vnxerit me. Participes autem Apoſtolos credenteſque ſignificat: quibus vnctionis ſuæ vocabulum tribuit, vt ab vncto vocentur vncti, id eſt, à Chriſto Chriſtiani. *Tom.3. Epiſtola.140. ad Principiam.*

*Eſa. 61.*

NESCIO, inquit, vbi poſuerunt eum. Quomodo neſcis, quem paulò ante adoraſti? Cumque videret angelos, & quos cernebat, ignoraret; ſtupore perterrita huc atque illuc faciem circūferebat, nihil aliud niſi Dominum videre deſiderans, conuerſaque retrò vidit Dominum ſtantem: & neſciebat, quia Ieſus erat: non quod, iuxta Manichæum, & alios hæreticos, formam Dominus vultumque mutaſſet, vt pro voluntate diuerſus ac varius videretur: ſed quòd Maria, ſtupefacta miraculo, hortulanum putaret, quē tanto ſtudio requirebat. *Tom:3. Epiſt.150. ad Hedibiam. quæſt.5.*

*Manichæi et alij hæretici aiunt Chriſtū in phantaſmate alium atque alium apparuiſſe.*

VERE languores noſtros &c.] Qui verè languores noſtros, & peccata portauit, & pro nobis dolet, non putatiuè, id eſt, δοκουμένως, vt vetus & noua hæreſis ſuſpicantur, ſed verè crucifixus eſt, verè doluit, dicens in Euangelio: Triſtis eſt anima mea, vſque ad mortem. Et: Anima mea turbata eſt. *Tom.4. lib.14. Com. in cap.53. Eſaiæ.*

*Chriſtus non eſt putatiuè crucifixus.*

ET ſubleuabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus.] Propriè dixit, ſubleuabis, vel aſcendet de corruptione vita mea: quia ad corruptionem, & ad inferna deſcenderat, hoc eſt, quod Apoſtoli interpretantur in quinto decimo Pſalmo ex perſona Domini prophetatum: Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem: Quòd ſcilicet Dauid & mortuus ſit & ſepultus: ſaluatoris autem caro non viderit corruptionem: Alij verò interpretantur quod ad cōparationem cæleſtis beatudinis & verbi Dei, humanum corpus corruptio ſit: quod ſeminatur in corruptione, & in centeſimo ſecundo Pſalmo ex perſona iuſti ſignificetur: Qui ſanat omnes infirmitates tuas: qui redemit de interitu vitam tuam. Vnde & Apoſtolus dicit; Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et appellatur corpus mortis, vel corpus humilitatis. Hoc illi ad occaſionem ſuæ ducunt hæreſeos: vt ſub perſona Chriſti mentiantur Antichriſtum, eccleſias teneant, vt ventrem pinguiſsimum nutriant, & carnaliter viuentes, contra carnem diſputent. Nos autem ſcimus de incorrupta virgine corpus aſſumptum, non corruptionem Chriſti fuiſſe, ſed templum. Quod ſi in Apoſtoli ad Corinthios ſententiam trahimur: in qua corpus dicitur ſpirituale, ne contentioſi videamur, dicemus idipſum quidem corpus, & eandem carnem reſurgere, quæ ſepulta eſt, quę in humo condita, ſed mutare eam gloriam, non mutare naturam. Oportet enim corruptiuum hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Quando dicitur hoc, quodammodo duobus digitulis comprehenſum corpus oſtenditur, hoc in quo naſcimur, hoc in quo morimur, hoc quod timent recipere qui puniēdi ſunt, hoc quod virginitas expectat ad præmium, adulterium formidat ad pœnā. *Tom.5. Com. in ca.2. Ionæ.*

*Actor.2.*

*Hæretici ſcripturas trahunt ad occaſionem ſuæ hæreſeos.*

*Rom.7.*

*1. Cor.15.*

## VII. *Chriſto Deo & homine mediatore opus fuiſſe.*

GRATVLOR tibi, & Chriſto DEO meo gratias ago, quia animo bono à falſitatis ardore ad totius orbis te ſaporem contuliſti, nec dicis more quorundam: Saluum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus: quorum vox impia crucem Chriſti euacuat; Dei filium ſubiugat Diabolo; & illam complorationem, quæ à Domino de peccatoribus prolata eſt, nunc de vniuerſis hominibus dictam intelligit: Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? Sed abſit vt fruſtrà Deus mortuus ſit. Alligatus eſt fortis, & vaſa eius direpta ſunt. *Tom.2. in dialogo contra Luciferianos cap.6.*

*A falſitatis ardore ad totius orbis ſaporem hæretici ſe conferent.*

*Pſalm.11.*

*Crux Chriſti non euacuanda.*

*Pſal.29.*

*Fructus paſſionis Chriſti*

HAEC eſt terra viuentium, in qua ſanctis viris atque manſuetis bona Domini præparantur: quam ante aduentum in carne Domini Saluatoris, nec Abraham, nec Iſaac, nec Iacob, nec prophetæ, & alij iuſti viri conſequi potuerunt. Denique & Abraham, licet diuerſis locis, cum Lazaro videtur apud inferos, & Iacob, vir iuſtus dicit: Lugens & gemens deſcendam ad infernum. Sanguis Chriſti clauis paradiſi eſt, dicentis ad latronem: Hodie mecum eris in paradiſo. Iſta eſt, vt diximus, terra viuentium, terra diuitiarum & bonorum Dei, quam primus Adam perdidit, & ſecundus Adam inuenit: immo ab illo perditam iſte reſtituit, dicente Apoſtolo: Regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen: ſub cuius perſona lex intelligitur, in ſimilitudinem præuaricationis Adam, qui eſt forma futuri. *Tom.3. Epiſt.129. ad Dardanum.*

*Heb.11.*

*Luc.16.*

*Gen.37.*

*Sanguis Chriſti clauis paradiſi.*

*Luc.23.*

*Primi & ſecundi Adami collatio.*

*Rom.5.*

TANTVS Iſraël ſanguis effuſus eſt, tot hominum cæſa ſunt millia: & nullus eorum noſtrę ſalutis extitit redemptor. Ipſe Ioſias, qui placuit in conſpectu tuo, & nuper Machabæi, qui pro tua hæreditate pugnabant, contra fas ſanctitatis, hoſtium gladijs interempti ſunt, & nullius cruor nobis reddidit libertatem. Ecce adhuc Romano imperio ſubiacemus, non propheta, non ſacerdos, non iuſtus quiſquam immolatus eſt pro nobis. Et pro luxurioſo filio, id eſt, pro gentibus, pro peccatoribus, totius creaturæ glorioſus ſanguis effuſus eſt. *Tom.3. Epiſt.146. ad Damaſum.*

*Solius Chriſti ſanguine & nullorum ſanctorum meritis redemptiſumus.*

*4. Reg.13.*

*2. Macbab.7.*

ET dixit Dominus ad me: Sume tibi librum] Rurſum ſub alia figura deſcribitur partus virginalis. Et dixit Dominus ad Prophetam: vt nequaquam in populos proferat nouæ natiuitatis arcanum: ſed ſcribat eam in iſto grandi volumine quod nunc legimus: Et quo ſit mirabilius, humanis verbis & ſtylo, quo homines ſcibere conſueuerunt, Dei ſacramenta comprehendat. Quid eſt autem illud quod ſcribitur humano ſtylo? Vt puer natus velociter ſpolia detrahat, & citò prædetur; hoc eſt, ne vltra patiatur regnare diabolum: nec mittat angelos, nec prophetas: ſed ad ſaluādas creaturas ſuas ipſe deſcēdat. *Tom.4. lib.3. Com. in cap.8. Eſaiæ.*

*Diabolus per Chriſtum eſt victus.*

ECCE Dominus aſcendet ſuper nubem.] Aſcendit Dominus ſuper nubem leuem, corpus ſāctæ virginis Mariæ, quod nullo humani ſeminis pondere prægrauatum eſt, vel certè corpus ſuū, quod de ſpiritu ſancto conceptum eſt. Et ingreſſus eſt in AEgyptum huius mundi: ſtatimq; omnia AEgypti ſimulachra commota ſunt: ita vt diuina-



uinationes & vniuerſa fraus idololatriæ quæ deceptum poſsidebat orbem, ſe fractam eſſe ſentiret: in tantum vt Magi de Oriente docti à dæmonibus, vel iuxta prophetiam Balaam intelligentes natum filij Dei, qui omnem artis eorum deſtrueret poteſtatem, venerint Betlehem: & oſtendente ſtella, adorauerint puerum. Tunc cor AEgypti omne contabuit: & AEgyptij contra AEgyptios ſurrexerunt, iuxta illud quod Dominus loquitur in Euangelio: Nolite putare, quia veni mittere pacem ſuper terram: non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim diuidere hominem contra patrem ſuum, & filiam contra matrem ſuam, & nurum contra ſocrum ſuā. Eo tempore & illud expletum eſt: Inimici hominis domeſtici eius. Et pugnabit vir contra fratrem ſuum, & vir contra amicum ſuum: fuerunt enim in vna domo ſeparati, duo contra tres, & tres contra duos: & diuiſus eſt pater contra filium, & filius contra patrē: Ciuitas aduerſum ciuitatem, & regnum aduerſus regnū: eorum, qui nō crediderunt, aduersū eos, qui crediderūt, vel certè eorum, qui crediderunt, proximos ſuos ſaluare cupientium. Et diſruptus eſt ſpiritus AEgypti in viſceribus ſuis, vt nequaquam paria ſentirent, ſed ſpirituali contra ſe gladio ſeparati, omne conſilium ſuum præcipitatum cognoſcerent eſſe, & nihilominus in errore priſtino permanētes, ij, qui fidei veritatem ſuſcipere noluerant interrogarent ſimulachra, & diuinos ſuos, & pythones & ariolos. Cumque illi hoc fecerint, Dominus tradidit eos in manu dominorum crudelium, iuxta illud Apoſtolicum. Quos tradidi Sathanæ vt diſcant non blaſphemare: quo ſeruitute duriſsima oppreſsi ad clementiſsimum Dominum reuertantur. Pulchreque dæmones, crudeles Dominos vocat: quibus nihil crudelius eſt. Rex quoque fortis, qui Dominus eſt eorum, perſpicuè diabolus intelligitur, quem & in Euangelio Dominus fortem vocat, quo vincto & oppreſſo, vaſa domus eius & præda diripitur.

*Quantos fructus attulerit in mundū mediator.*

*Num.24.*

*Matt.2.*

*Mich.7.*

*Luc 12.*

*1. Timot.1.*

*Dæmones domini crudeles.*

*Matt.12.*

ET areſcet aqua de mari &c.] Quando rex fortis & durus dominatus fuerit in AEgypto, areſcet omnis doctrina & pulchritudo eloquentiæ ſæcularis: & ipſe fons omnium fluuiorum Diabolus, à quo oriuntur vniuerſa mendacia, deſolabitur: ita vt deficiant cætera flumina & riui, qui de turbidis Nili aquis implebantur. Calamus quoque & iuncus nimia ſiccitate marceſcant. Pro iunco, papyrum 70. tranſtulerunt; de quo charta fit, addentes de ſuo ἄχυρον τὸ χλορόν; quod in Hebraico non habetur. Cumque ab eruditis quærerem quid hic ſermo ſignificaret: audiui ab AEgyptijs hoc nomine lingua eorum omne quod in palude virens naſcitur appellari. Calamus autem, iuxta tropologiam, eſt ſermo vacuus, & nihil in ſe ſolidum habens, & papyrus qui videtur quidem habere medullam, & non eſſe vacuus, & tamen fragilis eſt, citoque marceſcit. Omnes quoque riui areſacto riuorum capite ſiccabuntur, & quicquid prius aquis irrigabatur AEgyptijs, areſactum, non erit: ita vt mœreant Aegyptij piſcatores, qui valdè contrarij ſunt piſcatoribus Domini: & lugeant, qui mittebant hamum in flumen, & expandebant rete ſuper faciem aquæ. Qui ſingulos quoſque decipiunt, hamum mittunt in aquas turbidas. Qui autem plures ſimul, ita vt in ſynagogis Sathanæ loquantur publicè & populorum abducant greges: iſti rete ſuper aquas mittunt AEgyptias. Confundentur etiam hi, qui operabantur linum, vt veſtes facerent ſacerdotum: plectentes illud & texentes ſubtilia: quod propriè ad Dialecticorum artem pertinet. *Tom. quarto lib.7. Commentariorum in cap.19 Eſaiæ.*

*Duplices piſcatores.*

TORCVLAR calcaui ſolus &c.] Dicendum eſt de torculari, quod iuxta ſcripturæ ſanctæ cōſuetudinem, interdum pro vltione atque ſupplicijs ponitur peccatorum: Interdum in congregatione nouorum fructuum. Pro pęnis ponitur atque tormentis, quando Hieremias in lamentationibus plangens euerſionem Hieruſalem loquitur: Torcular calcauit Dominus virgini filię Iuda, ideo ego ploro. In bonam partem ſcribuntur Pſalmi pro torcularibus, octauus, & octogeſimus tertius: De quibus in ſuis locis, ſi vita comes fuerit, domino præbente dicetur. Hoc torcular, in quo & malis ſupplicia, & bonis præmia à Saluatore calcantur, ſolus ipſe calcauit, nullumque habuit adiutorem. Neque enim angelus, aut archangelus, throni, dominationes, aut vlla cæleſtium poteſtatum, humanum corpus aſſumpſit, & pro nobis paſſus eſt, & conculcauit aduerſarias fortitudines, atque contriuit, niſi ille qui loquitur in Pſalmo: Saluum me fac Domine: quoniam defecit ſanctus: In tantum, vt etiam confidentiſsimus, & in fidei veritate firmiſsimus Apoſtolus Petrus, timore territus fugerit, imò Dominum negarit. Quodque ſequitur: Et aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea & omnia indumenta mea pollui. Nequaquam ſic intelligendum, vt dæmones & aduerſarias poteſtates, ſanguinem habere credamus. Sed tropologicè accipienda ſunt omnia: quando clementiſsimus Deus ad erudiendum populum ſuum, & captiuitatis vinculis liberandum, hoſtes ferire compellitur: Dies enim, inquit, vltionis in corde meo: annus redemptionis meæ venit. De quo & ſupra legimus, in bonam partem prædicare annum Domini acceptum: Et diem retributionis Deo noſtro, & nunc tam in malam quàm in bonam: In malam: Dies enim vltionis in corde meo. In bonam: Annus redemptionis meæ venit: vt eo tempore quo puniuntur aduerſarij, Dei populus liberetur, imo redimatur pretioſo ſanguine agni, qui in Ioannis Apocalypſi dicitur trucidatus. De hac retributionis die, & Moyſes ſancto ſpiritu plenus prophetabat: Et retribuet vindictam inimicis, & odientibus ſe reſtituet. Circumſpexi, & non erat auxiliator: quæſiui, & non erat qui adiuuaret Qui & in Pſalmo dixerat: Et expectaui qui contriſtaretur, & non fuit; & qui conſolaretur, & non inueni. Ipſe enim cū eſſet in forma Dei: non eſt rapinam arbitratus æqualem ſe eſſe Deo, ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, & factus obediens patri vſque ad mortem, mortem autem crucis, & propterea donauit ei nomen ſuper omne nomen: vt ſaluaret ſibi credentes dextera ſua, & indignatio eius quæ erat contra aduerſarios, Dei populum liberaret. *Tom.4. lib.17. Com. in cap.63. Eſaiæ.*

*Torcular habet duplicem ſignificationem.*

*Thren.1.*

*Non per angelos vel archangelos &c. ſed per Chriſtum ſumus redēpti.*

*Pſalm.11.*

*Matt.27.*

*Apoc.5.*

*Deut.32.*

*Pſal.68.*

*Philip.2.*

TORCVLAR calcauit Dominus &c.] In bonam partem ſcribuntur Pſalmi pro torcularibus, octauus, octogeſimus, & octogeſimus tertius. In quo torculari, & malis ſupplicia, & bonis

præmia

*Christi ſolius non ſanctorum neque angelorum merito ſumus redempti.* *Eſa.63.* præmia à Domino Saluatore calcantur. Quod ſolus, ſolus ipſe calcauit, nullumq́ue habuit adiutorem. Neque enim angeli, aut archangeli, throni, dominationes, aut vlla cæleſtium poteſtatum humanum corpus aſſumpſit, & pro nobis paſſa eſt, & calcauit aduerſarias poteſtates, atque contriuit, ſed ille ſolus qui loquitur in Pſalmo: *Pſal.11.* Saluum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus: in tantum quod etiam confidentiſsim⁹, *Matt.26.* & in fide firmiſsimus Apoſtolus Petrus timore perterritus fugeret, imò Dominum negaret. Torcular ergo calcauit Dominus virgini filiæ Iuda: quando viti infructuoſæ Iudæorum, & diu ſterili permanenti, cui per Eſaiam dicitur: Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas: captiuitatis oppreſsionem præparauit. *Tomo quarto libro primo Commentariorum in caput primũ Lamentatio: Hieremiæ.*

E T in die ſecunda offeres &cætera.] Quod tollitur ſanguis, de quo loquitur Petrus *1.Pet.1.* redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ *1.Cor.7.* traditionis pretioſo ſanguine Chriſti: & Paulus Apoſtolus docet: Pretio redempti eſtis: & in alio *Col.1.* loco: Pacem faciens per ſanguinem crucis ſuæ, ſiue in terra, ſiue ſuper cęlos: illud ſignificat, quod ſanguine Saluatoris, quatuor cornua purificentur altaris, id eſt, quatuor mundi plagæ, aſpergiturq́ue corona propitiatorij ſiue baſes per circuitum: vt vniuerſa purgentur, & firma ſit propitiatio. *Tom.4.lib.13. Commentariorum in cap.43. Ezechielis.*

P R I N C E P S autem in medio &cætera.] Princeps in medio eorum erit, ingredientium ſcilicet & egredientium: iuxta illud quod ſcriptum *Ioan.1.* eſt: Medius inter vos ſtat, quem vos ignoratis. *2 Cor.13.* Et Apoſtolus: An ignoratis quia Chriſtus in vobis eſt? *Chriſtus mediator.* Sin autem ignorantibus dicitur, quod medius inter eos ſtet Chriſtus, quantò magis ſcientibus? *Rom.8.* Sed cum inter ſcientes Chriſtus ſteterit, tunc corpus mortuum fiet propter peccatum, & ſpiritus viuens propter iuſtitiam. Ingreditur autem princeps cum ingredientibus, & egreditur cum egredientibus: vtrorumq́ue virtutis atque peccati teſtis aſsiſtens. *Tom.4.lib.14. Com. in cap.46 Ezechielis.*

V E R B A Eccleſiaſtæ filij Dauid &cætera.] Cæterum ſecundum intelligentiam ſpiritualẽ: *Ephef.2.* pacificus & dilectus Dei patris & Eccleſiaſtes, noſter eſt Chriſtus: qui medio pariete deſtructo, & inimicitias in carne euacuans, fecit vtraque vnũ, *Ioan.14.* dicens: Pacem meam do vobis, & pacem meam *Matt.3.* relinquo vobis: de quo pater ad diſcipulos: Hic eſt, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: hunc audite: *Chriſtus pacificus noſter et eccleſiaſtes* qui eſt caput omnis Eccleſię: nequaquam ad ſynagogam Iudęorum, *Mat.23.* ſed ad gentium multitudinem loquens, rex Hieruſalem, viuis lapidibus extructæ: non illius de qua ipſe ait: Hieruſalem, hieruſalem, quæ occi- *Matt.21.* dis prophetas. Et, Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta: ſed illius, per quam iurari vetat, quia ſit ciuitas magni regis. *Matt.9.* Hic eſt filius Dauid, ad quem cæci in Euangelio clamabant: Miſerere noſtri fili Dauid, & omnis turba conſona voce reſonabat: Oſanna filio Dauid. *Tom.5. Com. in cap. 1. Eccleſiaſtis.*

V T I N A M non eſſem vir &c.] Tumultuabuntur à multitudine hominum. Tumultus vox plurimorum eſt, & nimiæ multitudinis clamor pariter emiſſus ne æſtimemus vnius vocem eſſe, ſed omnium communem, laudantium bonum paſtorem: qui ardua quæque complanauerit, & ſuo æquauerit pede: dux itineris eorum ipſe ſit paradiſi ianua, & dicat: ego ſum porta: *Chriſtus paradiſi ianua, via & porta ad cælum.* quo iter diuidente & præcedente, via & porta, tranſibit per eum credulum pecus. Paſtor autem iſte, & rex eſt & Dominus. Vnde ſequitur. Et tranſibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum. Quod ſi voluerimus hæc omnia de primo aduentu eius accipere, & totum Iacob & reliquias Iſraël ad Apoſtolos, & eam referre multitudinem, quæ in Actibus Apoſtolorum ſaluata eſt *Actor.2.* ex Iudæis, non abhorrebit à veritate expoſitio tractatoris. Hos enim verè congregauit Dominus in ouile ſuum, & poſuit in medio caularum, & fecit iter ante eos, & induxit eos in Eccleſiam, & fuit rex eorum coram eis, & eſt Dominus in capite eorum in perpetuũ. *Tom.5.lib.1. Com. in cap.2 Michæ.*

A S C E N D E per diuiſionem &c.] Præſens locus quaſi proprium habet exordium, et Apoſtrophen eloquij prophetalis, ad eum qui ſaluari cupit: cui imperatur vt aſcendat per diuiſionem. *Gen.38.* Quod quidem manifeſtius fiet, ſi de Geneſi ſumpſerimus exemplum, vbi naſcuntur gemini de Thamar, cum qua Iudas patriarcha concubuit: factum eſt, inquit, cum pareret & haberet geminos in vtero: in ipſo partu vnus protulit manum, & tulit obſtetrix, & ligauit in manu eius coccinum, dicens: Hic egredietur prior. Cum autem contraxiſſet manum, ſtatim egreſſus eſt frater eius, & illa ait: Quare diuiſa eſt propter te maceria: & vocauit nomen eius Phares, quod interpretatur diuiſio. Et poſt hæc egreſſus eſt frater eius, in cuius manu erat coccinum, & vocauit nomen eius Zara: qui in lingua noſtra dicitur, ſemen vel Oriens. Oſtendit ergo ſenior populus, in quo erat & ſemen, antequam de gentibus Eccleſia naſceretur, manum ſuam in operibus, & poſtea con- *Eſa.1.* traxit eam: audiens per Eſaiam: Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Cumq́ue ille contraxiſſet manũ, & à iuſtitiæ ceſſaret operibus, frater *Ephef.2.* eius egreſſus eſt gentium populus. Et propter ipſum diuiſa eſt ſepes, & deſtruxit Dominus atq; *Chriſtus diuiſos populos Iudæos & gentes in vnum contraxit.* Saluator, vt ille poſſet incedere, parietem, qui erat in medio, & maceriam duos populos ſeparãtem, & fecit vnum gregem, & duos creauit in ſemetipſo, in vno nouo homine faciens pacem. Vnde & obſtetrix propheticè loquens dicit ad Phares populum iuniorem: vt quid diuiſa eſt propter te maceria? Si intellexiſtis exemplum de Geneſi, aſcende qui ſaluari cupis: nequaquam per veterem populum, qui manum contractam habet, ſed per nouum, in quo via Chriſtus eſt, in quo porta Ieſus: per quem ad patrem incedimus. *Chriſtus ad patrẽ porta.* Ipſe enim ſoluit medium parietem & maceriam, id eſt, obſcuritatem veterum prophetarum, & omnia antiquæ legis aperuit ſacramenta, & diſſipata incedendi difficultate, viam oculis omnium reuelauit: vt qui vult pergere, nullo irretiatur obice, nec obſcuritatis caligine. *Tom.5.li.1. Co. in cap.2. Micheæ.*

A N T E faciem eorum diuiſerunt, & tranſierunt portam, & egreſsi ſunt per eam. Et exiuit &cætera.] Propterea dixi tibi: Aſcende per diuiſionem, qui ſurrexiſti cum Chriſto, & ea quæris



quæ ſurſum ſunt: quia angeli ſiue pater & filius & ſpiritus ſanctus, diuiſerunt quod videbatur obſtare, & fecerunt viam volentibus ingredi, & quia aperto itinere inuaſerunt iter, non ſolum ingreſsi ſunt portam, ſed & tranſierunt per eam. *Quicquid obſtare videbatur ad vitã æternam capeſcendã id per Chriſtum ſublatum.* Ingreſsi ſunt autem, quia & rex eorum eandem ingreſſus eſt portam, & aperuit eis iter, vt abſque vlla difficultate graderentur. Ipſe enim Dominus, & rex & paſtor, & via eſt, & porta, dicitq́ue: Ego ſum porta: per me qui fuerit ingreſſus ſaluabitur: ingredietur & egredietur, & paſcua in- *Ioan.10.* ueniet. De qua porta & alibi prophetatur: Hæc *Pſal.117.* eſt porta Domini, iuſti intrabunt per eam. Quicunque autem ingreſſus fuerit, non debet in eo ſtatu in quo intrauerat permanere: ſed egrediatur ad paſcua: vt in intrando exordium ſit, in exeundo & in paſcua reperiendo, virtutum per- *Ioan.10.* fectio. Qui ingreditur, adhuc in ſæculo eſt, & ex creaturis intelligit creatorem. Qui autem egreditur, tranſcendit vniuerſam creaturam, & omnibus quæ videri poſſunt, pro nihilo computatis, inueniet paſcua ſuper cælos, & ſermone Dei *Pſal.22.* veſcetur, & dicet: Dominus paſcit me & nihil mihi deerit. Hoc ideo vt intelligeremus Euangelicum teſtimonium: Ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet: & quod nunc dicitur per *Ioan.10.* prophetam: Et tranſierunt portam, & egreſsi sũt per eam: qui tamen tranſitus & egreſsio abſque Chriſto rege noſtro tribui non poteſt, qui rex & Dominus eſt. Statim quippè connectitur: Dominus autem princeps erit. *Tom.5.lib.1. Com. in cap.2. Michéæ.*

A V D I T V M audiuimus à Domino, & legatum ad gentes miſit & cæt.] Audiuit vel Abdias, vel omnes prophetæ pariter audierũnt. (Omnes enim ſcribunt contra Edom) quòd ad gen- *Chriſtus mediator, legatus.* tes legatus miſſus ſit, mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus: de quo & pater loquitur *Aggæi.2.* per Aggæum: Mouebo omnes gentes, & veniet *Eſa.9.* deſideratus cunctis gentibus. Iſte in Eſaia, magni conſilij angelus, & pater futuri ſæculi ſcribitur. Quod autem pro legato, id eſt, ſir. 70 περιοχὴν, id eſt, munitionem interpretati ſunt: poſſumus dicere, quod ipſe legatus noſter ſit, & ipſe *Ephef.5.* munitio: dicens ea quæ prophetalis ſermo contexuit: Surgite, & conſurgamus aduerſus eum, vel eam in prœlium. Legatus qui ad gentes eſt miſſus, hæc loquitur; Surge qui dormis, & eleuare à mortuis, & illuminabit te Chriſtus: Ac ne *Chriſtus ἀρχιστρατηγός.* forſitan grauis nobis, & inſolita pugna videatur: me, inquit, habetis primum in acie. Ego ero ἀρχιστρατηγὸς prœliorum, qui & Ieſu filio Naue gla- *Ioſ.5.* dium tenens apparui: Et Amalech in crucis meæ vexillo Moyſe pugnante ſuperaui. Hieremias in *Exod.7.* viſione contra Idumeam non multum ab his di- *Hier.49.* ſcrepat; Auditum, inquit, audiui à Domino & legatus ad gentes miſſus ſum: congregamini & venite contra eam, & conſurgamus in prælium. *Tom.5. Com. in cap.1. Abdiæ.*

P E T I T E & dabitur vobis; quærite & inuenietis: pulſate & aperietur vobis &c.] Qui carnalia ſupra vetuerat poſtulari, quid quærere debeamus oſtendit. Si petenti datur, & quærens inuenit, & pulſanti aperitur: ergò cui non datur, & qui non inuenit, & cui non aperitur, apparet ꝙ nõ benè petierit, quæſierit, pulſauerit. Pulſemus Ianuam Chriſti, de qua dictum eſt: Hæc porta Domini, iuſti intrabunt per eam: vt cum intrauerimus, aperiantur nobis theſauri abſconditi & tenebroſi, in Chriſto Ieſu, in quo eſt omnis ſcientia. *Tom.6. libro 1. Commentariorum in caput ſeptimũ Matth.*

V O S autem nolite vocari &c.] Nec magiſter, nec pater vocandus eſt alius: niſi Deus pater, & *Chriſtus pater & magiſter.* Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Pater, quia ex ipſo ſunt omnia. Magiſter: quia per ipſum omnia: vel quoniam per diſpenſationem carnis eius omnes reconciliati ſumus Deo. *Tom.6.lib.4. Com. in cap.23 Matt.*

N V N C autem in Chriſto Ieſu vos qui aliquãdo &cætera.] Longè eſt Dominus ab impijs. Iſte à quo impij longè ſunt, vicinus eſt ſanctis. Deniq́ue cum ab Epheſijs eſſet procul, in ſanguine Ieſu propè eis factus eſt. Et cætera.] Diligentius intuendum quod abſque cruore Domini Ieſu nemo appropinquet Deo: quia ipſe *Ioan.14.* eſt pax noſtra, dicens: Pacem meam do vobis: pa- *Inhærens iuſtitia.* cem meam relinquo vobis. Quomodo enim ſapientia ſapientes facit, & iuſtitia iuſtos, & ſanctificatio ſanctos, & vita viuentes: ſic ipſe pax, nos facit eſſe pacatos, vt dicamus: *Pſal.119.* Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. Si autem Chriſtus credentium pax eſt, quicunque ſine pace eſt, conſequenter non habet Chriſtum. *Tom.6.lib.1. Com. in cap.2. ad Epheſ.*

Q V I deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit ſuper omnes &cætera.] Nunquid corporaliter omnes cælos, & vniuerſas ſublimitates, & cælorum circulos, quos philoſophi ſphæras vocant, tranſiens atque tranſcendens, ſtetit in ſummo cæli fornice, & vt ipſo verbo vtar, apſide? An certè omnia corporalia contemnens atque deſpiciens, & æterna contemplans, ſuper cælos, id eſt, ſuper inuiſibilia ſtetiſſe credendus eſt? quod ego melius puto. Deſcendit ergo in inferiora terræ, & aſcẽdit ſuper omnes cælos filius Dei: vt non tantùm legem prophetaſq́ue compleret, ſed & alias quaſdam occultas diſpenſationes, quas ſolus ipſe nouit cum patre. *Sãguis Chriſti etiam angelis profuit & his qui in inferno erãt.* Neque enim ſcire poſſumus quomodo & angelis, & his qui in inferno erant, ſanguis Chriſti profuerit, & tamen quin profuerit, neſcire non poſſumus. Deſcendit quoque ad inferos, & aſcendit ad cælos: vt impleret eos: qui in illis regionibus erant, ſecundum id quod ſe capere poterant. Ex quo ſciendum, quòd antequam Chriſtus aſcenderet & deſcenderet, vacua fuerint omnia & plenitudine illius indiguerint. *Tom.6. libro ſecundo Commentariorum in caput 4. ad Epheſios.*

## VIII. Sine Chriſto mediatore neminem ſaluari.

C H R I S T V S ſanctificatio eſt, ſine qua nemo videbit faciem Dei: Chriſtus redemptio, idem redẽptor, & pretium. Chriſtus omnia; *Chriſtus nobis omnia.* vt qui omnia propter Chriſtum dimiſerit, vnũ inueniat pro omnibus, & poſsit liberè proclamare: Pars mea Dominus. *Tomo primo Epiſtola vigeſima ſexta ad Pammachium capite quarto.*

R E B E C C A plena Spiritu ſancto, ſciens quod audiſſet antequam pareret, quia maior ſeruiet minori, magis autem forma Spiritus ſancti, quæ futura nouerat in Chriſto, in Iacob ante medita-

*Gen.27.* tur: loquitur ad filium minorem: Vade ad gregem, & accipe mihi inde duos hœdos, præfigurans carneum Saluatoris aduentum, in quo eos vel maximè liberaret, qui peccatis tenebantur obnoxij: ſiquidem in omnibus ſcripturis hœdì pro peccatoribus accipiuntur. Quòd autem duos iubetur afferre, duorum populorum ſignificatur aſſumptio: quòd teneros & bonos, dociles & innocentes animæ ſignificat. Stola vel veſtimẽtum Eſau, fides Hebræorum & ſcripturæ ſunt, quibus gentilium indutus eſt populus. *Tom.3. Epiſt.125. ad Damaſum. quæſt.3.*

PELLES, quæ eius brachijs circundatæ ſunt, peccata vtriuſque ſunt plebis, quæ Chriſtus in extenſione manuum cruci ſecum pariter affixit. *Tomo tertio epiſtola centeſima vigeſimaquinta ad Damaſum.*

MAGNIFICASTI gentem, & non magnificaſti lætitiam, & cætera.] Qui locus hunc ſenſum habet: ſi fieri poteſt vt ſine Iudæorum interitu credat gentium multitudo, paſsionem *Iudæi excæcandi vt gentes videant.* recuſo. Sin autem illi excæcandi ſunt, vt omnes gentes videant, fiat pater voluntas tua. Cum ergo Chriſtus aduenerit, & Chriſtianorũ gens de vniuerſis gentib. fuerit cõgregata: tũc lætabũtur *Matt.9.* apoſtoli ſicut meſſores lætãtur in meſſe: de quib. *Mat.12.* Dñs loquebat: Meſsis quidẽ multa, operarij aũt pauci. Et ſicut exultant victores, qui captam diuidunt prædã. Cum enim foris captus fuerit, & ligatus omnis domus eius diripitur, & diuiduntur ſpolia. Tu autem Domine atque Saluator, iugum oneris (hoc eſt Diaboli, qui prius exultabat in mundo: qui cunctis gentibus imperabat: qui ſeruitutis iugo colla omnium deprimebat, *Diabolus per Chriſtum eſt deuictus.* & virgam (qua percutiebat vniuerſos, & peccata ſibi quaſi quoddam tributum reddere compellebat) detraxiſti de humeris eorum: & tibi liberatos ſeruire feciſti abſq; vllo exercitu, & abſque effuſione ſanguinis in abſcondita manũ: ſicut *Iud.7.* quondam ſub Gedeone populo Iſraëli de Madianitis victoriam præbuiſti. Quomodo enim veſtis, quæ humano ſanguine cruentata eſt, lauari non poteſt, ſed infecta ſanguine igne comburitur, vt maculæ cum veſtimento fœdi cruoris intereant: ſic diaboli violenta prædatio & tumultus ac turbæ, quibus humanum ſibi ſubiecerat, genus gehennæ ignibus deputatæ ſunt. 70. non omnes ſed partem quandam populi credidiſſe ſignificant: licet pro eo, quod illi dixerunt κατήκαγες ἐν ἐυφροσύνῃ, id eſt, deduxiſti in lætitia, alij interpretati ſunt, magnificaſti. Et cum in reliquis eundem ſenſum teneant: ſtolam congregatam dolo, & veſtimentum commutatum, cũ adijciũt: redditurum, id eſt, diabolum: quod ſcilicet omnes animas, quas Dei auxilio nudauerat, cum ornamentis priſtinis redditurus ſit: non ſolùm ipſe, ſed & ſatellites eius dæmones: quib. ſi optio detur, magis eligant perire flammis, quã prædam perdere: paruulus enim natus eſt nobis, &c.] Ideo Diabolus & omnis eius violenta prædatio, qua humanũ oppreſſerat genus, & ſanguinẽ ſanguini miſcuerat, erit in cõbuſtionem & cibos ignis æterni quia nat⁹ nobis de virgine puer, de quo ſupra dictum eſt: Antequã ſciat puer reprobare malum & eligere bonũ. Et poſtea in generatione prophetiſſæ: Antequam ſciat puer vo- *Eſa.7.* care patrẽ ſuum, & matrem ſuam. Iſte igitur puer qui nat⁹ eſt de virgine, appellatur Emmanuel, id eſt, nobiſcum Deus: & de prophetiſſa, hoc eſt, de ſancto generatus ſpiritu, nuncupatus eſt, accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari: nunc multis nominibus appellatur. Et licet ex eo quod ſupra dixerat. Emmanuel, id eſt, nobiſcum Deus: Deum eſſe monſtrauerit: tamen nunc dicit factum *Factus Chriſti principat⁹ ſuper humerum quomodo intelligendum.* illius principatum ſuper humerũ eius: vel quod crucem ſuam ipſe portauerit: vel per humerum oſtendens brachij fortitudinem: eodem Eſaia dicente: Reuelabit Dominus Deus brachium *Eſa.52.* ſanctum ſuum omnibus gentibus. Et rurſum; *Eſa.53.* Domine quis credidit auditui noſtro: & brachium Domini cui reuelatum eſt? *Tomo quarto libro tertio Commentariorum in caput octauum Eſaiæ.*

NON ſecundum viſionem & cætera.] Percuſſo impio, accinctus eſt Dominus iuſtitia & veritate, & fide Ipſe enim factus eſt nobis à Deo ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio: *Ioan.8.14.* qui & in Euangelio loquitur: Ego ſum lux, & *Pſal.84.* via & veritas. Et de quo in Pſalmis dicitur: Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit. *Tom.4. lib.4. Commentariorum in caput vndecimum Eſaiæ.*

*Heb.12.* ET cognoſcent AEgyptij Dominum & cæt.] Quæritur, ſi AEgyptijs ſaluator & propugnator eſt miſſus, qui liberet eos de anguſtijs, quomodo nunc dicatur; Percutiet Dominus AEgyptum plaga? Sed conſideremus quod ſequitur. Et ſanabit eam. Quem enim diligit Dominus, corripit. Et ipſe Saluator in ſexageſimo octauo *Rom.8.* Pſalmo loquitur ad patrem; Quoniam quem tu percuſsiſti, ipſi perſecuti ſunt: & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt. Si ergo proprio filio non pepercit, ſed tradidit eum pro nobis, vt illius liuore, & vulneribus ſanaremur: tradat Dominus & martyres paſsioni: ſed rurſum eos in reſurrectione ſanabit, vt illorum vulneribus credentium fides confirmetur. Vnde & ad Iob dicitur: Putas me tibi aliter locu- *Iob.40.* tum, niſi vt appareret iuſtus. Ipſe enim dolorem facit & reddit priſtinæ ſanitati: & viſitat ſeruos ſuos in virga, vt miſericordiam ſuam nõ auferat ab eis. Vnde & filiæ & nurus, quæ mul- *Ezech.16.* tum peccauerunt, & diuaricauerunt pedes ſuos omni tranſeunti, non viſitantur, neque cor- *Oſea.2.* ripiuntur, dicente Domino: Non viſitabo ſuper filias veſtras cum fuerint fornicatæ, & ſuper nurus veſtras cũm adulterauerint. Percutit ergo AEgyptios Dominus, non igne, non gladio, ſed virga. Quis enim filius eſt, quem non erudiat pater? vt poſtquam ſanati fuerint, reuertantur ad Dominum, & placetur eis, & rurſum ſanet eos: Semper enim indigemus *Semper Dei miſericordia indigemus.* miſericordia Dei, & nullus eſt finis eius clementiæ. *Tom. quarto libro ſeptimo Commentariorum in ca.19 Eſaiæ.*

EGREDIMINI de Babylone & cæt.] Perfecta fœlicitas non erit niſi ſub Chriſto, quod in vltimo tempore reſeruatur. Porrò qui & verius & rectius hæc referunt ad Saluatoris aduentũ, de quo dicitur: Annuntiare pauperibus miſit *Eſai.61.* me, prædicare captiuis remiſsionem: cohortationem eſſe intelligunt eorum, qui Euangelium annunciant ipſius Domini Saluatoris: vt e- *Luc.4.* grediamur de Babylone, id eſt, cõfuſione iſtius mundi, & fugiamus Chaldæos, de quibus crebro dictum eſt. Redemit enim Dominus ſeruum ſuum



ſuum Iacob precioſiſsimo ſanguine ſuo, & adduxit per deſertum ſæculi, & aquam ſcidit de pe- *1.Cor.10.* tra: Super qua & Apoſtolus loquitur: Petra autem erat Chriſtus. *Tom.4. lib.13 Comment. in cap.48. Eſaiæ.*

ATTENDITE ad me &c.] Ne forſitan putaremus longo poſt tempore quod promiſit eſſe *1.Cor.1.* venturum: infert, propè eſt iuſtus meus, ſiue iu- *Chriſtus eſt nobis factus omnia quib⁹ virtus nominibus appellatur.* ſtitia. Chriſtus enim à patre factus eſt nobis ſapientia & redemptio, ſanctitas ac iuſtitia, & omnia quibus virtus nominib appellatur. Pulchreque dicitur, iuſtitia proceſſura, vt nequaquam vna gens, ſed omnis ſaluetur orbis. *Tom.4. lib.14. Com. in cap.51 Eſaiæ.*

IPSE autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras &c] Nos putauimus eum virum dolorum. Siue iuxta 70. eſſe in dolore & percuſſum à Deo, & propria ſuſtinere peccata. Ille autem *Pſal.21.* vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, dicens in Pſalmo: foderunt manus meas, & pedes meos, vt ſuo vulnere, vulnera noſtra curaret: & attritus eſt ſiue infirmatus propter ſcelera noſtra, vt factus pro nobis maledictum, nos liberaret de maledicto. Maledictus enim omnis homo qui pendet in ligno: Vnde diſciplina pacis noſtræ ſuper eum eſt. Quod enim nos pro noſtris debebamus ſceleribus ſuſtinere, ille pro nobis *Epheſ.2.* paſſus eſt, pacificans per ſanguinem crucis ſuæ, ſiue quæ in terra, ſiue quæ in cælis ſunt. Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ, ſoluens inimicitiam in carne ſua, & liuore eius ſanati ſumus. Ex quo perſpicuum eſt, ſicut corpus flagellatum, atque laceratum, ſigna iniuriæ in vibicibus, ac liuore *Rom.3.* portabat, ita & animam verè doluiſſe pro nobis, ne ex parte veritas, & ex parte mendacium credatur in Chriſto: Omnes, inquit, quaſi oues errauimus, & indiguimus miſericordia Dei, di- *Pſal.118.* *Matt.18.* centes in Pſalmo: Errauì ſicut ouis perdita: quæ in Euangelij parabola, boni paſtoris, atque ſoliciti humeris reportata eſt. Quæ ſint autem iſtæ oues, ſequens verſus oſtendit. Homo in via ſua errauit, ſiue vnuſquiſque in viam ſuam declinauit: vt proprium ſequeretur errorem, & rectam viam deſerens, de crucifixo diuerſa ſentiret. Dominus autem poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrûm, ſiue tradidit eum pro peccatis noſtris: vt quod propter imbecillitatem virium ferre non poteramus, pro nobis ille portaret, qui oblatus eſt, quia ipſe voluit. Non enim neceſsitate crucem, ſed voluntate ſuſtinuit, dicens in Euan- *Matt.16.* gelio: Calicem quem mihi dedit pater, non bibam illum? Et ad Petrum, qui ſcandalizabatur ad crucis nomen, quia non nouit myſterium, & *Mar.14.* humano pauore trepidabat: Vade retrò me ſathana, ſcandalum es mihi, quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum. Alioquin ſi nõ propria voluntate eſſet oblatus, qui indicare & prædicere poterat proditorem, & Apoſtolis loque- *Ioan.18.* batur: Omnes vos in hac nocte in me ſcandalum ſuſtinebitis: Poterat eos, qui ad ſe miſsi fuerant, declinare, quibus occurrit intrepidus, & vltrò ſe *Ioan.19.* obtulit, dicens: Quem quæritis? Qui ſtatim ceciderunt retrorſum. Vocem enim præſentis Dei ferre non poterant. *Tomo quarto libro decimoquarto Com. in cap.53 Eſaiæ.*

SICVT ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus &c.] Hoc teſtimoniũ cũm in Actibus Apoſtolorum reginę Cãdacis Eunuchus reda veheretur, & leges non intelligeret, interpretante Philippo ſuper paſsione & nomine Saluatoris, intellexit, & ſtatim baptizat⁹ in agni ſanguine quẽ *1.Cor.5.* legebat, vir meruit appellari, & Apoſtolus genti AEthiopũ miſſus eſt. Qui oblat⁹ eſt Pilato, quia *Ioan.1.* ipſe voluit, & non reſpondit, vt patibulum pro *Apoc.5.* nobis damnatus aſcenderet. Ipſe ſicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tõ- *Hier.11.* dente obmutuit. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, quem Ioannes Baptiſta monſtrabat, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tol- *Heb.2.* lit peccata mundi. Qui & in Apocalypſi Ioannis Euangeliſtæ, agnus occiſus ſæpè memoratur. Qui de ſeipſo loquitur in Hieremia: Ego autem ſicut agnus innocens, & ductus ad victi- *Philip.2.* mam, neſciebam. Cum enim neſciret peccatum, *Exod 12.* pro nobis peccatum factus eſt. Et ſicut agnus cũ ducitur ad victimam non repugnat, ſic ille paſſus eſt voluntate: vt deſtrueret eum qui mortis habebat imperium, humilians ſe vſque ad mor- *Gal.3.* tem, mortem autem crucis. Hic agnus eſt, in cuius typo immolabatur agnus, cuius cruor linitus in poſtibus, exterminatorem fugabat AEgypti: qui non ſolum ſanguine ſuo nos redemit, ſed & lanis operuit, vt algentes infidelitate, ſuã veſte calefaceret, & audiremus Apoſtolum nobis loquentem: Quotquot in Chriſto baptizati *Pſal.67.* eſtis Chriſtum induiſtis. *Tom.4. lib.14 Com: in cap. 53 Eſaiæ.*

IDEO diſpertiam ei plurimos & cætera.] Pro- *1.Cor.9.* pterea accipiet gentes plurimas, qui venit captiuis prædicare remiſsionem, & captiuam prius à diabolo, atque dæmonibus duxit captiuitatem, & dedit eam dono hominibus, atque credẽtibus: quia tradidit in mortem ſuam animam, & *2.Pet.2.* cum ſceleratis ſiue iniquis reputatus eſt. Si enim Apoſtolus eius his, qui erant ſine lege, factus eſt quaſi ſine lege (cum non eſſet ſine lege, ſed eſſet in lege Chriſti) quare non & Chriſtus cum in- *Epheſ.2.* iquis reputatus ſit, vt iniquos redimeret à peccato, & omnibus omnia fieret, vt omnes ſaluos faceret? Peccata enim noſtra portauit in corpore *Col.2.* ſuo, ligno crucis affigens ea, vt deleret chirographum, quod diabolo & angelis illius feceramus, ſcriptum manibus animæ, id eſt, operibus eius. De quibus Paulus Apoſtolus loquitur. Et vos cum eſſetis mortui in peccatis, & in deſiderijs carnis, viuere fecit cum Chriſto, donans nobis omnia peccata. Et delens quod aduerſum nos erat chirographum, quod erat contrarium nobis: & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci, ſpo- *Epheſ.2.* lians principatus, & poteſtates dehoneſtauit con- *Ibidem.* fidenter triumphans de eis. *Tomo.4. lib:14 Com: in cap.53 Eſaiæ.*

PROPTER iniquitatem auaritię & cæt.] Paulus ſcribens ad Epheſios, & de populo circunciſionis, atque gentilium pleniſſimè diſputans, intulit: Nunc autem in Chriſto Ieſu, vos qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti. Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ, ſoluens inimicitiam in carne ſua, & reliqua. Et iterum: Et veniens, annuntiauit pacem vobis qui longè, & pacem his qui propè erant. Quoniam per ipſum habemus acceſſum vtrique in vno ſpiritu ad patrem, dans pacem ſuper pacẽ his, qui fuerant longè, & qui propè, id eſt, q non habuerant

legem & prophetas, & qui ante ſuſceperant, ſuſcepit eas, atque ſanauit. *Tom.4.lib.16 Com.in cap. 57 Eſaiæ.*

ME etenim de die in diem &cęt.] Chriſtus factus eſt nobis redẽptio, ſanctitas & iuſtitia. *Tom.4 lib.16 Com.in cap. 58 Eſaiæ.*

ECCE non eſt abbreuiata manus Domini & cætera.] Neque abbreuiata eſt manus mea, atque contracta, vt eam ad liberandum populum meum extendere nequeam: aut ſurdas aures habeo, vt exaudire non poſsim. Ex quo oſtenditur, aures Domini, quæ iuſtos audiunt & non audiunt peccatores, nequaquam eſſe noſtrarum aurium ſimiles: quæ emiſſam vocem ſiue iuſtitiæ, ſiue in iuſtitiæ, æqualiter audiunt: ſed peccata, inquit, veſtra, quaſi quidam in medio murus oppoſitus, vos & Deum diuidunt. Vnde & Saluator in paſſione ſua fecit vtrunque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitiam in ſua carne deſtruxit: vt quos paries diuiſerat peccatorum. Chriſti ſanguis coniungeret. Qui aperuit paradiſi ianuam, quæ multo tempore clauſa fuerat, & igneum gladium ſuo cruore reſtinxit: vt audiret latro: Hodie mecum eris in paradiſo. *Tom. quarto libro decimoſexto. Commentariorum in caput. 59. Eſaiæ.*

*Ephes.2.*

ET dixit: Veruntamen populus meus eſt. & cætera.] In omni tribulatione eorum ipſe eſt tribulatus: id eſt, Deus: vt non ſolum peccata, ſed & tribulationes noſtras ipſe portaret. Ipſe enim infirmitates noſtras portat, & pro nobis dolet. Porrò 70. poſuerunt aliud, quod in Hebræo nõ habetur, ὀυ πρεσβύσ, οὐδὲ ἄγγελοσ, ἀλλα ἀυτὸς ἔσωσεν ἀύτουσ, id eſt, non legatus, neque angelus, ſed ipſe ſaluauit eos, de quo in ſuo dicemus loco. Dixit igitur Deus qui iuſtus eſt iudex, domui Iſraël, & auſteritatem iuſtitiæ clementia mitigat iudicantis. Genui quidem filios, & exaltaui, & ipſi ſpreuerunt me. Veruntamen quia populus meus ſunt, & ſemel filij nominati: non peribunt in perpetuum. Si me ſpernere & negare deſierint, ſentient Saluatorem, qui in omni tribulatione eorum ipſe tribulatus eſt. Siue non eſt tribulatus: vt parumper eos deſereret, & nudatos auxilio ſuo cogeret ad rogandum. Vel certè nequaquam tribulauit eos, ſed è contrariò cæteris perſequentibus adiutor fuit: miſitque angelum ſuum, qui eos de periculo liberaret. Aut iuxta 70. non per angelos & prophetas & alios ſanctos viros ſaluare voluit populum ſuum: verum ipſe deſcendit ad oues perditas domus Iſraël: vt ouem morbidam ſuis humeris reportaret, & drachmam, quæ perierat inueniret; & luxurioſo filio reuertenti, lætus occurreret, propter quod ſponſa dicit in Cantico Canticorum: Oſculetur me oſculo oris ſui. Nequaquam per patriarchas, Moyſen & prophetas: ſed meum corpus aſſumat, in mea carne verſetur, verbum caro fiat, & ſic oſculetur me, habitans in me, vt ſit Emmanuel. Nequaquam igitur vt legatus, nec vt angelus, ſed ipſe ſaluabit eos: qui receperint ſalutem, non operum merito, ſed charitate Dei. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, nõ pereat, ſed habeat vitam æternam. *Tom.4.lib.17. Com.in cap.63. Eſaiæ.*

*Eſa.53. Luc.15. Cant.1. Ioan.3.*

ICCIRCO ecce ego oſtendam &cætera.] Manus Dei per quam cuncta operatus eſt, & virtus de qua dixit Apoſtolus. Chriſtus Dei virtus & Dei ſapientia, oſtenditur gentibus, filij paſſione completa. Pulchreque dixit: Oſtendam eis per vicem hanc; oſtendam autem manifeſtè, & non vt prius, in vmbra & imagine, & vaticinio futurorum vt poſtquam cognouerint, ſciant nomen meum: audiantque à filio: Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus. *Tomo quarto libro tertio Commentariorum. in capite. 16. Hieremiæ.*

*1.Cor.1.*

SANA me Domine &c.] Multi medici in Euangelio hæmorrouſam curauerant, quæ omnem ſubſtantiam ſuam perdiderat in eis, & tamen à nullo curari potuit, niſi ab eo qui verus eſt medicus: & cuius ſanitas in pennis eius. Vnde & nunc propheta à populo paſſus opprobria, & crebrò inſidijs circumuentus, ab eo curari & & ſaluus fieri cupit, cuius vera laus, veraque medicina eſt. *Tom.4.lib.3. Commentariorum. in cap.17 Hier.*

*Chriſtus eſt verus medicus. Ma.4.*

SVPER ducem, & cætera.] Qui tropologiam, & cœptam explanationem ſuper Saluatore conatur exponere, ducem, qui eſt in medio Hieruſalem, ipſum interpretatur, qui in portentum ſignumque præceſſerit, quod & ipſe & ſocij eius captiui iſtius mundi ſint & ab inferis victor aſcendens, in humeris portatus ſit angelorum: in caligine egreſſus, ignotus incredulis, deſtructo medio pariete, fecerit vtrumque vnum: facies illius operta, vt terram non reſpiciat Iudæorum. Nec mirum ſi Dominus cælauerit faciem ſuam: cum vſque hodie antè vultum Moyſi velamen poſitum ſit populo non credenti. Extenditque Dominus rete ſuum ſuper illum, iuxta id quod de eo ſponſa loquitur in Cantico Canticorum: Ecce iſte poſt parietem noſtrum, proſpiciens per feneſtras, apparens per retia. De quo & Hieremias: Spiritus vultus noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris. Et: Cum non feciſſet peccatum pro nobis peccatum factus eſt. Et adducetur, ait, in Babylonem, confuſionem iſtius mundi, in terram Chaldæorum, qui interpretantur, quaſi Dæmonia: vt eos qui Dæmonibus fuerant mancipati, retraheret ad ſalutem & captiuam duceret priſtinam captiuitatem. Ipſamque inquit, terram Chaldæorum non videbit, & ibi morietur, vt omnes nos ſua morte viuificet. Cunctos autem adiutores eius & ſocios, apoſtolos & apoſtolicos viros, diſperſit in vniuerſum orbem. Et euaginauit gladium poſt eos, vt varijs coronarentur martyrijs, & tunc intelligerent vel ipſi, vel hi, q per eos crediderant, quod ipſe ſit Dominus, & iccirco diſperſerit eos in gẽtibus, & diſſeminauerit in terras, vt multum fructum facerent. Et reliquit ex eis paucos viros: ſicut Iohannem Apoſtolum, & cęteros, à gladio & fame, & peſtilentia liberatos, & perſecutionum impetum declinantes: vt narrent ſcelera Iudæorum, & iniquitates cunctarum gentium, ad quas ingreſsi ſunt: vt acta pænitentia ſcirent, quod ipſe eſſet Dominus. *Tom.4.lib.3. Com: in cap. 12 Ezechielis.*

*Ephes.2. 2.Cor.3. Cant.2. Thr.4. 2.Cor.5. 1.Cor.1.*

ET vir ſi fuerit iuſtus &cætera.] Poſt iudicium ſequitur iuſtitia, quam qui habuerit Chriſtum liquidò poſsidebit, qui iuxta (Apoſtolum) factus eſt nobis iuſtitia, & ſanctificatio & redemptio: vt faciat iuſtitiam veram, nec perſonas reſpiciat in iudicio: ſed de ſua ſciat in aliorum iudicio iuſtitia iudicandum. *Tom.4.lib. 6 Com: in cap.18 Ezechielis.*



SEQVITVR: Et ſub frondibus eius genuerũt omnes beſtiæ ſaltuum: quæ Chriſti manſuetudinem perdiderunt: & ſub vmbraculo illius habitabat cœtus gentium plurimarum, vt nullus eſſet, qui non eius tegeretur vmbraculo: præter eum qui dixit: Ecce venit princeps mundi iſtius, & inueniet in me nihil. *Tomo quarto libro decimo Commentariorum in cap. trigeſimum primum Ezechielis.*

*Omnes teguntur Chriſti vmbraculo. Ioan.14.*

STABAT autem in porta &cætera.] Stabat autem in porta: quia per ipſum ad patrem ingredimur, & ſine ipſo ciuitatem Dei intrare nõ poſſumus: vt dignos ſuſcipiat, indignos abijciat. In porta quoq; iudicium eſt. Vnde & propheta dicit: Oderunt arguentes in porta. Et in alio loco: Non cõfundetur cum loquatur inimicis ſuis in porta. *Tom.4.lib.12. Commentario. in cap. 40. Ezechielis.*

*Amos.5. Pſal. 120.*

ET crepido quatuordecim cubitorum &c.] Illud latenter oſtendit, quod Dominus noſter qui verè propitiatorium dicitur, non ſolum pro peccatis noſtris, ſed pro omni mundo per quatuordecim generationes venerit ab Abraham vſque ad Dauid: & rurſum per alios quatuordecim vſque ad captiuitatem Iechoniæ, & eiuſdem numeri ſacramento ad terrena deſcenderit: vt in tertia τεσσαρακαιδεκάδι, & diuini numeri ſacramento ſaluaret quatuor angulos mundi, de quibus ſcriptum eſt: Multi ab Oriente, & Occidente, & ab Aquilone, & Meridie venient: & accubabunt cum Abraham, Iſaac & Iacob in regno cælorum. Quodque ſequitur, & corona, ſiue giſus, per circuitum eius, ſubauditur propitiatorij, habebat dimidium cubitum, & ſimus ipſius propitiatorij, ſiue conſũmatio atq; perfectio quam Symmachus interpretatus eſt περιδρομὴν, habebat vnum cubitum: illud ſignificat, quod & peccatores & iuſti, Domini propitiatione ſaluentur: dicente Apoſtolo Paulo: Reconciliati ſumus Deo in ſanguine filij eius. Et de peccatoribus dicitur, quod dimidij cubiti menſuram habeant per circuitum: qui tamen ſaluantur miſericordia creatoris, iuxta illud quod in Pſalmo ſcriptum eſt: Pro nihili ſaluos facies eos. De iuſtis, quod in vno ſaluentur, numero ſolitario atque perfecto, & imitentur vnam diuinitatem, dicente Apoſtolo eodem: Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi. *Tom.4. lib. 13 Com: in cap.43 Ezechielis.*

*Matt.1. Quatuor angulos mundi Chriſtus ſaluauit. Matth.8. Rom.5. Pſal.55. 2.Cor.5.*

MARE mortuum illud puto eſſe, de quo Zacharias loquitur: In die illa egredietur aqua viuens de Hieruſalem, & medium eius in mare primum. Daniel quoque in hæc verba conſentit. Videbam, & ecce quatuor venti cæli innitebantur in mari magno. Et Dauid: Mirabiles elationes maris. Et ex perſona Saluatoris in Pſalm. Veni in profundum maris, & tempeſtas demerſit me. Rex quoque AEgypti iuxta eundem Ezechielem draco appellatur, qui habitat in mari, & ventilat fluminibus quaſi cornibus ſuis. Et iterũ: Hoc mare magnum & ſpatioſum. Quod quamdiu non ſuſceperit in ſe aquas fluminis ſiue torrentis, omne quod in ſe habet, mortificat: ſed Dominus de quo dictũ eſt. Percutiet & curabit poſt duos dies in die tertio ſurgemus, & veniemus in cõſpectu eius: ipſe loquitur in eodẽ Propheta Oſee: Ego colligaui Ephraim: ſuſcepi eũ in brachio meo, & non cognouerunt, quia ſanaui eos in corruptione hominis: qui vulneratus eſt propter peccata noſtra, & infirmatus pro iniquitatibus noſtris: Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Ipſe iſtud mare quod eſt ſalſiſsimum, & nimia amaritudine mortuum, ſua morte ſanauit: qui dicit per Eſaiam Prophetam: Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me: ſanare eos qui contriti ſunt corde. Vnde & per Hieremiam clamitat: Conuertimini filij conuertentes, & ſanabo contritiones veſtras. Dixit enim populus impatiens, & dolorem vulnerum ſuorum diutius ferre non ſuſtinens: Tranſiuit æſtas, pertranſijt meſsis, & nos ſaluati non ſumus. Vnde reſpondet ei Dominus: Nunquid reſina non eſt in Galaad: aut medici non ſunt ibi? Quare non aſcendit ſanatio filiæ populi mei? Et ipſe Hieremias vociferatur & dicit: Sana me Domine & ſanabor: ſaluum me fac, & ſaluus ero. Denique angeli, qui præſides erant populi Iudæorum: eo tempore quando clamauit multitudo inſipiens & ait: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Et Velum templi ſciſſum eſt, & omnia Hebræorum ſacramenta reſerata: reſponderunt præcipienti Domino atque dixerunt: Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata: relinquamus eam, vrbem videlicet confuſionis atque vitiorũ. Vnde & Ioſephus in ſua narrat hiſtoria, quod poſtq̃ Dñs crucifix' eſt, & velũ templi ſciſſum eſt ſiue liminare templi fractum corruit: audita ſit vox in adytis templi virtutũ cæleſtium, tranſeamus ex his ſedibus. Hoc totum non ſuperfluò, ſed neceſſariò dictum ſit: quia mare mortuum, influente in ſe flumine Domini, dicitur eſſe curatum. *Tom. quarto libro decimoquarto Commentarior. in cap. 47. Ezechielis.*

*Zach.14. Dan.7. Pſal.92. Pſal.68. Ezech.32. Pſal.103. Oſe 6. Eſa.61. Hier.3. Hier.8. Hier.17. Matt.27. Hier.51.*

ET audiui vocem viri & cætera.] Conſequenter, quia viſio de prælijs erat, regumque certaminibus, imò regnorum ſucceſsionibus, Gabriel, qui præpoſitus eſt prælijs, huic officio mancipatur, Gabriel enim in linguam noſtram vertitur fortitudo, vel robuſtus Dei. Vnde & eo tempore, quo erat Dominus naſciturus, & indicturus bellum Dæmonibus, & triumphaturus de mundo, Gabriel venit ad Zachariam, & ad Mariam: Et poſteà in Pſalmis legimus de Domino triumphante: Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus fortis in prælio, ipſe eſt rex gloriæ. Vbicunque autem medicina & ſanatio neceſſaria eſt, Raphael mittitur, qui interpretatur curatio vel medicina Dei, hoc videlicet nominis interpretatione ſignificante, quod in Deo ſit medicina vera. (Si cui tamen placet Thobiæ librum recipere) Porrò vbi populo proſpera promittuntur, & ἱλασμόσ (quod nos vel propitiationem, vel expiationem poſſumus dicere) neceſſaria eſt, Michael dirigitur, qui interpretatur, Quis ſicut Deus? vt ſcilicet intelligatur, quia propitiationem, vel expiationem nullus poſsit offerre niſi Deus. *Tomo quarto libro primo Commentar. in cap.8. Danielis.*

*Luc.1. Pſal 23. In Deo vera medicina. Tob.5.*

DIXI ego in corde meo &c.] Hoc dicit, non q̃ ani-

animam putet perire cum corpore, vel vnum beſtijs & hominũ præparari locum: ſed quod ante aduentum Chriſti omnia ad inferos pariter ducerentur. Vnde & Iacob ad inferos pariter deſcenſurum ſe dicit. Et Iob pios & impios in inferno queritur retentari. Et Euangelium: Chaos magnum interpoſitum apud inferos, & Abrahã cum Lazaro, & diuitem in ſupplicijs eſſe teſtatur. Et reuera antequam flammeam illam rotam & igneam rompheam ad paradiſi fores Chriſtus cum latrone reſeraret, clauſa erant cęleſtia, & ſpiritus pecoris hominiſque æqualis vilitas coarctabat. Et licet aliud videretur diſſolui, aliud reſeruari: tamen nõ multum intererat perire cum corpore, vel inferni tenebris detineri. *Tom. 5. Com. in cap. 3. Eccleſiaſtis.*

*Gen 37. Iob. 7. Luc. 16.*

*Ante Chriſti paßionem cælum fuit clauſum.*

ET conuerſus ſum ego, & vidi &c.] Quidam hunc locum ab eo quod ait: Eſt vnus & non eſt ſecundus: ſuper Saluatore interpretantur, quòd ſolus abſque vllo comite ad ſaluandum mundum deſcenderit. Et quanquam multi filij Dei ſunt, & fratres eius adoptione dicantur: tamen nullus dignus extitit, qui in hoc ei opere iungeretur: Cuius laboris non eſt finis, portans noſtra vitia atque peccata, & pro nobis dolet. Et oculus eius non ſatiatur diuitijs, ſemper noſtram cupiens ſalutem, & quantò plus peccare quem viderit, tantò magis ad pœnitentiam cohortans. *Tomo quinto. Commentariorum in caput quartũ Eccleſiaſtis.*

*Chriſtus ſolus abſque vllo comite ad ſaluandũ mundum deſcendit.*

SAPIENTIA confortabit ſapientem &c.] Decem, qui poteſtatem habent, & in vrbe conſiſtunt, angeli ſunt; qui ad perfectum numerum peruenere, denarium: & auxiliantur humano generi. Sed ſi quis conſideret omnia auxilia, maius eſt auxilium ſapientiæ, id eſt, Domini noſtri Ieſu Chriſti. Poſtquam enim dixerunt angeli: Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata, relinquamus eam, & abeat vnuſquiſque in terram ſuam: tunc magiſter medicorum ipſe deſcendit, & reſperſos nos ſanguine, & peccatorum madentes cruore (qui omnem ſubſtantiam noſtram expẽderamus in medicos) tactu fimbriæ ſuæ ſanauit. Sanauit autem in ciuitate, hoc eſt in mundo iſto, & confortabit ſapientem, ſiue (vt 70. tranſtulerunt) adiuuabit. Omni enim qui habet, dabitur ei & adijcietur. Quia autem indiguit homo prorſus in peccatis, & infixus in limo profundi peccati, maiore auxilio, iccirco venit ipſa ſapientia. *Tom. 5. Com. in cap. 7. Eccleſiaſtis.*

*Magiſter medicorum Chriſtus deſcendit vt nos ſanaret. Hier. 51.*

*Luc. 19.*

OMNIA quæ inuenit manus &c.] Quod ait: In inferno quo tu vadis illuc. Nota vt Samuelem quoque verè in inferno credas fuiſſe: & ante aduentum Chriſti, quamuis ſanctos, omnes inferni lege detentos. Porrò quod ſancti poſt reſurrectionem Domini nequaquam teneantur in inferno: teſtatur Apoſtolus dicens: Melius eſt diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Qui autem cum Chriſto eſt, vtique non tenetur in inferno. *Tomo. 5. Com. in cap. 9. Eccleſiaſtis.*

*Ante aduentum Chriſti oẽs quamuis ſancti inferni lege detinebantur. Philip. 2.*

DE manu mortis liberabo eos &c.] Liberauit omnes Dominus, & redemit in paſsione crucis, & effuſione ſanguinis ſui: quando anima eius deſcendit in infernum, & caro eius non vidit corruptionem, & ad ipſam mortem atque infernum locutus eſt: Ero mors tua ô mors. Iccircò enim mortuus ſum, vt tu mea morte moriaris. Ero morſus tuus inferne, qui omnes tuis faucibus deuorabas. Videnſque mortis duram neceſsitatem (eò quod nullus ſit hominum qui viuat, & non videat mortem) clementiſsimus pater ſententiæ recordatur antiquæ: quia in Adam omnes morimur. *Tomo 5. Commentariorum in caput 13. Eccleſiaſtis.*

*1. Cor. 15.*

QVI conuertitis in abſynthium &c.] Quod ſequitur: Et iuſtitiam in terra poſuit: iuxta illud debemus accipere, quod dederit nobis Chriſtum iuſtitiam ſuam: & non proiecerit eam, ſed depoſuerit in terram: vt omni inquitate ſuperata, nos de terrenis cæleſtes faceret. Ego puto ex hoc loco etiam gentilem Poëtam furatum fuiſſe: qui de ruſticorum ſimplicitate, & beatitudine ediſſerens intulit: ——Extrema per illos Iuſtitia excedens terris veſtigia fixit. *Tomo. 5. Com. lib. 2. in cap. 5. Amos.*

NVNQVID non vt filij AEthiopum vos eſtis &cæt.] Omnis qui eſt Iſrael, & prius Deum mente conſpiciens, eductus eſt de Aegypto, ſi deſiderans vitia AEgypti & ſæculi voluptates, non ſolum in AEgyptum, ſed in AEthiopiam reuertatur (in qua qui fuerit, iuxta Hieremiam, pellem ſuam mutare non poteſt) Chriſti ſaluatur aduentu, & impletur in eo quod ſcriptum eſt: AEthiopia præueniet manus eius Deo. Cumque eum adorauerit, dicetur de illo: In conſpectu eius procident AEthiopes. Qui cum prociderint, & trans flumina AEthiopiæ inde detulerint victimas Domino, dicere poterunt. Nigra ſum & ſpecioſa, quoniam decolorauit me ſol. Corpora enim vmbris, otioque marcentia, tentationes & æſtus ſæculi ferre non poſſunt, quæ autem ad luctam & certamina præparantur, ſole ſiccata, ſuperant mundi iniurias, & benedictionem ſancti ſpiritus conſequuntur, dicentis ad iuſtum. Per diem ſol non vret te, neque luna per noctem. Aethiopes ergo vertuntur in filios Dei, ſi egerint pœnitentiam, & filij Dei tranſeunt in AEthiopes, ſi in profundum venerint peccatorum. Ipſe enim creator omniũ Deꝰ Cappadoces vertit in Palæſtinos, & eos qui verſabantur in fidei frigore, & Aquiloni vento duriſsio ſubiacebant, fecit bibentes cadere, & depoſita ſuperbia, Domini ſentire iudicium. Syros quoque, id eſt, excelſos atque ſublimes, quæ dicuntur Aram, tranſtulit de Cyrene, infirmo pariete, ſiue quæ imminebat amariſsimo mari, & vicina Syrtibus erat, & iuxta 70. in fouea tenebatur, mutauit in bonam partem, vt excelſos faceret. Oculi enim Domini ſuper omnia ſunt regna peccantia, quæ oſtendit Diabolus Domino, & de quibus Apoſtolus dicit. Non regnet peccatum in mortali veſtro corpore, ad obediendum deſiderijs eius. Veruntamen cum in virga viſitet peccatores, & cõterat eos atque percutiat, qui permanſerint in peccato: eas animas quæ appellantur domus Iacob, & ſupplantant peccatum, & in certamine ſuperant, & plantam cruenti fratris inuadunt, in æternum perire non patitur. *Tom. 5. lib. 3. Com. in cap. 9 Amos.*

*Hier. 13.*

*Omnes Chriſti ſaluantur aduentu.*

*Pſal. 67.*

*Pſal. 71.*

*Cant. 1.*

*Pſal. 120.*

*Per pœnitẽtiam Aethiopes vertuntur in filios Dei.*

*Matt. 4.*

*Rom. 6.*

ET factum eſt verbum Domini ad Ionam &c. Iuxta tropologiam Dominus noſter, Ionas: hoc eſt, columba ſiue dolens (vtrumque enim interpretatur: vel quia ſpiritus ſanctus in ſpecie columbæ deſcendit, & manſit in eo: vel quia noſtris doluit ipſe vulneribus & fleuit ſuper Hieruſalem: Et liuore eius ſanati ſumus: Verè filius veritatis: Deus quippè veritas eſt) mittitur ad Niniuen pulchram, id eſt, mundum; quo nihil pulchriùs oculis carneis aſpicimus. Vnde & apud Græcos κόσμος ab ornatu nomen accepit: conſummatiſq; operibus ſingulis, de eo dicitur: Vidit Deus quia bonum eſt: Ad Niniuen, inquam, ciuitatem magnam: vt quia Iſraël audire contempſit, totus gentium mundus exaudiat: Et hoc propterea: quia aſcẽderit malitia eius coram Deo. *Tom. 5. Com. in cap. 1. Ionæ.*



*Eſa. 53.*

*Gen. 1.*

ET deſcendit in Ioppen, &c.] Dominus noſter in extremo Iudææ littore (quod quia in Iudæa erat, appellabatur pulcherrimum, non vult tollere panem filiorum, & dare eum canibus. Sed quia venerat ad oues perditas domus Iſrael: dat vectoribus pretium, vt qui primum ſuum vult ſaluare populum, ſaluet accolas maris, & inter turbines ac tempeſtates, id eſt, paſsionem ſuam crucíſque conuicia ſubmerſus in inferno, ſaluet eos quos quaſi in naui dormiens negligebat. *To. 5. Com. in cap. 1. Ionæ.*

*Matth. 15.*

ET remigabat, &c.] Quod dicit, remigabant viri, & reuerterentur ad aridam, putabant abſq; ſacramento eius, qui paſſurus erat, poſſe nauem de periculo liberari, cum Ionæ ſubmerſio, nauis fuerit releuatio. *Tom. 5. Com. in cap. 1. Ionæ.*

*Ionæ ſubmerſio fuit nauis releuatio.*

ET timuerunt viri timore magno, &c.] Ionas in mari fugitiuus, naufragus, mortuus, ſaluat nauiculam fluctuãtem, ſaluat Ethnicos in diuerſas prius ſententias mundi errore iactatos. Et Oſee, Amos, Eſaias, Ioel, qui eodem tempore prophetabant, populum in Iudæa nequeunt emendare. Ex quo oſtenditur ſedari non poſſe naufragium, niſi morte fugitiui. *Tom. 5. Com. in ca. 1. Ionæ.*

*Naufragium ſedari non poteſt niſi morte fugitiui.*

OMNES gurgites tui, &cætera] Quærimus quomodo omnes eleuationes, & gurgites & fluctus Dei ſuper Saluatorem tranſierint. Tentatio eſt vita hominum ſuper terram, ſiue vt in Hebraico habetur, militia, quia hic militamus, vt alibi coronemur. Nulluſq; eſt hominum qui cunctas ſuſtinere queat tentationes, abſq; eo qui tentatus eſt in omnibus iuxta noſtram ſimilitudinem ſine peccato. Vnde & ad Corinthios dicitur. Tentatio vos non apprehendat, niſi humana: fidelis autem Deus, qui non dimittet vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione exitum, vt poſsitis ſuſtinere. Et quoniam omnes perſecutiones & vniuerſa quę accidunt, abſque Dei non ingruunt voluntate. Iccirco Dei gurgites dicuntur & fluctus: qui non oppreſſerunt Ieſum, ſed tranſierunt per eum, minantes tantum naufragium, non inferentes. Vniuerſæ ergo perſecutiones, & turbines quibus genus vexabatur humanum, & cunctæ nauiculæ frangebãtur ſuper meum deuenere caput. Ego ſuſtinui tempeſtates, & fregi turbines ſæuientes: vt cęteri ſecuriùs nauigarent. *Tom. 5. Commentario. in cap. 2. Ionæ.*

*Iob. 7.*

*Hebr. 4. 1. Cor. 10.*

*Perſecutiões & tentationes Dei gurgites dicũtur qui nõ oppreſſerunt, ſed tranſierunt Ieſum.*

CVM anguſtiaretur in me anima mea & cæt.] Cùm nullum aliud ſperarem auxilium, recordatio Domini mihi ſaluti fuit: iuxta illud: Recordatus ſum Domini, & lætatus ſum. Et in alio loco: Recordatus ſum dierum antiquorum, & annos æternos in mente habui: Ego cùm deſperarem ſalutem, & carnis fragilitas in medio ventre ceti nihil me de vita ſperare permitteret: quicquid impoſsibile videbatur, Domini recordatione ſuperatum eſt: Videbam me clauſum in vtero ceti, & tota ſpes mea Dominus erat. Ex quibus diſcimus iuxta 70. eo tempore quo deficit anima noſtra, & à corporis compage diuellitur: nõ debere aliò cogitationem vertere, niſi ad eum, qui in corpore & extra corpus eſt, noſter Dominus. *Tom. 5. Com. in cap. 2. Ionæ.*

*Pſal. 76.*

*In morte ad ſolum Dominũ debemus cogitationẽ vertere.*

QVI cuſtodiunt vanitates fruſtrà, miſericordiam ſuam derelinquunt &c.] Deus natura miſericors eſt, & paratus vt ſaluet clementia, quos non poteſt ſaluare iuſtitia: nos autem vitio noſtro paratam miſericordiam, & vltrò ſe offerentem perdimus & relinquimus. Et non dixit, qui faciunt vanitates: Vanitas quippe vanitatum, & omnia vanitas: ne damnare videretur vniuerſos, & cuncto generi humano miſericordiam denegare: ſed qui cuſtodiunt vanitates ſiue mendacium, qui tranſierunt in affectum cordis, qui non ſolùm faciunt, ſed ita cuſtodiunt vanitates, quaſi diligant, & theſaurum inueniſſe ſe putent. Simulq; cerne magnanimitatem Prophetę: in profundo maris, in ventre tantę beſtiæ æterna nocte coopertus, non cogitat de periculo ſuo, ſed de natura rerum, generali ſententia philoſophatur, Miſericordiam inquit ſuam derelinquunt. Licet offenſa ſit miſericordia, quam nos poſſumus ipſum intelligere Deum (Miſericors enim & miſerator Dominus, patiens & multę miſerationis) tamen eos, qui cuſtodiunt vanitates, non relinquit, non deteſtatur, ſed expectat vt redeant: Illi verò ſtantem miſericordiam & vltrò ſe offerentem ſponte propria derelinquunt. *Tom. 5. Com. in cap. 2. Ionæ.*

*Deus ſaluat clementia quos non poteſt ſaluare iuſtitia.*

*Pſal. 144.*

ET dixit Dominus piſci & cæt.] Præcipitur huic magno cœto, & abyſsis & inferno: vt terris reſtituant Saluatorem, & qui mortuus fuerat, vt liberaret eos, qui mortis vinculis tenebantur, ſecum plurimos educat ad vitã. Quod autem ſcribitur euomuit, ἐμφατικώτερον debemus accipere: quod ex imis vitalibus mortis, victrix vita proceſſerit. *Tom. 5. Com. in cap. 2. Ionæ.*

*Ex imis vitalibus mortis victrix vita proceßit.*

OBSECRO Domine, nonne iſti &c.] Quia oratio eius, dum ſe dicit iuſtè fugere voluiſſe, quodammodò iniuſtitiæ arguit Dominum, querelas ſuas obſecrationis exordio temperat. Nunquid ait, non hoc eſt verbum meum, cùm adhuc eſſem in terra mea? ſciui te hoc eſſe facturum: nõ ignorabam miſericordem: propterea ſeuerum & truculentum nunciare nolebam: ideò fugere volui in Tharſis, vacare contemplationi rerum, & in mari iſtius ſæculi quiete potius & otio perfrui: Dimiſi domum meam, reliqui hæreditatẽ meam: egreſſus ſum de ſinu tuo, & veni. Si miſericordem dicerem atque clementem, & ignoſcẽtem malitiæ, nullus ageret pęnitentiam: ſi crudelem, & tantùm iudicem nunciarem, ſciebam hoc tuæ non eſſe naturæ. In hoc ergò ambiguo poſitus, malui fugere potius, quàm aut pœnitentes lenitate decipere, aut de te prædicare quod non eras. Tolle igitur Domine animam meam: In manus enim tuas commendo ſpiritum meum: melior quippe mihi eſt mors quàm vita. Viuens vnam Iſrael gentem ſaluare non potui: moriar & mundus ſaluabitur. *Tomo quinto Comment. in caput quartum Ionæ.*

*Hier. 12.*

*Crudelitas abhorret à Dei natura.*

*Luc. 23.*

VBI eſt habitaculum leonum &c.] Catulus leonis, Antichriſtus & (omnes doctrinæ peruerſæ) ſermo contrarius. Audiſtis (inquit Ioannes)

*1. Ioan. 1.*

quia Antichriſtus veniet, nunc autem Antichriſti multi ſunt: tot enim Antichriſti ſunt, quot dogmata falſa. Et ante aduentum Chriſti non fuit, qui exterreret: Sed poſtquam Dominus noſter venit in mundum, & Niniuen ingreſſus eſt, vidit quaſi fulgur Sathanam de cœlo cadentem: Et cecidit de cœlo lucifer qui mane oriebatur, Venit enim verus Sampſon ad Allophylos, & dum pergit in Thamnas (quod interpretatur conſummatio eius: vt pauperculam de gentibus duceret Dalilã) interfecit leonem, cui venerat conſummatio, & illo mortuo commedit mella dulcedinis. Sed & verus Dauid ſeruans oues patris ſui apprehendit leonem, & interfecit eum: & Baneas (qui interpretatur ædificator Dominus) deſcendit in lacum ſæculi iſtius, qui calentes aquas refrigeraſſe cõſueuit, & interfecit leonem. Et in viſione Iſaiæ, quæ aduerſum quadrupedes cernitur: primum de anguſtia harum dicitur beſtiarum: In tribulatione de auguſtia leo & catulus leonis. Iſte leo antequã interficeretur à Chriſto, plurimos cæpit in prædam catulorum ſuorum, & necauit leunculis ſuis, ſatellitibus ſuis, videlicet dæmonijs. *Tomo quinto Commentariorum in cap. 2. Nahum.*

*Quot dogmata falſa tot ſunt Antichriſti. Luc. 10. Eſa. 4. Iud. 14. 1. Reg. 17. 1. Par. 11. Eſa. 30.*

ECCE ego ad te, dicit Dominus & cæt.] Hæc omnia ſub metaphora mulieris narrantur adulteræ: quæ cum fuerit deprehenſa, producitur in medium, & ante oculos omnium depompatur. Quod quidem per tranſlationem etiam ſuper Hieruſalẽ pleniſsimè in Ezechiele prophetalis ſermo deſcribit. Verius tamen & vtilius dicuntur ad mundum: ad quem ſecandum pariter & curandum, verus medicus venit è cœlo. Ecce ego ad te dicit Dominus omnipotens: quia omnipotens ſum poſſum vniuerſos, ſanare morbos & ꝙ eſt alijs impoſsibile, mihi poſsibile eſt. *To. quinto comment. in cap. 3. Nahumo.*

*Ezech. 16. Ad mundũ curandũ verus medicus venit è cœlo.*

ECCE ego ſuſcitabo Chaldæos &c.] Lupi Arabiæ, id eſt, veſperæ & occidentis directè vocantur quibus conuerſatio peſsima occubuit, & ante in caligine conſtituti, toto gradu veſperam dereliquunt: quam cum reliquerint & volauerint prompti vt comedant carnes verbi Dei, tũc conſummatio veniet in impios, id eſt, in Chaldæos, qui reſiſtebant vultibus pœnitentiũ, ne reuerterentur ad Dominum ſuum. Quamobrem conſummatio in impios veniet, reſiſtens vultib. eorum ex aduerſo. Cum autem illi fuerint conſũmati, & de manibus eorum erepta captiuitas, tunc ſermo diuinus congregabit quaſi arenam Chaldaicæ captiuitatis, & delectabitur in regibus, & tyranni ludicra eius erunt: videns potentiſsimum quondam Diabolum, & regna eius (quæ Saluatori quoq; oſtendens ait: Hæc omnia dabo tibi, ſi procidens adoraueris me) eius aduentu eſſe deſtructa. *To. 5. lib. 2. Commentariorum in cap. 7. Nahum.*

*Regna diaboli Chriſti aduentu deſtruuntur. Matth. 4.*

STETIT & menſus eſt terram & cætera] Ante aduentum Saluatoris erecta ceruice gradiebantur, & ſuperbiam eorum humiliare nemo poterat. Contriti autem ſunt & incuruati ab itineribus æternitatis eius, id eſt, Dei: quia æternitas illius ad nos venire dignata eſt: ſiue quod ſemper à principio mundi vſque ad incarnationem ſuam venerit ad ſanctos, & factus ſit in ſingulorum manu ſermo Dei, atque in vniuerſis vincentibus ipſe ſuperarit, & æternum eius iter incuruauerit, colles monteſque contriuerit. Hęc per metaphoram iuxta hæbraicũ dicta ſint: Porrò ſecundum 70. poſtquam faciem Dei ſermo præceſſerit, & egreſſus fuerit in plana: Deus pater venit illuc, vbi ei ad ſermonem ſuum regio præparata eſt, & venit poſt pedes ſermonis ſui, & ſtat: nunquam ante præcedens, ſed ſemper expectans, vt ille ſibi muniat viam, vbi autem ſteterit iuxta pedes ſermonis ſui, ibi terra, opera carnis & corporum, non valentia ſuſtinere Dei præſentiam, commouentur: Cunque commota fuerint, virtus ſermonis & præſentia Dei reſpicit cunctas animarum gentes: quas cogitationes multiplices, & diuerſas ſententias poſſumus intelligere, quæ illico diſſoluuntur ac tabeſcunt: Si quid etiam aduerſum ſcientiam Dei ſe exaltauerit in terra, & ſenſum occupauerat audientis: hoc præcedente ſermone & aduentu Dei, cõfringitur atq; conteritur. Montibus autem confractis, contritiſque ad aſpectum Dei colles liquidò conſumentur, & redigentur ad nihilum. Non enim ſunt montes Dei, ſed montes ſæculi. Sempiternum enim iter Dei reſpiciens ad quæ ſuus ſermo præcedit, & ea in collibus ſæculi conſumet & deſtruet eos. Poſſunt autem montes & dæmones intelligi, qui verſantur in hæreticis, & eleuant ſe contra ſcientiam Dei: colles quoq; aliæ demonum fortitudines, quæ faciunt homines corporum pulchritudinem, dignitates, diuitias, nobilitatem generis, cœteraq; mundi bona admirari. Licet videre poſt aduentum ſermonis Dei, & Dei præſentiam quomodo humanæ animæ commoueantur & omne quod terrenum eſt diſſoluatur, & cogitationes priſtinæ redigantur ad nihilum. Tunc deſtruuntur dæmones, tunc ſæculi altitudines ad nihilum deducuntur, & omnis hæreticorum ſcientia, quæ primum tumebat ad Dei ſermonis aduentum humiliatur, & conteritur, atque conſumitur. Et quod prius pulchrum & maximum videbatur, quaſi deſpectũ abijcitur & paruum. Et hoc fit propter aduentum Dei, & hoſpitium Chriſti: iuxta quod alibi ſcriptum eſt: Inhabitabo in eis, & inambulabo, & ero Deus eorum, & ipſi erunt mihi populus, *Tomo quinto libro ſecundo Commentariorum in cap. 3. Habacuc.*

*Dæmonum fortitudines faciunt homines externa bona admirari. Leuit. 26.*

AD zorobabel filium Salathiel &c. Quomodo Ieſus filius Naue (qui & ipſe in typo Saluatoris fuit) de ſolitudine populum in terram repromiſsionis induxit: Sic & iſte propterea ortus in Babylone ſit, vt eos qui erant in Babylone, reduceret in terram repromiſsionis, de qua captiui abducti fuerant, & his qui erant in vinculis diceret: Exite: & qui ſedebant in tenebris, illuminamini. *Tomo quinto Commentariorum in cap. 1. Aggiæ.*

*Eſa. 49.*

ET leuaui oculos meos & cætera] Eleuatione oculorum opus eſt, & intelligentia ſpirituali: vt videamus contrarias fortitudines, quæ contra nos eleuauerunt cornu ſuum, & de quibus Apoſtolus loquitur: Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem: ſed aduerſum principatus, aduerſum poteſtates, aduerſum mundi rectores tenebrarum iſtarum, aduerſum ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. Hos quatuor aduerſarios, qui contra ſanctos ſemper dimicabant, Chriſtus oppreſsit aduenięs. Et de his Pſalmiſta

*Eph. 6. Quatuor aduerſarios cõtra ſanctos dimicantis Chriſtus oppreſsit.*





congeminat: Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. *Tomo quinto libro primo Commentariorum in caput primum Zabariæ.*

*2. Cor. 5.*

ET induerunt eum veſtibus & cæt.] Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis: qui cum non feciſſet peccatum, pro nobis peccatum factus eſt: & ipſe infirmitates noſtras portat, & pro nobis dolet, & nos reputauimus eum eſſe in dolore, & in anguſtia. Ipſe verò vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & infirmatus eſt propter peccata noſtra. Et in Apoſtolo legimus: Chriſtus redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Hic in viceſimo primo Pſalmo loquitur: Longè à ſalute mea verba delictorum meorum. Et in ſexageſimo octauo Pſalmo: Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita. Quæ vniuerſa appellantur ſordida veſtimenta, & auferentur ab eo cum noſtra peccata deleuerit: vt quia ille ſordidis indutus eſt veſtibus, nos reſurgentes in eo audiamus poſt baptiſma: Candida ſint ſemper veſtimenta tua: credentiumque omnis Eccleſia audit per Eſaiam: Lauamini, mundi eſtote. Et de ipſa prophetatur in Cantico canticorum: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata? *Tom. 5. lib. 1. Com. in cap. 3. Zachariæ.*

*Gal. 3. Baptizati candidis veſtibus induebantur. Eccleſ. 9. Eſa. 1. Cant. 3.*

IVDAS autem genuit Phares &c.] Notandum in genealogia Saluatoris nullam ſanctarum aſſumi mulierum, ſed eas quas ſcriptura reprehendit: vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens omnium peccata deleret. Vnde & in conſequentibus, Ruth Moabitis ponitur, & Bethſabee vxor Vriæ. *Tom. ſexto Commentariorum in cap. 1. Matthæi, lib. 1.*

*Chriſtus omnia peccata delet omniũ.*

IPSE verò dormiebat &c.] Huius ſigni typum in Iona legimus: quando cæteris periclitantibus, ipſe ſecurus eſt, & dormit, & ſuſcitatur, & imperio ac ſacramento paſsionis ſuæ liberat ſuſcitantes. *Tomo ſexto libro primo Commentariorum in cap 8. Matthæi.*

*Ionæ. 1. Ionas verus Chriſtus eſt, qui paſsionis ſuæ ſacramẽto liberat ſuſcitantes.*

ESTOTE ergo prudentes &c.] Vt per prudentiam deuitent inſidias, per ſimplicitatem non faciant malũ. Serpentis aſtutia ponitur in exemplum, quia toto corpore occultat caput: & illud in quo vita eſt, protegit. Ita & nos toto periculo corporis caput noſtrum, qui Chriſtus eſt, cuſtodiamꝰ. Simplicitas columbarum ex Spiritus ſancti ſpecie demonſtratur. Vnde dicit & Apoſtolus. Malitia paruuli eſtote. *Tom. 6. lib. 2. Comment. in cap. 10. Matthæi.*

*Inſtar ſerpẽtis caput, id eſt Chriſtus cuſtodiendus. 1. Cor. 14.*

ITERVM ſimile eſt regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas &c.] Vnum eſt pretioſiſsimum margaritum, ſcientia ſaluatoris & ſacramentum paſſionis illius, & reſurrectionis arcanum. Quod cum inuenerit homo negotiator, ſimilis Apoſtoli Pauli, omnia legis prophetarumque myſteria & obſeruationes priſtinas, in quibus inculpatè vixerat quaſi purgamenta contemnit, & quiſquilias, vt Chriſtum lucrifaciat. *Tomo 6. lib. 2. Comment. in caput 13. Matthæi.*

*Margarita precioſa ſciẽtia ſaluatoris*

TVNC præcepit diſcipulis ſuis &c.] Chriſtus commune dignitatis eſt nomen: Ieſus proprium vocabulum Saluatoris. *Tom. ſexto libro tertio Com. in cap. 16. Matthæi.*

QVID vobis videtur? ſi fuerint alicui centũ oues &c.] Conſequenter ad clementiam prouocat, qui præmiſerat, dicens: Videte, ne contemnatis vnum ex puſillis iſtis, & ſubiungit parabolam nonaginta nouem ouium in montib. relictarum, & vnius errantis: quam paſtor bonus, quia propter nimiam infirmitatem ambulare nõ poterat, humeris ſuis ad reliquum gregem reportauit. Quidam putant iſtum eſſe paſtorem: qui cũ in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo: ſed exinaniuit ſe, formam ſerui accipiens: factus obediens patri vſque ad mortem, mortem autem crucis, & ob id ad terrena deſcenderit, vt ſaluam faceret vnam ouiculam, quæ perierat, hoc eſt, humanum genus. Alij verò in nouaginta nouem ouibus, iuſtorum putant numerum intelligi, & in vna ouicula, peccatorum: ſecundum quod in alio loco dixerat: Non veni iuſtos vocare, ſed peccatores: non enim opus habent ſani medico, ſed hi qui ſe malè habent. Iſta parabola in Euangelio ſecundum Lucam cum alijs duabus parabolis decem drachmarum & duorum filiorum ſcripta eſt. *Tom. 6. lib. 3. Com. in cap. 18. Matth.*

*Philip. 2. Luc. 5. Luc. 15.*

TVRBAE autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, &c.] Porro quod ſequitur: Oſanna filio Dauid, quid ſignificet, & ante annos plurimos in breui epiſtola ad Damaſum tunc Romanæ vrbis Epiſcopum dixiſſe me memini: & nunc perſtringam breuiter. In cẽteſimo decimoſeptimo Pſalmo: qui manifeſtè de aduentu Saluatoris ſcriptus eſt: inter cętera hoc quoque legimus: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A Domino factũ eſt illud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Hæc eſt dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Statimque iungitur: O Domine ſaluum me fac: O Domine benè proſperare. Benedictus qui venit in nomine Domini: benediximus vobis de domo Domini, &c. Pro eo quod habetur in 70. interpretibus, ὦ κύριε σῶσον δή, id eſt: O Domine ſaluũ fac, in Hebræo legimus: יהוה הושיע נא אנא quod manifeſtius interpretatus eſt Symmachus, dicens: Obſecro Domine, ſaluum fac, obſecro. Nemo ergò putet ex duobus verbis, Græco videlicet & hebræo ſermone eſſe compoſitum, ſed totum Hebraicum: & ſignificare quod aduentus Chriſti ſalus mundi ſit vnde & ſequitur: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Saluatore quoq; id ipſum in Euangelio comprobante: Ego veni in nomine patris mei, & non me recepiſtis. Alius veniet in nomine ſuo, & recipietis eum. Nec non quod iungitur: O ſanna, id eſt, ſalus, in excelſis: perſpicuè oſtenditur, quod aduentus Chriſti non tantum hominum ſalus, ſed totius mundi ſit: terrena iungens cœleſtibus: Vt omne genu ei flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum. *Tomo ſexto lib. 3. Commentariorum in cap. 21. Matthæi.*

*Tom. 3. Epiſ. 145. Aduentus Chriſti ſalus mundi. Ioan. 5. Philip. 2.*

CONSILIO autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorũ. Cæterum nos qui peregrini eramus à lege & prophetis praua eorum ſtudia ſuſcepimus in ſalutem: & in pretio ſanguinis eius requieſcimus. figuli autẽ ager appellatur, quia figulus noſter eſt Chriſtus. *Tom. 6. li. 4. in cap. 27. Matth.*

TVNC dimiſit illius Barrabam: Ieſum autem flagellatum tradidit eis vt crucifigeretur] Sciendum eſt Romanis eum miniſtraſſe legibus, qui-

bus ſancitum eſt, vt qui crucifigitur, prius flagellis verberetur. Traditus eſt itaque Ieſus militibus verberandus, & illud ſacratiſsimum corpus, pectuſque Dei capax, flagella ſecuerunt. Hoc autem factum eſt, vt quia ſcriptum erat, Multa flagella peccatorum, illo flagellato nos à verberibus liberaremur: dicente ſcriptura ad virum iuſtum: flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. *Tomo ſexto libro quarto Commentariorum in cap. 27. Matthæi.*

*Pſal. 31. Chriſto flagellato nos à verberibus liberamur. Pſalm. 90.*

TVNC milites præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorium, congregauerunt ad eum vniuerſam cohortem, & exuentes eum, chlamydem coccineam circundederunt ei, &c.] Nos omnia hæc intelligamus myſticè. Quomodo enim Caiphas dixit: Oportet vnum hominem mori pro omnibus, neſciens quid diceret: ſic & iſti quæcunque fecerunt, alia mente licet fecerint, tamen nobis qui credimus, ſacramenta tribuerunt. In chlamyde coccinea, opera gentium cruenta ſuſtentat: in corona ſpinea, maledictum ſoluit antiquum: in calamo, venenata occidit animalia. Siue calamũ tenebat in manu, vt ſacrilegium ſcriberet Iudæorum. *Tomo ſexto lib. 4. Commentariorum in cap. 27. Matthæi.*

*Ioan. 12.*

DESCENDAT nunc de cruce, & credemus ei] fraudulenta promiſsio. Quid eſt plus: de cruce adhuc deſcendere viuentem, an de ſepulchro mortuũ reſurgere? Reſurrexit & non crediſtis: ergo ſi etiam de cruce deſcenderet, ſimiliter non crederetis. Sed mihi hoc dæmones videntur immittere. Statim enim vt crucifixus eſt dominus, ſenſerunt virtutem crucis, & intellexerunt fractas eſſe vires ſuas & hoc agunt, vt de cruce deſcendat: ſed Dominus ſciens aduerſariorum inſidias permanet in patibulo vt Diabolum deſtruat. *Tomo ſexto libro quarto Commentariorum in caput 27. Matthæi.*

*Dæmonum conſilium vt de cruce deſcendat.*

IN fide viuo filij Dei, qui dilexit me & tradidit ſemetipſum &c.] Et pater tradidit filium, & filius ipſe ſe tradidit, & Iudas & Sacerdotes cum principibus tradiderunt, & ad extremum traditum ſibi tradidit ipſe Pilatus, Sed pater tradidit, vt ſaluaret perditum mundum. Ieſus ipſe tradidit ſe, vt patris ſuamque faceret voluntatem. Iudas autem & ſacerdotes & ſeniores populi & Pilatus, vitam morti neſcij tradiderunt. Quæ cum ipſa quoque ſe pro noſtra ſalute tradiderit, beatus multumq; fęlix, qui viuente in ſe Chriſto per ſingulas cogitationes & opera poteſt dicere: In fide viuo filij dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. *Tomo ſexto libro primo Commẽtariorum in cap. 2. ad Galatas.*

*A diuerſis diuerſo fine traditus eſt Chriſtus.*

IGITVR qui ex fide ſunt &c.] Nulli dubium, quod in Iſaac & Iacob, ſiue in duodecim patriarchis, & cœteris qui de Abraham ſtirpe deſcendunt, non fuerint benedictæ vniuerſæ nationes, ſed in Chriſto Ieſu, per quem omnes gentes laudant Deum, & benedicitur nouum nomen ſuper terram. Poteſt autem Apoſtolus & de alio Geneſeos loco exemplum ſeminis vſurpaſſe vbi ſcribitur: Eduxit autem foras, haud dubiũ quin Abraham Deus, & dixit ei: Aſpice in cœlum, & numera ſtellas, ſi poteris dinumerare eas. Et ait illi: Sic erit ſemen tuum: & credidit Abraham deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. *Tomo ſexto libro ſecundo Commentariorum in caput tertium ad Galatas.*

*Omnes nationes in Chriſto benedictæ. Geneſ. 15.*

QVICVNQVE ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt &c.] Quoniam nemo poſsit explere legem, & cuncta facere, quæ iuſſa ſunt & alibi teſtatur Apoſtolus, dicens: Quod enim erat impoſsibile legis in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, de peccato condemnauit peccatum in carne. Quod ſi verum eſt, poteſt nobis obijci: Ergo & Moyſes, & Eſaias, & cæteri prophetæ, qui ſub operibus legis fuerunt, ſub maledicto ſunt. Quod non timebit annuere, qui dicentem Apoſtolum legerit: Quia Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictũ, & reſpondere vnumquemque ſanctorum ſuo tẽpore maledictionem factum eſſe pro populo. Nec ſtatim hoc tribuens & iuſtis viris, videbitur detrahere Saluatori, quaſi nihil pręcipuum & excellens habuerit, factus pro nobis maledictum, cum & cæteri pro alijs maledictum facti ſunt, Nemo enim illorum, quamuis factus fuerit ipſe maledictio, de maledicto quempiam liberauit, abſque ſolo Domino Ieſu Chriſto, qui pretioſo ſanguine ſuo, & nos omnes, & ipſos, Moyſen dico & Aaron, prophetaſque cunctos & patriarchas, de maledicto legis redemit. Nec hoc ex meo ſenſu dictum putetis, ſcriptura teſtis eſt: quia Chriſtus gratia Dei, ſiue vt in quibuſdam exemplaribus legitur, abſque Deo, pro omnibus mortuus eſt. Si autem per omnibus & pro Moyſe & pro vniuerſis prophetis, è quibus nullus potuit delere chirographum vetus, quod aduerſum nos ſcriptum erat: & affigere illud cruci. Omnes enim peccauerunt, & indigent gloria Dei. Eccleſiaſtico quoque hanc firmante ſententiam. Homo non eſt iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Deniq; & inferius Apoſtoli dictum manifeſtè docet, nec Moyſen, nec illuſtrem aliquem de antiquis virum, apud Deum iuſtificari potuiſſe per legem. *Tomo ſexto libro ſecundo Commentariorum in caput tertium ad Galatas.*

*Rom. 8.*
*Suo tempore quiſq; ſanctorum maledictio factus pro populo.*
*Chriſtus ſolus oẽs ſanctos vtriuſq; teſtamenti de maledicto liberauit.*
*1. Cor. 5.*
*Coloſ. 2.*
*Rom. 3.*
*Eccleſ. 7.*

CHRISTVS nos redemit de maledictione legis &c.] Subrepit in hoc loco Marcion de poteſtate creatoris quem ſanguinarium, crudelem infamat & vindicem, aſſerens nos redemptos eſſe per Chriſtum, qui alterius, boni Dei filius ſit. Qui ſi intelligeret quo differret, emere & redimere (quia qui emit alienum emit: qui autem redemit, id emit propriè quod ſuum fuit, & ſuum eſſe deſinit, nunquam ſcripturarum verba ſimplicia, in ſui calumniam dogmatis detorqueret. Redemit ergo nos Chriſtus de maledicto legis, quod peccantibus conſtitutum eſt: quos ipſe increpat per prophetam, dicens: Ecce peccatis veſtris venditi eſtis, & in iniquitatibus veſtris dimiſi matrem veſtram. Et Apoſtolus hoc ipſum replicat, dicens: Ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato. *Tomo 6. lib. 2. Com. in cap. 3. ad Galatas.*

*Marcion crudelem depingit ſaluatorẽ.*
*Hæretici verba ſcripturarum in calumniam trahunt.*
*Eſa. 50.*
*Rom. 7.*

QVIA ſcriptum eſt: Maledictus omnis qui pendet in ligno & cæte.] Nullum debet mouere quòd Chriſtus pro nobis maledictum factus ſit, quia & Deus qui eum dicitur feciſſe maledictum, ipſe (cum neſciret Chriſtus peccatum) pro nobis eum peccatum fecit: & Saluator de plenitudine patris, exinaniuit ſe, formam ſerui accipiens, vita mortua eſt, & ſapientia Dei fatuitas

*Philip. 2.*



tas eſt appellata, quòd ſtultum erat Dei, ſapientius fieret hominibus. Et in ſexageſimo octauo Pſalmo de ſe loquitur: Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te nos ſunt abſcondita. Iniuria itaq; Domini noſtra gloria eſt. Ille mortuus eſt vt nos viueremus. Ille deſcendit ad inferos, vt nos aſcenderemus ad cœlos. Ille factus eſt ſtultitia, vt nos ſapientia fieremus. Ille ſe de plenitudine & de forma Dei euacuauit, formam ſerui accipiens, vt in nobis habitaret plenitudo diuinitatis, & Domini fieremus è ſeruis. Ille pependit in lingno, vt peccatum quod commiſeramus in ligno ſcientiæ boni & mali, ligno deleret appenſus. Crux eius amaras aquas vertit in dulcem ſaporem, & ſecurim perditam in profundumque diuerſam miſſa in fluenta Iordanis leuauit. Ad poſtremum factus eſt ille maledictio, factus, inquam, non natus, vt benedictiones quæ promiſſæ fuerant Abrahæ ipſo authore & pręuio transferrentur ad gentes, & ſpiritus repromiſsio per fidem illius compleretur in nobis: quam dupliciter debemus accipere, aut in virtutum ſpiritualibus donis, aut in ſcripturarum intelligentia ſpirituali. *Tomo ſexto libro ſecundo Commentariorum in cap. 3 ad Galatas.*

*2. Cor. 1.*
*Exod. 15.*
*Promiſsiones Abrahæ factæ authore & præuio Chriſto tranſlatæ ſunt ad gentes.*

AT vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere & cætera] Quærat quiſpiam & dicat: Si ideo ſub lege factus eſt, vt eos qui ſub lege erant redimeret (quod impoſsibile videlicet, fuerit redimi eos qui erant ſub lege, niſi factus fuiſſet ipſe ſub lege) aut ſine lege factus eſt, vt redimeret eos qui ſub lege non erant: aut ſi non eſt factus ipſe ſine lege, non redemit eos qui ſub lege non fuerant. Quod ſi poſsibile erat eos, qui ſine lege erant redimi, ita vt ſine lege ipſe non fieret, ergo ſuperfluè ſub lege factus eſt, vt redimeret eos, qui ſub lege erant. Breuiter ſoluet hanc quæſtionem, ſi quis illo vtatur exemplo: & cum his qui ſine lege erant, reputatus eſt. Nam licet in latinis codicibus propter ſimplicitatem interpretum malè editum ſit: Et cum iniquis reputatus eſt: tamen ſciendum aliud apud Græcos ſignificare ἄνομον, quod hic ſcriptum eſt, aliud ἄδικον, quod in Latinis voluminibus habetur, ἄνομοσ enim dicitur ille, qui ſine lege eſt, & nullo iure conſtringitur, ἄδικοσ verò inquus ſiue iniuſtus. Vnde & ipſe Apoſtolus in alio loco: Cum non eſſem ait, ſine lege Dei, ſed in lege eſſem Chriſti: & certè in hoc quoque teſtimonio ἀνόμου in Græco ſcriptum eſt: & qui hic bene interpretatus eſt, potuit idem verbum & ibi ſimiliter interpretari, niſi eum ambiguitas feſelliſſet. Alius verò ipſum verbum redimeret, acutius intuebitur, & dicet eos ſignificari redemptos, qui primum de Dei parte fuerint, & poſtea eſſe ceſſauerint. Illos verò qui ſub lege non fuerint, non tam redimi quàm emi. Vnde & ad Corint. in quib. audiebatur fornicatio, & talis fornicatio q̃ ne inter gentes quidem ſcribitur: Pretio empti eſtis, non redempti. Sub lege quippe non fuerant. Recipimus igitur adoptionem filiorum Dei, & redempti à Chriſto, ſub ſeruitute elementorum mundi & tutorum poteſtate eſſe deſiſtimus. Quomodo autem inter redimere & emere quid intereſſet, paulo autem oſtendimus, ſic quid ſit inter accipere & recipere adoptionẽ filiorum conſideremus. *Tomo 6. lib. 2. Commentario in cap. 4. ad Galatas.*

*Obiectio.*
*Solutio.*
*Eſa. 53.*
*1. Cor 9.*
*1. Cor. 5.*

IN quo habemus redemptionem per ſanguinem ipſius, remiſsionem & cæt.] Ille redimitur qui captiuus eſt & in hoſtium veniens poteſtatem, liber eſſe deſinit: ita & nos quidam dicunt in hoc mundo eſſe captiuos, & ſub principibus & poteſtatibus iugo ſeruitutis teneri, ne ante vinctas catenis explicare manus, & oculos ſurſum attollere, niſi redemptor aduenerit Sed quis iſte aiunt tantus & talis, qui poſit pretio ſuo totum orbem redimere? Ieſus Chriſtus filius Dei proprium ſanguinem dedit & nos de ſeruitute eripiens, libertate donauit. Et reuera ſi hiſtorijs gẽtilium credimus, quod Codrus & Curtius & Decij, mures, peſtilentias vrbium & fames & bella ſuis mortibus repreſſerint, quanto magis hoc in Dei filio poſsibile iudicandum eſt, quod cruore ſuo non vrbem vnam, ſed totum purgarit orbem. Dupliciter verò caro & ſanguis Chriſti intelligitur: ſpiritualis illa atque diuina, de qua ipſe dixit: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Et: Niſi manducaueritis carnem meam, & ſanguinem meum biberitis, non habebitis vitam æternam. Vel caro & ſanguis, quæ crucifixa eſt, & qui militis effuſus eſt lancea: Iuxta hanc diuiſionem & in ſanctis eius diuerſitas carnis & ſanguinis accipitur, vt alia ſit caro quæ viſura eſt ſalutare Dei, alia caro & ſanguis quæ regnum Dei non queant poſsidere. Conſequenter autem poſt redemptionem ſanguinis Chriſti remiſsionem accepiſſe ſcribimur peccatorum. Quia niſi redempti fuerimus, fruſtra nobis peccata donantur Nec ante veniam accipere poſſumus delictorum, & ſerui eſſe ceſſamus, niſi pretium pro nobis cruentus quondam victor acceperit. *Tomo ſexto lib. 1. Commentariorum in cap. 1. ad Epheſios.*

*Chriſtus ſuo ſanguine totum orbem redemit.*
*Chriſti cum Codro & Curtio comparatio.*
*Ioan. 6.*
*Eſa 40.*
*1 Cor. 15.*

IN quo & ſorte vocati ſumus &c.] verbum hæreditatis & ſortis, per quas in Chriſti partem venimus, oſtendit nos de alia poteſtate ad aliam tranſmigraſſe, & ſecundùm illud quod in Deuteronomio ſcriptũ eſt: Quando diuidebat altiſsimus gentes, cum diſſeminaret filios Adam de angelorum ditione ad partem Domini eſſe tranſlatos. Et illi quidem aliena & ſibi vel commiſſa vol vſurpata tenuerunt. Iſte verò recepit ſua, & aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, id eſt, eos qui ante capti fuerant in perditionẽ, ipſe cæpit ad vitam, vt reduceret in excelſum: & quodammodo capta eſt captiuitas, dum per ſecundam captiuitatem, qui prius capti fuerant, liberantur. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 1. ad Epheſios.*

*Deut. 23.*
*Pſal. 67.*

ET omnia ſubiecit ſub pedib. &c.] Oportet enim eum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius: non magnoperè quærit interpretem vt ea quæ inimica ſunt, cum fuerint ſuperata, ſubijciãtur pedibus eius, & in victoris tranſeant poteſtatem. Cur autẽ omnia, id eſt, angeli, throni, dominationes, poteſtates, & virtutes cœteræ, quæ nunquã fuerunt contrariæ Deo eius pedibus ſubijciantur, videtur obſcurum. Poteſt itaque reſponderi, quod abſque peccato nullus ſit, & ſydera ipſa non ſint munda coram Deo omniſque creatura paueat creatoris aduentum Vnde & crux Saluatoris non ſolum ea quæ in terra, ſed etiam ea quæ in cœlis erant, purgaſ-

*Ioan. 14.*
*Crux Chriſti etiam purgauit ea quæ in cœlis ſunt.*

purgaſſe perhibetur. *Tom. 6. libro primo Comment. in cap. 1. ad Epheſios.*

PROPTER quod dicit: Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem &c.] Quia ſupra dixerat: Vnicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti: vt confirmaret hæc ipſa dona, quæ poſt paululum quoque enumerat, dicens: Et ipſe dedit quoſdā quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios Euangeliſtas, alios paſtores & magiſtros, & reliqua à Saluatore eſſe donata, teſtimonium de ſexageſimo ſeptimo Pſalmo aſſumpſit: vt ſciamus illas eſſe manubias hominibus diſtributas, quas Chriſtus victor emeruit. Aſcendens quippe in altum, captiuam duxit captiuitatem. Nos qui nunc in Chriſto credimus de gentibus congregati: cùm eſſemus creatura Dei, à diabolo capti ſumus, & eius ſatellitibus diſtributi. Venit igitur Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſecundum Ezechielem, vaſa ſecum captiuitatis apportans, & operto capite, (ne ab aduerſarijs cognoſceretur) prædicauit his qui capti erant remiſſionem, & qui tenebantur in vinculis ſolutionem, & nos de catenis hoſtium, & de compedibus liberauit: ſicut illam in Euangelio mulierem, de qua ipſe commemorat: Hanc autem filiam Abraham, quam ligauit Sathanas iam decem & octo annis, non oportuit ſolui de vinculo hoc in die ſabbati? Liberatoſq; nos & per nouam captiuitatem, de captiuitate veteri erutos, ſecum duxit in cælum: & his ipſis, quos de inimicorum manu victor eripuit, diuerſa gratiarū dona largitus eſt. *Tomo ſexto libro ſecundo Commentariorum in caput 4. ad Epheſios.*

*Manubias emeruit hominibus Chriſtus.* — *Ezech. 12.* — *Luc. 13.*

PAVLVS ſeruus Dei, Apoſtolus autem Ieſu Chriſti.] Necnon quod paulò ante ſcriptum poſuimus ad Romanos: Seruus Ieſu Chriſti, non differt ab eo ſi dixiſſet, ſeruus ſapientiæ, ſeruus iuſtitiæ, ſeruus ſanctificationis, ſeruus redemptionis. Chriſtus quippe factus eſt nobis à Deo patre ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 1. ad Titum.* *1. Cor. 1.*

DOMINE adiutor meus & redemptor meus] Et redemptor meus: quia tu me redemiſti ſanguine tuo pretioſo. Tu es adiutor humani generis, cùm nos ad te accedere facis. Tu es redemptor: quia tua nos paſſione atque reſurrectione ab interitu redemiſti, qui nos iugiter in lege tua gradientes cuſtodire dignaris: quia tibi eſt cum æterno patre & Spiritu ſancto honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen. *Tomo ſeptimo Comment. in Pſalmum 18.*

AVDI Ieſu ſacerdos magne, tu & amici tui qui habitant coram te &c.] Noſtri nituntur aſſerere, & Ieſum ſacerdotem magnum, & Orientem, & lapidem, ſecundum diuerſas intelligentias Chriſtum appellari. Sed hoc quomodo de ipſo dicatur, ad eum quaſi de altero, exponere difficillimum eſt. Qui igitur Ieſum volunt eſſe filium Ioſedech ſacerdotem magnum: amicos eius, qui habitant vel ſedent coram eo, & qui viri ſunt portendentes, diſcipulos eius interpretantur & prophetas. Prophetæ enim in ſignum ſunt poſiti futurorum. Quid eſt igitur quod Ieſus & amici eius coguntur audire: Adducam ſeruum meum Orientem, & reliqua. Supra promiſerat Deus Ieſu filio Ioſedech ſacerdoti magno, quod ſi in vijs eius ambulaſſet, & eius præcepta ſeruaſſet, ipſe dijudicaret domum eius, & atria eius cuſtodiret, & daret & ei miniſtros angelicæ dignitatis: Nunc ei dicit & amicis illius, plenam fœlicitatem & perfectam beatitudinem tunc futuram, quando venerit Oriens: de quo ſcriptum eſt: Ecce vir Oriens nomen eius. Et in Malachia: Orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ: & ſanitas in pennis eius. Et in Numeris: Orietur ſtella ex Iacob, & homo ex Iſrael. In Euangelio quoque apertiſsimè de Chriſto legimus: In quibus viſitauit nos Oriens ex alto: Illuminare eos, qui in tenebris & vmbra mortis ſedent ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Qui Oriens, ipſe dicitur & lapis angularis: quia populum vtrunque coniungat, & duos parietes in vnam domum conſociet: Hic non credentibus lapis ſcandali eſt: de quo & in Pſalmis dicitur: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli: A Domino factum eſt iſtud. Super hunc lapidem ſeptem oculi ſunt: de quibus loquitur Eſaias: Exiet virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ & intelligentiæ ſpiritus conſilij & fortitudinus, ſpiritus ſcientiæ & pietatis &, implebit eum ſpiritus timoris Dei. Qui ſacerdotem magnum & amicos eius, Dominum Saluatorem & diſcipulos illius intelligi volunt, viros τερατοσκόπους & portendentes ſic accipiunt: vt ad Apoſtolos referant, quia eius myſtica ſigna perſpexerint, & ex præſentibus futura cognouerint: dum in eò qui à natiuitate cœcus fuit, oculos reſtitutos ſuper populo gentilium interpretantur. Et in muliere ſanguine defluente Eccleſiam ediſſerunt ſanguinis operibus liberatam. Hoc autem quod ſequitur: Quia ecce lapis, quem dedi coram Ieſu: amatores hiſtoriæ ſic de Chriſto intelligunt, vt poſt Ieſum filium Ioſedech Chriſtum dicant eſſe venturum. Hoc enim eſſe coram Ieſu, id eſt, in conſpectu eius & ante faciem, vt futura ſignificet, & appellari eum lapidem pro fortitudine & robore, quo omnia regna contriuerit: quem etiam in Daniele de monte ſine manibus præciſum legimus.

*Zach. 6.* — *Mal. 4.* — *Nume. 24.* — *Luc. 1.* — *Ephe. 2.* — *Pſal. 117.* — *Eſa. 11.* — *Ioan. 9.* — *Matth. 9.* — *Dan. 2.*

ECCE ego cœlabo ſculpturam eius, dicit Dominus exercituum &c.] Supra dixerat: Ecce lapis quem dedi coram Ieſu, ſuper lapidem vnum ſeptem oculi ſunt: Nunc conſequenter μεταφορὰν ſeruat à lapide, & dicit: Cælabo ſculpturam eius: ſculpam cælaturam illius. Quod enim Hebraicè ſcriptum eſt mephatteah pittuha Aquila interpretatus eſt διαγλύφω ἄνοιγμα αὐτῆς, id eſt, ſculpam aperturam eius: Theodotio & Symmachus. ſculpam ſculpturam eius. Et eſt ſenſus: Iſtum lapidem, clauis crucis & lancea militis faciam vulnerari, & in illius paſſione auferam iniquitatem terræ in die vna de qua ſcriptum eſt: Hæc eſt dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. In illa die paſſionis Chriſti, vocabit vir qui perfectus eſt in Chriſto, & cum Apoſtolis ad Dominicæ beneuolentiæ culmen aſcendit, proximum ſuum, vel credentes ex Iudæis vel certè gentilium populum, ſubter vineam, quæ appellatur Sorech, & de qua dicitur in Euāgelio: Ego ſum vitis, & cuius fructus lætificat cor hominis: & ſubter ficū, poma ſpiritus ſancti dulciſsima: vt æterna pace requieſcant, & compreſſa ſeditione mundi & cruore bellorum, ſciant ſe eſſe ſub rege, cuius myſticè in Salomone nomen eſt

*Pſal. 117.* — *Ioan. 15.* — *Pſal. 103.*



eſt pacis. *Tom. 5. lib. 1. Com. in cap. 3. Zachariæ.*

ET deuorabunt & eleuabuntur ſuper terram eius &c.] Saluabit Dominus eos ſicut oues & gregem populi ſui. Non enim vt armatus exercitus & inſtructus arte bellandi aduerſum Macedones dimicabit: ſed veniet quaſi grex paratus ad mortem, & Domino auxiliante ſuperabit: Et lapides ſancti qui oppreſsi fuerint: (lapides autem vocat propter duritiam tribulationum, & animi fortitudinis) eleuabuntur de humilitate ſua, & erunt in terra illius glorioſi. Aliter: Lapides ſancti eius de genere ſacerdotali per diuerſa fugientes, illo tribuente victoriam conſequentur. Dicamus & iuxta Anagogen, imo explanemus prophetiam multis obſcuritatibus inuolutam: filij Sion protecti à Domino ſuo, deuorabūt aduerſarios ſuos quos intelligimus filios Græciæ. Et ſubijcient lapidibus fundæ, comminationibus ſcripturarum, de aduerſarijs ſuis ſubiectos humileſq; facientes. Nihil enim ita percutit, vt exemplum de ſcripturis ſanctis, & teſtimonium rotatu oris emiſſum. Quod autem in 70. dicitur: Et bibent ſanguinem eorum quaſi vinum: in Hebræo non ita legimus: ſed bibentes inebriabuntur quaſi vino, vt audiant illud de Cantico Canticorum: Bibite amici & inebriabimini. Et ita placebit eorum ebrietas, quaſi altaris ſacrificium, & quaſi cornua ſiue anguli altaris. Saluabit quoq; eos Dominus, quaſi gregem populi: quia lapides ſancti voluentur ſuper terram eius, qui tantum erunt leues & in ſublime nitentes, vt non præſtolentur ædificantium manus: ſed ipſi feſtinent imponi ſuper fundamētum Chriſti, & contineri angulari lapide: de quibus & Petrus Apoſtolus loquitur: Sicut lapides viui ſuperædificamini in Domum ſpiritualem & ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales victimas placentes Deo. Iſti ſunt lapides qui clamabunt, ſi tacuerit populus Iudæorum, & voluētur quandiu in corpore fuerint ſuper terrā: quia aggrauat terrena habitatio ſenſum multa cogitantem, & in carne poſitus ſanctus loquitur: Quis dabit mihi pēnas ſicut columbæ? qui quantum in ſe eſt, conatur & voluitur & erigitur ad ſumma, ſed carnis fragilitate retinetur. Terra autem illa eſt, ſuper quam voluuntur, lapidea, de qua legimus: Cantate Domino omnis terra. Et: Omnis terra adoret te, & pſallat tibi. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 9. Zachariæ.*

*Cant. 5.* — *1. Pet. 2.* — *Luc. 19.* — *Pſal. 54.* — *Pſal. 65.*

ET dixi ad eos &c.] Nos omnes, qui peregrini & aduenæ legis fuimus, redempti pretioſiſsimo eius ſanguine, in domo figuli, creatoriſque omnium ſepelimur, & requieſcimus. *Tom. 5 lib. 3 Com. in cap. 11. Zachariæ.*

IN die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hieruſalem, in ablutionem peccatoris &c.] Aſperſio ſanguinem Domini ſignificat: de quo & Petrus Apoſtolus loquitur: Gratia vobis & pax multiplicetur, in obedientiam & aſperſionē ſanguinis Ieſu Chriſti. Et rurſum: Scientes quod nō corruptibilibus argento & auro redēpti eſtis: ſed ſanguine pretioſo vt agni immaculati & puriſsimi: quo qui aſperſus fuerit & redemptus, dicere poterit cum propheta: Aſperges me Domine hyſopo & mūdabor, lauabis me & ſuper niuem dealbabor. *Tomo quinto lib. 3. Commentariorum in cap. 13. Zachariæ.*

*1. Pet. 1.* — *Pſal. 50.*

## IX. *Chriſtum interpellationis ratione mediatorem etiam ſeu aduocatum appellari.*

CHRISTVS peccatum non fecit, neq; inuentus eſt dolus in ore eius: qui cum malediceretur, non remaledixit, & tanquam agnus coram tondente, ſic non aperuit os ſuum, ad quē venit princeps mundi iſtius, & inuenit in eo nihil: Qui cum peccatum nō feciſſet pro nobis peccatum eum fecit Deus: nos autem iuxta Epiſtolam Iacobi multa peccauimus omnes, & nemo mundus à peccatis, nec ſi vnius quidem diei fuerit vita eius: Quis enim gloriabitur caſtum ſe habere cor? aut quis confidet mundum ſe eſſe à peccatis? Tenemurq; rei in ſimilitudinem præuaricationis Adam. Vnde & Dauid, Ecce ait, in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis concepit me mater mea. Et beatus Iob: Si fuero iuſtus os meum impia loquetur: & ſi ſine crimine prauus inueniar. Et ſi purificatus in niue & lotus mūdis manibus, ſatis me ſorde tinxiſti, & exeeratum eſt me veſtimentum meū. Verum ne deſperemus penitus, arbitrantes nos poſt peccata baptiſmi non poſſe ſaluari, ſtatim hoc ipſum temperat: Et ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. Hoc ad credentes poſt baptiſma loquitur, & aduocatum pro delictis eorum Dominum pollicetur. Nec dicit: Si quid peccaueritis, aduocatum habetis apud patrem Chriſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis veſtris, ne eos diceres non plena fide baptiſma conſecutos: ſed aduocatum, inquit, habemus apud patrem Ieſum Chriſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & nō ſolum pro Ioannis aliorumq; peccatis, ſed etiam pro totius mundi. *Tom. 2. lib. 2. contra Iouinian. cap. 1.*

*1. Pet. 2.* — *Eſa. 53.* — *Ioan. 14.* — *2. Cor. 5.* — *Iacob. 3.* — *Pſalm. 50.* — *Iob 9.* — *Chriſtus aduocatus noſter.* — *1. Ioan. 2.* — *1. Epiſt.*

QVOD pulchri ſuper montes pedes &c.] Conſequenter de eo qui ſupra dixerat. Ego ipſe qui loquebar, ecce adſum: Nunc propheta teſtatur, quod ipſe ſuper montes Euangelium prædicarit, id eſt, ſuper Apoſtolos: de quibus ſcriptum eſt: Appropinquate montibus æternis, & quorum doctrina illuminatio Dei eſt. Vnde ad eū in Pſalmis dicitur: Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis: Hic annunciauit, & prædicauit, & pacem his qui erant longè, id eſt, gentibus, & propè, hoc eſt Iudæis, mundum reconcilians Deo; de quo ſub nomine Salomonis in Pſalmo canitur: Orietur in diebus eius iuſtitia, & multitudo pacis donec auferatur luna. Et in hoc eodē propheta de puero qui natus eſt; & de filio qui datus eſt nobis, cuius principatus in humero eius & vocabitur magni conſilij angelus, poſt reliqua dicitur: Et pacis eius non eſt terminus. Ipſe eſt enim pax noſtra, qui pacificauit omnia crucis ſuę in cœlo & in terra. Qui locutus eſt Apoſtolis: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Et annunciauit nobis bona, nō quę à Philoſophis appellantur indifferētia, ſed quæ verè bona ſunt, quæ dat pater petētibus ſe, id eſt, omnes gratias ſpiritus S. Deniq; aliter Euangeliſta in eodē loco ſcribit. Quanto magis pater veſter qui eſt in cœlis, dabit ſpiritum S. petentibus ſe? Hæc ſunt bona quæ credentibus dominus pollicetur. Audite me & comedetis bona, & delectabitur in

*Pſal. 75.* — *Pſal. 71.* — *Eph. 2.* — *Ioan. 14.* — *ἀδιάφορα non ſunt verè bona.* — *Gratiæ ſpiritus ſancti verè bona.* — *Luc. 11.* — *Eſa. 55.*

bonis anima veſtra: & non ſolum bona, ſed ſalutem omnibus nuntiauit, quam ipſe præbuit, qui dicit Sion, id eſt, Eccleſiæ. *Tom.4.lib.14.Comment. in cap.52.Eſaiæ.*

POPVLE meus quid feci tibi, & quid moleſtus fui tibi, reſponde mihi. Quia eduxit te de terra &c. vt cognoſceres iuſtitias &c.] Nos, qui cupimus reuelata facie gloriam Domini contemplari, & verè habemus patrem Abraham, audiamus cum peccauerimus, aduerſum nos diſputantem Deum, & nos in beneficiorum ſuorum magnitudine arguentem *(Chriſtus in beneficiorum ſuorum magnitudine nos arguit.)*. Seruiuimus quippe aliquando Pharaoni, & AEgyptio populo, lutum & lateres fabricati ſumus, & redêit nos, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus *(1 Timot.2. Pſal.106.)*: vt diceremus, qui redempti eramus à Domino: Quos redemit de manu inimicorum, & quos de regionibus congregauit: quia in æternum miſericordia eius. Emiſit quoq; ante faciem noſtram Moyſen, ſpiritualē legem & Aron magnū ſacerdotem, non typicum Ephod veritatemq; portantem, ſed ſignaculum ſanctitatis in fronte habētem: quod Deus pater ſignauit. Et miſit Mariam vaticinium prophetarum & non ſolum id nobis præſtitit, ſed de inimicorum manibus nos quoque liberauit Recordemur enim quid cogitauerit aduerſum nos, qui deuorare voluit, & noſtram congregationē elingere verus Balach diabolus: Balach enim interpretatur ἐκλείχων, id eſt, elingens, rex aquæ paternæ: Siquidem Moab iuxta aliam etymologiam, aqua paterna dicitur. Cum igitur inſidiaretur nobis Balach, & inſidiaretur per vanum populum ſuum, quod interpretatur Balaam: non permiſit Deus nos illi' maledictis ſubiacere: ſed è contrario benedixit nobis, rei ipſius veritatē compulſus vanus populus gentium, natus de eo qui in pelle eſt. *To.5.lib.2.Com.in cap.6. Micheæ.*

*(Triplex regnum.)* IGITVR peruenit in vos regnum Dei] Vel ſeipſum ſignificat, de quo in alio loco ſcriptum eſt: Regnum Dei intra vos eſt *(Luc.17. Ioan.1.)*. Et: Medius ſtat inter vos, quem neſcitis: Vel certè illud regnū quod & Ioannes & ipſe Dominus prædicauerant: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Eſt & tertium regnum ſcripturæ ſanctæ, quod auferetur à Iudæis, & tradetur genti facienti fructus eius. *Tom.6.lib.2.Com.in cap.12.Mat.*

QVID igitur lex? propter tranſgreſsiones poſita eſt, donec veniret ſemen cui promiſſum erat, ordinata per angelos in manu mediatoris & cæt.] Quia manente repromiſsione, quæ facta fuerat ad Abraham, lex poſtea data per Moyſen fruſtra videbatur illata, cur data ſit explicat: Propter trāſgreſsiones, inquit. Poſt offenſam enim in eremo populi, poſt adoratum vitulum, & murmur in dominum, lex tranſgreſsiones prohibitura ſucceſsit, Iuſto quippe lex nō eſt poſita *(1 Tim.1.)*, iniquis autem & non ſubiectis, impijs & peccatorib. & vt altius repetam, poſt idololatriam (cui in Aegypto fuerant mancipati, ita vt Deum patrū ſuorum obliuiſcerentur, & deinceps dicerent: Iſti ſunt dij tui Iſrael, qui eduxerunt te de terra Aegypti) ritus colendi Deum, & delinquentium pœna ſancita eſt in manu mediatoris Ieſu Chriſti *(Lex data vt ab idololatria arcerentur homines)*, quia omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil *(Ioan.1.)*: Non ſolum, cælum, terra, mare, & vniuerſa quæ cernimus, ſed etiam illa quæ per Moyſen duro populo quaſi iugū legis impoſita ſunt: Scribitur & ad Timotheum *(1.Tim.2.)*: Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Ieſus Chriſtus. Poſtquam ob noſtram ſalutem de virginis vtero dignatus eſt naſci, Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, ſequeſter eſt dictus. Antequam verò humanum corpus aſſumeret, & eſſet apud patrem in principio Deus verbum, ad omnes ſanctos, ad quos factus eſt ſermo Dei *(Quomodo vno tempore ſequeſter & alio tempore mediator ſit Chriſtus appellatus.)*. Enoch videlicet, Noë, Abraham, Iſaac & Iacob, & poſtea Moyſen *(Exod 3.)* & cunctos prophetas, quos ſcriptura commemorat ſine additamento hominis, quem necdum aſſumpſerat, mediator tantummodo nuncupatut. Quod autem ait: Lex ordinata per angelos, hoc vult intelligi, quod in omni veteri teſtamento, vbi angelus primū viſus refertur & poſtea quaſi Deus loquēs inducitur, angel' quidem verè ex miniſtris plurib. quicunq; ſit viſus, ſed in illo mediator loquatur, qui, dicat: Ego ſum Deus Abrahā, Deus Iſaac & Deus Iacob Nec mirū ſi Deus loquatur in angelis, cum etiam per angelos qui in hominibus ſunt, loquatur Deus in prophetis: dicente Zacharia *(Zach. 2.)*: Et, ait, angelus, qui loquebatur in me, ac deinceps inferente: Hæc dicit Dominus omnipotens. Neque enim angelus qui eſſe dictus fuerat in propheta ex ſua perſona audebat loqui: Hæc dicit Dominus omnipotens. Manum mediatoris, potentiam & virtutem eius debemus accipere *(Manus mediatoris potētia & virt' eius eſt.)*. Qui cum ſecundū Deum vnum ſit ipſe cum patre, ſecundum mediatoris officium, alius ab eo intelligitur. Quia verò lectionis ordo confuſus eſt, & hyperbato perturbatur, ſic nobis reddēdus videtur. Lex poſita eſt per angelos in manu mediatoris, propter tranſgreſsiones ordinata per angelos, donec veniret ſemen cui repromiſſum erat. Semen autem haud dubium quin Chriſtum ſignificet *(Semen promiſſū Abrahæ chriſtus eſt.)*: qui ex Matthæi quoque principio comprobatur eſſe filius Abrahā, ſcriptura referente: Liber generationis Ieſus Chriſti filij Dauid, filij Abraham. *To. 6.lib.2.Com.in cap.3 ad Galatas.*

DICO autem, quanto tempore hæres paruulus, eſt nihil differt &c.] Omnes ędificati ſumus ſuper fundamentum Apoſtolorū & Prophetarū, continente nos angulari lapide Ieſu Chriſto Domino noſtro: qui fecit vtraq; vnum: & medium parietem diſsipans inimicitiam vtriuſque populi in ſua carne deſtruxit, & antiquæ legis difficultatem Euangelicorum dogmatum integritate mutauit *(Chriſtus antiquæ legis difficultatē euangelicorum dogmatum integritate mutauit)*. *Tom.6.lib.2. Commentariorum in cap. 4. ad Galatas.*

QVI fecit vtraq; vnum, & medium parietem & cæt.] Iſte eſt medius paries & maceria, quæ vtrunq; à ſe populum diuidebat. De quo in Geneſi *(Gene 38.)* in partu geminorū obſtetrix loquitur: Vt quid propter te dirupta eſt ſepis? Poſtquam ergo ſapientiam carnis, quæ eſt inimica Deo, in ſua Saluator carne deſtruxit, & præcepta legalia, Euangelicis dogmatibus commutauit *(Præcepta legalia euangelicis dogmatibus commutata.)*: vt de Iudæo atque gentili vnum populū faceret Chriſtanum, Euangelizans nobis qui longè eramus & reliquijs Iudæorum, qui de Iſrael per Apoſtolos crediderunt, pacem atque concordiam: tunc acceſsimus per ipſum ad Deum, & vnum in ſpiritu patrem nos habere cognouimus: Completumque eſt illud quod in Euangelio Dominus loquebatur, dicens: Et fiet vnus paſtor, & vnus grex *(Ioan.10.)*. Et iterum: Et alias oues habeo, quæ non ſunt de ouili iſto: nos ſignificans ex gentibus congregandos, Inimicitia autem quæ in Saluatoris carne deſtructa eſt, etiam per crucem eſt interfecta *(Per crucem inimicitiam deſtruxit & Chriſtus nos Deo reconciliauit.)*. Scriptum eſt enim: vt reconciliaret vtrumq; in vno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitiam in ea. *Tomo ſexto lib.1.Com. in cap.2.ad Epheſios.*



QVI fecit vtraq; vnum &c. Qui illud Apoſtoli legit, de Chriſto memorantis: Pacem faciens per ſanguinem crucis ſuæ, his quæ in terra erant, & his quæ in cœlis, & cœtera quæ in eodem dicuntur loco: non putabit nos, qui iuxta ſpiritum Iſrael vocamur fuiſſe longè, & Iudæos, qui tantummodo Iſrael nuncupentur in carne fuiſſe propè. Et hanc totam intelligentiam ad angelos virtuteſq; cœleſtes, & ad animas tēperabit humanas: quod Chriſtus in ſuo ſanguine terrena & cœleſtia copularit, quæ antea inter ſe diſsidebāt: Et bonus paſtor morbidam ad montes reuectans ouem *(Luc.15.)*, fecerit eſſe cum cœteris: drachmamq; quæ perierat drachmis quę ſaluæ fuerāt, copulauerit: & mandata legalia ad illa retraxerit dogmata, ad quorū typū & imaginē Moyſes *(Exod.25.)*, quæ eſſent in tabernaculo fabricanda conſpexit. Atq; ita fieri, vt crux Domini non ſolum terræ, ſed & cœlo profuerit *(Crux Chriſti etiā cæleſtibus profuit.)*: nō ſolum hominib. ſed & angelis, & omnis creatura Domini ſui cruore purgata ſit *(Omnis creatura domini ſui cruore purgata.)*. *To.6.li.1. Com.in cap.2.ad. Epheſios.*

ERGO non eſtis iam peregrini & accolæ: ſed ciues ſanctorum & domeſtici Dei &c.] Summus angularis lapis, qui populum vtrumq; contineat (ſiue iuxta ſecundam interpretationem cæleſtia iungat atq; terrena) Chriſtus eſt Dominus noſter, lapis præciſus de monte ſine manibus: de quo & Pſalmiſta teſtatur *(Pſal.117.)*, dicens: Lapidem, quē reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A Domino factum eſt illud. Reprobatus quippe eſt à Phariſæis: qui videbantur legis habere notitiam, Deiq; tēplum legalibus ædificare mandatis, & aſſumptus à Deo in angularem lapidem, vt duos parietes ipſe medius contineret: & per illum vterque populus ad Deum haberet acceſſum. Iſte angularis lapis, non credētibus, lapis offenſionis eſt & petra ſcandali *(Eſa.8. Luc.15.)*. Super quem qui ceciderit, quaſſabitur: ſuper quē verò ipſe corruerit comminuet eum. *Tomo 6. lib. 1.Comment.in cap.2.ad Epheſios.*

## X. Humanitas in Chriſto quā ratione adoranda.

ET adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt] Multæ de ſcabello opiniones ſunt, ſed hic propheta corpus dominicum dicit: in quo maieſtas diuinitatis tanquam ſuper ſcabellum ſtat. Sanctū enim eum dici ſæpe docuimus *(Dominicum corpus poteſt adorari.)*. Quod aūt adorari debeatur, eo aſcēdente Apoſtoli docuerunt: cū adorātes egreſsi ſunt in Hieruſalē *(Actor.1.)*. Sed & ad crucē dominicā, & ad animā ſanctam hæc referenda ſunt. *To.7.Co.in Pſ.98. (Crux domini adorāda. Vide etiā epiſt. ad Marc. & ad Paulā & in Apologia.l.3.aduerſus Ruffinum: Alanus Copus Dialogorū lib. 5.folio.699.vide & Nicænam 2: Synodum, & infra lib. 4.c.penultimo articulo.2.*

## XI. Chriſtum paſſum fuiſſe ſecundum humanam naturam non ſecundum diuinam.

PATER glorificā me gloria, quā apud te habui, priuſquàm mundus eſſet. Gloria Saluatoris, patibulum triumphantis eſt. Crucifigitur vt homo, glorificatur vt Deus *(Crucifigitur vt homo, glorificatur vt Deus.)*. *Tom.3. Epiſt.150. ad Hedibiam.*

ECCE dominator dominus exercituū confringet lagunculā, &c.] Alij ab hoc loco volunt principium eſſe de Chriſto: maximè cum & ea, quæ ſequuntur, & nos de illo, & circunciſio ſcripta fateatur. Dixerat ſupra nomen de virgine pueri naſcituri, quod appellaretur Emmanuel, & poſtea propheteſſæ conceptus vtero vocaretur accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari, & ipſe eſſet lapis offenſionis & petra ſcandali duabus domibus Iſrael: Cuius principatus eſſet in humero eius: & vocaretur ſex nominibus admirabilis & conſiliarius, & Deus, & fortis, & pater futuri ſæculi, & princeps pacis *(Sex vocabula Emanuelis Chriſti.)*: & quod multiplicaretur eius imperium, & pacis non eſſet terminus. Nunc in prologo aduentus eius, prius quam dicatur, quod de Ieſſe & Dauid ſit genere naſciturus, per tranſlationem fractæ lagunculæ paſsio illius demonſtratur: quod, volente Deo, iccirco, caro eius morti tradita ſit *(Caro Chriſti morti tradita)*, vt Iudęorum ſublimitas deſtruatur, & excelſi quondam in terram corruant: & Libanus cum ſuis cedris ſuccidatur: de quo in Zacharia legimus *(Zach.11.)*: Aperi Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas, vlula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vaſtati ſunt. Quod autem à patre contritus, & percuſſus eſſe dicatur, & illud indicio eſt: Percutiam paſtore *(Zac.13.)*, & diſpergentur oues gregis. Et aliud teſtimonium *(Pſal.68.)*: Quoniam, quem tu percuſsiſti, ipſi perſecuti ſunt. Verbum Hebraicum puta, quod Aquila κεραμεῖον interpretatus eſt, Theodotio, Simmachusq; verterunt, ληνὸν, id eſt, torcular: quod & ipſum iuxta inſcriptionem trium Pſalmorum, dominicam ſignificat paſſionem, ipſo dicente in Eſaia *(Eſa.63.)*: Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum. *Tom.4.lib... Com.in cap.11. Eſaiæ.*

ET erit in die illa radix Ieſſe, & qui &c. in ipſo gentes ſperabunt: & erit requies eius honor] Pro requie eius, in hebraico poſitum eſt menuhato quod omnes ſimiliter tranſtulerunt. Pro honore quoq; in Hebræo legitur cabod, quod perſpicue gloriam ſonat. Et eſt ſenſus erit mors eius glorioſa vt impleatur illud, quod Saluator in Euangelio deprecatur: pater glorifica me gloria quam mundus eſſet apud te *(Ioan. 17.)*: Dictum eſt de natiuitate eius: dictum eſt de cæteris in medio ſacramentis: venit ad mortem quæ non conſueto mortalium nomine, ſed quia in Chriſto erat vita perpetua, requies appellatur. Nos autem, vt manifeſtum legenti ſenſum faceremus, pro dormitione & requie altero verbo, ſed eodem ſenſu, ſepulchrum vertimus. In tempore igitur illo, quando Chriſti in toto mundo Euangelium coruſcarit & repleta fuerit omnis terra ſcientia Domini, ſicut aquę maris terrā operientes, erit radix Ieſſe, & qui de eius ſtirpe conſcendet in ſignum omnium populorum: vt videant populi ſignum filij hominis in cœlo *(Matt.24.)*. Qui habet cornua in manibus ſuis *(Aba.3.)*, in quibus abſconditur fortitudo eius: vt exaltatus omnia trahat ad ſe *(Ioan 12.)*. Siue vt 70. tranſtulerunt, reſurget à mortuis, vt princeps ſit omnium nationum, & vniuerſæ gentes ſperent in eo *(Gen.49.)*. Quod etiam Iacob de tribu Iuda myſtico ſermone teſtatur: Non deficiet princeps ex Iuda neque dux de femoribus eius: donec veniat cui repoſitum eſt: & ipſe erit expectatio gentium.

*Tom.4.lib.4.Com.in cap.11.Eſaiæ.*

IPSE autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra]. Nos putauimus eum virum dolorum. Siue iuxta 70. eſſe in dolore, & percuſſum à Deo, & propria ſuſtinere peccata. Ille autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, dicens in Pſalmo: foderũt manus meas, & pedes, vt ſuo vulnere vulnera noſtra curaret: & attritus eſt, ſiue infirmatus propter ſcelera noſtra, vt factus pro nobis maledictũ, nos liberaret de maledicto. Malaledictus enim omnis homo qui pendet in ligno: Vnde diſciplina pacis noſtræ ſuper eum eſt. Quod enim nos pro noſtris debebamus ſceleribus ſuſtinere, ille pro nobis paſſus eſt, pacificans per ſanguinẽ crucis ſuæ, ſiue quæ in terra ſiue quæ in cœlis ſunt. Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit vtraq; vnum, & medium parietem maceriæ, ſoluens inimicitiam in carne ſua, & liuore eius ſanati ſumus. Ex quo perſpicũum eſt, ſicut corpus flagellatum, atque laceratum, ſigna iniurię in vibicibus, ac liuore portabat, ita & animam verè doluiſſe pro nobis, ne ex parte veritas, & ex parte mendaciũ credatur in Chriſto. *Tom.4.li.14.Co.in cap.53.Eſaiæ.*

*Pſal.21.*

*Secundũ humanitatem in anima & in corpore vere paſſus Chriſtus.*

*Eph.2.*

QVIS eſt iſte q̃ venit de Edõ &c.] Quia venit filiæ Sion ſaluator (cuius merces cum eo eſt, & opus illius coram illo) & egreſſus eſt iuſtus, vt ſplẽdor & ſaluator accenſus eſt vt lampas: gauiſuſq; ſponſus ſuper ſponſa ſua Eccleſia, imo exultauit ſuper eam Deus ſuus, qui ipſe & ſponſus, & Dominus eſt: Propterea ſecundum aſſumptionem carnis, & paſsionem crucis dicitur ad eum: Vt intingatur pes tuus in ſanguine. Et ſub Iudæ vocabulo in Geneſi prophetatur: Iuda, te laudabunt fratres tui. Manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filij patris tui: Catulus leonis iuda: ad prædam fili mi aſcendiſti, requieſcens accubuiſti, vt leo, & quaſi leæna: quis ſuſcitabit eum? Et iterum: Ligans ad vineam pullũ ſuum, & ad vitem ô fili mi aſinam ſuam, lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum. Id eſt, quem angelicæ poteſtates videntes ad patrem aſcendere cruentum, imperant cæteris angelis, & ab eis audiunt: Leuate portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus fortis, & potens: Dominus fortis in prelio. Et iterum: Dominus virtutum, ipſe eſt rex gloriæ. Hæc præmiſimus, vt cum alijs teſtimonijs, etiã præſens capitulum congruere doceamus. Vnde & in Cantico dicitur Canticorum: fratruelis meus rubicundus, & candidus: rubicundus in paſsione, candidus in reſurrectione. Interrogant igitur angeli, rei nouitate perterriti (Myſterium enim paſsionis, & reſurrectionis Chriſti ſecundum Apoſtolum Paulum, cunctis retro generationibus fuerat ignoratum) Quis eſt iſte qui de terra cruẽtus aduenit? *Tom.4.lib.17.Com.in cap.63. Eſaiæ.*

*Muſculo & Iſlebio quidã hanc hæreſin tribuũt quod in cruce chriſti paſſa ſit diuinitas. Fricius lib.3 de Mediatore.*

*Pſal.67.*

*Gen.49.*

*Pſal.23.*

*Rubicundus Chriſtus in paßione & candidus in reſurrectiõe.*

*Cant.5.*

*1.Cor.2.*

QVARE ergo rubrum eſt &c.] Nunc ſcire volumus, quare veſtimenta tua ſint velut muſto tincta: aut quid cauſæ extiterit, vt tunicam quæ deſuper texta eſt, & ſcindi non poteſt, & de vtero virginali tantum candorem habuit, quantum nullus fullonum poſsit facere ſuper terram, ſanguine cruentares? Magis enim tibi clementia conuenit, quam crudelitas: magis candor, quàm cruor. Quibus reſpondit dominus: non vno verſiculo, vt prius, ſed multis verbis, vt omnia doceat ignorantes, ne rurſum quærere compellantur. *Tom.4.lib.17.Com.in cap.63.Eſaiæ.*

*Caro chriſti & corpus ſanguine cruentatur.*

ET ſcient omnia ligna regionis, quia ego dominus &c.] Quidam aliter interpretantur, lignũ ſublime, humiliatum, & humile exaltatum, referentes ad paſsionem Domini Saluatoris. Qui cũ in forma Dei eſſet, non eſt rapinam arbitratus, æqualem ſe eſſe Deo: ſed exinaniuit ſe, formam ſerui accipiens: & poſt reſurrectionem, ipſum lignum poſtea ſublimatum eſt, quod prius virens morte ſiccatum eſt, & poſtea reuiuiſcens, priſtinum receperit virorem. *Tom.4.lib.5.Comment.in cap.17.Ezechielis.*

*Chriſtus lignum quod morte ſiccatum reſurrectione reuiruit.*

*Philip.2.*

HAEC dicit Dominus Deus ad Edom] Porrò quia Idumæa & terrena interpretatur, & propter colorem rubrum, cruenta quoque intelligi poteſt. Iccirco Saluator reportans ad patrem de mundo victoriam: quando angeli conclamabãt: Aperite portas principes veſtras, & introibit rex gloriæ. Et in Eſaia ſtupentes interrogabant: Quis eſt iſte qui aſcendit de Edõ fuluida veſte de Boſor, ſic formoſus in ſtola candida? Et ad ipſum cominus loquebantur, Quare rubrum eſt indumentũ tuum & veſtimenta tua ſicut calcantiũ in torculari: Ipſe loquitur in triũpho exponens palmas crucis ſuę. Torcular calcaui ſolus, & de gẽtibus non eſt vir mecum. *Tom.6.Com.in cap.1. Abdiæ.*

*Pſal.23.*

*Eſa.63.*

(*Vide plura Tomo ſexto libro quarto Commentariorum in cap.24. Matthæi. Tomo 6.lib.2.Com.in cap.3.ad Galatas. Tom.7.Com.in Pſal.39.*)

## XII. *Chriſtum ſecundum animam verè deſcendiſſe ad inferos.*

ADDVCET vrentem ventum dominus de deſerto aſcendentem & ſiccabit venas eius, & deſolabit fontem eius: & ipſe diripiet theſaurum omnis vaſis deſiderabilis] Ecõtrario debemus accipere terram inferni non eſſe terram viuentium, ſed mortuorum, quæ diripitur atq; vaſtatur: quando mortè Chriſti vinctæ apud inferos, animæ liberantur. *Tom.5.lib.2.Com.in cap.13 Oſeæ.*

*Morte Chriſti vinctæ apud inferos animæ liberantur.*

CIRCVNDEDERVNT me aquæ vſq; ad animã meã, abyſſus vallauit me] Aquæ iſtæ, quæ vicinæ ſunt abyſsis, quæ in terris voluuntur, & defluunt, quæ multum ſecum limi trahunt, nõ corpus, ſed animã nituntur occidere: amicæ quippe ſunt corporum, & eius voluptatibus confouentur: Vnde ſecundum illud quod ſupra diximus loquitur dominus in Pſalmo: Saluum me fac domine, quoniam intrauerunt aquæ vſq; ad animam meam. Et in alio loco: Torrentem pertanſiuit anima noſtra. Et: Ne vrgeat ſuper me puteus os ſuum: neq; concludat infernus, non mihi deneget exitum: qui ſponte deſcendi, ſponte cõſcendam, qui voluntarius captiuus veni, debeo liberare captiuos: vt impleatur illud: Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem: eos enim qui ante captiui fuerant in morte, iſte cępit ad vitam. Abyſſos autem pernicioſas quaſdam & peſſimas fortitudines accipere debemus: vel tormẽtis ſupplicijſq; deditas poteſtates: ad quas & in Euangelio dæmones rogant ne ire cogantur: Vnde & tenebræ erant ſuper abyſſum. *Tomo 5.Com. in cap.2.Ionæ.*

*Pſal.68.*

*Pſal.123.*

*Pſal.123.*

*Pſal.67.*

*Ante captiuos in morte cæpit Chriſtus ad vitã.*

*Luc.8.*

PELAGVS operuit caput meum ad extrema montium deſcendi, terræ vectes concluſerunt



me in æternum] De Domino Saluatore iuxta vtranq; editionem videtur mihi ſic poſſe intelligi: quod principale & caput eius, id eſt, anima, quam cum corpore pro ſalute noſtra dignanter aſſumpſit deſcenderit in ſciſſuras montiũm: qui fluctibus operiebantur, qui ſe à cęli ſubtraxerant libertate, quos abyſſus ambiebat: qui ſe à Dei ſciderant maieſtate, & poſtea etiam ad inferna penetraret: ad quæ loca quaſi in extremo limo peccatorum animæ trahebantur: dicẽte Pſalmographo: Intrabunt in inferiora terræ, partes vulpium erũt: Iſti ſunt vectes terræ & quaſi quædam feræ extremi carceris ac ſuppliciorum, nolentes ab inferis animas exire captiuas: Vnde ſignificãter συντομῶς LXX. κάτοχοι αἰώνιοι: tranſtulerunt, hoc eſt ſemper tenere cupientes, quos ſemel inuaſerant: Sed Dominus noſter, de quo ſub perſona Cyri in Eſaia legimus: fores æneas conteram, & vectes ferreos confringam, ad montium extrema deſcendit, & æternis concluſus eſt vectibus: vt omnes qui clauſi fuerant liberaret. *To.5.Comment.in cap.2.Ionæ.*

*Chriſtus deſcendit in ſciſſuras montiũ*

*Pſal.62.*

*Omnes clauſos in inferno inde Chriſtus liberauit.*

*Eſa.45.*

QVOD aũt aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit in inferiora terræ?] Qui aſcendiſſe nũc dicitur propterea aſcendit quia ante deſcẽderat: Hoc .n. ſonat: quod aũt aſcendit, quid eſt, niſi quia deſcẽdit: Requirendũ itaq; ſuper eo quod alibi ſcriptum eſt: Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cęlo deſcendit, filius hominis: quomodo aſcenderit ante deſcendens? Quando enim hæc loquebatur, poſt deſcenſionem è cœlis, ſe quondam aſcẽdiſſe ad cœlos monſtrabat. Necnon & illud pariter retractandum, quomodo ipſa deſcenſio, & aſcenſio ſentienda ſit: Vtrum nam ſecundum corpus localiter, an ſupra corpus ſpiritualiter, vel certè vtroq; modo. Inferiora autem terræ infernus accipitur, ad quem Dominus noſter Saluatorq; deſcendit: vt ſanctorum animas, quæ ibi tenebãtur incluſæ ſecum ad cęlos victor abduceret. Vnde & poſt reſurrectionem eius, plurima corpora iuſtorum in ſancta ciuitate viſa ſunt. Quod autem infernus in inferiori parte terræ ſit, & Pſalmiſta teſtatur dicens: Aperta eſt terra & deuorauit Dathan, & operuit ſuper congregationẽ Abiron. Et ipſum in Numerorum libro plenius explicatur. Alio quoq; loco legimus. Veniat mors ſuper eos, & deſcendant in infernum, viuentes. *Tom.6.lib.2.Com.in cap.4.ad Epheſ.*

*Ioan.3.*

*Sanctorum animas inferno incluſas ſecum ad cœlos victor abduxit.*

*Matth.27.*

*Pſal.105.*

*Num.16.*

*Pſal.54.*

QVI deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit ſuper omnes cœlos, vt impleret omnia] Nunquid corporaliter omnes cœlos, & vniuerſas ſublimitates, et cœlorum circulos, quos philoſophi ſphæras vocant: tranſiens atq; tranſcendens, ſtetit in ſummo cœli fornice vt & ipſo verbo vtar, apſide: An certe omnia corporalia contemnens, & æterna cõtemplans, ſuper cœlos, id eſt ſuper inuiſibilia ſtetiſſe credendus eſt: quod ego melius puto. Deſcendit ergo in inferiora terræ, & aſcendit ſuper omnes cœlos filius Dei: vt non tantum legẽ prophetaſq; compleret, ſed & alias quaſdam occultas diſpenſationes, quas ſolus ipſe nouit cum patre. Neq; enim ſcire poſſumus quomodo angelis, & his qui in inferno erant, ſanguis Chriſti profuerit, & tamen quin profuerit, neſcire non poſſumus. Deſcẽdit quoq; ad inferos, & aſcendit ad cœlos: vt impleret eos, qui in illis regionibus erant, ſecundũ id quod ſe capere poterant. Ex quo ſciendũ, quod antequam Chriſtus deſcenderet & aſcẽderet vacua fuerint omnia, & plenitudine illius indiguerint. *To.6.li.2. Com.in ca.4.ad Epheſios.*

*Chriſtus occultas quaſdã diſpenſationes ſibi & patri ſolũ notas cõpleuit.*

*Omnia plenitudine Chriſti indiguerunt.*

QVONIAM non derelinques animã meam in inferno] Nõ derelinques quia propterea illuc deſcendit, vt electos ſuos exinde eijceret, & diabolũ ligaret. Diabolus antea ſe taliter iactabat, vt omnia regna mundi haberet: ſed modò non ſolum illum tenere non potuit, ſed pòtius à Chriſto ligatus perhibetur. *Tom.7.Com.in Pſal.15.*

*Ex inferno Chriſtus electos ſuos redemit.*

*Diabolus à Chriſto ligatus.*

ET in limum mortis deduxerunt me] Hoc eſt, in incarnationem vel in infernũ, quando animas ſanctorum exinde deduxit ſecum. Et in limum mortis deduxerunt me. Sicut impios quos vetus proiecit: ita me exiſtimauerunt in mortẽ decidere: tanquã ſi reſurgere nõ valerẽ. *To.7.Co.in Pſ.21.*

## XIII. *Animam Chriſti apud inferos nullos dolores paſſam fuiſſe.*

QVI reſpondentes regi dixerunt: Verè rex: Reſpondit rex & ait: Ecce ego video viros quatuor ſolutos &c.] O quàm ſapiẽs ignis, quam inenarrabilis Dei potentia: vinculis ſtricta ſunt corpora, vruntur vincula, corpora non vruntur, Speciem autem quarti, quem ſimilem dicit filio Dei, vel angelum debemus accipere, vt 70. tranſtulerunt, vel certè, vt pleriq; arbitrantur, Dominum Saluatorem. Sed neſcio quomodo rex impius Dei filium videre mereatur. Ergo iuxta Symmachum qui interpretatus eſt: Species autẽ quarti, ſimilitudo filiorum, nõ Dei, ſed Deorum, angeli ſentiendi ſunt: qui & Dij & Deorũ vel Dei filij ſæpiſsimè nuncupantur. Hoc iuxta hiſtoriã. Cæterum in typo præfigurat iſte angelus ſiue filius Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui ad fornacem deſcendit inferni: in quo clauſæ, & peccatorum, & iuſtorum animæ tenebãtur: vt abſq; vſtione & noxa ſui, eos qui tenebantur incluſi, mortis vinculis liberaret. *Tom 4.lib.1.com. in cap.3.Danielis.* (*Vide contra hunc articulum ſummam blaſphemiam & impietatem Caluini lib.2. Inſtitutionum cap.16.ſectione.8.9.10.qui exiſtimat contra ſcripturã opus redemptionis in cruce necdum fuiſſe conſũmatũ ſed debuiſſe eũ adhuc apud inferos graues dolores perferre*)

*Abſq; vſtione & noxa ſui liberauit ex inferno vinctos.*

ET præparauit Dominus piſcem grandem, &c.] Morti & inferno præcepit Dominus, vt prophetam ſuſcipiat. Quæ auidis faucibus prædam putans, quantum in deuoratione lætata eſt, tantum luxit in vomitu. Tumq; completum eſt illud quod legimus in Oſeè: Ero mors tua ô mors, ero morſus tuus inferne. In Hebraico autem piſcem grandem legimus, pro quo Septuaginta interpretes, & Dominus in Euangelio cetum vocant, rẽ ipſam breuius explicantes: In Hebraico enim dicitur dag gaddo: quod interpretatur piſcis grandis haud dubium quin cetum ſignificet. Et animaduertendum, quod vbi putabatur interitus, ibi cuſtodia ſit. Porrò quod ait prępárauerit. Vel ab initio cum conderet: de quo & in Pſalmo ſcribitur: Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei: Vel certè iuxta nauẽ venire fecit vt præcipitẽ Ionam in ſuos reciperet ſinus, & pro morte præberet habitaculum, vt qui in naui iratum ſenſerat Deum, propitium in morte ſentiret. *Tom.5.Com.in cap.2.Ionæ.*

*Oſe 13.*

*Matth.12.*

דג גדול

*Vbi putabatur interitus Ionæ & Chriſti ibi cuſtodia erat.*

*Pſal.103.*

ET orauit Ionas ad dominum Deum] Quod ſcriptum eſt: Et orauit Ionas ad Dominum Deum ſuum de vtero piſcis, & dixit: intelligimus eum poſtquam in vtero ceti ſoſpitem eſſe ſe ſenſerit,

ſerit non deſperaſſe de domini miſericordia, & totum ad obſecrationem eſſe conuerſum: Deus. enim qui dixerat de iuſto. Cum ipſo ſum in tribulatione. Et: Cùm inuocauerit me, dicam, aſſum, affuit ei, & dicere poteſt qui exauditus eſt, in tribulatione dilataſti mihi. *Tom. 5. Com. in caput. 2. Ionæ.*

*Pſal. 90.*

*Pſal. 15. Chriſtus in inferno viuēs inter mortuos liber. Actor. 2.*

CLAMAVI in tribulatione mea ad Dominum] Meli' ad Chriſti perſonam referri poteſt, quod ſub nomine Dauid cantat in Pſalmo: Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis ſanctum tuum videre corruptionē. Qui fuit in inferno viuens, inter mortuos liber. Ibidem.

## XIV. *Chriſtum ſecundum diuinam naturam eſſe vbique, non tamen ſecundum humanam.*

PRINCEPS ipſe ſedebit in ea, vt commedat panem coram Domino: ]Solus Chriſtus panem comedit coram Domino: quia ſubſtantia eius diuinaque natura, à cunctis creaturarum ſubſtantijs ſeparata eſt. Ipſe per eandem veſtibuli portam ingreditur & egreditur: quia eſt intus & foris, hoc eſt, infuſus & circunfuſus omnibus: ingredienſque per portam, vt ſecum introducat eos, qui abſque doctrina & eius auxilio intrare non poſſunt, & egrediens, vt rurſum alios introducat, & loquatur eis, qui difficiliora non capiunt. *Tomo 4 libro 13. Com. in cap. 44. Ezechielis.*

*Chriſtus infuſus & circumfuſus omnibus.*

QVOD autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit in inferiora terræ? ] Qui aſcendiſſe nunc dicitur: propterea aſcendit, quia ante deſcenderat: Hoc enim ſonat: quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit? Requirendum itaq; ſuper eo quòd alibi ſcriptum eſt: Nemo aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcēdit, filius hominis: quomodo aſcenderit antè deſcēdens. Quando enim hæc loquebatur, poſt deſcenſionem è cælis, ſe quondam ad cælos aſcendiſſe monſtrabat. Necnon & illud pariter retractandum, quomodo ipſa deſcenſio & aſcenſio ſentienda ſit: Vtrumnam ſecundum corpus localiter, an ſupra corpus ſpiritualiter, vel certè vtroque modo. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 4. ad Epheſios.*

*Ioan. 3.*

*Tribus modis intelligi poteſt deſcenſio vel aſcenſio domini.*

ET iuſtitia de cælo propſexit. ] Quomodò de cælo proſpexit? De terra orta eſt, quòd homo natus eſt: de cælo proſpexit, quoniam Deus ſemper in cælis eſt, hoc eſt: natus quidem eſt de terra: ſed ille qui de terra natus eſt, ſemper in cælo eſt, hoc eſt, ſic apparebat in terris, vt cælum non derelinqueret. Deus enim vbique eſt, & vbiq; proſpexit: quoniam donec peccabamus, auertebat oculos ſuos à nobis. *Tomo ſeptimo Commentariorum in Pſalmum 84.*

*Deus vbiq;.*

## *Caput Quintum. De Spiritu Sancto.*

### I. *Spiritum Sanctum eſſe Deum.*

*Cum ſpiritus abſque additamento ponitur, ſpirit' ſanctus intelligitur tertia in Trinitate perſona.*

HOC ſolum à vobis volo diſcere &c.] Simul etiā illud attēdite, quòd hic ſpiritus abſq; vllo additamento, ſanctus intelligatur, quē ex dono Dei conſequimur, & non hominis, de quo alibi ſcribitur: Incorrupt' Spiritus eſt in omnib. Et: Ipſe ſpiritus teſtimoniū reddit Spiritui noſtro. Et in alio loco: Nemo ſcit ea q̄ in homine ſunt, niſi ſpiritus hominis qui eſt in eo: Et in Daniele: Benedicite ſpiritus, & animæ iuſtorum Dominum. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 3. ad Galatas.*

*Rom. 8.*

*2. Cor. 2.*

*Dan. 3.*

ET erit poſt hæc, effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem & prophetabunt filij &c. ] Omnis caro, ſuper quam effuſurum ſe de ſpiritu ſuo, dominus pollicetur, illa eſt de qua Eſaias loquitur Et videbit omnis caro ſalutare Dei. Ergo ſalutare Dei videri non poteſt, niſi ſpiritus ſanctus effundatur. Et quicunq; credere ſe dicit in Chriſtum non credens in ſpiritum ſanctum, perfectæ fidei oculos non habebit. Vnde & in Actibus Apoſtolorum: qui baptizati erant baptiſmate Ioannis in cū qui venturus erat, hoc eſt, in nomine Domini Ieſu: quia reſponderunt Paulo interroganti: Sed ne ſit quidē ſpiritus ſanctus nouimus: iterum baptizātur, imò verum baptiſma accipiunt: quia ſine ſpiritu ſancto & myſterio trinitatis, quicquid in vnam & alteram perſonam accipitur, imperfectum eſt. *To. 5. Co. in ca. 2. Ioelis.*

*Eſa. 3.*

*Actor. 19.*

*Imperfectus eſt baptiſm' ſine ſpiritu ſancto.*

ECCE iſte coopertus eſt auro & argento, & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius. ] Dicamus & illud ne lectorem videamur celaſſe quod nouimus: ſpiritum & ventum apud Hebræos eodem appellari vocabulo, id eſt rouach, & pro ſenſu loci, vel ſpiritum accipi ſolere, vel ventum: Ergo & in hoc loco, ſpiritum vel pro vento accipere poſſumus, quod nihil ſpiret in idolis: vel pro anima quod ſimulachra inanimata ſint. Quod autem ſpiritus accipiatur pro anima manifeſtè ſignificat Saluatoris oratio: Pater in man' tuas commendo ſpiritum meum. Neq; enim Ieſus aut peruerſum ſpiritum (quod cogitare quoque nefas eſt) aut ſpiritum ſanctum, qui & ipſe Deus eſt, patri poterat commendare, & non potius animam ſuam, de qua dixerat. Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem, &: nemo poteſt eripere animam meam, à me: ſed voluntate mea depono animam meam & ſponte mea rurſum aſſumo eam. *Tom. 5. Com. in cap. 2. Habacuc.*

*Luc. 23.*

*Spiritus ſanctus deus eſt.*

*Matt. 26.*

*Ioan. 10.*

EIVSDEM ſpiritus ſanctus cum patre filioq; naturæ eſt. *Tom. 4. lib. 17. Com. in cap. 63. Eſaiæ.*

*Didymus de Spiritu ſancto ſcripſit.*

DIDYMVS ſcripſit de Spiritu ſancto librum vnum quem ego in Latinum verti. *Tom. 1. de viris illuſtribus in Didymo.*

*Ephrem de Spiritu ſancto.*

LEGI Ephræm de Spiritu ſancto græcum volumen, quod quidam de Syriaca lingua verterat, & acumen ſublimis ingenij etiam in tranſlatione cognoui. *Ibidem in Ephræm.*

*Baſilius de Spiritu ſancto.*

BASILIVS de ſpiritu ſancto elaborauit volumen. *Ibidem in Baſilio.*

*Gregorius Nazianzenus de ſpiritu ſancto.*

EXTAT Gregorij Nazianzeni de ſpiritu ſancto liber vnus. Ibidē in Gregorio: Amphilochius, Iconij Epiſcopus, nuper mihi librum legit de ſpiritu ſancto, quod Deus eſt, & quod adorādus, quodq; & omnipotens ſit. *Ibidem in Amphilochio.*

*Amphilochi' de ſpiritu ſancto.*

SANCTAM & adorandam trinitatem, eiuſdem ſubſtantiæ, & coæternam, eiuſdem gloriæ & diuinitatis credimus, anathematizantes eos, qui grāde aut paruum aut inęquale, aut viſibile in deitate trinitatis quicquam loquuntur. Sed ſicut incorporalem inuiſibilem, & æternum dicimus patrē: ſic incorporalem, inuiſibilē & æternū dicimus filium & Spiritum ſanctum. *Tomo 2. Epiſt. 61. ad Pammachium cap. 3.*

*Spiritus ſanctus æqualis Deo patri & filio.*

NOS



*Hæretici corruperunt Origenis opera.*

NOS Didymi librū de Spiritu ſancto in latinā linguam vertimus, certè hic in ijs, quæ ab hæreticis in Origenis operibus addita ſunt, conſentire non potuit. *Tom. 2. lib. 2. adue. Ruffi. cap. 4.*

MIROR Montanum, & inſanas fæminas eius, abortiuos prophetas, Domino promittente, atque dicente: Vado & alium paracletum mittam vobis: & poſtea. Luca Euangeliſta narrante, quod Apoſtoli acceperūt quod promiſſum eſt: id multo poſt tempore in ſe dicere fuiſſe completum. Apoſtolis enim promiſſum eſt: Ego mittam ſponſionem patris mei in vos: & vos ſedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto: & reſurgens in Apoſtolos inſufflauit, & non in Montanum, Priſcillam, & Maximillam: & illis, id eſt Apoſtolis, ait: Quorum dimiſeritis peccata, dimittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Apoſtolis, inquam, præcepit, ne diſcederent ab Hieroſolymis, ſed expectarent promiſsionem patris. Et poſtea, quod promiſſum eſt, expletum legimus: Repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout ſpiritus ſanctus dabat eloqui illis. Spiritus enim ſanctus, vbi vult, ſpirat. Et quando dicit Dominus, alium paracletum mittam vobis, & ſe oſtendit eſſe paracletum, qui appellatur conſolator. Vnde & Deus pater hoc cēſetur nomine, Deus miſerationum & totius cōſolationis. Si autem & pater conſolator, & filius conſolator, & ſpiritus ſanctus conſolator eſt; & in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, quod intelligitur Deus, baptizantur credentes. Quorum vnum diuinitatis & conſolatoris eſt nomē, eorum & vna natura eſt. Hic ſpiritus ſanctus nō ſolum in Apoſtolis, ſed etiam in prophetis fuit: de quo Dauid orabat, dicens: Spiritum tuum ſanctum ne auferas à me. Et Daniel ſpiritū Dei habuiſſe narratur: & Dauid in ſpiritu loquitur, dixiſſe Dominum Domino ſuo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum. Nec ſine ſpiritu ſancto prophetauerunt prophetæ: & verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum: & quicquid patris & filij eſt: hoc idem & ſpiritus ſancti eſt: & ipſe ſpiritus ſanctus cū mittitur, à patre & filio mittitur: in alio atque alio loco, ſpiritus Dei patris, & Chriſti ſpiritus appellatur. Vnde & in Actibus Apoſtolorum, qui Ioannis baptiſmate fuerant baptizati, & credebant in Deum patrem & Chriſtum, quia ſpiritum ſanctum neſciebant, iterum baptizantur, immò tunc verum accipiunt baptiſma, abſque enim ſpiritu ſancto imperfectum eſt myſterium trinitatis. Et in eodem volumine. Petrus Ananiæ & Sapphirę dixiſſe narratur, quod mentientes ſpiritui ſancto, non ſint hominibus mentiti, ſed Deo. *Tom. 3. Epiſt. 150. ad Hedibiam. quæſt. 9.*

*Ioan. 14.*

*Act. 1.*

*Spiritus ſanctus datus apoſtolis & non poſt longum tempus prius Montano & ſuis meretricibus vt falsò iactabat.*

*Ioan. 29.*

*Act. 2.*

*2. Cor. 1.*

*Matt. 28.*

*Spiritum ſanctum eſſe Deum.*

*Pſal. 50.*

### II. *Spiritum ſanctum à patre filióque ab æterno procedere, idque tanquam ab vno principio.*

NOTA, quod ſpiritus Ieſu, Spiritus ſanctus ſit, qui in alio loco, propter vnitatem ſubſtantiæ, patris ſpiritus appellatur. Volunt loqui in Aſia, & prohibentur à Spiritu ſancto, tentant ire in Bithyniam, & non eos permittit ſpiritus Ieſu, ſatis importunè, ſi eis faciendi, vel non faciendi ſemel dederat liberi arbitrij poteſtatem: *Tom. 2. libro. 2. Dial. aduerſus Pelag. cap. 6.*

*A patre egreditur ſpiritus ſanctus.*

NON in ſempiternum &cæt. ]Spiritus meus, qui ex me egredietur, ſiue qui iuxta Hebraicum. Aquilam, Symmachum & Theodotionem, cuncta circundat: hoc enim ſignificat περιελεύσεται, vegetator eſt omnium. Et flatum ſiue pluraliter flatus, hoc quippè neſamor ſonat, ego feci: de quo alibi ſcriptum eſt: Omnis flatus, ſiue omne quòd ſpirat laudat Dominum. De quo ſpiritu, & flatu, in principio Geneſeos ſcriptum eſt: Inſufflauit Deus flatum vitę, & factus eſt homo in animam viuentem. Tale quid & Iob loquitur: Spiritus Domini, qui eſt in naribus meis, & flatus omnipotētis qui docet me. Cum ergo à me egrediatur ſpiritus, & flatu, atque inſpirationē mea cuncta vegetentur, & viuant, non eſt iuſtum perire eos in æternum, qui meo flatu atque ſpiritu ſuſtentantur. Quidam noſtrorum hunc aiunt eſſe ſpiritum, quo omnis mundus inſpiratur, & regitur, & cuncta habent notitiam Dei, quem iuxta Stoicos inſignis poeta deſcribens, ait: Principio cælum, ac terras, campoſque liquentes. Lucentemque globum lunæ, Titaniaque aſtra Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet: & reliqua. Alij verò ſanctum ſpiritum intelligunt: qui in principio ferebatur ſuper aquas, & viuificabat omnia, qui de patre egreditur, & propter ſocietatem naturæ à filio mittitur, dicente: Expedit vobis, vt ego vadam. Niſi enim ego iero, paracletus non veniet ad vos: ſin autem ego iero, mittam eum ad vos. De quo rurſum ait: Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, ſpiritum veritatis, qui de patre egreditur. Ne ſcandalizet quempiam, ſi ſpiritus egredi dicatur ex patre: cum etiam filius de ſe dixerit: Ego de patre exiui, & veni: neque enim à meipſo exiui, ſed ille me miſit. De hoc ſpiritu loquebatur: Rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis: vt ſit vobiſcum ſemper, ſpiritum veritatis: Hic eſt ſpiritus, de quo ſcribit & Moyſes: Quis det vt omnis populus Domini ſit in prophetas, & det Dominus ſpiritum ſuum ſuper eos: Et Ioél ex perſona Dei: Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ: Et Zacharias: Veruntamē verba mea, & legitima mea ſuſcipite, quæ ego præcipio in ſpiritu meo, ſeruis meis prophetis. Et iterum: Effundam ſuper Hieruſalem ſpiritum gratiæ, & miſericordiæ. Multaque alia de vtroque teſtamento, quæ nunc longum eſt repetere. Hoc ſolum dicimus, quòd idem propheta de hoc ſpiritu, & flatu ſit pariter locutus: Hæc dicit Dominus Deus qui fecit cęlum. Et poſt paululum. Qui dat flatum populo ſuo, qui eſt ſuper eam, & ſpiritum his qui calcant eam. *Tom. 4. lib. 16. Com. in ca. 57 Eſaiæ.*

*Pſal. 150.*

*Gen. 2.*

*Iob. 27.*

*Virg. 6. Æneid.*

*Mittitur à filio ſpiritus ſanctus.*

*Ioan. 16.*

*Ioan. 15.*

*Ioan. 16.*

*Ioan. 14.*

*Num. 12.*

*Ioel. 2.*

*Zach. 1.*

*Zach. 12.*

*Eſa. 42.*

### III. *Vitandæ hæreſes de ſpiritu ſancto.*

*Baſilius Ancyranus Macedonianæ partis princeps.*

BASILIVS, Ancyranus Epiſcopus, artis medicinæ, ſcripſit contra Marcellum, & de virginitate librum, & nonnulla alia: & ſub rege Conſtantino Macedonianæ partis cum Euſtathio Sebaſteno princeps fuit. *Tom. 1. de viris illuſtribus in Baſilio Ancyrano.*

BASILIVS

BASILIVS Cæſareæ Cappadociæ, quæ prius Mazaca vocabatur, Epiſcopus, egregios contra Eunomium elaborauit libros, & de Spiritu ſancto volumen, & in hexaemeron homilias nouem ἀσκητικῶν, & breues, varioſque tractatus. *Tom. 1. de viris illuſtrib. in Baſilio.*

GREGORIVS Nazianzenus ſcripſit librum vnum aduerſus Eunomium, & de Spiritu ſancto librum vnum. *Ibidem in Gregorio Naziãzeno.*

CREDIS, quòd vniuerſitatis trinitas ſit creatrix: iſtud Arriani & Emeriani negant. Spiritum ſanctum non conditorem, ſed conditum blaſphemantes. *Tom. 2. Epiſt. 61. ad Pammachium. cap. 5.* ( *Contra Eunomium ſcripſit Baſilius, illeq́ue, vt prodidit Photion, ſcriptis reſpondit, verum ſuperſtite Baſilio non fuit auſus librum in lucem edere. hic eò inſaniæ proceſſit vt perſonam in Trinitate Deum eſſe negans, ne Deũ quidem, vt Nazianzenus quoque teſtatur, credere videretur. eò enim aſſertiones eius tendebant, vt verè de ipſo dici poſſet. Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus.* )

PROBO ego inter multa Origenis mala, hæc maximè hæretica: Dei filium creaturam: Spiritum ſanctum miniſtrum. *Tom. 2. lib. 2. Apol. adue. Ruſſi. cap. 3.*

NVNQVID in eodem opere eiuſdem libri, & interdum, vt diximus, ſtatim in conſequenti capitulo oblitus ſui eſſe potuit? Verbi gratia: vt qui ſuperius dixerat, nuſquam inueniri in omni ſcriptura, vbi Spiritus ſanctus factus vel creatus eſſe diceretur, cõtinuò ſubijceret, inter cęteras creaturas factum eſſe ſpiritum ſanctũ? *Tom. 2. lib. 2 Apolog. aduerſus Ruſſinum. cap. 4.*

TRANSIERVNT Phrygiam & Galatiam regionem, prohibiti à Spiritu ſancto, loqui verbum in Aſia: quo maledicto, in ipſa prouincia puto vſque hodie hęreticos, qui contra Spiritum ſanctum faciunt, plurimos reperiri. Cumq́ue veniſſent, ait, in Myſiam, tentabant ire in Bithyniam, ſed non dimiſit eos ſpiritus Ieſu. Nota, quod ſpiritus Ieſu Spiritus ſanctus ſit, qui in alio loco, propter vnitatem ſubſtantiæ, patris ſpiritus appellatur. *Tom. 2. lib. 2. Dialog. aduerſus Pelagianos cap. 6.* ( *Lactantius in libris ſuis & maximè in epiſtolis ad Demetrianum ſpiritus ſancti negat ſubſtantiam: & errore Iudaico dicit eum vel ad patrem referri, vel ad filium, & ſanctificationem vtriuſq́ue perſonæ ſub eius nomine demonſtrari to: 2. epiſtola 65. c. 1. & 2. Iudæi neque filium neque ſpiritum ſanctum credunt exiſtere, & teſtimonia quæ de eis ſunt, aliò detorquent.* )

*Ioel. 2.*
*Eccle. 16.*
*1. Cor. 2.*
*Rom. 8.*
*Pſal. 103.*
*Luc. 23.*

QVAPROPTER hæc faciam tibi &cæt.] Poſtquam fecero tibi, quæ me facturum eſſe conteſtor, præparare ad inuocandum Dominum Deum tuum. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit: Siue præparare in occurſum Dei tui: vt venientem ad te Dominum, tota auiditate ſuſcipias. Iſte eſt, qui firmat tonitruum ſiue montes confirmat: ad cuius vocem cælorum cardines, & terræ fundamẽta quatiantur. Iſte qui creatũ ſpiritũ quem in hoc loco nõ ſpiritũ ſanctũ, vt hęretici ſuſpicãtur, ſed ventũ intelligimus, ſiue ſpiritũ hominis: quia nemo ſcit q̃ ſunt in homine, niſi ſpirit⁹ qui eſt in eo: & ipſe ſpiritus interpellat pro nobis gemitibus ineffabilibus. Vel certè ſpiritum animam debemus accipere, ſecundum illud quod ſcriptum eſt: Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. Et: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum: & hoc dicens expirauit. Cumque creauerit ſpiritum, annunciat hominibus eloquium ſuum: ſiue annunciat homini eloquium eius: qui cogitationum ſecreta cognoſcit, & quid latens animus tacito ſermone tractet, intelligit: iuxta illud quod in Hieremia ſecundum Hebraicum legimus: Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes. Quod & in centeſimo triceſimo octauo Pſalmo ſcriptura teſtatur: Imperfectum meum viderunt oculi tui: Et eſt ſenſus: Antequam conderer, priuſquam deformarer in membra: dum adhuc in ſemine continerer, viderũt oculi tui. Et Hieremias audit à Domino: Priuſquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua, ſanctificaui te, & prophetam in gentibus poſui te. Et Euangeliſta: videns, ait, Dominus cogitationes eorum. Sin autem legerimus annuncians homini eloquium ſuum: iuxta ſuperius dictum, accipiendum, in quo ait; Non faciet Dominus Deus verbum, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ſeruis ſuis prophetis. Qui autem annunciat cogitationes hominis & eloquium eius, ſiue ſuum: ipſe eſt qui facit auroram & diluculum, & complet nubibus omnia, & graditur ſuper excelſa terrarum: cuius nomen eſt Dominus Deus omnipotens: Pro quo in 70. legitur: Annuntians in homines Chriſtum ſuum: ſub qua occaſione hæretici ſpiritum ſanctum creatum volunt ordine ſequente: creans ſpiritum, & annuntians in homines Chriſtum ſuum: vt ille creatus ſit, hic annuntietur in populis. Quibus reſpondebimus iuxta ſenſum eorum, & vulgatam editionem: Qui creator eſt omnium, & firmat tonitruum, ſiue fingit montes: conſequenter educit ventos de theſauris ſuis, & quaſi vniuerſitatis cõditor, filium ſuum Chriſtum hominibus repromittit. Poſtquam autem Chriſtus fuerit nunciatus, tunc nobis veritatis lumen aperitur: non ad perfectum: quia nunc ex parte videmus & ex parte cognoſcimus, & per ſpeculum & imaginem ea, quæ ventura ſunt cõtemplamur. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 4. Amos.*

*Hier. 17.*
*Hier. 1.*
*Luc. 11.*
*Amos. 3.*
*Reſpondetur hæreticis dicentibus ſpiritum ſanctũ eſſe creaturã*
*1. Cor. 13.*

QVONIAM autem eſtis filij Dei miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda noſtra clamantem: abba pater &cætera. ] Manifeſtè Apoſtolus Paulus tres ſpiritus nominat. Spiritũ filij Dei, vt in præſenti loco, miſit Deus Spiritum filij ſui in corda veſtra: Et ſpiritum Dei, vt in illo: Quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi filij Dei ſunt. Et ſpiritum ſanctum, vt ibi: Corpora veſtra templum ſancti ſpiritus ſunt, qui eſt in vobis. Alium autem ſanctum ſpiritum eſſe quàm filium DEI, manifeſtè & in Euangelio comprobatur: Qui dixerit verbum contra filium hominis, dimittetur ei. Quicunque autem dixerit contra ſpiritum ſanctum, nec hic nec in futuro dimittetur ei. Hoc ideo, quia multi, per imperitiam ſcripturarum, quod & Firmianus in Octauo ad Demetrianum epiſtolarum libro facit, aſſerunt ſpiritum ſanctũ ſæpe patrem, ſæpè filium nominari. Et cum perſpicuè in trinitate credamus, tertiam perſonam auferentes, non ſubſtantiam eius volunt eſſe, ſed nomen. Ne autem longum faciam (non enim Dialogus, ſed commentarius ſcribitur) de quinquageſimo Pſalmo tres ſpiritus nominatos breuiter oſtendam: propheta dicente: Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectũ innoua in viſceribus meis Ne proijcias me à facie tua, & ſpiritũ tuum

*Rom. 8.*
*1. Cor. 3.*
*Luc. 12.*
*Contra eos qui auferunt tertiam perſonam Trinitatis.*



ſanctum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me: Principalem ſpiritum, patrem appellat: quia filius ex patre, & non ex filio. Spiritum autem rectum veritatis atque iuſtitiæ, Chriſtum Dominum ſignificat: Quia pater omne iudicium dedit filio, vt Dauid ait: Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis. Porrò ſpiritum ſanctum aperto nomine vocat. Quæ quidem cum vocabulis perſoniſq́ue diſſentiant, ſubſtantia, naturaq; ſociata ſunt, & indifferenter idem ſpiritus ob naturæ ſocietatem, nunc patris eſſe dicitur nunc filij. *To. 6. lib. 2. Co. in ca. 4. ad Gal.*

*Ioan. 5.*
*Pſal. 71.*
*Trinitas vocabulis & perſonis diſcreta ſubſtãtia & natura ſociata.*

EMITTET verbum ſuum & liquefaciet ea &c.] Emittit pater, verbum mittitur, vngit ſpiritus ſanctus. Flauit ſpiritus eius, ſpiritu feruentes. Frigus non expellitur, niſi calore ſpiritus ſancti. Vbi ſunt Eunomiani, vbi Arriani, vbi Macedoniani: qui dicunt ſpiritum ſanctum non numerari cum patre & filio? Deus pater mittit: verbum mittitur: & tamen plena ſanitas non eſt, niſi ſpiritus ſanctus flauerit. Flauit ſpiritus eius, & fluent aquæ. Aquæ quæ ante duræ erant, molles fient. *Tom. 7. Com. in Pſal. 147.*

*Tres hęreſes contra ſpiritum ſanctum*

## IV. *Spiritum ſanctum eſſe fontem gratiarum.*

ET egredietur virga de radice Ieſſe, &cęt.] Super hunc florem, qui de trunco & radice Ieſſe per Mariam virginem repentè conſurget, requieſcet Spiritus Domini: quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis habitare corporaliter: nequaquam per partes, vt in cęteris ſanctis, ſed iuxta Euangelium eorum, quod Hebræo ſermone conſcriptum legunt Nazaræi: Deſcendet ſuper eum omnis fons ſpiritus ſancti. Dominus autem ſpiritus eſt: & vbi ſpiritus Domini, ibi libertas. In eodem Matthæi volumine legimus illud, quod in conſequentibus ſcribitur: Ecce puer meus, quem elegi: electus meus, in quo complacuit animæ meæ: ponam ſpiritum meum ſuper illum: iudicium gentibus proferet: ad Saluatoris referri intelligentiam, in quo requieuit ſpiritus Domini, id eſt, æterna habitatione permanſit: non vt auolaret & rurſum ad eum deſcenderet: ſed iuxta Ioannis Baptiſtæ teſtimonium iugiter permaneret. qui ait: Vidi ſpiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manẽtem in eo, & ego neſciebam illum: ſed, qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quẽ videris ſpiritum deſcendentem, & manentem in eo, ipſe eſt, qui baptizat in ſpiritu ſancto. Porrò in Euangelio, cuius ſupra fecimus mentionẽ, hæc ſcripta reperimus: Factum eſt autem cum Dominus aſcendiſſet de aqua, deſcendit fons omnis ſpiritus ſancti: & requieuit ſuper eum, & dixit illi: Fili mi, in omnibus prophetis expectabam te, vt venires, & requieſcerem in te. Tu es enim requies mea: tu es filius meus primogenit⁹, qui regnas in ſempiternum. Qui ſpiritus Domini appellatur, & ſpiritus ſapientiæ: Omnia enim per ipſum facta ſunt; & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. Et in Pſalmis canitur: Quã magnifica ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti. Et Apoſtolus ſcribit: Chriſtus Dei virtus, & Dei ſapientia. Et in prouerbijs legitur: Deus in ſapientia ſua fundauit terram, & parauit cælos in prudẽtia. Et quomodo idem ſermo Dei vocatur lux, & vita & reſurrectio, ſic ſpiritus ſapientiæ & intellectus, conſilij & fortitudinis, & ſcientiæ & timoris Domini nuncupatur: nõ quo diuerſus ſit iuxta differentias nominum, ſed vnus atque idem cunctarum virtutum fons ſit atque principium. Abſque Chriſto igitur nec ſapiens quis eſſe poteſt, nec intelligens, nec conſiliarius, nec fortis, nec eruditus, nec pius, nec plenus timoris Dei. Et hoc notandum, quod ſpiritus Domini, ſapientiæ & intellectus, conſilij & fortitudinis, & ſcientiæ, & pietatis, & timoris Domini, id eſt, ſeptenarius numerus, qui ſeptem oculi in vno lapide dicuntur in Zacharia, requieſcat ſuper virgam & florem qui de Ieſſe ac per hoc Dauid ſtirpe ſurrexit: Specialiter autem ſpiritus timoris Domini impleuerit eum, propter eos qui timore Domini indigent; quia paruuli ſunt, quẽ foras mittit perfecta dilectio. Qui. n. timet, pęnã habet, & non eſt perfectus. Vnde & Apoſtolus loquitur ad credentes: Non enim accepiſtis ſpiritũ ſeruitutis iterum in timore: ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis, in quo clamamus abba pater. Et in Malachia legimus: Si pater ego ſum: vbi eſt gloria mea? & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? de quo timore cantatur in Pſalmo: Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos. *Tom. 4. lib. 4. Com: in cap. 11 Eſaiæ.*

*Col 1.*
*2. Cor. 3.*
*Matt. 12.*
*Ioan. 1.*
*Euangelium Matt. Nazaræorum.*
*Super Chriſtum requieuit fons omnis ſpiritus ſancti.*
*Ioan. 1.*
*Pſal. 103.*
*1. Cor. 1.*
*Pro. 3.*
*Spiritus ſanctus cunctarum virtutũ fons atque principium.*
*Zach. 3.*
*1 Ioan. 4.*
*Rom. 8.*
*Mal. 1.*
*Pſal. 33.*

ET timebunt, qui ab occidente nomẽ Domini &c.] Huius beatitudinis ille author eſt, qui veniet quaſi ventus violentus, quem ſpiritus Domini cogit. Siue vt Aquila tranſtulit, quaſi flumen anguſtum, ſpiritus Domini ſignaculũ eius. Aut Theodotio, quaſi fluuius oppugnans, ſpiritus domini ſignatus eſt. In eo ergo teſtimonij huius, quod 70. trãſtulerunt, ὡς ποταμὸς βίαιος, ἡ ὀργὴ κυρίου ἥξει μετὰ θυμοῦ: id eſt, quaſi fluuius violentus, ira Domini veniet cũ furore: Pars vltima in Hebraico nõ habetur. Neque. n. in repromiſsionib. Dei, ira furorq; ponendus eſt: cum in cæteris quę ſequntur beatitudo ſit futurorum, & comminatio pęnaq; peccantium. Iuxta Aquilam & Theodotionem: ſpiritus Domini, qui ſignatus in Chriſto eſt, illud confirmat exemplum, quod in Ioanne Euangeliſta legitur: Hunc enim Deus ſignauit pater: de quo & ante iam dictum eſt: Exiet virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eũ ſpiritus timoris Dei. Vnde & nos dicimus. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. Et in Ezechiele, virorum gementium frontes thau, literæ Hebraicæ, quæ apud eos vltima eſt impreſsione ſignantur. Sin autem ſcire volumus, quomodo Spiritus ſanctus fluuius violentus ſit. Apoſtolorũ acta relegamus: in quibus ſcriptum eſt: Cum autem congregati eſſent pariter, factus eſt ſubito de cęlo ſonus quaſi ſpiritus violentus, & impleuit vniuerſam domum vbi erant ſedentes. Apparueruntq; eis linguę diſpertitæ ſicut ignis, & ſedit ſuper ſingulos eorum: Repletiq; ſunt oẽs ſpiritu ſancto. *Tom. 4. lib. 16 Com: in ca. 59. Eſaiæ.*

*Comparatur Spiritus ſanctus cũ vento violento & flumine & ſignaculo*
*Ioan. 6.*
*Eſa. 11.*
*Pſal. 4.*
*Ezech. 9.*
*Spiritus ſanctus fluuius violentus.*
*Actor. 2.*

ET erit poſt hæc, effundam ſpiritum meum &cæte.] Neq; omnis qui acceperit ſpiritum ſanctum, ſtatim & habebit gratiam ſpiritualem, ſed per effuſionem ſpiritus ſancti diuerſas gratias conſequetur: alij prophetiam, vt filij & filiæ, qui maioris ſunt meriti: alij ſomnia, vt ſenes

*1 Cor. 12.*

*Diuerſæ gratiæ ſpiritus ſancti in diuerſis.* *1. Ioan. 4.*

ſenes qui ſunt prouectioris ætatis: alij viſiones, vt iuuenes qui vicerunt malignum. Serui verò & ancillæ, qui adhuc ſpiritum timoris habent, & non dilectionis (quia perfecta dilectio foras mittit timorem) non habebunt prophetiam, nō ſomnia nō viſiones: ſed ſpiritus ſancti effuſione contenti, fidei tantùm & ſalutis gratiam poſsidebūt. *Tom. 5. Com. in cap. 2. Ioelis.*

*Eph 2.* *1. Pet. 2.* *Pſal. 117.* *Eſa. 11.*

AVDI Ieſu ſacerdos magne, tu & amici tui qui habitant coram te, &c.] Qui Oriens, ipſe dicitur & lapis angularis: quia populum vtrunque coniungat, & duos parietes in vnam domum cōſociet: Hic non credentibus lapis ſcandali eſt: de quo & in Pſalmis dicitur: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli: A Domino factum eſt iſtud. Super hunc lapidem ſeptem oculi ſunt: de quibus loquitur Eſaias: Exiet virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Dei, ſpiritus ſapientiæ & intelligentiæ, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & implebit eum ſpiritus timoris Dei. *Tom. 5. lib. 1. Com. in cap. 3. Zachariæ.*

*Spiritus ſanctus cur paruulus.*

ET aduocans Ieſus paruulum, ſtatuit eum in medio eorum &c.] Alij paruulum interpretantur Spiritum ſanctum, quem poſuit in cordibus diſcipulorum, vt ſuperbiam in humilitatem mutaret. *Tom. 6. lib. 3. Com: in cap. 18 Matt.*

SOLICITI ſeruare vnitatem ſpiritus &c.] Et vnus ſpiritus ſanctus: vnus quippè largitor & ſanctificator eſt omnium. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 4. ad Epheſ.*

*A flumine ſpiritus ſancti varij riuuli gratiarū emanant.* *Eccleſia inebriatur flumine ſpiritus ſancti.* *Matt. 13.*

RIVOS eius inebrians, multiplicans genimina eius, in ſtillicidijs eius &c.] Riui enim in nobis à flumine illo, id eſt, à ſpiritu ſancto emanāt, qui nos diuerſis gratiarum donis inebriant, vt alij detur ſermo ſapientiæ, alij prophetia, alij curatio, alij interpretatio, vel reliquę donationes, quas operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidēs vnicuique prout vult. Per quæ donationum genera, multiplicantur Eccleſię. Quę primum quidem quaſi ſtillicidia in nobis defluunt, dehinc riui fiunt. Poſthæc multiplicantur in generationibus, vt afferant fructū, aliud centeſimū, aliud ſexageſimū, aliud triceſimum. *Tom. 7. Co. in Pſ. 77.*

*Finis Capitis Quinti.*

## *Caput ſextum de eccleſia. Articulus primus.*

### *Eccleſiam vnam, ſanctam, Catholicam & Romanam eſſe.*

SEGREGAS te cum tuis vernulis, & nouum balneum aperis. Si te angelus aliquis, aut Apoſtolus rebaptizauit: non infringo, quod ſequeris. ſi verò in ſinu meo natus, ſi vberum meorum lacte nutritus, aduerſum me gladium leuas: redde, quod dedi: & eſto, ſi potes, aliter Chriſtianus. Meretrix ſum, ſed tamen mater tua ſum. Non ſeruo vnius thori caſtitatem: talis eram quando conceptus es. Cum Arrio adulteria committo: feci & antea cum Praxea, cum Hebione, cum Cerintho, Nouato: hos amplexaris, hos in matris tuæ domum iam adulteros recipis, neſcio quid te vnus adulter offendat. *Tom. 2. in Dialogo contra Luciferianos capite. 9. in fine.*

*Eccleſia mater noſtra caſta cuius vberum lacte nutrimur.* *Hæretici filij adulteri.*

*Symbolum non ex verbo ſcripto, ſed traditione apoſtolorū habemus.* *Vnitas Eccleſiæ.*

IN ſymbolo fidei & ſpei noſtræ, quod ab Apoſtolis traditum, non ſcribitur in charta, & atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus, poſt confeſsionem Trinitatis & vnitatem Eccleſiæ, omne Chriſtiani dogmatis ſacramentum, carnis reſurrectione concluditur. *Tom. 2. Epiſt. 61. ad Pammachium cap. 9. in fine.*

*Vnitas eccleſiæ non ſcinditur ſtatim ſi in adiaphoris quibuſdā diſſentiant magiſtri eccleſiæ.*

NONNE & Apoſtoli, ſaluis inter ſe amicitijs, diſſenſerunt: cùm Paulus et Barnabas propter Ioannem cognomento Marcum ſtomachati ſunt; & ſeparauit eos nauigatio, quos Chriſti Euangelium copulabat? Nónne idem Paulus in faciem Cephæ reſtitit, quod non recto pede incederet in Euangelio? Et tamen præceſſorem ſuum, & columnam Eccleſiæ vocat: & exponit cum eo prędicationem, ne in vacuum curreret, aut cucurriſſet. Nónne in religione etiam liberi à parentib᷒, & coniuges à maritis, ſalua pietate, diſſentiunt? *Tom. 2. lib. 1. aduerſus Ruffinum cap. 1. in fine.*

*Eccleſia metropolis viſibilis.*

POST HAEC vocaberis ciuitas iuſti &c.] Hęc perſpicuè de eccleſia quæ in Dominum creditura eſt, tam de Iudæis quàm de gentibus, propheticus ſermo complectitur. Vrbs autem iuſti, hoc eſt, Domini Saluatoris, ſiue ipſa iuſta vocabitur: de qua dictum eſt: Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita. Fidelem quoque appellans, vel metropolim iuxta LXX. oſtendit ab his eſſe appellandam, qui in Domino credituri ſunt. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 1. Eſaiæ in fine.*

ET lunulas, & torques &c.] Deſcribit monilia fœminarum, & per hæc inſignia ciuitatū: vel, iuxta anagogen, vanarum ornamenta virtutum. Habent mulieres in lunæ ſimilitudinem bullulas dependentes: quas nos ad Eccleſiæ ornamenta transferimus: quæ illuminatur ſole iuſtitiæ. Torques quoque ad pectus vſque pendentes, intelligentiam ac principale mentis in corde demonſtrant: Et monilia, quę vno ſermone omnia ornamenta ſignificant: Et armillarum bona opera: quales Rebecca accepit in ſponſalibus: Et mitras, capitis ornamenta, & diſcriminalia, vt iudicium habeat ſingulorum: Et penſcelidas, quibus noſter greſſus ornatur: vt audiamus. Pes tuus nō offendet: Et eruet pedes meos à lapſu. Et murenulas, quæ auri atque argenti texuntur virgulis, ſēſu videlicet et ſermonibus ſcripturarum: Et olfactoriola: Vt Chriſti bonus odor ſimus. Et inaures, ne audiamus iudicium ſanguinis, ſed Domini verba dicentis: Qui habet aures audiendi, audiat: Et annulos, quibus ſignamur ad Domini militiam: quē Deus ſignauit pater. Vnde dicitur ad principem Tyri: Tu es ſignaculum ſimilitudinis. Filius quoque prodigus cum ſtola recepit annulum, & calceamenta, & geminas in fronte pendentes, quibus noſtra ora decorantur. De cuius capitis ornamento & in pſalmo legimus: Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. *Tom. 4. lib. 2. Coment. in cap. 3. Eſaiæ.* ( *Eccleſiæ ornamenta deſcribuntur decem. 1. ſol iuſtitiæ 2. intelligentia 3. omnia ornamenta. 4. bona opera 5. iudicium ſingulorum 6. ornamenta pedum & greſſus. 7. ſenſus & ſermones ſcripturarum. 8. Chriſti bonus odor 9. iudicium Domini audire 10. ſignaculum militiæ cæleſtis.*)

*Eccleſia in virtutum culmine cōſtituta.*

MONTEM autem filiæ Sion, aut ipſam vrbē Hieroſolymam interpretabimur, aut iuxta ſacratam intelligentiam, Eccleſiam, quę ſit in virtutum culmine conſtituta. *Tom. 4. lib. 5. Com. in ca. 16 Eſaiæ.*

MONS



*Eccleſiæ mōs deſcribitur ad Hebræos à Paulo.*

MONS ſanctus & Hieruſalem illa eſt, de qua ſæpè diximus: Acceſsiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Hieruſalem cæleſtem, & multorum angelorum millia, & eccleſiam primitiuorum, qui ſcripti ſunt in cælis. *Tom. 4. lib. 8. Com. in cap. 27. Eſa. Fol. 101.*

*Eccleſia virgo caſta quare?* *Vna vrbs vna Eccleſia.*

VIRGO Sion, & filia Hieruſalem, quæ ideo virgo appellatur, & filia, quia cunctis gentibus ſimulacra adorantibus hominum mortuorū, hæc ſola conſeruet caſtitatem religionis Dei, & vnius diuinitatis cultū. *To. 4. lib. 11. Co. in ca. 37. Eſa. Fo. 127.*

SION & Hieruſalem nominibus differunt: cęterum vt vna vrbs, ſic & vna eccleſia eſt. *Tom. 4. li. 12 Com. in cap. 41. Eſa. Fol. 139.*

*ſoreck* *Eſaiæ. 5. a.* *In vinea & plantatione eccleſiæ nos tanquam vites permanebimus.* *Ioan. 15. a.*

Ego autem plantaui te &c.] Pro vinea frugifera ſiue electa, in Hæbræo שורק habetur, quæ in Eſaiæ cātico ponitur. Eſt autem genus vitis optimæ, quo ſurculo & Iſrael Dominus plantaſſe ſe dicit, & miratur quomodo ſemen verum electaque vinea conuerſa ſit in amaritudinem, & ideo facta ſit vinea aliena: nulluſq; ſecurus ſit, ſi & plantatio Domini & ſemen verum, & vinea ſoreck, in tantum ſuo vitio commutatur, vt per amaritudinem recedat à Domino, & fiat vitis aliena. Et in hoc conſideranda clementia ſaluatoris, quod qui in Euāgelio dixit: Ego ſum vitis vera, diſcipulis ſuis quoque dederit, & credenti in ſe populo, vt vitis electa vel vera ſit, ſi voluerit in eo quod plantata eſt, permanere. *Tom. 4. lib. 1. Co. in cap. 2. Hier. Fol. 234.*

*Habitatores Hieruſalem ſunt habitatores in eccleſia.* *Amos. 8. d.* *Ciuitates ſūt totius orbis eccleſiæ.*

POSSVMVS iuxta Anagogen habitatores Hieruſalem credentes Chriſto dicere, qui habitant in eccleſia. Et ſi per peccata, illius offenſam meruerint, comedant panem cum egeſtate, & bibant aquam cum mœrore & anguſtia: Non cibum panis, nec potum aquæ, ſed famem ſermonis, & doctrinæ Dei ſuſtinentes. Quando enim vel vitio principum, qui vel capiendi ſunt, & tradendi Babylonijs, vel noſtra duritia perdiderimus ſermonem Dei, aquaſque non meruerimus habere vtiles: tunc in dolore & penuria, noſtrum ſumemus cibum, & terra perdet multitudinem credentium: & ciuitates, quæ in toto orbe intelliguntur eccleſiæ, deſolabuntur, & terra deſerta erit, vt omnes ſciant, quia offenſa ſit Domini. Quod quidem & in perſecutionis tempore intelligere poſſumus. *Tom. 4. lib. 3. Com in cap. 12. Ezec. Fol. 361.*

*Ioan. 5. c.* *Geneſ. 2. d.* *Formatio Euæ de coſta Adæ typus formationis eccleſiæ ex Chriſto.* *Deut. 34. b.* *2. Corint. 12.* *Chriſtum in ſanctis aſcendere oſtenditur exemplis* *Luc. 12 d.* *Eccleſia eſt faſciculus vna religione conſtrictus.*

PATER meus vſque modo operatur, & ego operor: & non ſolum de coſta Adam in typum eccleſiæ ſemel ędificauit Euam, ſed quotidie credentes & membra corporis ſui ædificat, & de terris ad cælum leuat, vt in illis ipſe conſcendat. Aſcendit Dominus in cœlum cum Enoch: aſcendit cum Elia: Aſcendit cum Moyſe, cuius ſepulturæ locus, quia in cœlum aſcenderat, in terra non potuit inueniri. Aſcendit cum Paulo, qui vas electionis, in Apoſtolum de perſecutore mutatus eſt, & de humilibus raptus in ſublimia: ita vt aſcenderet in cælum tertium, & per ſpiritum ſanctum & filium perueniret ad patrem, & audiret verba ineffabilia, myſteria trinitatis, quæ hominibus audire non licitum eſt. Iſte ergo qui quotidie aſcendit in ſanctis, faſciculum ſuum fundauit ſuper terram: de quo in Euangelio loquitur: Ne timeas grex paruule, quia complacuit patri meo habitare in te. Iſte faſciculus vna Domini religione conſtrictus eſt. Vnde & ipſa religio à religando, & in faſcem Domini vinciendo nomen accepit. *Tom. 5. lib. 3. Co. in cap. 7. Amos. Fol. 133.*

*Etymologia religionis.*

SEQVITVR: In igne enim zeli mei conſumetur omnis terra. Gentibus quippè ad iudicium congregatis, & regibus ad ſupplicium, vt effundatur ſuper eos ira, & non ex parte, ſed tota, & ira ac furore ſociato, cōſumatur in toto orbe q̃d quid terrenum eſt, quidquid ad opera terræ, id eſt, carnis pertinet: omnes eius vepres & ſpinoſa fruteta vaſtans, zeli mei vorabit incendium. Et tunc conuertam ſuper populos linguam in generationem ſuam: vt vnuſquiſq; errore depoſito, ad antiquum confeſsionis Domini eloquium reuertatur, & in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur Dominum Ieſum in gloria Dei patris. Abiectiſque lateribus, & bitumine quæ habebamus pro lapidibus & luto: quibus erroris noſtri ſuperbiam extruebamus contra Dominum: recipiamus linguam quam antè perdidimus, & ſimus ſub iugo Chriſti dicentis: Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue eſt: *Tom. 5. Com. in cap. 3. Sophon.*

*Philip 2 b.* *Eccleſiæ vnū lus congregā da promittitur.*

POSSVMVS hunc locum & de primo Chriſti aduentu exponere: quando omni errore ſublato dęmonibuſq; calcatis, & terrenis operibus deſtructis, apoſtoli vniuerſis linguis locuti ſunt, & veteri errore ſublato, vnum confeſsionis redditum eſt labium. Sed & reges qui deſtruuntur, & diuino conſumuntur ardore, peruerſorum dogmatū principes ſentiendi ſunt. *Tom. 5. Com. in cap. 3. Soph. Fol. 219.*

*Matt. 11. d.* *Actor. 2. d.* *In eccleſia vnum cōfeſſionis labium.*

NOS cæleſtem Hieruſalem interpretemur eccleſiam, quę in carne ambulans, non viuit ſecundum carnē, cuius municipatus in cælo eſt. Poſtquam enim Dominus Ieſus rex fuerit ſuper omnem terram, de quo ad patrem ſpiritus ſanctus loquitur per prophetam: Deus iudicium tuū regi da, & iuſtitiam tuam filio regis: tunc vnus Dominus erit, de quo ſcriptum eſt: Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus: Et vnum nomen eius omni praua religione calcata, iuxta illud q̃ propheta decantat: Domine Dominus noſter quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra. Et rurſum: Magnificaſti ſuper omnes nomen ſanctum tuum. Et alibi: Sicut nomē tuum Deus, ita & laus tua in vniuerſa terra: de quo & Habac. loquitur. Laudis eius plena eſt terra. De cuius gloria nominis ipſe Deus loquitur: Abſque me non ſcies Deum, & præter nomen meum, quod magnificatum eſt ſuper omnes. Tunc reuertetur omnis terra, in qua habitauêre Iudæi vſque ad deſertum, id eſt, vſq; ad populū gentium, qui prius deſertus erat, & legis notitiam nō habebat: à Gabaa vſq; ad Remmon, hoc eſt, à colle vſq; ad excelsū: quia de terra & deſerto ad colles, & de collib. ad montana conſurgimus. Vnde & ſponſus in cantico canticorum tranſilit colles, qui minores ſūt; & ſalit ſuper montes excelſos: de quibus ſcriptū eſt: Montes excelſi ceruis. *Tom. 5. lib. 3. Co. in cap. 14 Zach. Fol. 271.*

*Apo. 20.* *Philip 3. d.* *Pſal. 71. a.* *Deut. 4.* *Omni praua religione calcata vnum nom Chriſti & vna erit vera religio.* *Pſal. 8. a.* *Ibid 137.* *Pſal. 47.* *Habac. 3.* *Oſee. 13.* *Vniuerſalis eccleſia.* *Cant. 2.* *Pſal. 103.*

ROMANAE plebis laudatur fides. Vbi alibi tāto ſtudio & frequentia, ad eccleſias & ad martyrum ſepulcra concurritur? vbi ſic ad ſimilitudinem cœleſtis tonitrui amen reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur? Non quod aliam habeant Romani fidem, niſi hanc quam omnes Chriſti Eccleſiæ, ſed quod deuotio in eis maior ſit, & ſimplicitas ad credendum. *Tomo. ſexto ſynonyma* in

*Laus Romanæ eccleſiæ fidei & deuotionis.* *Romana eccleſia ſiue Catholica ſunt ſynonyma.*

*in Prooemio.lib.2.Com.ad Galat.ss.*

*Vnitas eccleſiæ ſcindi nõ poteſt.*

*Cant.6.*

TRACTANTES de tunica: Non ſcindamus eam: ſed ſortiamur de ea cuius ſit. Vel aliter: Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Quod quatuor milites fecerunt quatuor partes, & tunicam non diuiſerunt: ſignificabat vnitatem eccleſiæ, quod non ſcinderetur. Volunt hæretici eam ſcindere, ſed non poſſunt. *Tom.7.Com.in Pſal. 1.*

VNVS homo, eſt vna eccleſia. Propter vnitatem dicitur vna. vnde & in Cantico canticorum dicitur: Vna eſt columba mea, id eſt, eccleſia in toto mundo diffuſa. *Tom.7.Com.in Pſal.60.*

*Omnes Chriſtiani in vno corpore eccleſiæ collecti, à ſimili.*

CORPORALES illud ſignificat, vt quemadmodum in vno corpore plura ſunt membra, verbi cauſa, oculi, manus, aures, pedes, venter, & genua, & cum in vno ſint corpore, habeant differẽtias ſuas, & pro ſe inuicem lætentur & doleant: ſic, licet diuerſas habeant gratias, hi qui in Chriſto credidere, in vno tamen ſint eccleſiæ corpore conglobati. Et in ſuperioribus quidem duobus verbis, id eſt, in eo quod ait, cohæredes & concorporales, poterat in vno corpore diuerſum aliquid ſuſpicari. Ex eo autem quod addidit, & cõparticipes promiſsionis in Chriſto Ieſu, omnis penitus diuerſitas amputata eſt. Vbi enim vna comparticipatio eſt, vniuerſa communia ſunt. *Tom.6.lib.2.Com.in cap.3.ad Epheſios fol.172.*

*Eccleſia vnum corpus Chriſti.*

*Chriſtus nõ eſt toties corporatus quoties in veteri apparuit teſtamento.*

QVOD autem ait: vnum corpus, & vnus ſpiritus: vel ſimpliciter vnum corpus Chriſti intelligitur, quæ eſt eccleſia: vel certè quod ex Virgine eſt dignatus aſſumere: ne illum quidem putent totiens corporatum, quotiens in veteri apparuit teſtamento. *Tom.6.lib.2.Com.in cap.4.ad Epheſios. Fol.176.*

*Chriſtus mittit angelos ad cuſtodiã ſuarum eccleſiarum.*

ALII hunc locum ita ediſſerunt: quod ob id Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad cælos victor aſcenderit; vt inde angelos cæteraſque virtutes ad cuſtodiam eccleſiarum ſuarum mitteret. Et dum indignus ſit locus iſte terrenus, ſublimium poteſtatum habere præſentiam: quodam modo illæ ſuſtinuerint captiuitatem. Ideo enim (inquiunt) aſcendit in altum: vt captiuans captiuitatẽ, dona hominibus largiretur. Hoc autem totum ideo Apoſtolus replicat: vt quia ſuperius dixerat: Sufferentes inuicem in charitate, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis: doceret in diuerſis chariſmatibus eſſe eccleſiam concordem, & non ſtatim ſchiſmatum & diſſenſionum occaſionem dari, quia ſecundum menſuram donationis Chriſti vnuſquiſque noſtrum accepiſſet dona: Non eadem, ſed in vnum corpus, & in vnum ſpiritum omnes vocatos eſſe: id eſt, vt ſicut vnus Dominus eſt, & vna fides, & vnum baptiſma, & vnus Deus pater: ita & nos in charitate idipſum ſimus: in pacis vinculo ſeruantes ſpiritus vnitatem. *Tom.6.lib.2.Com.in cap.4.ad Epheſios Fol.177.*

*Eccleſia in diuerſis chriſmatibus cõcors et vna.*

*Per ſynechdochen vel Metonymiã eſt eccleſia militans ſine ruga, ſumpta denominatione à meliori & potiori parte.*

ECCLESIA Chriſti glorioſa eſt: non habẽs maculam neq; rugam aut quid iſtiuſmodi. Qui ergo peccator eſt, & aliqua ſorde maculatus, de eccleſia Chriſti non poteſt appellari, nec Chriſto ſubiectus dici. Poſsibile autem eſt, vt quo modo eccleſia, quæ prius rugam habuerat & maculam, in iuuentutem & munditiam poſteà reſtituta eſt: ita & peccator currat ad medicum (quia non habent opus ſani medico, ſed malè habẽtes) & curentur vulnera ipſius, & fiat de Eccleſia, quæ corpus eſt Chriſti. *Tom.6.lib.3.Com. in cap.5.ad Epheſios Fol.188.*

IN eccleſia, in qua fideliter conſiſtentibus ſpiritum charitatis infundit, qui vnius moris ſunt, & non mutantur. Siquidem iuſtus non mutatur: quia ſemel iudicauit in iuſtitia permanere. Peccator autem mutatur. Inſipiens enim ſicut luna mutatur. *In Pſal.67.*

## II. Catholicam appellari eccleſiam, quod toto orbe diffuſa ſit.

*Eccleſia non eſt vni loco alligata, ſed per totum orbẽ diffuſa.*

SI eccleſiam per totum orbem diffuſam non habet Chriſtus, aut ſi in Sardinia tantum habet: nimium pauper factus eſt. En ſi Britannias, Gallias, Orientem, Indorum populos, barbaras nationes, & totum ſimul mundum poſsidet Satanas: quomodo ad angulum vniuerſæ terræ crucis trophęa collata ſunt? nimirum aduerſarius potens conceſsit Chriſto Hiberiam; & Celtiberos, luridos homines, inopemq́ue prouinciam dedignatus eſt poſsidere. *Tom.2. in Dialog. contra Lucifer.*

*In eccleſiæ gremio q. cortice omnes teguntur fideles.*

*Act.4.*

*In diuiſione membrorum eccleſiæ maxima conſonantia.*

CVIVS arboris fructus in ſcriptura dupliciter accipitur, aut in Eccleſiæ gremio, quæ omnẽ turbam credentium ſuo cortice tegit, aut in varietate & conſonãtia virtutum, iuxta illud, quod ſcriptum eſt: Multitudinis autem credentium cor erat vnum, & anima vna: ſicque diuiſi ſunt ſinguli gradus, vt omnes eadem compage teneantur. *Tom.3.Epiſtol.127.ad Fabiolam, manſione 16.*

VICESIMA ſecunda manſio in cœtus vertitur, in hac enim conſiſtit multitudo credentium Eccleſia, primitiuorum virtutum omnium conſonantia. *Tom.3.Epiſt.127 ad Fabiolam manſione 22.*

*Eccleſiæ vniuerſalis collectio ex gentibus & iudæis.*

*1.Cor.10.*

QVANTVM autem ad typos pertinet intellectus, dicente Apoſtolo: Hæc omnia in figura cõtingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum decurrerunt) quidam Græcorum autumant ſuper ſynagoga & Eccleſia ſentiendum, & ad illud tempus cuncta referenda, quando, poſt crucem & reſurrectionem, tam in Iſrael, quàm in gentium populo, verus Salomon, id eſt, pacificus, regnare cœperit. Quod autem adulteræ, & meretrices, ſynagoga & Eccleſia dicantur in ſcripturis, nulla dubitatio eſt. & hoc prima fronte videtur eſſe blaſphemum. cæterum, ſi recurramus ad prophetas: Oſee ſcilicet, qui accepit vxorem fornicariam, & generauit filios fornicationis, & deinde adulteram; & ad Ezechielem, qui Hieruſalem, quaſi meretricem, arguit, quod ſecuta ſit amatores ſuos, & diuaricauerit omni tranſeunti pedes, lupanarque in loco celebri extruxerit: animaduertemus, Chriſtum iccirco veniſſe, vt meretrices donaret matrimonio, & de duobus gregibus vnum ouile faceret; medioque pariete deſtructo, in eaſdem caulas oues prius morbidas congregaret. Hæ ſunt duæ virgæ, quæ iunguntur in Ezechiele, & de quibus per Zachariam Dominus refert: Et aſſumpſi mihi duas virgas: vnam vocaui decorem, & alteram vocaui funiculum, & paui gregem. Mulier quoque illa meretrix in euangelio, quæ pedes Ieſu lachrymis lauat, crine detergit, & cui peccata omnia dimittuntur, manifeſtè pingit Eccleſiam de gentibus congregatam. Hæc iccirco in prima fronte replicaui: ne cui videatur incongruum; ſi ſynagoga & Eccleſia meretrices dicantur; quarum vna Solomonis iudicio, filij

*Oſee 1.*

*Ezech.16.*

*Eph 2.*

*Ezech.37.*

*Zach.11.*

*Luc.7.*



*Eph.5.*

*Matth.26.*

*Marc.14.*

*Luc.5.*

filij poſſeſsione donata eſt. Prudens quærat auditor, quo modo meretrix ſit Eccleſia, quæ non habet maculam, neq; rugam? Non dicimus Eccleſiam permanſiſſe meretricem, ſed fuiſſe. Nam & in Simonis leproſi domo Saluator ſcribitur iniſſe conuiuium, vtiqe non quia leproſus erat eo tempore, quo habebat hoſpitem Saluatorem, ſed quia leproſus ante fuerat. Matthęus quoq́; in catalogo Apoſtolorum publicanus dicitur: non quo permanſerit publicanus poſt Apoſtolicam dignitatem, ſed quia prius fuerit publicanus: vt vbi ſuperabundauit peccatum, ſuperabundaret & gratia. Simulque conſiderà, quid dicat Eccleſia contra ſynagogam calumniatricem: Ego & mulier hæc habitabamus in domo vna. Poſt reſurrectionem enim Domini Saluatoris, vna de vtroque populo Eccleſia congregata eſt: & quã eleganter. Peperi, inquit, apud eam in cubiculo. Eccleſia enim de gentibus, quæ non habebat prius legem, & prophetas, peperit in domo ſynagogæ: nec egreſſa eſt de cubiculo, ſed ingreſſa. Vnde dicit in Cantico canticorum: introduxit me rex in cubiculum ſuum. Et iterum: & quidem non ſpernam te. Aſſumens introducam te in domum matris meæ, & in cubiculum eius, quæ me genuit: Tertia autem die, poſtquam ego peperi, peperit & hæc. Si conſideres Pilatum lauantem manus, atque dicentem: Mundus ego ſum à ſanguine iuſti huius: ſi centurionem ante patibulũ confitentem, Verè hic erat filius Dei: ſi eos, qui ante paſsionem per Philippum Dominum videre deſiderant: haud ambiges primam peperiſſe Eccleſiam, & poſtea natum populum Iudęorum pro quo Dominus precabatur: Pater ignoſce eis: quod enim faciunt neſciunt. Vnaq́ue die credidere tria millia, & alia die quinque millia. Et eramus ſimul (multitudinis enim credentium erat cor vnum, & anima vna) nulluſque alius in domo nobiſcum, exceptis nobis duabus, non blaſphemantium Iudæorum, non gentilium idolis ſeruientium. *Tom.3: epſto.131.ad Ruffinum. Fol.374.*

*Rom.5.6.*

*3.Reg.3.*

*Cant.1.*

*Cant.3.*

*Matth.27.*

*Marc.15.*

*Ioan.12.*

*Luc.23.*

*Act.2.4.*

*Eccleſiæ vniuerſitas ex pſal. probatur*

*Pſal.2.*

*Pſal.51.*

NEC dubitare poterit de multiplici Saluatoris imperio & pace eius, quæ non habeat finẽ, qui in Pſalmis legerit: poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ. Et rurſum: Et multitudo pacis donec auferatur luna, id eſt, vſque ad conſummationem ſæculi. Principatus autem illius & imperium erit ſuper ſolium & regnũ Dauid: quod poſt captiuitatem Babylonicam fuerat diſsipatũ: vt confirmet illud & roboret, & doceat eſſe perpetuum, ne caſſa Dei promiſsio videretur, ab incarnationis tempore vſq; in ſempiternum. *Tom. 4.lib. 3.Com.in cap.9.Eſaiæ.in fine.*

*Cap.10.*

*Corin 15.*

*Ac.2.g.4.a*

*Ac.21.d.2.a*

POST vocationem gentium, quæ quondã in caudam reputatæ ſunt, Iſrael in caudam reputabitur: vt apponat Dominus ſecundò manũ ſuam & poſsideat reſiduum populi ſui, de quo & ſupra legimus, non omnem Iſrael, ſed reliquias eſſe ſaluandas, quæ relictæ fuerint ab Aſſyrijs, & ab Aegypto, & à diuerſis per circuitum natiõibus. Primum enim duodecim Apoſtoli, & ſeptuaginta & centum viginti animę, & quingenti: quibus pariter congregatis Dominus apparuit: deinde tria millia & quinq; millia Iudæorum in Dominum crediderunt. Iacobus quoq; ad Paulũ Apoſ. loquitur: qui & ipſe de reliquijs erat: Vides frater quanta millia ſint Iudæorũ credentiũ? hi omnes æmulatores legis ſunt. Et in eodẽ volumine legimus: Erant aũt in hieruſalem habitantes Iudæi viri timorati, de vniuerſis gentib. quæ ſub cęlo ſunt, qui omnes mirabãtur, atq; dicebant: Nõne omnes iſti Galilæi ſunt, & quo modo nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram in quã nati ſumus? Parthi, & Mœdi, & Elamitæ, & habitantes in Meſopotamia, & Syria, Cappadocia, Ponto, & Aſia, Phrygia & Pamphilia, Aegypto, & Libya, & Cyrene, aduenæ Romani, Iudæi & proſelyti, Cretes, & Arabes, audiuimus loquentes eos noſtris linguis magnalia Dei. De his igitur vniuerſis gentibus per Apoſtolos Iſrael reliquię ſaluabũtur. Tradunt eccleſiaſticæ hiſtoriæ, quod Apoſtoli in toto orbe diſperſi euangelium prædicarint: ita vt quidam Perſas Indoſq; penetrarent: & Aethiopia daret manus ſuas Deo & trãsflumina Aethiopię inde Chriſto munera deferrentur. Ac ne ſolum orientales populos ſignificare videatur, iungit & reliqua: Et ab inſulis maris. Inſulas autem maris Occidentalem plagã ſignificat, quæ Oceani ambitu clauditur. Leuabit igitur ſignum crucis in vniuerſas nationes, & de ſynagogis Iudæorum primum Iſrael populum congregabit: vt Apoſtoli præceptũ Saluatoris implerent, qui dixerat: Ite ad oues perditas domus Iſrael. Denique & Paulus ad incredulos loquitur ex Iudæis: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, et indignos vos iudicatis æterna vita: ecce conuertimur ad gentes, ſicut præcepit nobis Dominus. Quatuor autem plagas Orientem & Occidentem, Meridiem & Septentrionem ſignificat: vt per hæc mundi vocatio demonſtetur. Eo tempore inquit Eſaias nequaquã Ephraim & Iudas qui nunc me prophetante inter ſe hoſtili odio diſsident, inimici erunt: ſed iuxta Ezechielis prophetiam: duę virgæ in vnam cõpulabuntur: & iũgentur in Chriſti Eccleſiam, qui prius fuerant ſeparati: ita vt in gentibus communi labore deſudent: & volent in humero Philiſtim per mare: hoc eſt, primum maritimis prædicent Palęſtinis: & per mare volucri curſu pergant ad cæteras nationes: Siue, iuxta LXX. interpretes, πετάσονται ἐν πλοίοις ἀλλοφύλων, θάλασσαν ἅμα προνομεύσουσι, id eſt, volabunt in nauibus alienigenarum, mare, ſimul prædabuntur: quod de vnius Pauli Apoſtoli exemplo intelligamus: qui per Phamphiliam, & Aſiam & Macedoniam, & Achaiam, & diuerſas inſulas, atq́; prouincias, ad Italiam quoq́;, & vt ipſe ſcribit ad Hiſpanias alienigenarũ portatus eſt nauibus. Igitur Ephraim, & Iudas, id eſt, qui de duodecim tribubus in Chriſtum crediderunt ex Iudæis, ſimul prædabuntur orientem: & in Idumæam, & ad Moab extendent manus ſuas; iuxta illud quod ſub perſona Dauid Chriſtus myſticè loquitur: In Idumæam extendam calciamentum meum: mihi alienigenæ ſeruient. Hæ enim gentes eo tempore, quo Eſaias prophetabat, aduerſariæ erant populo Iudæorum: & iccirco nunc dicit, quod, poſtquam ſurrexerit radix Ieſſe, vt regnet in gentibus, & vexillum crucis ob ſalutem totius orbis fuerit eleuatum, tunc etiam Idumæa, & Moab, & filij Ammon omnis ſcilicet Arabiæ latitudo, dent Apoſtolis manus, & in locis idololatriæ Chriſti Eccleſiæ ſuſcitentur. *Tomo quarto libro quarto Commentariorum in cap.11. Eſaiæ: Fol.42.*

*Quomodo donum linguarũ per ſpiritum ſanctum creuerit vniuerſitas eccleſ[illegible]*

*Pſal.67.*

*Soph.3.*

*Per omnes cardines & partes mundi eſt diffuſa eccleſia.*

*Matt.10.*

*Act.13.*

*Ezech.7.*

*Eccleſiæ vniuerſitas gentes & iudæos comprehendit.*

*Act.14.19.*

*2.Cor.18.27*

*Act.18.27.*

*Rom.15 c.*

*Pſal.59.*

*Vexillũ crucis toto orbe eleuatũ eſt.*

EXVLTA & lauda habitatio Sion &c. ]Primum dicendum iuxta litteram: O habitatio Sion, exulta & lauda Deum tuum: quod qui tuus ante videbatur Deus, & modicis Iudææ terræ claudebatur anguſtijs, nunc repleuerit omnem terram ſcientia ſua: & de morte conſurgens, regnet in gentibus: & ipſum nationes deprecentur atque adorent, ita duntaxat, vt adijciat ſecundò manum ſuam ad poſsidendum quod reliquum eſt populi ſui, & congregandos profugos Iſrael & diſperſos Iuda colligendos à quattuor plagis terræ: quia ſeminarium euangelij per Apoſtolos, qui ex Iudæis erant, proceſsit à fontibus Iſrael. Melius autem eſt, vt Sion, id eſt, ſpeculam in ſublimibus collocatam, interpretemur Eccleſiam: De qua & quinquageſimus pſalmus canit. Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, & ædificentur muri Hieruſalem: vt acceptabile fiat in ea Deo ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta & vitulus, quem filio pœnitenti pater clementiſsimus immolauit. *Tom. quarto lib quarto Comment. in caput duodecimum Eſaiæ. Fol. 43.*

*Eccleſia quæ ante anguſtis terræ finibus claudebatur repleuit nūc totum orbem terrarum.*

*Luc. 15.*

QVOMODO enim acerui lapidum, qui in agris diſperſi ſunt in vnum tumulum comportātur, ſic de vniuerſis nationibus aceruus credentium congregatus eſt in ruina populi Iudęorum, illis cadentibus, & nobis ſurgentibus. Derelictæ quoque ciuitates ערוער, id eſt, myricæ, Eccleſiaſticis gregibus erunt: vt quas Iudæi deſeruerunt nos incolamus, ſiue deſtructa idololatria extruetur euangelium: Hoc & noſtris temporibus videmus eſſe completum. Serapium Alexādriæ, & Marnæ templum Gazæ, in eccleſias Domini ſurrexerunt, & ciuitates Aroer Euangelicis gregibus præparatæ ſunt. Aroer, id eſt, myricæ naſcuntur in deſertis locis: iuxta illud quod ſcriptum eſt in maledictione, eius hominis. qui confidit in homine, & à Domino recedit cor eius. Erit, inquit quaſi myricæ in deſerto, & non videbit bonum cum venerit, ſed habitabit in ſiccitate, in deſerto, in terra ſalſuginis & inhabitabili. Alij verò dicunt ex hac arbore maleficis artibus μίσηθρα, id eſt, odia cōcitari. Ergo qui prius erant in deſerto gētiliū, & in odio nominis Chriſtiani Chriſti gregib. ſeruient: q requieſcēt in eis, & nō erit qui exterreat, quia Dominus habitabit inter eos, & præſente paſtore, lupum timere non poterunt: Tunc ceſſabit adiutorium Dei ab Ephraim, qui in hoc loco intelliguntur ſcribæ & & phariſæi, iuxta Oſeæ prophetiam, qui contrarios populo Dei Ephraim nominat. Et regnum ceſſabit à Damaſco, vt nequaquam peccatum, & peccati princeps Diabolus regnet in Damaſco, quæ prius ſanguinē diligebat: ſed reliquiæ Syrię, id eſt, eorum, qui ex gentibus crediderunt, ſint ſicut prius fuerant filij Iſrael ablato ab illis regno Dei, & tradito gentibus, quę faciunt fructum eius, ſicut Dominus Deus exercituum locutus eſt per omnes prophetas ſuos. *Tom 4. lib. 7. Commentariorum in cap. 17. Fol. 75.*

*Templa idolorum commutata in Eccleſias.*

*Hier. 48.*

*Oſeæ 5. et 8.*

*Mat. 21*

NEQVE de Aſſyrijs tantum, & de Aegypto, ſed de toto orbe terrarum, qui in Chriſtū credituri ſunt, vocabuntur. Ergo hoc ſignificat, quod in nouiſsima tuba iuxta Apoſt. Paulum, omnes qui perierāt in Aſſyrijs & in Aegypto ad Dominum veniant. Nec dixit: omnes filios Iſrael, ſed omnes qui perierant, per quod ſignificat gentium multitudinem, quod & idolatriæ, & magicis ac philoſophiæ artibus obligati, vēiant ad fidem Chriſti, & adorent eūm in Eccleſia. *Tomo quarto libro octauo Commentariorum in caput vigeſimum ſeptimum Eſaiæ.*

*Gentiū multitudo ad Chriſtum confluet.*

*1. Cor. 15.*

Pulchrè iungit, Deus iuſtus, nequaquam vnius gentis, ſed vniuerſi mundi: cui loquitur. Conuertimini ad me, & ſalui eritis omnes fines terrę. Impleto illo quod pater filio repromiſit: Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ. *Tomo quarto libro decimo tertio Commentar. in cap. quadrageſimum quintum. Eſaiæ.*

*Deus vniuerſi mundi Deus.*

HIERVSALEM & Sion, quatuor modis in ſcripturis ſanctis debere intelligi, ſæpe memorauimus. Vno iuxta Iudæos, quam plangit Dominus in euāgelio: Hieruſalē Hieruſalē, quę occidis pphetas, & lapidas eos qui ad te miſsi ſunt. Et in alio loco: Cum videritis circundari ab exercitu Hieruſalem: tunc ſcitote quia appropinquauit deſolatio eius. Secundo, ſanctorum eſt congregatio, qui in pace Domini & in virtutum ſpecula conſtituti, rectè appellantur Sion, de qua dicitur: Fundamenta eius in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion, ſuper omnia tabernacula Iacob. Neque enim fundamenta Iudaicæ Sion, quam videmus eſſe deſtructam, à Domino ſunt dilecta, aut quod à Domino dilectum eſt, deſtrui potuit. Tertio appellatur Hieruſalem, multitudo angelorum, dominationum & poteſtatum: & omne quod in Dei miniſterio conſtitutum eſt. De qua Hieruſalem & Apoſtolus loquebatur: Quæ autem ſurſum eſt, Hieruſalem libera eſt quæ eſt, mater omniū noſtrum. Et in alio loco: Sed acceſsiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Hieruſalē cæleſtem. Quartò appellatur Hieruſalem, quam Iudæi, & noſtri Iudaizantes iuxta Apocalypſim Ioannis, quam non intelligunt, putant auream atque gemmatam de cæleſtibus ponendam. Cuius terminos et infinitam latitudinem, etiam in Ezechielis vltima parte deſcripſi. Quæ cum ita ſe habeant: nunc diligentius intuendum eſt, quæ ex quatuor dixerit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei. Nec dubium eſt, quin congregatio ſanctorum, & quæ prior fuerat in Iudæis, & à Domino derelicta eſt, iſta commemoret, & voce lacrymabili conqueratur ſe eſſe deſertam, & Domini auxilio deſtitutam. Cui reſpondit Deus naturali vtens ſimilitudine: Si poteſt fieri, vt mater ſui obliuiſcatur infantis, & ad partum viſcerum ſuorum non flectatur miſericordia, & ego obliuiſcar tui. Plus aliquid dicam: & ſi illa oblita fuerit, vincens mentis duritia iura naturæ: ego tamen non obliuiſcar creaturæ meæ, & ſanctorum animas ſemper in meo corde retinebo. Scito enim tu, quæ te penitus arbitraris derelictam, in meis deſcriptam eſſe manibus atque depictam, & muros tuos coram oculis meis iugiter permanere. Ex quo diſcimus, nequaquam Hieruſalem in Palæſtinæ regione quærendam, quæ totius prouinciæ deterrima eſt, & ſaxoſis montibus aſperatur, & penuriam patitur ſitis, ita vt cœleſtibus vtatur pluuijs, & raritatem fontium, ciſternarum extructione ſoletur, ſed in Dei manibus, ad quā dicitur: Feſtinauerūt ſtructores tui. Siue iuxta LXX. Citò ædificaberis à qb. deſtructa fueras: à Iudæis .n. deſtructa, à Iudęis ædificata eſt. Quæ ob culpā ſcribarum, phariſæorumque deſerta, ad prædicationem Apoſtolorum Chriſti congregata eſt tam de Iudæis, quam de gentibus Sequitur: Et qui te deſtruxerant, & diſsipauerant, egredientur ex te doctores peſsimi: vt nequaquam mandata & traditiones ſequaris hominum, ſed legem Dei: Diciturque ad eam, vt eleuet oculos ſuos in circuitu, & videat filios qui ei fuerant congregati. De quibus & Dominus loquebatur: Leuate oculos veſtros, & videte; quia iam albæ ſunt ſegetes ad metēdū. Et vt ſecuros nos faciat: Viuo ego inquit Dominus (quod iuxta vetus teſtamentū, iurandi dicitur conſuetudine) quia omnibus his velut ornamento veſtieris, & circundabis tibi eos, quaſi ſponſa circundat monile ſibi. Felix qui tanti meriti eſt, tantæque virtutis, vt ornamentum dicatur eccleſiæ. Puto autem diuerſas ſignificari gratias ſpirituales per quas ſponſæ ornatur ambitio: De qua & in quadrageſimo quarto pſalmo canitur: Aſtitit regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circundata varietate. Quæ enim prius deſerta fuerant, & dilapſa in ſolitudines & ruinas, aduenięte Chriſti euangelio inſtaurabūtur, & tantam habebunt habitatorum multitudinē, vt eos capere non poſsint. Ita duntaxat vt perſecutores fugentur procul, vel hi, de quibus ſupra diximus: Qui deſtruebant te, & diſsipabant, exibunt à te. Filijque ſterilitatis tuæ, quos putabas te penitus perdidiſſe, & illis te eſſe, viduatam, dicent in auribus tuis: Anguſtus mihi eſt locus in ſynagogis: fac mihi ſpacium in eccleſijs, vt habitem latius: vt non comprimar blaſphemijs Iudæorum, vt totum orbem, tua mecum capiat latitudo. Tu autem lætitiæ magnitudinem non valens ore proferre, in tuo corde tacita cogitabis, & dices; Quis mihi iſtos genuit? Ego eram ſterilis & vidua deſerta, atque captiua in populo Iudæorum, filios habere deſieram multo tempore non pepereram: Poſt Aggæum & Zachariam & Malachiam, nullos alios prophetas vſque ad Ioannem Baptiſtam videram, & quomodo quæ fueram ſola, & viri auxilio deſtituta, tantos filios habere nunc cæpi? *Tom. 4. lib. 13. Comment. in caput 49. Eſaiæ.*

*Quatuor acceptiones Hieruſalem. et Sion. I.*

*Matth. 23.*

*Luc. 21.*

II.

*Pſal. 86.*

III.

*Gal. 4.*

*Heb. 12.*

IIII.

*Apoc. 21.*

*Ezechi 40.*

*Hieruſalem id eſt, eccleſia non continetur anguſtiis Paleſtinæ finibus.*



*Matth. 15.*

*Ioan. 4.*

*Pſal. 44.*

*Multitudo habitatorum eccleſiæ.*

*Filiorum eccleſiæ abundantia.*

ET vt ſciamus nequaquam hæc dici de populo Iudæorum, ſed de omnibus, qui per Apoſtolos in Dominum credituri ſunt, ponit & dicit, Qui conſolatus eſt eam, ſiue miſertus eſt eius: & qui erūt, vel redemit eam, ipſe parabit, ſiue reuelauit brachium ſanctum ſuum, in conſpectu omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. Ex quo perſpicuum eſt, extructa per Apoſtolos ſpirituali Hieruſalem, id eſt, eccleſia, quæ à Iudæis fuerat derelicta, reuelari brachium Domini cunctis gentibus, & videre ſalutare eius omnes fines terræ. Quod dupliciter intelligitur. Aut enim reuelat pater brachium ſuū cunctis gentibus, aut filius reuelat fortitudinem ſuam. De quo ſcriptū eſt: Virtus enim ab eo egrediebatur, & ſanabat omnes. Et iterū: Senſi virtutem exiſſe de me, quæ ſanauit hæmorrhouſiam. Quod autem filius Dei, patris dextera appelletur & brachium, multa ſunt teſtimonia, è quib. pauca dicemus. Saluauit ſibi dextera eius & brachiū ſanctum illius. Et alibi: In brachio meo gentes ſperabunt. De quo & Iacob dicit: Hic erit expectatio gentium. Et octogeſimus octauus Pſalmus: Tuum brachium cū potentia. Hoc brachio eduxit Dominus populum Iſrael de terra AEgypti. De quo ad Apoſtolorum principē loquebatur. Beatus es Simō Bariona, quia caro & ſanguis nō reuelauerunt tibi, ſed pater meus qui eſt in cælis. Et Apoſtolus Paulus de ſe: Quando, inquit placuit Deo, qui ſeparauit me de vtero matris meæ, vt reuelaret filium ſuum in me. Quod autē cunctis gentibus omnes terræ terminos copulauit, qui vſuri ſunt ſalutare Dei, illud oſtendit, quod & in alio loco dicitur Conuertimini ad me ab extremis terrę, & ſalui eritis. Et per Hieremiam: Ad te venient gentes ab extremis terræ. Et iterum: Recordabuntur, & conuertentur ad Dominum omnes fines terræ, & adorabunt in conſpectu eius omnes familiæ gentium quia Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium: vt non ſolum varietas gentium ſingularum, ſed & omnes mundi cardines credituri prænuntientur in Chriſto Iuxta id quod ipſe loquitur: Cum autem prædicatum fuerit hoc euangelium in toto mundo, tunc erit finis. *Tom. 4. lib. 14. Com. in ca. 52. Eſaiæ. Fol. 169.*

*Eccleſiæ propagatio ad gentes ex ſcripturæ teſtimōijs latè*

*Luc. 6.*

*Marc. 5.*

*Pſal. 97.*

*Eſaiæ 51.*

*Gen. 49.*

*Exod. 15.*

*Matt. 16.*

*Gal. 1.*

*Sup. 45.*

*Hie. 16.*

*Pſal. 21.*

*Matth. 24.*

*Omnes mundi cardines credent in Chriſtum.*

NON autem adientes ſupra. Quam pulchri ſuper montes pedes annunciantis, & prædicantis pacē &c. ]Et, Reuelabit Dominus brachiū ſuum in conſpectu omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri: nequaquam hoc de Iudæis, ſed de Apoſtolorum omniumque ſanctorum intelligimus choro. Quibus præcipitur, vt recedant de Hieruſalem, & in toto mundo Euangelium prædicent, dicente Domino Saluatore: & docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti: vt nequaquam cum Iudæis blaſphemantibus maneant, in quorum necem Romanus paretur exercitus: ſed pollutos derelinquāt, & ſeparentur ab eis, atque mundentur, qui portant vaſa Domini: Templum enim ſunt ſpiritus ſancti, & magnæ domus vaſa aūrea, & argentea. Qualis fuit Apoſtolus Paulus, qui vas electionis dicitur: præparauerat enim ſe in vas pretioſum, & aptum in miniſterium Dei. Vel certè hoc dicendum, quod vaſi Domini, armatura Dei ſit ſpiritualis. De qua & Paulus Apoſtolus loquebatur: Induite vos armatura Dei, & per ſingula enumerat: Loricam iuſtitiæ, & clypeum fidei, & galeam ſalutis, & gladium ſpiritus, qui interpretatur verbum Dei. Adhæc addit, cingulum veritatis, & calceatos pedes in præparatione Euangelij pacis. Et in alio loco: Deponentes ergo opera tenebrarum, induamur arma lucis. Sequitur: Non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis. Neque enim, vt victi, de Hieruſalem, ſed vt victores receſſerunt: vt qui quotidiè prædicantes in templo Euangeliū Dei, multa millia Iudæorum Chriſti fidei ſubiecerant, etiam mundum illius euangelio ſubiugarent. Præuium enim habebant Dominum, qui congregaret eos, Deum Iſrael, hoc eſt, de orbē terrarum vnū gregem faceret, vt impleretur illud quod Dominus in Euangelio ad patrem loquitur: Da vt ſicut ego et tu vnum ſumus: ſic & iſti in nobis vnum ſint: vt eodem ſenſu, & eadē ſententia, repugnantia inter ſe vitia, atque contraria deſerentes, vnam apprehenderent ſolamq; virtutē. *Ibi. Tō. 4. li. 14. Co. in cap. 52. Eſaiæ. fol. 170.*

*Vaticinium de propagatione eccleſiæ ad chorum omnium ſanctorum.*

*Matt. 28.*

*1. Corint. 3.*

*Acto. 9.*

*Ephe. 6.*

*Rom. 13.*

*Acto. 24.*

*Ioan. 17.*

DILATA locum &c. ]Cui dixerat: Lauda ſterilis quæ non paris: rumpe vincula, quibus prius tenebaris aſtricta, & clama in confeſsionem Domi-

*Exod.36.* Domini, quæ liberos non habebas. Nunc eidem
præcipit in ſimilitudinem tabernaculi Moyſi,
quod quondam habuit in deſerto, vt dilatet ten
torium ſuum, pelleſque diſtenter, & funiculos
faciat longiores, & clauos, quibus firmatur omne
tentorium in altum defigat, & roboret, ne ven-
torum flatibus diſsipetur. Ad dexteramq́ue pe-
*Ibid.17.* netret, & ſiniſtram, & nequaqam Iudaici taber-
naculi imitetur anguſtias: quod centum longitu
dinis cubitorum, & quinquaginta latitudinis am
*3.Reg.6.* biebat: nec tẽpli breuitate claudatur, quod ſexa-
ginta cubitos habebat in longũ, & viginti in latũ.
*Semen Abrahæ gentes hæreditabũt & eccleſiæ gentium in toto orbe conſurgent.* Sed ad dexteram, & ad ſiniſtram locum capere
ne ceſſet. Ac ne putemus hoc iuxta friuolam he-
bræorum contentionem dici de Sion, quæ in an-
tiquum ſtatum à Domino reſtituenda ſit, ponit
manifeſtius quod latebat: Et ſemen tuum gentes
hæreditabit. De quo & in euangelio legimus: E-
*Matt.13.* greſſus eſt qui ſeminat ſeminare. Et iterum: Nón
*Ibidem.* ne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Quod
ſemen etiam ciuitates deſertas faciat inhabitari,
vt eccleſiæ gẽtium in toto orbe conſurgant. Vel
certè ſemen dicendum eſt Apoſtolorum, & Iu-
daici populi reliquiæ. De quo in hoc eodem pro
pheta dicitur: Niſi Dominus ſabbaoth reliquiſ-
*Eſaiæ.1.* ſet nobis ſemen, ſicut Sodoma eſſemus & ſimiles
*Ro.9.f.11.a* Gomorræ fuiſſemus. Et Apoſtolus: Reliquię, ait
ſaluæ factæ ſunt. Hoc de eccleſiarum magnitudi
ne, quæ pro vno Iudææ loco, & ipſo anguſtiſsi-
mo, in toto orbe terrarum, ſuos terminos dilata-
bunt. *Tomo quarto lib. 15. Commentariorum. in cap. 54. Eſaiæ. fo. 174.*

*Totius mundi poſſeſsio eccleſiæ hæreditas.* ECCLESIAE Chriſti hæreditas totius mun-
di poſſeſsio eſt. *Tom. 4. lib. 15. Commentariorum ca. 54. Eſaiæ.*

MONS ſanctus, aut dogmata veritatis ſunt,
*Sup. 2.* trinitatiſq; confeſsio, aut ipſe Dominus ad quẽ
*Mich. 4.* vltimo tempore (iuxta hunc eundem Eſaiam &
Michæam prophetã) gentes plurimæ confluent.
Domuſque orationis, eccleſia eſt: quę in toto or-
be diuiditur, & non templũ Iudæorum, quod bre
uiſsimis Iudeę terræ arctabatur anguſtijs. *Tom. 4. libro decimo quinto Commentariorum in cap. 16. Eſaiæ. fol. 83.*

Nos qui Chriſti cenſemur nomine, occiden-
tem relinquimus litteram, & ſequimur ſpiritum
viuificantem, imò ſpiritualia ſpiritualibus com-
paramus. Non Boſphorum, & ſiccitatem, rurſum
maris, & arentia fluenta Iordanis, quæ fabularũ
ſimilia ſunt, ſed dignam in ſeruos ſuos Dei cle-
mentiam quærimus quo præeunte, & nobis ape-
riente viam, tranſimus maris fretum, ſiue angu-
*Matt.7.* ſtum mare, quod peccatoribus latiſsimum eſt.
Lata enim & ſpatioſa via, quæ ducit ad mortem:
*Pſal 106.* arcta & anguſta, quæ ducit ad vitam. De hoc ma-
ri & in Pſalmis legimus: Qui deſcendunt in ma
re nauibus, facientes operationem in aquis mul-
tis: ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia e-
ius in profundo. In hoc mare ſæculi (in quo ſan-
*Marc.4.* ctorũ numerus coarcatur, & in tribulatione po-
ſitus eſt) deſcenderunt Apoſtoli, & primus Do-
*Matt.13.* minus, vt nos de amaris fluctibus liberaret. In
hoc mare ſagena euangelij mittitur: quę teſtimo
nijs texta eſt ſcripturarum: vt piſces multos &
obrutos mundi huius gurgitibus in auram ex-
*Pſal.106.* trahat liberam, vt poſsint laudes Deo canere.
Hi ſunt qui deſcenderunt in mare, & in Eccleſi-
arum nauibus faciunt opera multa, & Dei cer-
nunt mirabilia in profundo diuitiarum ſapien- *1. Cor. 2.*
tiæ & ſcientiæ eius, & in ſpiritu ſancto, qui ſcru- *Matth. 4.*
tatur etiam alta Dei quibus Dominus loquitur:
Venite poſt me, & faciam vos piſcatores, qui de- *Eſaiæ. 11. Sec. 70.*
ſcendunt in mare, & ſunt in nauibus. Eſaias quo-
q́ue vaticinatur: Volabunt in nauibus alienige- *Apoſtoli mare ſunt deprædati: & ceperũt piſces innumeros.*
narum & mare pariter deprædabuntur. In ec-
cleſijs enim de numero gentium congregatis,
toto Apoſtoli orbe volitarunt, vt deprædaren-
tur mare, & draconis ſpolia tollerent, qui regna-
bat in mari, & de quo ſcritum eſt: Hoc mare mag *Pſal. 103. 8.*
num, & ſpatioſum manibus illic reptilia, quorũ
non eſt numerus: Animalia puſilla cum mag-
nis, illic naues pertranſibunt: Draco iſte quem
formaſti ad illudendum ei. Latum & ſpatioſum
mare eſt paruis & magnis animantibus, quæ cũ
Dracone verſantur, & quorum non eſt nume- *Pſal. 88.*
rus. Qui autem ſuper mare ſunt, & in ipſo mari
volitant in nauib. audient cum Saluatore: Tu do
minaris poteſtati maris motum fluctuum eius
tu mitigas. Cumq́ue tranſierint in maris freto,
& fluctus eius ſuo conculcauerint pede, confun- *Ibid. 65.*
dentur omnia profunda fluminis, de quo ſcrip-
tum eſt: Qui conuertit mare in aridam in flumi-
ne pertranſibunt pede: vt humilietur iniuria, ſi-
ue ſuperbia Aſſur, & Aegypti à ſanctis atque cre *Ibid. 117.*
dentibus recedat imperium, & qui liberati ſunt *Ibid. 17.*
confortentur in Domino, & dicant: Fortitudo
mea & laudatio mea Dominus. Et iterum: Dili- *Hier. 16.*
gam te Domine fortitudo mea. Et cũ Hieremia.
Fortitudo mea & auxilium meum, & refugium *Philip. 4.*
meum Domine Deus meus. Vnde & Apoſtolus,
in quo Chriſtus loquebatur, aiebat: Omnia
poſſum in qui eo me confortat & nõ ſolũ confor
tabuntur in Domino, ſed & gloriabuntur in eo, *Galat. 6.*
& dicent: Mihi autem, abſit gloriari, niſi in cru-
ce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi *1. Corin. 1.*
mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Et: Qui *Hier. 9.*
gloriatur, in Domino glorietur. Et in alio loco:
Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, neque
fortis in fortitudine ſua, neque diues in diuitijs
ſuis: ſed in hoc glorietur qui gloriatur, intellige-
re & ſcire Dominum, & facere miſericordiam & *Nouum nomen Chriſtianorum promittitur.*
iudicium in medio terræ. Verum quia in hebra-
ico ſcriptum eſt: Et in nomine eius ambulabunt.
ſic inlligendum eſt: quod in nomine Chriſti am *Geneſ. 5.*
bulent Chriſtiani, & ſcribatur in calculis eorũ no
men nouũ, & ſub tanti nominis dignitate ambu-
lent cũ Domino, ſicut ambulauit. Enoch, & pla-
cuit Deo & tranſlatus eſt. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 10. Zachariæ.*

ANNVNTIAVI iuſtitiam tuam in eccle- *Cur eccleſia magna dicatur.*
ſia magna & cætera] Gratias tibi ago ſaluator
mundi, quod magnam feciſti Eccleſiam tuam
à quatuor mundi partibus Euangelica prædi-
catione vocatam, tua paſsione collectam, tua
reſurrectione mundatam. In Eccleſia magna,
in toto mundo diffuſa. *Tomo ſeptimo Commentariorum: in Pſalmum. 39.*

ET eduxit me ad portam &c.] Vox erat Dei, *Apoc. 14.*
quaſi vox aquarum multarum: quod et Ioan-
nes in ſua confirmat Apocalypſi: LXX. poſue-
runt. Et vox caſtrorum quaſi vox geminanti-
um multorum. Tertio in hebraico habetur:
Vidi viſionem ſecundum ſpeciem quam vide-
ram quando venit vt diſperderet ciuitatem.



Venit autem ille qui in principio huius prophe-
tæ veſtitus erat lineis, & atramentarium habebat
ad lumbos, cum alijs ſex, vt diſperderet ciuita-
tem, non vt vngeret, quod LXX. tranſtulerunt.
Qui quartò dixere: Et viſio currus quam vide-
ram: quod in hæbraico non habetur. Dicamus
ſtrictim de ſingulis, quantum explanationis pa-
titur difficultas: ne dum ſtudemus breuitati, ve-
lamentum non ſolum Moyſi, ſed & prophetæ
Ezechielis remaneat in nobis: qui cupimus re-
uelata facie veritatem Domini cõtemplari. Glo-
ria ergo Dei Iſrael ingreditur per viam orienta-
lem: per quam & egreſſa fuerat, quando ciuitas
*Sup.10.* Domini furore percuſſa eſt. Ingreditur autem,
imo regreditur ad eam, quia templum Domini
ędificatũ in monte monſtrauerat. Et tamen mul-
tò plus eſt quod in conſequentibus dicitur: Leua
uit me ſpiritus: & introduxit me in atrium exte-
rius: & ecce repleta erat gloria Domini domus.
Hic enim gloria tantum Dei Iſrael ingreditur:
ibi autem dicitur, quod plenitudo gloriæ Domi
ni fuerit in templo: de qua & Eſaias ſcribit: Vidi
*Eſaiæ 6.* Dominum ſedentem ſuper thronum excelſum
& eleuatum: & plena ęrat domus gloria eius: quã
do reuelata facie gloriam Domini contemplan-
tes, reformamur in imaginem creatoris. Vox
*2. Cor. 3.* quoque erat Dei, quaſi vox aquarum multa-
rum, omnium ſcilicet in toto orbe populorum:
*Apoc. 14.* vt Ioannes Euangeliſta interpretatur: ſiue qua-
*Exercitus atque caſtrorũ acies eccleſia* ſi vox caſtrorum, & ſicut vox geminantium
multorum, vt exercitus Dei ſacramenta co-
gnoſceret. Quod intelligens Iacob, vocauit
*Gen.32.* nomen illius loci, caſtra. De quibus & alibi
ſcriptum eſt: Currus Dei decem millium mul-
*Pſal.67.* tiplex millia lætantium. Vna autem vox dici-
tur caſtrorum & multitudinis, propter vnum
in Dei laude conſenſum Geminaturq; vox canẽ
*Eſaiæ 6.* tium patri, & filio & ſpiritui ſancto: Sanctus,
ſanctus ſanctus Dominus Deus Sabaoth, plena
eſt terra gloria eius. Sequitur: Et terra ſplende-
bat à maieſtate eius. Quod propriè in aduentu
*Pſal.18.* Chriſti factum eſt, quando in omnem terram
*Rom.10.* exijt ſonus Apoſtolorum, & in fines orbis terræ
verba eorum: quotidieq́ue impletur in cre-
dentibus: & ad perfectum complebitur, quando
*1.Corint. 15.* corruptiuum hoc induerit incorruptionem: &
mortale iſtud fuerit immortalitate veſtitum.
*Tomo quarto lib. 13 Commentariorum in caput 43. Ezechielis.*

QVOD autem reliquum fuerit & cætera]
Poſt vrbis ſanctæ deſcriptionem & ſuburbanã
eius, reliquam partem primitiarum ſanctuarij
decem millia calamorum in Orientem, & alia
decem millia ad Occidentem tendentium, de-
legari his qui opera ciuitatis exercent ad varios
vſus, & quibuſcumque vrbs indiget, & ſci-
licet ſerantur, & ex frugibus quæ in hoc terræ
naſcuntur ſpatio veſcantur operarii: qui vel
mœnia vrbis extruunt, vel interrupta & ruino-
ſa reſtituunt: vt habeat ciuitas cultum ſuum,
& ſartatecta, cum popoſcerit neceſsitas, inſtau-
rentur. Et hæc non ſolum in Iſrael, vel in poſ-
ſeſsione terræ Sanctæ ſpiritualiter Eccleſiæ my-
ſterio continetur, ſed in Romano quoque fie-
ri probamus imperio: vt quædam villæ ſint,
pertinentes ad iura vrbium, vel regia munifi-
centia, vel hæreditatibus & donatione multo-
rum: ne ſcilicet paulatim ædificia collabantur,
& ædes publicæ, quæ ornamento ſunt ciuitati, *Omnes certatim exſtruũt eccleſiã Dei vniuerſalem.*
longa vexentur incuria. Operarij autem in-
quit, ſiue qui ſeruiunt in operibus ciuitatis,
erunt ex omnibus tribubus Iſrael: vt nullus ſe
opere ciuitatis immunem putet ab ſed omnes cer
tatim extruant Eccleſiam. Quod in tabernacu-
lo quoque legimus, vt pro varietate virium, a- *Exod. 25.*
lius aurum & argentum, coccum, byſſum, &
purpurum, variaque & diuerſa ſubtegmina: a-
lij pelles & caprarum offerrent pilos, & cum eſ-
ſent dona diuerſa, pro qualitate ſubſtantiæ v-
num donantium eſſet præmium: imò maius co-
rum, qui parua quidem obtulerint ſed maio-
ra pro viribus: in exemplum viduæ pauperis,
quæ duo minuta in gazophylacij dona mitte-
bat, & Domini eſt iudicio laudata, dicentis:
Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper pluſ-
quam omnes miſit: Nam omnes hi ex abundan- *Luc. 12.*
tia ſibi miſerunt in munera Dei: hæc autem ex
eo quod deeſt illi, omnem victum ſuum, quem
habuit miſit. Sicut ergo diximus de operibus ci-
uitatis, ſic illud breuiter perſtringendum eſt: *Opera ciuitatis dei id eſt, Eccleſiæ.*
quod omnes primitiæ ſanctuarij, & poſſeſsio ci-
uitatis pariter ſupputata per quadrum, conti-
neat millia ducenta quadraginta ſex, & partem
tertiam. Si enim vigintiquinque millia calamo-
rum, qui ſenos cubitos habent & palmum v-
nũ faciunt noſtra, hoc eſt, Romana ſexaginta &
vnũ millia, & ſexcentos ſaxaginta ſeptem paſ-
ſus: nulli dubium eſt, hæc in quadruplum ſup-
putata ſuperiorem efficere numerum. Ex quo
perſpicimus omnia intelligendo ſpiritualiter,
eccleſiæ poſſeſsionem multò latiorem eſſe quã *Eccleſiæ poſſeſsio multo latior quam in Iudæa.*
quondam fuit in Iudæa: qui ne accipere quidem
partes terræ ſanctæ, ſed ex ſingulis tribubus qua
draginta octo ciuitatum, non ex pleno poſſeſsio *Num. 35.*
nem, ſed habitationem & hoſpitia ſuſceperunt:
Vt ipſi quoque, qui videntur Laici, nec perue-
niſſe ad ſacerdotalem & leuiticum gradum
tamen ſi operentur in Domini ciuitate, veſ-
cantur, de ſancta terra, terra mitium terraq́ue
credentium: quorum vnus loquebatur: Credo *Pſal. 26.*
videre bona Domini, in terra viuentium. *Tomo quarto libro decimo quarto Commentariorum in cap. 48. Ezechielis Folio. 492.*

DOMVS Iſrael, quæ à me receſsiſti, quæ
confidis in monte Samariæ, quæ vindemiaſti
primitias nationum, tranſi et vide & perge ad
muros plurimos: hoc enim interpretatur He-
math Rabba. atque inde clementer deſcende in
torcular eorum, qui cadent bibentes (Geth enim
& Philiſtijm hoc reſonant) Et omnia contempla
re: præcipueq́ue omnia regna vel optimas ciui-
tates de omnibus regnis, & conſidera ſi plures
ſint termini eorum quam veſtri. Si enim volu-
erimus mente tractare, & vniuerſarum gentium
diſcutere philoſophiam: AEgyptiorum, In- *Pſal. 18.*
dorum, atque Perſarum reperiemus anguſtio-
res earum terminos ſanctarum terminis ſcriptu-
rarum. In omnem enim terram exiuit ſonus eo-
rũ, & in fines orbis terræ verba eorum. Iſti quibus
ſupra dixerat: Domus Iſrahel tranſite omnes &
videte: à qualibus vitijs ad meliora tranſire iube *Termini ſanctarũ ſcripturarum ſe latius extẽdũt quam gentiũ philoſophia.*
antur, ſequens ſermo deſcribit. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 6. Amos.*

ET erit in nouiſsimo dierum mons domus do-
mini præparatus in vertice montiũ &c.] Ad hunc

*In morẽ fluuiorum innumerabiles turbæ confluent ad Eccleſiam.* *Act. 2.*

montem, qui præparatus eſt ſuper verticẽ montium, & exaltatus ſuper colles, feſtinabunt: ſiue vt in hebræo habetur, fluent omnes populi: id eſt in morem fluuiorum turbæ innunerabiles congregabuntur. Feſtinabunt autem populi, quando in eo pariter crediderint Parthi & Medi et Elamitæ, & habitantes Meſopotamiã Iudæam, & Cappadociam, Pontum & Aſiam. Phrygiam, & Pamphiliam, Aegyptum & partes Lybię, quę eſt iuxta Cyrenẽ, & aduenæ Romani, Iudæi, & proſelyti. Cretes, & Arabes. Nõne vobis feſtinaſſe videntur ad montẽ, quib dictũ eſt: Sequimini me, & faciam vos piſcatores hominũ, & protinus ſequuti ſunt Saluatorem: Rurſumq; de Iacobo & Ioanne ſcriptura refert: quòd relicta naui, & patre & fluctib. ſæculi, feſtinauerint ad montẽ. Et Matthæus publicanus audiens: Sequere me, ſtatim cucurrerit. Sed & illud in euãgelio, quãdo ſequutæ ſunt eum turbæ multæ de Galilæa: & decapoli, & Hieroſolymis, & Iudæa, trans Iordanem & curauit eas, feſtinantes populos probat. Populis aũt feſtinantibus, gentes quoq; plurimæ ibunt ad montem: totus ſcilicet orbis in eum credens, & dĩcent ad vexillum ſe patibuli mutuo prouocantes: venite aſcendamus in montem Domini. *Tom. quinto libro primo Commentariorum in caput quartum Micheæ. Fol. 155.*

*Matth. 4.* *Matth. 9.* *Ibid. 4.* *Totus orbis in Chriſtum credet & ad vexillũ crucis ſe mutuo prouocabunt*

NVNQVID in fluminibus iratus es domine: &c.] Quod autem mare in bonam partem accipiatur: Pſalmus viceſimus tertius teſtimonio eſt, in quo tropologicè de eccleſia dicitur, ἡ οἰκουμένη, id eſt, orbis terrarum. Domini eſt terra & plenitudo eius: orbis terrarum & omnes qui habitant in eo, ipſe ſuper mare fundauit eum, et ſuper flumina præparauit illum, id eſt, orbem. *Tom. 5. lib. 2. Comment: in cap. 3. Habacuc.*

*Eccleſia ἡ οἰκουμένη id eſt, orbis terrarum.*

MOVI cælum, quando de cælo audita eſt vox mea. Moui terram, quando priori populo tradidi teſtamentum, & in aduentu meo, caligo, turbo, & tenebræ cernebantur. Moui mare rubrum, quando viam præbui populo tranſeunti. Moui aridam, vel Aegyptum per plagas cultu Dei vacuam, vel ſolitudinem per quam quadraginta annis circunduxi populũ. Hæc adhuc ſemel mouebo: Quod factum cernimus in aduentu Domini ſaluatoris: tempore quippe paſsionis eius, fugiente ſole, cælum motum eſt, & tenebræ factæ ſunt ſuper omnem terram, ab hora ſexta vſque ad horã nouam. Mota eſt terra, & ſaxa ſciſſa ſunt, & ſepulcra reſerata: motũ eſt mare, dracone qui in eo erat interfecto: mota eſt & arida, infructuoſa quondam gentium ſolitudo. In hoc autem vniuerſitatis tremore, commotæ ſunt etiam omnes gentes: Quia in omnem terram exiuit ſonus Apoſtolorum Domini, & verba eorum penetrauerunt vſque ad terminos orbis terræ. Ob id autem omnes motę ſunt nationes, vt ex earum motu veniret electa gẽtium multitudo, & quæ vbicunq; præclara ſunt. Verbi gratia: Electa de Corintho: quia multus erat in ea populus Dei. Electa de Macedonia: quia grandis in Theſſalonica Dei eccleſia congregata non habebat neceſſariũ vt de charitate doceretur. Electa de Epheſo, vt arcana Dei & nulli antea reuelata ſacramenta conoſcerent. Quid plura? omnes gentes commotæ ſunt, ad quas ſaluator apoſtolos miſerat, dicens: Euntes docete omnes gentes: & ex multis vocatis pauci electi, primitiuorum eccleſiam conſtruxerunt. Vnde & Apoſtolus Petrus: Salutat vos, inquit, quæ in Babylone eſt electa, & Marcus filius meus. Et Ioãnes ſenior, inquit, electæ Dominæ ac deinde filios memorat electæ. *Tom. 5. lib. 1. Com. in cap. 2. Aggei.*

*Matt. 27. Luc. 23.* *Cõmotæ ſunt omnes gentes vt ad eccleſiam confugerent.* *Pſal. 18.* *Ad omnes gentes apoſtoli miſsi* *Matth. 28.* *1. Petri 5.* *2. Ioannis.*

IVXTA allegoriam, quæcunq; in quatuor cornibus & quatuor fabris diximus, etiam in præſenti loco accipiamus: Legi in cuiuſdam volumine quatuor quadrigas, in quibus ſunt equi rufi: & nigri, & albi, & varij ac fortes, quatuor euangelia intelligenda, & equos Apoſtolos, per diuerſitatem colorum diuerſas gratias poſsidẽtes: quorum alij rufi ſint in martyrio: alij obſcuri & nigri & Chriſti myſteria cognoſcentes, de quibus dicitur in Pſalmis: Caligo ſub pedibus eius. &: Poſuit tenebras latibulum ſuum: Alij albi gratia virginali: alij varij & fortes, habentes gratiam curationum, diuerſarumque virtutum. Hæ quadrigæ quatuor, ſiue currus, miſsi ſunt in quatuor ventos cæli, ideſt, ad cardines mundi, & vniuerſum orbem terrarum, vt explerent Domini voluntatem, quib. poſtea infertur ab angelo: Ite, & perambulate terram, & in cunctis terrarum finibus Euangelium ſeminate. Hoc quoque quod ſequitur: Ecce qui egrediuntur in terram aquilonis requieſcere fecerunt ſpiritum meum in terra aquilonis: ſic explanauit, vt diceret requieuiſſe ſpiritum Domini, ſiue angeli, quando in terra aquilonis, diaboli regna duriſsima Apoſtolica prædicatione ſubuerſa ſunt, & hæc eſſe regna, quæ Domino ſaluatori in monte excelſo diabolus oſtendens, ſibi tradita gloriatus ſit. *Tom. 5 lib. 1. Com. in cap 6. Zachariæ.*

*Pſal. 17.* *Quatuor quadrigæ ſiue currus id eſt quatuor euãgeliſtæ miſsi ſunt in vniuerſum terrarum orbẽ.* *Matth. 4.*

HAEC dicit Dominus exercituum & cæt.] Quod de Hieruſalem & Zorobabel, ſiue poſt Zorababel diximus, rectius & plenius refertur ad Chriſtum, & Hieruſalem, quæ intelligitur eccleſia: & tunc de toto terrarum orbe & populos & gentes ad offerenda in templo domini ſacrificia concurſuras. Perſecutionis quoque tempore vt ante perſtinximus, magiſtri & ſacerdotes eccleſiæ audacter captiuis & credentibus repromittant: quod rurſum ędificandę ſint παροικίαι, & pacis reddenda tranquillitas, & in eccleſijs, facies Domini deprecanda. *Tom. 5. lib. 2. Comment. in cap. 8. Zachariæ. Fol. 252.*

*Hieruſalem i. eccleſia per totum mundum diffuſa.*

HAEC dicit dominus exercituum. In diebus illis &c.] Nos in aduentu Saluatoris, quando de Maria natus eſt virgine, & rectius & verius intelligimus. Denique ſcriptum eſt: vſq; quo veniant populi? Quando dicitur vſquequo: non de præſenti tempore ſignificat, in quo erant Zarobabel & Ieſus: ſed de futuro, quando populi multi, & gentes robuſtę, vt quærant Dominum exercituum in Hieruſalem, & deprecentur faciem Domini. In illo igitur tempore, & in illis diebus, apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium fimbriam viri Iudæi, dicentes: Ibimus vobiſcum: audiuimus enim quoniam Deus vobiſcum eſt. Et in Eſaia legimus: Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum: dicentes: Panem noſtrũ comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur: tantũ vocetur nomen tuũ ſuper nos, aufer opprobriũ noſtrũ. Quæ igitur ibi ſeptẽ mulieres appellantur, id eſt, eccleſię (quarũ numerus & in Paulo apoſtolo continetur: ad ſeptẽ. n. ſcribit eccleſias: ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad Theſſalonicenſes. Et in Ioannis Apocalypſi in medio ſeptem candelabrorum, id eſt, eccleſiarum, Epheſiorum, Smyrnenſium, Pergamenorum, Thyatirenorũ. Sardenſium, Philadelphienſium, Laodicenorum: varietate & auro puriſsimo Dominus accinctus ingreditur) nunc in propheta Zacharia decem nominantur, quas requiſiuit & Dominus: vt ſi inueniſſet in Sodomis & Gomorris, Adama & Seboi, eas de interitu liberaret. Iota. n. littera, ex qua ſumit nomen Saluatoris exordiũ non ſolum apud Græcos, ſed & apud Hebræos, denarium numerum ſignificat. Et hoc myſtico ſermone monſtratur, quod omnes qui cenſentur vocabulo Chriſtiano (quos & Dominus ſeptem millia tempore perſecutionis Hiezabel & fugæ Eliæ reliquiſſe ſe dicit: qui non curuauerũt genua ante Baal, & in menſuram viri perfecti venerint, ex omnibus linguis & nationibus) apprehendent fimbriam viri Iudæi, id eſt, Domini Saluatoris: de quo & in Pſalmis dicitur: Iuda rex meus. Et: Iudas, te laudabunt fratres tui. Et rurſum: Non deficiet princeps ex Iuda, & dux de fœmoribus eius, donec veniat cui repoſitum eſt, & ipſe erit expectatio gentium: Erit enim radix Ieſſe, & qui exurrexerit vt dominetur gentibus, in ipſo gentes ſperabunt. Cumque apprehenderint eum, cupient eius hærere veſtigijs: quoniam Deus cum eo ſit. Vel certè ex omnibus linguis, & nationibus quicunque crediderint, apprehendent virum Iudæum, apoſtolos qui ex Iudæis ſunt, & dicent: Eamus vobiſcum: audiuimus enim per prophetas, & omnium ſcripturarum voce cognouimus, quod Dei filius Chriſtus Deus & Dominus ſit vobiſcum. Vbi maniſeſtiſsima prophetia eſt, & de Chriſti atque apoſtolorum eius prędicatur aduẽtu, & fide vniuerſarum gentium, nihil amplius requiramus. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 8. Zach.*

*Zach. 8.* *Eſaia. 4.* *Paulus epiſtolas ad ſeptem ſcribit eccleſias.*



*Apoc. 1.* *Gen 18.* *Omnes Chriſtiani & oẽs eccleſiæ apprehendent fimbriã Chriſti Domini ſaluatoris.* *3. Reg. 19.* *Pſal. 19.* *Gen. 49.* *Prophetia manifeſta de fide vniuerſarum gentium.*

HAMATH quoque in terminis eius &c.] Tyrus & Sidon erunt in terminis Damaſci, ſiue in terminis terrę Hadrah: vt credant in Dominum Saluatorem, cui à patre dictum eſt, Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Huius Tyri filiæ, id eſt, animæ Chriſto credentium deferent regi munera: vt impleatur quod Scriptum eſt: Adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus. Cumque vrbs Dei eccleſia fuerit extructa, de qua Pſalmiſta decãtat: Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei: ſtatim ſequentur & cætera: Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum, iſti nati ſunt ibi. De alienigenis in duobus Pſalmis dicitur: Mihi alienigenæ ſeruiunt, ſiue ſubiecti ſunt. De Aethiopibus in propheta legimus Sophonia: Tranſ flumina Aethiopiæ inde ferent dona mihi. Et in Pſalmo: Aethiopia præueniet manus eius Deo: De Tyro autem euangelium loquitur: Væ tibi Chorazaim, væ tibi Bethſaida: quoniam ſi in Tyro & Sidonæ factæ eſſent virtutes, quæ factæ fuerunt in vobis, olim forſitan in ſacco & cinere pęnitentiam egiſſent. De Tyri & Sidonis finibus illa mulier Chananæa Syropheniſſa, cuius filia malè ſe habebat à Dæmonio, occurrit Domino Saluatori, & Tyriorum ac Sidoniorum fidei primitias dedicauit: vt quæ tempore Chriſti non crediderant, quia necdum viderant ſigna atq; virtutes, poſtea viderent per apoſtolos & crederent; eſſentque beatitudinis illius compotes, quã Dominus repromittit, dicens beatiores qui non viderunt, & crediderũt. Tyrus autem & Sidon (quarum altera συνοχή, ideſt, anguſtia: altera θήρευμα, id eſt, venatio interpretatur) in tantum ſibi ſumpsêre ſapientiam, vt ſophiſmatibus ſuis, & Dialecticæ retibus & σωρειτῶν texturis (quas munitiones ſcriptura commemorat) proponeret ænigmatã Salomoni, id eſt, regi pacifico, & argentum ſuum, nidorem videlicet eloquentiæ, & aurum, ſenſuum calliditatem, inſtar pulueris & luti, quod in plateis ac vijs eſt, congregaret: vt regnum idololatriæ, quod munierat, poſsideret. Sed aduerſus has munitiones Apoſtolus loquitur. Nam arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia: ſed potentia Deo, ad diſtinctionem munitionum, cogitationes deſtruentia, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſum ſcientiam Dei. Et ſub perſona Niniue (quæ interpretatur ornata, vel pulchra. Nihil enim mundo ornatius eſt) Dei per prophetam contra mundi homines ſermo dirigitur. Et tu inebriaberis, eriſque deſpecta, & quæres auxilium ab inimico. omnes munitiones tuæ ſicut ficus cum groſsis ſuis: ſi concuſſæ fuerint, cadent in os comedentis. Et Tyrum igitur & Sidonem Dominus poſsidebit, cum ante percuſſerit fortitudinem earum in ſalſiſsimo & amariſsimo mari huius ſæculi: & nequid in eis priſtinæ remaneat ſapientiæ, id eſt, tumentis ſtultitiæ (per quam ſibi imbecillas munitiones, & argentum & aurum luto ſimilia compararunt) igne eas excoquet, & mundabit ad purum: de quo Saluator loquitur in euangelio: Ignem veni mittere ſuper terram, & quam volo vt ardeat? iuxta illud quod in Marco ſcriptum eſt: Omnis igne ſalietur. *Tom. 5. lib. 2. Commentario. in cap. 9. Zachariæ Fol. 253.*

*Pſal. 2.* *Pſal. 44.* *Ibid. 86.* *Ciuitate Dei Eccleſia ex ſtructa variæ gentes eò cõfluent.* *Ibid. 59.* *Sopho. 3.* *Pſalmo. 67.* *Matt. 11.* *Mar. 7.* *Ioan. 10.* *Munitiones aduerſus eccleſiam quæ & quomodo diruantur.* *2. Corint. 10.* *3. Reg. 10.* *2. Corint. 10.* *Nahum. 3.* *Luc. 12.* *Mar. 9.*

ET prædicabitur hoc euangelium regni &c.] Signum dominici aduentus, eſt euangelium in toto orbe prædicari, vt nullus ſit excuſabilis: quod aut iam completum, aut in breui cernimus eſſe complendum. Non enim puto aliquam remanſiſſe gentem, quæ Chriſti nomen ignoret. Et quanquam non habuerit prædicatorem: tamen ex vicinis nationibus, opinionem fidei non poteſt ignorare. *Tom. 6. lib. 4. Com. in cap. 24. Matt. Cano. 52.*

*Ante Meſsiæ aduentum in toto orbe prædicabitur euangelium.*

SICVT fulgur exit ab Oriente, &c.] Nolite exire, nolite credere, quod filius hominis vel in deſerto gentium ſit, vel in penetralibus hæreticorum: ſed quod ab Oriente vſque in Occidentem fides eius in catholicis eccleſijs fulgeat. Hoc quoque dicendum, quod ſecundus Saluatoris aduentus nõ in humilitate vt prius, ſed in gloria demonſtrandus ſit. Stultum eſt itaque eum in paruo loco, vel abſcondito quærere, qui totius mundi lumen ſit. *Tom. 6. lib. 4. Comme. in cap. 24. Matthæi Cano. 53.*

*Chriſtus non eſt quærendus in penetralibus hæreticorum, ſed in Catholica eccleſia.*

AMEN dico vobis, vbicunque prædicatum & cæt.] Et attende notitiam futurorum, quod paſſurus poſt biduum, & moriturus, ſciat euangelium ſuum toto orbe celebrandũ. *Tom. 6. lib. 4. Com. in cap. 26. Mat. Cano. 58.*

*Toto orbe celebrandum euangelium.*

SPERO enim per donationes &c.] Quod autem crebro Paulus in carcere fuerit, & de vinculis liberatus ſit, ipſe in alio loco dicit: In carceribus frequenter: de quibus nonnunquam Domini auxilio, crebro ipſis perſecutoribus nihil dignum in eo morte inuenientibus, dimittebatur.

*2. Cor. 11.*

Nec dum enim ſuper nomine Chriſtiano ſenatuſconſulta præceſſerant, necdum Chriſtianum ſanguinem Neronis gladius dedicarat. Sed pro nouitate prædicationis, ſiue à Iudæis inuidentibus, ſiue ab his quæ ſua videbant idola deſtrui, ad furorem populis concitatis, miſsi in carcerem, rurſum impetu & furore depoſito laxabantur. Et hoc ita eſſe vt dicimus, Apoſtolorum Acta teſtantur, in quibus & Felix loquitur ad Agrippam, potuiſſe dimitti Paulum, ſi non appellaſſet Cæſarem. Et quia nullam inuenerit cauſam præter quæſtiones quaſdam de religione propria, & de quodam Ieſu quem Paulus viuere prædicabat. Ex quo animaduertimus, & à cæteris iudicibus ſimiliter eos potuiſſe dimitti, id agente Domino, vt toto orbe noua prædicatio diſſeminaretur. *Tom.6.lib.1.Commentario.in cap.1.ad Philemonem. Fol.216.*

*Act.25.*

*Senatuſconſulta ſuper nomine Chriſtiano necdũ præceſſerant tempore Pauli, id agente Domino vt toto orbe noua prædicatio diſſeminaretur.*

## III. *Eccleſiam Catholicam viſibilem eſſe, & ciuitatem ſupra montem poſitam.*

*Luc.13. Pſal 45. Luc.11. Gal 4. Heb.12. Gen.12.*

ILLA expetenda eſt ciuitas, non quæ occidit prophetas, & Chriſti ſanguinem fudit, ſed quam fluminis impetus lætificat: quę in monte ſita, celari non poteſt: quam matrem ſanctorum Apoſtolus clamitat: In qua ſe municipatum cum iuſtis lætatur habere. Neque verò hoc dicẽs memetipſum inconſtantiæ redarguo, damnoque quod facio: vt fruſtra videar, ad exemplum Abraham, & meos, & patriam reliquiſſe: ſed nõ audeo Dei omnipotentiam anguſto fine concludere, & coartare paruo terræ loco, quem non capit cælum. *Tom.1.Epiſtola.13.ad Paulinum.capite.1.in fine:*

*Eccleſia in monte ſita celari non poteſt.*

ET plena erat domus maieſtate eius. Domus Dei, quæ ſurſum eſt, gloria plena cõſpicitur: hæc verò, quæ deorſum eſt, neſcio an plena ſit gloria: niſi fortè ſecundum ſenſum pſalmiſtæ dicẽtis: Domini eſt terra, & plenitudo eius: Nos quoque dicamus eos eſſe in terra plenos gloria, qui poſsiat dicere: nos omnes ex plenitudine eius accepimus. Iſtam domum ſapientes mulieres ædificant, & inſipientes diſsipant manibus. De iſta & Eſaias loquitur: & erit in nouiſsimis diebus præparatus mons domus Domini in ſummis mõtibus, & eleuabitur ſuper colles. Hæc eſt domus, de qua & alibi ſupradictus Paulus ſacrata voce teſtatur: & Moyſes quidem fidelis in tota domus eius, quaſi famulus in teſtimonium eorum, quæ dicenda erant. Chriſtus autem vt filius ſuper domum eius, cuius domus ſumus nos: ſi tamen principium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmum teneamus. De hac & ad Timotheum loquitur: Hæc autem ſcribo, vt ſcias quemadmodum oporteat te conuerſari in domo Dei, quę eſt eccleſia. *Tom.3.Epiſt.142.ad Damaſ.*

*Domus Dei mons i eccleſia gloria plena proinde viſibilis. Pſal.23. Ioan.1. Pro.14. Eſaiæ.2. Heb.3. 1.Tim.3. Pſal.95. Matt 5. Pſal.45. Ibid.86.*

IN die illa cantabitur &c. ] Ego puto hoc eſſe canticum, de quo in alio loco ſanctis præcipitur: Cantate Domino canticum nouum. Erit autem canticum, hoc quod ſequitur: Vrbs fortitudinis noſtræ Saluator. Quæ eſt iſta vrbs? Quæ in monte ſita latere non poteſt. De qua & in alio loco ſcriptum eſt: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Et rurſum: Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Huius vrbis ille conditor eſt, de quo loquitur pater. Iſte ædificauit ciuitatem meam: Imò vrbs fortitudinis noſtræ Saluator eſt, id eſt, Ieſus. *Tom.4.lib.8.Com.in cap.26.Eſaiæ. Fol.94.*

*Vrbs eccleſia in monte ſita latere non poteſt. Infra.45.*

VAE Ariel, Ariel ciuitas &c. ] Omnia quę nũc dicuntur contra Ariel, referunt ad hæreticos, qui doctrinam ſuam Dei exiſtimant lucem: & expugnandi ſunt à verò Dauid: omneſque ſolemnitates eorum auferendæ, & gaudium præſens, futura triſtitia commutandum: quibus præcipiat Deus, vt agant pœnitentiam, ne incipiant comedere cum Moabitis, & ſimiles eſſe gentilium. Ipſe enim oppugnabit Ariel, & omnem virtutem eorum atq; diuitias ſuo circundabit exercitu: Turribuſque, hoc eſt, magiſtris eccleſiæ humiliabit in terra ſermones eorum, vt nequaquam ponant in cælum os ſuum, ſed ſcribantur in terra, loquãturque de terra, & fiant quaſi puluis excuſſus rota: omneſque diuitiæ impiorum puncto & momento temporis comparentur: quando viſitauerit eos in ſua maieſtate, deſcendens in turbine, & tempeſtate, & igne ſupplicij: & intellexerint omnes diuitias ſuas pompamque ſermonum, & argumentorũ ſtrophas, fruſtra comedentis & bibẽtis ſomnio comparari: qui militauerunt contra Hieruſalem, viſionem pacis, ſiue aduerſum Ariel leonem fortiſſimum, & ad extremum contra montem Sion, ſuper quem eccleſiæ ciuitas ſita latere non poteſt. *Tom.4.lib.9.Com.in cap.29.Eſaiæ.*

*Turres eccleſiæ magiſtri & Doctores.*

*Eccleſia ſuper montem Sion ſita latere nõ poteſt.*

HAEC dicit Dominus &c. ] Quorum typus præceſsit in Zorobabel & Eſdra: quando reuerſus eſt populus, & cœpta eſt ędificari ciuitas in excelſo ſuo, templique obſeruari religio, & cætera quæ ipſius Eſdræ volumine continẽtur. Plenius autẽ atq; in Domino Saluatore, apoſtoliſq; completũ eſt: quãdo ædificata eſt ciuitas in excelſo ſuo de qua ſcriptũ eſt: Nõ poteſt abſcondi ciuitas, q̃ in mõte ſita eſt: & templũ iuxta ordinẽ ſuum, ceremoniaſq; fundatũ, vt quidquid in priori populo fiebat carnaliter, in eccleſia ſpiritualiter cõpleret. Tunc egreſſa eſt laus, ſiue gratiarum actio. Hoc enim ſignificat תודה toda vt oẽs Apoſtoli dicerent: Gratia vobis & pax. Voxque ludentium, non illo ludo, quo manducauit populus, & bibit, & ſurrexit vt luderet: ſed eo quo corã arca Domini luſit Dauid. Et multiplicati sũt, & nõ imminuti: vt totus orbis crederet in Dominũ Saluatorẽ: Et glorificati ſunt vt impleretur, ꝙ ſcriptum eſt: Glorioſa dicta sũt, de te ciuitas Dei. Fueruntq; filij eius, hoc eſt Apoſtoli, ſicut fuerunt à principio, Abraham, & Iſaac, & Iacob principes generis Iſraélitici. Tunc viſitauit Dominus aduerſum omnes qui tribulauerunt populum Dei: Aduerſarias videlicet poteſtates. Et fuit dux eius ex eo. Haud dubium quin Dominus & Saluator ſecũdum carnem ex genere Iſrael. Et princeps de medio eius productus eſt. Applicauit eum pater ad ſe, & acceſsit ad eum vt diceret filius: Ego in patre, & pater in me: quia nullus poteſt ſic cor ſuum applacare Deo, nec ita vt filius patri eſſe coniunctus. Quodque dicit iuxta Hebraicum. Et eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum: cernimus opere completum ex parte in Iſraël, & ex toto in gentium multitudine. *Tom.4.lib.6.Commentariorum.in cap.30.Hieremiæ.Fol.296.*

*Eccleſia viſibilis. Matt.5.*

*Quicquid in priori populo fiebat carnaliter, in eccleſia ſpiritualiter cõpletur. 1.Cor.1. Exod.32. 2.Reg.6. Pſal.86. Ioan.14.*

*Ex toto impletum in gẽtium multitudine quod Iehoua erit illis in Deũ.*

TV autem fili hominis &c. ] Domus autem, & lex omnium præceptorum Dei, & vrbs quæ in ſummitate montis eſt conſtituta: illa credenda eſt, de qua ſcriptum eſt: Non poteſt ciuitas abſcõdi ſuper montem poſita. Et, Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: Quæ perſpicuè refertur ad eccleſiam, & ſita eſt in eo monte, qui in vertice omniũ montiũ eſt, & à quo vulneratus eſt princeps Tyri. Omneſque fines & termini domus huius, ſancta ſanctorũ ſunt. In illa domo, hoc eſt, in tabernaculo, quod fabricatus eſt Moyſes, & in templo quod à Salomone conſtructum eſt, interiora tantũ, vbi erant Cherubim, & propitiatorium, & arca teſtamenti, & menſa thymiamatis, appellabantur ſancta ſanctorum: In hac autẽ domo, quæ monſtratur Ezechieli, & quæ in ſummitate montis eſt conſtituta, omnes termini eius reputantur in ſancta ſanctorum. *Tomo quarto libro decimotertio Commentariorum in captu quadrageſimũ tertiũ Ezech.*

*Matt.5.*



*Matt.5. Pſal.45. Eſaiæ.2. Ezech.28. Sec.70. Exod.26. 3.Reg.6.*

*Eccleſia in ſummitate montis conſtituta viſibilis eſt.*

SED & Leuitis ſimiliter &c. ] Ciuitas autem erit in medio: de qua ſcriptum eſt: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: Et non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita. *Tom.4.lib.14.Com.in cap.48.Ezech.*

*Pſal.45. Matt.5.*

ET dixit Dominus de Sion &cęt. ] Cùm Dominus de Sion & Hieruſalem, id eſt, de ſpecula eccleſiæ, quæ ſuper montem ſita latere non poteſt, & in qua viſio pacis eſt, dederit per vetus & nouum inſtrumentum, & per doctores eccleſiaſticos, vocem ſuam, & quaſi clara buccina inſonuerit: tunc omnia ſpecioſa paſtorum: id eſt, doctrina hæreticorum, quæ pulchro videbatur ſermone compoſita, & cognitio circumciſionis (hoc .n. interpretatur כרמל carmel per quã ſibi verę circumciſionis ſcientiam pollicentur) lugebit atque ſiccabitur, & populorum millia, quæ propter ſimplicitatem vocantur greges, ſubita ariditate marceſcent. *Tom.5.lib.1.Commentarior.in cap.1.Amos.*

*Matt.5.*

*Eccleſia dat vocem ſuam per nouum & vetus teſtamentum & per DD. eccleſiaſticos*

## IIII. *Obſeruationem præceptorum, ſcripturas, fidem, aut ſacramenta, non eſſe ſufficientia ſigna ad dignoſcendam Eccleſiam, ſed & ſucceſsionem & antiquitatem requiri.*

VERVM quia iam multum ſermocinati ſumus; & prolixitas concertationis audientium ſtudia laſſauit; breuem tibi apertamque animi mei ſententiam proferam: in ea eſſe Eccleſia permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata, vſque ad diem hanc durat. Sicubi audieris, eos qui dicuntur Chriſti, nõ à Domino Ieſu Chriſto, ſed à quoquam alio nuncupari, vt puta Marcionitas, Valentinianos, Montenſes, ſiue Campitas: ſcito nõ Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe ſynagogam, ex hoc enim ipſo, quod poſtea inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus pronuntiauit. Nec ſibi blandiantur, ſi de ſcripturarum capitulis videntur ſibi affirmare quod dicunt: cum & Diabolus de ſcripturis aliqua ſit locutus: & ſcripturæ non in legendo conſiſtãt, ſed in intelligẽdo, alioqui, ſi literam ſequimur, poſſumus & nos quoque nouum nobis dogma componere: vt aſſeramus in Eccleſiam nõ recipiendos, qui calceati ſint, & duas tunicas habeant? *Tom.2.in Dialogo.contra Lucifer.cap.9.in fine:*

*Antiquitas & ſucceſsio notæ eccleſiæ.*

*Noua indita nomina à Luthero, Caluino ſigna falſæ eccleſiæ. 1.Tim.4. Matt.4.*

*Diabolus etiam vt et hæretici allegat ſcripturas.*

*Forma ſcripturæ non in legendo ſed in intelligẽdo conſiſtit.*

ET factus eſt ſermo Domini ad me, &cæt. ] Moloch autem interpretatur, amentia: & Thubal tota vel omnia. Princeps igitur & caput ſuperbientis amentiæ, & omnium malorum (iuxta illud quod ſcriptum eſt: Mundus in maligno poſitus eſt) Gog & Magog appellantur. Quæ gentes, inimicæ, aduerſariæque ſanctorum, egrediuntur ab angulis terræ: rectam lineam relinquẽtes, & diſpoſitionem caſtrorum Dei, quæ narratur in Numeris: & illud teſtimonium neſcientes: Multi de Oriente, & Occidente & Septentrione, & Meridie venient: & diſcumbent cum Abraham, & Iſaac & Iacob in regno Dei. Et in alio loco: Dicam Aquiloni, affer, & Aphrico, noli prohibere. Adduc filios meos de terra longinqua: & filias meas ab extremo terræ: omnes qui vocati ſunt nomine meo. Sed non tales anguli terræ, de quibus egrediũtur Gog, & Magog. *Tom.4.lib.11.Com.in cap.38.Ezech.*

*1.Ioan.5.*

*In eccleſia recta ſucceſsionis linea & diſpoſitio caſtrorum Dei tenenda. Matt 8. Eſaiæ 43. Sec.70.*

VAE tibi terra, &cæt. ] Verum mihi ſacratius quid latere videtur in littera: quod iuuenes dicantur in ſcriptura, qui à veteri authoritate deſciſcunt, & cana præcepta parentum contemnunt: qui neglecto Dei mandato, cupiunt ſtatuere traditiones hominum. De quibus & in Eſaia Iſraéli Dominus comminatur: eo quod noluerit aquam Siloe, quę vadit cum ſilentio, & veterem piſcinam auerterit, eligens ſibi fluenta Samariæ, & gurgites Damaſci. Et dabo, inquit, iuuenes principes eorum: & illuſores dominabuntur eis. Lege Danielem: vetuſtum dierum inuenies Deum. Lege Apocalypſin Ioannis. Et caput Saluatoris candidum vt niuem, & quaſi lanam albam reperies. Hieremias quoque, quia ſapiens erat, & cani eius in ſapientia reputabantur, prohibetur iuuenem eſſe ſe dicere. Væ ergo terræ cuius eſt diabolus rex, qui ſemper nouarum rerum cupidus, etiam in Abſalon aduerſus parentem rebellat: quæ iudices & principes eos habet, qui amant huius ſæculi voluptates. Qui antequam dies mortis adueniat, dicunt: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Econtra beata terra eccleſiæ, cuius rex eſt Chriſtus filius ingenuorum: de Abraham, Iſaac, & Iacob, prophetarum quoque & ſanctorum omnium ſtirpe deſcendens: quibus peccatum non fuit dominatum; & ob id verè fuerunt liberi: ex quibus nata eſt virgo liberior ſancta Maria: nullum habens fruticem, nullum germen ex latere, ſed totus fructus eius erupit in florem, loquentem in Cantico Canticorum: Ego flos campi & lilium conuallium. Principes quoque eius ſunt Apoſtoli & omnes ſancti, qui regem habent filium ingenuorum, filium liberæ: non de ancilla Agar, ſed de Saræ libertate generatum. *Tom.5.Co.in cap.10.Eccleſiaſt.*

*Iuuenes qui à veteri authoritate deſciſcunt & cana parentum præcepta contemnunt. Eſaiæ.8. Eſaiæ.3. Dan.7. Apoc.1. Hier.1. 2.Reg.15.*

*Beata terra eccleſiæ, cuius rex eſt Chriſtus. Cant.2.*

QVIA dies &cæt. ] Poſt paſsionem Domini Saluatoris vſque in præſentem diem, paulò minus quadringenteſimus annus expletur, & quãtum temporis reſideat vſque ad diem iudicij, nec angeli nouerunt, nec filius. Qui ideo ignorare ſe dicit, quia nobis non expedit dicere. Hi ſunt ergo multi dies, quibus infelix ſynagoga, & mulier adultera hordeo paſcitur, & ſedet contracta, quia cum Chriſto ſtare non poteſt. Sine rege, de quo locutus eſt pater: Suſcitaui regem cum iuſtitia. Et ipſe dicit in Pſal. Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctũ eius. Sine principe, vel ipſo Domino Saluatore; vel

*400 anni à Chriſto vſq; ad tempora Hieronimi. Matt.24.*

*Notæ & ſigna eccleſiæ quinque 1. præſentia Chriſti. Eſaiæ 45. Sec.45. Pſal.2. 2 præſentia Pontificis*

*Exod.22.* *3. ſacrificium ſacerdotium altare.*

vel certo pontifice, de quo ſcriptum eſt: Principi populi tui non maledices. Et ſine ſacrificio, & ſine altari. Subuerſo enim templo & incenſa Hieruſalem, nec ſacrificium, nec Sacerdotium Iudaica gens exercere poteſt. Et ſine ephod & ſine teraphim, id eſt inſtrumentis ſacerdotalis habitus. De hoc rege & Iacob in benedictione Iudæ patriarchę loquitur: Non deficiet princeps ex Iuda, neq; de fœmorib. eius, donec veniet cui repoſitũ eſt: & ipſe erit expectatio gentium. Et poſtquam defecit princeps ex Iuda, & dux de fœmoribus eius, & Herodes alienigena & proſelytus ſuſcepit imperium, intelligimus veniſſe cui regnum repoſitum eſt, & ipſe erat expectatio gentium. Hæc eſt cæcitas quæ ex parte accidit Iſraeli, vt ſubintraret plenitudo gentium: & tunc omnis Iſrael ſaluus fieret: & multo poſt tempore reuertentur, & quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid regem ſuum, qui de Dauid ſtirpe generatus eſt, & interpretatur fortis manu. Ipſe enim ſoluit captiuitatem populi ſui, & dedit vinctis remiſsionem. *Tom.5. lib.5. Comment. in cap.3. Oſeæ, in fine.*

*5. a Cerimoniæ & inſtrumenta ſacerdotalis habit.* *Gen.49.* *Rom.11.*

ET ecce ego vobiſcum &c.] Qui vſque ad cõſummationem ſæculi cum diſcipulis ſe futurum eſſe promittit, & illos oſtendit ſemper eſſe victuros, ſe nunquam à credentibus receſſurum. Qui autem vſque ad conſummationem mũdi ſui pręſentiam pollicetur, nõ ignorat eam diem, in qua ſe ſcit futurum cum Apoſtolis. *Tom.6. lib.4. Com. in cap.28 Matt. circa finem ipſum.*

*Apoſtoli ſemper ſuperſtites futuri per ſucceſsionem vſque ad finem mundi.*

CVM miſero ad te Artemam aut Tychicum, &cæt.] Legimus in exordio iſtius epiſtolæ: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deerant corrigas, & conſtituas, per ciuitates presbyteros, ſicut ego tibi diſpoſui: vt quia Cretenſes nuper crediderant, recedente Paulo, & ad alias eccleſias tranſeunte, non dimitterentur orphani, ſed haberent Apoſtolicum virum, qui ea quæ videbãtur deeſſe, corrigeret. Quia ergo poſt fundamentum aliarum eccleſiarum neceſſarius erat Titus, qui ædificium ſuperſtrueret, ſcribit ei, vt cũ Artemam, vel Tychicum (vnum ſcilicet è duobus qui ſecum fuerant) Cretam miſiſſet, impleturus locum eius, ipſe Nicopolim veniret, ibi ſe hyematurum eſſe conteſtans, ex quo paternos Pauli in Cretẽſes probemus affectus. Neceſſarium habet Titum in euangelij miniſterium, tamen non eũ ante ad ſe vult venire, niſi in locũ eius Artemas, vel Tychicus ſucceſſor aduenerit. *Tom.6. lib.1. Co. in cap.3. ad Titum.*

*Succeſsio notæ eccleſiæ.*

QVANTA audiuimus, &c.] Hi verſiculi ab, Attendite populus meus legem meam, vſque in iſtum verſiculum. Loquar propoſitiones ab initio, ex perſona Chriſti dicuntur: & ipſe Saluator loquitur. Iam cæteros verſiculos vſque ad finem Pſalmi, ex perſona Apoſtolorum debemus accipere. Dicente ergo Domino: Inclinate aurem veſtram ad verba oris mei. O Apoſtoli, quod, inquit, audiſtis in ſecreto, prædicate ſuper tecta. Quid dicunt Apoſtoli? Quanta audiuimus & cognouimus ea, & Patriarchæ, & Prophetæ locuti ſunt nobis.

*Matt.10.*

ET patres noſtri narrauerunt nobis &cæter.] Propterea illi locuti ſunt, vt nos filij eorum ſciremus.

*Succeſsio doctrinæ apoſtolicæ nota eccleſiæ.*

ET legẽ poſuit in Iſrael, &c.] Illis carnaliter locuti ſunt: ſed nos ea ſpiritualiter intelligimus.

VT nota facerent ea filijs ſuis, &c.] Hoc eſt, nobis. Propterea illis locutus eſt, vt nobis prodeſſent.

FILII qui naſcentur, &c.] Pro patribus, inquit, tuis nati ſunt tibi filij. Nos filij ſumus illorum. *Pſal.44.*

ILLI nobis narrauerunt, & nos narrauimus filijs noſtris, filij eorum nos ſumus. *Tom.7. Com. in Pſal.77. Fol.94.*

*Succeſsio epiſcoporum & Pontificum nota eccleſię.*

ET vſque, &c.] Manifeſtus eſt ſenſus, quod de Apoſtolis loquitur & de ſanctis, vt imbrẽ ſuum non pluant ſuper Iudæos, ſed ſuper gentes, ſicut ſcriptum eſt: Mandabo nubibus meis, ne pluant ſuper Iſrael imbrem. In iſtis ergo nubibus, veritas Dei eſt. Si autem in iſtis nubibus, veritas Dei eſt, quomodo Montanus dicit, & Cataphrygæ dicunt: Quod non eſt reuelatum Apoſtolis, nobis reuelatum eſt? *Tom.7. Com. in Pſal.107.*

*Eſaiæ.5.* *Succeſsio doctrinæ apoſtolicæ nota eccleſiæ eſt.* *Hæretici iactant ſibi reuelatũ quod non eſt apoſtolis reuelatũ.*

QVI ſtatis in domo Domini.] Eccleſia non parietibus conſiſtit, ſed in dogmatum veritate. Eccleſia vbi eſt? vbi fides vera eſt. Cæterum ante annos quindecim, aut viginti, parietes omnes hic eccleſiarum, hæretici poſsidebant. Ante viginti enim annos, omnes eccleſias has hæretici poſsidebant. Eccleſia autem vera illic erat, vbi vera fides erat. Ergo vos benedicite domino, qui eſtis ſerui Domini: & qui eſtis ſerui, & ſtatis. Qui ſtatis? Statuit, inquit, ſupra petrã pedes meos. Et ad Moyſen: Tu verò hic ſta mecũ. Deus ſtetit in ſynagoga Deorum. Et qui ſtatis non vbicunque, ſed in domo Dei: & in atrijs domus Dei noſtri. *Tom.7. Com. in Pſa.133. Fol.168.*

*Dogmatum veritas & fides vera certa eccleſiæ ſymbola non loca non parietes.* *Eccleſ.15.* *Exod.33.* *Ibid.24.* *Pſal.39. & 81.*

## *Art. V. Eccleſiæ Catholicæ multis locis ſacram atteſtari ſcripturam: ſiue etiam ſcripturam quaſi digito monſtrare, & notare nobis eccleſiam, vt cognoſcatur & innoteſcat eccleſia per ſcripturam, cum ſcriptura ſit quaſi porta & ianua in Eccleſiam.*

SI enim poſt profectum, rurſum ad luti opera deſcendimus, infrenandi ſumus: & curſus vagi atque præcipites, ſcripturarum retinaculis dirigendi. *Tom.3. Epiſtola.127. ad Fabiolam. Manſione 19.*

*Scripturarũ retinaculis filiæ eccleſiæ diriguntur.*

VAGI currentium greſſus, frenis ad Eccleſiã retrahuntur: & fores, quas ante reliquerant, rurſum intrare feſtinant. *Tom.3. Epiſt.127. ad Fabiolam Manſione.19.*

*Fores eccleſiæ ingredimur per ſcripturas.*

QVOMODO autem in ſtamine, ex quo depẽdent fimbriæ, ſubtemen intexitur, & tota veſtimenti virtus in ſtamine eſt: ita in varijs ſenſibus ſcripturarum, in quibus veſtis Eccleſiæ omnis intexitur, miſcentur aliqua de natura, de moribus: & hoc ipſum ſignificat veſtis Aaron, auro, purpura, cocco, byſſo, hiacyntoque contexta, quam fecerunt mulieres, quibus Deus ad texendum dedit ſapiẽtiam. Et vt intelligere poſsimus omnem ornatum filiæ regis intrinſecus, ipſa loquitur in Cantico: Introduxit me rex in cubiculum ſuum, in quo, clauſo oſtio labiorum Deum patrem iubemur orare. Nono quoque Pſalmo, titulus inſcribitur, pro abſconditis filij. Variam habuit & Ioſeph tunicam, quam ei texit mater Eccleſia. De his fimbrijs Saluatoris αἱμοῤῥοοῦσα vnam tetegit, & ſanata eſt. Quod autem in Hebraico ſcribitur, faſcijs aureis veſtita eſt, idipſum ſignificat, quod ſupra. Omnis gloria filiæ regis intrinſecus, faſcijs ſenſuum diuinorum, interiora membra obuoluuntur Eccleſiæ, & tota vteri tegitur ambitio. Harum faſciarum non poteſt obliuiſci ſponſa, ſecundum Hieremiam, quæ mammas ligant, & pectus, in quo cogitationes ſunt, protegunt. *Tom.3. Epiſtola.140. ad Principiam. Fol.397.*

*Veſtis eccleſiæ varijs ſenſibus ſcripturarum intexitur & ornatur* *Exod.28.39.* *Cant.1.* *Matt.6.*



*Interiora mẽbra eccleſiæ faſcijs ſenſuũ diuinorum obuoluuntur.* *Hiere.2.*

QVOmodo autem ij, qui rapiuntur in nubibus, rapiantur obuiam Chriſto, diligentius contemplandum eſt. Scimus nubes prophetas, quibus præcepit Deus ne pluerent ſuper Iſraël imbrem, quando impleuerunt menſuram patrum ſuorum, & facta eſt lex & prophetæ vſque ad Ioannem Baptiſtam. Et quia Deus poſuit in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundò prophetas: non ſolum prophetæ, ſed & Apoſtoli nubes intelligendi ſunt. Si quis igitur rapitur ad Chriſtum, aſcendit ſuper nubes legis & Euangelij, ſuper prophetas & Apoſtolos: & aſſumptis alis columbæ, eorumque doctrina ad excelſa ſublatus, occurrit non deorſum, ſed in aëre & ſpirituali intelligentia ſcripturarum. Occurrens autem in ſpiritualibus, & terrena dimittens, ſiue ille ſit dormiens, ſiue in Chriſto mortuus, ſiue viuens, & in illius præſentiam reſeruatus, ſemper cum illo erit, & perfructur verbo Dei, & ſapiẽtia, veritate atque iuſtitia. *Tom.3. epiſt.153. ad Minerium & Alexandrum. Fol.448.*

*Eſaiæ.5.* *Matt.11.* *Eph.4.* *Per nubes legis & euangelij prophetas & Apoſtolos rapimur ad Chriſtum & Eccleſiam.*

ET lunulas, & torques, & monilia, &cæter.] Deſcribit monilia fœminarum, & per hæc inſignia ciuitatum: vel, iuxta anagogen, variarum ornamenta virtutum. Habent mulieres in lunæ ſimilitudinem bullulas dependentes: quas nos ad eccleſiæ ornamenta transferimus: quæ illuminatur ſole iuſtitiæ. Torques quoque ad pectus vſque pendentes, intelligentiam ac principale mentis in corde demonſtrant: Et monilia, quę vno ſermone omnia ornamenta ſignificant: Et armillarum bona opera: quales Rebecca accepit in ſponſalibus: Et mitras, capitis ornamenta, & diſcriminalia, vt iudicium habeat ſingulorum: Et periſcelidas, quibus noſter greſſus ornatur: Vt audiamus, Pes tuus non offendet: Et Eruet pedes meos à lapſu. Et murenulas, quæ auri atque argenti texuntur virgulis, ſenſu videlicet & ſermonibus ſcripturarum: Et olfactoriola: Vt Chriſti bonus odor ſimus: Et inaures, ne audiamus iudicium ſanguinis, ſed Domini verba dicentis: Qui habet aures audiendi, audiat. Et annulos, quibus ſignamur ad Domini militiam: quem Deus ſignauit pater: Vnde dicit ad principem Tyri: Tu es ſignaculum ſimilitudinis. Filius quoq; prodigus cum ſtola recepit annulum, & calciamenta, & gemmas in fronte pendentes, quibus noſtra ora decorantur. De cuius capitis ornamẽto & in Pſalmo legimus: Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. *Tomo. quarto. Commentariorum in caput tertiũ. Eſaiæ.*

*Eccleſiæ ornamenta.* *Geneſ.24.* *Eccleſia habet iudicium ſingulorum.* *Pſal 90.* *Ibid.55.* *Eccleſia texitur ſermonibus, ſcripturarum.* *2.Cor.2.* *Luc.8.* *Ezech.28.* *Luc.15.* *Pſal.132.*

LAETAMINI cum Hieruſalem. &cæte.] Introitus autem glorioſus Eccleſiæ, ille intelligendus eſt, de quo ſcribit Ioannes apoſtolus. Et in duodecim portis erant duodecim margaritę, & plateæ ciuitatis auro mundo, ſicut vitrum perſpicuum. Iſtas margaritas prohibet Dominus mitti ante porcos, quas negotiator bonus cum in prophetis inuenerit & Apoſtolis, pergit ad vnum pretioſiſsimum margaritum, non priores abijciens, ſed per illas quærens pretioſius. *Tom.4. lib.18. Commentariorum in cap. ſexageſimũ ſextũ Eſaiæ Fol.224.*

*Per prophetas & Apoſtolos tanquam pretioſas margaritas ingredimur in eccleſiam.* *Apoca.21.* *Matt.7.* *Ibid.13.*

ET neceſſe eſt, vt talis ciuitas decẽ & octo millium per circuitum teneat calamorum: ſub quo numero & in duo de vigeſimo Pſal. lex naturalis eſt ſcripta, gratiaque euangelij deſcribitur: quibus eccleſia, id eſt, vrbs ſaluatoris extructa eſt. *Tom. 4. lib.14. Com. in cap.48. Ezech.*

*Eccleſia vrbs ſaluatoris eſt extructa ex lege naturali & gratia euangelij.*

ET erit in nouiſsimo dierum &c.] Aſcenſione opus eſt, vt quis ad Chriſtum valeat peruenire, & ad domum Dei Iacob, eccleſiã; quæ eſt Domus Dei, columna & firmamentum veritatis. Porrò quod Iacob Saluatorem ſignificet, & ſupra diximus: Iacob puer meus ſuſcipiam eum, Sed & hoc dicent ad eos quibus loquuti fuerant: Venite, aſcendamus in montem Domini, & in domum Dei Iacob, & addent. Vt oſtendat nobis viam ſuam, quam vel in Angelis intellige eccleſijs præſidentibus, vel in ſcripturis ſanctis, quæ viam Domini præoſtendunt, & eum qui dicit: Ego ſum via. Et ambulemus in ſemitis eius in Apoſtolis ſcilicet, per quos in Chriſtum credimus. De Sion enim lex egreſſa eſt ſpiritualis, & ad gentes Dei ſermo tranſibit de Hieruſalem: qui iudicabit inter populos multos; pater enim omne iudicium dedit filio. *Tom.5. lib.1. Com. in cap. 4. Michæ. Fol.155.*

*1. Timo.3.* *Eſaiæ 42.* *Sec. 70.* *Eſaiæ.2.* *Scripturæ sanctæ eccleſiã & viam domini oſtẽdũt.* *Ioan 14.* *Apoſtoli ſunt ſemitæ ad Chriſtum & eccleſiam* *Ioan.9.*

CONSIDERA populos eccleſiæ, quæ habitat ſuper amnes prophetas, & habet doctores in circuitu ſuo: quorum de ventre manant flumina, cuius initium eſt mare: A lectione quippe legis, quæ ſine ligno Chriſti amara eſt, in ſimilitudinem myrrhę ad eius myſterium peruenitur, quæ habet AEthiopiam in fortitudine: AEthiopia quippè præueniet manus eius Deo; & AEgyptũ in quam Dominus venit in nube leui: & Lybies qui ante habitabant in arentibus, & poſtea facti ſunt in auxilio eius. Et hæc ergo, ſi non ſe attenderit, & omni diligentia cuſtodierit cor ſuum captiua ducetur, & planget filios ſuos. *Tom.5. Cõ. in cap.3. Nahum. Fol.181.*

*Eccleſia habitat ſuper omnes prophetas & habet in circuitu Doctores.* *Per lectionẽ legis ad eccleſiæ myſteria peruenitur.* *Pſal.67.* *Eſaiæ.19.*

DORMITAVERVNT paſtores &c.] In aduẽtu Chriſti & ſermonis Dei, & doctrinæ eccleſiaſticæ, & conſummationis Niniue ſpecioſiſsimę quondam meretricis, eleuabitur & properabit populus, qui ſub magiſtris ante fuerat conſopitus, & ibit ad montes ſcripturarum, ibique inueniet montes Moyſen & Ieſum filium Naue: montes, prophetas: montes noui teſtamenti, apoſtolos & euangeliſtas: & cum ad tales montes confugerit, & in huiuſcemodi montium fuerit lectione verſatus, ſi non inuenerit qui eũ doceat (Meſſis enim multa, operarij autem pauci) tunc & illius ſtudium comprobabitur: quia confugerit ad mõtes, & magiſtrorum deſidia coarguetur. *Tom. 5. lib.2. Com. in cap.3 Nahum.*

*Ad montes ſcripturarum noui & veteris teſtamẽti confugiendum vt Chriſtum & eccleſiam inueniamus.* *Matt.9.*

NVNQVID in fluminibus &cætera.] Quod ſi bona ſunt flumina (nempe verba diuina) & bonum mare lauatur in illis Ieſus, & eccleſiam ſuam ſuper huiuſcemodi mare collocat. *Tomo quinto libro ſecundo Commentariorum in caput tertium Habacuc.*

*Iob.38.* *Sec.70.* *Super flumina ſcripturæ diuinæ fundata eccleſia*

FLVVIOS ſcindes terræ.] Cerne omnes Apoſtolos, & iã non quatuor flumina, ſed duodecim fluui-

*Duodecim fluuij id eſt duodecim Apoſtolorum doctrina irrigat totam eccleſiam. Pſal.106.*

fluuios intelligas exire de paradiſo ſcripturarũ. Iſti fluuij antequam terra commoueretur, latebant: & cum eſſent in terræ venis, ſitientibus pocula non præbebant. Poſtquam verò ad aduentum Chriſti, orbis, & omnis terra concuſſa eſt, ſubitò proruperunt, & tunc completum eſt: Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim: terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia habitantium in ea. Poſuit deſertum in paludes aquarum, & terram ſine aqua in ſontes aquarũ, & habitare fecit ibi eſurientes, & conſtituerunt ciuitatem ad habitandum. Poſtquam enim Dominus venit in mundum, & completum eſt illud quod dixit in euangelio: In iudicium ego in mundum iſtum veni: vt qui non videbant, videant, & qui videbant, cæci fierent: Tunc terra Iſrael, de qua fluuij ante manabant, & irrigabant vniuerſum Iudeæ populum, aruit, & fontes illius obturati ſunt. Vniuerſus autem orbis, qui erat deſertus & ſterilis, & aquas prædicationis Dominicæ non habebat, verſus eſt in paludes aquarum, & quot doctores emiſit, tot habuit & fontes. Nec ſufficit eis, fontibus videlicet atque fluminibus irrigare orbis populos: ſed in vnaquaque prouincia, eos qui eſuriebant & patiebantur famem ſermonis Dei, in vnum populum congregantes extruxerunt eccleſiam: quæ dicitur ciuitas ad inhabitandum, & quam lętificat impetus fluminis. *Tom.5.lib.2.Com.in cap.3.Habac.Fol.200.*

*Matt.11. Fontes ſcripturarum in Iſrael ſunt obturati & aperti gentibus. Eccleſia quot emiſit doctores tot habet & fontes quæ eam irrigant et exſtruunt, eccleſiam. Pſal.45.*

IN die illa erit tumultus Domini magnus in eis.] Vel certè Iudas, omnis confitens & fidelis, nõ aduerſum Hieruſalem pugnet, ſed præparet ſe in Hieruſalem, vt contra aduerſarios dimicet. Et congregabit ipſe Iudas diuitias omnium gentiũ in circuitu: aurum & argentum & veſtes multas nimis. Aurum & argentum in ſenſu & ſermone intelligi ſæpè diximus. vnde & veſtes æquè debemus accipere, quibus Chriſti decoratur Eccleſia: de qua ſcriptum eſt: Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate. Quibus veſtibus indutam ſe credentium turba lætatur, & dicit: Exultabo in Domino, quia induit me veſtimentis ſalutis, & tunica lætitiæ: Dixerat enim ei Dominus: Veſtiui te τριχάπτοις & byſſinis. In τριχάπτοις veſtes tenues accipiamus, quæ tam pulchræ ſunt atque ſubtiles, vt capillorum ſimiles eſſe videantur. Has veſtes eccleſia congregat, vt habeat quibus induat populum ſuum: cui à verò concionatore præceptum eſt: In omni tẽpore ſint veſtimenta tua candida. *Tom.5.lib.3.Co. in cap.14 Zachar.Fol.272.*

*Scripturis tãquam veſtibus Chriſti decoratur eccleſia. Pſal.44. Eſaiæ.61. Sec.70. Ezech.16. Sec.70. Scripturis quaſi veſtibus induit eccleſia populũ. Eccle.9.*

HAEC dicit Dominus exercituum: &cæter.] Vel certè ex omnibus linguis, & nationibus quicunque crediderint, apprehendent virum Iudæum, apoſtolos qui ex Iudæis ſunt, & dicent: Eamus vobiſcum: audiuimus enim per prophetas, & omnium ſcripturarũ voce cognouimus, quod Dei filius Chriſtus, Deus & Dominus ſit vobiſcum. *Tom.5.lib 2.Com.in cap.8 Zachariæ.*

*Omnium ſcripturarũ voce Chriſtus & eccleſia cognoſcitur.*

IN die illa erit quod ſuper frenum equi &c.] Hortus & paradiſus in quem ſponſus deſcendit ad ſponſam, ſanctarum lectio ſcripturarum eſt: de quibus lilia & violas & roſas & varia decerpit aromata: vt impleat phialas animarum credentium, & Domino ex eis liba defundat. Iſtiuſmodi lebetes, cum verſi fuerint in phialas Domini, & dicere potuerint: Chriſti bonus odor ſumus, & pro virulentia carnium, varios cœperint flores geſtare virtutum: tunc erunt in Hieruſalẽ & Iuda ſanctificati Domino omnipotenti: de quibus frequentius diximus, quod Hieruſalem viſionẽ pacis, & Iudas exprimat confitentem. *Tom.5.lib.3 Com.in cap.14.Zach.in fine.*

*Sanctarum ſcripturarum lectio paradiſus et hortus Chriſtus & eccleſiæ. Ex paradiſo ſcripturarum varia aromata eccleſia decerpit. 2.Cor.2.*

## *Art. VI. Eccleſiam ex bonis tantum conſtare, Donatiſtarum & Pelagianorum hæreſin fuiſſe.*

ECCE dies veniunt, &c.] Vide quanta habeat loca eccleſia, & quo modo illud apoſtolicum. Vt ſit ſine macula & ruga, in futuro, & in cæleſtibus ſeruetur: Audis angulos, audis ſcabiem, audis ruinas & cineres, & regionem mortis & tenebras, & de tua virtute & impeccantia gloriaris? *Tom.4.lib.6.Com.in cap.31.Hier.*

*Eph.5. Eccleſia triumphans eſt ſine ruga & macula non vero militãs.*

*Sic, vide latius contra Pelagianos in Dialogis, Hieronimũ in perſona Critobuli.*

## *Art. VII. Eccleſiam ex bonis maliſq; hominibus conſtare.*

SI Abraham, Iſaac, & Iacob, prophetæ quoque & Apoſtoli, nequaquam caruere peccato: ſi puriſsimum triticum habuit mixtas paleas: quid de nobis dici poteſt, de quibus illud ſcriptum eſt: Quid paleis ad frumentum, dicit Dominus? Et tamen paleæ futuro reſeruantur incendio: & Zizania hoc tempore mixta ſunt ſegetibus frumentorum, donec veniat, qui habet ventilabrum in manu ſua, & purgauerit aream vt congreget triticum in horrea, & quiſquilias gehennæ igni comburat. Hæc omnia, quaſi per pulcherrima ſcripturarum prata diſcurrens, in vnũ locum volui congregare, & de ſpecioſiſsimis floribus coronam tibi texere pœnitentiæ, quã imponas capiti tuo, & aſſumas pennas columbæ, & voles, & requieſcas, & clementiſsimo reconcilieris patri. *Tom.1. Epiſt.46.ad Ruſticum cap.5.*

*Triticum habet mixtas paleas. Hier.23. Luc.3. Zizania mixta ſegetibus. Corona pœnitentiæ texta diſcurrendo per pulcherrima ſcripturarum prata. Pſal.54.*

SCIMVS in domo magna non ſolum vaſa eſſe aurea, & argentea, ſed et lignea, & fictilia: & ſuper fundamentum Chriſti, quod Paulus architectus poſuit, alios ædificare aurum, argentum, lapides pretioſos: alios è contrariò fęnum, ligna, ſtipulam. *Tom.2.aduerſus Iouinianum lib.1.cap.1.*

*2.Tim.4. 2.Tim.2. 1.Cor.3.*

PORRO Noë, qui quaſi ſecunda radix humano generi ſeruabatur, vtique cum vxore & filijs debuit reſeruari: quamquam in hoc myſterium ſcripturarum ſit. Arca illa, iuxta Apoſtolum Petrum, typus Eccleſiæ fuit, in qua octo animæ ſaluæ factæ ſunt. Quando ingreditur in eam Noë, tam ipſe, quàm filij eius ab vxoribus ſeparantur: quando verò egreditur in terram, iunguntur paria: & quod in arca, id eſt, in Eccleſia fuerat ſeparatum, in mundi conuerſatione ſociatur: Simulque ſi arca plures habuit manſiones, & nidulos, & bicamerata, & tricamerata, & diuerſas beſtias, & pro qualitate animalium, habitationes quoq; vel maiores, vel minores: exiſtimo, quod diuerſitas illa manſionum, præfigurauerit Eccleſiæ varietatem. *Tom.2.aduerſus Iouinianum lib.1.cap.9.*

*1.Pet.3. Diuerſitas manſionum in arca Noha eccleſiã præfigurat eccleſiæ varietatẽ. Gen.9. Gen.6.*

DECEM quoque virgines ſapientes, & ſtultas, in bonas malaſque diuidimus. In diluuio liberatos iuſtos, & peccatores aquis obrutos, non ignoramus. In Sodoma & Gomorra ereptum iuſtum, & impios igne conſumptos, omnibus perſpicuum eſt. Decem quoque plagis percuſſam Aegy-

*Varijs ſimilitudinibus & parabolis ex*



*nouo & veteri teſtamẽto probat non eſſe æqualia membra Eccleſiæ ſed conſtare Eccleſiam ex bonis & malis.*

AEgyptum, & Iſraël fuiſſe ſoſpitem nouimus. In mari rubro tranſiſſe iuſtos, & Pharaonẽ cum ſuo exercitu demerſum, etiam in ſcholis cantant paruuli. Sexcenta milia in deſerto cecidiſſe, quia increduli fuerint, & duos tantum terram repromiſsionis intraſſe, ſcripturæ docent, & reliqua, quę vſque ad operarios vineæ, in duos bonorum & malorum ordines deſcripſiſti. Sed quale eſt, vt quia inter bonos & malos diuiſio eſt, tu aſſeras inter ipſos bonos, vel è contrario malos nullam eſſe diſtantiam, nihilque referre, vtrum in pecore aliquis aries ſit, an ouicula? vtrum primam lanam habeat, an ſecundam? vtrum ſcabidum pecus ſit, & morbidum, an vegetum atque ſuſſultans? maximè cum Ezechiel oues rationabiles, et diuerſitatem inter pecus & pecus, ſuæ prophetiæ auctoritate demonſtret, dicens: Ecce ego iudico inter pecus & pecus, & inter arietes & hircos & inter pecus pingue & macilentum: Pro eo quod lateribus & humeris impingebatis, & cornibus veſtris ventilabatis omnia infirma pecora, donec diſpergerentur. Et vt ſciremus quæ iſta ſunt pecora, ſtatim intulit: Vos autem greges mei, oues paſcuæ meæ homines eſtis. Idipſum ergo erat Paulus, & ille pœnitens, qui cum patris vxore dormierat, quia in Eccleſiam poſt pœnitentiam receptus eſt, & quia ſimul à dextris eſt, in eadem cum Apoſtolo claritate fulgebit? Et quo modo in vno agello vſque ad meſſem in conſummationem mundi Zizania pariter frumentaq; ſuccreſcunt: Qua conſequentia piſces boni & mali, ſagena Chriſti & reti euangelico continentur? Cur in typo Eccleſiæ, in arca Noë, diuerſa animalia, & pro qualitate meritorum, diuerſæ ſunt manſiones? Cur aſtitit regina à dexteris Domini in veſtitu deaurato, circundata varietate? Cur Ioſeph in forma Chriſti, variam habuit tunicam? Cur Apoſtolus loquitur ad Romanos: Vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei? Sicut enim in vno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. *Tom.2.li.2. contra Iouinianum cap.13.*

*Ezech.34. 1.Cor.5. 2.Cor.2. Matt.13. Pſal.44. Gen.37. Rom.12.*

SOL quoque ipſe, & luna, & omnis aſtrorum chorus, & pluuiæ, & mundus æqualiter nobis currunt: & ijſdem omnes iuxta Euangelium imbribus irrigamur, boni & mali, iuſti & iniuſti. Si prę ſentia exempla ſunt futurorum: ergo & ſol iuſtitiæ æqualiter iuſtis & peccatoribus, impijs & ſanctis, Chriſtianis, & Iudæis, atque gentilibus orietur, cum ſcriptura dicat: Timentibus autem Dominum orietur ſol iuſtitię. Si timentibus orietur ergo contemptoribus & ſpeudo prophetis occidet. Oues, quæ ſtant à dextris, vadunt ad regna cælorum, hirci in tartarum detruduntur. Parabola iſta non ouium inter ſe merita, & è contrariò deſcribit hircorum, ſed inter oues & hircos tantùm diſtantiam facit, neque enim in omnibus locis docentur omnia: ſed vnaquæque ſimilitudo ad id refertur, cuius ſimilitudo eſt, ſicut & decem virgines, non totius generis humani, ſed ſolicitorum & pigrorum exempla ſunt: quorum alteri ſemper Domini præſtolantur aduentum: alteri, ſomno, & inertiæ ſe dantes, futurum iudicium non putant, vnde & in fine parabolæ dicitur: Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam. Si diluuio liberatus eſt Noë & omnis orbis interijt omnes caro erant, & proptererea perierunt, aut non eiuſdem eſſe meriti dices filios Noë, & Noë, propter quem filij liberati ſunt: aut maledictum Cham in eodẽ pones loco in quo & patrem, quia de diluuio ſimiliter liberatꝰ eſt. In paſſione Chriſti omnes declinauerũt: ſimul inutiles facti ſunt, & non fuit qui faceret bonum, non fuit vſq; ad vnũ. Audebis ne igitur dicere, ſic negaſſe Petrum & cęteros Apoſt. qui fugerũt, quomodo Caiphã, & phariſęos, & clamãtẽ populũ Crucifige Crucifige talem? Et vt de Apoſt. taceã, eiuſdẽ ne tibi ſceleris videbitur reus Annas, & Caiphas, & Iudas proditor cuius & Pilatus, qui nolens compulſus eſt, contra Dominum ferre ſententiam? Quãto maioris meriti fuit Iudas, tanto maioris criminis eſt: & quanto maioris criminis, tanto maioris & pœnæ: Potentes enim potenter tormenta patientur. Arbor mala fructus bonos non facit, nec bona malos. Si hoc ita eſt, reſpõde mihi, quo modo Paulus, cum eſſet arbor mala, perſequens Eccleſiam Chriſti fecit poſtea fructus bonos? & Iudas cum eſſet arbor bona, ſigna faciens cum Apoſtolis, poſtea verſus in proditorem fecerit fructꝰ malos Tam diu ergo nec arbor bona malos fructus facit, nec mala bonos, quamdiu vel in bonitate ſua, vel in malitia perſeuerant. Porrò, quod omnis Hebræus æqualiter facit Paſcha, & ſeptimo anno liber efficitur, & in Iubilęo, id eſt, quinquageſimo, vniuerſa poſſeſsio redit ad Dominos: hoc non de præſenti dicitur, ſed de futuro: quia in ſex diebus huius ſæculi ſeruientes, in ſeptimo die verò & æterno ſabbato liberi erimus, ſi tamen voluerimus eſſe liberi, dum adhuc ſeruimus, in ſæculo: ſi autem noluerimus, perforabitur nobis auricula, in teſtimonium inobedientiæ, & cum vxore, & liberis noſtris; quos prætulimus libertati, id eſt, cum carne & operibus eius iugiter ſeruiemus. Parabola autem ſemẽtis, quæ ex vtraq; parte ternos fructus facit: & iuxta Apoſtolum, ſuper fundamentum Chriſti alius ędificat aurum, argentum, lapides pretioſos, alius ligna, fęnum, ſtipulam: cum & in domo magna, diuerſa vaſa ſint perſpicuè patet: & huic velle contradicere, apertiſsimæ impudentiæ eſt: *To.2.lib.2. aduerſus Iouinianum cap.14.*

*Matt.5. Idem probat latius quod ſupra nõ eſſe æqualitatẽ meritorum in Eccleſia, ſed hic inter bonos & malos ac mediocres magnũ eſſe diſcrimẽ. Malac.1. Matt.25. Gen.8.9. Pſal.13. Sap.6. Matt.7. Exod.12. Leuit.25. Exod.21. Matt.13. 1.Cori.3. 2.Tim.2.*

ECCLESIA nõ damnat matrimonia, ſed ſubijcit, nec abijcit, ſed diſpenſat, ſciens (ſicut ſupra diximus) in domo magna, non ſolum eſſe vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia: & alia eſſe in honorem, alia in contumeliam: & quicunque ſe mundauerit, cum futurum eſſe vas honorabile & neceſſarium, in omne opus bonum præparatum. *Tom.2.in Apologia.ad Pãmachiũ cap.4.*

*2.Tim.2.*

QVAM longè alia, & vt nunc intelligo, errori magis, quam ſpei proficientia, mihi antea aſſerebantur: verum gratias ago Chriſto Deo, qui in pectus meum veritatis lumen infudit: ne adhuc ore ſacrilego Virginem eius ſcortum diaboli clamarem. *To.2.in dialogo contra Luciferianos.c.8.in prin.*

*Eccleſia dei virgo, nõ eſt ſcortum diaboli.*

AVSCVLTA quid de omni Eccleſia ſentiendũ ſit. iſte enim, vt ais, ſcrupulus multos titillat. & longus fortaſſe ero in enarrando, verum tanti eſt lucrũ veritatis. Arca Noe Eccleſiæ typus fuit, dicente Petro Apoſtolo: In arca Noe pauci, id eſt octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam: quod & nos nunc ſimilis formæ baptiſma ſaluos facit. Vt in illa omnium animalium genera, ita & in hac vniuerſarũ & gentiũ, & morum homines ſunt, vt

*1.Pet.3. Arcæ & Eccleſiæ pulcherrima comparatio.*

ibi pardus, & hædi lup⁹, & agni: ita & hic iuſti, & peccatores, id eſt, vaſa aurea & argētea cū ligneis, & fictilibus cōmorantur. Habuit arca nidos ſuos habet Eccleſia plurimas manſiones. *Ibidem in Dialogo aduerſus Luciferianos. cap. 8.*

*Similitudine agri & ſeminis oſtēditur bonos & malos eſſe in Eccleſia mixtos*

NON ſolum in Eccleſia morantur oues, nec mundę tantum aues volitant, ſed frumentum in agro ſeritur, & inter nitentia culta, Lappæq; & tribuli, & ſteriles dominantur auenæ. Quid faciat agricula? euellat lolium? ſed tota pariter meſſis diuellitur. Quotidie induſtria ruſticana aues ſonitu abigit, imaginibus exterret: hinc flagello crepitat, hinc formidines tendit, attamen aut veloces capreæ, aut laſciuus onager incurrit: hinc in effoſſa horrea mures frumenta comportant: hinc ferventi agmine ſegetem formica populatur. Ita res ſe habet. nemo ſecurus agrum poſsidet Dormiente patrefamilias, inimicus homo zizania ſuper ſeminauit: ad quæ eradicanda cum ſerui ire proponerent, Dominus prohibuit, ſibi ſeruans palearum & frumenti diſcretionem. Hæc ſunt vaſa iræ & miſericordiæ, quæ in domo Dei ab Apoſtolo prædicantur. Venit ergo dies, quando theſauro Eccleſiæ aperto, proferet Dominus vaſa iræ ſuę, quibus exeuntibus ſancti dicent: Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtiq; nobiſcum. Nemo poteſt Chriſti palmam ſibi aſſumere, nemo ante diem iudicij de hominibus iudicare. Si iam mundata eſt Eccleſia, quid Domino reſeruam⁹? *Ibidem in Dialogo contra Luciferianos cap. 8.*

*Matt. 13.* *Rom. 9.* *2. Timo. 2.* *1. Ioan. 2.*

*Eccleſia militans non eſt mundata ſed hoc Domino reſeruatur.*

SI immaculatus eſt ille, atque perfectus, qui adhuc ambulat in via, & graditur in lege, quid plus habebit ille, qui ad terminum viæ, legiſque peruenit? Vnde & Apoſtolus de Domino loquitur: quod in fine mundi, & in conſummatione virtutum exhibeat ſibi ſanctam Eccleſiam, non habentem maculam, neque rugam: quam vos putatis iam in iſta carne mortali, & corruptibili eſſe perfectam: & audire meremini cum Corinthijs: iam perfecti eſtis, iam diuites facti eſtis, ſine nobis regnatis: atque vtinam regnaretis, vt & nos regnaremus vobiſcum: cum vera & abſque omni ſorde perfectio in cæleſtibus reſeruetur, quando ſponſus loquetur, ad ſponſam: Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Iuxta quod & illud intelligitur: Vt ſitis irreprehenſibiles, & ſimplices, ſicut filij Dei immaculati: quod non dixerit Eſtis, ſed Sitis, in futurum differens, non in præſenti eſſe conteſtans: vt hic labor ſit, atque contentio, ibi laboris virtutiſque præmia. Denique Ioannes ſcribit: dilectiſsimi, filij Dei ſumus, & nondū apparuit, quid erimus, Scimus, quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam eum videbimus ſicuti eſt. Quanquam ergo filij Dei ſimus, tamē ſimilitudo Dei, & vera contemplatio, tunc nobis repromittitur, quādo apparuerit in claritate ſua. *Tomo 2. lib. 3. Dialog. aduerſus Pelagianos cap. 5.*

*Eph. 5.* *Eccleſia militans non eſt perfecta ſed triumphans* *1. Corint 4.* *Cant. 4.* *Philip. 2.*

*Hic labor et contentio in futura vita laboris virtutiſq; præmia* *1. Ioan 3.*

Vnde in ſolitudine multitudo lignorum niſi quod ſeduli & diligentis magiſtri diſciplina monſtratur, cædentis ligna informia, & dolantis facientiſq; vaſa diuerſa, quæ in domo magna neceſſaria ſunt? Poſſunt lignationes viri, ſaltuum, & omnium arborum genera, ac per hoc credentium multitudinem figurare, dicente Dauid: Inuenimus eam in campis ſyluæ. *Tomo tertio Epiſtola centeſima vigeſima ſeptima ad Fabiolam: Manſione. 32.*

*Vaſa diuerſa ſunt in magna domo Eccleſiæ.* *2. Tim. 2.* *Pſal. 131.*

PER ſuperiora oſtenditur eos qui in foribus Eccleſiæ ſunt nulla debere ſorde maculari, ſed fidei eſſe puriſsimæ, & dicere cum propheta: à mandatis tuis intellexi. Et illud audire: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Muri autem ciuitatis ſiue termini, & περίβολος, lapidibus electis extruuntur, quos reliquos lapides intelligere poſſumus: & omnes filios eius eſſe doctos, ſiue diſcipulos Dei: quo teſtimonio Dominus vtitur in Euangelio Ioannis, dicens: Nemo poteſt ad me venire, niſi pater meus qui miſit me, traxerit eum, & omnis qui audierit & didicerit à patre, venit ad me. Et poſt paululum: Scriptum eſt in prophetis: Erunt omnes docti à Deo. Qui & per Hieremiam loquitur: Dans leges meas in mentibus eorum, & ſuper cor illorum ſcribam eas, & nequaquam vltra docebunt ſinguli proximos ſuos & fratres, dicentes: Cognoſce Dominum. Sed omnes ſcient me à minimo vſque ad maximum. Propitius enim ero inquitatum eorum, & peccatorum eorum non recordabor. Doctrina autem diſcipulorum Dei, habet multitudinem pacis, quæ eis à Domino derelicta eſt: ædificatioque vrbis pulcherrimæ complectur iuſtitia: vt nequaquam vnius gentis, ſed totius mundi Deus ſit, vocantis ad fidem ſuam, ſeruos & liberos, Græcos & Barbaros, diuites & pauperes, nobiles & ignobiles, viros & mulieres, paruulos & ſenes, & omnia quæ in mūdo videntur eſſe cōtraria. Exceſsimus breuitatis modum, qui vtilis eſt in omnibus quę dicenda ſunt: nequaquam nos iuxta Hebræos & noſtros ſemi Iudæos in terra, ſed in cælis vrbem Dei quærendo, quæ in Chriſto monte ſita latere non poteſt. *Tom. 4. lib. 15. Commentariorum in cap 54. Eſaiæ.*

*Pſal 118.* *Matt. 5.* *Qui ſunt in foribus Eccleſiæ nulla debent ſorde maculari.* *Ioan. 6.* *Hier. 31.* *Ioan. 14.* *Omnia quæ in mundo videntur contraria, vocat Deus ad Eccleſiam.* *Vrbs Dei in cælis nō iuxta Iudæos in terris quærenda.* *Matt. 5.*

GAVDENS gaudebo in Domino, & cætera] Ponit ſimilitudinem duorum in Eccleſia agminum, perfectorum, atque incipientium. Perfectos ſponſi comparat pulchritudini, incipientes, ſponſæ aſsimulat ornatui. Perfectus erat Paulus, qui quaſi ſponſus decoratus corona, atque coronandus, ſiue vt Aquila tranſtulit ἱερατευμένος στεφάνῳ: quod in lingua noſtra dicitur ſacerdotij portans coronam, loquētis in ſe Chriſti auctoritate dicebat. Certamen bonum certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, de cætero repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Et in alio loco: Quotquot ergo perfecti, hoc ſapiamus. Incipiens autem erat, comparatione plenitudinis, quando ex perſona incipientium loquebatur: Cum eſſem paruulus, ſicut paruulus loquebar, ſicut paruulus ſapiebam, ſicut paruulus cogitabam. Et iterum. Ex parte videmus, & ex parte cognoſcimus: donec veniat quod perfectum eſt. Et ideo ſponſæ aſsimilatur ornatui, quæ ornatur mundo muliebri, ſiue vt cæteri tranſtulerunt: vaſis vel monilibus ſuis. Ponitq; alterius comparationis exempla, quorum prius ad ſponſum, ſequens refertur ad ſpōſam. Sicut terra profert germen ſuum, & cæleſtibus pluuijs irrigatur & ſicut hortus ſemen ſuum germinat (qui fontium atq; fluuiorū aquas deſiderat) ſic inquit, Domin⁹ germinabit iuſtitiam atq; lætitiam, coram cunctis gentib. Nequaquam corā Iſrael, vt ſupercilium

*Duo in Eccleſia ſunt hominum genera perfecti & incipientes.* *Perfectorum deſcriptio.* *2. Tim. 4.* *Philip. 3.* *Incipientiū deſcriptio.* *1. Corint. 13.*





decutiat Iudæorum, ſed cunctis gentibus, quæ in Eccleſia congregantur. *Tom. 4. lib. 17. Comment. in cap. 61. Eſaiæ.*

ET dixit dominus ad eum, & cæt.] Secundum myſticos intellect⁹: ſenes ſunt in Eccleſia de quibus dicitur: Cani hominis prudentia eius. Iuuenes, qui ſunt ad ſidei bella promptiſsimi. Virgines, qui pudicitiam tota mente conſeruant. Paruuli, qui lacte nutriūtur infantiæ, & necdum percipiunt, ſolidū cibum. Mulieres, quæ fragilitate ſexus, animæ imbecillitatem teſtantur. Quibus vniuerſis non parcitur, ſi abſq; Chriſti ſignaculo aliquid eſſe ſe credunt. Quodque ſequitur: Et à ſanctuario meo incipite: ſiue vt LXX. tranſtulerunt. καὶ ἀπὸ τῶν ἁγίων μου ἄρξασθε. id eſt, & à ſanctis meis incipite. Vel ſacerdotes ſignificat, qui verſabantur in templo, & adorabant idola: vel eos qui pro ſacerdotij merito ſancti vocabantur in populo, & qui fuerant in populis cauſa peccati, primi meruere ſupplicia. Tempus enim eſt, vt iudicium incipiat à domo Dei. *Tomo quarto libro tertio Commentariorum in caput nonum Ezechielis. Fol. 355.*

*Membra Eccleſiæ varia myſticè.*

LIGNA ſaltuum ſiue ſyluarum, ſecundum varietatem credentium, habent in magna domo aliquam vtilitatem: in qua non ſolum vaſa aurea & argentea ſunt, ſed lignea & fictilia: alia in honorem, alia in contumeliam, *Tom. 4. lib. 4 Com. in cap. 15. Ezechielis in fine.*

*In Eccleſia vaſa aurea & argentea lignea & fictilia.* *2. Timo. 2.*

HABITATORVM Eccleſiæ alij vt piſces maris, alij vt volucres cæli, alij vt beſtiæ agri, & omnia reptilia, quæ mouentur ſuper terram: alij vt retinentes hominis dignitatem, habitant ſuper faciem terræ. Quod autem morum diuerſitas, varijs ſignetur nominibus, & Apoſtolus ſcribit ad Corinthios: qui alia corpora poſt reſurrectionem dicit eſſe cæleſtia, alia terrena: & aliud corpus piſcis, aliud volucris, aliud beſtiarum aliud reptilium, & aliud hominum, qui nomen priſtinum ſeruauerunt. In actibus quoque Apoſtolorum linteum illud, quod quatuor principijs tertiò Petro Apoſto demonſtratur, varietatem credentium ſignificat, quæ in arca quoq; diluuij continetur. *Tom. 4. lib. 11. Commentariorum in cap. 38. Ezechielis.*

*Varietas credentium in Eccleſia.* *1. Cori. 15.* *Morum diuerſitas in membris Eccleſiæ varijs ſignatur nominibus.* *Acto. 10.* *Varietas credentium in arca diluuij*

FECI mihi hortos, &c.] In domo diuitis non ſolum aurea vaſa ſunt & argentea, ſed & lignea & fictilia. Fiunt igitur & horti propter imbecilliores quoſque & infirmos. Nam qui infirmus eſt, holeribus veſcitur. Plantantur arbores, non omnes fructiferæ, vt in Latinis codicibus habemus, ſed omnis fructus, hoc eſt diuerſarum frugum atque pomorum: quia diuerſæ ſunt gratiæ in Eccleſia: & alius eſt oculus, alius manus, alius pes: & quæ verecundiora noſtra ſunt, his maiorem honorem circundamus. Inter quas frugiferas arbores æſtimo tenere primatum lignū vitæ, quod eſt ſapientia. Niſi enim in medio illa plantetur, ligna cætera ſiccabuntur. *Tom. 5. Com. in cap 2. Eccleſiaſtis.*

*2. Tim. 2.* *Rom 14.* *Diuerſæ gratiæ in Eccleſia.* *1. Cori 12.*

ET nunc ponite corda veſtra &c. Fundamentum huius templi ponitur Ieſus, ſuper quem vnuſquiſq; videat quid ædificet: Alius ædificat aurum, argentum, lapides pretioſos, alius ligna fœnum, ſtipulam. Et tribus bonis tria è contrario opponuntur mala. Iſti ſunt lapides, de quibus extructurum ſe hieruſalem Dominus repromittit: Ecce ego præparabo tibi carbunculum lapidem tuum, & fundamenta tua ſaphyrum: & ponam propugnacula tua iaſpidem, & portas tuas de lapide cryſtallo, & murum tuum de lapidibus electis. Neque enim putandum eſt ſecundum Iudaicas fabulas, & inepta figmenta, Deum auro & gemmis ædificaturum Hieruſalem, & non viuis lapidibus, qui nunc voluuntur ſuper terram, & iuxta naturas lapidum, vel igniti fide ſunt, vt carbunculus, vel toti cæleſtes & in thronum Dei reducti, vt ſaphyrus: vel innocentia & bonorum operum ſimplicitate lucentes, vt cryſtallus. *Tom. quinto libro primo Commentariorum in cap. 2. Aggei. Fol. 230.*

*1. Corint 3.* *Eſa. 54.* *Sec. 70.* *Eccleſia ædificatur ex viuis lapidib non verò iuxta iudaicas fabulas ex auro & gemmis.* *Zacha. 9.*

ECCE enim ego mandabo, & cæt.] Deus qui menſus eſt aquas manu, & cœlum palmo, & omnem terram concludit pugillo, ipſe pro magnitudine ſua, vtraque manu tenens margines terræ, quaſi cribrum huc illucque concutiet: vt paleis ac ſordibus peccatorum in terram cadētibus, purum frumentum remaneat, quod condatur in horrea: ſiue vt Septuaginta tranſtulerunt: ventilabrum tenebit in manu, & purgabit aream ſuam, & triticum condet in horreis, paleas autem comburet igni inextinguibili, de quibus loquitur per Hieremiam Quid paleis ad frumentum dicit Dominus? De hoc eodem ſub figura alterius parabolæ, ſagena illa demonſtrat, quæ mittitur in mare huius ſæculi, & extrahit piſces omnium gentium, proiectiſque malis piſcibus, boni tantummodo reſeruantur: ita & Dominus miſerabilem domum Iſrael toto orbe diſperſit, & concuſsit in cribro, & ventilauit pala, lapilliſque & calculis ſuper terram non cadentibus, morientur in gladio, qui propter ſordes & puluerem, peccatores populi nominantur. *To. 5. lib. 3. Com. in cap. 9. Amos.*

*Eſaiæ. 40.* *In die iudicij membra Eccleſiæ bona ſeparabūtur à malis.* *Matt. 3.* *Hier. 23.* *Matt. 13.*

Et dixit Dominus: tu doles &c.] Ciuitas Niniue magna atque pulcherrima, præfigurat Eccleſiam: in qua miaor eſt numerus quā decem tribum Iſrael: quod & fragmenta in ſolitudine ſignificant duodecim cophinorum. Ignorant autem quid ſit inter dextram & ſiniſtram, vel propter innocentiam & ſimplicitatem, vt lactentem monſtret ætatem: & relinquam intellectui, quantus ſit numerus ætatis alterius, cum tantus ſit paruulorū. Vel certè (quia magna erat vrbs: & in domo magna nō ſolū vaſa ſunt aurea & argentea ſed & lignea & fictilia) erat in ea plurima multitudo, quę ignorabat ante actā pęnitentiā, quid eſſe inter bonum & malum, inter dextram & ſiniſtram: Sed & iumenta multa: Multus eſt enim in Niniue numerus iumentorum & irrationabilium hominum: qui comparantur iumentis inſipientibus, & aſsimulantur eis. *Tom. 5. Com. in cap. 4. Ionæ circa finem.*

*Luc. 9.* *Sub typo Niniues docet in Eccleſia pariter bonos eſſe & malos* *2. Tim.* *Pſal. 48.*

ET erit in illa die, &c.] Allegoricè portā piſcium eſſe in Hieruſalem, per quam inferuntur boni piſces, qui à malis fuerint ſeparati: & lugebunt cæteris introeuntibus, qui foris remanſerint *Tom. 5. Com. in cap. 1 Sophoniæ.*

*Boni piſces ſeparantur à malis.*

ET angelus Domini ſtabit, & cætera] Iuxta noſtros, qui hæc omnia referunt ad Dominum Saluatorem, hoc videtur, eſſe difficile, quod Ieſu ab angelo dicitur: Si ambulauerit in vijs Dni, & eius præcepta ſeruauerit, ipſe quoq; iudicet domum eius, & cuſtodiat atria illius, & det ei Dominus ambulantes de his qui aſsiſtāt ei. Quod facile ſoluitur: ſi conſideremus eū q formā

*Philip. 2.*

ſerui eſt dignatus aſſumere, & cum diues eſſet, pro nobis pauper factus eſt. Quidquid igitur mẽbris dicitur, refertur ad corpus, & noſtri profectus, Domini victoria eſt.

*2. Cor. 8.*
*Eph. 4.*

Cumque nos peruenérimus in virum perfectũ, in menſurã ætatis plenitudinis Chriſti: ille iudicabit domum Dei: ſecundum id quod Apoſtolus dixit: Chriſtus autem ſicut filius ſuper domum eius: cuius domus ſumus nos. Et ad Timotheum: Si tardauero, vt ſcias quomodo debeas in domo Dei conuerſari, quæ eſt eccleſia Dei viuẽtis, columna & firmamentũ veritatis.

*Hebr. 3.*
*1. Timo. 3.*

Et non ſolũ iudicabit domum eius, ſed cuſtodiet atria Domini, de quibus ſcriptũ eſt: Adorate dominum in atrio ſancto eius. Iudicabit autem ſiue dijudicabit domum eius, & pro meritis ſingulorum, alij dans decem ciuitates, & alij quinq;, & alios in eccleſia cõſtituens, prophetas, alios Apoſtolos, alios doctores, alios ſigna facientes, alios pro oculis habens, alios pro manib. alios pro pedibus: iuxta illud quod legimus: Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat. Dedit quoque ei de angelorum numero miniſtros: qui in carne conſtituti ſimiles angelorum ſunt, & de quibus Apoſtolus loquebatur: Noſter municipatus in cœleſtibus eſt. *Tom. 5. lib. 1. Com. in cap. 3. Zachariæ.*

*Pſal. 28.*
*Luc. 19.*
*Varia membra eccleſiæ.*
*Eph. 4.*
*1. Corin. 12.*
*Pſal. 81.*
*Phi. 3.*

HAEC dicit Dominus exercituũ adhuc &c.] Tanta erit reuerſo me in Sion, & habitare in medio Hieruſalem, rerum omnium proſperitas, & bellorum quies, atque tranquillitas: vt nullo hoſte remanente, vſq; ad vltimam ætatem in vtroque ſexu ſenilis ætas perueniat, & trementes artus baculo regente ſuſtentent. Plateæ quoq; ciuitatis impleantur pueris puelliſque ludentibus. Hoc autem fieri ſolet, quando ſecuritas & profũda pax vrbium eſt: vt gaudium ciuitatum, luſib. & choreis, ætas laſciua concelebret. Quod ſi referimus ad eccleſiam (de qua dicitur: Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Et: Fluminis impetus lætificant ciuitatem Dei: ſanctificauit tabernaculum ſuum altiſsimus: Deus in medio eius non cõmouebitur.) Quis poterit ambigere, plateas eccleſiæ eſſe virtutes: in quibus ſapientia agit fiducialiter, & in murorum ſummitatibus prędicatur? Vnde & ad Dominũ pſalmiſta conclamat: Latũ mandatum tuum vehementer. In his plateis Dominum Saluatorem ſponſa perquirens, loquitur in Cantico canticorum: Conſurgam, & circuibo ciuitatem in foro & in plateis eius: donec inueniam eum quem dilexit anima. Habitabunt igitur, vel ſedebut ſenes & anus, de quibus ſcriptum eſt (ſi cui tamen placet librum recipere) Senectus honorabilis, non multi temporis, nec numero annorum æſtimabilis. Cani autem ſunt hominum prudentia, & ſenectus vita immaculata: de qui- & Dominus loquitur ad Moyſen: conſtitue tecum ſeptuaginta ſenes, quos ipſe noſti, quoniam ſenes ſunt: quamobrem & ante Abraham nullus appellatus eſt ſenex, de quo ſcriptum legimus: Deficiens Abraham mortuus eſt: nutritus in ſenectute bona, ſenex & plenus dierum. Gloria enim ſenum cani ſunt, de quibus dicitur: Cani hominis ſapientia eius. Hi tenebunt præ dictum multitudine virgas & baculos in manibus ſuis, & dicent ad diſcipulos: Quid vultis in virga veniam ad vos? an in ſpiritu lenitatis, & manſuetudinis? Qui enim de labijs ſuis profert ſapientiam, virga percutit virum vecordem.

*Pſal 89.*
*Pſal. 45.*
*Prouerb. 1.*
*Pſal. 118.*
*Cant. 3.*
*Sap. 4.*
*Num. 11.*
*Gen. 25.*
*Sap. 4.*
*1 Cor. 4.*
*Prouerb. 10.*
*Sec. 70.*
*Prou. 13.*

Et è contrario. Qui parcit baculo ſuo, odit filium ſuum: qui autem diligenter corripit, diligit. Et non ſolum ſenes, ſed anus quoque ſedebunt in plateis Hieruſalem: quas Paulus Apoſtolico ore deſcribens: Honora, inquit, viduas, quæ veræ viduæ ſunt. Et in eodem loco: Vidua eligatur non minus annorum ſexaginta, quæ fuit vnius viri vxor, in bonis teſtimonijs habens teſtimonium: ſi educauit liberos, ſi recepit hoſpitio, ſi ſanctorum pedes lauit, ſi in tribulationibus poſitis miniſtrauit, ſi omne opus bonum proſecuta eſt. Iſtiuſmodi ſenes & anus ſedebunt in plateis Hieruſalem, & tenebunt baculos in manibus ſuis, & plateæ ciuitatis complebuntur pueris & puellis ludentibus. Iſti ſunt pueri & puellæ, ſenes & iuuenes quos pſalmiſta ad cantandum Domino cohortatur dicens: Iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini. Et Ioannes Euangeliſta atque Apoſtolus: Scribo, inquit, vobis pueri, quoniam dimittuntur vobis peccata propter nomen Saluatoris: Scribo vobis patres, quia cognouiſtis eũ qui à principio eſt. Et de his Salomon in Prouerbijs loquitur: Vt det innocentibus verſutiam: puero autem iuniori, ſenſum & intelligentiam. Et rurſum: Audite pueri diſciplinam patris, & attendite vt cognoſcatis intelligentiam. De his pueris, virgunculis, ac puellis, & quadrageſimus quartus Pſal. Adducẽtur, inqt, regi virgines poſt eam. Iuxta quod ſcriptum eſt: Exultauerunt, & lætatæ ſunt filiæ Iudæ in omnibus iudicijs tuis Domine. Quæ cum audierint ab Apoſtolo: Gaudete, iterum dico, gaudete, mentis lætitiam geſtũ coporis indicabunt, & tripudiante ſaltatu dicent cum Dauid: Saltabo & ludam in conſpectũ Domini. *Tomo quinto libro ſecundo Commentariorum in cap. 8. Zachariæ.*

*1. Tim. 5.*
*Pſal. 148.*
*1. Ioan. 2.*
*Prouerb. 1.*
*Sec. 70.*
*Prouerb. 1.*
*Pſal 98.*
*Philip. 4.*
*2. Reg. 6.*

VIDEBIT Aſcalon, & timebit & cætera] Separatorem Dominum intellige: qui frumentum à paleis ſeparet, & piſces bonos à piſcibus malis, & argentum & aurum à ſordibus ſcoriaq; diſcernat. *Tomo quinto libro ſecundo Commentariorum in cap. 9. Zachariæ.*

*Mat. 3. et 13*
*Malac. 3.*
*In die iudicij Deus ſepa at frumẽtũ à paleis.*

VT veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus & cætera] Regula ſcripturarum eſt, duas generationes bonorum & malorum noſſe, hoc eſt, ſingulorum ſingulas. De bonis ſumamus exempla: Quis aſcendet in montem Domini? aut quieſcet in monte ſancto eius? Cumque plures qui aſcenſuri ſunt in montem Domini deſcripſiſſet, qui diuerſis fuere ætatibus, poſtea infert: Hæc eſt generatio quærentium Dominum: quærentium faciem Dei Iacob. Et in alio loco de omnibus ſanctis. Generatio iuſtorum benedicetur. De malis verò vt in præſenti loco: Generatio viperarum. Et Requirentur omnia à generatione iſta. Et in Ezechiele, cum peccata terræ deſcripſiſſet, ſermo propheticus adiecit: Si Noë, & Iob, & Daniel ibi fuerint inuenti, non dimittam peccata terræ illi. Omnes iuſtos qui ſimiles forent virtutibus eorum, per Noë, & Iob, & Daniel, volens intelligi. Ergo & iſti qui ſimilia Cain & Ioas contra Apoſtolos geſſerint, de vna generatione eſſe referuntur. *Tomo 6. lib. 4. Comment. in ca. 23. Matthæi. Cano. 55.*

*Pſal. 23.*
*Generatio duplex bonorum & malorum in eccleſia.*
*Pſal 111.*
*Ezec. 14.*

TVM ſimile erit regnum cælorum decẽ virg. &c.] Sicut duo in agro, & duæ molentes, duos ſignificant populos, Chriſtianorum & Iudæorũ, ſiue



ſiue ſanctorum & peccatorum, qui in eccleſia cõſtituti, videntur quidem & ipſi arare & molere, ſed cuncta in hypocriſi faciunt, ſic & nunc decem virgines omnes homines complectuntur, qui videntur Deo credere, & applaudunt ſibi in ſcripturis, tam Eccleſiaſticos quàm Iudæos atque hæreticos. Qui iccirco virgines appellantur: quia gloriantur in vnius Dei notitia, & mens eorum idololatriæ turba non conſtupratur. *Tom. 6. lib. 4. Com in cap. 25. Matthæi. Cano. 55.*

*Duo genera hominum in eccleſia ſanctorum & peccatorum.*

ET qui mecũ ſunt omnes fratres &c.] Noſcendum dupliciter Eccleſiam poſſe dici, & eam quę non habeat maculam aut rugam, & verè corpus Chriſti ſit: & eam quæ in Chriſti nomine abſque plenis perfectiſq; virtutibus congregetur. Quo modo ſapientes bifariam nuncupantur, tam hi qui ſunt plenæ perfectæq; virtutis, quàm illi qui incipiunt, & in profectu poſiti ſunt. De perfectis dicitur: mittam ad vos ſapientes. De incipientibus: Argue ſapientem, & diliget te. Qui enim plenæ conſummatæq; virtutis eſt, correptione non indiget. Iuxta hunc ſenſum de cæteris quoq; virtutibus intelligendum: quod ſcilicet fortis & prudens, pius, caſtus, iuſtus, & temperans, interdum plenè, interdum abuſiuè accipiantur. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 1. ad Galatas.*

*Eccleſia dupliciter accipitur pro perfectis & incipientibus.*
*Matt. 23.*
*Prouerb. 9.*

SED quomodo tunc qui ſecundum carnem &c.] Nunquam ſpiritualis perſequitur carnalem ſed ignoſcit ei, quaſi ruſticano fratri: ſcit enim poſſe proficere per tempus. Et ſi quando Aegyptiæ filium viderit iraſcentem, recordatur vnius patris, qui lucem, boues crearit & culicem, & in magna domo, non ſolum eſſe vaſa aurea & argẽtea, ſed lignea & fictilia. *Tom. 6. li. 2. Com. in ca. 4. ad Galatas in fine.*

*2. Tim. 2.*

ET omnia ſubiecit ſub pedibus eius &c.] Et ipſum dedit caput ſuper omnia Eccleſiæ, quæ eſt corpus ipſius. Quo modo enim caput plurima ſibi habet membra ſubiecta, è quibus ſunt nonnulla vitioſa & debilia: Ita & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cum ſit caput Eccleſiæ habet membra eos omnes qui in eccleſia congregantur, tam ſanctos videlicet quàm peccatores, ſed ſanctos voluntate, peccatores verò ſibi neceſsitate ſubiectos. Atque ita fit vt etiam inimici ſubiecti ſint pedibus eius. *Tomo ſexto lib. 1. Commentariorum in ca. 1. ad Ephe.*

*Similitudine corporis oſtendit eccleſiã habere varia membra.*

DOMINE à paucis à terra diuide eos.] Vox Eccleſiæ. à paucis à terra. Vult eccleſia ſeparari à carnalibus & à Zizania, & à paleis ante diem iudicij, ſed ſine cauſa: quia à Deo accepit reſponſum, ſicut Dominus dixit in euangelio: Sinite vtraque creſcere vſq; ad meſſem, hoc eſt, vſq; in diem iudicij. Quia hic Eccleſia cõmiſta eſt cum peccatoribus, rogat pro illis qui prędeſtinati sũt, vt veniant, & ſeparẽtur ab illis, qui non ſunt prædeſtinati, vt dicitur. Multi vocati: pauci verò electi. Supplanta eos, qui in impietate ſunt, vt hi emendari debeant, aut in futuro ſupplantentur in vindicta. *Tom. 7. in Pſal. 16 fol. 7.*

*Eccleſia bonorum non poteſt ſeparari à malis ante diem iudicij*
*Matt. 13.*
*Matt. 22.*

QVONIAM defecit in dolore.] Ideo in dolore: quia Eccleſia non poteſt emendare malos, ne. ſegregare malos à ſanctis vſq; in finem. Vnde Dominus dixit: Sinite vtraq; creſcere vſque ad meſſem, & in tempore meſsis dicam meſſoribus: Colligite primum Zizania, & colligate faſciculos ad comburendum. *Tomo ſeptimo Commentariorum in Pſal. 3. . 1 0 . 36.*

*Matt 13.*

IVDICA me Deus, & diſcerne cauſam meam &c.] Tu autem diſcerne me à paleis, inter quas in hoc ſæculo ingemiſco, ſuperueſtiri cupiens vt abſorbeatur, quod mortale eſt à vita *Tomo ſeptimo Com. in Pſal. 42.*

*Hieronymus libro 3. in epiſtolam ad Epheſios, in ea videtur eſſe ſententia, quod nullus peccator ſit de Eccleſia Chriſti: dum ita loquitur, Eccleſia Chriſti glorioſa eſt, nõ habens maculam, neq; rugam: aut quid iſtiuſmodi: qui ergo peccator eſt, & aliqua ſorde maculatus, de Eccleſia Chriſti non poteſt appellari, nec Chriſto ſubiectus dici: poſſibile eſt autem, vt quomodo Eccleſia, quæ prius rugam habuerit & maculam in iuuentutem poſtea, & munditiem reſtituta eſt: ita & peccator currat ad medicum, & curentur vulnera ipſius, & fiat de Eccleſia, quæ corpus eſt Chriſti. Præſens locus torquetur a Lutheranis in eam ſententiam, quaſi vera Eccleſia conſtet ex ſolis prædeſtinatis & electis Dei, quibus peccata non imputantur. Sed non animaduertunt B. Hieronymum non de militante, ſed de triumphante Eccleſia accipiendum eſſe.*

## *Art. VIII. Eccleſiam propter malos non deſerendam, nec diuidendam eſſe.*

HILARION, ortus vico Thabata, qui circiter quinq; milia à Gaza, vrbe Palæſtinę, ad auſtrum ſitus eſt, cum haberet parentes idolis deditos, roſa, vt dicitur, de ſpinis floruit, à quibus miſſus Alexãdriam, Grãmatico traditus eſt: ibique quantum illa patiebatur ætas, magna ingenij & morum documenta præbuit in breui, carus omnibus & loquendi arte gnarus. quodq; his maius eſt omnibus, credens in Dominum Ieſum non circi furoribus, non arenæ ſanguine non theatri luxuria delectabatur, ſed tota illi voluntas in Eccleſiæ erat congregatione. *Tom. 1. in vita Hilarionis, in principio.*

*Hilarioni tota voluntas erat in eccleſiæ congregatione.*

FERVNTVR eius & aliæ ad Victorem epiſcopum Romanum, de quæſtione Paſchæ Epiſtolæ, in quibus commonet eum, non facilè debere vnitatem collegij ſcindere. Siquidem Victor multos Aſiæ, & orientis epiſcopos, qui à decimaquarta luna cum Iudęis Paſcha celebrabant damnandos crediderat. In quã ſententia ij, qui diſcrepabant ab illis, Victori non dederunt manus. *Tom 1. de viris Illuſtribus in Irenæo.*

*Non facile vnitas collegij ſcindenda.*

VERVM, ſi voluerint, inquit, ij, qui ab Hilario inſtituti ſunt, & oues ſine paſtore eſſe cæperunt, de ſcripturis ea proferre, quæ beatus Cyprianus ob hæreticos rebaptizandos in epiſtolis ſuis, reliquit: ſciant illum hæc non cum anathemate eorum, qui ſe ſequi noluerant ediſſe: ſiquidem in communione eorum permãſit, qui ſententiæ ſuæ contraierant, ſed hortatum potius fuiſſe propter Nouatum, & alias tum hæreſes multas enaſcentes, ne quiſquam ab eo ſine damnatione erroris ſui recuperetur. Sermonem denique ſuum quem ſuper hac re ad Stephanum Romanum Pontificem habuit, tali fine compleuit: hæc ad conſcientiam tuam frater cariſsime, & pro honore cõmuni & pro ſimplici dilectione protulimus: credentes etiam tibi pro religionis tuæ & fidei veritate placere, quæ & religioſa pariter, & vera ſunt. Cæterum ſcimus quoſdam, quod ſemel imbiberunt, nolle deponere, nec propoſitum ſuum facilè mutare, ſed, ſaluo inter collegas pacis & concordiæ vinculo,

*Cyprianus excuſatur quod licet in opinione priuata & ſingulari fuerit noluerit tamen in eccleſia ſchiſma facere.*

culo, quædam propria, quæ apud ſe ſemel ſint vſurpata, retinere. Qua in re non vim cuiquam facimus, aut legem damus: quin habeat in eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuę arbitrium liberũ vnuſquiſque ſit præpoſitus, rationem actus ſui, Domino redditurus. Ad Iubaianum quoq; de hæreticis rebaptizandis ſcribens, in fine libelli ſic locutus eſt: Hæc tibi breuiter pro noſtra mediocritate ſcripſimus, frater cariſsime, nemini præſcribentes, aut præiudicantes, quo minus vnuſquiſq; epiſcoporũ, quod putat, faciat: habens arbitrij ſui liberam poteſtatem. Nos quantum in nobis eſt, propter hæreticos cum collegis & coepiſcopis noſtris non contendimus, cum quibus diuinam cõcordiam, & Dominicam pacem tenemus, maximè cum Apoſtolus dicat: Si quis autem putauerit ſe contentioſum eſſe, nos talẽ conſuetudinẽ nõ habemus, nec Eccleſia Dei. Seruatur à nobis patienter & leniter caritas animi, collegij honor, vinculum fidei, concordia ſacerdotij. *Tomo ſecundo in Dialogo contra Luciferianos capite nono.*

*1. Corint. 11.*

O VERE benedicta epiſcoporum Cypri manſuetudo, & bonitas, & noſtra ruſticitas ſenſu tuo, & arbitratur digna miſericordia Dei. Nam multi epiſcopi communionis noſtræ & presbyteros in noſtra ordinauerunt prouincia, quos nos comprehendere non potueramus: & miſerunt ad nos diaconos & hypodiaconos, quos ſuſcepimus cũ gratia. & ipſe cohortatus ſum beatæ memoriæ Philonem epiſcopum & ſanctum Theoprobum, vt in eccleſijs Cypri, quæ iuxta ſe erant. ad meæ autem parochiæ videbatur eccleſiam pertinere, eo quod grandis eſſet, & latè patens prouincia, ordinarent presbyteros, & Chriſti eccleſię prouiderent. Nunquam autem ego ordinaui diaconiſſas, & ad alienas miſi prouincias, neque feci quidquam vt eccleſiam ſcinderem. *Tom. 2. Epiſt. 60. ad Ioannem Hieroſolimi. cap. 1.*

*Nihil quicquam fecit Epiphanius vt eccleſiam dei ſcinderet*

DEVS pacis præſtet nobis iuxta ſuam clemẽtiam, vt conteratur Satanas ſub pedibus Chriſtianorũ, & abijciatur omnis occaſio peruerſa, ne ſcindatur in nobis vinculum caritatis, & pacis, & rectæ fidei prædicatio. *Ibidem: Epiſtol. 60. ad Ioannẽ Hier. cap. 5.*

*Cauendum ne ſcindatur in eccleſia vinculũ caritatis et pacis recta fidei prædicatio.*

DECET honeſtatem tuam hanc magis habere ſolicitudinem, vt ſcrupuloſitatem tollat, quæ indigna eſt Eccleſia Chriſti, & populis qui tibi crediti ſunt. *Ibidem cap. 5. in fine.*

*Qantum valeat concordia dogmatum laido. ſtenditur.*

POLLICETVR ſe antequam legationis eſſet vlla ſuſpicio, veturum Hieroſolymam & ad aduentum ſuum illicò aduerſariorum cuneos proterendos. Et inter cætera his etiam verbis vtitur. Quo modo fumus in aere diſſoluitur, & cera ad viciniam ignis liqueſcit: ita diſsipabuntur qui ſemper eccleſiaſticę fidei reſiſtentes, nunc per homines ſimplices eandem fidem inquietare conantur. Rogo te lector, qui hoc ſcribit antequam veniat, quid tibi videtur? aduerſarius, an legatus? Iſte eſt quem nos pijſsimum, vel religioſiſsimũ, & vt verbũ exprimamus è verbo Dei Deicolam poſſumus dicere. Iſte eſt homo diuinæ intelligentiæ tam potens, & tanta inceſſus ac habitus dignitate, vt quaſi Hippocrates languorem animarum noſtrarũ ſua potuerit præſentia mitigare, ſi tamen nos voluerimus ſuæ medicinæ acquieſcere. Curet ſe tali medicamine, qui etiam alios curare conſueuit: nobis diuina illa intelligentia pro Chriſto ſtultitia eſt. Libenter noſtrà ruſticitate languemus: ne collyrio veſtro impiè videre diſcamus. Tuæ verò ſanctimoniæ, pro optima voluntate quaſi ad finem vſque perducta ſit deprecamur Dominum in ſanctis locis noctè ac die, vt ei reddat perfectam mercedem, & coronam vitæ largiatur. Rectè gratias agis: niſi enim veniſſet Iſidorus, tu in tota Palæſtina tam fidelem ſodalem non inueniſſes: niſi ille tibi promiſſum apportaſſet auxilium, hæreres in turba ruſticorum, quæ ſapientiam tuam intelligere non poſſet. Hæc ipſa Apologia, de qua nunc ſermo eſt. Iſidoro præſente, & multum collaborante, dictata eſt, vt idem eſſet & dictator, & baiulus litterarum. Cum ergo huc veniſſet, & acceſsiſſet ad nos tribus vicibus, & admouiſſet tam diuinæ ſapientiæ tuæ, quam propriæ intelligentiæ habentia medicinam verba: nec profuit alicui, nec profuit ei quiſquam. Hic qui ad tres vices dicitur ad nos acceſsiſſe, vt & in veniendo myſticum numerum conſeruaret, qui Theophili epiſcopi mandatum nobis loquebatur, litteras ad nos ab eo miſſas, noluit reddere: cumque diceremus, ſi legatus es, redde legationis epiſtolas: ſi epiſtolas non habes, quo modo legatum te probabis? reſpondit, ſe habere quidem litteras ad nos, adiuratum tamen ab Hieroſolymorum epiſcopo ne nobis eas redderet. En legati conſtantia: qui vt pacem faceret, & ſuſpicionem in alteram partem fauoris excluderet, æquum ſe vtriſque præbuit. Et quia ſine empiaſtro venerat, & medicorum armamenta non habebat, iccirco eius medicina non profuit. Hieronymus & ij, qui cum eo ſunt, & ſecretò, & coram omnibus, frequentiſsimè, & ſub iuriſiurandi teſtificatione ſatis ei fecerunt, quod nunquam de nobis ambiguitatem aliquam habuerint, dicentes. Quo modo eo tempore, quando communicabamus ei, nunc ſimiliter eundem affectum habemus dè ratione fidei? Videte, quid faciat concordia dogmatum. *Tomo ſecundo Epiſtola 61. ad Pammachium cap. 15.*

CVM obijceret nobis (Ioannes Hieroſolimitanus) quare ei communicaſtis, ſi hæreticus erat? audiuit ab omnibus, communicauimus nihil de hæreſi ſuſpicantes. Poſtquam verò à beato Papa Epiphanio conuentus, tam ſermone quàm litteris reſpondere contempſit: cunctis monachis ab eodem Epiphanio ſcripta venerũt, vt abſq; ſatisfactione fidei null⁹ ei temerè cõmunicaret. Præſto ſunt litteræ: nec ſuper hac rè dubitari poteſt. Hæc ſunt, quæ fratrum turba reſpondit, non vt tu argumentaris, ex eo te non eſſe hæreticum, quia aliquando non dictus ſis, hac enim ratione ægrotare non debebit, qui ante ægrotationem ſanus fuit. Quando autem cæptum eſt de ordinatione Pauliniani, & aliorum, qui cum eo ſunt, ventilari: videntes ſe reprehendi: cum propter caritatem atque concordiam concederentur eis omnia, hoc autem ſolum expeteretur, vt licet ab alijs cõtra regulas ordinati eſſent, tamen ſubijcerentur Eccleſiæ Dei, & non ſcinderent eam neq; proprium ſibi facerent principatum: in hoc non acquieſcentes, cæperunt proponere de fide, & omnib. notum facere quod ſi non arguerentur ij, qui cum Hieronymo preſbytero erant, nil culparent in nobis, ſin autem arguerentur erroris & culpæ, cum penitus non queant

*Cum hæreticis abſque fidei ſatisfactione non eſt communicandum.*

*Propter concordiam & charitatem quædam concedenda. Certi Canones et regulæ ordinationum. Nemo debet in eccleſia proprium ſibi facere principatum.*



queant de iſtiuſmodi quæſtionibus diſputare, ſatisfactionem errati proprij non inuenientes ad iſta confugerent: non quo ſperarent nos poſſe cõuinci; ſed famam noſtram lædere niterentur. *Ibi. cap. 15. in fine.*

PORRO quod dicis te petiſſe vt ſubijcerentur Eccleſiæ Dei; & non ſcinderent eam, neque proprium ſibi facerent principatum: de quibus dicas, non ſatis intelligo. Si de me, & de presbytero Vincentio: ſatis multo dormiſti tempore, qui poſt annos tredecim, nunc excitatus hæc loqueris, ob id ego Antiochiam, & ille Conſtantinopolim, vrbes celeberrimas, deſeruimus; non vt te in populis prædicantem laudaremus; ſed vt in agris, & in ſolitudine adoleſcentię peccata deflentes, Chriſti in nos miſericordiam deflecteremus. *Tom. 2. Epiſt. 61. ad Pammachium cap. 16.*

*Hieronymus in ſolitudine adoleſcentiæ peccata deflet vt Chriſti in ſe miſericordiam deflectat.*

VT non ſcinderent, inquit, eam, neque proprium ſibi facerent principatum. Quis ſcindit Eccleſiam? nos quorum omnis domus Bethlehẽ in Eccleſia communicat: an tu, qui aut benè credis, & ſuperbè de fide taces; aut malè, & verè ſcindis Eccleſiam? Nos ſcindimus Eccleſiam qui ante paucos menſes, circa dies Pentecoſtes, cum obſcurato ſole, omnis mundus iamiamque venturum iudicem formidaret, quadraginta diuerſæ ætatis & ſexus presbyteris tuis obtulimus baptizandos? & certè quinque presbyteri erant in monaſterio, qui ſuo iure poterant baptizare, ſed noluerunt quidquam contra ſtomachum tuum facere; ne & hæc tibi de fide reticendi daretur occaſio. An non tu potius ſcindis Eccleſiam, qui pręcepiſti Bethlehem presbyteris tuis, ne competentibus noſtris in paſcha baptiſmum traderet, quos nos Dioſpolim ad confeſſorem & epiſcopum miſimus Dionyſium baptizandos? Eccleſiam ſcindere dicimur, qui extra cellulas noſtras locum Eccleſiæ non habemus: An non tu ſcindis Eccleſiam, qui mandas clericis tuis, vt ſi quis Paulinianum ab Epiphanio epiſcopo conſecratum presbyterum dixerit, eccleſiam prohibeatur intrare? Ex quo tempore vſque in præſentem diem videmus tantum ſpecum Domini; & hæreticis intrantibus procul poſiti ſuſpiram⁹. Nos ne ſumus, qui Eccleſiã ſcindimus, an ille qui viuis habitaculũ, mortuis ſepulcrũ negat, qui fratrũ exilia poſtulat? Quis potentiſsimã illã ferã, totius orbis ceruicib. imminentẽ cõtra noſtros ceruices ſpiritualiter incitauit? Quis oſſa ſanctorũ & innoxios cineres hucuſq; verberari ab imbrib. ſinit? His nos blãdimentis bonus paſtor inuitat ad pacẽ, & proprium arguit facere principatum: qui omnibus epiſcopis, rectam duntaxat fidem tenentibus, & communione & caritate ſociamur. An tu ſolus Eccleſia es; & qui te offenderit, à Chriſto excluditur? Si proprium defendimus principatum; oſtende nos in parochia tua habere epiſcopum. Quod tibi nõ communicamus, fidei eſt: reſponde, & ordinationis erit. *Tom. 2. Epiſt. 61. ad Pammachium. cap. 16. circa finem.*

*Quis dicatur ſchiſmaticè ſcindere eccleſiam pulchrè depingitur.*

*Presbyteri in monaſterijs potuerunt baptizare.*

*Competentibus in Paſchate baptiſmus tradebatur.*

*Epiſcopi conſecrabant presbyteros.*

*Oſſa & cineres ſanctorũ in honore habebantur.*

*Qui propriũ defendit principatum ſcindit eccleſiã.*

*Proprium principatum facit, qui præter verum epiſcopum alium agnoſcit.*

EPISTOLA tua, hæreditatis Dominicæ te indicans poſſeſsorem, qui pergens ad patrem Apoſtolis loquebatur: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: illius quoque felicitatis compotem te eſſe teſtata eſt, in qua beati pacifici nuncupantur. Blandiris vt pater, erudis vt magiſter, inſtituis vt pontifex. Veniſti ad nos nõ in auſteritate virgæ, ſed in ſpiritu benignitatis & lenitatis & manſuetudinis; vt humilitatẽ Chriſti primo ſtatim ſermone reſonares: qui mortalium genus non fulminans, & tonans, ſed in præſepi vagiens, & tacens, ſaluauit in cruce. Legeras enim in typo illius ante prædictum: Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius, & in ipſo poſtea præſentatum: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Vnde & multa de ſacris voluminibus ſuper pacis laude perſtringens, ac per varios ſcripturarum campos more apum volans, quidquid dulce & aptum concordiæ fuit, artifici eloquio meſſuiſti. Currentes igitur ad pacem incitati ſumus: expoſita ad nauigandum vel acerbior exhortationis tuæ aura compleuit; vt non tam retrectantibus & faſtidioſis, quam vt auidis & plenis faucibus dulcia pacis fluenta biberemus. Verum quid facimus, in quorum poteſtate voluntas tantum pacis eſt, nõ effectus? Et quamquam voluntas quoque apud Deum propoſiti ſui mercedem habeat; tamẽ imperfectum opus etiam volentes mœrore contriſtat. Quod ſciens & Apoſtolus, perfectiſsimam videlicet pacem in vtriuſque partis voluntate conſiſtere: Quantum, inquit, ex vobis eſt: cum omnibus hominibus pacem habentes. Et propheta: Pax pax: Et vbi eſt pax? Nihil. n. grande eſt pacem voce prætendere, & opera deſtruere: aliud niti, aliud demonſtrare: verbis ſonare concordiam, re exigere ſeruitutem. Volumus & nos pacem, & non ſolum volumus, ſed & rogamus, ſed pacem Chriſti, pacem veram, pacem ſine inimicitijs, pacem in qua non ſit bellum inuolutũ, pacem quæ non vt aduerſarios ſubijciat, ſed vt amicos iungat. Quid dominationem pacem vocamus, & non reddimus vnicuique rei vocabulum ſuum? Vbi odium eſt, appellentur inimicitiæ: vbi caritas, ibi tantummodo pax vocetur. Nos nec Eccleſiam ſcindimus, neque à patrum communione diuidimur: ſed ab ipſis, vt ita dicam, incunabulis catholico ſumus lacte nutriti Nemo namque magis eccleſiaſticus eſt quã qui nunquam hæreticus fuit. Sed ignoramus abſque caritate pacem, ſine pace communionem. Legimus quoque in euangelio: Si offers munus tuum ad altare; & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te; dimitte ibi mun⁹ tuum coram altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum. Si munera noſtra abſque pace offerre non poſſumus; quanto magis & Chriſti corpus accipere? Qua conſcientia ad Euchariſtiam Chriſti accedam, & reſpondebo amen, cùm de charitate dubitem porrigentis? Quæſo te, vt patienter me audias, nec veritatem adulationem putes. Quiſquã ne tibi inuitus communicat? quiſquãm ne extẽta manũ vertit faciem, & inter ſacras epulas Iudæ oſculum porrigit? Ad aduentum, vt reor, tuum non pauet monachorum turba, ſed gaudet, certatim tibi procedunt obuiam: & de eremi latibulis exeuntes, ſua te cupiunt humilitate ſuperare, quis eos compellit exire? nonne amor tui? quis per eremum ſeparatos in vnum cogit? nonne tua dilectio? Amari enim parens debet. Amari parens & epiſcopus debet, non timeri. Antiqua ſententia eſt: Quem metuit quis, odit: quem odit, perijſſe cupit. Vnde & in noſtris litteris cũ initia paruulorum in timore conſiſtant, perfecta dilectio foras mittit timorem. Non quæris mona-

*Ioan. 14. 20.*

*Matt 5.*

*Pacis & concordiæ eccleſiaſticæ encomia contra ſciſmaticos.*

*Pſal 131.*

*Matt. 11.*

*Rom. 12.*

*Hier. 8.*

*Qui à Patrũ communione diuiditur is ſchiſmaticus imo hæretic⁹ eſt.*

*Matt. 5.*

*Chriſti corpus ſine pace proximi non accipiendum*

*Epiſcopis honoris cauſa clerus obuiam procedebat.*

*Humilitate ſuperanda dominatio ſuperborum.*



mona-

monachos tibi eſſe ſubiectos,& ideo magis ſubiectos habes. Tu offers oſculũ, illi colla ſubmittũt. Exhibes militẽ, et ducem impetras: quaſi vnus in pluribus es, vt ſis vnus ex pluribus. Citò indignatur libertas, ſi opprimitur. Nemo plus impetrat à libero, quã qui ſeruire non cogit. *To. 2. Epi. 62. ad Theophilum. cap. 1.*

*Monachi ex monaſteria erant ſubiecta epiſcopis. 1. Ioan. 2.*

FRATREM meum cauſam dicit eſſe diſcordiæ, hominem, qui quieſcit in monaſterij cellula, & clericatum nõ honorem interpretatur, ſed onus. Cumque nos vſque ad præſentem diem ficta pacis oſtenſione lactauerit, occidentalium ſacerdotum commouit aures, dicens eum adoleſcentulum & penè puerum in parochia ſua Bethlehem presbyterum conſtitutum. Si hoc verum eſt, cuncti Palæſtini Epiſcopi non ignorant. Monaſterium enim ſancti Papæ Epiphanij nomine vetus dictum, in quo frater meus ordinatus eſt presbyter, in Eleuteropolitano territorio, & nõ in Helienſi ſitũ eſt. *Tom. 2. Epiſt. 62. ad Theoph. cap. 3.*

*Hieronymus fratrem ſuũ defendit.*

QVOD ſi non poteſt pacem habere cum fratre, niſi cum ſubdito & ordinationis ſuæ Epiſcopo renunciante: oſtendit ſe non tam pacem cupere, quàm ſub pacis occaſiõe vindictam; nec aliter quietis & pacis otio eſſe contentum, niſi integrum habeat quod minatur. Etiam ſi ipſe cũ ordinaſſet, & ſic ſecreti amator quieſcere vellet, ne quidquam exerceret. Quod ſi Eccleſiam ſcinderet, nihil ei deberet præter honorẽ cunctis ſacerdotibus debitum *Ibid. cap 3.*

*Cunctis ſacerdotibus debetur honor.*

QVID procul pacem quærunt, & volunt eã nobis ab alijs imperari? ſint pacifici, & illicò pax ſequetur. Cur nomine ſanctitudinis tuæ contra nos pro terrore abutuntur; cum Epiſtola tua pacem & manſuetudinem ſonet, illorum verba duritiem comminentur? Denique quam pacificas & ad concordiam pertinentes per Iſidorum presbyterum litteras nobis miſeris, hinc probamus, quod illas, quæ pacem falsò iactant, reddere noluerit. Eligant itaque quod volunt. Aut boni ſumus aut mali; ſi boni, dimittant quieſcere; ſi mali, quid malorum expetunt ſocietatem? Quantũ valeat humilitas, experimento didicit. Quid nũc diſſuit, quæ ſuo conſilio olim disiuncta ſociauit, probat ſe nunc ad alterius voluntatem, tunc copulata diſcerpere. *To. 2. Epiſt. 62. ad Theoph. ca. 3.*

*Potentia humilitatis.*

ANNO quo ingreſſus eſt Thartã, &c.] Achab rex Iſraël vineam Naboth vertere in hortum cupiebat: quod ille iuxta leges tropologiæ intelligens, mori maluit, quàm facere: ne hęreditas paterna & antiqua poſſeſsio, in impij regis delicias verteretur. *Tom. 4. lib. 7. Com in cap. 20 Eſaiæ.*

*Moriendum prius quam hæreditas paterna & antiqua poſſeſſio religionis Catholicæ deſerenda: à typo tropologicè.*

DVODEVICESIMVS in Eſaiam imò extremus liber, tuo ô filia Euſtochium, & ſanctæ matris tuæ Paulę nomini dedicatur: vt quas pari honore ſuſpexi, æqua commemoratione nunc recolam: præſertim cum & illa dum viueret, hoc opus tecum crebrius poſtularit, & vir eruditiſſimus frater tuus Pammachius, & tunc & poſtea frequentibus ſcriptis cogere non deſtiterit: mihiq; & præſentiam amicorum, & abſentium, virorumq; ac fœminarum in Chriſto dormientium eadem religio ſit: id eſt, animorum charitas, non corporum. Nec ignoro quanta inter homines ſententiarum diuerſitas ſit. Non dico de myſterio trinitatis, cuius recta confeſsio, eſt ignoratio ſciẽtiæ: ſed de alijs eccleſiaſticis dogmatibus: de reſurrectione ſcilicet, & de animarum & humanæ carnis ſtatu: de repromiſsionibus futurorum, quo modo debeant accipi: & qua ratione intelligenda ſit Apocalypſis Ioannis: quam ſi iuxta litteram accipimus, Iudaizandum eſt: ſi ſpiritualiter, vt ſcripta eſt diſſerimus, multorũ veterum videbimur opinionibus contraire: Latinorum, Tertulliani, Victorini, Lactantij: Gręcorum, vt cæteros prætermittam, Hirenęi tantũ Lugdunenſis Epiſcopi faciam mentionem: aduerſum quem vir eloquentiſsimus Dionyſius Alexandrinæ Eccleſiæ pontifex, elegantem ſcribit librum, irridens mille annorum fabulam, & auream atque gemmatam in terris Hieruſalem, inſtaurationem templi; hoſtiarum ſanguinem; otium ſabbathi, circunciſionis iniuriam, nuptias, partus, liberorũ educationem, epularum delicias, & cunctarum gentium ſeruitutem: rurſuſque bella, exercitus, ac triumphos, & ſuperatorum neces, mortemque centenarij peccatoris. Cui duobus voluminibus reſpondit Apollinarius: quẽ non ſolũ ſuæ ſectæ homines, ſed & noſtrorum, in hac parte duntaxat, plurima ſequitur multitudo: vt præſaga mente, iam cernam quantorum in me rabies concitanda ſit. Quibus non inuideo, ſi tantum amant terram, vt in regno Chriſti terrena deſiderent, & poſt ciborũ abũdantiam gulæque ac ventris ingluuiem, ea quæ ſub ventre ſunt, quærant. De quibus Apoſtolus Paulus: Eſca, inquit, ventri, & venter eſcis: Deus autem & hunc & illas deſtruet. Et: Non eſt regnum Dei cibus & potus. Et Dominus atque Saluator: Erratis, inquit, neſcientes ſcripturas neque virtutem Dei. In reſurrectione enim neque nubent neque nubentur: ſed erunt ſimiles angelorum. Nec hæc dicens aufero corporum veritatem: quæ incorrupta & immortalia reſurrectura confiteor: vt mutent gloriam, non ſubſtantiam. Sicque recto incedendum eſt tramite vt nec ad ſiniſtram nec ad dexteram declinemus: id eſt, nec Iudaicum, nec hæreticum ſequamur errorẽ. *Tom. 4. in Proœmio lib. 18. Com. in Eſaiam.*

*Hominum magna diuerſitas in nõnullis eccleſiaſticis dogmatibus qui diuidunt & ſcindunt vnitatẽ Eccleſiæ.*

*Oppugnantur Chiliaſtæ et Millenarij locis innumeris ab Hieronymo.*

*1. Cor. 6. Rom. 14. Matt. 22.*

*Media via incedendum et rectum Eccleſiæ tramitem tenebimus.*

NOLITE exire ad agros, &c.] Docet euangelium non eſſe exeundum in agrum, nec de tectorum altitudine deſcendendũ, ſed audiendum illud. In monte ſaluum te fac. Ad quem in Eſaia, & Michęa iubemur currere, atque conſcendere. Præcipitur autem iuxta litteram, ne foras exeãt, nec deſerãt muros: ſed vt tueantur ſe firmiſsimis munitionibus. *Tom. 4. lib. 2. Com. in cap. 6. Eſaia.*

*Matt. 24. Geneſ. 19. Eſaiæ. 2. Mich. 4.*

*In monte Eccleſiæ ſaluamur inde nõ exeundum.*

DEFICIENTE pane & aqua eccleſiæ, corruet vir contra fratrem ſuum, & vbique diſcordia eſt, ſcindentibus nobis Chriſti tunicam, quã nec milites in paſsione Saluatoris ſcindere auſi ſunt, & contabeſcentibus in iniquitatibus noſtris, dum Dei iuſtitiam non habemus. Scriptum eſt in Hieremia: quod paruuli, id eſt, vulgus Eccleſiæ, petierint panem & non fuerit qui eis frangeret, Paulus verò qui vir eccleſiæ erat, & ſciebat Chriſtum panes fregiſſe legales, ac dediſſe diſcipulis erogandos: loquitur confidenter: Panem quem frangimus, nonne communicatio eſt corporis Chriſti? Baculumque, vel fortitudinem panis comedere nõ poſſunt qui lacte infantiæ indigent, nec valẽt accipere ſolidũ cibum. Nihilque ita veſcentis animum robora t, quo modo panis vitæ: de quo ſcriptũ eſt. Et panis confirmat cor hominis. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 4. Ezechielis in fine.*

*Luc. 16. Ioan. 19.*

*Quãdo deeſt verus intellectus verbi dei ſcinditur Eccleſia.*

*Thren. 4. Matt. 1. 1. Cor. 10. Pſal. 103.*

ET eleuauit me Spirit⁹ &c.] Hi viri qui cũcta

ad



ad ſenſus referunt, & habent duos principes de quibus ſupra diximus, duali numero continentur: qui ſcindit vnitatem, & in ſecundæ diei numero non videtur à Domino, iuxta Hebraicam veritatem. Vnde & in arca Noê, bina & bina introducuntur immunda. Dominus autem ſciſsionem in vnum coarctans, fecit vtrumq; vnum, & ſoluit medium parietem, inimicitias in ſua carne condemnans. Vnde & auguſtius quid loquitur atque ſublimius: Ego & pater vnum ſumus, vt à Iudaica dualitate in vnionem vos reuocet fidei Chriſtianæ. Denique pontificatu perdito Iudæorum, Dominus patitur nequaquam ſub vno principe, ſed ſub duobus, Anna & Caipha, vt religionis eorum ſciſſum monſtraret errorem. *Tom. 4. lib. 3. Com. in cap. 11. Ezechielis.*

*Gen. 1. Qui ſcindit vnitatem nõ videtur à Domino. Gen. 6. Epheſ. 2.*

*Chriſtus diuiſa coniungit. Ioan. 10.*

*Sciſſus Iudæorum error tempore paſſionis Chriſti*

SI calumniam pauperis, &cæt.] Chriſti tunica contexta deſuper, nec à crucifigentibus ſcindi potuit, & eum à quo ſaluator dęmonia eiecerat, Apoſtolorum indutum veſtimentis abire præcepit. Itaque & nos nitamur eccleſiaſtæ noſtri veſtimenta non ſcindere: nec pro voluntate noſtra opinationum pannos hinc inde conſuere: ſed vnum diſputationis ſeruare textum, & eundem ſenſum & ordinem ſequi. *Tom. 5. Com. in cap. 5. Eccleſiaſtis.*

*Ioan. 19. Luc. 8.*

*Enitendum vt eccleſiæ veſtimenta non ſcindamus: ſed potius eundem ordinem & ſenſum ſequamur.*

ET confundentur aſcenſores equorum, &c.] Quando viſitauerit Dominus omnipotens gregem ſuum domum Iuda, tunc confundentur aſcenſores equorum, de quibus ſcriptum eſt: Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt: equum & aſcenſorem proiecit in mare: De quibus etiam pſalmiſtæ voce cantatur: Ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt, qui aſcenderunt equos. Et ſanctorum congeminat chor⁹. Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Dei noſtri inuocabimus: ipſi obligati ſunt & ceciderunt: nos verò ſurreximus & erecti ſumus. In hoc equitatu confidebat rex AEgyptius & præcipitatus in mare, quaſi plumbum ſubmerſus eſt in profundum, & ſuo exemplo didicit verum eſſe, quod ſcriptum eſt: Fallax equus ad ſalutem. Hos curr⁹ & quadrigas, ſupra in quatuor perturbationibus interpretati ſumus: qui niſi frenis boni regantur aurigæ, ad præcipitia deferũtur. Alius eſt autem auriga, de quo loquitur Heliſęus: Pater pater, currus Iſrael, & auriga eius. Tunc Deus domum Iuda & domum Ioſeph confortare ſe dicit: vt qui Hieroboam regnante diuiſi ſunt, Chriſto imperante ſocientur, & ſit vnus paſtor & vnus grex. Et Iudas enim & Ioſeph diuerſis nominibus, ad vnam Saluatoris conferuntur intelligentiam: quia & Ioſeph eſurientibus in Aegypto populis frumenta largitus eſt: & Dominus famem mundi ſua ſaturauit præſentia. Et conuertet eos, & miſerebitur eorum, & ſic erunt vnum ſicut fuerunt antequam proijceret eos. Hec vniuerſa in perſecutionibus accipe, quãdo deſperatis omnibus exaudiuit ſeruos ſuos. Dominus. *Tom. 5. lib. 2. Commentariorum. in cap. 10 Zachariæ.*

*Exod. 15. Pſal. 75. Ibid. 19. Exod 15. Ibid. 32.*

*Quatuor perturbationes ſunt currus et quadrigæ. 4. Reg. 2.*

*Qui Hieroboam regnante ſunt diuiſi, Chriſto imperante ſociabuntur. Gen. 42.*

QVI non eſt mecum contra me eſt.] Non putet hoc quiſquam de Hæreticis dictum et ſchiſmaticis (quanquam & ita ex ſuperfluo poſsit intelligi) ſed ex conſequentibus textuque ſermonis, ad Diabolum refertur, eo quod non poſsint opera ſaluatoris Beelzebub operibus comparari. Ille cupit animas hominum tenere captiuas: Dominus liberare. Ille prædicat idola: hic vnius Dei notitiam. Ille trahit ad vitia: hic ad virtutes reuocat. Quomodo ergo poſſunt inter ſe habere concordiam, quorum opera diuerſa ſunt? *Tom 6. lib. 2. Com. in cap. 12. Matt. Canon. 22.*

*Dei & diaboli opera diuerſa.*

SED neque Titus qui mecum erat, &cęt.] Sciendum quod, autem, coniunctio quæ in præſenti loco ponitur: Propter ſubintroductos autem falſos fratres, ſuperflua ſit, & ſi legatur, non habet quod ei reſpondeat, illamque concludat, ſed eſſe ordinem lectionis & ſenſus. Sed neque Titus qui mecum erat, cum eſſet ex gentibus, compulſus eſt circuncidi, Statimque ſubiungat quæ cauſa fuerit, vt ad circumſionẽ impelleretur inuitus: Propter ſubintroductos, inquit, falſos fratres, qui ſubintroierunt explorare libertatem noſtrã, quam habemus in Chriſto Ieſu, vt nos in ſeruitutem redigerent. Qui cum minis terrerẽt, & multitudine vellent nos à libertate Chriſti in legis traducere ſeruitutem, ne ad tempus quidem eis ceſsimus, vt circuncideremus Titũ: maximè cum & aliqua ob eccleſiaſticam pacẽ potuerit nos neceſsitas excuſare, & hoc totum facimus, vt vobis nulla fuerit occaſio ab Euangelij gratia recedendi. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 2. ad Galat.*

*Neceſsitas aliqua ob eccleſiaſticam pacem nos excuſat.*

SOLICITI ſeruare vnitatem ſpiritus, &cęt.] Sed & generalis explanatio ad ſpecialem interpretationem trahi poteſt: quod ſeruet vnitatem ſpiritus in vinculo pacis: qui non rapiatur omni vento doctrinæ: neque in morem ſtulti quaſi luna mutetur, nunc Diabolo ſeruiens, nunc Deo. Habeat verò vnum corpus bonorum operum, & ſemper carnem ſuam Deo templum exhibeat. Et vnum ſpiritum, eadem ſemper ſentiens: in vna ſpe vocationis: vt nequaquam de repromiſsionibus ambigens, in reſurrectione & reſtitutione omnium, ſolida mente cõfidat. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 4. ad Epheſ.*

*Hæretici & impiè viuentes non ſeruant vnitatem ſpiritus.*

QVI furabatur, iam non furetur, &c.] Si talis eſt qui operatur bonum, ergo & is qui furatur, conſequenter verba furatur & dogmata de furto ſibi ceruicalia conſuens, & ſcripturarũ pannos hinc inde colligens, vt poſsit tunicam facere conſciſſam, quæ deorſum eſt, non de ſurſum. Tunica enim Eccleſiæ, hoc eſt, corpus Chriſti, deſuper contexta eſt, & nulla ex parte conſutilis, quæ ne ab inimicis quidem ſcindi poteſt. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 4. ad Epheſ. Fol. 182.*

*Hæretici verba furantur & dogmata*

*Hæretici ſibi de furto ſcripturarum ceruicalia conſuunt & tunicam Domini volunt ſcindere.*

## *Art. VIIII. Nullam eſſe ſalutis ſpem extra Catholicam Eccleſiam, & extra eam nec martyrium, nec virginitatem, nec vlla opera bona prodeſſe.*

*Hier. 23. Ioan. 10. Rom. 2.*

GRANDIS labor, ſed grande præmium, eſſe quod martyres, eſſe quod Apoſtoli, eſſe quod Chriſtus eſt. quæ quidem vniuerſa tunc proſunt, cum in Eccleſia fiunt, cum in vna domo paſcha celebramus: ſi arcam ingredimur cum Noë: ſi pereunte Hiericho, Rahab meretrix iuſtificata nos cõtinet: cæterum virgines, quales apud diuerſas hereſes, & quales apud impuriſsimum Manichæum eſſe dicuntur, ſcorta ſunt exiſtimandæ, non virgines. ſi enim corporis earum auctor eſt diabolus, quo modo poſſunt honorare plaſmationem hoſtis ſui? ſed quia ſciunt virgina-

*Virginitas, martyrium bona opera in eccleſia non extra eã proſunt. Gen. 7. Ioh. 6.*

*Triplex eccleſiæ typus.*

*Virgines Manichæorum ſcorta ſunt.*

*Matt 7. Chriſtum mētiuntur Antichriſtiani hæretici.*

ginale vocabulum glorioſum, ſub omnium pellib. lupos tegūt. Chriſtū mentitur Antichriſtus, & turpitudinem vitę falſo nominis honore conueſtiunt. *Tom.1.Epiſt.22.ad Euſtochium.cap.17.*

*Matt 8. Pro ijs qui extra Eccleſiam moriūtur non eſt orandum.*

NEQVAQVAM gentilis plangendus eſt, atque Iudæus qui in Eccleſia non fuerunt, & ſemel mortui ſunt: de quibus Saluator dicit: dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos: ſed eos plange, qui per ſcelera atq; peccata egrediuntur de Eccleſia, & nolunt vltra reuerti ad eam dānatione vitiorum. *Tom.1.epiſt.46.ad Ruſticam:cap.2.in fine.*

*Extra arcam Noæ id eſt, Eccleſiam omnes pereūt.*

QVICVNQVE extra domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noë nō fuerit, peribit regnante diluuio. *Tom.2.Epiſt.57.ad Damaſum.*

*Permanendū in Eccleſia. Hæretici aliunde denominantur à ſuæ ſectę authoribus non à Chriſto. Agnoſcitur ſynagoga Antichriſti quia recens & nouella.*

VERVM quia iam multum ſermocinati ſumus; & prolixitas cōcertationis audientium ſtudia laſſauit; breuem tibi apertamque animi mei ſententiam proferam: in illa eſſe Eccleſia permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata, vſque ad diem hanc durat. Sicubi audieris, eos qui dicuntur Chriſti, non à Domino Ieſu Chriſto, ſed à quoquam alio nuncupari, vtputa Marcionitas, Valentinianos, Montenſes, ſiue Campitas: ſcito non Eccleſiam Chriſti, ſed antichriſti eſſe ſynagogam: ex hoc enim ipſo, quod poſtea inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus prænuntiauit. *Tom.2.in Dial. contra Lucifer.cap.9.in fine.*

*1.Tim.4. Poſt habitationem Eccleſiæ ad montē Chriſtum aſcendimus. 1.Cor.2.*

POST frenos in Eccleſiam introducimur: Poſt habitationem Eccleſiæ, ad Chriſtum montem aſcendimus; in quo poſiti ſtupemus atque miramur; vt noſter in laudibus eius ſermo ſuperetur; inuenientes in eo, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt. *Tom.3.Epiſtol.128.ad Fabiolam Manſione 21.*

*Cum Manichæis extra Eccleſiam nō eſt quærēdus Chriſtus. Eccleſia prior & notior eſt nobis ipſa ſcriptura. Matt 5.*

ET dicent, venite aſcendamus, &c.] Domus Domini dicitur domus Dei Iacob, vt recipiamus vetus inſtrumentum: & non ſecundum Manichæum aliam extra domum Dei Iacob quæramus Dominum. Cum autem fuerimus in domo Dei Iacob: tunc docebit nos vias ſuas, per quas gradiamur ad eum: & ambulabimus in ſemitis eius, quas triuerunt & alij. Denique & Ieſus aſcēdens in montem, docebat diſcipulos ſuos octo beatitudines; & cætera quæ Euangelicus ſermo complectitur. Prius ergo diſcendæ ſunt viæ Domini: & poſtea ambulandū in ſemitis eius. *Tom.4.lib.1.Com.in cap.2.Eſa.*

VT, quod arca in diluuio, hoc Eccleſia præſtet in mundo. *Tom.4.lib.4.Commentarior. in cap.11. Eſaiæ.*

*Tabernaculum eſt typus Eccleſiæ. Pſal.41. Ibid.83. Ibidem. Pſal.51.*

DILATA locum tentorij, &cæt.] Qui in tabernaculo eſt, firmam atque perpetuam nō poſſidet manſionem, ſed ſemper mutat loca, & ad vlteriora feſtinat, dicens in Pſalmo: Pertranſibo in locum tabernaculi admirabilis, pręteritorum obliuiſcens, & in futurum ſe extendens, donec perueniat ad brauium ſupernæ vocationis. De hoc tabernaculo & in alio loco legimus: Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Poſtque infert: Beati qui habitant in domo tua: in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Finis enim tabernaculorū, æternæ domus poſſeſſio eſt: quæ fundamenta non mutat, nec transfertur de alio in alium locum. Qui enim plātati in domo ſunt Domini, prius in atrijs illius, floruerunt: vt de floribus ad frugem veniant, poſſintque dicere: Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei. Denique vir ſanctus tabernacula præterire feſtinans & domum Dei videre deſiderans, vnum votum habere ſe dicit, vt nunquā de domo Dei exeat. Vnum petiui à Domino, hoc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Dilatandum eſt ergo tabernaculum, & aulęa pelleſque tendendæ, & funiculi multiplicium, variorumque ſermonum, longius producendi, & claui ratione firmandi, in dextris & ſiniſtris: vt ſemen ſermonis, id eſt, doctrinę Dei, gentes valeat poſſidere, & ciuitates habitabiles facere, quas accepit qui minā duplicauerat. *To.4. lib.15 Com.in cap.54 Eſaiæ.*

*Ibid.26. Nunquam de domo Dei recedendum. i.minam.*

*Plantati ortu in eccleſia poſtea in domo Domini florebimus.*

IVRAVIT Dominus in dextera, &c.] Quod vel multas apud patrem intelligimus manſiones, ſi de futura regno cælorum accipimus beatitudine: vel certè Eccleſias in toto orbe diuiſas; in quibus plantati, poſtea in domo Domini florebimus. *Tomo.4.lib.17.Commentariorum. in cap.62. Eſaiæ.*

*Hæretici cænaculum ſpiritus ſancti relinquentes in ſpeluncis diaboli morātur. Hier.12. Habac.2. Sec.70. Mat.21. Oſee 12. Pſal.68. Matt 7.*

QVI habitant in ſepulcris, &cæt.] Quis hęreticorum non requieſcit in memorijs: non dormit in ſpecubus magiſtrorum? Qualis fuit Marcion & Valentinus, & nuper Eunomius, mentis immunditiam leproſa carne conteſtans: qui lumen ſancti ſpiritus relinquentes, & cęnaculum in quo Apoſtoli verſabantur, in diaboli tenebris commorantur, & ſpeluncas diligunt, quas Hieremias myſtico ſermone condemnat: Facta eſt hæreditas mea mihi quaſi ſpelunca ὑαίνης: quas noſtri hyænam vocant: quod animal ſemper cadauera perſequitur, & viuit ſucco ac ſanie corporum mortuorum. Aduerſum hos qui habitant in ſpeluncis, & Habacuc lamentabili voce dicebat: Væ qui potum dat proximo ſuo ſubuerſionis turbidæ, & inebriat eum, vt reſpiciat ad ſpeluncas ſuas. Et Dominus de his ſpeluncis loquebatur: Scriptum eſt: Domus patris mei domus orationis vocabitur; vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum, in quibus animas interficitis deceptorum, vt non videatis in eis viſiones, de quibus idem ſaluator, ait: Ego viſiones multiplicaui, & in manibus prophetarum aſsimilatus ſum. Et alius ad eum: Locutus eſt, inquit, in viſione filijs tuis: Sed ſomnijs creditis & phantaſmatibus, quibus præcepit Dominus non eſſe credendum. Iſti porcorum carne veſcuntur, de quibus dicitur: Ne miſeritis margaritas veſtras ante porcos. Et ius prophanum comedunt, quod in libris eorum hæretica arte cōditum eſt: Quorum vaſa immunda ſunt omnia, tam ſcilicet corpora quam doctrinæ, & in tantam dementiam veniunt, vt quicunque eorum non fuerit ſimilis, eum quaſi perditum deteſtentur. *Tom.4.li.18. Com.in cap.65. Eſaiæ.Fol.215.*

*Qui Eccleſiam deſerunt negant prouidentiam. 1.Cor.10.*

ET vos qui dereliquiſtis Dominum, &cæt.] Iuxta tropologiam autem hoc dicendū eſt, quod omnes qui Eccleſiam deſerunt, & obliuiſcuntur montem ſanctum Dei, & ſe tradunt ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum: iſti parant fortunæ menſam, nihil ad Deum pertinere credentes: ſed vel ſtellarum curſu vel varietate fortunæ omnia gubernari: quos Paulus increpat, dicens: Non poteſtis menſæ Domini participari, & menſæ dæmoniorum: Qui æternis tradentur ſupplicijs, ita vt nullus eorum cædem & ruinam

poſſit



poſſit euadere. *To.4.lib.18.Co.in cap.65. Eſa. Fol.217.*

*Qui extra montem Eccleſiæ eſt occidendus. Sup.11.*

HI tantum innoxij erunt, qui in monte ſancto Domini habitauerint. Ex quo intelligimus omnes qui extra montem fuerint, occidendos. Nudabitur ergo lupis, leonibus, vrſis, pardis, atque ſerpentibus, & cæteris beſtijs vniuerſus orbis, & immenſi ſaltus, & Aegyptiæ vaſtitas ſolitudinis, quæ venenatorum amantium fertilis eſt: & pro ſumma felicitate ciuitas ſancta; nō ſolum hominum, ſed & beſtiarum ac ſerpentium erit habitaculum: vt iuxta ſuperiorem prophetiam: Habitet lupus cum agno, & pardus cum hędo: vitulus et leo, & oues cum vrſis ſimul morētur, & puer paruulus reget eos, & infans ab vbere mittet manum in foramen aſpidis, & in cauerna ſua interficiet regulum. Cauſaque ſit tantę fælicitatis: quia repleta eſt omnis terra ſcientia Domini. *To.4.lib.18.Co.in cap.65. Eſaiæ. Fol.221.in fine.*

*Hæreticorū pertinacia. Qui extra eccleſiam eſt alienos ſequitur.*

PROHIBE pedem tuum, &cæt.] Quicunque hæreticos ſequitur, horum verſuum notetur elogio, quod dixerit, deſperaui, ſiue in malo propoſito agā viriliter, & in meo confortabor errore. Neceſſe autē eſt, vt qui alienā ab Eccleſiaſtico doctrinā ſequitur alienos diligat & eorū ſequatur veſtigia, vel dæmones; vel hæreticorum principes, qui à Deo alieni ſūt. *To.4.lib.1.Co.in ca.2.Hier.*

*Peſte morietur ab eccleſia recedens.*

QVI longè eſt, peſte morietur: &cæter.] Qui ab Eccleſia quoque receſſerit ſtatim peſte morietur. Qui ſciolus ſibi videtur vt diligēs, niſi caue rit, gladio ferietur inimici. *T.4.l.2.C.in.c.6.Ezec.*

*Periculaquāta extra fines dominicæ ciuitatis. Prou.12. Matt.10. Pſal.17. Matt.3. Pſal.1. Pſal.36.*

GLADIVS foris, peſtis, &cæt.] Tropologicè verò ſit accipiendum: quod qui in agro, & cāpo eſt, extra fines dominicæ ciuitatis, quæ interpretatur Eccleſia, aduerſarij mucrone feriatur: qui autem in ciuitate egerit negligenter, nec præparauerit ſibi cibos, de quibus in prouerbijs ſcriptum eſt: Qui operatur terram ſuam, replebitur panibus, iſte fame morietur, & peſtilentia. Pauci autē, qui vel hæreticorum gladiū, vel deſidiæ ſuæ famem, mortemque vitauerint: non ſaluabuntur niſi in montibus, & niſi aſſumpſerint alas columbæ, & auolauerint, & requieuerint. Quę columbę quamdiu in vallibus ſunt, trepidant, & ad ſingula reformidant: quarum præcipimur imitari innocentiam, & de quibus in Pſalmo ſcriptum eſt. Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbę deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri. In cuius ſpecie deſcendit ſpiritus ſanctus, & manſit ſuper Dominum ſaluatorem: Pulchreque iuxta Theodotionem vocabimus columbam meditantem, eum q̄ in lege domini, die ac nocte meditatur: & de quo ſcriptum eſt: Os iuſti meditabitur ſapientiam. *Tom.4.lib.2.Com.in cap.7.Ezech.Fol.348.*

*Matt.7. Non poteſt habere munditiam, quod extra domini eccleſiam eſt.*

ARGENTVM eorum foris proijcietur, &c.] Iuxta Anagogen, captiuorum atque fugientium de Hieruſalē, omne argentum proijcietur in plateis, in lata & ſpacioſa via quæ ducit ad mortem: quia anguſtam ſalutis ſemitam reliquerunt. Sed & omne aurum erit contemptui: vel in ſterquilinium, atque immunditiam reputabitur. Non enim poteſt habere munditiam, quod extra Domini eccleſiam eſt. *Ibid.cap 7.Fol.349.*

*Qui extra eccleſiam ſunt famē cruciantur & moriuntur. Proue.13. Luc.16.*

ANIMAM ſuam non ſaturabunt: &c.] Argētum autem & aurum eorum, qui extra eccleſiam ſunt, non liberare animas poſſidentium in die furoris Domini: ſed ęternam eos habere famem, & inani ventre cruciari, oſtendit illud teſtimonium, in quo dicitur. Redemptio animæ viri, p̄prię diuitię. Proprię diuitię ſunt, quas nos Chriſti veritas docuit; qui pręcepit vt faciamus nobis amicos de iniquo mammona, qui nos recipiant in æterna tabernacula. *Ibid.cap.7.*

*Decepti ab hæreticis dæmonum cibi ſunt.*

QVOMODO enim ſcriptū eſt de dracone: Dediſti eum eſcam populis Aethiopum: ſic decepti quique ab hæreticis, dæmonum cibi ſunt. *Tom.4. lib.11.Com.in cap.39.Ezech.*

*Pſal.73. In matre mortua contaminantur qui de eccleſia recedunt.*

ET ſabbatha mea ſanctificabunt, &c.] Iſti cōtaminantur in patre mortuo, quando relinquūt creatorem ſuum: & in matre mortua, de eccleſia: recedentes. *Tom.4.lib.13.Com. in cap.44. Ezechielis.*

*Per portam eccleſiæ ingredimur ad æternam requiem.*

HAEC dicit Dn̄s Deus: Porta. &c.] ſi quis noſtrū per merita virtutū: ducis nomen & dignitatē fuerit conſequutus, per viā veſtibuli portę deforis, hoc eſt, per mundi huius labores, & portam eccleſiæ, quæ adhuc in terrenis finib. poſita eſt ingredietur, non interius atrium, (hoc enim in præſenti loco ſcribitur) ſed ad limen portę interioris, & ſtabit in ea. *Tom.4.lib.14.Com.in cap.46.Ezechielis.*

*Qui in arca non eſt perit regnante diluuio. Pro.19.*

QVOD autem ſequitur: In littoribus autē eius & in paluſtribus, ſiue in his quæ extra littora egrediuntur, aquę non ſanabuntur: illud latenter oſtendit, quod qui in Noë arca non fuerit, pereat regnante diluuio, & quos iſte fluuius non attigerit, non ſuſcipiant ſanitatem: ſed in ſalinas, inquit, dabūtur, iuxta illud quod ſcriptum eſt: Peſtilente flagellato, ſtultus ſapientior erit. Erudiunt enim bonos exempla peiorum. *To.4.lib.14. Co.in cap.47.Ezech.*

*Matt.9. Infœlicitas eorum qui relinquunt eccleſiam. Deut.32. Eph 5. Pro 31. Filij Heli illuſores & peſtilentes ſimiles hæreticis. Pro 22. Hæretici dormientes lucem ſolis iuſtitiæ non vident. 1.Theſ.5. Pſal.75. Duces hæreticorum deuorant & deuorantur.*

DIES regis noſtri, &c.] Infœlices populi, qui à rege Diabolo, & ab eius principibus ſeducūtur: ſiue qui ab Hæreſeos principe, & ab eius ducibus ſolēnitates alias ſuſceperunt: relinquentes Eccleſiā, & veritatē conculcantes fidei, ſolent clamare & dicere: Hęc eſt dies regis noſtri: Verbi gratia: Valētini, Marcionis, Arrij, atq; Eunomij. Quod audientes qui eis præpoſiti ſunt, non inebriātur vino (ne leue putetur eſſe peccatum) ſed inſaniūt ex vino, de quo Moyſes ſcripſit in Cantico Deuteronomij: Furor draconum vinum eorū, & furor aſpidum inſanabilis: hi enim comedunt cibos impietatis, & vino iniquitatis inebriantur. Dicit & Apoſtolus: Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. Et in Prouerbijs legimus: Principes vinū non bibant, ne obliuiſcantur ſapientiæ, & recta iudicare non poſſint. Vnde deceptis & populis & ducibus, princeps extendit manū ſuam, vel illuſoribus & peſtilentibus, quales erant filij Heli, & de quibus in primo Pſalmo legimus: In cathedra peſtilentium non ſedit. De quo dicitur Eijce peſtilentem de concilio, & egredietur cum eo contentio: quorum ſuccenſa ſunt corda, vt allidant quos deceperint. Hoc enim iuxta LXX. ſignificant cataractæ, quæ non ſurſum leuant, ſed allidunt deorſum. Quodque dicit: Tota nocte Ephraim in ſomno repletus eſt, oſtendit hæreticos dormientes lucem ſolis iuſtitiæ non videre. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, quia oppreſſus eſt ſenſus eorum. Et de his in Pſalmis legimus. Dormierunt ſomnium ſuum, & nihil inuenerunt. Horū corda calefiunt varijs perturbationibus, ira, amore, auaritia: & deuorant iudices ſuos: vel ſi q̄d in animo habere virtutum, vel ſenſus, q̄bus mala diſcernunt à bonis. Si hoc dicendum, quod duces hæreticorum à ſuis populis deuorentur, vt quorum domos deuorant turpis

lucri

lucri gratia, ipſi eorum deuorentur aſſenſu. Omnes hæreticorum principes ceciderunt, quamuis clament ad Dominum: nullus eſt qui inuocet nomẽ eius: Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui inuocāt nomen eius: inuocabant Dominum, & ipſe exaudiebat illos: qui hæreticorum reges & principes non exaudit, quia non eſt inter eos qui clamet ad Dominum. *Tomo. 5. lib. 2. Comment. in cap. 7 Oſeæ.*

*Rom 10. Pſal. 98.*

*Hæreticorū reges & principes non exaudit Deus.*

EPHRAIM quaſi auis auolauit, &c.] Si Chriſtus caput eſt corporis, id eſt, eccleſiæ, omnes nos Chriſti & Eccleſiæ membra ſumus: qui ergo de Eccleſia receſſerit, Chriſti corpus lacerat: igitur & Ephraim caro fuit, & membrum Domini ſaluatoris. Sed in venationem præbuit filios ſuos: in venationem autem eorum, de quibus ſcriptū eſt: Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium. Et eduxit de Eccleſia libros ſuos, ad occaſionem ſiue ad vulnerandum: vt vulnerentur ab his qui mittunt ardentes ſagittas, vt pecutiant pariter & exurant. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 9. Oſeæ.*

*Qui de Eccleſia receſſerit Chriſti corpus lacerat.*

*Pſal. 123. Extra eccleſiam quotquot ſunt vulnerantur ardentibus ſagittis.*

QVIA ecce in diebus illis, &c.] Si ad diem iudicij quæ ſcripta ſunt voluerimus referre, dicimus omnem qui ſaluatur, ſaluari in eccleſia, ſiue in cœleſti Hieruſalem. *Tom. 5. Commen. in cap. 3. Ioelis.*

*Omnis qui ſaluatur in chriſti eccleſia ſaluatur.*

AVDITE & contriſtamini, &cęt.] Percutiet domum hyemalem: eos hæreticos qui laborant continentia & ieiunijs, xerophagijs, Chameunis, è quibus Tatianus, & Manichæus: Et domum æſtiuam: vt Nicolaitas, & Eunomianos, & veteris hæreſeos nouos ſectatores: qui propter ventris ingluuiem, omnem recipiunt voluptatem. *Tom. 5. lib. 1. Com. in cap. 3 Amos.*

*Ieiunium cōtinentia aliæque virtutes extra eccleſiam non proſunt.*

PROPTEREA hæc dicit Dominus &c.] Superiora omnia referri poſſunt ad hæreticos: vt quia illa & illa quæ iuſſa ſunt facere noluerunt: ſit in omnibus plateis eorum luctus. Lata enim & ſpatioſa via quæ ducit ad mortem: ſingulique hæreticorum & gentilium in fabulis ſuis atque figmentis habent plateas, quibus conſequenter infertur: Et in cunctis quæ foris ſunt dicitur, vę, væ. Qui enim in Eccleſia fuerint, non audient væ, quod pœnarum vltimū eſt: ſed ſi fortè peccauerint, ſumetur ſuper eos lamentum. Ideo autem foris ſiue in omnibus vijs dicetur, væ, væ; quia non habent vnam viam, quæ ducit ad vitā & quæ via regia eſt: ſed prauas atque peruerſas & declinantes ad dexteram ac ſiniſtram, dum non audiunt Dominum dicentem. Ne ſis iuſtus multum. Et peruerſæ ſunt viæ quæ à ſiniſtris ſunt. Incurruntque in duplex væ, carnis & ſpiritus, præſentis ſęculi atque futuri. Cum è contrariò Eccleſiaſtici audiant: Gaudete, iterum dico gaudete. Sed & agricola vocatur ad luctum (habent enim hæretici agricolas ſuos, in quorum aruis tribuli naſcūtur & ſpinæ) & ad planctum vocantur qui norūt plangere vel ſua vel aliena peccata: quamquam & hæc in bonam partem poſſimus accipere: vt vir Eccleſiaſticus & potens ad pœnitentiam prouocare, imitetur Dominū ſuum dicentem: Lamentati ſumus, & non planxiſtis, & plangant hæreticu, ſicut Saulem regẽ Iſrael planxit quondā Samuel. Et Apoſtolus lugere ſe dicit, ſuper eos qui nō egerunt pœnitẽtiam. In

*Matt. 7.*

*Qui in Eccleſia manent non audiunt væ: ſed ſi peccauerint plorabuntur. Regia via eſt eccleſia.*

*Eccleſ. 7. Prou. 8.*

*Philip. 4. Hæreticorū agricolæ.*

*Luc. 7. 1. Reg. 15. 1 Cor. 12. Deut. 32.*



omnibus quoq; vineis erit planctus: quia vineæ zodomorū vineæ eorū. Et pro vino lætitiæ, quod lætificat cor hominis, attulerunt vinum Draconum & furorem aſpidum inſanabilem. Et hęc vniuerſa patientur, quia pertranſibit per medium eorum Dominus: vt non habitet inter eos, nec dicat: Habitabo in eis, & inambulabo. Et: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad cōſummationem ſęculi. *Tom. 5. lib. 2. Commentario. in cap. 5. Amos. fol. 110.*

*Promiſſio facta eccleſiæ de præſentia Domini non pertinet ad hæreticos. Mat. 28.*

ODI & proieci feſtiuitates veſtras, &c.] Propriè hoc cōtra tribum Iuda dicitur, & eos qui ex Iſrael ad Dei ceremonias commigrant: & nihilominus non recedebant de excelſis, colebantque idola, & peccatorum magnitudine Dei ſacrificia polluebant. Nunquam enim reor quod de oblationibus vitulorum quas offerebant in Dan & Bethel dixerit: ſi obtuleritis mihi holocauſtomata, & munera veſtra, non ſuſcipiam. Odit autem Deus & non ſolum odit, ſed proiecit feſtiuitates eorum, qui fugiunt leonem & incurrunt vrſum. & ingrediuntur domum, & à ſerpente mordentur: quia non celebrant feſtiuitates Dei, ſed feſtiuitates ſuas, dicente Domino: Odi & proieci feſtiuitates veſtras. Et huiuſmodi hominum conuentum, Odoremque non ſuſcipit, nec habet odorem bonę fragrantiæ, & omnia eorum munera deteſtatur, & pinguiſſima vota nō reſpicit. Quod quidem non ſolum illius temporis hominibus, ſed & nobis accidet, ſi ſimilia delinquamus, & de rapinis & periurijs ſceleribuſque quæſita, Deo nos putemus offerre, & noſtra peccata redimere: cum legerimus Zachæum quidquid rapuerat in quadruplum reddidiſſe, & de his quę benè quæſierat, mediam obtuliſſe ſubſtantiam. Neque enim quod malè quæſitum erat, in Dei donaria poterat offerre: niſi prius Dominis ſuis redderet, & poſtea impleret quod ſcriptum eſt: Honora Dominum de iuſtis tuis laboribus: Et redemptio animæ viri propriæ diuitiæ: de mercede enim meretricis Deus vota non ſuſcipit: E cōtrariò iuſtus dicere poteſt: Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo. Quæ oratio Iudæ proditori verſa eſt in peccatum: nō enim habebat bonum odorem, ſed opere loquebatur: Putruerunt et corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ. Quæ omnia & de hæreticis dicere poſſumus, qui dum fugiunt leonem, incurrunt vrſum, & ingreſſi domum quam putant Eccleſiam Dei, innitūtur parietibus, quos ipſi fecerunt, & à ſerpente mordentur: quorum lucem & diem tenebræ eripiunt & caligo, ita vt palpabiles tenebræ ſint, & interficiantur primitiua eorum. Horum Deus odit ſacrificia & à ſe proicit, & quotieſcunque ſub nomine Domini fuerint congregari, deteſtatur fœtorem eorum, & claudit nares ſuas. Odiſſe autem & proijcere & non odorari, humana loquitur ſimilitudine: vt nos affectum Dei, noſtris ſermonibus cognoſcamus. Et ſi obtulerint holocauſta, vt videantur ieiunare, dare eleemoſynas, pudicitiam polliceri (quæ holocauſta ſunt vera) non ea ſuſcipit Dominus, nec dignatur aſpicere pinguiſſimas hoſtias eorū. Non enim ſacrificiorum magnitudinem, ſed offerentium merita cauſaſque dijudicat. Vnde & vidua, quæ in euangelio in corbonam duo minuta miſerat, omnibus à Saluatore præfertur, qui vota pinguiſſima & hoſtias medullatas ſe offerre crede-

*Oblationes & alia bona opera extra eccleſiam nō proſunt.*

*Luc. 19.*

*Pro. 3.*

*Ibid. 13. Deut 23. Pſal. 104.*

*Ibid. 37.*

*Pericula hæreticorū qui pro vera putant in eccleſia ingrediuntur falſam.*



credebant: de multo dantes parum, cum illa totum quod habuerit obtuliſſet. Manifeſtius & verius hæc poſt aduentum Domini dicuntur populo Iudæorum: qui deſtructo templo & altari, hoſtias offerre ſe credunt: quorum Deus odit & proijcit feſtiuitates, & non capit odorem cœtus eorum: quando congregati dicunt: Crucifige, crucifige talem. Et: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Et ſi obtulerint holocauſta in ſynagogis, & munera in concilijs Satanæ, & vota pinguiſſima: non ea reſpicit Dominus: ſicut non reſpexit munera Cain. Qui benè quidem vnum Deum colunt & rectè offerunt: ſed in eo non reſpiciuntur: quia non diuidunt in patrem & filium & ſpiritum ſanctum confeſſionem. *Tomo quinto libro ſecundo Commentariorum in caput 5. Amos. Fol. 111.*

*Luc. 21. Ieiunia, eleemoſynæ, ſacrificia aliaque bona opera extra Eccleſiā facta vel ab hæreticis vel Iudæis non ſunt Deo grata & accepta. Luc. 23. Matt. 27. Gen. 4.*

ET ingreſſi ſunt ſibi: Pulchrè dixit ſibi: non enim ingreſſi ſunt Deo, ſed ſibi ingreſſi ſunt: Alioquin Deo magis egreſſi ſunt, dū incedunt de eccleſia. *Tom. 5. lib. 2. Commen. in cap. 5. Amos. Fol. 113. in fine.*

*Qui ab eccleſia recedunt à Deo egrediuntur.*

IN monte autem Sion erit Saluatio &c.] Deſtructis carnis operibus, & terreno imperio deſolato, erit in Eccleſia ſaluatio eorum qui à matre non exierint. Et in ipſa morabitur ſanctus: de quo in Eſaia dicitur: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus ſabaoth: quia & qui ſanctificat, & qui ſanctificantur ex vno omnes. Et poſſidebit domus ſupplantatoris Iacob, eos qui ſe hęreditate poſſederant: de perſecutoribus faciens Chriſtianos, & ipſos Idumæos in Eccleſiæ fidem recipiens: domus autem Eſau vertetur in ſtipulam. Et quo modo ignis viciniam culmus non valet ſuſtinere, ita diſputationem Iacob, quæ ignita eſt ſermone Domini (Eloquia enim Domini igne examinata (& flammam Ioſeph) qui interpretatur augmentum: & qui à fratribus venditus, populum pauit in Aegypto) domus Eſau ſuſtinere non poterit: ſed ad primam congreſſionem Sophiſmata eorum vertentur in nihilum. Et deuorabuntur in ſalutem ſuam: iuxta illud quod in benedictione Iſaac dicitur ad Eſau: Dominum tuum illum feci, & omnes fratres tuos ſubieci ei ſeruos: fratrique tuo ſeruies: Et nōn erunt reliquiæ domus Eſau, quando omnia Chriſto genuflectent cœleſtium & terreſtrium & infernorum, & ſubijcientur ei vniuerſa, vt ſit Deus omnia in omnibus. Quia verò Eſau ſuper fundamentum Chriſti vitio ſuo extruxerat fęnum, ligna & ſtipulam: Iccirco domus Iacob & Ioſeph in ignem vertetur & flammam imitans Dominum ſuum, qui dicit. Ego ſum Deus ignis conſumens, vt deuoratis palcis peccatorum, frumentum purum in horrea congregetur. *Tom. 5. Com. in cap. 1. Abdiæ Fol. 131.*

*In Eccleſia ſaluātur qui à matre non exierint. Eſai. 6.*

*Hebr. 2. Domus Iacob eccleſia.*

*Domus Eſau hæreticorum ſpeluncæ. Pſal. 17.*

*Gen 27. Sec. 70.*

*Philip. 2. Domus Iacob domum Eſau ſuperabit.*

*1. Cor. 15. 1. Cor. 3.*

*Deut. 4.*

ET egreſſus eſt Ionas de ciuitate, & cæter.] Primus Cain fratricida, & homicida cruentum mūdum germani ſanguine dedicans, ædificauit ciuitatem, & vocauit eam ex nomine filij ſui Enoch. Vnde & Oſee propheta dicit: Deus ego, & non homo, in medio tui ſanctus, & non ingrediar ciuitatem: Domini enim (Pſalmiſta dicente) ſunt exitus mortis. Quamobrem & vna fugitiuorum ciuitas appellatur Ramoth, quod interpretatur viſio mortis. Et rectè quicunque fugitiuus eſt, & propter peccata non meretur habitare Hieruſalem, habitat in vrbe mortis, & eſt trans fluenta Iordanis, qui deſcenſus exprimitur. Egreditur ergo columba, vel dolens de iſtiuſmodi ciuitate, & habitat contra Orientem, vnde ſol oritur, & eſt ibi in tabernaculo ſuo: vbi labentia quæque tempora contemplatus, expectat quid ſupradictæ eueniat ciuitati: antequam Niniue ſaluaretur, & areſceret cucurbita, antequam Chriſti euangelium coruſcaret, & compleretur Zacharię prophetia: Ecce vir Oriens nomẽ eius: Ionas ſub vmbraculo erat: Necdum quippe veritas venerat, de qua idem euangeliſta & Apoſtolus loquitur: Deus veritas eſt. Et eleganter additur: Et fecit ſibimet vmbraculum ibi iuxta Niniuem. Sibimet fecit: nullus enim de Niniuitis tunc temporis habitare poterat cum propheta: & ſedebat ſub vmbra, vel iudicis habitu, vel de ſua maieſtate contractus, & accinctus lumbos in fortitudine: vt nos tota ad pedes, & ad nos qui deorſum ſumus; veſtimenta defluerent, ſed in ſeartiori baltheo contraherentur. *Tom. 5. Com. in ca. 4. Ionæ.*

*Gen. 4. Oſee. 11. Pſal. 67. Deut. 4.*

*Ciuitas fugitiuorum eſt hæreticorum qui non merentur inhabitare Hieruſalem ſed habitant in vrbe mortis.*

*Zach. 6.*

*1. Ioan. 4.*

ET vt ſciamus malorum inſidias: venerunt, inquit, ad portas Hieruſalem, quæ quia firmæ ſunt, & adamantinæ, & clauduntur ab Apoſtolis (quibus Hieruſalem claues commiſſæ) ante eas verſantur inimici, & quos exire conſpexerint, interficiunt. Si quis igitur eſt de Hieruſalẽ, quæ habitat benè in ciuitatibus ſuis, non egredietur, cum habitet in abundantia, ſed ſemper intrinſecus manet: nec egreditur portas eius, quas qui egreſſus fuerit, occiditur: occiditur autem ab his qui ſe eleuant in Geth, & habitant in Bachim, & ædificant domum in deriſum. Deniq; mala quæ deſcenderunt à Domino ad portas Hieruſalem, ſtrepitum tantùm habent curruum, & equorum tumultum, confuſumque ſonitum, pro foribus Hieruſalem: vt oris ſui lancea quoſcunque vagari viderint, interficiant: Poſthæc ſcriptum eſt: Quæ habitas Lachis: princeps peccati eſt filiæ Sion; Lachis interpretatur πορεύεσιν, id eſt, eſt ambulatio. Et hi igitur qui aſcenderūt in curribus ſuis, & habuerunt equites, & ſtrepitum tantùm, inanemque ſonitum, quibus locuta eſt quæ habitat benè in ciuitatibus ſuis: Iſti in curribus, & iſti in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus: quia mouerunt pedes ſuos, & circumlati ſunt omni vento doctrinæ falſæ, & de Eccleſia exire voluerunt; quæ interpretatur ſpecula, id eſt, Sion: principes peccati fuere filiæ Sion: Et in ipſa, hoc eſt, in Lachis, inuentæ ſunt impietates Iſrael, quæ à regno priſtino Dei populum ſeparauerunt. Princeps ergo peccati eſt filiæ Sion, quæ habitat in Lachis, id eſt, ambulatio peſſima, gradu iugiter fluctuante, & impietas Iſrael in his eſt, qui ſemper mouent pedes ſuos, & habitare dicuntur in Lachis. Dabuntur quoque emiſſarij vſque ad hæreditatem Geth: Geth peſſimam & torcular venenorum, quod ædificatur contra domum Dei: vbi ſunt vanæ domus; quæ ædificatæ ſunt in deriſum. Et iſtæ vanæ domus, in vanum factæ ſūt regibus Iſrael. Quantum ad hiſtoriam pertinet: his regibus, quorum peccata in Regnorum & in Paralippomenon libris ſcripta ſunt: quantum autem ad Anagogen, principibus Hæreticorum, ducibuſque peruerſorum dogmatum; his enim domus vanæ ſunt, & fruſtra extructæ. Et tamdiu perſeuerantes, donec teneant eas hæ-

*Qui egreditur portas Hieruſalem id eſt Eccleſiæ occiditur*

*Pſal. 19.*

*Hæretici qui circumferuntur omni vēto doctrinæ falſæ de Eccleſia exierunt.*

*Hæreticorū principibus ducibuſque peruerſorum dogmatum domus vanæ ſunt & fruſtra extructæ.*

 redes;

redes, qui à Domino adducendi ſunt. Poſt hæc ſequitur: Quæ habitas Lachis, hæreditas vſque Odollam veniet. Odolla interpretatur teſtimonium hauſtus vel hauritionis eorum, quod in Gręco ſignificantius dicitur *μαρτυρία ἀντλήσεως αὐτῶν*

*Prouerb. 9.*

Legimus in Prouerbijs: Si malus fueris, ſolus hauries mala. Quæ igitur habitat in Lachis, id eſt, in itinere peſſimo, veniet vſq; ad teſtimonium exhauſtionis ſuæ: quod exhauriet atque ebibet iuxta operum ſuorum menſuram. Vel certè ita diſtinguendum, vt hoc quod dicitur: quæ habitas Lachis, ad ſuperiora referatur, & ſit ordo ac ſenſus adducam hæredes tibi de Eccleſia quæ habitas Lachis, quia de hæreditate Domini & tu eris cum hauſeris & receperis quæ mereris. *Tomo quinto libro. 1. Commentariorum in caput. 1. Michea.*

*Qui eccleſiã matrem contemnit morte morietur.*

QVI matrem Eccleſiam contempſerit morte morietur. *Tom. 5. lib. 2. Commentari in cap. 7. Micheæ. fol. 167.*

PASCE populum tuum in virga tua, &c.] Porrò hi populi, & iſtæ oues propterea percutientur, & paſcentur in virga quia habitauerant ſoli in ſaltu: Quod quidem poſſumus & de his accipere, qui ſe de Eccleſia ſeparantes, conuiuijs dedunt: amicitijſque gentilium. *Tom. 5. lib. 2. Commenta. in cap. 7. Micheæ. fol. 169.*

*Qui ſe de eccleſia ſegregant & dedunt amicitiis gentilium percutientur*

ET Niniue quaſi piſcina aquarum aquæ eius &c.] Sed, quia Niniuen ſpecioſam, id eſt, mundum ſemel diximus videam⁹ q̃ piſcina ſit mũdi. Non ait ſcriptura: q̄ aquę Niniue ſint quaſi aquę maris, nec quæſi aquæ fluminum, nec quaſi aquę fontium, nec quaſi aquæ puteorum: ſed quaſi aquæ piſcinæ: Vt quomodo in Hieremia populus arguitur, qui dereliquit fontem aquæ viuæ, & fodit ſibi lacus contritos, qui nõ poſſunt aquã continere: ſic & Niniuæ omnes aquæ illæ ſunt, quæ de cælo ceciderint, & antiquam altitudinem relinquentes, in ima delapſæ ſunt. Omnia enim dogmata mundi huius, quæ extra fontem ſunt Eccleſiæ, hortumque ſignatum: nec poſſunt dicere: fluminis impetus lætificant ciuitatem Dei: Nec de illis aquis ſunt, quæ ſuper cælos laudant nomen Domini: quamuis magna videantur, tamen parua ſunt, & anguſto fine concluſa. *Tom. 5. Com. in cap. 2. Nahum. fol. 176. in fine.*

*Hier. 2.*

*Omnia dogmata mundi huius quæ extra fontem ſunt eccleſiæ anguſto fine cõcluſa ſunt.*

*Pſal. 45.*

*Luc. 24.*

*Ex Hieruſalem non egrediemur vt fugiamus allophylos.*

*Mat. 8. et 5.*

SED & nobis præcipitur à verò Salomone, vt habitemus in Hieruſalem, nec vnquam egrediamur ex ea. Quod ſi fugerit nos id quod ãte nobis fuerat ſubiectum, & ierit ad Allophylos, non egrediamur muros ciuitatis noſtræ, nec ſequamur fugitiuorum veſtigia: ne dum volumus ſaluare fugientes, ipſi pereamus: quin potius dimittamus, vt mortui ſepeliãt mortuos ſuos, & ſcandalizantem oculum, manum & pedem, dum licet, eruamus, & abſcindamus à nobis. *Tom. quinto Commentariorum in caput. ſecundum Nahum. Folio 177.*

*Eccleſiæ, hæreticorum ſunt ſpelũcæ leonis diaboli.*

VIDE hæreticorum conuenticula, & captos multos à leone non quæres: Conſidera mortuos, qui reliquere vitam, & Eccleſias eorum non vocabis ouile paſtoris, ſed leonis ſpeluncas, quas impleuit cadaueribus & ſanguine mortuorum: poſuiſti (ait Dauid) tenebras, & facta ex nox. in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſaltus. Catuli leonum rugientes rapere & quęrere à Deo eſcam ſibi. Difficile leo inuenitur in die, ſed ſemper in noctibus circuit: vt de Eccleſia Chriſti rapiat: vt eſcis iuxta Habacuc ſaturetur electis. Denique Iudas de ouili Chriſti fuit, & raptus à leone ſuſpendio ſuffocatus eſt. Sed & ille Propheta, cui præceperat Dominus, ne comederet panes in regione ea, vbi vituli aurei erant, & mentita religio: quia comedit, à leone percuſſus eſt. Hieremias quoque de peccatoribus. loquitur: percuſſit eos leo de ſilua, & lupus vſque ad domos diſperdidit eos, & pardus vigilauit ſuper ciuitates eorum. Omnes qui egrediuntur ex eis, capientur. In quo animaduerte quod nemo capiatur, niſi qui de ciuitatib⁹ Dei fuerit egreſſus. In quarto etiam regnorum libro, habitantes in ciuitatibus Samariæ, & neſcientes iudicium Dei terræ, interficiebantur à leonibus: donec didicerunt colere Deum, & à leonibus liberati ſunt. Ob hanc cauſam reor, & quodcunque à beſtijs captum eſt, in Dei ſacrificijs non offerri, & à propheta dici: Immundum & captum à beſtia nõ eſt ingreſſum in os meum. Interfectus eſt ergo leo, & falſis dogmatibus confutatis, de comedente exiuit eſca, & de forti egreſſum eſt dulce. *Ibid. cap. 2. Nahum. Fol. 178.*

*Pſal. 103.*

*Leo diabolus rapit animas de eccleſia.*

*Habac 1.*

*Matt. 27.*

*3. Reg. 15.*

*Hier. 5.*

*Sec. 70.*

*Qui à ciuitatibus Dei fuerit egreſſus capitur à diabolo.*

*4. Reg. 17.*

*Leuit. 22.*

*Ezech. 4.*

*Iudic. 14.*

NEC moueat aliquẽ (vt ſæpè iam dixi) quod hæc aduerſum Eccleſiam dicta interpreter, cum ſciat Hieruſalem in ſcripturis ſanctis ſemper typum habere Eccleſiæ: de qua qui peccauerit, vel in Babylonem abducitur: vel ſi ſponte deſcendere voluerit, in Hiericho à latronibus vulneratur. *Tomo quinto Commentariorum in caput tertiũ Sophoniæ.*

*Qui de eccleſia ſponte recedit in Hiericho à latronibus vulneratur.*

*Luc. 10.*

ET vocaui ſiccitatem ſuper terram, & cæter.] Infertur gladius ſuper montes eleuantes ſe aduerſus ſcientiam Dei, & ſuper frumentum, & vinum, & oleum: quibus quaſi cibis & potu & refectione, hæreticorum conciliabula deceptis populis blandiuntur. Congruè quis dixerit panem illorum eſſe panem luctus, & furorem draconum eſſe vinum eorum, & furorem aſpidum inſanabilem: Oleum quoque repromiſſionem de cœleſtibus, quo quaſi vngunt diſcipulos, & laborum pręmia pollicentur, quæ deteſtatur propheta dicens: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Sed & alia, quæ abſque auctoritate & teſtimonijs ſcripturarum, quaſi traditione Apoſtolica ſponte reperiunt atque confingunt, percutit gladius Dei: homines autem & iumenta. Vel *λογισμοὺς καὶ αἰσθήσεις*, id eſt, cogitationes & ſenſus eorum accipiamus. Vel certè rationabiles in eis & irrationabiles, id eſt, doctos & indoctos pariter, & omnem laborem manuum, & ieiunia eorum & obſeruationes varias, & *χαμευνίας*, id eſt, humi dormitiones. Qui tribus quadrageſimis per annum ieiunantes, & *σηροφαγιοῖς*, humiliantes animam ſuam, & vel maximè de Tatiani radice creſcentes, ſuper huiuſcemodi laboribus audiunt: Tanta paſſi eſtis ſine cauſa? *Tomo quinto Commentariorum in caput primum Aggæi.*

*Oſee. 9.*

*Deut. 32.*

*Omnia hæreticorum extra eccleſiã inutilia.*

*Pſal. 104.*

*Prætextu traditionum apoſtolicarũ hæreſes inuectæ.*

*Hæreticorũ exercitia pietatis vana quadruplicia*

*Gal. 3.*

LAVDA & lętare filia Sion, & cæt.] Hortatur populum ſuum de captiuitate in ſedem priſtinã reſtitutum gaudere atque lætari: quod ipſe Dominus veniet & habitet in medio eius, & multæ gentes credituræ ſint in eum: de quibus dicitur: Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ: Et habitet in medio eius, loquẽs ad diſcipulos: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſæculi. Et poſſideat Dominus Iudam partem ſuam confitentem & credentẽ nomini ſuo, & non alibi poſſideat, niſi in terra ſancta, quæ interpretatur Eccleſia, & eligat adhuc Hieruſalem, quam tentationi in perſecutionibus dereliquerat. *Tom. 5. lib. 1 Com. in cap. 2. Zacha. Fol. 237.*

*Deus in medio ſuorum in eccleſia habitat.*

*Pſal. 2.*

*Matt. 28.*



*Poſſeſſio terræ ſanctæ eſt Eccleſia.*

IN die illa ponam duces Iuda &c.] Deletis aduerſarijs atque ſublatis, rurſum Hieruſalem, id eſt, Eccleſia priſtinam gloriam recipiet, & erit in ſuo ſtatu, & Iudæ tabernacula ſaluabuntur, toto orbe diſperſa Chriſtianorum conciliabula: de quibus quaſi tentorijs & tabernaculis ire cupimus ad domum, quæ non eſt manufacta, & ad cœleſtem Hieruſalem. Propterea autem tabernacula plebis, & omnium qui cauſentur nomine Chriſtiano, & reputantur in vulgus, antiquam pacem recipient obſeſsis eccleſiarum principibus, & in fugam verſis: vt nequaquam putent magiſtri atque doctores ſua doctrina & ſapientia, ſed Domini auxilio pacem eccleſijs redditam. *Tom. quinto lib. 3. Commentariorum. in caput. 12. Zachariæ.*

*Domini auxilio pax Eccleſijs reddenda.*

*Hebr. 9.*

RELINQVAMVS ſimulatos angulos, & ad firmos atque robuſtos Chriſti angulos tranſeamus, ad quos cum peruenerimus, ſtatim nobis occurret turris Hananeel, quod interpretatur gratiſsimus Dei. Quid enim turre Solomonis gratius eſt, de qua ad ſponſam dicitur: Sicut turris Dauid ceruix tua, quæ ædificatã eſt in Thalphioch: mille ſcuta pendẽt ſuper illam: omnia iacula potentium. Hanc turrem Dominus in Euangelio ædificari vult, expenſis prius & ſumptibus ſupputatis, & de qua dicitur ad Hieruſalẽ: Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis, de qua & ſanctus ad Dominum loquitur: Deduxiſti me, quoniam factus es ſpes mea: turris fortitudinis à facie inimici. De turre Hananeel peruenimus ad regis torcularia, pro quibus & tres Pſalmi titulum habent. Et Dominus dicit in Eſaia: Torcular calcaui ſolus, vt exuberet in illis noſtra vindemia, & exprimamus botros, & rubẽtia in Chriſti ſanguine muſta calcemus: vt bibamus vinum quod lætificat cor hominis, & ſponſa deſiderat ſponſi ſodalibus loquens: Inducite me in cellam vini, ponite ſuper me charitatem: Si nos iſtiuſmodi inebriarint torcularia, habitabimus in Hieruſalem, in qua anathema vltra nõ erit: maledictio videlicet & abominatio. Vnde dicit & Apoſtolus: Si quis non amat Dominum, ſit Anathema. Et in alio loco: Nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu. Et pro fratrũ ſalute anathema eſſe cupit, imitari volens Dominum ſuum, qui & ipſe cum non eſſet maledictio, pro nobis factus eſt maledictio. Ablato autẽ omni anathemate habitabit Hieruſalem ſecura atque confidens, & illud in ſe exprimens: Qui confidit in Domino, beatus eſt: Et: Melius eſt confidere in Domino quam in homine: de qua ſecuritate & confidentia Hieremias propheta commemorat: Benedictus erit Homo, qui confidit in Domino. *Tom. 5. lib. 3. Comment. in cap. 14. Zachariæ. Fol. 271.*

*Turris Salomonis typus eccleſiæ.*

*Cant. 4.*

*Sec. 70.*

*Luc. 14.*

*Pſal. 121.*

*Pſal. 60.*

*Eſai. 63.*

*Pſal. 103.*

*Cant. 2.*

*Sec. 70.*

*1. Cor. 16.*

*1. Cor. 12.*

*Rom 9.*

*Gal. 3.*

*Pſal. 117.*

*Hier. 17.*

ET omnes qui reliqui fuerint & cæt.] Quamdiu in profectu ſumus & in curſu atque certamine, habitamus in tabernaculis: hoc omni mente nitentes, vt de tabernaculis ad firmam & ſtabilem ſedem tranſeamus, id eſt, domum Dei. Vnde & ſanctus Dauid dicit in Pſalmo: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. Et: Aduena ego ſum & peregrinus ſicut omnes patres mei. Hoc loquitur qui in Aegypto eſt, & adhuc in ſæculo conſtitutus. Qui autem egreditur de Aegypto (quæ Hebraicè dicitur Miſraim & interpretatur tribulatio) & ingreditur vitiorum ſolitudinem, carpit iter ſuum, & dicit in Pſalmo: Pertranſibo in locum tabernaculi admirabilis vſq; ad domum Dei. Admirabile eſt enim nolle habitare cũ Aegyptijs: ſed ſubmerſo Pharaone terram cupere repromiſsionis intrare. Vnde & alibi loquitur: Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Et poſt paululum: Beati omnes qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Vox enim exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum. Et in prouerbijs ſcriptum reperimus: Domus iuſtorum permanent, & tabernacula eorum qui rectè agunt ſtabunt. De domibus quod permaneant: de tabernaculis quod ſtatura ſint, pollicetur. Dicit & in alio loco ſanctus vir: Vnum petiui à Domino, hoc requiram: vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitę meæ: vt videam delectationem Domini, & viſitem templum eius. Qui in iſtiuſmodi habitat tabernaculis, & de tabernaculis ad atria, & de atrijs ad domum, & de domo ad templum Domini ire feſtinat: debet celebrare ſolemnia tabernaculorum in ligno ſapientiæ pulcherrimo: de quo in Prouerbijs dicitur: Lignum vitæ eſt omnibus qui appropinquant ei, & qui reclinantur ſuper eam, quaſi ſuper Dominũ firmati ſunt: Et in ramis palmarum, in quibus ſignum victoriæ & virtutis pręmium continetur, & in frondibus denſiſsimæ arboris, quam myrtum Iudęi intelligunt, propter mortificationem carnis ac libidinum. Vnde & Domino Saluatori à Magis myrrha offertur in munere. Et in ramis, inquit, ſalicis & populi: quam quidam vnam arborem vocant: ipſumq; ligni nomen, quod Græcè dicitur *ἄγνος*, indicat caſtitatem. *To. 5. l. 3. Com. in cap. 14 Zach. fol. 273.*

*Pſal. 119.*

*Pſal. 38.*

מצרים

*Pſal. 41.*

*Pſal. 83.*

*Ibid. 117.*

*Ibid.*

*Prouer. 12. & 14.*

*Sec. 70.*

*Pſal 26.*

*De tabernaculis eccleſię itur ad cælum.*

*Leuit. 23.*

*Prou. 3.*

*Sec. 70.*

*Matt. 2.*

ET erit qui non aſcenderint &c.] Eccleſia Domini Ieſu appellatur cęleſtis Hieruſalem, de qua Apoſtolus ſcribit. Quæ autem ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater omnium noſtrorum: Et: Acceſsiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Hieruſalem cœleſtem. Et: hæc Hieruſalem non eſt in locis humilibus ſita, ſed in monte excelſo, de qua Saluator loquitur: Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montẽ poſita. Vnde qui adoraturus eſt Dominum exercituum in Hieruſalem, debet ad montana cõſcendere. Qui autem de familijs, ac tribubus terræ eſt, & iccirco Dominum non poteſt adorare: non erit ſuper eum imber temporaneus & ſerotinus: nec terra illi⁹ pluuijs cæli rigabitur. Siue vt verterũt LXX. *ὅτι ἐὰν μὴ ἀναβῶσιν ἐκ πασῶν τῶν φυλῶν τῆς γῆς εἰς Ἱερουσαλὴμ, τοῦ προσκυνῆσαι τῷ βασιλεῖ κυρίῳ παντοκράτορι*, id eſt, qui non aſcenderint de familijs terræ ad Hieruſalem, vt adorent regem Dominum omnipotentem: cum illis reputabũtur qui pugnauerunt aduerſum Hieruſalem, & quorum tabeſcet caro, & oculi defluent, & lingua putreſcet. *Ibid. cap. 14. Zach.*

*Gal. 4.*

*Heb. 12.*

*Mat. 5.*

*Adoraturi dominum ad montana debent conſcendere.*

*Qui in Eccleſia poſiti ipſã non defendunt computantur cum oppugnatoribus Eccleſiæ*

QVOD etsi familia Aegypti non aſcenderit, &c.] Qui Aegyptius eſt & gentium cæterarum,



quam

*Super gentes, quæ nolunt aſcendere ad Eccleſiam nō erit imber dominicæ benedictionis.*

quam diu Aegyptius & ethnicus permanet, non aſcendet in Hieruſalem, & quia aſcendere nō poteſt, nec gradum ad excelſa ſubrigere: ideo non erit ſuper eum imber dominicæ benedictionis. Et hoc peccatum erit maximum Aegyptio, Aſſyrio, Chaldæo, Syro, Moabitæ & Ammonitæ: ſi noluerint egredi de terris ſuis, & aſcendere Hieruſalem: vt per tabernacula tranſeant in Hieruſalem, & inueniant æternam domum: aliarumque gentium homines eſſe deſiſtant: & efficiantur Iſraelitæ, in quibus dolus non eſt. *Tom.5.lib.3. Com.in cap.14 Zach.Fol.273.in fine*

*Ioan.1.*

*Cant.6. Sec.70.*

*Dominus facit flagellum de ſcriptura rum textuum teſtimonijs. Matt.21.*

*Daniel.13.*

*Oſee.4.*

*De domo Dei auferendi omnes improbi.*

ET venient omnes immolantes, &c.] In maxillis ſermo accipitur, qui prolatus à Domino, varia vnguenta depromit, & tanta erit boni odoris fragrantia, vt faciat ſibi Dominus flagellū de ſcripturarum textuum teſtimonijs, & eijciat de templo vendentes & ementes, & dicat ad eos: Scriptum eſt, Domus patris mei, domus oratiōis vocabitur cunctis gentibus: vos autem feciſtis eam domum negotiationis. Quidā illud quod in Daniele ſcriptum eſt, licet in Hebraico non legatur: Semen Chanaan & non Iuda: & quod ab Oſee propheta de Ephraim dicitur: Participes idolorum Ephraim: poſuit ſibi ſcandala, prouocauit Chananæos, fornicantes fornicati ſunt: huic coaptant loco, & omnem fornicatorem, Chananæum & alienigenā appellari volunt, quem de domo Dei aſſerunt auferendum. *Tom.5.lib.3. Com.in cap.14 Zach.Fol.274.*

*Ad congregationem Eccleſiæ confugiendū à ſimili docetur.*

VBICVNQVE fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.] De exemplo naturali, quod quotidie cernimus, Chriſti inſtruimur ſacramēto. aquilæ & vultures etiam trans maria dicūtur ſentire cadauera, & ad eſcam huiuſcemodi congregari. Si ergo irrationabiles volucres naturali ſenſu tantis terrarum ſpatijs, & maris fluctibus ſeparatæ, paruum cadauer ſentiunt vbi iaceat: quanto magis nos, & omnis multitudo credentium debet feſtinare ad eum, cuius fulgur exit ab Oriente, & paret vſque ad Occidentem? *Tom.6.l.4.Com.in cap.24 Matt.cano:53.*

*Membra eccleſiæ ſunt in ſpe vocatiōis æternæ vitæ tantum.*

SOLICITI ſeruare vnitatem ſpiritus, &cæt. Cum membrum quis fuerit eccleſiæ, nec ab vno eius ſpiritu ſeparatus, conſequenter erit in vna ſpe vocationis. *Tom.6.lib.2.Commenta in caput.4.ad Epheſ.*

*Hæretici ſecundum falſam fidē falſa vniuerſa poßident.*

ET de hæreſibus quidem nulla dubitatio eſt, quin ſecundum falſam fidem, falſa vniuerſa poſſideant. *Tom.6.lib.2 Com.in cap.4.ad Epheſ. Fol.178.*

*Pſal.125.*

*Matt.5.*

SICVT lætantium omnium habitatio eſt in te, &cæt.] Propheta loquitur ad eccleſiam, & dicit ei: Sicut lætantium omnium habitatio in te, ſed dixit, lætantium omnium habitatio in te, dixit: ſicut lætantium omnium. Dicitur in alio Pſal. In conuertendo Dominus captiuitatē Sion, facti ſumus ſicut conſolati: & non dixit, conſolati: Sic & iſto loco dicit: Sicut lætantium omniū habitatio in te. Hoc totum quare dixit? Quoniā in præſenti ſæculo quamuis aliquis ſanctus ſit, quamuis renuntiet ſæculo, non habet perfectam victoriam. Denique dicit in Euāgelio: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Si autē dictum eſt: Beati qui flent, quoniā ipſi ridebūt: manifeſtum eſt, quoniam in præſenti ſæculo nō eſt certa lætitia: ergo lætitia noſtra quaſi lætitia eſt. Habitatio in te. Videte quid dicat, vt aliquis nunquam recedat ab eccleſia. *T.7. C.in Pſal.86.Fol.110.*

*Adhortatio Dauidis vt aliquis nunquam recedat de Eccleſia.*

*Extra eccleſiam hæretici philoſophi lumen ſcientiæ promittūt ſed olíueta in perditionē deducunt.*

HABET diabolus oliuas ſuas: habet Philoſophos: habet hæreticos: habent & ipſi oleum. Et ipſi lumen ſcientiæ promittunt, ſed illa olíueta in perditionem deducunt. *Tom.7.Com.in Pſalm.91. Fol.119.*

*1 Cor.3.*

*Luc.17.*

*In domo Domini hoc eſt in Eccleſia plantamur non muris ſed in dogmatibus.*

PLANTATI in domo Domini, &c.] Alibi plantamur, in regno cœlorum florebimus. Ego vero plantaui, Apollo rigauit: ſed Dominus incrementum dedit. Plantatus in domo Domini, hoc eſt, in eccleſia: non muris, ſed in dogmatib⁹. Regnum enim Dei, inquit, intra vos eſt. Quicunque plantatus fuerit in domo Domini: ſi hic radices miſerit, ibi flores afferet. Plantati in domo Domini, in atrijs Dei noſtri florebunt. Iſta ſunt æterna tabernacula. Quæ ſunt iſta atria? Diuerſæ in cælo manſiones. Simulque videte quid dicat: Plantati in domo Domini, in atrijs Dei noſtri florebunt. Hic domus eſt; ibi atrium eſt. Debuit vtique primum dicere ſecundum ordinem, atrium; & ſic domum. Sed videte quid dicat: Hic licet videamur in domo eſſe, cum migrauerimus ad regna cœlorum, ad comparationem angelorum, & virtutum cæterarum, non ſumus in domo, ſed in atrio ſumus: in initio ſumus, non in perfectione. Non enim erimus angeli, ſed quaſi angeli: Non tibi quaſi parum videatur homo, ſi ſicut angelus fueris. *Tom.7.Com.in Pſal.91.*

*Mat.22.*

*Exod.12.*

*Qui relicta Eccleſia confugit ad idola mutatur eius gloria & fit pecudi ſimilis vt Nabuchodonoſor.*

ET fecerunt vitulum in Horeb, &c.] In Deo enim debuerat eſſe gloria eorum: ſed relicto eo, ſimulacro muto & ſurdo dantes gloriam, dicebant: Hi ſunt Dij tui Iſrael: Sic & tunc ſi quis relicta eccleſia ſortes phytoneſq; conſulit: mutatur gloria eius & ſimilis pecudi fit: ſicut quondā Nabuchodonoſor. *Tom.7.Com.in Pſal.105.Fol.134.*

SICVT ros Hermō: &c.] Si ſumus in eccleſia: ſi habemus fidem eccleſiæ, fidem Apoſtolorum, fidem Chriſti, dogmatum veritates, montes ſumus Sion. Nolumus eſſe de Sion valles, ſed montes Sion. Habet enim Sion valles ſuas, habet & cāpum. Quicunque peccator eſt, vallis eſt Sion; non eſt mons Sion. Dicat aliquis: De tuo ſenſu loqueris. Vocemus teſtem Eſaiam: eo tempore quo peccauerat Sion, poſt multas viſiones, vbi dicitur: viſio contra Idumæam: viſio contra Moab: viſio contra Edom & filios Ammon, in vltimo ponitur: viſio vallis Sion. Quoniā enim de fidei ſublimitate deſcenderat, propterea de monte in vallem corruit. Nos ergo primum fugiamus vallem Sion, veniamus ad campum: de campo veniamus ad montes, de collibus veniamus ad mōtes: Chriſtum ſequamur in montibus. Siquidem fratruelis noſter quaſi caprea, & hinnulus ceruorum tranſilit colles, & ſalit per montes. Vnde & ſecundum aſcenſus veritatem non aſcendit in cœlum poſt reſurrectionem de valle, ſed de monte. Nos niſi in virtutibus montes fuerimus, ad cœlum non poſſumus aſcendere. Illic enim, hoc eſt, in montibus Sion, in virtutibus, in fide, in confeſſione, in dogmatum veritate, illic eſt benedictio. *Tom.7.Com.in Pſal.132.Fol.167.*

*Eſai.13.& ſequent. ibid.22.*

*Ad montem Eccleſiæ ex vallibus aſcendemus.*

*Cant.2.*

*In montibus eccleſiæ, in virtutibus in dogmatū veritate, in fide in confeſſione ibi eſt benedictio. hic obſerua ſymbola ſiue notas aliquot Eccleſiæ.*

DISSIPATA ſunt oſſa noſtra ſecus infernū.] Quando videris Arium, Eunomium extra eccleſiam: intellige diſſipata eſſe oſſa Dñi ſecus infernum. Oſſa quæ fortia ſunt, ipſi maiores ſunt, qui videntur aliquid eſſe: Diſſipata autem ſunt ſecus infernum, quando per multiloquium ipſorū & per philoſophiam, & contentionem alij inducuntur in hæreſim. *Tom.7.Com.in Pſal.140.*

*Hæreticorū extra eccleſiam oſſa ſecus infernum ſepulta.*





## Articul. X. Non verſari in Catholica Chriſti Eccleſia hæreticos, eoſdemque nec Eccleſiam, nec ſcripturas ſacras, nec fidem & religionem, nec ſacramenta habere, etſi fidem & ſacramenta reliquaque omnia falsò ſibi arrogent.

*Conſuetudo impetrandi eccleſiaſticas epiſtolas.*

CERNENTES hæretici de parua ſcintilla maxima incendia concitari, & ſuppoſitam dudum flammam, iam ad culmina perueniſſe, nec poſſe latere, quod multos deceperat, petunt, & impetrant eccleſiaſticas epiſtolas; vt cōmunicantes Eccleſiæ, diſceſsiſſe viderentur. Nō multum tempus in medio, ſuccedit in pontificatum vir inſignis Anaſtaſius; quem diu Roma habere non meruit, ne orbis caput ſub tali epiſcopo truncaretur: immo iccirco raptus, atque tranſlatus eſt, ne ſemel latam ſententiam precibus ſuis flectere conaretur: dicente Domino ad Hieremiam: Ne oraueris pro populo iſto, neque depreceris in bonum, quia ſi ieiunauerint, non exaudiam preces eorum: et, ſi holocauſta & victimas obtulerint, nō ſuſcipiam eas: in gladio enim, & fame, & peſtilentia ego conſumam eos. *Tom.1. Epiſt.16.ad Principiam.cap.4.in fine.*

*Laus Anaſtaſij Pontificis.*

*Hier.14.*

*Hæreticorū ieiunia & victimæ deo ingratæ.*

PROXIME accidit, vt quidam Luciferi ſectator, cum alio Eccleſiæ alumno odioſa loquacitate contendens, caninam facundiam exercuerit. Aſſerebat quippè, vniuerſum mundum eſſe diaboli, & vt iam familiare eſt eis dicere, factum de Eccleſia lupanar. At ille è contrariò rationabiliter quidem, ſed importuno & loco, & tempore defendebat, non ſine cauſa Chriſtum mortuum fuiſſe, nec ob Sardorum tantum maſtrucam Dei filium deſcendiſſe. Quid plura? dum audientiam & circulum lumina iam in plateis accenſa ſoluerent, & inconditam diſputationem nox interrumperet, conſputa penè inuicem facie receſſerunt; hoc tamen ijs, qui affuerant ſtatuentibus, vt in ſecretam porticum primo mane conueniretur: quò cum iuxta placitum omnes conueniſſent, viſum eſt vtriuſque ſermonem à notarijs excipi, atque ita cunctis reſidentibus. Helladius Luciferianus dixit. Hoc primum mihi reſponderi volo, vtrum Ariani Chriſtiani ſint, an non? ORTHODO. Ego plus, inquit, interrogo, vtrum ne oēs hæretici Chriſtiani ſint? LVCIFER.d. Quem hæreticum dixeris, Chriſtianum negaſti. ORTH.d. Omnes ergo hæretici Chriſtiani non ſunt? LVCIF.d. Iam ſuperius audiſti. ORTH.d. Si Chriſti non ſunt, diaboli ſūt. LVCIF.d. Nemo dubitat. ORTH.d. Si autem diaboli ſunt, nihil refert hæretici ſint, an gentiles. LVCIF. Non refello. ORTH.d Igitur præfixum inter nos habemus, de hæretico ſic loquendum, ſicut de gentili. LVCIF.d. Planè fixū. ORTH.d. Quære nunc vt lubet: quoniam inter nos cōſtat, hæreticos gentiles eſſe. LVCIF.d. Quod interrogatio mea cogere volebat, expreſſum eſt, hæreticos Chriſtianos non eſſe: nunc reſtat concluſio. Si Ariani hæretici ſunt, & hæretici omnes gentiles ſunt: & Ariani gentiles ſunt: ſi autem Ariani gentiles ſunt, & conſtat nullam ſocietatem Eccleſiæ eſſe cum Arianis, id eſt, cum gentilibus: manifeſtum eſt, veſtram Eccleſiā, quæ ab Arianis, id eſt, à gentilibus, epiſcopos ſuſcipit, non tā epiſcopos recipere, quam de capitolio ſacerdotes; ac per hoc Antichriſti magis ſynagoga, quam Chriſti Eccleſia, debeat nuncupari. ORTH.d. Ecce impleta eſt prophetia: Parauit mihi foueā, & ipſe incidit in eam. LVCIF.d. Quonam modo? ORTH.d. Si Ariani vt dicis, gentiles ſunt, & Arianorum conuēticula caſtra ſunt diaboli: quo modo in caſtris diaboli baptizandum recipis? LVCIF.d. Recipio, ſed pœnitentem. *Tom.2.in Dial.contra Lucife.cap.1.*

*Luciferiani aſſerebant vniuerſum mundum eſſe diaboli & factum de eccleſia lupanar & ſic ſibi ſolis arrogabāt eccleſiam.*

*In diſputationibus vtriuſque partis ſermonem notarij excipiebant.*

*Nulli hæretici ſūt Chriſtiani.*

*Hæretici diaboli ſunt.*

*Hæretici ſūt gentiles.*

*Cum Arrianis gentilib⁹ nulla eccleſiæ ſocietas.*

*Arrianorum eccleſia magis Antichriſti ſynagoga quam Chriſti eccleſia.*

*Pſal.7.*

*Arrianorū conuenticula caſtra diaboli.*

TV verò, cum apud Arianos non Eccleſiā dicas eſſe, ſed ſynagogam, nec clericos Dei, ſed creaturæ & idolorū cultores: quo modo in diſpari cauſa eandē aſſeris rationē retineri. *Ibid.cap.4.in fine.*

*Arriani non habent eccleſiam.*

CVM ſolemne ſit in lauacro, poſt trinitatis cōfeſsionem interrogare: credis ſanctam Eccleſiam credis remiſsionem peccatorum? quā Eccleſiam crediſſe eum dicis? Arianorum? ſed nō habent: noſtram? ſed extra hanc baptizatus non potuit eā credere, quam neſciuit. *Ibid.cap.5.*

*Arriani non habent eccleſiam.*

TIBI ſoli licet Eccleſiæ iura calcare: tu quidquid feceris, norma doctrinæ eſt: & nō erubeſcis ante tribunal Chriſti iudicandum tecū Epiphanium prouocare. *T.2.Epi.61.ad Pam.ca.16.in fin.fe.*

*Aureus locus & valde notabilis.*

*Rom 1.*

*Romana fides Pauli ore eſt laudata.*

*Antiquitas & ſucceſſio notæ veræ fidei, doctrinæ & Eccleſiæ.*

*Ironicè quod falsò ſibi Eccleſiā arrogent hæretici.*

QVISQVIS es aſſertor nouorum dogmatum quæſo te, vt parcas Romanis auribus; parcas fidei, quæ Apoſtoli voce laudata eſt. Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod ante neſciuimus? cur profers in mediū, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Vſque ad hunc diem ſine iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit. illā ſenex tenebo fidem, in qua puer natus ſum. Peluſiotas nos appellant, & luteos animaleſque & carneos, quod non recipiamus ea, quæ ſpiritus ſunt. Illi.ſ. Hieroſolimitæ, quorum mater in cælo eſt. *Tom.2. Epiſt.65.ad Pam. & Oceanum.cap.3.*

ALIENI & extra Eccleſiam ſunt Iudæi, hæretici, atque gentiles. *T.2.Epiſt.83.ad Oceanum.cap.4.*

*Triplices homines extra Eccleſiam Hæretici, Iudæi, gentiles non ſunt membra, nec Eccleſiæ nec Chriſti.*

CHRISTVS in ijs, qui fideles ſunt, ſubiectus eſt patri: quia omnes credentes, immo omne hominum genus, corporis ipſius membra reputantur. In ijs autem, qui increduli ſunt, id eſt, Iudæis, & ethnicis, & hæreticis, inſubiectus eſſe dicitur, quia pars membrorum eius non eſt ſubiecta fidei. *Tom.3.Epiſt.147.ad Amandum.*

*Sanctificatiōnis ſpiritus in mentibus hæreticorum nō inuenitur.*

*Ridenda falſa hæreticorum ſimulachra per diſtributionem.*

*1.Cor.11.*

QVI facit ſiue, qui fecit terram &c.] Spiritū ſanctificationis vocat, qui in hæreticorum mētibus non poteſt inueniri. Vana ſunt, & opus riſu dignum. Quis enim non rideat cum hæreticorum ſimulacra perſpexerit? Aut enim ruſtica ſūt quæ dicuntur, & lignum eſt: aut pulcro ſermone compoſita, & reperitur argentum: aut certè de proprio ſimulata ſenſu: & fruſtra auri imaginē pollicentur. In tempore viſitationis ſuæ peribūt. Ad tempus valet hæreſis, vt electi quique manifeſti fiant, & probati ſint. Cum autem viſitatio Dei venerit, & oculus eius ſtulta perſpexerit, omnia conticeſcunt. Non eſt ſimilis his pars Iacob, eorū qui ſupplantauere Iudæos, & quotidie deſtruunt hæreticos. *Tom.4.lib.2.Com.in cap.10. Hier.*

NON ſedi in cōcilio ludentium &c.] Hæc Hebræi ex perſona Hieruſalē dici arbitrātur: quod ſola ſederit, & amaritudine repleta ſit, & factus ſit dolor eius perpetuus: & quo modo aquæ pertranſeunt, ſic verba prophetarum, quibus ſibi proſpera pollicebantur, tranſiſſe mendaciter. Melius autem, vt ex perſona prophetæ hæc dici accipiamus, ſermonibus ſancti viri, qui non



[library stamp]

*Pſal 25.* *Propheta Dauid gloriatur ſe nō habere malorū hæreticorum conſortium.* *Pſal.140.*

ſederit in concilio ſiue ſecreto ludentium: quod tenuerit impendentem ſibi manum Dei ſiue magis gloriatus ſit ſe malorum non habere conſortium. Solus, inquit, ſedebam, ſecundum illud quod ſcriptum eſt: Non ſedi cum conſilio vanitatis: & cum iniqua gerentibus non introibo. Odiui Eccleſiam malignantium: & cum impijs nō ſedebo. Et in alio loco: Solitarius ſum ego, donec pertranſeam. A facie, inquit manus tuæ, ſolus ſedebam: dum te timeo, dum impendentem mihi manum tuam ſemper expecto. In concilio ludentium ſedere nolui, ſed meam amaritudinem deuorabam, vt in futuro mihi gaudium præpararem. Nec habui interualla doloris mei, ſed iugi miſeria deprimebar, vt nulla expectarem remedia. Præualuerunt enim qui contriſtabant me: & facta eſt plaga mea fortis. Sed in hoc habui conſolationem, quod fuerit quaſi aqua mendax, atque præteriens. Sicut enim aquę prętereuntes dum fluunt, videntur & dilabuntur: ſic & omnis impetus inimicorum te adiuuante præterijt. Vtinam Dominus præſtet, & nobis nō ſedere in concilio ludentium, & eorum qui futura non cogitant: nec aduerſis cedere, ſed ſęmper Dei ſentētiam formidare, & dicere cum propheta: ſolus ſedebam: quia amaritudine repletus ſum. Gaudeat igitur in præſenti tempore, nequaquam concilium ſapientium, ſed arcanum ſecretumque ludentium: mihi adhærere Deo bonum ſit, ponere in Deo ſpem meam: ſaturari opprobrijs, & iudicis mei expectare ſententiam: quæ cum finis aduenerit, opere monſtrabit omnem triſtitiam & amaritudinem inſtar aquarū fluentium pertranſijſſe. *Tom.4.lib.3.Com in cap.15 Hieremiæ.*

*Pſal.72.*

*Deſcriptio qualis ſit hæreticorū domus vel Eccleſia.* *Epheſ.4.*

VAE qui ædificat domū ſuam in iniuſtitia,] Poſſumus hunc locum iuxta Anagogen contra hæreticos accipere: qui ædificant ſibi domum non magnam, nec eccleſiæ vbertate lętiſsimam, ſed paruulam. Aedificant autem non cum iuſtitia, atque iudicio, aliena diripere cupientes. Vnde dicitur: Aedificaſti tibi domum paruulam, cęnacula perflatilia, quæ circumferuntur omni vento doctrinę, & dictin cta feneſtris. Non enim habent perpetuum ædificium, nec ſolidam firmitatem. Et contignata, inquit, cedro: Videntur quidem cōtignationem habere pulcherrimam: ſed ad imbres, & perſecutionum tempeſtatem citò putreſcunt & corruunt, litaque ſinopide. Et ipſi quidem paſsionem Domini, & ſanguinē pollicentur: ſed in perpetuum regnant, quia contendunt, & ad iracundiam prouocant Arez, id eſt, cedrum patrem ſuum. Omnis enim Hæreticus naſcitur in Eccleſia, ſed de Eccleſia proijcitur, & contendit, & pugnat contra parentem. Quodque infert: Non comedent & non bibent, ſubauditur corpus & ſanguinem ſaluatoris, cæteraque his ſimilia: erroremque omnem dicit inde deſcendere, quod ignorauerint Deum: nec habeant rectos oculos, ſed cor eorum pronum ſit ad auaritiam, vt aliena diripiant, & deceptorum ſanguinem fundant. Hoc eſt enim facere homicidium. *Tom.4.lib.4.Com.in cap.22.Hieremiæ.*

*Omnis hæreticus naſcitur in eccleſia: ſed de eccleſia proijcitur & pugnat contra parentem.*

*Qui idola falſorum dogmatum fabricat templum Dei nō poteſt intrare 1.Cor.8.* *Exod,25.*

ET ſumens, &c.] Cum tibi idola feceris peruerſorum dogmatum, quę arbitraris excelſa, & fornicata ſis ſuper eis, credens in his, quæ ipſa finxiſti, templum Dei intrare non poteris, & ſimulacra tua ſubſtantiam non habebunt, neq; erunt in perpetuum dicente Apoſtolo. Scimus enim quia nihil eſt idolum in mundo. *Tom.4.lib.4.Co. in cap.16 Ezech.*

*Hęretici ædificant templa Dei templo contraria.* *Deut.12.*

QVERCVS de Baſan. &c.] Poſſumus ex ebore & ſylueſtres domos dicere de inſulis Chetijm, quas hæretici non in domo Dei, ſed in naui Tyria fabricare conantur. Et ipſi habentes ebur ſuum ſermonis & linguæ, ædificantes templa, Dei templo contraria, & domos ſylueſtres habitacula beſtiarum, cum ſcriptura dicat: in domo Dei nemora & ſyluas, ad lucos non eſſe plantandos. *Tom.4.lib.8.Comment.in cap.27.Ezech.fol.412.*

*Apud hæreticos omnia ſunt ementita ficta & falſa.* *Matt 4.*

VENDITORES Saba, &c.] Quia Saba interpretatur conuerſio: hoc dicendum eſt, quod in præſenti loco non conuerſionem ſignificet, ſed auerſionem: de qua Tyro munera deferuntur cum vniuerſis aromatibus & odoribus optimis, & lapide pretioſo & auro: quæ omnia in Tyri nundinis proponūtur. Et ipſi enim mentiuntur odorem optimum, lapidemque pretioſum, quo extruere peruerſitatis ſuæ nitūtur Eccleſias, & aurum quod pollicentur in ſenſu: omniaque peruerſa ſunt. Nihil enim gratuitò accipiunt, nec gratis tribuūt, ſed vniuerſa mercantur: cum reges Arabum & Saba gratis Chriſto munera offerant. Hi ſunt qui omnia turpis lucri cauſa faciūt: & ab eo hæc munera ſuſceperūt, qui dicit in Euangelio: Hæc enim tradita ſunt mihi: quæ dabo tibi, ſi procidens adoraueris me. *Tom.4.lib.8.Com. in cap.27.Ezech.fol.415.*

*Luna obſcurata hæreticorū eccleſia.* *Hæreticorū cæcitas, falſitas ignorātia* *Luc.13.*

CVM ſol iniquitatis fuerit obſcuratus: luna (quam hæreticorum ſentimus Eccleſiam, & quæ à ſole iniquitatis lumen putabatur accipere,) nō dabit lumen ſuum: nec decipiet credentes falſi nominis ſcientia. Omnia quoque luminaria, & quicquid videtur in Hæreticis eſſe doctrinæ, extincto dracone cæcabitur: ſiue mœrebunt principe perdito: ita vt ipſe Dominus terram hæreticorum operiat tenebris, ignorantia ſcilicet veritatis, vt cæci cæcos ducant in foueam, & habitatores terræ mittātur in tenebras exteriores, vbi eſt fletus & ſtridor dentium. *Tom.4.lib.10.Com. in cap.32.Ezech.Fol.432.*

*Matt.10.* *Hæretici ſūt ſuperbi gigātes.* *Hæretici habent ſynagogam ſatanæ.* *Apoc 2.*

SICVT Chriſti gladius bonos à malis ſeparat, dicens: Non veni pacem mittere ſuper terrā, ſed gladium: ſic hæreticorum gladius omnes truncat populos, vulneratos ad infernum deducit. Iſti ſunt gigantes potentiſsimi, & rebelles, & ponentes in excelſum os ſuum: & quanto per ſuperbiam ſe ad excelſa ſuſtollunt, tanto ad profundum foueæ, & in inferni nouiſsima detrahūtur: qui omnes interfecti ſunt gladio. Et vt ſciret vel Pharao, vel omnis Aegypti fortitudo, quæ ad inferna detracta eſt, quos haberet in pœnis ſocios, ſequens ſermo demonſtrat. Ibi Aſſur, & omnis multitudo eius: vel ſynagoga eius. Princeps enim hæreticorum diabolus, cuius verè cōgregatio ſynagoga eſt: de qua in Apocalypſi dicitur: Qui ſunt ſynagogæ Satanæ. *Ibid.Fol.433.*

*Hæreticorū conciliabula terra mortuorum.*

PVLCHRE Eccleſia Chriſti appellatur terra viuentium: vt è contrariò Hæreticorum conciliabula, mortuorū terra eſſe credantur. Et portauerunt, inquit, ignominiam, ſiue tormentum ſuum, cum his quos ſecum detraxerūt in lacū, & in profundum inferni: quorū cubile in medio interfectorum eſt, (eorūm videlicet quos ſuo mucrone iugularunt, & circundantur huiuſcemodi populis. Hi populi, Aſſyrij regis populi ſunt: & licet circunciſos eſſe ſe iactent, tamē incircunciſi interfectiq; ſūt gladio: & tertiò dederūt terrorem, atque formidinem in terra viuētium. Vnde portauerunt tormentum ſuum atque ſupplicium in medio eorum quod ſuis fraudibus deceperunt. Ibi quoque eſt, id eſt, iuxta Aſſyrium, Moſoch & Iubal, & omnis multitudo eius in circuitu ſepulcri eius: omnes incircūciſi interfectiq; & cadentes gladio: qui dederant formidinem ſuam in terra viuentium. Pro Moſoch & Thubal Symmachus & Theodotio interpretati ſunt cubile eorum, vt oſtenderent cubilia hæreticorum imo foueas ſempiternas Aſſyrij regis eſſe ſupplicia, *Ibidem fol.434.*



*Omnis hæreticus habitat in deſertis et falsò ſibi vēdicat Eccleſiam.*

ET factum eſt verbum domini ad me, dicens &c.] Nunc veniamus ad tropologiā, & iuxta cōſuetudinem noſtram, latā diſputationem ſtringamus potius, quàm diſſeramus. Omnis hæreticus in parietinis habitat & deſertis, & poſsidere ſe putat terram Iſrael, dicitq;. Si Abraham fide ſua vnus homo in tantam venit beatitudinem, vt ſemen eius multiplicaretur ſicut arena maris, & ſicut aſtra cœli: quanto magis nos plures terram Iſrael, hoc eſt, cernentium Deū, & Iudęam cōfeſſionis dominicæ poſsidebimus? Quibus reſpondit Dominus. Ille poſſedit terram fidei merito, veſtra autem infidelitas imo blaſphemia terram Iſrael, id eſt, Eccleſiam poſsidere non poterit. Primum enim comeditis in ſanguine, effundentes corū ſanguinē quos ſcandalizatis. Deinde oculos veſtros leuatis ad immūditias vel abominatiōes veſtras quas de veſtro animo cōfinxiſtis: cū debueritis imitari Eccleſiaſticum virū, & dicere: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cęlo. Tertio ſanguinem funditis, non viuificantes eos, quos ſeduxiſtis, ſed interficientes. Nec vobis ſufficit tria iſta feciſſe, ſed ſtatis in gladijs veſtris hoc eſt, perſeueratis in prauitate ſententiæ, & parati eſtis ad cædes: & feciſtis abominationes, eá agentes in cubilibus, quæ turpe eſt loqui, & vxorem proximi veſtri polluiſtis, Eccleſiaſticam videlicet conuerſationem, quotidie de complexu Chriſti deceptos rapere feſtinantes. Et cū hæc feceritis, putatis vos terram Iſrael hęreditate tenturos? Quibus loquitur Deus: quod quicunq; in ruinoſis hæreticorum habitauerit cōciliabulis, gladio cadat Eccleſiaſtico: de quo ſcriptum eſt: Gladij ancipites in manibus eorum. Et in Euangelio. Nō veni pacem mittere, ſed gladium. Et, ſeruus qui ſe luxuriæ tradit & otio, diuidetur, id eſt, mucrone ſerietur, & pars eius ponetur cum infidelib. Et qui in agro ſiue in campo eſt, beſtijs tradetur ad deuorandum: quas propheta vitare deſiderans deprecatur: Ne tradas beſtijs animam confitentem tibi. Qui autem in præſidijs, & in muratis eſt (de quibus ſcriptum eſt: Ciuitates firmas aſcendit iuſtus, & deſtruxit munitiones earum, in quibus confidebant impij: & verſatur in ſpeluncis de quibus dicitur: Scriptum eſt: Domus patris mei, domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum) iſte ſame ſermonis Domini, & peſte morietur: & dabitur omnis terra hæreticorum in ſolitudinem, ita vt frangatur eorum ſuperbia & redigātur mōtes in ſolitudinem, qui ſibi altitudinem ſcientiæ promittebant. Qui montes vocantur Iſrael: quia ſub Chriſti nomine deceptos quoſque ſupplantant: nulluſque per eos tranſibit, nec dicere poterit quod Moyſes: Tranſiens videbo viſionem hanc magnam: habitatores enim ſunt peruerſorum montium, non peregrini & accolæ: Vt cum hæc paſsi fuerint, tunc cognoſcant, quod ipſe ſit Dominus, qui dederit terram eorum in ſolitudinē, propter abominationes, quas operati ſunt. *Tom.4.lib.10.Com in cap.33. Ezechielis.*

*Quatuor de de cauſis hæretici nō poſſident verā Eccleſiam.* *Pſal.122.* *Pſal.149.* *Mat.10.* *Luc 12.* *Quicunq; in ruinoſis hæreticorū habitauerit conciliabulis, gladio cadet Eccleſiaſtico* *Pſal 73.* *Prouerb. 21.* *Sec.70.* *Mat 21.* *Domus hæreticorum ſpelunca.* *Pœna hæreticorum.* *Exod,3.*

DICITQVE Gog: Aſcendam ad terram abſque muro ſiue proiectam: hoc eſt, quæ Dei auxilio deſtituta eſt, nec dialecticorum argumentatione munita: veniā ad quieſcentes habitanteſq; ſecurè, ſiue in pace: Rex enim noſter pacificus eſt, & in pace locus eius. *Tom.4.li.11.Com.in cap.38. Ezechielis.*

*Fides Eccleſiæ tenenda.*

EGO os regis cuſtodio, &c.] Nec non & illud quod ſequitur: Ne ſtes in verbo malo, &c. ſuper eo intelligamus, qui hæreſeos errore præuentus eſt: vel ſuper illo, qui cum Eccleſiæ fidem habeat, tamen peccatis vincitur, vt non ſit fidelis. *Tō. 5.in cap 8.Eccleſiaſtis.*

*Hæretici philoſophi omnes ſapientes ſeculi extra Eccleſiā in veritate inueſtigan da vanè laboreſe affligunt* *Pſal.72.* *Dominus in in vrbe ſua id eſt, eccleſia diſſipat varia falſa dogmata.* *Pſal.45.* *Matt 5.* *Eſaiæ 27.* *Sec.70.* *Ciuitatē Dei omnes hæretici & philoſophi impugnant.* *Hæretici in deſerto ambulant, & nec ſcripturas nec ciuitatem Dei inuenire valent.* *Pſal.106.*

LABOR ſtultorum affliget eos, qui neſciunt ire in ciuitatem.] Cum ſuperioribus etiam hos iunge verſiculos, aut generaliter de omnibus ſtultis qui ignorant Deum, aut ſpecialiter de hæreticis diſputationibus. Lege Platonem, Ariſtotelis reuolue verſutias & Carneadem diligentius intuere, & probabis verum eſſe quod dicitur: Labor ſtultorum affliget eos: Veritatem illi quidem omni ſtudio quæſierunt: ſed quiā non habuerunt ducem, & præuium itineris, & humanis ſenſib. rati ſunt ſe cōprehendere poſſe ſapientiam, ad ciuitatem minimè peruenerūt. De qua in Pſalmo dicitur: Domine in ciuitate tua imaginem ipſorum diſsipabis. Omnes enim vmbras & diuerſas imagines atque perſonas quas ſibi in varijs dogmatibus induerunt, in vrbe ſua Dominus diſsipabit. De qua & alibi ſcribitur: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Et in Euangelio. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. Et in Eſaia: Ego ciuitas firma ciuitas quæ oppugnatur. Siquidem hanc veritatis & ſapientiæ ciuitatem cum firma ſit & robuſtā, omnes ſapientes ſæculi & hæretici impugnare conantur. Et quod de philoſophis diximus hoc idem & de hæreticis ſentiendum, quod fruſtra laborent & affligantur in ſtudio ſcripturarū, cum ambulent in deſerto, & ciuitatem inuenire non valeant. De quorum errore & Pſalmiſta cōmemorat, dicens: Errauerunt in deſerto & in aquoſo viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt *Tom.5.Com.in cap.10.Eccleſiaſtis.*

*Hæretici alieni à Chriſto & eius Eccleſia.*

NOCTE tacere, &c.] Omnia quæ dicuntur ad decem tribus, referre poſſumus ad hæreticos: qui reliquerunt regnum Dauid & Hieruſalem, ideſt, Chriſtum & Eccleſiam, & ideo æterna nocte cooperti ſunt, nec habent ſcientiam Dei, & repelluntur à Domino, ne ſacerdotio fungantur ei, & filiorum quos genuerint nunquam meminit, quia filij alieni facti ſunt ei. *Tom.5.lib.1. Com. in cap.4.Oſeæ.fol.44.*

*Hæreticorū conciliabula vitanda.* *Hæretici nō habent domū Dei ſed domum idoli.*

SI fornicaris tu Iſrael, &c.] Super hæreticis prona intelligentia eſt: ad quos, vel de quibus dicitur: Si ſemel fornicaris hæretice, ſaltem tu eccleſiaſtice non delinquas, nec ingrediaris in Galgalam, hæreticorum conciliabula, vt peccata omnium reuelantur, & inſtar porcorum volutantur in cœno. Ne te aſcendere putes ad ſuperbas & arrogantes falſorum dogmatum fictiones. Non eſt

eſt enim ibi domus Dei, ſed domus idoli. Nec iuraueris per nomen Chriſti cuius maieſtatem miſcendo idolis polluiſti. Sicut enim vacca percuſſa aſilo, percuſſi ſunt hæretici ardentibus diaboli ſagittis, & legis notitiam reliquerunt: ideo paſcentur in lata & ſpatioſa via, quæ ducit ad mortem, & patientia Domini boniq; paſtoris eos nutriet ad interitum. *Tom. 5. lib. 1. Comment. in cap. 4. Oſeæ. Fol. 46.*

*Hæretici ardentibus Diaboli ſagittis percuſſi legis notitiam reliquerunt.*

QVIA miſericordiam volui, &c.] Quotidie Deus, & eos qui extra Eccleſiam ſunt, & qui peccant in Eccleſia commorantes, prouocat ad pęnitentiam, & dicit eis: Miſericordiam volo, & non ſacrificium, & ſcientiam Dei pluſquam holocauſta. Illi verò offerunt panem ſacrilegum, & dant eleemoſynas, & ſectari videntur humilitatem: quæ ego ſi verè fiant, holocauſta interpretor. Cū autem ſcientiam Dei reliquerint, fruſtra truncato capite fidei, cætera membra habere ſe iactant: præuaricati ſunt enim pactum Dei in Eccleſia, ſicut Adam præuaricatus eſt in paradiſo, & imitatores ſe antiqui parentis oſtendunt, vt quo modo ille de paradiſo, ſic iſti eijciantur de Eccleſia. *Tomo quinto liber ſecundo Commentariorum in cap. 6. Oſeæ. Fol. 52.*

*Hæretici truncato capite fidei fruſtra ſe reliqua membra habere iactant.*

*Hæretici præuaricati ſunt pactum Dei, in Eccleſia inſtar Adami: & ideo ſimilis pœna.*

IN domo Iſrael, &c.] In domo hæreticorum quotidie videmus horrenda fornicantibus primum magiſtris, & populo, qui ab eis inducitur, ſordidato. Iudæ quoque, hoc eſt, Eccleſiæ præcipitur, vt & ipſe propter peccata paret ſibi meſſem, ſiue vindemiam, cum iudicij tempus aduenerit. Sed huc ignoſcitur & veniam Dominus pollicetur, quia quem diligit corripit, & caſtigat omnem filium quem recipit, vt probatum & purgatum condat in theſauros ſuos *Ibidem: fol. 52. in fine.*

VAE eis, &c.] Super hæreticis facilis interpretatio eſt, quod væ habent ſempiternum, quia receſſerunt à Deo, & miſeri ſunt, quia reliquerunt creatorum ſuum, quia redemit eos ſanguine ſuo: & ipſi loquuntur contra eum mendacia, impia falſitatis dogmata componentes, & non clamant in cordibus ſuis, ſed vlulant ſemper in conciliabulis: quæ pulchrè cubilia appellat & ferarum luſtra. Iſtiuſmodi non poſſunt dicere: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum lachrymis ſtratum meum rigabo: ſed volutētur in ſordibus libidinum, vacant ſtupris, & quidquid loquūtur & putauerint ſe in laudem Dei dicere, vlulatus luporum, & vaccarum inſanientium ſonitus eſt. *Tom. 5. lib. 2. Commentariorum in caput 7. Oſeæ. Fol. 55.*

*Hæretici à Deo & Eccleſia receſſerunt.*

*Hæretici vlulant in Conciliabulis quæ ſunt cubilia et luſtra ferarum*

*Pſal. 6.*

*Hæreticorū ſermo vlulatus luporum et vaccarum inſanientiū ſonitus eſt.*

SVPER triticum & vinum &c.] Super tritico & vino falſis myſterijs corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti, qui dicit in Euāgelio: Niſi ceciderit granum tritici in terram, & mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Et in alio loco: Ego ſum vitis vera Et niſi biberitis ſanguinem meum: ſuper hoc ergo tritico & vino hæretici cōciduntur, & diuerſa ibi cōnſtruunt tabernacula: ſiue præciduntur ab Eccleſiæ corpore, & legem Dei meditari, & ruminare ſe ſimulant. Sed hoc facientes recedūt à Domino, qui docuit eos in Eccleſia & dedis eis fortitudinem, qua contra aduerſarios dimicarent. Illi vero cogitauerunt malitiam contra Dominum, impijſſimas hæreſes extruentes, & reuerſi ſunt in ſtatum gentilium vt eſſent abſq; Dei notitia & iugo: Siue reuerſi ſunt in nihilum: nō quo

*Ioan. 12.*

*Ioan 15.*

*Ibid. 6.*

*Hæretici habent falſa myſteria corporis & ſanguinis Chriſti.*

*Hæretici præciſi à corpore Eccleſiæ ſunt abſque Dei notitia & lege inſtar gentilium.*

deſierint eſſe, ſed quo ad comparationem eius qui loquitur ad Moyſen: Vade dic populo Iſrael qui eſt, miſit me: omnes qui contra Dominum ſapiunt, non eſſe dicuntur: & Iuxta illud quod in Heſter legimus in LXX. duntaxat: Ne tradas ſceptrum tuum his qui non ſunt: haud dubium quin idola ſignificet. Si enim Deus eſt veritas, quidquid contrarium veritati eſt, mendacium, & nihil nominatur. Hoc hæreticis conuenit, qui inſtructi de ſcripturis ſanctis, aduerſum Dominum legis & prophetarū & Euangelij verba vertunt, & ſunt quaſi arcus doloſus ſiue peruerſus. Doloſus arcus atque peruerſus, qui percutit dirigentem, & vulnerat Dominum ſuum: Siue facti ſunt quaſi arcus intentus, parati ſemper ad pugnam & cōtentiones, in ſubuerſionem audientiū. Vnde principes eorum, id eſt, Hæreſiarchæ, Domini mucrone ferientur, propter inſaniam linguæ ſuæ, qua Dominum blaſphemauerunt: Hoc idem facientes in falſi nominis Eccleſia, quod faciebant eo tempore quo in Aegypto ſæculi morabantur, hoc eſt, quando gentiles erant: Omnes enim hæreticorum, & gentilium quæſtiones eædem ſunt, quia non ſcripturarum auctoritatem, ſed humanæ rationis ſenſum ſequuntur. *Ibidem Fol: 55.*

*Exd. 3.*

*Heſt. 14.*

*Hæretici abutuntur ſcripturis et vertunt aduerſū dominum legis et prophetarum & ſe ipſos petunt ac lædunt tā quam arcus doloſus.*

*Hæretici blaſphemi falſi nominis Eccleſiā habent*

*Hæreticorū & gentiliū quæſtiones eadem.*

NON habitabunt in terra domini, &c.] Lugentium cœnas Græci νεκρόδειπνα vocant: nos parentalia poſſumus, dicere, ab eo quod parentibus mortuis immolentur. Et non ſolum qui obtulerit, ſed etiam qui comederit de huiuſmodi cibis immundus erit. Panis .e. eorū, hoc eſt, cibus quē offerunt, nō intrabit in domū Domini, quæ deſtructa eſt, quæ Babylonio igne ſuccenſa eſt, ſed erit animæ eorum: Et eſt ſenſus, ſuæ gulæ, & ſuæ prouident voluptati. Cæterum mihi non placent polluta: Non habitabunt in terra Domini, qui ab Eccleſia receſſerunt, & reuerſi ſunt mēte in Aegyptum, & Aſſyriorum, id eſt, Dæmonum comedunt ſacrificia, nec libant Domino vinum, quo inebriati ſunt in luxuriam, & non placent ei, nec illa quæ offerunt, nec ipſi qui offerūt. Sacrificia hæreticorum panis luctus eſt, & lacrymarum: omnia enim quæ faciunt, vertuntur in fletum: Nec audire poterunt: Beati lugentes, quoniam ipſi conſolabuntur, ſed è contrario audient: Væ ridentibus, quia ipſi lugebūt. Quidquid offerunt non Deo, ſed mortuis offerunt, his videlicet qui ſceleratas hæreſes cōfinxerunt: & quicunque de eorum comederit victimis, contaminabitur. Cæci in foueam ducentur à cęcis. Quidquid fecerint delitiarum cauſa faciunt, vt populum decipiant, & domus deuorent viduarum. Panem luctus poſſumus dicere, verba mortifera, quibus iniquitatem loquuntur contra Dominum: qui panis non ingreditur in Domum Dei: hæreticorum enim conciliabula, nō domus Dei appellantur, ſed ſpeluncæ latronum. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 9. Oſeæ. Fol. 59.*

*Eorum quū ab Eccleſia receſſerunt ſacrificia & bona opera Deo ingrata imo & eorū ſacramenta præſertim Eucharistia.*

*Matt. 5.*

*Luc. 6.*

*Matt. 15.*

*Hæreticorū conciliabula ſpelunca latronum.*

EPHRAIM quaſi auis auolauit: &c.] Nos dicamus iuxta tropologiam: Ephraim, id eſt, hæreticos quaſi auem de Eccleſia receſsiſſe: & omnem habere gloriam in partu, & in conceptu, ſi multos genuerint filios: quos Dominus comminatur etiam ſi enutriti fuerint puniēdos, & puniendos nō ab alio quolibet, ſed ab ipſo Domino, quoniā filios fornicationis generarint, & verum illis ſit væ, cum Deus receſſerit ab eis, Simul q; replicat qualis

*Hæretici quaſi auis de Eccleſia receſſerunt & Deus receſſit ab eis.*

qualis Ephraim fuerit: quando, inquit, in Eccleſia erat, ita ſæculi huius tentationibus, quaſi Tyrus maris fluctibus tundebatur, & tamen nihil aduerſi poterat ſuſtinere, quia habebat fundamentum Chriſti: ſuper quo ædificata domus, euerti nō poteſt. Nunc autē filios ſuos educit ad interfectorem, hoc eſt, ad diabolum. Et pulchrè dixit, educit, id eſt, de Eccleſia facit exire foras. Poſſumus filios Ephraim, cogitationes peſſimas dicere, & contraria dogmata veritati: quæ interficit Dominus ſpiritu oris ſui, & eos tales liberos habere non patitur, & æterno interitui derelinquit. *To. 5. lib. 2. Com. in cap. 9. Oſeæ: Fol. 61.*

*Hæretici filios ſuos educunt de Eccleſia & faciunt exire foras.*

Ex diebus Gabaa peccauit Iſrael: &c.] A diebus collium peccauit Iſrahel: quando montes Eccleſiæ dereliquit, & ad colles ſiue cliuos deſcendit hæreticos: doctiorem ſe putans quam Eccleſia eſt, & ſublimius aliquid reperiſſe: ibi ſteterūt, hoc eſt, in errore perſeuerauerūt. Quodq; ſequitur. Non cōprehendet eos in colle prælijū: quidā ſic interpretati ſunt: Quia genuerunt filios iniquitatis, & de Eccleſia recedentes, cœperunt eſſe in collibus: cum perſecutio aduenerit, non eos comprehendet prælium, diabolo ſuos impugnare nolente. Alij ita: quoniam ex diebus collium peccauit Iſrael, & ibi ſtetit, & vltra ambulare non potuit, nonne oportet eum in collibus à prælio comprehendi? Nonne debent pugnare aduerſum eum viri Eccelſiaſtici, vt illos deſtruant ſuper filios iniquitatis: qui ſi fuerint comprehenſi, & ſuperati, vltra generare non poterunt. Simulque Dominus pollicetur quod corripiat eos atque erudiat, vt cum ſeperati fuerint magiſtri, congregentur aduerſus eos diſcipuli ſui, quos ante deceperant, & videant correptionem propter duas iniquitates: quia & Eccleſiam fontē Domini reliquerunt, & foderunt ſibi lacus contritos, ſpeluncas ſcilicet hæreticorum: qui non poſſunt aquas, id eſt, doctrinam ſaluatoris, & ſacramentum baptiſmi cōtinere *To. 5. l. 2. Co. in c. 1. Oſe. Fol. 64.*

*Pœna hæreticorum qui Eccleſiā fontem domini relinquūt & fodiunt ſibi ſpeluncas*

QVIA confiſus es in curribus tuis: & cætera] Sicut vaſtatus eſt quandam Salmana à Gedeone, mater ſuper filijs interfecta: Cuius hiſtoriæ & octogeſimus ſecundus Pſalmus meminit: vbi inter cæteros duces Madian, etiam Salmana fuiſſe commemorat, dicens. Fac eis Domine (haud dubium quin eos ſignificet qui contra Dominum inierunt pactum ſiue teſtamentum) ſicut Madian & Syſare. Et poſt reliqua: Pone, inquit, principes eorum ſicut Oreb & Zeb, & Zebee, & Salmana omnes principes eorum qui dixerant: Hęreditate poſſideamus ſanctuarium Dei. Et in hoc eodem Pſalmo duces hæretici deſcribūtur, qui altare Dei ſibi vendicare conati ſunt. Quodque ſequitur: Sic fecit vobis Bethel à facie malitiæ nequitiarum veſtrarum: propriè hæreticorum principibus coaptatur: quod eis fecerit Bethel, quam ipſi vocant Bethel, hoc eſt, domum Dei & falſam Eccleſiam: vt ſit ſenſus: Sic vobis faciet Eccleſia veſtra, quàm vocatis domum Dei cæterum ex quo à vobis tenetur, appellanda eſt Bethauem, id eſt, domus idoli, propter multitudinem malitiarum veſtrarum. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 10. Oſeæ Fol. 65.*

*Hæretici falſò ſibi arrogāt altare et Eccleſiā cū potius habeant domum idoli.*

NON reuertetur in terram Aegypti, & cæt.] Iuxta LXX. habitauit Ephraim in Aegypto: ſāctā terram ſe habere dicens: & Eccleſiam Domini Saluatoris: ſed vitijs atque peccatis & peruerſitate fidei ſemper in Aegyto commoratus eſt. Quia igitur habitauit in Aegypto: ſenſus magnus Aſſyrius erit, rex eius noluit enim reuerti ad Eccleſiam, & virtute perdita, id eſt, Chriſto, qui eſt, Dei virtus & Dei ſapientia, ſemper in languore verſatus eſt, & infirmus fuit, cunctis dæmonibus ac perturbationibus ſubiacens: iccirco gladius, hoc eſt, ſcientia ſpiritualis vel ſermo Eccleſiaſtici viri vaſtans atque debellans ſemper verſabitur in vrbibus eius quas impiè extruxit contra Dominum & ipſe gladius requieſcet in manibus eius: vt occiſus ab alio, alium non poſſit occidere: nec contra aduerſarium leuare manum. Denique recipient & vorabunt ſecundum conſilia ſua. Infelix autem populus & vulgus indoctum ſuſpirabit antiquam patriam, & captum ſe eſſe ſentiet: ſiue pendebit incolatu ſuo, neſciens quid agat, & quo vertatur ignorans: Deus verò ſuper pretioſa eorum, aurum videlicet & argentum, quæ acceperant ab eo (de quibus ſæpè diximus) iraſcetur, & nequaquam liberabit eum, qui vitio ſuo corruit. *Tomo quinto libro ſecundo Comment. in caput 11. Oſeæ.*

*Hæretici impij extruūt vrbes et Eccleſias contra dominū.*

TENENTEM ſceptrum de domo voluptatis, & cætera] Simul conſidera, & quod perfectæ ætatis viros ſecare non poſſint, ſed eos qui adhuc in vtero ſunt: vel qui ſolidum cibum capere nequeunt, & adhuc lacte nutriuntur infantiæ. Iſtæ autem prægnantes de Galaad ſunt: quod interpretatur translatio ſiue tranſmigratio teſtimonij. Migrauerunt enim de Eccleſia in hæreſim, & teſtimonia Dei quæ prius acceperant, ad alienos terminos tranſtulerunt. *To. 5. li. 1. Com. in cap. 1. Amos.*

*Hæretici migrant de Eccleſia & teſtimonia dei ad alienos terminos trāſferunt.*

Ego quoque prohibui, & cæt.] Prohibet ſiue reprimit ab hæreticis Dominus pluuias ſpirituales, & omnem rorem diuinæ ſapientiæ & mandat nubibus ſuis ne pluant ſuper eos imbrem, ante tres menſes meſsis ſiue vindemiæ: vt ad fructus myſterij trinitatis peruenire non poſsint. Et quo modo ſol iſte, quem cernimus, annuum curſum, donec ad priſtinam metam redeat, duodecim explet menſibus, qui ſinguli trecentis voluuntur dieb & luna quæ hebraicè iareach grecè μήνη dicitur, iuxta vtranq; linguā ex ſuo nomine menſib. nomen dedit, & ſolis illuſtratur radijs ab ea parte qua ei vicina eſt, vel plus vel minus pro varietate temporū lumen accipiens: Sic & Eccleſia veri ſolis ſplendore decorata, duodecim implet Apoſtolorū numerum. Vnde & duodecim in Iſrael appellantur tribus, & in teſtimonium æternæ memoriæ de Iordanis alueo duodecim lapides auferuntur, vt ponantur in loco ſecundæ circunciſionis. Pluit autem Dominus ſuper vnā ciuitatē veræ confeſsionis Eccleſiam, & ſuper alteram non pluit, quæ in hęreticorum conciliabulis eſt. Cumq; illa imbrem recipiat ſempiternū, iſta iugi ariditate ſiccatur: vt qui ſitiūt, coacti penuria veniant ad Domini ciuitatē, de qua egreditur fons largiſsimus, qui irrigat torrentē ſpinarū Iſte aūt eſt fons, qui dicit per Hier. Me dereliquerunt fontē aquæ viuæ, & fodērūt ſibi lacus cōtritos, q. aquas cōtinere nō poſſunt. Hic fons de vno fonte procedēs triplici vniōe decurrit: quos fontes patris & filij & ſpiritus ſancti in cerui ſitientis modū Pſalmiſta ſuſpirat, dicens: Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus. *To. 5. lib. . Co. in. ca 4. Amos. Fo 10 .*

*Eſai. 5.*

*Super hæreticos nō pluit Deus rorem ſapientiæ nec imbrem doctrinæ.*

ירח

*Pulcherrimum ſimile. Vt luna à ſole illuſtratur & lumine lucet alieno ſic Eccleſia fœneratur et accipit omne ſuum lumen à Chriſto.*

*Ioſue 4.*

*Dominus pluit ſuper ciuitatem Eccleſiæ & ſuper conciliabula hæreticorum non pluit.*

*Ioel. 3.*

*Hiere. 2.*

*De domini ciuitate egreditur fons largiſsimus.*

*Pſal. 41.*

PERCVSI vos, &c.] Percutit ſpiritualiter hæreticos

reticos Dominus exuſtione ea, de qua Paulus Apoſtolus: Melius eſt, inquit, nubere quam vri. Et princeps Apoſtolorum: Chariſsimi nolite peregrinari in ardore, qui ad tentationem vobis accidit: & aurigine quæ felle diffuſo ruborē ſanguinis, in pallorem commutat, & nihil in corpore ſani eſſe permittit: intantum vt etiam mella dulciſsima amara videantur. Et qui dudum audiebant in Eccleſia: guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus: ipſiq; dicebant: quàm dulcia gutturi meo eloquia tua, ſuper mel ori meo: vocentur παραπικραίνοντες, & aquę eorum & pluuiæ non ſtillent dulcedinem: nec ſint de repromiſsionis terra, quam legimus lacte & melle manantem: ſed appellentur mara, ideſt, amaritudo. Iſti multiplicauerunt ſibi hortos. in quos ne ſuâ vinea mutaretur, Naboth occumbere voluit. Qui enim infirmus eſt olera manducat. Et quia ſemper hæretici tumentes ſuperbia, & incidentes in iudicium diaboli, magna ſibi promittunt, & bonorum fingunt imagines, vt melli venenâ commiſceant: etiam vineas & oliueta & ficeta ſe habere iactant: ſed vinea eorum vinea Sodomorū eſt: Oliueta eorū non ſunt de bonis oliuis, ſed oleaſtris: quos Apoſt. radicibus bonarū oliuarū præcipit inſerendos, Ficeta quoq; talia habēt, q̄ calathū peſsimarū impleāt ficorum: quas Hier. præ amaritudine cōmedi non poſſe teſtatur. Ad quæ cum Dominus venerit æterna eis ariditate maledicit vt nunquā fructum afferant, ne virore foliorum decipiant tranſeuntes. Et vt intelligamus hortos Hæreticorum, & vineas, & oliueta, & ficeta ad malam partem referri: ſingulis ſermonib. addidit, veſtra: vt non Dei ſed hæreticorum ea eſſe monſtraret hortos veſtros: vineas veſtras: Oliueta veſtra & ficeta veſtra q̄ omnia erucâ populata eſt, extremum pœnarum omnium: quæ non auolat vt locuſta, & huc illucque diſcurrens ſemeſa dimittit, ſed permanet perituris frugibus, & tardo lapſu, pigriſque morſibus vniuerſa conſumit. *Ibidem: Fol. 104.*

*1. Corint. 7.*
*1. Pet. 4.*
*Quicquid eſt dulce in Eccleſia in amaritudinē vertitur apud hæreticos.*
*Pſal. 33.*
*Pſal. 118.*
*3. Reg. 21.*
*Rom. 14.*
*Hæretici magna ſibi promittunt & melli venena commiſcent.*
*Deut. 32.*
*Rom. 11.*
*Hier. 29.*
*Marc. 12.*

QVIA hæc dicit Dominus Domui Iſrael, & cæt.] Præcipit ſecundum leges allegoriæ domui Iſrael, id eſt, his qui ſibi notitiam Dei pollicentur: vt non quærant Bethel, & non introeant Galgalam, & non tranſeant vel aſcendant ad puteum iuramenti, ſed magis quærant Deum, & viuant in eo. *Tom. 5. lib. 2. Commentariorum in caput 5. Amos. Fol. 107.*

ICCIRCO pro eo quod &c.] Poſſumus hoc ipſum & de hæreticis dicere: qui diripiunt pauperes, ſiue ſtricta manu percutiunt caput eius: hoc enim Græcè ſignificat κατεκονδυλίζετε πτωχούς: iuxta illud quod ſupra legimus percutientes in capite pauperem. Non enim percutiunt hæretici niſi pauperem, qui ſuſtinere non poteſt comminationem, nec in alijs membris, ſed in principali cordis, & in fidei veritate. Pauperes reor qui ſimplici contenti fide, hæreticorum malitiæ non valent reſpondere. Sed & quidquid boni operis in Dei munera præpararunt, niſi aduerſarijs reſtiterint, perdent tempore pugnæ atq; certaminis: qui aduerſarij compoſitione ſtructuraq; verborum ædificant ſibi domos, vt tuti maneant & ſecuri. Sed non habitabunt in eis, cum ab Eccleſiaſticis viris deſtructæ fuerint atque ſubuerſæ. Et non ſolum domos ædificant, verum etiam amantiſsimas quoque & deſiderabiles plantant vineas: vt Chriſti myſteria mentiantur: ſed non bibent ex eis vinum, niſi quod eſt furor draconum inſanabilis: Expectauit enim Dominus, vt iſtæ vineæ afferrent fructus, & non attulerunt vuam, ſed ſpinas vel labruſcam: nec iudicium ſed clamorem, quo contra Deum ſuum inſano ore blaſphemant. Ideo autem non habitabunt in domibus ſuis, & non bibent vinum earum, quas plantauerant vinearum, quia cognouit Dominus multas impietates eorum. Hic cognitio, non iuxta illud intelligenda eſt, quod alibi legimus: Cognouit Dominus eos qui eius ſūt: ſed quod nihil Deum lateat, & omnia peccantiū ſecreta cognoſcat. Cognoui, inquit, multas impietates: quę non ſolum multæ, ſed & fortes ſunt & opprimentes ſiue conculcantes ipſam iuſtitiam, vel eum qui iuſtus eſt. *Tom. 5. lib. 2. Com. in ca. 5. Amos. Fol. 109.*

*Sup. 2.*
*Prouerb. 13.*
*Sec. 70.*
*Hæretici deſiderabiles plantant vineas vt Chriſti myſteria mentiantur.*
*Deut. 32.*
*Eſaie. 5.*
*2. Tim. 2.*

VAE qui opulenti eſtis & cætera] Iuxta leges Tropologiæ, & LXX. interpretes, Sion refertur ad Eccleſiam, de qua ſcriptum legimus: Qui exaltas me de portis mortis, vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Mons verò Samariæ propter ſuperbiam & iactantiam cuſtodiæ mandatorum Dei intelligitur ſuper hæreticis, qui deſpiciunt Eccleſiam: quia infirma mūdi elegit Deus, vt confundat fortia, & ſtulta, vt perdat ſapientiam ſapientium, & intelligentiam prudentium reprobet. Iſti vindemiauerunt primitias gentium, vt ſub nomine Chriſtiano introducerent eos in torcularia ſua, vbi non calcatur vua, ſed perditur: vbi non muſtum exprimitur, ſed venenum. Et ingreſsi ſunt ſibi. Pulchrè dixit ſibi: non enim ingreſsi ſunt Deo, ſed ſibi ingreſsi ſunt. Alioquin Deo magis egreſsi ſunt, dum recedunt de Eccleſia. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 5. Amos. Fol: 113. in fine.*

*Hæretici deſpiciunt Eccleſiam.*
*Hæretici ſub nomine Chriſtianos introducunt diſcipulos in torcularia vbi non muſtum exprimitur ſed venenū.*
*Deo egreſsi qui recedunt de Eccleſia.*
*Heb. 6.*

ET iurat Dominus per ſemetipſum (quia maiorem per quem iuret nō habet) ſe deteſtari omnes hæreticorum contumelias, & vniuerſas regiones eorum odiſſe. Quid quid enim loquuntur iniuria eſt, & dignum Dei odio. Et ablaturum ciuitatem, & conciliabula eorum cum his qui habitant, & populum videlicet & magiſtros: etiam ſi reliqui fuerint decem viri (qui ſi fuiſſent in Sodomis & Gomorris, nequaquam ſuper eas deſcendiſſet incendium) omnes eſſe morituros ea morte, quæ ducit ad Tartarum de qua Ezechiel ſcribit: Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Iſtorum oſſa ſepeliunt propinqui & domeſtici eorum, de quibus dicitur: Sine, mortui ſepeliant mortuos ſuos. Et ille qui foris eſt, & domū non ingreditur mortuorum, ſed magis mortuos foras eijcit, imperat ei qui comburit mortuos, & diſſoluit in cineres, & eorum oſſa comminuit vt taceat, & puriſsimum Dei nomen mortuo ore non maculet. Peccatori enim Dixit Deus: quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Vnde & nos prouidere debemus, ne mortui ſepeliamus mortuos: ſed vt magis viuentes, eos qui ſunt mortui perducamus ad vitam. Quod ſi non fecerimus, imperatur nobis & dicitur: Tace: quia indigni Dei nomine iudicamur. *Tomo quinto lib. 3. Commentariorum in cap. 6 Amos.*

*Quicquid loquuntur hæretici eſt dignū Dei odio.*
*Deus hæreticorum conciliabula & magiſtros auferet.*
*Gene. 19.*
*Ezech. 18.*
*Luc. 9.*
*Pſal. 49.*

SECVNDVM tropologiam, Amaſias ſacerdos interpretatur robuſtus, & eo quod rebellis & ferox, Eccleſiaſticum virum, & verè prophetam



tam vetet Dei verba proferre & doctrinam, & errantem populum corrigere prohibeat. Huius vxor falſa Eccleſia, patebit fornicationi omnium: & filij eius ac filiæ, quas malè in errore generauit, Domini mucrone ferientur: humus quoque illius & vniuerſa poſſeſsio erit pars dæmonum: & ipſe morietur in terra polluta: quæ non habeat habitatorem Deum, ſed multis prauæ religionis contaminetur erroribus: & omnis populus qui falſum ſibi nomen aſſumit Iſrael, captiuus migrabit de terra ſua: vt non ſeruiat Deo, ſed hæreticorum ac dæmonum iugo colla ſubmittat *Tom. 5. lib. 3. Com. in cap. 7. Amos.*

*Graphica deſcriptio falſæ Eccleſiæ.*

DESPICIVNT hæretici Eccleſiam Dei, & confidunt in falſitate dogmatum ſuorum erigētes ſe contra ſcientiam Dei, & ſciſſo populo eius dicentes: Nō eſt pars nobis in Dauid, neq; hæreditas in filio Iſai. Si quis ergo iurat in delicto Samariç, & dicit: Viuit Deus tuus Dan, & viuit via Berſabee: iſte cadet & reſurgere vltra non poterit. Dan tribus in vltimis Iudæorum terminis poſſeſsionem inuenire non potuit, ſicut in libro Iudicum ſcriptū eſt: interpretaturq; iudicium. Berſabee autem pro varietate accentuum vertitur in linguam noſtram, puteus iuramenti: aut puteus ſatietatis, ac ſeptimi. Itaque & hæretici in extremis ſcripturarum ſanctarum finibus ſitient. Dei iudicium contemnentes, & deſiderantes viā Berſabee, quæ fuit in tribu Iuda: multaque Eccleſiæ imitari ſacramenta cupientes, ſaturatos & repletos eſſe ſe dicunt. Quibus Apoſtolus exprobat Paulus: Iam ſaturati eſtis, iam diuites facti eſtis, & iurant in nomine Domini: qui ſemel cadentes (quia Deos idolorum, Deum arbitrant ſuum) amplius non reſurgent. Qui autem voluerint agere pœnitentiam, & nō dixerint: viuit Deus tuus Dan & viuit via Berſabee, audient per Hieremiā: Nunquid qui cadet, non reſurget: aut qui auerſus eſt non reuertetur? *Tom. 5. li. 3. Com. in ca. 8. Amos.*

*Hæreticorū diuiſio cum ſchiſmate Hieroboam cōparatur.*
*3. Reg. 12.*
*Iudic. 18.*
*Hæretici in extremo ſcripturarum finibus ſentiunt.*
*1. Corint. 4.*
*Hier. 8.*
*Pſal. 39.*
*Matt. 6.*

ECCE paruulum dedi te in gentibus, &c.] Petra quanquam frequenter vel in perſona Domini, vel in ſoliditate ponatur (vnde & propheta dicit: Statuit ſupra petram pedes meos, & ad Petrum dicitur: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam) tamen & in contrariam partem frequenter accipitur: Auferam, inquit, cor lapideum, & dabo vobis cor meum. Et Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ: maximeq; hic vbi non dixit habitantē ſuper petram (in qua prudens ædificator domū ſuā extruit) ſed in ſciſſuris petræ: vt hæreſeō à petra Chriſto, & ab Eccleſia ſignificet ſciſsiōes. Porrò q̄ ſequitur: Exaltātem ſoliū tuū, & qui dicit in corde ſuo: Quis detrahet me in terram? tum morem hæreticæ mentis oſtendit: confidentium ſibi in myſterijs, & in ſecretis ſuis, & quantum in ipſis eſt (hyperbolicè autem hoc accipere debemus) repromittentium ſibi regna cœlorum. Vnde ad huiuſmodi homines ſcribit Apoſtolus Iam ſine nobis regnatis: atque vtinam regnaretis, vt & nos vobiſcum regnaremus: Tale quid & Dauid loquitur: Poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terram. Si exaltati ergo fuerint, vt aquila (nam & ipſi aquilarum ſibi ſimilitudinē pollicentur, quæ ſolent ad cadauer dominicu congregari) & inter media ſidera poſuerint nidum ſuum. *To. 5. in ca. 1. Abdiæ. Fol. 128.*

*Ezech. 36.*
*Matt. 3.*
*Matt. 7.*
*Hæreſeon à petra Chriſto & ab Eccleſia ſciſsio.*
*Hæretici falſa ſibi repromittunt & magna.*
*1. Corin. 4.*
*Pſal. 72.*
*Matt. 24.*

ET non deſpicies in die fratris tui: &c.] Quando captiuum videris diuerſis perſecutionibus fratrem tuum, & abduci vinctū de Eccleſiæ fide: nec ciuitatem ſuam, ſed peregrina queq; ſectari: nequaquā lætaberis, quia & tu ſimilia patieris. Lętabaris enim quando capiebatur Iacob, & ſuper filios Iuda, quos diſcipulos Chriſti intelligimus exultabas in die perditionis eorum. *Ibid. Fol. 130.*

QVAMVIS conciliabula ſua vocent Bethel, tamen poſt fabricationem idolorum deſijt eſſe Bethel, & vocatur Bethauē, quod dicitur domus Idoli. *To. 5. lib. 1. Com. in ca. 1. Michee. Fol. 144.*

*Hæretici etſi iactent ſe habere Eccleſiam non habent tamē niſi domum idoli.*

IN Geth nolite annunciare, &c. Geth. interpretatur torcular: qui ergo in Geth, id eſt, torculari ſunt, putantes ſe vindemiaſſe fructum ſuum, & calcaſſe botrum de vinea Sorech, extolluntur in ſuperbiam, ignorantes quod botrus terrę Iudææ in Allophylorum finibus nō reperiatur. Nolite, inquit, extolli qui eſtis in torcularibus: Quia de vinea Sodomorum vinea veſtra eſt, & propago veſtra de Gomorris, & vua veſtra amaritudinis, & botrus fellis vobis, & furor Draconum vinum veſtrum, furor aſpidum inſanabilis. Nam ſi etiam feceritis fructum (quoniam videmia veſtra non ſolum de Sodoma & Gomorra, ſed de AEgypto quoque eſt, & cęteris inimicis gentibus) dabit Dominus erugini fructum veſtrum & labores veſtros locuſtæ, & occidet in grandine vineas veſtras, & moros veſtros in pruina. Non vos decipiat ſimilitudo vini, nec dicatis amarum dulce: guſtate diligenter vinum veſtrum & inuenietis pro vino Sorech, furorem draconum, & venum aſpidum. Vnde nolite ſuperbire: ſed magis humiliamini ſub potenti manu Domini, & ad illud tranſite torcular, de quo aſcendens ex Aedom, & rubicūdus ex Bozra loquitur in Eſaia propheta: Torcular calcaui ſol[9] & de gentib. non eſt vir mecū. Rurſum quia ſunt de alienigenis & alij (multas enim habet regiones & vrbes Allophylorū prouincia) qui per mala opera, & ſenſus contrarios Deo loquuntur, deſtructi ſumus: ſed reuertētes ędificemus q̄ deſtructa ſunt Vnde & vocātur termini impietatis, & populus cui iratus eſt Dominus. Dicitur ad eos: Qui in Bachim, nolite ędificare de domo deriſū. Bachim in lingua noſtra plāctū & fletū ſonat Deniq; exceptis. LXX. omnes κλαυθμόν. i. fletū trāſtulerunt. Qui eſtis igitur in huiuſcemodi operib. atq; ſentētijs, quæ fletu digna ſunt, nolite ædificationem peſsimam inſtaurare: nec ſenſum veſtrum extructionē Dei arbitremini: neq; ædificetis ſuper arenā: ne cum tempeſtas venerit, domuſq; veſtra conciderit, caſus labor riſum vidētib. præbeat. Quin potius intelligentes ædificationem veſtram dignam eſſe deriſu, ruinis eius & puluere conſpergite capita veſtra, & agite pœnitētiam, quod abſq; conſilio caſuram Domum ædificare voluiſtis. Sequitur: Quæ habitat bene in ciuitatibus ſuis: non eſt egreſſa habitās in Sennan. Quod mihi videtur hanc habere ſententiam: Vos qui ſuperbitis in Geth, & in Bachim, fruſtra domū viſu dignam ædificare conemini, aſpergite vos puluere, agite pœnitentiam: quia vinum deteſtabile premere: & ædificationē Deo cōtrariā cōſtruere voluiſtis. *To. 5. li. 1. Co. in ca. 1. Michææ. Fol. 147.*

*Deut. 32.*
*Pſal. 77.*
*Eſaiæ. 63.*
*Allophylorum hæreticorum malâ ædificatio.*

Vos verò qui habitatis iuxta Sennam, id eſt, iuxta abūdantē Eccleſiā. O hęretici ō cōtraria dogmata: plāgite vos: q̄a ædificaſtis vobis domū in deriſum

*Hæretici cõtraria dogmata extruunt non in ſcripturis ſed in vicinia ſcripturarũ.*

deriſum, & preſsiſtis torcular in ſuperbiam: nec in ſcripturis, ſed in vicinia ſcripturarum Dominum veſtram, iam non riſu ſed planctu dignã, & lachrymis conſtruxiſtis. Vnde ſubiungitur: plangite domum, quæ eſt iuxta eam, id eſt, iuxta Sennam. Sed & hoc quod additur: accipiet ex vobis plagam doloris: ad eoſdem hæreticos dicitur, quibus imperatur, vt plangant domum vicinam Eccleſiæ: quod inimicus & vltor diabolus cui tradendi ſunt in ſupplicium, ipſe eis inferat plagas, & extorqueat pro ædificatione peſsima, plagarum dolorem. Quæ propterea inferuntur, vt ſentientes peccata quæ fecerant, agant pœnitentiam, & dolorum habitatio ſit eis bonorum occaſio. Siue Eccleſię indicatur dolor, quod plãgat quondam filios ſuos, & ipſa ſit cauſa ſalutis hæreticorum, ſi ad lugentem matrem reuerti voluerint. *Ibidem. Fol. 147.*

*Hæreticorũ domus vicina Eccleſiæ.*

*Hæretici ſimiæ Eccleſiæ Dei.*

DIRIPIENTES pellem, &c.] O hęretici, qui putatis habere vos prophetiam, & imitamini Eccleſiam Dei: vbi æſtimatis eſſe viſionem, vbi nox erit, & vbi, iactatis vaticinium prophetale, ibi ſpiritus loquetur immundus. Occidet enim ſol iuſtitię ſuper huiuſcemodi prophetas, & videbunt tenebras ſuas, & confundentur. Cumq; diuini magis quam prophetæ fuerint comprobati ridebũt ſuper ſomnijs ſuis, & populi qui ab eis prius decepti fuerant, contra eos loquentur. Tũc etiam ipſi magiſtri pœnitentiam agent, & nemo eos exaudiet, niſi ego quem offenderant. Et quia clemens ſum, & nolo mortem peccatoris, ſed cupio vt reuertatur & viuat, cum exaudiero eos, dabo eis virtutem ſpiritus mei, & implebo eos iudicio meo & fortitudine: Vt qui prius populum blandimentis decipiebant, poſtea vera annunciando deterreant, & ad rectam reuocent viam: & qui cauſa erroris fuerant, incipiant mederi vulneribus: quæ intulerũt & eſſe occaſio ſanitatis. *Tomo quinto libro 1. Commentariorum in ca. tertium Micheæ. Fol. 153.*

*Ezech, 18.*

ET nurus conſurgit aduerſus ſocrum ſuam: Quod iuxta Tropologiã intellectu videtur difficile: ſed qui legerit canticum canticorum, & ſponſum animæ, Dei ſermonem intellexerit: crediderit que Euangelio, quod ſecundum Hebræos editum nuper tranſtulimus (in quo ex perſona ſaluatoris dicitur. Modo tulit me mater mea, ſanctus ſpiritus in vno capillorum meorum) nõ dubitabit dicere ſermonem Dei ortum eſſe de ſpiritu, & animam, quæ ſponſa ſermonis eſt, habere ſocrum ſanctum ſpiritum: qui apud Hebręos genere dicitur feminino Rouach. Hęretici ergo, cum ante crediderint in ſcripturis, quæ à ſpiritu ſancto conſcriptæ ſunt, & editæ: transferunt ſe ad nouas doctrinas, & fermentum phariſæorum, & mandata hominum: dumq; ſermonem Dei contemnunt, ſocrui ſuæ faciunt iniuriam: Et ne fortè dubites, verbum & filium Dei naſci de ſpiritu ſancto i Gabrielis ad Mariam verba conſidera: Spiritus ſanctus ait, veniet ſuper te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi: propterea, quod naſcetur ex te, vocabitur filius Dei. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 7. Micheæ.*

*Sponſus animæ Dei ſermo.*

*Spiritus ſanctus mater noſtra.*

*רוח*

*Hæretici ſocrui ſuæ id eſt ſpiritui ſãcto faciunt iniuriam.*

*Luc. 1.*

BRVCHVS irruit & euolauit, & cæt.] Porro quod ſequitur: Exilijt attelabus, & mixtitius tuus quaſi locuſta, Mixtitium puto in hoc differre à brucho, quod bruchus imperitę multitudini & innumerabili comparatur. Mixtitus autem de cunctis gentibus hinc inde collectus. Et quomodo alij ſunt in vrbibus ciues, alij peregrini, quibus placet habitare in vrbe non ſua: Sic mixtitium puto qui habitat in Niniue, eos eſſe qui vidẽtur ſibi, iuxta opionem ſuam aliqua ſequi dogmata veritatis, & in eo meliores eſſe brucho, quod bruchus nihil aliud faciat, niſi ſemper in terra ſit, & abſq; alis cibo & ventri ſeruiat. *To. 5. in cap. 3. Nahum.*

*Mixtitij qui videntur iuxta opinionem ſuam aliqua ſequi dogmata veritatis.*

VAE qui congregat auaritiam malam, &c.] Dirigitur ſermo vel ad Diabolum, vel ad Antichriſtum, vel ad hæreticos: qui multiplicant ſibi auaritiam malam. Mala autem dicitur auaritia ad diſtinctionem bonæ: vt ſit bona auaritia doctoris Eccleſiaſtici, qui nunquam ſatiatur multitudine ſectatorum, & quanto plures habuerit diſcipulos, tanto magis ad doctrinę ſtudium concitetur. Væ ergo ei qui multiplicat ſibi auaritiam peſsimam: vt congreget domui ſuæ conuenticula peruerſa, & ponat in alto nidum ſuum vt eruatur de manu malorum. Pollicentur enim & diabolus, & antichriſtus, & hæretici, eos qui ſuum dogma ſuſcipiant, forè in cæleſtibus poſſeſſuros regna cælorum, & gehennæ incendia non ſenſuros. Et cum hæc repromiſerint, conſilium ipſorum ad perfectum venire non poterit, ſed erit conſilium confuſionis, & ignominiæ domus eorum: & poſtquam quæ fuerant repromiſſa falſa, ipſe rerum finis oſtenderit, tunc probabitur confuſionis eſſe conſilium, non ſalutis. Iſte, vt diximus, peruerſitatis doctor conſumpſit populos multos, & quanto plures habuit in comitatu ſuo, tanto magis deliquit contra animam ſuam. Denique Eccleſiæ eius lapides & κάνθαρος, id eſt, ſcarabeus de ligno, clamabunt contra auaritiam ſuperbi: eò quod omnes gentes ſua perſuaſione deceperit. Lapides, ſtolida corda credentium doctrinis hæreticorum poſſumus intelligere, & ſcarabeum de ligno, magiſtros quoſque peruerſos, qui turpis lucri gratia aſſumentes prædicationẽ crucis, loquuntur ex vtero. Deus enim eorum venter eſt, & omnia ciborum cauſa faciunt, qui rediguntur in ſtercus (quia ſcarabeus vel cantharus vermis eſt ſtercoris) & ad hoc tantùm aſſumunt crucem, vt auaritiam & ſuperbiam magiſtri ſui Diaboli doceant ore vipereo. Si quando videris hæreticorum quempiam, quaſi recondita & occulta myſteria contra Eccleſiam loqui, & domum diaboli domui præferre Chriſti, dicito: Lapis de pariete clamat, & cantharus de ligno loquitur: *Tomo quinto Commentariorum in caput. 2. Habacuc. Fol. 192.*

*Bona auaritia Doctoris Eccleſiaſtici.*

*Auaritia peſſima hæreticorum qui inani et falſa ſpe lactant ſuos.*

*Hæretici quaſi occulta myſteria contra Eccleſiã loquũtur.*

DIABOLVS ſubuerſione & poculo turbido ac peruerſis quibuſque doctrinis inebriet proximos, id eſt, rationale animal & faciat eos quos deceperit reſpicere ad ſpelũcas ſuas. Eccleſiæ enĩ dogmata libera ſũt: die gratulãtur & lumine. Qui autem inebriantur, nocte inebriantur, & qui eos inebriant non ducunt in atria Domini, quæ nulla tectorum premuntur vmbra: ſed in ſpelũcas. Fecere enim Domum patris, quæ fuerat Domus orationis, ſpeluncas latronum: pollicentes initiationes quaſdam & myſteria, & recondita, ſolumque hæreticis nota ſecreta, de quibus loquitur & Eſaias: Et manu facta omnia abſcondẽt inferentes in ſpeluncas & in ſciſſuras petrarum, & foramina terræ. Non ingrediamur ergo in ſpeluncas hæreticorum, nec abſcondamur ibi, vbi impius Saul ſtercora doctrinarum ſuarum egerere conſueuit: ſed magis aſcendamus ad ſpeluncam excelſam montis Sina: vbi & Elias vidit Dominum, & Moyſes poſteriora eius ante conſpexit. Et Eſaias de Domino clamitans: Hic habitauit, ait, in ſpelunca excelſa. Si quis autem non habet poculum turbidum & doctrinam hæreticã, & magiſter Eccleſiæ eſt, omnia facit turpis lucri gratia, & vendit columbas in templo, hoc eſt dona .S. ſpiritus & in cathedra ſacerdotali liberas ſuffocat aues: iſte non facit quidem domum orationis ſpeluncam latronum, ſed facit domum patris, domum negotiationis. Poſt hæc ſequitur: Saturitatem ignominiæ pro gloria bibe tu, & cõmouere: id eſt, ô Diabole: ô dogma peruerſum: ô hæretice, qui te putabas calicem eſſe aureum quo inebriantur omnes gentes, vt viderent ſpeluncas & ſecreta tua: pro gloriæ magnitudine, replere ſaturitate ignominię & reputare in vas fictile opera manuũ figuli: bibe & tu de calice Dñi, de quo in Pſa. dicitur: Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto: & inclinauit ex hoc in illud, veruntamẽ fex eius non eſt exinanita. Et à priori ſentẽtia cõmouere, & noli putare firma eſſe & ſtabilia in quibus primum ſtare cupiebas: quia circundedit te calix dexteræ Domini. *Tom. 5. Com. in cap. 2. Habacuc. Fol. 194.*

*1. Theſ. 5.*

*Eccleſiæ dogmata luce gaudent hæretici quærũt ſpeluncas.*

*Matt. 21.*

*Eſaiæ. 2. Sec. 70.*



*1. Reg. 24. 3. Reg. 19. Exod 33. Eſai. 33. Sec 70.*

*Spelunca latronum & domus negotiationis differunt. Matt. 21. Ioan. 2.*

*Pſal. 74.*

VAE qui habitabitis funiculum maris, &cęt.] Spiritualibus ſpiritualia comparantes, & vulgatæ editionis cœptam ſemel tenentes ſemitã, quęrimus an alibi in ſcripturis ſanctis nomen Cretæ legerimus: Et, ni fallor, illud in promptu eſt: Cretenſes ſemper mendaces: malæ beſtiæ, ventres pigri: teſtimonium hoc verum eſt. Qui fluctuãt & circunferuntur omni vento doctrinæ, in deceptionę hominum, in verſutia erroris: iſti cum debuerint in terra confeſsionis, hoc eſt in terra habitare Iudææ, voluerunt magis aduenæ eſſe Cretenſium: qui diuerſis maris fluctibus hinc inde tunduntur, & ſonant ære Corybantino, & ſunt iuxta Apoſtolum quaſi cymbalum tinniens. Et quia aduenæ ſunt Cretenſium, ideo ſermo Dei, hoc eſt, comminatio fit ad illos. Et dicuntur terra Chanaan, ſemper in fluctu, ſemper in motu, & terra Allophylorum: alieni enim à Deo, in funiculo maris, & in Cretæ regione verſantur. Fit itaque ad eos ſermo Dei, vel in conſummatione & fine mundi, vel quotidie per eccleſiaſticos viros, & qui poſſunt cum Apoſtolo dicere: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus? vt eijciantur de Creta, & perdantur de priſtinis habitationibus ſuis: & illa regio quæ prius gregem perditum continebat, incipiat eſſe ouile pecorum Chriſti: & Iudas, id eſt, vera cõfeſsio, habitet in funiculis maris. Cumque iam cœperit eſſe mundus ad veſperam, & de multis vocatis pauci electi, & qui nunc reliqui vocantur de domo Iuda, pauerint eos qui primum in mari, & in Creta, & in mendacio paſcebantur: declinabunt in domibus Aſcalonis, id eſt, vbi prius ignis Diaboli, & interfectorum manabat cruor: Aſcalon enim interpretatur ignis homicida: Et hoc fiet: quia viſitabit Dominus populum ſuum, & hi qui ante facilè capiebantur ſophiſmatibus hæreticorum, quaſi de captiuitate venientes, vincent aduerſarios ſuos, & habitabunt in tabernaculis eorum. *Tomo quinto Commentarior. in cap. 2. Sophoniæ. Fol. 213.*

*Titum. 1.*

*Hæretici nõ ſunt domeſtici ciues eccleſiæ, ſed aduenæ exteri, allophyli. 1. Cor. 3.*

*2. Cor. 13.*

*Matt. 20.*

*Gene. 19.*

QVI doctus vir eſt & ſpiritualibus ſpiritualia comparat, & non quærit quæ deorſum ſunt, ſed ea quæ ſurſum, & cum Chriſto reſurgit ab inferis, & veterem hominem deponens induitur nouo, & opprobria Moab, & blaſphemias filiorum Ammon ad magiſtros contrariorum Eccleſiæ dogmatum refert: qui & ipſi videntur de genere eſſe Abraham, & effugiſſe incendium Sodomę & Gomorræ, & habitare in Segor parua. Sed quia generatio eorum in tenebris eſt, & lumen veritatis non poſſunt aſpicere (declinauerunt enim à Deo patre, quod interpretatur ex nominibus Lot & Moab) & Dei eſſe filij ceſſauerũt (quod dicitur populus meus) & in tenebroſa ſpelunca cõcepti de inceſtis nuptijs ſubſtiterunt: propterea vſque hodie ſimplicitati filiorum Iudæ inſultãtes, magnificare cupiunt ſuper terminos eius poſſeſsionem ſuam, de quibus in Prouerbijs dicitur: Non transferas terminos ſempiternos, quos poſuerunt patres tui. *Ibid. Fol. 214.*

*Ibid.*

*Hæretici ſpũ rij non veri Dei filij.*

*Prouerb. 22. Sec. 70.*

ET vocaui ſiccitatem ſuper terram, &c.] Vocatur vel inducitur viuens ſermo Dei, & efficax & acutus ſuper omnem gladium bicipitem, vt anima negligens (quę terra interpretatur arens, & magis in concauis habitare, quàm domum Dei extruere deſiderat) eius mucrõe feriatur, & quidquid fructum ſe putat habere diſperdat. Infertur etiam gladius ſuper montes eleuantes ſe aduerſus ſcientiam Dei, & ſuper frumẽtum, & vinum & oleum: quibus quaſi cibis & potu & refectione, hæreticorum conciliabûla deceptis populis blandiuntur. Congruè quis dixerit panem illorum eſſe panem luctus, & furorem draconum eſſe vinum eorum, & furorem aſpidum inſanabilem: Oleum quoque repromiſsionem de cœleſtibus, qua quaſi vngũt diſcipulos, & laborum pręmia pollicentur, quæ deteſtatur propheta dicens: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Sed & alia, quæ abſque auctoritate & teſtimonijs ſcripturarum, quaſi Traditione Apoſtolica ſpõte reperiunt atq; confingunt, percutit gladius Dei: homines autẽ & iumenta, Vel λογισμοὺς καὶ αἰσθήσεις, id eſt, ſenſus & cogitationes eorum accipiamus. Vel certè rationabiles in eis & irrationabiles, id eſt, doctos & indoctos pariter, & omnem laborem manuum, & ieiunia, eorum & obſeruationes varias, & χαμευνίας, id eſt, humi dormitiones. Qui tribus quadrageſimis per annum ieiunantes, & ξηροφαγίαις humiliantes animam ſuam, & vel maximè de Tatiani radice creſcentes, ſuper huiuſcemodi laboribus audiunt: Tanta paſsi eſtis ſine cauſa? Hæc autẽ vniuerſa quæ dixi, poſſunt de Eccleſiæ rectoribus intelligi: qui ædificantes carnalem domum, liberiſque ſuis & poſſeſsionibus prouidentes, nõ curant, vel in ſe ipſis extruere templum Dei: vel eccleſiam Domini, quæ infecta & diruta eſt, inſtaurare: quorum ſæpe vita & ſermo incongruus ſcãdalizat plurimos, & de eccleſia eijcit, & ad ſolitudinem perducit domum Dei. Nec hæc dicim⁹, quo vniuerſos generaliter accuſemus, ſed quod in omni officio & gradu ſint alij qui ędificent, & alij qui deſtruant templum Dei. Et propter eorum vitium, nec cœli rorẽ, nec terra det germẽ, ſiccetur humus, montes areãt; triticum, & vinum & oleum, & omnia quæ terra gignit: homines quoque ipſi & iumenta & vniuerſus labor manuum, ſecante gladio, & ſiccitate vel vento vrẽte diſpe-

*Heb. 4.*

*Hæreticorũ conciliabula deceptis populis blandiuntur ſub prætextu verbi Dei et ſacramentorum.*

*Oſee. 9. Deut. 32.*

*Pſal. 104.*

*Sub prætextu traditionis apoſtolicæ hæreſes inuectæ.*

*Afflictiones hæreticorum & pœnitentiales ſatisfactiones ſine cauſa ſiunt, nec merẽtur Gal. 5.*

diſpereant. *Tom.5.Commentariorum in cap.1. Aggæi. Fol.225.*

*Omnia ſacramenta, ſacrificia omnia bona opera, Dei verbũ & quicquid eſt apud hæreticos totũ id falſum eſt*

SICVT ſummitas veſtimenti dominici, & leuis tactus non ſanctificat, niſi eum qui comederit carnes agni, & ſanguinem eius biberit: Sic è cõtrariò immundus in anima, peruerſa quæq; doctrinæ quodcunq; tetigerint, immundum faciāt neceſſe eſt. Habent enim in ſacramentis panem & vinum & oleum & omnem cibum, ſed ſacramenta eorum quaſi panis luctus: omnes qui ea tetigerint, contaminabuntur. Legunt & ipſi ſcripturas, & quaſi de ſcripturarum teſtimonijs conſpergunt panem, & tota nocte in clibano coquunt illum. Sed cum ad veſcendum datus fuerit, comedentes ad inſaniam prouocat. Habent pulmentum & coctionem, conantes iuxta peruerſitatis ſuæ ſenſum myſtica quæq; de ſcripturis texere, & quaſi coquere, & cõdire, carnes agni, ſed coctio illa perditio eſt. Habēt & vinum, ſed non de vinea Sorech, & quam plantauit Dominus in Hieremia, Electam & totam veram, ſed de vinea Sodomorum. Habent & oleum, quod de veteris & nouæ ſcripturæ teſtimonijs violenter exprimunt, & quaſi in refectionē deceptis & laſsis mētibus pollicentur, ſed deteſtatur illud ſanctus, & dicit: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Habent & diuerſos cibos, multiplices videlict variarum ὑποθέσεων diuerſosque tractatus: quos quia immundi ſunt qui ſcripſerunt, & de immundo ore prolati ſunt, omnis qui tetigerit immundus fiet, & in eorum trahetur errorem. Vnde reſpondit Aggeus: qui ſcit differentias ſolennitatum, & ob id feſti ſortitus eſt nomen. Sic populus iſte, & ſic gens iſta: Iudæorum videlicet atque gentilium & hæreticorum omnium, in conſpectu meo, dicit Dominus: Omne, quod fecerint, quod mihi obtulerint, vel vota pro ſalute, vel pacifica, vel pro peccato, vel pro delicto, vel in holocauſtum: ſiue eleemoſynas, ſiue ieiunia, ſiue victus continentiam, & corporis caſtitatem: contaminata erunt in conſpectu tuo. Quamuis enim ſancta videantur ſpecie ſui quæ offeruntur à talibus: tamen quia tacta ſunt ab eo qui pollutus in anima eſt, omnia polluentur. *Tomo quinto Commenta. in caput ſecundum Aggæi. Fol.229.*

*Hier.2.*

*Pſal.140.*

ET leuaui oculos meos, &c.] Verè in Babylone ſedes eſt impietatis, & iuxta hiſtoriam, & iuxta myſticos intellectus. Si volueris duas mulieres accipere hæreticorum populos, & Iudæorũ (quorum vtrique egrediuntur à facie Dei, & ſpiritu feruntur incerto. & habent alas milui, herodij & vpupæ: dum ſemper in modum perdicis faciunt diuitias, non cum iudicio, & de eccleſia rapere feſtinant, & contentionibus ac iurgijs delectantur, & quoſcunque deceperint, trahunt ad interitum volutantur in cœno libidinum et ſordibus ſempiternis) Iſtæ mulieres leuant pondus impietatis grauiſsimum, & ædificant in confuſione domũ ſuam: & ſeruiunt regi Babylonio: vt ibi habitēt hæreticorum populi & Iudæorum, vbi morantur idolatræ, ligno & lapidibus ſeruientes. *Tom.5 lib.1.Com.in cap.5.Zachariæ.*

*Hæretici & Iudæi habitant in Babylone extra Hieruſalem, id eſt eccleſiam.*

*1.Tim.4.*

*Locus hic Pauli cum de ipſiſmet hæreticis intelligatur peßimè torquetur in Catholicos.*

PETITE à domino pluuiam.] Omnia ſimulachra, & diuini & ſomniatores fruſtra locuti sũt, & vanè conſolabātur. Quę de hęreticis loquitur, qui ſub nomine Chriſtiano nõ intelligunt, nec de quibus dicant, nec de quibus affirment, & attendunt ſpiritibus erroneis, & magiſtris dæmoniorum in hypocriſi mendacia loquentium, & cauteriatam habentes conſcientiam: vt nequaquam credentes eorum conſolationibus abducātur, quia vana promittunt, & propterea traditi ſunt Sathanę in interitũ carnis, & abducti in captiuitatem regis Babylonij, & affligentur: quia Chriſtum paſtorem non habent, quem ſibi falſo nomine repromittunt. *Tom. 5.lib.2. Commenta.in cap.10.Zachariæ.*

*Epheſ.2.*

*Hæretici rectam ſemitā relinquunt.*

HIC lapis angularis & cæteros lapides angulares ſuperædificarit ſibi voluit, vt Apoſtolus Paulus poſſet liberè dicere: ædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu. Hos lapides non imitantur hæretici, qui omnia gloriæ & lucri cauſa faciunt, & orāt in angulis platearũ, rectam ſemitam relinquentes. Omnis enim angulus rectā liniam frangit, & iccirco meretrix in prouerbijs, vtcũq; eam accipere voluerimus, cuius non quieſcunt pedes domi: ſed aut foris vagatur, aut in omnibus inſidiatur angulis plateaũ, cum viderit iuuenem inſipientem (non inuitat enim quam ſenſerit eſſe prudētem & maturum ſenectute, de qua ſcriptum eſt: Cani hominis ſapientia eius: ſtatim apprehendit, & oſculatur atque blanditur, & ducit ad lupanar, & inuitat ad coitum. *Tom.5.libro.3.Commentariorum in caput 14. Zachariæ.*

*Prou.7.*

*Hæretici meretricibus pulchrè comparantur.*

*Sap.4.*

SI ergo dixerint vobis: ecce in deſerto eſt.] Si quis promiſerit vobis quod in deſerto gētilium, & philoſophorum dogmate Chriſtus moretur: aut in hæreticorum penetralibus, qui Dei pollicentur arcana, nolite exire, nolite credere: ſiue (quia perſecutionis & anguſtiarũ tempore ſemper pſeudoprophetæ decipiendi inueniunt locũ) ſi quis ſub nomine Chriſti ſe iactare voluerit, non ſtatim accommodetis fidem. *Tom. 6.lib. 4. Commenta.in cap 24. Matthæi.Cano.53.*

*Hæretici philoſophi & gētiles ſi ſub nomine Chriſti ſe iactant, non ijs credēdum.*

SICVT enim fulgur exit ab Oriente, &c.] Nolite exire, nolite credere, quod fili⁹ hominus vel in deſerto gentium ſit, vel in penetralibus hęreticorum: ſed quod ab Oriente vſq; in Occidentem fides eius in catholicis Eccleſijs fulgeat. Hoc quoque dicendum, quod ſecundus Saluatoris aduentus non in humilitate vt prius, ſed in gloria demonſtrandus ſit. Stultum eſt itaq; eum in paruo loco, vel abſcondito quærere, qui totius mundi lumen ſit. *Ibidem.*

*Catholica fides in Catholicis eccleſijs per omnes mundi partes fulget, ſed nõ inuenitur vera religio in penetralibus hæreticorũ.*

TVNC duo erunt in agro: vnus aſſumetur, & vnus relinquetur.] In duobus qui in agro commorantur, & in duabus quæ pariter molunt: vel ſynagogam intellige, vel Eccleſiam: quod ſimul molere videantur in lege, & de eiſdem ſcripturis farinam terere præceptorũ Dei: vel cæteras hæreſes, quæ de vtroque teſtamento, aut de altero videntur molere farinam doctrinarum ſuarum, & cum vnum nominis Chriſtiani propoſitum habeant, non eandem mercedem recipient, alijs aſſumptis & alijs derelictis. *Tom.6.lib.4. Commen. in cap.24.Matthæi. Cano.54.*

*Hæretici Iudæi & Catholici diuerſimodè moliūt & terunt farinam ſcripturæ.*

*Hæretici nõ habent Dei euangelium.*

NOTVM enim vobis facio fratres euangelium.] Marcion & Baſilides, & cæterę hæreticorũ peſtes, non habent Dei euangelium: quia nõ habent ſpiritum ſanctum, ſine quo humanũ fit euāgelium quod docetur. *Tom.6.lib.1. Commen. in cap. 1.ad Galatas.*

*Sine ſpiritu ſancto hæreticorum euāgelium fit humanum.*

ET ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos: &cæt.]



*Hæretici ſecundum falſam fidem falſa omnia poßident.*

&cæt.] Et de hæreſibus quidem nulla dubitatio eſt, quin ſecundum falſam fidem, falſa vniuerſa poſsideant. *Tom.6.lib.2. Com.in cap.4.ad Epheſios.*

MVLIERES viris ſuis, &c.] Quo modo Chriſto ſubiecta eſt Eccleſia: ſic ſubiecta ſit vxor viro ſuo: Quem enim habet principatum & ſubiectionem Chriſtus & eccleſia: huic eidem ordini maritus & vxor aſtringitur. Sed videndum, vt quomodo in Chriſto & in eccleſia ſancta coniũctio eſt: ita & in viro & in muliere ſancta ſit copula. Sicut autem non omnis congregatio hæreticorum Chriſti eccleſia dici poteſt: nec caput eorum Chriſtus eſt: ſic non omne matrimoniũ, quod non viro ſuo ſecundum Chriſti præcepta coniungitur, ritè coniugiũ appellari poteſt: ſed magis adulterium: *T.6.lib. 3. C.in cap.5.ad Epheſios.*

*Hæreticorũ caput non eſt Chriſtus nec hæreticorum congregatio Chriſti eccleſia.*

FILII Ephraim intendentes, &c.] O quanta myſteria, ô quanti flores. Non dico dies, ſed & totus menſis ad intelligentiam iſtius Pſalmi nõ poteſt ſufficere. In ſingulis verbis ſenſus ſunt. Habemus & theſaurũ in vaſis iſtis fictilibus. Multi hoc interpretātur de corpore, & de ſpiritu ſancto, hoc eſt, habemus theſaurum in vaſis fictilibus. Eſt quidem & iſta intelligentia: ſed iſta multo melior eſt: quoniam habemus theſaurum pretioſiſsimum in vaſis fictilibus, hoc eſt, in verbis ruſticis ſcripturarum. Filij Ephraim intendentes, & mittentes arcum, conuerſi ſunt in die belli, & cætera. Legimus in Regum libris: quoniam ſub Roboam filio Salomonis, Ieroboam filius Nabath ſcidit populum à reliquo populo, & decem tribus duxit in Samariam. Iudæ verò tribus, & Beniamin remanſerunt ſub imperio Roboã, & multi de tribu Leui, qui habitabant in Iſrael, ſacerdotes & leuitæ (ſicut ſcriptum eſt in Paralippomenon) reuerſi ſunt ad templum Dei, hoc eſt in Hieruſalem. Tres ergo tribus fuerunt: hoc eſt, Iuda, Iuda ipſa regalis tribus, & Beniamin, & poſtea leuitæ, qui venerant de diuerſis tribubus ad templum. Qui erant ergo in Samaria, de tribu Ephraim habebant regem. Quomodo enim qui regnabant in Iudæa, habebant regem de tribu Iuda, & genere Dauid: ſic qui regnabant in Samaria, habebant regē de tribu Ephraim: & reges ipſorum vocabātur Ephraim. Legamus Oſee prophetam, & omnē prophetiam eius contra Ephraim reperimus et dicitur ibi: Ephraim, inquit, factus eſt quaſi columba inſipiēs. Vide quid dicat. Colũba enim inſipiēs relinquit templũ, & habitat in ſyluis. Colũba ſemper in domibus habitat. Ephraim verò columba mea reliquit templum: reliquit domum, & habitat in ſyluis: habitat in deſertis. Hoc interim ſecundum litteram, debemus enim & hiſtoriam ponere. Nunc verò poſt literam quaſi per quoſdam gradus debemus ad maiora conſcendere. Dicamus ergo, filios Ephraim, omnes eſſe hæreticos. Et iſti enim receſſerunt de domo Dei, & iſti dimiſerunt Dauid, & habitant in deſertis. Et dicuntur quidem columbæ: quia legunt ipſi ſcripturas, ſed inſipienter intelligunt. Multi ſunt qui dicuntur filij Ephraim, intendentes & mittentes arcum. Vide omnes hæreticos, qui dereliquerunt Hieruſalem, qui dereliquerunt templum Dei, qui habitant in Samaria. Vbi fecerunt vitulos aureos? In Bethel & in Dan. Et vide quid dicat: Fecerunt vitulos aureos in Bethel, in domo Dei, idololatræ facti ſunt. Et fecerunt illud in Dan, hoc eſt, in iudicium ſuũ, & in condemnationem. Dereliquerunt domum Domini, & nihil aliud niſi de auro cogitant. Dicat aliquis. Quare fecerũt vitulos aureos? Noſter theſaurus repoſitus eſt in vaſis fictilibus. Eccleſiaſtici enim ruſtici ſunt & ſimplices: oēs verò hæretici Ariſtotelici & Platonici ſunt. Denique vt ſciatis quoniam omnis eloquentia ſęcularis, aurum dicitur hoc eſt, quoniam lingua eorũ quaſi propter ſplendorem eloquij aurum dicitur: Calix aureus Babylon in manu Domini. Videte quid dicat: Babylon confuſio eſt. Ergo mundus iſte, calix aureus eſt. De hoc calice aureo omnibus gētibus propinatur. Filij Ephraim intendentes & mittentes arcum. Quamcunque videris ſcripturam hæreticorum, omnes ſuperſtitiones habent. Reuerſi ſunt in die belli. Neſciunt enim qui dixit: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: ſed ad verba ſunt præparati. Habent verba, ſed audient illud quod ſcriptum eſt: Diſsipa gentes quæ bella volunt. *To 7.C.in Pſal.77.Fol.92.*

*1.Reg.12.*

*Diuiſio populi Iſraelitici ad ſectarum ſciſsionem accommodata & comparata.*

*2.Para.11.*

*Oſee.7.*

*Hæretici dimiſerunt eccleſiam & habitant in deſertis.*

*Hæretici inſipienter intelligunt ſcripturas.*

*Hæretici ſimiles ijs qui habitarunt in Samaria.*

*Eccleſiaſtici ſimplices, hæretici Platonici & Ariſtotelici.*

*Hier.51.*

*Ioan.14.*

*Pſal.67.*

ET vſque, & cætera] Manifeſtus eſt ſenſus quod de Apoſtolis loquitur & de ſanctis, vt imbrem ſuum non pluant ſuper Iudæos, ſed ſuper gentes, ſicut ſcriptum eſt: Mandabo nubibus meis, ne pluant ſuper Iſrael imbrem. In iſtis ergo nubibus, veritas Dei eſt. Si autem in iſtis nubibus veritas Dei eſt, quo modo Montanus dicit, & Cathaphrygæ dicunt: Quod non eſt reuelatum Apoſtolis, nobis reuelatũ eſt. *Tom.7.Co.in Pſa.107.*

*In nubibus apoſtolis & prophetis veritas Dei eſt.*

*Eſaiæ 5.*

*Fruſtra iactant hæretici ſibi primum poſt tot ſecula pateſactā veritatem.*

AB incurſu & dæmonio meridiano] Quãdo hęretici quaſi myſteria aliqua promittũt, quando regna cælorum, quando cõtinentiam, quando ieiunia, quando ſanctitatem, quando renuntiationem ſeculi, promittunt meridiē. Sed quoniam nõ eſt Chriſti lumen, non eſt meridies, ſed dæmonium meridianum. *Tom.7.Com.in Pſal.90.*

*Hæreticorũ myſteria non Dei lumen ſed dæmonium meridianum.*

ET oratio eius fiat in peccatum.] Vides hæreticum orantem, vides Iudæum, vides Manichæum: licet ieiunēt, licet orent, tamē oratio ipſorum vertitur in peccatum. *Tom.7.Co.in Pſa.108.*

*Omnia bona opera hæreticorum vertũtur in peccatum.*

ECCE nunc benedicite Domino, &c.] Non ſufficit ſolum ſeruos eſſe Domini, niſi & ipſi ſerui ſtent. Alij enim ſunt qui ſtant: alij qui cadũt: alij qui ſedent; alij qui iacent. Ergo qui cadunt, qui ſedent, qui iacent, illi non poſſunt laudare Dominum. Vos laudate qui ſtatis. Sed dicat aliquis: Stant & alij. Multæ ſunt Eccleſiæ: multæ ſunt cõgregationes. Qui ergo ſtant? Ariani ſtant? Nominant Chriſtum & Eunomiani, & cæteræ hereſes: ergo ſtant? Ne videretur ergo illis dare licentiã laudandi Dominum, videte quid dicat.

*Arrianis Eunomianis nõ datur licentia laudandi Dominum.*

QVI ſtatis in domo Domini.] Vt ſecundum quod ait Apoſtolus: donec, inquit, venio, & ſcias quomodo diſponas domum Dei, quæ eſt eccleſia. Eccleſia non parietibus cõſiſtit, ſed in dogmatum veritate. Eccleſia ibi eſt? vbi fides vera eſt. Cęterum ante annos quindecim, aut viginti, parietes oēs hic eccleſiarũ, hæretici poſsidebant. Ante viginti enim annos, oēs eccleſias has hæretici poſsidebant. Eccleſia autē vera illic erat, vbi vera fides erat. Ergo vos benedicite Domino, q eſtis ſerui Domini. Non eſt pulchra laudatio in ore peccatoris. Ergo vos laudate, qui eſtis ſerui Domini: & qui eſtis ſerui, & ſtatis. Qui ſtatis? Statuit, ſupra petram pedes meos. Et ad Moyſen: Tu verò hic ſta mecum. Deus ſtetit in ſynagoga Deorum. Et qui ſtatis non vbicunque, ſed in domo Dei, in atrijs domus Dei noſtri. In hebraicis

*1.Tim.3.*

*Eccleſia non parietibus cõſtat, ſed dogmatum veritate & ibi eccleſia eſt vbi fides vera eſt.*

*Eccle.15.*

*Exod.33.*

*Ibid.34.*

*Pſal.39.et 81.*

*Qui non ſtãt in domo Dei.*

*vt hæretici verè nō poſſunt laudare Dominum.*

icis voluminibus non habetur, ſed in ſequenti Pſalm. eſt. Quomodo enim ſequitur in ipſo Pſal. Laudate nomen Domini, laudate ſerui Dominū. Qui ſtatis in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri. *Tom.7.Com.in Pſal.133.*

*Hæretici nō habent verā eccleſiam ſed ſimilitudinē eccleſiæ.]*

CIRCVMORNATAE, vt ſimilitudo tēpli,] Pulchrè dixit, ſimilitudo templi. Nō habent veram eccleſiam, ſed ſimilitudinem eccleſiæ. *To.7. Com.in Pſal.143.*

## *Art. II. Eccleſiā rectè definire etiā ἄγραφα, nec non ſcripturæ canonem ipſum & verſionem ſiue tranſlationem ſacræ ſcripturæ conſtituere, atque etiam de ipſis ſcripturis teſtimonium præbere.*

*Vſiæ vocabulum quod in ſcripturis nō exſtat recipit tamen eccleſia.*
*Arriani nihil recipiebant quod in ſcripturis nō inueniebatur.*
*Ritus antiquus, ordo, & cerimoniæ celebrādi Concilia.*

DE vſiæ nomine abijciendo, veriſimilis ratio præbebatur. Quia in ſcripturis aiebant, non inuenitur, & multos ſimpliciores nouitate ſua ſcandalizat; placuit auferri. nō erat curæ epiſcopis de vocabulo, cum ſenſus eſſet in tuto. Denique ipſo in tempore cum fraudem fuiſſe in expoſitione rumor populi ventilaret, Valens Murſienſis epiſcopus, qui eam conſcripſerat præſente Tauro, prætorij præfecto, qui ex iuſſu regis ſynodo aderat, profeſſus eſt ſe Arianum non eſſe, & penitus ab eorum blaſphemijs abhorrere. Res ſecretè geſta opinionem vulgi non extinxerat: itaque alia die in Eccleſia, quæ eſt apud Ariminum, & epiſcoporum ſimul & laicorum turbis concurrentibus, Muronius, epiſcopus prouinciæ Byzantinæ, cui propter ætatem primæ ab omnibus deferebantur, ita locutus eſt: Ea quæ ſunt iactata per publicum, & ad nos vſque perlata, aliquem è nobis ſanctitati veſtræ legere præcipimus: vt quæ ſunt mala, & ab auribus & à corde noſtro abhorrere debent, omnium vna voce dānentur. Reſponſum eſt ab vniuerſis epiſcopis, placet. itaque cum Chaudius, epiſcopus prouinciæ Piceni, ex præcepto omnium blaſphemias, quæ Valentis ferebantur, legere cœpiſſet. Valens ſuas eſſe negans exclamauit, & dixit: Si quis negat Chriſtum Deum, Dei filium, ante ſæcula ex patre genitum, anathema ſit. Ab vniuerſis conſonatum eſt, anathema ſit. Si quis negat filium ſimilem patri ſecundum ſcripturas, anathema ſit. Omnes reſponderunt, anathema ſit. Si quis filiū Dei non dixerit æternum cum patre, anathema ſit. Ab vniuerſis conclamatum eſt, anathema ſit. Si quis dixerit creaturam filium Dei, vt ſunt cæteræ creaturæ, anathema ſit. Similiter dictum eſt anathema ſit. Si quis dixerit, de nullis extantibus filium, & non de Deo patre, anathema ſit. Omnes conclamauerunt, anathema ſit. Si quis dixerit, erat tempus, quando non erat filius, anathema ſit. In hoc verò cuncti epiſcopi, & tota ſimul eccleſia plauſu quodam & tripudio Valentis vocem exceperunt. Quod ſi quis à nobis fictum putat, ſcrinia publica ſcrutetur. plenę sūt certè eccleſiarum arcæ, & recens adhuc rei memoria eſt. ſuperſunt homines, qui illi ſynodo interfuerunt. *Tomo ſecundo in Dial. contra Luc. cap.7.*

*Notentur fraudes & doli Arrianorum in Concilio Ariminenſi, eorū denique hypochryſes.*
*Antiquitas ſanciendi Canones ſub pæna anathematis.*
*Acta Conciliorum in ſcrinijs publicis recondebantur.*

*Euangelium Pauli aliorū Apoſtolorū fuit ſentētia roboratum.*

RVRSVM in conſequentibus. Poſt annos quatuordecim aſcendi iterum Hieroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito. aſcendi autem ſecundum reuelationem, & expoſui cum eis euangelium, quod prædico in gentibus: oſtendens ſe nō habuiſſe ſecuritatem prædicandi euangelij, niſi Petri, & cæterorum Apoſtolorum, qui cum eo erant, fuiſſet ſententia roboratum. *To.2. Epiſt.89. ad Auguſt. cap.2. Fol.316.*

*Actuum.9.*

QVID loquar de ſæculi hominibus.] cum Apoſtolus Paulus, vas electionis, & magiſter gentium, qui de conſcientia tanti in ſe hoſpitis loquebatur? An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus? poſt Damaſcum Arabiamque luſtratam, aſcenderit Hieroſolymam, vt videret Petrum, & manſerit apud eum diebus quindecim. Hoc enim myſterio hebdomadis & ogdoadis, futurus gentium prædicator, inſtruendus erat. Rurſumque poſt annos quatuordecim, aſſumpto Barnaba & Tito, expoſuerit Apoſtolis Euangelium: ne fortè in vacuum curreret, aut cucurriſſet. Habet enim neſcio quid latentis energiæ viua vox, & in aures diſcipuli de auctoris ore transfuſa fortius ſonat. *Tomo tertio Epiſtola. 103. cap.2.*

*1.Tim.2. 2.Cor.13. Galat.2.*
*Paulus in vacuum cucurriſſet niſi cū alijs apoſtolis cōtuliſſet.*
*Laus viuæ vocis.*

VICTIMAM & pro peccato & pro delicto, &c.] Et conſiderandum quod omnia, quæ nunc per prophetam Dominus loquitur, per Moyſen ante iam dixerit. Quærendumque cur eadē quæ dicta ſunt repetat: Vt videlicet quæ in mentibus hominum ſunt vel legendi negligentia, vel audiendi contemptu & obliuione deleta, viua voce innouentur: quæ non ſit ſcripta calamo & atramento, ſed ſpiritu & verbo Dei. Vnde & ſaluator nullum volumen doctrinæ ſuæ, proprium dereliquit (quod in pleriſque apocryphorum delyramenta confingunt) ſed patris & ſuo ſpiritu quotidie loquitur in corde credentium. Et hæc erit reſponſio aduerſum eos, qui calumniantur prophetas, cur quæ in pentateucho continentur, in ſuis voluminibus replicent. *Tom.4. lib.13. Com. in c. 44. Ezech.*

*Leuit. 7. 21.*
*Viua vox Traditionis ſcripturæ præfertur.*
*Chriſtus nihil ſcripſit.*
*Ratio cur prophetæ ea quæ in Pentateucho cōtinentur in ſuis voluminibus replicent.*

DONEC collega ingreſſus eſt in cōſpecto meo Daniel] Exceptis 70. tranſlatoribus, q. hæc oīa neſcio qua ratione præterierunt, tres reliqui, collegā interpretati ſunt. Vnde iudicio magiſtrorum Eccleſiæ, editio eorum in hoc volumine repudiata eſt, & Theodotionis vulgo legitur: quæ & Hebræo, & cæteris tranſlatoribus congruit. Vnde & Origenes in nono Stromatum volumine aſſerit ſe, quæ ſequuntur ab hoc loco in Propheta Daniele, non iuxta LXX. interpretes, qui multum ab Hebraica veritate diſcordant, ſed iuxta Theodotionis editionem diſſerere. *Tom. 4. lib. 1. Commenta. in cap.4. Danielis.*

*Iudicio magiſtrorum eccleſiæ editio 70. Interpretum in Daniele repudiata eſt. indicat igitur eccleſia de trāſlatione & editione ſcripturæ ſacræ.*

*Luc.1.*
*Eccleſia diſcernit inter libros Canonicos & apocryphos.*

PLVRES fuiſſe qui Euangelia ſcripſerunt, & Lucas Euangeliſta, teſtatur, dicens: Quoniam quidē multi conati ſunt ordinare narrationem rerum, quæ in nobis completæ ſunt, ſicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt ſermonem, & miniſtrauerunt ei: & perſeuerantia vſq; in præſens tempus monimenta declarant, quæ à diuerſis authoribus edita, diuerſarum hæreſeon fuere principia: vt eſt illud iuxta Aegyptios, & Thomam, & Mathiam, & Bartholomæum, duodecimque Apoſtolorum, & Baſilidis atque Apellis, ac reliquorum, quos enumerare longiſſimū eſt: cum tantum in præſentiarum hoc neceſſe ſit dicere, extitiſſe quoſdam, qui ſine ſpiritu & gratia Dei conati ſunt] magis ordinare narrationē, quàm hiſtoriæ texere veritatem. Quibus iure poteſt illud propheticum coaptari: Væ qui prophetant de corde ſuo: qui ambulant poſt ſpiritum

*Ezech.13.*



*Ioan.10. Hier.23. Matt.16. Cant. 1. et 5. 6. Gen.2. Exod.25.*

ſuum: qui dicunt, dicit Dominus: & Dominus non miſit eos. De quibus & Saluator in Euāgelio Ioannis loquitur: Omnes qui ante me venerunt, fures & latrones fuerunt. Qui venerunt, non qui miſſi ſunt. Ipſe enim ait: Veniebant, & ego non mittebam eos. In venientibus enim preſumptio temeritatis: in miſsis obſequium ſeruitutis eſt. Eccleſia autem, quæ ſupra petram, Domini voce fundata eſt, quam introduxit rex in cubiculum ſuum: & ad quam per foramen deſcenſionis occultæ miſit manum ſuam, ſimilis damulæ, hinnuloque ceruorum, quatuor flumina paradiſi inſtar eructans, quatuor angulos & anulos habet, per quos quaſi arca teſtamenti & cuſtos legis Domini, lignis immobilibus vehitur. Primus omnium Matthæus eſt publicanus, cognomento Leui, qui Euangelium in Iudęa Hebręo ſermone edidit, ob eorum vel maximè cauſam, qui in Ieſum crediderant ex Iudæis, & nequaquam legis vmbram, ſuccedente Euangelij veritate, ſeruabant. Secundus Marcus, interpres Apoſtoli Petri, & Alexandrinæ Eccleſiæ primus Epiſcopus: qui Dominum quidem ſaluatorem ipſe non vidit, ſed ea quæ magiſtrum audierat prædicantem, iuxta fidem magis geſtorum narrauit quàm ordinem. Tertius Lucas Medicus, natione Syrus Antiochenſis, cuius laus in Euangelio, qui & ipſe diſcipulus Pauli Apoſtoli, in Achaiæ Bæotiæq; partibus volumen condidit, quędam altius repetens: & vt ipſe in procœmio confitetur, audita magis quàm viſa deſcribens. Vltimus Ioannes Apoſtolus & Euangeliſta, quem Ieſus amauit plurimum: qui ſupra pectus Domini recumbens, puriſsima doctrinarum fluenta potauit, & qui ſolus de cruce meruit audire: Ecce mater tua. Is cum eſſet in Aſia, & iam tunc hæreticorum ſemina pullularent Cerinti, Ebionis, & cæterorum: qui negant Chriſtum in carne veniſſe: quos & ipſe in Epiſtola ſua antichriſtos vocat, & Apoſtolus Paulus frequenter percutit, coactus eſt ab omnibus penè tunc Aſiæ epiſcopis, & multorum eccleſiarum legationibus de diuinitate ſaluatoris altius ſcribere: & ad ipſum (vt ita dicam) Dei verbum non tam audaci, quàm felici temeritate prorumpere. *Tom.6. Procemio Com. ſuper Matt. ad Euſebium.*

*Eccleſiæ authoritatē tātum ſunt quatuor euāgelia recepta & apocrypha euangelia reiecta.*
*2.Cor.8. Ioan.21.*
*1.Ioan.2. Rom.3.*

*Paulus Hieroſolymam iccirco perrexit vt cum alijs apoſtolis conferret euangelium ne in vanū curreret.*

PAVLVS Apoſtolus, non ab hominibus. &c.] Quod ſi temerarium quibuſdam videtur eum contra Apoſtolos quamuis occultè locutum, qui Hieroſolymam iccirco porrexerit, vt cum eis cōferret Euangelium, ne fortè in vacuum curreret, aut cucurriſſet, illò intelligentiam transferam⁹: Vſque hodie à patriarchis Iudæorum Apoſtolos mitti, à quibus etiam tunc reor Galatas deprauatos legem obſeruare cœpiſſe: vel certè alios de Iudæis credentibus in Chriſtum perrexiſſe Galatiam, qui aſſererent Petrum quoque Apoſtolorum principem & Iacobum fratrem Domini, legis cæremonias cuſtodire. *Tom.6. lib.1. Com. in ca.1. ad Galatas.*

*Quando euāgelium accipimus tradēte & approbante eccleſia, accipim⁹ quaſi ab ipſo Deo.*
*2.Cor.3. Infr.2.*

NOTVM enim vobis facio fratres euan. &c.] Quæritur, vtrum totius orbis Eccleſiæ Dei acceperint Euangelium, an hominis? Quotus. n. quiſque noſtrum per reuelationem Chriſti didicit? & non homine prædicante cognouit? Ad quod reſpondebimus: Eos qui poſsint dicere, an experimentum eius quæritis, qui in me loquitur Chriſtus. Et viuo autem iam non ego, viuit autem in me Chriſtus: non tam ipſos docere, quàm in ipſis Deum, qui ad ſanctos loquatur: Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes. & ſtatim de peccatoribus: Vos autem vt homines moriemini, & tanquam vnus de principibus cadetis. Cum igitur Paulus loquitur & Petrus, qui non moriuntur vt homines, neque vt vnus de principibus corruunt: Deos eos eſſe manifeſtum eſt. Qui autem dij ſunt, tradunt dei euangelium, & non hominis. *Tom 6. lib.1. Commentar. in cap.1. ad Galatas. Canone.122.*

*Pſal.81.*
*Apoſtoli & eccleſiæ proceres dii ſunt nō homines.*

CONTINVO nō acquieui carni & ſanguini.] Non contuli cum carne & ſanguine. Scio pleroſque de Apoſtolis hoc dictum arbitrari, nam & Phorphyrius obijcit, quod poſt reuelationem Chriſti, non fuerit dignatus ire ad homines, & cum eis conferre ſermonem: ne poſt doctrinam videlicet Dei à carne & ſāguine inſtrueretur. Sed abſit vt ego Petrum, Ioannem & Iacobum, carnem & ſanguinem putem, quę regnum Dei poſſidere non poſſunt. Si ſpirituales Apoſtoli, caro & ſanguis ſunt, quid de χοϊκοῖς arbitramur? Non contulit Paulus planè poſt reuelationē Chriſti cum carne & ſanguine: quia noluit margaritas proijcere ante porcos: nec dare ſanctum canibus. Vide quid de peccatoribus ſcriptum ſit: Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, quia carnes ſunt. Cum talibus qui caro & ſanguis erant, quæ Petro quoque non reuelauerūt filium Dei, non cōtulit Apoſtolus Euangelium, quod ei fuerat reuelatum: ſed paulatim eos de carne & ſanguine vertit in ſpiritum, & tunc demum eis occulta Euangelij ſacramenta commiſit. Dicat quiſpiam: Si ſtatim non contulit cum carne & ſanguine Euāgeliū: tamen ſubintelligitur quod poſtmodum cum ſanguine & carne contulerit, & ſenſus hic, quo Apoſtoli excuſantur, ne caro & ſanguis ſint, ſtare non poterit: dum nihilominus qui in principio cum carne & ſanguine non contulit, poſtmodum, vt dixi, cum ſanguine & carne contulerit. Quæ præpoſitio nos coartat vt ſic diſtinguamus, ne ſtatim ſiue continuò, cū carne iungamus & ſanguine: ſed cum ſuperioribus hærere faciamus, & legatur: Cum autem placuit ei qui me ſegregauit de vtero matris meæ: Ac deinde: Vt reuelaret filium ſuum in me: Et ad extremum: Vt euangelizarem illum in gentibus cōtinuò, vt à proprio incipiat exordio: Non contuli cum carne & ſanguine, magiſque arbitrandum eſt ſic ſtare ſenſum: quia qui ſtatim miſſus ſit poſt reuelationem Chriſti, Euangelium gentibus annunciare non ſteterit: nec moris quibuſdam tempus produxerit eundo ad Apoſtolos, & reuelationem Domini cum hominibus conferēdo: ſed abierit in Arabiam, & rurſus reuerſus Damaſcum, poſt tres annos Euangelium prędicauerit: & tunc demum Hieroſolymam veniens, Petrum, Ioannem, & Iacobum viderit. *Tom.6. lib. 1. Com. in cap.1. ad Galat. Fol.123.*

*Porphyrij obiectio, retunditur.*
*1.Cor.15.*
*χοϊκοῖς*
*Gen.6. Sec.70.*
*Matt.16.*
*Apoſtoli de carne & ſanguine ſunt verſi in ſpiritum.*
*Reuelationē Domini Paulus cum hominibus contulit.*

ERAM autem ignotus facie eccleſijs Iudææ.] Totum quod ait, illud eſt: vt doceat ſe nunquā de perſecutore apud eos ipſos, quos prius perſecutus fuerat, potuiſſe exiſtere glorioſum: niſi prædicatio eius, eorum quoque qui ante eum male nouerant, eſſet iudicio comprobata. *Tom. ſexto libr. 1. Commentariorum in caput primum ad Galatas. in fine.*

*Non poi niſſet Paulus eſſe glorioſus niſi eius prædicatio apoſtolorum fuiſſet iudicio comprobata.*

DEINDE poſt annos quatuordecim, &cæt.] & contuli cum eis euangelium quod prædico in gentibus &c.] Id quod ſupra Latinus interpres, acquieui dixerat in eo loco vbi ſcriptum eſt: Cótinuò non acquieui carni & ſanguini: in præſenti loco, contuli, magis quam acquieui, interpretatus eſt. Et vt verius dicã, ſermo Græcus ἀνεθέμην, aliud quiddam quam apud nos intelligitur: cũ ſcilicet ea quæ nouimus, conferimus cum amico, & quaſi in ſinum eius & conſcientiam reponimus: vt pari conſilio vel probanda ſint, vel improbãda quæ nouimus. Aſcendit igitur poſt quatuordecim annos Hieroſolymam: & qui prius tantum ad videndum perrexerat Petrum, & diebus quindecim manſerat apud eum: nunc ſe dicit ideo perrexiſſe, vt conferret cum Apoſtolis euangelium, aſſumpto Barnaba circunciſo, & Tito ex gentibus habente præputium: vt ſub ore duorum & trium teſtium, ſtaret omne verbum. Aliud eſt autem conferre, aliud diſcere. Inter cóferentes æqualitas eſt, inter docentem & diſcentem, minor eſt ille qui diſcit. In principio fidei in tranſitu Apoſtolos videt. Poſt annos (vt ipſe ait) decem & ſeptem, plenè cum eis loquitur, & ſe humiliat, & ne forte in vacuum aut curreret, aut cucurriſſet, inquirit. Duplicem ob cauſam, quo & humilitas oſtenderetur Pauli, qui doctor in toto orbe iam gentium, ad præceſſores Apoſtolos cucurriſſet, & Galatæ diſcerent non reprobaſſe euangeliũ eius, eos quoque qui in Iudęa eccleſijs præſidebant. Simul autem & illud docet, quod pro Chriſti fide & euangelij libertate, ad eos ipſos qui de eo plura cognouerant, quod legem infringeret. Moyſen deſtrueret, circunciſionem penitus auferret, auſus ſit ducere Titum hominem incircunciſum. Et inter tantam multitudinẽ Iudæorum & inimicos ſuos (qui quaſi ob zelum legis ſanguinem eius haurire cupiebant) nec ipſe, nec Titus aliquo ſint terrore ſuperati neceſsitati cedere. Quæ potuit habere veniam, vel pro loco, vel pro auctoritate maiorum, vel pro numero eccleſiarum, quæ de Iudæis in Chriſtǫ credebant: vel pro tempore, ne tantam ſimul inuidiã ſuſtinerent. Quidam poſt quatuordecim annos eum Hieroſolymam aſcendiſſe tunc dicunt, quãdo in actibus Apoſtolorum de quæſtionibus obſeruandæ, vel prætermittendæ legis inter credentes Antiochiæ orta diſſenſio eſt, & placuit ire Hieroſolymam, & ſententiam maiorum præſtolari, quando ipſe quoque Paulus & Barnabas miſsi ſunt, & hoc eſſe quod in codicibus legatur Latinis, quibus ad horam ceſsimus ſubiectioni, vt veritas euangelij pſeueraret apud vos. Quod ſcilicet propterea Paul. & Barnabas de re manifeſta, quaſi dubia ſe mitti paſsi ſunt Hieroſolymam, vt maiorum quoque iudicio euangelij gratia cõfirmata, credentibus probaretur, & nulli reſideret vltra dubitatio circunciſionis omiſſæ, cũ Apoſtolorum eſſet literis imperatum, iugum legis ab his qui in Chriſtum crediderant ex gentibus, auferendum. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 2. ad Gala.*

*Contulit cũ Apoſtolis euangelium ob ſecuritatẽ & firmitatẽ maiorem.*

*Duabus de cauſis contulit euangeliũ cũ alijs apoſtolis Paulus*

*Act. 15.*

*Maiorum iudicio euangelij gratia confirmata credentibus magis probatur.*

QVI nolunt inter epiſtolas Pauli eam recipere quæ ad Philemonem ſcribitur, aiũt non ſemper Apoſtolum, nec omnia, Chriſto in ſe loquente, dixiſſe: quia nec humana imbecillitas vnum tenorem ſancti ſpiritus ferre potuiſſet: nec huius corpuſculi neceſsitates ſub pręſẽtia Domini ſemper complerentur; velut diſponere prandium, cibum capere, eſurire, ſaturari, ingeſta digerere, exhauſta complere: taceo de cæteris, quæ exquiſitè & coactè replicant: vt affirment fuiſſe aliquod tẽpus, in quo Paulus dicere non auderet: Viuo iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Et illud: An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus? Quale, inquiunt, experimentum Chriſti eſt audire: Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens tecum affer. Et illud ad Galatas: Vtinam & excidantur qui vos conturbant. Et in hac ipſa epiſtola: Simul autem & præpara mihi hoſpitium? Hoc autem nõ ſolum Apoſtolis, ſed prophetis quoque ſimiliter accidiſſe. Vnde ſæpius, ſcriptum feratur: factum eſt verbum Domini ad Ezechiel, ſiue ad quemlibet alium prophetarum: quia poſt expletum vaticinium, rurſum in ſemet reuertens, homo communis fieret è propheta: & excepto Domino noſtro Ieſu Chriſto, in nullo ſanctum ſpiritum permanſiſſe. Quod ſignum & Iohannes Baptiſta acceperat: vt ſuper quem vidiſſet Spiritum ſanctum deſcendentem, & manentem in eo, ipſum eſſe cognoſceret. Ex quo oſtendit ſuper multas quidem deſcendere Spiritum ſanctum: ſed proprium hoc eſſe Saluatoris inſigne, quia permaneat in eo. His & cæteris iſtiuſmodi, volũt aut epiſtolam non eſſe Pauli, quæ ad Philemonẽ ſcribitur: aut etiã ſi Pauli ſit, nihil habere quod ædificare nos poſsit, & à pleriſque veteribus repudiatam: dum commendandi tantũ ſcribatur officio non docendi. At è contrario qui germanæ auctoritatis eam eſſe defendunt, dicunt nunq̃ in toto orbe à cunctis eccleſijs fuiſſe ſuſceptam niſi Pauli Apoſtoli crederetur, & hac lege ne ſecundam quidem ad Timotheum & ad Galatas vos debere ſuſcipere: de quibus & ipſi humanæ imbecillitatis exempla protulerit: Penulam quã reliqui Troade apud Carpum, veniens tecum affer: Et vtinam excidantur qui vos cõturbant. Inueniri plurima & ad Romanos & ad cæteras eccleſias: maximeque ad Corint. remiſsius & quotidiano pene ſermone dictata, in quibus Apoſtolus loquatur: Cęteris autem ego dico, non Dominus: Quas & ipſas, quia aliquid tale habeant. aut Pauli epiſtolas non putandas: aut ſi iſtæ recipiũtur, recipiendam eſſe & ad Philemonẽ, ex præiudicio ſimilium receptarum. *Tom. 6. in Proœmio, ad Philemonem. epiſt.*

*Gala. 2.*
*2. Cor. 13.*
*2. Tim. 4.*
*Gal. 5.*

*In nullo ſpiritum ſanctũ ſemper permanſiſſe excepto Chriſto Ioan. 1.*

*Ea eſt germanæ authoritatis epiſtola, quę à cunctis eccleſijs toto orbe ſuſcepta eſt.*

*1. Cor. 7.*

## *Art. XII. Eccleſiam non poſſe errare neq; ſuos in errorem inducere: ſeu Eccleſiam eſſe vberrimum fontem & paradiſum omnis doctrinæ ſanæ, omnis veritatis, ſcientiæ, virtutum, & continere locupletiſſimas diuitias cognitionis rerum cæleſtium.*

ILLA expetenda eſt ciuitas, non quæ occidit prophetas, & Chriſti ſanguinẽ fudit, ſed quã fluminis impetus lætificat: quæ in monte ſita, celari non poteſt: quam matrem ſanctorum Apoſtolus clamitat: In qua ſe municipatum cũ iuſtis lætatur habere. Neque verò hoc dicens metipſum, inconſtantiæ redarguo, damnoque quod facio: vt fruſtra videar, ad exemplũ Abraham, & meos, & patriam reliquiſſe: ſed nõ audeo Dei omnipotentiam anguſto fine concludere, & coartare paruo terræ loco, quem non capit cœlũ. *Tom. 1. Epiſt. 13. ad Paulinum cap. 1. in fine.*

*Luc. 11.*
*Pſal. 45.*
*Luc. 11.*
*Gal. 4.*
*Heb. 12.*
*Gen. 12.*
*Fluminis impetus id eſt ſpiritus ſanctus lætificat eccleſiam id eſt, ciuitatẽ Dei.*



*Eccleſia virgo Chriſti nõ eſt ſcortum Diaboli.*

LVCIFE.d. Quam longè alia, & vt nunc intelligo, errori magis, quàm ſpei proficientia, mihi antea afferebantur, verum gratias ago Chriſto Deo, qui in pectus meum veritatis lumen infudit, ne adhuc ore ſacrilego virginem eius ſcortũ Diaboli clamarem. *Tom. 2. in Dialogo contra Luciferianos cap. 8. in principio.*

*Quod Eccleſiæ diſplicet non eſt defendendũ.*

QVIS te hoc tempore arguit Arianum? quis tibi nũc Photini Manichæique crimen impingit olim iſta emendata ſunt, atque concuſſa. Non eras tam ſtultus, vt apertè defenderes hæreſim, quam ſciebas Eccleſiæ diſplicere. Noueras te, ſi hoc feciſſes, ſtatim loco mouendum, & ſolij tui delicias ſuſpirabas, ſic ſententiam temperaſti, vt nec ſimplicibus diſpliceres, nec tuos offenderes. *Tom. 2. Epiſt. 61. ad Pammachium cap. 2.*

NON ſolum de animarum ſtatu dubitas ſed de auctorum ſententijs putas, & tamẽ aliquid intereſt. De animabus autem apertè neſcis, & inſcitiam confiteris: de auctoribus ſic noſſe te dicis, vt putes potius, quàm præſumas. In ſolo Origene non ambigis: dicis quippe. Hoc ſentit Origenes. Interrogabo te, benè ſentit, an male? Neſcio inquis. Quid me igitur, miſsis tabellarijs, & creberrimis nuncijs, docere conaris, vt ſciam quod neſcias? Et ne fortè non credã imperitiæ tuæ, & arbitrer te callidè reticere quod noſti: iuras Deo teſte quod vſq; ad præſens certi & definiti aliquid de hac quæſtione nõ teneas: & Deo relinquas ſcire quid ſit in vero, & ſi cui ipſe reuelare dignabitur Per tãta ſæcula tibi nullus videtur dignus fuiſſe; cui de hac quæſtione Dominus reuelarit? nõ patriacha, non propheta, non Apoſt. nõ martyr? ne tibi quidem, quando in carceribus & exilijs morabaris, huiuſcemodi ſacramenta patuerunt? Dominus in Euangelio. Pater, inquit reuelaui nomẽ tuum hominibus. Qui patrem reuelauit, de animarum ſtatu tacuit. Et miraris, ſi contra te fratrum ſcandala concitentur, cum id neſcire te iures, quod Chriſti Eccleſiæ ſe noſſe fateantur. *To. 2. lib. 2. aduerſus Ruffinum. cap. 2.*

*In quæſtionibus dubijs non deciſis expectanda dei reuelatio*

*Ioan 17.*
*Quod Chriſti Eccleſiæ ſe noſſe fatẽtur, idem & nobis profitendum eſt.*

QVORVM ſi in iſto libro editionem dixi multum à veritate diſtare, & recto Eccleſiarum Chriſti iudicio reprobatam: non eſt meæ culpæ, qui dixi, ſed eorũ qui legunt. In prõpti ſunt quatuor editiones, Aquilæ, Symmachi, Septuaginta, & Theodotionis. Eccleſiæ iuxta Theodotionem legunt Danielem, eo quid peccaui, ſi Eccleſiarũ iudicium ſecutus ſum? *Ibid. cap. 9.*

*Rectum Eccleſiæ iudicium ſequendũ, vt quod illa approbat approbemus, quod illa repudiat repudiemus.*

ET vt ad Eccleſiam tranſeam, vbi norma eſt veritatis: multa & Geneſis, & prophetarum libri, ac Eccleſiaſtes nobis de huiuſcemodi quæſtionibus ſuggerunt. *Tom. 2. lib. 3. aduerſus Ruffinum ca. 8. in fine fere.*

*In eccleſia eſt norma veritatis.*

*Pſal 91.*
*Plantati in domo domini ſunt iuſti in Eccleſia conformati.*

PLANTATI in domo Domini, in atrijs Dei noſtri florebunt. Plantati in domo Domini, iuſti ſunt, in Eccleſia confirmati. Sed hi non in pręſentiarum, ſed in futuro in atrijs Domini florebunt, vbi eſt certa & ſecura poſſeſsio. *Tom. 2. lib. 2. in Dialogo aduerſus Pelagianos. cap. 7.*

*Hiere. 1.*
*Deus ſingulis temporib. eandem Eccleſiæ ſuæ largitur gratiam vt integrum corpus conſeruetur.*
*Ephes. 5.*

DOMINVS qui locutus eſt, ad prophetam: Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & regna radicare, & ſuffodere, & diſperdere, & rurſum ædificare & plantare, ſingulis temporib. eandem Eccleſiæ ſuæ largitur gratiam: vt integrũ corpus cõſeruetur, & in nullo hæreticorum dogmatũ venena præualeãt. Quod quidem nunc videmus expletum. nam Eccleſia Chriſti, quæ nõ habet maculam, neque rugam: aut aliquid iſtiuſmodi egredientes de cauernis ſuis, Origenis colubros Euangelico enſe truncauit, & ſecundũ Nitrię mõnachorum agmen, contagione peſtifera liberauit. *To. 2. Epiſt. 67. ad Epiphanium. Fol. 298.*

NOBIS autem nihil placet, niſi quod Eccleſiaſticum eſt, & publicè in Eccleſia dicere non timemus: ne iuxta Pythagoram, & Platonem, & diſcipulos eorum, qui ſub nomine Chriſtiano introducunt dogmata gentilium, dicamus animas lapſas de cœlo eſſe & pro diuerſitate meritorum, in his, vel in illis corporibus pœnas antiquorum luere peccatorum. Multoque melius eſt, ſimpliciter imperitiã confiteri, & inter cætera, quæ neſcimus, etiam huius loci obſcuritatem refugere, quam, dum volumus Dei probare iuſtitiam, Baſilidis & Manichæi hæreſim defendere, & Hiberas nænias Aegyptiaq; portenta ſectari. Dicamus igitur, vt poſſumus; & Apoſtolicę voluntatis ſequẽtes veſtigia, ne punctum quidem, vt dicitur, atq; vnguem tranſuerſum ab illius ſententijs recedamus. *Tom. 3. Epiſt. 150. ad Hedibiam quæſtione. 10.*

*Id ſolum nobis placere debet quod eſt Eccleſiaſticum.*

ET hoc quiſquam poteſt credere, Apoſtolum pro credentibus deprecari, vt in die iudicij integrum omnium corpus Chriſtus inueniat: cũ omnium corpora aut morte diſſoluta ſint, aut ſi, vt quidam volunt, reperta fuerint adhuc ſpirantia, habeant debilitates ſuas, & maximè martyrum, & eorum, qui pro Chriſti, nomine vel oculos effoſſos, vel amputatas nares, vel abſciſſas manus habeant? Ergo integrum corpus eſt, de quo diximus in alia quæſtione tenens caput, ex quo omne corpus connexum, atque compactum, accipit augmentum in adminiſtrationẽ corporis Chriſti, Hoc corpus Eccleſia eſt. Et quicunque huius corporis tenuerit caput, & cętera membra ſeruauerit, habebit, integrum corpus, quantum accipere poteſt humana natura. *Tom. 3. Epiſto. 150, ad Hedibiam. 12. quæſtione.*

*Qui vnitatẽ corporis Eccleſiæ ſeruat ſeruat & vnitatem capitis & aliorum membrorũ. Eph. 4.*

FRVSTRA inflatur & tumet ſenſu carnis ſuę carnaliter cuncta intelligens, & traditionum Iudaicarum deliramenta perquirens & non tenens caput omnium ſcripturarum illud de quo ſcriptum eſt: Caput viri Chriſtus eſt. Caput autem ac principium totius corporis, eorumq; qui credũt & omnis intelligentiæ ſpiritualis. Ex quo capite corpus Eccleſiæ per ſuas compages, atq; iuncturas, vitalem doctrinæ cæleſtis accipit ſuccum: vt omnia paulatim membra vegetentur, & per occultos venarum meatus, fundatur defæcatus ſanguis ciborum: & miniſtretur, atq; ſuccreſcat, immo teneatur temperantia corporis: vt de fonte capitis rigati artus, creſcant in perfectionem Dei, & impleatur Saluatoris oratio: Pater volo, vt ſicut ego, & tu vnum ſumus, ſic & iſti in nobis vnũ ſint: vt poſtquã nos Chriſtus tradiderit patri ſit Deus omnia in omnibus. Tale quid & in verbis, & in ſenſibus, & in genere locutionis obſcuriſsimè ſcribit ad Epheſios: Veritatem autem loquentes in caritate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus: ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam ſubmiſtrationis, ſecundum operationem in mẽſuram vniuſcuiuſq; membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in caritate. Super quo & in commentarijs eiuſdem Epiſtolæ pleni-

*1. Corin. 11.*
*Ephes. 4.*
*Ex capite Chriſto per iuncturas & compages corpus Eccleſiæ accipit vitalem doctrinæ cæleſtis ſuccum.*
*Ioan. 17.*
*1. Corint. 15.*
*Eph. 4.*

plenius diximus. *Tom. 3. Epiſt. 151. ad Algaſiam. quæſtione. 10.*

*Extra Eccleſiam non eſt quærendus Dominus. In domo Dei Iacob diſcimus omnes vias Domini & ſemitas. Matt. 5.*

ET dicet, venite aſcendamus. &c.] Domus Domini dicitur domus Dei Iacob, vt recipiamus vetus inſtrumentum: & non ſecundum Manichæum aliam extra domũ Dei Iacob quæramus Dominum. Cum autem fuerimus in Domo Dei Iacob: tunc docebit nos vias ſuas, per quas gradiamur ad eũ: & ambulabimus in ſemitis eius, quas triuerunt & alij. Denique & Ieſus aſcendens, in montem, docebat diſcipulos ſuos octo beatitudines: & cætera quę Euangelicus ſermone complectitur. Prius ergo diſcendæ ſunt viæ Domini: & poſtea ambulandum in ſemitis eius. *Tom 4. lib. 1. Com. in cap. 2, Eſaiæ. Fol. 7.*

*De Hieroſolomitana eccleſia quaſi de fonte omnes nationes doctrina dei irrigatæ.*

QVIA de Sion exibit lex, &c.] Sed & in Hieruſalem primum fundata Eccleſia, totius orbis Eccleſias ſeminauit. Et hoc dicendum, quod quicunq; in ſpecula & in viſione pacis fuerit: in hoc & lex & verbum. Domini conſtitutum ſit. Et pulchrè non dixit: in Sion & in Hieruſalem erit & manebit verbum & lex Domini, ſed egredietur: vt de illo fonte omnes nationes doctrina dei ſignificet irrigandas. *Ibidem.*

*Eccleſiæ varia ornamenta.*

*Gen. 24.*

*Eccleſia habet iudicium de ſingulis.*

*Pſal. 90. Ibid. 55. 2. Cori. 2. Luc. 8.*

*Ezech. 28. Luc. 15.*

*Pſal. 132.*

ET lunulas, & torques, & monilia. &c.] Deſcribit monilia feminarum, & per hæc inſignia ciuitatum: vel, iuxta Anagogen, variarum ornamenta virtutum. Habent mulieres in lunæ ſimilitudinem bullulas dependentes: quas nos ad Eccleſiæ ornamenta transferimus: quæ illuminatur ſole iuſtitiæ. Torques quoq; ad pectus vſque pendentes, intelligentiam ac principale mẽtis in corde demonſtrant Et monilia, quæ vno ſermone omnia ornamenta ſignificant: Et armillarum bona opera: quales Rebecca accepit in ſponſalibus. Et mitras, capitis ornamenta, & diſcriminalia, vt iudicium habeat ſingulorum: Et periſcelidas, quibus noſter greſſus ornatur: vt audiam⁹, Pes tuus non offendet. Et eruet pedes meos à lapſu. Et murenulas, quæ auri atque argenti texuntur virgulis, ſenſu videlicet & ſermonibus ſcripturarum: Et olfactoriola. Vt Chriſti bonus odor ſimus: & inaures, ne audiamus iudicium ſanguinis, ſed Domini verba dicentis: Qui habet aures audiendi, audiat: Et anulos, quibus ſignamur ad Domini militiam: quem Deus ſignauit pater Vnde dicitur ad principem Tyri: Tu es ſignaculum ſimilitudinis. Filius quoque prodigus cum ſtola recepit anulum, & calciamenta, & gemmas fronte pendentes, quibus noſtra ora decorantur. De cuius capitis ornamento & in Pſalmo legimus: Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron: *Tom. 4. lib. 2. Com. in cap. 3. Eſaiæ.*

*In Eccleſiæ pratis paſcimur. Pſal. 22.*

ET paſcentur agni iuxta ordinem ſuum &c.] Quando autem Dominus exaltatus fuerit in iudicio: & ſanctus in ſua ſanctificatus iuſtitia: vt mali agricolæ malè pereant, & exaltata cedrus ſecuri Domini ſuccidatur: Tunc qui fuerint de agnorum numero non hædorum, paſcentur in Eccleſiæ pratis, & dicent, Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit: & quæ à Iudæis deſerta ſunt, verſa in vbertatem comedet gentium populus. Hæc iuxta tropologiam. *Tom. 4. lib. 2. in 5, ca. Eſa.*

Ex dixit: Vade, & dices populo huic. &c.] De præſenti loco hoc dicendũ eſt, fruſtra nos ad LXX translationem confugere: ne blaſphemũ videatur eſſe quod iuxta Hebraicum dicitur: Auditu audite, & nolite intelligere: videte viſionem, & nolite cognoſcere: cũ huiuſmodi teſtimonia etiam in LXX. interpretibus reperiamus: vt eſt illud in Exodo, quod ad Pharaonem dicitur: Propterea ſuſcitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam. Si autem ipſe ſuſcitauit, & indurauit cor Pharonis ne crederet: & de alijs dicitur. Dedit eis Deus ſpiritum compunctionis: oculos vt non videant, & aures vt non audiant. Et in Pſalmis, fiat menſa eorum in laqueum, & in captionem, & in ſcandalum, & in retributionem: obſcurentur oculi eorum, ne videant & dorſa eorum ſemper incurua, non ſunt illi in culpa, qui non vident, ſed ille, qui dedit oculos ad non videndum. Ergo & abſq; hoc teſtimonio, quod nunc conamur exponere, manet eadem quæſtio in Eccleſijs: & aut cum cæteris & hæc indiſſolubilis erit. *Tom. 4. lib. 3. Comment. in ca. 6. Eſaiæ.*

*Exod. 9. Rom. 11. Pſal. 68.*

*Multæ manent in Eccleſia quæſtiones nõ deciſæ*

*Chriſtus per Apoſtolos & Apoſtolicos viros ſanitatem dogmatum credentib. reliquit.*

PARVVLVS enim natus eſt nobis, &c.] Magni conſilij angelum: & adducam pacem ſuper principes, & ſanitatem eius. Quod hunc mihi ſenſum habere videtur: Magni conſilij angelus eſt, qui nunciauit nobis abijciendum pro tempore Iſrael, & gentes eſſe ſaluandas: deditq; pacẽ principibus ſuis Apoſtolis & Apoſtolicis viris: & ſanitatem dogmatum ſuorum credentibus dereliquit. *Tom. 4. lib. 3. Comment. in cap. 8. Eſaiæ.*

*Eos qui habẽtant in Eccleſia venenata animalia nõ poſſunt occidere.*

*Repleta eſt Eccleſia ſciẽtia Dominĩ ſicut aquæ maris operientis.*

*Acto. 10.*

*Quod arca in diluuio hoc Eccleſia præſtat in mundo.*

HABITABIT lupus, &c.] Nocere autem & occidere nequaquã poterunt venenata prius animalia eos, qui habitauerint in mõte ſancto Dei: quod interpretatur Eccleſia: de quo in Euangelio dicitur: Nõ poteſt ciuitas abſcondi ſuper mõtem poſita. Ac ne hoc putemus dicit de monte Sion, iuxta Hebræorũ errorem, ſequenti verſiculo euangelicæ prędicationis ſacramenta mõſtrantur: Quia repleta eſt terra ſcientia Domini, hoc eſt illud, quod ſupra dicebatur obſcurius, habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: Et iuxta conſuetudinem ſuam prophetalia in fine verba panduntur. Sicut aquæ, inquit maris operientes. Quomodo aquę maris, operiũt profunda maris, hoc eſt, terrã quæ operta eſt fluctibus, ſic ſcientia Domini omnis terra complebitur: Quam diuerſorum prius morum coniunctionem, etiam beatus Apoſtolus Petrus in vaſe linteo quod de cœlo demiſſum eſt, ſe vidiſſe teſtatur, habẽte quatuor principia, q̃ quatuor mũdi plagas intelligimus, vt repletam terram Dei ſcientia cognoſcamus: In quo vaſa erant quadrupedia, & ſerpentes, & beſtiæ, & volatilia cœli: vt quod arca in diluuio, hoc Eccleſia præſtet in mũdo. *Tomo quarto libro quarto Commentariorum in cap. 11. Eſaiæ.*

*1. Tim. 3.*

*Dominus habitatores Eccleſiæ ſuæ refrigerat quo præſente cũcta floreſcũt.*

*1. Cor. 13. Philip. 3.*

QVIA hæc dicit Dominus ad me, &c. Quieſcit & contemplatur Deus in loco ſuo, ſiue iuxta Aquilam, in firmamento, id eſt, in Eccleſia, de qua Paulus Apoſtolus loquitur. Columna & firmamentum veritatis. Contemplatur autem ea, quæ fiunt in Eccleſia, & ſicuti meridiana lux clara eſt, ita vniuerſa perluſtrat, iuxta illud quod in 18. Pſalmo, ſecundum anagogen de ſole iuſtitiæ dicitur: Nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Et quomodo nubes roris in die meſſis & in feruenti æſtate gratiſsima eſt: ſic Domin⁹ habitatores Eccleſiæ ſuæ refrigerat, quo pręſente cuncta floreſcunt: Et antequam tempus conſummationis adueniat: quia nunc ex parte cognoſcimus, & parte prophetamus, multi perfecti reperientur: De quibus



quibus Apoſtolus loquitur: Quotquot perfecti, hoc ſentiamus. *Tom. 4. l. 7. Com. in cap. 18. Eſaiæ.*

ET Elam ſumpſit pharetram, currum, &c.] Eccleſiaſtico viro proferente teſtimonia ſcripturarum, & cuncta redarguente mendacia, videbunt hæretici domos ciuitatis Dauid: & omnia prius ſecreta cognoſcent: quo modo in arce Dauid qui interpretatur, manu fortis, hoc eſt Chriſti, omnia ſint dogmata veritatis. *Tom. 4. lib. 7. Commenta. in cap. 22. Eſaiæ. fol. 85.*

*In arce Dauid, id eſt, in Eccleſia ſunt omnia dogmata veritatis.*

*In Eccleſia Chriſti vera ſolennitas.*

*Eſaiæ. 64. Eccleſiæ & veteris tabernaculi diſſimilitudo.*

RESPICE Sion ciuitatem ſolennitatis noſtræ &c.] O iuſte cui ſupra dictũ eſt: cor tuum meditabitur timorem, & populum imprudentem non videbis, & qui antea audieras, regem in decore ſuo videbunt oculi tui, contemplare Sion vrbem ſolẽnitatis noſtræ, vide eccleſiã Chriſti, in qua eſt vera ſolennitas: oculi qui cernent viſionem pacis, & diuitias inſperatas, quas oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, & tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit. Prius enim tabernaculum quod habuit populus Iudæorũ, translatum eſt atque ſublatum: nec mouebuntur claui eius in ſempiternum: & omnes funiculi eius firmi erunt: ita vt Dominus habitet in eo, qui locus eſt omnium fluuiorum, riuorumque currentium: per quos nullus aduerſę partis poterit nauigare, neque trieris magna, quæ interpretatur Diabolus, eum tranſgredi poterit: quia Dominus ipſe eſt iudex, & princeps, & rex, & Saluator noſter: & illo protegente, nullius metuemus inſidias. *Tom. 4. lib. 10. Com. in cap. 33. Eſaiæ.*

*Ariditas & ſterilitas dogmatum philoſophicorum et gentilium Luc. 8.*

*Fæcunditas & vbertas dogmatum et gratiæ ſpiritualis in Eccleſia. Pſal. 45. 64.*

*Hier. 2. Sup. 12.*

*Pſal. 67. Sub metaphora aquæ & fluminum late deſcribitur gratiæ ſpiritualis plenitudo in Eccleſia. Ioan. 4.*

*Ioan. 7.*

EGENI & pauperes quærũt aquas, &c.] Gentium populus pauper & tenuis, qui non habebat ſcientiam veritatis, quærit per diuerſos magiſtros, & varia philoſophorum dogmata aquas ſalubres: & non inuenit, quia non ſunt: lingua eorum ſiti aruit, ſine lege ac Prophetis. Omnem enim, iuxta euangelij fidem, ſubſtantiam ſuam in Medicos conſumpſerat, & à cruore idolatriæ, & ſanguine victimarum non poterat liberari. Propterea Dominus Deus Iſraêl non eos penitus dereliquit, nec in æternum perire paſſus eſt: ſed aperuit in ſupinis collibus, ſiue in montibus flumina & in medio camporum fontes. Quæ flumina ex illo fluuio duxere principium, qui in Pſalmis legitur: fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Et in alio loco: fluuius Dei repletus eſt aquis: Quæ aquæ, & fontes de illo fonte manarunt, qui per Hieremiã loquitur: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Et ſupra in hoc eodem Propheta dicitur: bibent aquas de fontibus Saluatoris. De quibus, & in Pſalmis canitur: Benedicite Dominum Deum de fontibus Iſrael. Et poſuit inquit, deſertum in ſtagnum aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum. De quibus aquis, & Saluator in euangelio myſtico ſermone dicebat: Qui biberit de aqua quam ego dabo ei, nõ ſitiet in æternum, ſed aqua quam ego dedero ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitã æternam. Et iterũ: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui biberit de aqua quam ego dabo ei, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, hoc autem, inquit, euangeliſta, dicebat de ſpiritu ſancto quem credentes in eo accepturi erant. Quia igitur deſerta quondam Eccleſiæ multitudo, aquis vitalibus fuerat irrigata: Propterea iuxta LXX. naſcuntur in ea cedrus, & buxus, & myrtus, & cypariſſus, & populus: Iuxta Hebraicum, & cæteros interpretes, cedrus, ſetta, & myrtus, & lignum oliuæ, & abies, & vlnus, & buxus ſimul. Quæ varietates arborum, diuerſitatem ſignificant gratiæ ſpiritualis. Et quia omnibus natura earum nota eſt, deſerta tantum hebraica ediſſeramus, quam ſpinam Theodotio trãſtulit. Eſt autem genus arboris naſcentis in eremo, ſpinæ albæ habens ſimilitudinem: vnde omnia ligna arcæ, & tabernaculi facta ſunt inſtrumenta, quæ appellantur Setthim: quod lignum imputribile & leuiſsimum, omnium lignorum, tam in fortitudine, quàm in nitore ſoliditatem ſuperat, & pulchritudinẽ. Cedrus autem, & cypariſſus, & myrtus, odoris optimi ſunt, & imputribiles. Vlmus quoq;, & populus, ſiue buxus, vel maritandis vitibus iungũtur, vel ad diuerſa opera aptiſsimæ ſunt. Hæc autem omnia pariter ponuntur in ſolitudine, ne ſaltem vna chorda de cithara Domini, & aliqua virtus gratiarum, Eccleſiæ deeſſe videatur: Vt omnes intelligant, & pariter mente cognoſcant, quia manus Domini hæc vniuerſa perfecerit: vt in ariditate gentium inuenirentur fluenta virtutum, & in terra quondam deſerta, plenaq; ſalſuginis, cedrus, & cypariſſus, & aliæ arbores naſcerentur, quarum ſublimitatem, & verticem ad cæleſtia feſtinantem, illuminaret lignum oliuæ, quod nutrimentum lucis eſt, & laborantium requies. *Tomo quarto libro duodecimo Commentariorum in cap. 41. Eſaiæ.*

*Varietas gratiæ ſpiritualis in eccl.*

*Exod. 37.*

*Ne minima quidem virtus gratiarũ eccleſiæ deeſt.*

*Flumina doctrinæ in gentiũ inſulis fluent & in Iudæis erit magna ariditas.*

*Ioan. 14.*

*Gentes in veteri teſtamẽto clarum Chriſti lumẽ aſpiciunt.*

CANITE Deo canticum nouum, &c,] Cumque vos à capite vſque ad pedes exiccauero atq; deleuero, tunc flumina doctrinæ meæ inſulis gentium currere faciam, & ſtagna veſtra ſiue paludes redigam in ariditatem: vt in gentibus ſit ſcientia ſcripturarum, & in vobis doctrinæ ariditas. Ducamque cæcos per viam quam ante neſciebant: de quibus & ſupra legimus: Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, vt aperires oculos cæcorum. Hi ducẽtur per viã, de qua Chriſtus loquitur: Ego ſum via: ſiue via ſcientiæ Dei: & per ſemitas prophetales ambulare eos faciam Tunc tenebræ eorum mutabuntur in lucem, & praua vertentur in recta, vt intelligant quæ legunt, & cordis oculis clarum in veteri teſtamento, Chriſti lumen aſpiciant: *Tom. 4. lib. 12. Com. in cap. 42. Eſaiæ. Fol. 141.*

*Matt. 15.*

*Ioannis 4.*

*Diuerſis gratijs ſpiritua.*

ET dixit Sion: dereliquit me dominus, &c.] Cito ædificaberis à quibus deſtructa fueras à Iudæis enim deſtructa à Iudæis ædificata eſt. Quæ ob culpam ſcribarum, phariſæorumq; deſerta, ad prædicationem Apoſtolorum, Chriſti congregata eſt, tam de de Iudæis, quàm de gentibus. Sequitur. Et qui te deſtruxerant, & diſsipauerant, egredientur ex te doctores peſsimi: vt nequaquam mandata & traditiones ſequaris hominũ, ſed legẽ Dei. Diciturq; ad eam, vt eleuet oculos ſuos in circuitu, & videat filios qui ei fuerant cõgregati. De quib. & Dominus loquebatur: Leuate oculos veſtros, & videte quia iam albæ ſunt ſegetes ad metendum. Et vt ſecuros nos faciat: Viuo ego, inquit Dominus (quod iuxta vetus teſtamentum, iurandi dicitur conſuetudine) quia omnibus his velut ornamento veſtieris, & circundabis tibi eos, quaſi ſponſa circũdat monile ſibi. Felix qui tanti meriti eſt, tantæq; virtutis, vt ornamentum dicatur Eccleſiæ. Puto autem diuerſas ſignificari gratias ſpirituales, per quas ſponſæ ornatur

*libus ſponſæ Eccleſiæ ornatur ambitio.*
*Pſal. 44.*

ornatur ambitio: De qua & in quadrageſimo quarto Pſalmo canitur: Aſtitit regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circundata varietate: Quæ enim prius deſerta fuerant, & dilapſa in ſolitudines & ruinas, aduenieñte Chriſti Euangelio inſtaurabuntur, & tantam habunt habitatorum multitudinem, vt eos capere non poſsint. *Tomo quarto libro decimo tertio Commentariorum in caput. 49 Eſaiæ.*

*In dubijs quæſtionibus tractatorum & Doctorũ diuerſa Commentaria legenda.*

QVOD ſequitur de animarum ſtatu, excuſari omnino non poteſt. dicit enim: Audio & de anima quæſtiones eſſe commotas: de qua re vtrũ recipi debeat querimonia, an abijci, vos probate. Si autem de me quid ſentiam, quæritur: fateor me de hac quæſtione apud quamplurimos tractatorum diuerſa legiſſe. Legi quoſdam dicentes, quod pariter cum corpore per humani corporis traducem etiam animæ diffundantur: & hæc quibus poterant aſſertionibus confirmabant: quod puto inter Latinos Tertullianum ſenſiſſe, vel Lactantium, fortaſſis & nonnullos alios. Alij aſſerunt, quod formatis in vtero corporibus, Deus quotidie faciat animas, & infundat. Alij factas iam olim, id eſt, tunc cum omnia creauit Deus ex nihilo, nunc eas iudicio ſuo naſci diſpenſet in corpore. Hoc ſentit & Origenes, & nonnulli alij Græcorum. Ego verò cum hæc ſingula legerim, (Deo teſte dico) quia vſq; ad præſens certi & definiti aliquid de hac quæſtione non teneo, ſed Deo relinquo ſcire quid ſit in vero, et ſi cui ipſe reuelare dignabitur. ego tamen hæc ſingula & legiſſe me non nego & adhuc ignorare confiteor, prẹter hoc, quod manifeſtè tradit Eccleſia, Deum eſſe & animarum & corporum conditorem. *Tomo ſecuudò libro ſecundo Apologiæ aduerſus Ruffinum, caput ſecundum.*

*Id quod manifeſtè tradit Eccleſia tenendũ eſt.*

AVDITE me qui perſequimini quod iuſtum eſt, &c.] Dormientibus in mærore ac dolore perpetuo, qui ſuccenderũt ſibi ignem, & flãmas robuſtiſsimas eſſe fecerunt: vos qui perſequimini iuſtitiã, & quẹritis Dominũ (ſignificat aũt Apoſt. & per Apoſtolos credentium chorum) reſpicite ad petram, id eſt, Abraham patrem veſtrum, de quo exciſi eſtis, & ad cauernam laci, de qua præciſi eſtis, id eſt, Saram, quæ peperit vos. Et hoc cõſiderate, quod cum vnus centum eſſet annorum, & ſterilem haberet vxorem, multiplicauerim filios eius, quaſi ſtellas cæli, ita vt numerum vinceret multitudo. Si ergo de vno homine tanta populorum nata ſunt millia, quid mihi grande eſt vt inſtaurem ruinas Sion; & deſerta eius mutem in paradiſum voluptatis, & in hortum Domini, quem plantauit Deus in Edem contra Orientem, & inueniatur in ea pro diuerſis arboribus, gaudium atque lætitia, confeſsio, & vox laudis? Hoc Iudæi ad Zorobabel tempora referũt: quod poſt Babyloniæ vaſtitatem inſtaurata ſit Sion, ædificatumq; templum, & antiqua religio reddita: Sed quomodo ſupra dicitur ad Sion: Afferent filios tuos in vlnis: & filias tuas ſuper humeros portabunt. Et erunt reges nutricij tui, & reginæ nutrices tuæ. Et, Ecce iſti de longè venient, & illi ab Aquilone & mari, & iſti de terra auſtrali: quãdo dicet Sion: Anguſtus mihi eſt locus: fac mihi ſpatium vt habitem: quæ mediocritatem excedunt illorum temporum, nec ſuper terrena Hieruſalem impleta noſcuntur: Sic & hic loquitur

*Geneſ. 17.*

*A comparatis docet ſe poſſe inſtaurare deſerta Sion & ea mutaturum in paradiſum voluptatis & hortum Domini.*
*Gene. 24.*

*Sup. 49.*
*Promiſsio de patronis & defenſoribus eccleſiæ.*

Dominus ad eos qui perſequuntur quod iuſtum eſt: iuxta illud quod alibi dicitur: Quære pacem & perſequere eam. Et iterum: Hoſpitalitatem ſequentes. Et quærunt Dominium, vt ex prioribus conijciant præſentia, & cum multo difficiliora iam facta ſint, hæc quæ promittuntur futura nõ dubitent. Porrò iuxta LXX. perſecutorib. iuſtitiæ dicitur, vt aſpiciãt in robuſtiſsimã petram, quam exciderunt, & in foueam laci quam foderunt, id eſt, Dominum Saluatorem de quo Apoſtolus loquitur: Petra autem erat Chriſtus. Et alibi ſcriptum eſt. Statuit ſupra petram pedes meos. Et iterum: In petra exaltauit me. Huius enim latus lancea perfoderunt, de quo exiuit ſanguis & aqua: & huius foderũt manus & pedes: dicente ipſo Domino Saluatore: foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea. Poſſumus exciſam petram, ſepulcrum dicere Saluatoris, in quo conditus eſt, & reſurgens à mortuis, innumerabiles filios genuit: Et appellatus eſt Abrahã, id eſt, pater multarum gentium: ſicut Sara prius ſterilis interpretatur Eccleſia: quæ alio nomine apellatur Sion, quã Dominus conſolatus eſt, & poſuit deſerta eius quaſi paradiſum. Plures enim filij deſertæ, magis quàm eius quæ habet virum. Quodq; dicitur: Et ea quæ ad occidentem ſunt, ponam in paradiſum Domini, ſiue in hortum Dei: ſignificat illud, quod ſedentibus in tenebris & vmbra mortis, lux repentina ſurrexit. Pro paradiſo in cuius loco nos delicias vertimus, in Hæbraico ponitur Edẽ de quo in principio Geneſeos ſcriptum eſt. Et hoc notandum, quod in Sion, quæ comparatur paradiſo Dei, aliud eſſe non debeat, niſi gaudium & lætitia, confeſsio, & vox laudis: vt quod in cœlis facturi ſunt ſancti cum angelis Dei, hoc etiam in terra iugi in Domini laude meditentur. *Tomo quarto lib. 14. Commentario. in cap. 51. Eſaiæ.*

*Pſal. 33.*
*Rom. 12.*
*1. Cor. 10.*
*Pſal. 39.*
*Pſal. 26.*
*Ioan. 19.*
*Pſal. 21.*
*Deſerta Eccleſiæ poſuit Deus quaſi paradiſum.*
*Gen. 2.*
*Eccleſia Dei paradiſus.*
*Militans Eccleſia quomodo debeat imitari triumphantem.*

PAVPERCVLA, &c.] Adhuc loquitur ad Eccleſiam, humilem prius, atque pauperculam, quæ non habet legem, nec prophetas, nec ſermonem Dei, & tempeſtate conuulſam, ſiue inſtabilem: quæ multos ſæculi turbines ſuſtinuerat, & inter varios idolorum fluctuabat errores: quæ nullum habuit conſolatorem, & fruſtra omnem ſubſtantiam ſuam in medicis perdidit: quod ipſe veniat, ipſe deſcendat, & ædificet in terris cœleſtem Hieruſalem: quæ in Apocalypſi Ioannis vocatur ſponſa, & vxor agni habens lumen ſimile lapidis pretioſi, ſicut iaſpidis, & cryſtalli, & murum magnum & portas duodecim inſcriptas nominibus tribuum Iſrael: quaruum tres erãt ab Oriente, & tres ab Aquilone, & tres ab Auſtro, & tres ab occaſu ſolis: muruſq; fultus duodecim fundamẽtis, cuius omnis ædificatio ex lapide iaſpide, & ſingula fundamenta murorum habebant ſigulos lapides. primum, iaſpidem: ſecundum, ſapphirum: tertium, Chalcedonium. Quartum ſmaragdum: quintum, ſardonicem: ſextum ſardium: ſeptimũ, chryſolitum: octauum, berillum: nonum, topaſium: decimum chryſopaſum vendecimum, hiacynthum: duodecimum, amethiſtum: quod legentes, exclamamus illud, & dicimus: O profundum ſapiẽtiæ & ſcientiæ Dei, quã inſcrutabilia iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius: Quis enim cognouit ſenſũ Domini, aut quis conſiliarius eius fuit: Et iterum: Quis ſapiens, & in-

*Luc. 8.*
*Apoc. 21.*
*Deſcriptio cæleſtis Hieruſalem in terris.*
*Rom. 11.*
*Oſee. 14.*



& intelligẽt hæc, intelligẽs, & cognoſcet ea: Reſpondeant amatores tantum occidentis literæ, & in mille annis exquiſitos cibos gulæ, ac luxuriæ præparantes (quorum Deus venter, eſt, & gloria in confuſione eorum: Qui poſt ſecundum in gloria Saluatoris aduentum, ſperant nuptias, & paruulos centum annorum, & circunciſionis iniuriam, & victimarum ſanguinem, & perpetuum ſabbathum: qui dicunt cum Iſrael in peruerſum modum: Manducemus & bibamus, cras enim regnabimus:) quæ ſit iſta cæleſtis Hieruſalem, cui nunc dicitur: Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos. Siue iuxta LXX. ἰδοὺ ἐγὼ ἑτοιμάζω σοι ἄνθρακα τὸν λίθον σου, id eſt, Ecce ego præparo tibi carbunculum lapidem tuum: vt tota ciuitas ſit plena carbunculis, & habeat fundamenta ſapphirina, & propugnacula iaſpidem, ſiue chalcedonium, & portat cryſtallinas, ſiue anaglyphas, & murum in circutu pretioſum lapidum: omneſque filij eius nõ habeant magiſtros homines, ſed Deum, & appellentur diſcipuli Dei: & ſit in ea pax perpetua, & ædificatio iuſtitiæ: Ex quo perſpicuum eſt ſub occaſione iuſtitiæ, quod virtutis eſt nomen, etiam cæteras virtutes in ædificationem Eccleſiæ debere nos quærere, nec Iudaica delirameñta ſectari. *T. 4. li. 15. C in c. 54. Eſa. f. 176.*

*Phil. 3.*
*1. Cor. 15.*
*In ædificationem Eccleſiæ oẽs virtutes debemus quærere.*

HOC diximus, vt vniuerſas gratias ſpirituales in Eccleſiæ propugnaculis cognoſcamus: quas qui habuerit, vanos timores fugat, & poteſt cum ſponſa dicere: Fratruelis meus candidus & rubicundus. *Ibidem. Fol. 177. in fine.*

*Vniuerſæ gratiæ ſpirituales in propugnaculis Eccleſiæ cognoſcendæ.*

ET requiẽ dabit tibi Dominus ſemper, &c.] Sequitur: Et eris, ſiue erit; id eſt, aut tu aut anima tua, ſicut hortus irriguus. De quo ſcriptum eſt: fons egrediebatur, & irrigabat omnem faciem paradiſi, pro quo in Hebraico, hortus legitur Quem fontem non alium poſſumus dicere, niſi eum cui dicitur: Apud te eſt fons vitæ: qui indeſinenter rigat eccleſiam ſuam, & cunctorum corda credentium. *Tom. 4. lib. 16. Com. cap. in 58. Eſaiæ.*

*Geneſ. 2.*
*Chriſtus ex ſuo fonte paradiſum & hortũ Eccleſiæ indeſinẽter irrigat.*
*Pſal. 35.*

SVRGE illuminare, &c] Nos autẽ iuxta priorem ſenſum, ad Eccleſiam di i vniuerſa redcamus: quæ primum de Iudaico populo congregata eſt, & lumẽ quod ſuper eam ortum fuerat, per Apoſtolos tranſmiſit ad gentes. Cui dicitur: Surge, illuminare: vt q̃ cecidit in incredulis, ſurgat in fidelibus: quæ cecidit in ſynagogis, ſurgat in Eccleſijs, & poſtquam ſurrexerit, illuminetur: vt nequaquam habeant erroris tenebras. Venit enim, inquit, lumen tuum: quod omnes Prophetæ pollicebantur: quod iugiter expectabas. Et gloria Domini, quæ quondam fuit ſuper tabernaculum & templum eius, orta eſt ſuper te. De qua dictum eſt: Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Ecce enim tenebræ operient terram, eos qui terrena ſapiunt: Et caligo populus: ſiue vt in Hebraico legitur, tribus: quod propriè, refertur ad Iudæos de quibus in alio Pſalmo ſcriptũ eſt: Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini, teſtimonium Iſrael. Super te autem orietur Dominus ſol iuſtitiæ, & gloria eius in te videbitur. De qua ſcriptũ eſt: Et vidim⁹ gloriã eius gloriã quaſi vnigeniti à patre, plenũ gratiæ & veritatis. Et ambulabũt gẽtes in lumine tuo. Nos oñs ambulabimus in Apoſtolorũ luce, quæ lucet in mundo, & tenebræ eam non comprehenderunt. Et reges inquit, in ſplendore ortus tui, quando primum in Chriſto nata es: Quod & ſpiritualiter & carnaliter impletur: Vt reges quorũ cor in manu Domini eſt, & quibus non regnat peccatum in mortali corpore, ambulẽt in ſplẽdore naſcentis Eccleſię: ſiue in eo qui ort⁹ eſt in eccleſia, & veri regis Chriſti, fidei colla ſubmittant. Quod quotidie videmus expleri: quando idololatriæ errore ſublato, & perſecutionis rabie, ad fidẽ ac tranquillitatem Chriſti Romani principes tranſeũt. Sunt qui hæc omnia quæ nos primũ Saluatoris aduẽtũ vſq; ad conſumationẽ mundi, & ex parte completa & penitus explẽda memoramus, futuro tempore præſtolentur: quando ſubintrante plenitudine gentiũ, ſaluandus ſit omnis Iſrael. Quorum nequaquã ſententia reprobanda eſt: dũmodo ſpiritualiter hæc complenda, & non carnaliter nouerimus *Tom. 4. lib. 17. Com. in cap. 60. Eſaiæ.*

*Lumen magnum ortũ in Eccleſiis vt nequaquam habeant erroris tenebras. Quidquid cecidit in ſynagogis hoc ſurgit in Eccleſijs.*
*Pſal. 86.*
*Pſal. 121.*
*Ioan. 1.*
*Lucem Apoſtolicæ Eccleſiæ tenebræ non comprehenderunt.*
*Prouer. 21.*
*Rom. 6.*
*Splendor naſcentis Eccleſiæ.*
*Prophetia de Romanorũ Principum ad Eccleſiã conuerſione.*
*Ibid. 11.*

CAVSA ſit tantæ fœlicitatis: quia repleta eſt omnis terra ſcientia Domini. *Tom. 4. lib. 18. Com. in cap. 65. Eſaiæ. in fine.*

*Magna fœlicitas Eccleſiæ quod ſit repleta ſcientia Domini.*

LAETAMINI cũ Hieruſalem, &c.] Apoſt. prẹcipitur & Apoſtolicis viris: qui diligũt vtrãq; Hieruſalẽ, & eam quẹ corruit, plangentib. atq; lugentibus, & illam quæ ſurrectura eſt, omni deſiderio præſtolantib. vt gaudeãt cum ea & in ea, q̃ ædificata ſit in viuis lapidib. qui voluũtur ſuper terrã & in rotarũ Cherubim ſimilitudinẽ, ſequũtur ſpiritum prẹcedentem: non in his qui in æternos cineres diſſoluti ſunt. De quib. Dominus loquebatur: Amen amen dico vobis: nõ permanebit ſuper lapidem, donec cõpleãtur omnia hæc. Gaudete (inquit) cũ ea gaudeo, vniuerſi qui lugẽtis eam. Quales ſupra Petrũ & Paulũ Apoſt. docuimus, & omnes qui expectabãt redẽptionẽ Iſrael, vt ſugant & repleantur vberibus conſolationis eius. Neq; enim poterat fieri, vt quæ genuit maſculũ, & erat puerpera, careret lactis abũdantia in educationẽ eis gentis & paruulorũ, qui ſimul nati fuerant: vt præberet eis duo vbera, nequaquã, vt prius in Aegypto fracta & iacentia, ſed integra & virginali decore ſtantia, veteris ac noui inſtrumenti ad præbendũ rationale lac. De quibus ſpõſus ad eam loquitur: Bona vbera tua ſuper vinũ. Iſti erãt de quib. ſpecialiter dicebatur: Beati lugẽtes, quoniã ipſi cõſolabuntur. Et hoc notandũ, q qui paruuli ſunt, conſolationis indigẽt lacte, & adhuc in mortali verſantur loco. Qui verò poſt lac conſolationis ad ſolidum profecerint cibum, delicijs affluent veritatis, & ſcientia omnimodæ gloriæ. *To. 4. lib. 18. Com. in cap. 66. Eſaiæ.*

*Zach. 9.*
*Ezech. 1.*
*Matt. 24.*
*Ex doctrina Eccleſiæ ſugendum vt repleamur vberibus cõſolationis eius Spiritualis lactis abundantia in Eccleſia.*
*Ezec 23.*
*Eccleſia præbet nobis duo vbera noui et veteris teſtamenti, vnde ſugimus lac rationale.*
*1. Pet. 2.*
*Matt. 5.*

QVIA hæc dicit Dñs, &c.] Extructa per Apoſ. Hieruſalem, & inſtaurata in priorem ſtatũ poſtquã filij & habitatores eius vberibus ſuerint conſolati & lactis abundãtia ad delicias peruenerint veritatis: per quas introitur ad gloriam Dei Tũc Dñs declinabit ſuper eam fluuium pacis, de quo crebrò diximus: Flumen Dei repletum eſt aquis: Et: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: vt pace omnia poſsidẽte, & nationũ ceſſantibus bellis: de quib. ſcriptura dicit: Diſsipa gẽtes quẹ bella volunt: torrens doctrinarum Dei irriget arua credentium. Tunc filij eius ſiue paruuli (vt LXX. tranſtulerunt) in humeris portabuntur, & ſuper genua conſolationem accipient. In humeris, de quibus & in priori prophetia dictum eſt: Et quos Iacob interpretatur filio ſuo Iſachar: Quia ſuppoſuit humerum ſuum ad laborandum, & vocatus eſt, vir agricola. *Ibid. Fol. 224.*

*Pſal. 64.*
*Ibid. 45.*
*Ibid. 67.*
*Torrens doctrinarum Dei irrigat arua credentium.*
*Sup. 49.*
*Gene. 49.*
*Sec. 70.*

IN tempore illo vocabũt Hieruſalem ſolium Domi-

Domini,&c.] Nequaquam Dominus ſedebit ſuper arcam teſtamenti & Cherubim, cui prius ab illo populo dicebatur: Qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare: ſed omnes perfecta mente credentes, erunt Thronus Dei. Vel certè melius totũ de Eccleſia intelligendũ quando congregantur omnes gentes in nomine Domini in Hieruſalem, in qua eſt viſio pacis: & nequaquẽ ambulant poſt prauitatẽ cordis ſui peſsimi, vt faciãt quę deſiderant: nec ſuos ſequuntur errores ſed dicũt cũ propheta: Adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua. *To.4.li.1.Co.in ca.3 Hiere.*

*Pſal 79.* — *Membra Eccleſiæ noui teſtamenti non ſequentur ſuos errores.* — *Ibid.62.*

HAEC enim dicit Dominus viro Iuda &c.] Hoc præcipitur viris Iuda & Hieruſalẽ qui verã ſectantur fidem, & habitant in Eccleſia: vt non ſeminent ſuper ſpinas, quas euangelicus ſermo ſignificat, quæ ſuffocent ſementem Dei, ſed prius nouale faciant, & omnes ſuffodiant vepres, ſenteſque auferant: vt munda ſemina, munda arua ſuſcipiant: hoc eſt quod in alio loco dicitur: Ne miſeritis margaritas veſtras ante porcos, & ne detis ſanctum canibus. Quo modo enim poteſt Dei audire ſermonem, & concipere ſemina, & fructum facere, cuius animus ærumnis mundi plenus eſt? *Tom.4.lib.1.Com.in ca.4. Eſaiæ.*

*Qui in Eccleſia habitant ſoli veram ſectantur fidem.* — *Matt.13.* — *Matt.7.*

VT ſuſcitem iura &c.] Terram autem lacte & melle manantem, Hyperbolicè debemus accipere, pro rerum omnium abundantia, vt eſt illud: Mella fluent illis, ferat & rubus aſper amomum. Et iterum. Et paſsim riuis currentia vina repreſsit. Aut certè tropologicè, terram lacte & melle manantem, Chriſti Eccleſiam ſentiamus: in qua paruuli atque lactentes educamur per fidem, vt poſsimus ſolidum cibum capere. *Tom.4. lib.2. Com.in ca.11.Hie.Fol.255.*

*Ver. in Buc. Chriſti Eccleſia eſt terra lacte & melle abundans*

QVID eſt quod dilectus meus in domo mea,] Comparat Hieruſalem ſiue omnem populũ Iudæorum oliuæ pulchræ, atque fructiferæ: quæ exaltata per ſuperbiam, nequaquam egit humiliter, nec intellexit creatorem, & Dominatorem ſuum: ſed elata per ſuperbiam, & locuta granditer, Domini igne ſuccenſa eſt: ita vt comburerẽtur & redigerentur ad nihilum rami ſiue fruteta eius, id eſt, omnis populus aduerſariorum gladio deleretur. Hic ſenſus, & in alio loco eſt: vbi dicitur ad Hieruſalem: Ego te plantaui vineam frugiferam, omnem veram, quo modo conuerſa es in amaritudinem vitis alienæ? Quando deſtruuntur maceriæ illius, & vaſtat eam aper de ſylua, & omnes beſtiæ deuorant fructus illius, dicamus iſtud capitulum principibus Eccleſiarum: quid eſt quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? *Ibidem. Fol.256.*

*Sup.2. Eccleſia vinea frugifera et oliua pulchra. Pſal.79.*

AVDITE verbum Domini gentes, &c.] Et venient, inquit, haud dubiũ quin liberati de manu potentium, & laudabunt liberatorem ſuum in monte Sion, hoc eſt, in Eccleſia: & cõfluent ad bona Domini, rerum omnium abundantiam: quæ non in frugibus, & cibis carnis iſtius, ſed in virtutum varietate ſentitur. *Tom.4. lib.6. Com. in cap.31.Hieremiæ.*

*Matt.12.* — *In Eccleſia rerum omnium abundantia & virtutũ varietas*

NOVI diluculo, &c.] Loquitur propheta ad primitiuam in Hieruſalem Eccleſiam, laudans ſpeciem eius: quæ poſt diluculum reſurrectionis Chriſti, veterem hominem exuens, noui hominis pulchritudinem ortu ſuo declarabat: cuius etiam multa eſt fides: quia per gratiam ſancti ſpiritus confeſsio, verbo prædicationis, & virtutũ ſignis, plurimos ad ſocietatem fidei, & religionem Chriſtianam conuocabat. Vnde in actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt: Verbum Domini creſcebat, & multiplicabatur numerus diſcipulorum in Hieruſalem valde, & multa turba ſacerdotum obediebat fidei. Et rurſum: Multitudinis autem credentium erat cor vnum: nec quiſquam eorum, quæ poſsidebat aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri, & gratia magna erat in omnibus illis. *Tom.4.lib.2. Com. in cap.3.Hier. Fol.319.*

*Laus primitiuæ Eccleſiæ Hieroſolomitanæ.* — *Acto.6.* — *Ibid.4.*

ET profeciſti.&c.] Poſt ornatum multiplicẽ, poſt coronam, poſt auri & argenti abundantiã, poſt indumenta palliaque pulcherrima, poſt decorem incredibilem, proficit in reginam, quia ciuitas eſt magni regis, de quo ſcriptum eſt: Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis. Et in Apocalypſi Ioãnis, Hieruſalem quaſi ſponſa ornata atque compoſita deſcribitur viro ſuo. In Pſalmis quoque de eadem dicitur: aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate. Omne autem quod dicimus de Hieruſalem, ne in ſingulis hæreamus, & librorũ magnitudo tædium legentibus faciat, referamus ad Eccleſiam. Si enim Hieruſalem, iuxta Apoſtolum, mater noſtra eſt, mater autem noſtra eccleſia eſt, conſequẽter, Hieruſalem Eccleſia eſt, mater primitiuorum qui deſcripti ſunt in cælis. *To. 4.li.4.Commen.in cap.16.Ezech.*

*Eccleſia tanquam regina ornatiſsima depingitur.* — *Pſal.71.* — *Apoc.21.* — *Pſal.44.* — *Gal.4.* — *Eccleſia ſiue Hieruſalem eſt mater noſtra.*

IN monte verò ſancto meo, &c.] de hoc monte in quo ſeruitura eſt Deo omnis domus Iſrael, Eſaias & Micheas pari voce cecinerunt: In nouiſsimis diebus erit manifeſtus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicẽt: Venite: Venite aſcendamus in montem Domini, & in domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius. De Sion enim exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem. Et rurſum Eſaias: In montem, inquit, excelſum aſcende qui annuncias Sion, elaua & exalta vocem tuam, qui Euangelizas Hieruſalem. Quem montem Sion, aut Eccleſiam intelligimus, quæ interpretatur ſpecula, & in altitudine ſanctorum dogmatum conſtituta eſt: aut ipſum Dominum ſaluatorem, in quo & primitiæ, & decimæ, & omnis cultura in odorem vertitur ſuauitatis: vt omnes in circuitu nationes videntes populum Domini eſſe ſaluum glorificent Deum, & cognoſcant qui ſaluati fuerint, quod ipſe ſit Dominus. *Tom.4.lib.6. Com.in cap.20.Ezech.*

*Eſaiæ.2.* — *Mich.4.* — *Eſaiæ 40.* — *Eccleſia mõs Sion in altitudine ſanctorum dogmatum conſtituta.*

O TYRE, tu dixiſti, &c.] Vera & perfecta pulchritudo in nullo hominum, niſi in Chriſti corpore, quod interpretatur Eccleſia, & multorum ſanctorum virtutibus, congregatur. Vnde & ipſe loquitur ad ſponſam. Tota pulchra es proxima mea, & macula non eſt in te *Tom.4.lib.8. Com.in ca. 27. Ezechielis.*

*Perfecta pulchritudo in Eccleſia & multorũ ſanctorum virtutibus.* — *Cant.4.*

ECCE ego ipſe ad paſtores veniam, & requiram gregem meum de manu eorum: quibus expedit, vt mola aſinaria alligatur ad collum, quã vt minimum ſcandalizẽt de populo meo. Et hæc erit eorum pœna vel maxima, vt vltra non paſcant gregem meum, ne ſub occaſione ouium ſeipſos paſcant & opes congregent. Et liberabo populum meum de ore eorum. Requiram, inquit, de manu, & liberabo de ore, quod auidis faucibus deuorantur. Cum autem requiſierit oues, viſitat eas quaſi ægrotantes, atque macilentas, & paſtorum negligentia diſsipatas, & liberabit de omnibus locis in die nubis & caliginis: de qua loquitur & Ioël: Adeſt dies Domini, & prope eſt dies tenebrarum & caliginis, & dies nubis & nebulæ. Tunc educentur de terris, vt inducantur in terram ſuam, quæ eſt terra viuentium, & ipſe eas paſcet in montibus Iſrael: de quibus Dauid Leuaui oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi. Et non ſolum in montibus, ſed in riuis, & cunctis ſedibus terræ, in paſcuis vberrimis, & in monte excelſo: de quo Eſaias & Micheas plenius vaticinantur: ſiue in montibus excelſis Iſrael: Ibi requieſcent in herbis virentibus, & dicent: Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit: ſuper aquas refectionis educauit me. Et paſcẽtur in paſcuis pinguiſsimis ſuper mõtes Iſrael, Et infinita promiſsio, ſpeſque beatitudinis, quando ipſe Dominus pollicetur, dicens: Ego paſcam oues meas, & nequaquam eas committam malis paſtoribus, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus: vt requiſcant in ſinu Abraham, Iſaac & Iacob. *Tom.4. lib.11. Commentariorum in caput. 34. Ezech. Fol.439.*

*Matt.18.* — *Ioel.2.* — *Pſal.120.* — *Vberrima paſcua ouiũ in eccleſia.* — *Eſaiæ.2.* — *Mich.4.* — *Pſal.22.*

EIECTIS beſtijs, & redacta terra in ſolitudinem, ab iſtiuſmodi animantibus ſecuri dormient, & dicent: Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Et ponet eos, qui ſecuri dormient, in circuitu montis, vel collis ſui, & erunt benedictio. Tunc dabit imbrem in tempore ſuo, & pluuiæ benedictionis erunt, quas in Deuteronomij benedictionibus pollicetur. Et dabit, inquit, lignum vitæ, de quo in Geneſi ſcriptum eſt. Lignumque ſapientiæ: de quo dicitur: Lignum vitæ eſt omnibus, qui aſſumunt eam. Dabit autem fructum ſuum, quando & terra dederit fructum ſuum. Siue ligna regionum, ſanctorum plurima multitudo. Et terra dabit germen ſuum: Veritas enim de terra orta eſt. Et erũt in terra ſua abſque timore, ſiue in ſpe pacis: in terra viuentium, terra manſuetorum, de qua ſcriptum eſt: Beati mites, quoniam ipſi poſsidebunt terram: Vt rerum omnium fęlicitate cognoſcant, quod ipſe ſit Dominus: quando contriuerit catenas, vel circulum ferreum iugi eorum: quo quaſi grauiſsimo premebantur imperio, & eruerit eos de manu imperantium, ſiue ſeruitute affligentium eos. Seruus eſt enim vnuſquiſque eius, à quo vincitur. Et nequaquam erunt vltra in rapinam dæmoniacis gentibus: nec beſtię terræ deuorabunt eos, de quibus diximus: ſed habitabunt confidenter abſque vllo terrore, iuxta ſuperiorem expoſitionem. Et ſuſcitabo, inquit, eis germen nominatum, ſiue plantationem pacis, quæ loquitur in euangelio: Ego ſum vitis vera. Et erunt vltra imminuti fame in terra. Ergo fames in terrenis eſt: fames autem audiendi ſermonem Dei: quæ ſub paſtore bono, & germine nominato, atque omnium ſermone celebrato, & plantatione pacis, nequaquam erit in terra, neq; amplius opprobrijs gentium ſubiacebunt, vt dicant: Vbi eſt Dominus Deus eorũ? Et ſcient poſt hæc omnia, quod non ſolum ipſe ſit Dominus, quod & ſupra quoque dixerat: ſed cum additamento, quod Dominus omnium propriè Deus eorum ſit cum eis: qui dicit in euangelio ad Apoſtolos: Ecce ego vobiſcum ſum cunctis diebus, vſque ad conſummationem ſæculi. Cum autem fuerit ipſe Dominus Deus eorum, tunc & ipſi erunt populus eius: non quilibet, ſed qui meruerint appellari domus Iſrael. *Tom.4.lib.11. Commen. in cap.34. Ezechielis.*

*Pſal.26.* — *Promiſsio de cæleſti pluuia & imbre in eccleſia.* — *Deut.28.* — *Gen.2.* — *Prou.3.* — *Pſal 84.* — *Benedictiones eccleſiæ.* — *Ibidem.* — *Matt.5.* — *Omnium rerũ fœlicitas in eccleſia.* — *2.Pet.2.* — *Ioan.15.* — *Verbi diuini abundantia in eccleſia promittitur.* — *Pſal.113.* — *Deus præſens ſemper ad futurus eccleſiæ promittitur.* — *Matt.28.*

POSTQVAM mundauerit credentium ex Iudæis populum ab iniquitatibus ſuis, & habitari fecerit vrbes Eccleſiæ, & inſtaurauerit ruinoſa, quæ in ſynagogis conciderant: & terra confeſſionis fuerit exculta ceremonijs Dei: quæ quondã viſa eſt deſolata omnibus ſanctis, qui terrenæ conuerſationis opera prætereunt: Tunc omnes dicent: quo modo terra Iudęa, quæ quondã fuerat inculta, nunc habet ſimilitudinem paradiſi Dei, & ciuitates Iudæ quæ deſertæ fuerant, & deſtitutæ, & ſua incredulitate ſuffoſſæ, nunc erectæ & munitę ſunt in cõfeſsione, & nomine Domini Saluatoris? ita vt omnis creatura cognoſcat, & multitudines angelorum, quæ terram ambiunt Iſrael, quod Dominus diſsipatas ædificauerit ciuitates, & incultas plantauerit regiones, & quod pollicitus fuerat per Prophetas, opere cõpleuerit. *Tom.4. lib.11. Commenta. in cap. 36. Ezechielis Fol.444.*

*Vaticinium de egregiè excolendis vrbibus Eccleſiæ.* — *Eccleſia erit ceremonijs exculta.* — *Eccleſia ſimilitudinem habet paradiſi.*

SI egerint pœnitentiam, & ſanctificatus fuero in medio eorum: tunc omnis gentilium turba cognoſcet, quod ego eos tollam de terris, in quas diſperſi erant, & reducam in terram Eccleſiæ & effundam ſuper illos, nequaquam aquas baptiſmi ſalutaris, ſed aquas doctrinæ & ſermonis Dei: & mundabo illos ab omnibus inquinamentis ſuis, & ab vniuerſis idolis atque erroribus, quæ in ſuo corde ſimulauerant. Et dabo, inquit, eis cor nouum, quod per peccatum perdiderant, & ſpiritum rectũ innouabo in cordibus eorum. Et auferam cor lapideum, cor videlicet incredulum: & dabo cor carneum, molle, & tenerum, quod Dei præcepta ſuſcipiat: ita vt ambulent in præceptis meis, & faciant iudicia, quæ prius neglexerant, & habitent in terra, quam dederam patribus eorum, magiſtris videlicet atque doctoribus: & rurſum ſit populus Dei, & Dominus eis vertatur in Deum, quæ prius offenderant. Tunc ſaluabuntur ab vniuerſis inquinamentis ſuis, & multiplicabitur eis frumentum, de quo efficitur cœleſtis panis: & non patientur vltra famem ſermonis Dei, & multiplicabitur in eis lignum ſapientiæ, & genimina in eorum pectore complebuntur. Nec erunt vltra opprobrium in gentibus, ſed poſtquam miſertus fuerit eorum Deus, recordabuntur viarũ ſuarum peſsimarum: & ſcient vbi fuerint, & diſplicebunt ſibi in iniquitatibus ſuis. Quod dicit Dominus non propter illos, ſed propter ſuam ſe facere clementiam. Vnde & cohortatur errantes, vt confundantur & erubeſcant in vijs ſuis, & reſtituantur in vrbes Eccleſiæ, quæ rurſum habitentur ab eis, & omnia quæ in eis corruerant, ædificentur: & ad priſtinas redeant ceremonias, & terra quondam deſerta, quę accolis & peregrinis, & mundi huius conuerſationem tranſeuntibus viſa fuerat deſolata, reuertatur in priſtinum ſtatum: omneſque mirentur & dicant: Terra illa inculta, terra deſerta, in qua omnes quondam periere virtutes: nunc facta eſt quaſi

*Deus effundit ſuper mẽbra eccleſiæ aquas doctrinæ & ſermonis Dei & mundabuntur ab vniuerſis erroribus.* — *De verbi Dei, ſanæ doctrinæ & ſacramentorũ integritate in Eccleſia promiſsio ſuauiſsima.* — *Reſtituendi Iudæi in vrbes eccleſiæ & omnia quæ in eis corruerant ædificabũtur & ad priſtinas cerimonias redibunt.*

*Eccleſia quaſi hortus voluptatis & paradiſus Dei.*

hortus voluptatis, & paradiſus Dei: & ciuitates quondam deſertæ, & deſtitutæ erant à ſpiritu ſãcto, & ſuffoſſæ in crudelitate, munitæ erunt fide Chriſti: vt ſciant omnes in circuitu, quod Dominus ædificauerit animas diſsipatas, & plantauerit in eis atque conſeuerit cunctarum virtutũ arbores: & ipſe rebus præſtiterit, quæ ſermone promiſit. *Ibid. Fol. 445.*

*Diabolus & hæretici negant eccleſiã habere firma munimenta.*

OMNES, inquit, habitant ſine muro, vectes & portæ non ſunt eis. Hoc diabolus princeps hæreticorum loquitur, quod nulla habeat munimẽta eccleſia: nec ſapientiam ſæcularem, quæ apud Deum ſtultitia eſt: vt diripiat ſpolia, & inuadat prædam Eccleſiæ, & inferat manum ſuam ſuper eos qui deſerti fuerant, quando dei notitiam nõ habebant: & poſtea reſtituti per Chriſtum, veniant ad patrem: cui loquitur in euangelio: Pater reuelaui nomen tuum hominibus. Et vt ſciamus populum, qui deſertus fuerat & poſtea reſtitutus, ſignificare populum Chriſtianum, ſequitur: Et ſuper populum, qui eſt cõgregatus ex gẽtibus. Qui populus poſsidere cœpit hæreditatem Chriſti, & eſſe habitator vmbilici terræ: de qua ſcriptum eſt: Operatus eſt ſalutem in medio terræ. Veritas enim de terra orta eſt: quæ dicit in Euangelio: Ego ſum via, & vita, & veritas. Hæc illo cogitante atque dicente, & poſſeſsionem eccleſiæ rapere feſtinante: gentes, quæ ab errore priſtino conuerſi fuerant ad ſalutem: Saba, & Dedan, & negotiatores Tharſis, Carthaginis ſiue maris, qui inter ſęculi huius fluctus bonis operibus quęrunt mercimonia: & omnes villę earum, ſiue leones, aut catuli leonum, vt in Hebraico continetur, loquentur ei quæ ſequuntur. *Tom. 4. l. 11. Com. in cap. 38. Ezech. Fol. 449.*

*Ioan. 17.*
*Populi Chriſtiani fælicitas in nouo teſtamento prædicitur.*
*Pſal. 73.*
*Ibid. 84.*
*Ioan. 14.*
*Populus Chriſtianus poſsidet hæreditatem Chriſti.*

*Chriſti victorijs eccleſiæ infinita ſuppellex & manubiæ cõparatæ.*

AN putas ô Gog te argentum & aurum, quod in eloquio ſenſuque intelligitur, eccleſiæ poſſeſſurum, vt auferas ſupellectilem, omnemq; ſubſtantiam, & diripias manubias infinitas, Chriſti victorijs congregatas? *Ibid. Fol. 450.*

VRBES Iſrael, intelligim' eccleſias rectę fidei. *Tom. 4. lib. 11. Com. in cap 39. Fol. 451.*

IN viceſimo & quinto anno &c.] Fit autẽ ſuper eum manus Domini, vt iuxta carnem in Babylone poſitus, in ſpiritu ad terram veniret Iſrael: & nequaquã in viſione, ſed in viſionibus Dei poneretur ſuper mõtem excelſum nimis: de quo Eſaias & Micheas vaticinantur: Venite aſcendamus in montem Domini, & ad domum Dei Iacob. Qui mons excelſus eſt nimis ad comparationem montium cæterorum, de quibus propheta teſtatur: dicens: Leuaui oculos meos in mõtes, vnde veniet auxilium mihi. Et in alio loco: Mõtes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui. De quo & Eſaiæ dicitur: In montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion. Super hunc montem oſtenditur ędificiũ ciuitatis. Iuxta LXX & Aquilam, è regione, & rex aduerſo Aquilonis, vnde ad terram Iſrael propheta veniebat: iuxta Theodotionem verò & Symmachum, vergentis ad Auſtrum: vbi plenum lumen eſt, & ſol iuſtitię in ſummo cœli vertice poſitus. Vnde & in cantico canticorum dicitur: Exurge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius. Fugatur enim de horto Dñi Aquilo vẽtus duriſsimus: ne refrigeretur dilectiõis calor, floreſq; marceſcant. Quando autem dicitur. Quaſi ædificiũ ciuitatis: nõ verè ciuitas ſed ciuitatis ſimilitudo monſtratur, de qua ſcriptum eſt: Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas DEI: quæ eſt Hieruſalem, ædificata vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum: & in qua magnus Dñs & laudabilis minis, in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius. Et in turribus ciuitatis iſtius Deus cognoſcetur, quando ſuſcipiet eam. De qua & alibi: Fluminis impetus lętificat ciuitatem Dei. *Tom. 4. libro 12. Commentariorum in caput. 40. Ezechielis. Fol. 454.*

*Eſaiæ. 2.*
*Mich. 4.*
*Pſal 120.*
*Pſal. 124.*
*Eſaiæ. 29.*
*Cant. 4.*
*Eccleſia non verè ciuitas ſed ciuitatis ſimilitudo.*
*Pſal. 86.*
*Ibid. 121.*
*Ibid. 47.*
*Ibid 6.*
*Ibid. 45.*

*Nihil in eccleſia abſque menſura & ſapientia cõſtitutum.*

NIHIL in templo ſiue in eccleſia Domini reperiri, quod abſque menſura & ſapientia conſtitutum ſit. *Tom. 4. lib. 12. Commentariorum in cap. 41. Ezech. in fine.*

*Vidua ſynagoga.*
*Eiecta hæreticorum frequentia.*

VIDVAM & repudiatam (ſiue eiectam) &c.] Vidua & repudiata eſt ſynagoga, id eſt, congregatio Iudæorum, quæ Dominũ non recepit. Vnde eiecta rectè dicitur ſiue vidua, ſynagoga. Eiecta verò hæreticorum frequentia: qui exierunt à nobis, quia non erant ex nobis. Sed virginem, inquit, de ſemine domus Iſrael, quæ nutrita eſt in domo Dei, in lege & prophetis, de qua & Apoſtolus loquitur: Volo omnes vos virginem ſanctam exhibere Chriſto. Iſta eſt virgo de qua & alibi dicit ſermo diuinus: Ama illam, & ſeruabit te: circunda illam, & exaltabit te, honora eam, vt te amplexetur. Quæ ſit autem virgo, quæ amanda ſit, & ſuum cuſtodiat amatorem, ſciet qui illud legerit: Hanc dilexi & quæſiui ab adoleſcentia mea, & quæſiui ſponſam ducere mihi: & amator fui decoris eius. Et iterum: Et omnium Dominus dilexit eam. *Tom. 4. lib. 13. Comme. in cap. 44. Ezech. Fol. 477.*

*1. Ioan. 2.*
*Eccleſia virgo nutrita in lege & prophetis.*
*2 Cor. 11.*
*Prou. 4.*
*Sec. 70.*
*Sap. 8.*

*Per aquas myſticè doctrina eccleſiæ locupletiſsima intelligitur.*

ET conuertit me, &c.] Aquæ iſtę quę egrediebantur ſubter limen domus, id eſt, templi, non ferebantur ad aquilonem & ad Occidentem, ſed ad Oriẽtem: & in latere templi dextro, id eſt, ad meridiem: ipſamque meridiem non cuiuſlibet locis, ſed altaris. Ex quo perſpicuum fit ſacras eſſe aquas, & Saluatoris noſtri ſignificare doctrinam: iuxta illud quod ſcriptum eſt: De Sion egredietur lex, & verbum Domini de Hieruſalẽ. Et in alio loco. Repleta ſunt omnia ſcientia Domini, ſicut aqua multa operiens mare. De his aquis & Zacharias Propheta vaticinatus eſt, dicẽs: In die illo egredietur aqua viuens de Hieruſalem: & medium eius in mare primum, medium autem illius, in mare nouiſsimum. De his aquis & ad Samaritanam Dominus loquebatur. Si ſcires quis eſt qui dicit tibi, da mihi bibere: tu forſitan petiſſes eum, & dediſſet tibi aquam viuentem. Et iterum: Omnis qui bibit de aqua iſta, ſitiet denuo, qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Et in templo clamabat atque dicebat: Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me (ſicut dicit ſcriptura) flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: hoc autem dixit de ſpiritu, quẽ accepturi erant credentes in eum. Iſtæ ſunt aquæ, de quibus Propheta loquebatur in pſalmo. Super aquas refectionis educauit me. Et Ezechiel: aſſumam vos de gentibus, & congregabo vos de vniuerſis terris, & adducam vos in terram veſtram, & aſpergam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditij veſtris. Apparuerunt enim fontes aquarum. Et in nonageſimoſecundo pſalmo canitur: Eleleuauerũt flumina Dñe, eleuauerunt flumina voces ſuas, eleuauerunt flumina fluctus

suos

*Eſaiæ. 2.*
*Ibid. 11.*
*Sec. 70.*
*Zach. 14.*
*Sec. 70.*
*Ioan. 4.*
*Ioan. 7.*
*Pſal. 22.*
*Supr. 56.*
*De ſpiritualibus doctrinæ cæleſtis aquis vberrimiſque fontibus in eccleſia præclara teſtimonia.*
*Pſal. 17.*
*Ibidem. 92.*



*Eſa. 8.*
*Ibid. 12.*
*Pſal 67.*
*Eſaiæ. 33.*
*Sec. 70.*
*Ibid 35.*
*Ibid. 43.*

ſuos, à vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris. Iſtæ ſunt aquæ Siloë, quæ vadũt cum ſilentio, de quibus loquitur Eſaias: haurietis aquas de fontibus Saluatoris. Et pſalmiſta: Benedicite Domino de fontibus Iſrael. Et idem Eſaias de Domino Saluatore: Iſte, ait, habitabit in excelſa ſpelunca petrę fortiſsimæ. Panis ei dabitur, & aqua illi' fidelis. Erupit enim in deſerto aqua, & vallis in terra ſitienti. Diciturque credentibus: Noli timere: quoniam redemi te, vocaui te nomine tuo: meus es tu: & ſi tranſieris per aquam, tecum ego ſum. Et rurſum: Qui ſititis, ite ad aquam. Et per Hieremiam loquitur Deus: duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ: & foderunt ſibi lacus, qui aquam continere non poſſunt. Sicut igitur legimus in bonam partem aquas, quæ egrediuntur de limine templi, & referuntur ad doctrinã Eccleſiæ: ſic ſunt aquæ amaræ, & aquæ peſsimæ, ad quas Hieremias Propheta nos ꝓhibet accedere, dicens: Quid vobis & viæ Aegypti vt bibatis de aquis Geon? quæ Hebraicè dicũtur ſihor, id eſt, turbidæ atque cænoſæ. *Tom. 4. lib. 14. Com. in. cap. 47. Ezechielis.*

*Eſaiæ. 55.*
*Hier. 2.*
*Aquæ duplices aliæ in bonam aliæ in malam partem.*
*Ibidem.*
*Sec. 70.*
שחור

*Viuus et perpetuus fons ſalutaris doctrinæ ſemper fluit in Eccleſia.*

ET dixit ad me &c.] Torrens iſte, qui pro aquarũ abundantia fertur more torrentis, & ſuſcipit de cælo pluuias (de quo in præterita diximus lectione.) ipſe à LXX. appellatur fluuius, eo quod perpetuas aquas habeat, nec de pluuijs hinc inde collectas, ſed de viuo & perpetuo fonte manantes. De quo fluuio multa in ſcripturis ſanctis legimus: ſed in præſentiarum pauca dicenda ſunt: ac primũ illud: fluminis impetus lętificat ciuitatem Dei. Et in alio loco: flumen Dei repletum eſt aquis: præparaſti cibum eorum: quia ſic eſt præparatio eius. Rurſumque pluraliter: Eleuauerũt flumina Domine, eleuauerunt flumina voces ſuas, eleuauerunt flumina fluctus ſuos à vocibus aquarum multarum: Mirabiles elationes maris. Et in Eſaia: faciam in deſerto viam, & in inuio flumina. Et in alio eiuſdem loco manifeſtius: Apparebit in Sion fluuius decurrens, glorioſus in terra ſitienti. Super hunc fluuium erant arbores plurimæ ex vtraque parte ripæ: vt inter duo ſcilicet inſtrumenta, vetus & nouum, clauſus curreret fluuius. Ligna autem multa, vel arbores plurimas & multas nimis, illas arbitror, quas in paradiſo ſcriptura commemorat pomis varijs abundare: docetque Prophetam ductor præuius & magiſter, & dicit: aquæ iſtę quæ egrediuntur, vel in Galilæam gentium iuxta LXX. vel (vt verius in Hebręo continetur) ad tumulos ſabuli Orientalis, & deſcendunt ad plana deſerti, vel ad Arabiam: intrabunt mare, vel ad exitus maris, & ſanabuntur aquæ. Aquas vel baptiſmi gratiam, vel Euangelicam ſignificare doctrinam, dudum diximus. Quæ ſi egrediantur de limine templi Domini, & Apoſtolicam teneant diſciplinam, tumulos ſabuli, ſteriles prius & infertiles, faciunt eſſe frugiferos, & omnia plana atque deſerta ita irrigantur, vt exprimant in ſe Hierichonti fluuij ſacramentum: quem Heliſæus Euangelico & Apoſtolico curauit ſale: in tantum, vt vbi prius ſterilitas fuerat & mors, ibi vbertas eſſet & vita. Nec ſolum deſerta ſanarunt, ſed intrant mare Orientale: mare videlicet mortuum, in quo nihil poterat eſſe vitale, & mare amariſsimum: quod Græcè λίμνη ἀσφάλτου, id eſt, ſtagnum bituminis vocatur. Mirumque in modum aquis euangelicis aquæ ſanantur mortuæ: quæ ab eo quod nihil in ſe vitale habeant, nomen mortis ſortitæ ſunt. Non enim nouerant eum qui dicit: Ego ſum vita & veritas. Et reuera iuxta litteram hucuſque nihil quod ſpiret, & poſsit incedere præ amaritudine nimia in hoc mari inueniri poteſt: nec cochleolæ quidem paruique vermiculi & anguillæ, & cætera animantium ſiue ſerpentium genera: quorum magis corpuſcula poſſumus noſſe quàm nomina. Denique ſi Iordanis auctus imbribus piſces illuc influens rapuerit, ſtatim moriuntur, & pinguibus aquis ſupernatant. Cum hæc itaque nihil vtilitatis habeant, vt ſimplex ſermo teſtatur (etiamſi facta fuerint, quod ſtulta Iudæorum ſuperſtitio credit) iuxta intelligentiam ſpiritualem, Domini torrente curatæ, habebunt piſces plurimos, & viuent omnia ad quæ torrens iſte peruenerit: ita vt piſcatores ſtent ſuper ripas ad Engaddi, vſque ad Engallim: quorum prius fontem ſiue oculum hœdi, ſequens fontem oculumue vitulorum ſonat. Engallim enim in principio eſt maris mortui, vbi Iordanis ingreditur. Engaddi verò vbi finitur et conſumitur. *Tomo quarto libro decimoquarto Commentariorum in caput quadrageſimum ſeptimum Ezech.*

*Pſal. 45.*
*Ibid. 64.*
*Ibid. 92.*
*Eſa. 43.*
*Sec. 70.*
*Ibid. 32.*
*Sec. 70.*
*Inter duo inſtrumenta vetus & nouum clauſus currit fluui'.*
*Aqua euangelica doctrina.*
*4. Reg. 2.*
*Aquis euãgelicis aquæ ſanantur mortuæ.*
*Ioan. 14.*
*Aquæ mortuæ Domini torrente curantur.*

*Eccleſiæ vrbis Domini ſacramenta in Pſal. 44.*

ET hæ menſuræ eius: & cætera.] Quadrageſimus quartus Pſalmus qui inſcribitur, in finem pro his qui commutabuntur, & pertinet ad Idida: id eſt, ad amabilem Domini: ſiue vt interpretatus eſt Aquila, pro lilijs, Symmachuſque pro floribus, Eccleſiæ (quæ vrbs Domini eſt) continet ſacramenta, de qua ſcribitur in eodem Pſalmo: Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate. Et iterum: Omnis gloria filiæ regis intrinſecus vt non ſit ſimilis ſepulchris forinſecus dealbatis, ſed & intus & foris omnia lauet parõpſidis. *Tomo quarto libro 14. Commentariorum in caput quadrageſimũ octauũ Ezech.*

*Matt. 23.*

CONGREGAVI mihi argentum, & cætera.] Argentum & aurum ſemper ſcriptura diuina ſuper ſermone ponit et ſenſu. Vnde & in ſexageſimo ſeptimo Pſal. columba, quæ interpretatur in ſpiritu, propter manifeſtiora & viſui expoſita, alas deargentatas habet: occultiorem verò intrinſecus ſenſum, in pallore operit. Regum autem ſubſtantias, & prouinciarum ſiue regionum in credentium congregauit Eccleſiam: illorum regum, de quibus Pſalmiſta canit: Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum. Illarum quoque regionum, in quas oculos eleuare Saluator præcipit: quia iam candeant ad metendum: Poſſunt regum ſubſtantiæ, & philoſophorum dici dogmata & ſcientiæ ſæculares: quas Eccleſiaſticus vir diligenter intelligens, apprehendit, ſapientes in aſtutia eorum, & perdit ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobat. *Tom. 5. Com. in caput. 2. Eccleſiaſt.*

*Deus omnium regum prouinciarum et regionum diuitias in credentium cõgregauit eccleſiam.*
*Pſal. 2.*
*1. Cor. 1.*

DELITIAE filiorum hominum ſuper ſapientia intelligendæ, quæ ad inſtar paradiſi habet poma varia, & multiplices voluptates. Et de ipſa præcipitur: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui: Et in alio loco: Torrente voluptatis tuæ potabis eos. *Ibid.*

QVI

*Si ſpiritualiter intelligimus ſcripturas ditior eſt Eccleſia ſynagoga, at ſi carnaliter, cõtra.* *Exod. 34.* *2. Cor. 3.*

QVI fuerunt ante me in Hierusalem, &cætera. ] De his dicit qui ante aduentum, ſuum congregationem ſanctorum & Eccleſiam gubernauerunt. Si ſpiritualiter intelligimus ſcripturas, ditior eſt Chriſtus omnibus, ſi tantum carnaliter, melius intelligitur ſynagoga quàm Eccleſia. Tulit ergo velamen quod fuerat poſitum ſuper vultum Moyſi & pleno lumine faciem eius videre nos fecit. *Ibid. Folio ſexto.*

*Pſal. 18.* *Cæli terram cæleſti pluuia irrigant.* *Omnium rerum abundãtia in eccleſia.* *Matt. 13.* *Propter ſemẽ Dei mutata rerum vocabula.*

ET erit in die illa, &cætera. ] In die illa & in illo tempore, quando te mihi in fide deſponderо, & cognoueris quod ego ſim Dominus: exaudiam cœlos, qui enarrant gloriam DEI, & cœli exaudient terram, vt eam cœleſti pluuia irrigent; & terra (de qua orta eſt veritas, & in cuius agrum paterfamilias egreditur vt ſeminet ſemen ſuum) exaudiet triticum, vt vinum, & oleum, de quibus ſupra diximus, & hæc omnia exaudient Iezrahel, ideſt, ſemen Dei: vt intelligatur omnium rerum abundantia, atque fertilis ob Dei ſemen, qui Chriſtus eſt, condonari: Quod Dei ſemen ſeminatur in terra, vt multiplices fructus afferat, centenarium, ſexagenarium, & tricenarium. Et illa meretrix, quæ Deo fuerat copulata, & tres ediderat liberos: duos maſculos, & vnam fœminam: primum Iezrahel, ſecundam abſque miſericordia, tertium non populus meus: videat propter ſemen DEI mutata eſſe rerum vocabula, & in Chriſti fide conſecutam miſericordiam, quæ abſque miſericordia erat, & vocatum populum Dei, qui prius non populus vocabatur. *Tom. 5. lib. 1. Com. in ca. 2. Oſeæ. Fol. 42.*

*Tribus Iuda eſt eccleſiæ typus.* *Trib⁹ Ephraim typus hæreticorum.*

CIRCVNDEDIT me in negatione, &cæt.] Nos cœptæ explanationis ſequamur ordinem: quod circũdederit Ephraim regia trib. & dom⁹ Iſrael, populus qui tribui regiæ ſeruiebat circũdederit eum in negatione ſiue mendacio: dum Dominum negant & idolo confitentur. Iudas autem, hoc eſt, duę tribus, quę habebant templũ, legem, prophetas, & ſeruabant præcepta legalia, erant teſtes, gradienteſque cum Deo, & cum ſanctis fideles. Sanctos poſſumus dicere, vel angelos vel patriarchas ac prophetas, & cęteros qui Dei imperio ſeruiebant. Ad comparationem enim illius temporis, quo hæc dicebantur, aberrante penitus Ephraim, & decepto in Idolorum cultu Iſrael, ſolus Iuda remanſerat, qui in Dei cultu & teſtimonijs verſaretur, & poſſet deſcendere cum eo, ſiue fortis eſſe cum forte. *Tomo quinto libro ſecundo Commentar. in cap. vndecimum. Oſeæ. Fol. 69.*

*Pſal. 51.* *Matt. 25.* *Oliua frugifera eccleſia, ſub cuius vmbra ſancti requieſcunt.* *2. Cor. 2.* *Cant. 2.*

ET ne forſitan putaremus, quia dixerat, erumpet radix eius, ſiue emittet radices ſuas quaſi Libanus, de cedris eum loqui & infructuoſis arboribus: ſanctum virum & conuerſum ad Dominũ oliuæ frugiferæ comparat: quæ dicit in alio loco: Ego autẽ ſicut oliua fructifera in domo Dei. Cuius fructum quinque ſibi ſapientes virgines parauerunt: ex quo vulnerum mitigatur tumor: languentia membra requieſcunt, in tenebris lumen accenditur: vnguntur in agone certantes. Hęc oliua habebit odorem quaſi Libani vel thuris (quod genus eſt thymiamatis) ὁμωνύμως enim apud Græcos & Hebræos, & mons appellatur & thus. Vel certè montis Libani, qui fertiliſsimus & virẽs, denſiſsimis arborum comis protegitur: ita vt poſsit oliua dicere: Chriſti bonus odor ſumus. Qui autem conuerſi fuerint ad Dominum, accipient conuerſionis ſuæ præmium, vt ſedeãt in vmbra eius, & dicant, ſub vmbra eius requieui & ſedi, & fructus eius dulcis eſt in ore meo. Cũque ſederint in vmbra illius, viuent qui prius mortui fuerant, ſiue iuxta Lxx. bibent, & inebriabuntur tritico, hoc eſt, rerum omnium abũdantia. Quod autem hic ebrietas, non euerſionẽ mentis, ſed copiam omnium rerum ſignificet, verſiculus ille declarat; dicens: Viſitaſti terram, & inebriaſti eam. Et Ioſeph conuiuium, in quo inebriaſſe dicitur fratres ſuos. Et Dominus loquens ad Apoſtolos: Comedite amici mei, & bibite, & inebriamini fratres. Siue, quia Dominus noſter ipſe ſit frumentum & vinea, quicunque crediderit in eo inebriari dicitur. Deniq; ſequitur: Et efflorebit quaſi vinea: memoriale eius ſicut vinum Libani. Vinum autem Libanum poſſumus appellare miſtum & conditum thymiamate, vt odorem ſuauiſsimum habeat: vel vinũ Libani quod Domino libatur in tẽplo: de eo in Zacharia ſub Libani vocabulo legimus: Aperi Libane portas tuas. Cum ergo tanta rerum abũdantia ſit futura, ô Ephraim, omnis qui agis pœnitentiam, & qui meus eſſe cœpiſti: dimitte idola, ſimulacra contemne: Ego enim ſum qui humiliaui te, & ego exaltabo te: ſiue ego exaudiam & dirigam, & faciam eum quaſi abietem virentem: vt de illo iuxta Hebræos dicatur in Pſalmo: Abies domus eius. Aut certè ego ero quaſi iuniperus cõdenſa, vt ſub mea vmbra requieſcat. De ἀρκεύθοις, id eſt, iuniperis, iuxta Lxx interpret. Salomon ianuas templi feciſſe memoratur: quia Chriſtus per quem ad patrem accedimus, hãc habet naturam, vt ſemper floreat, ſemper nouos afferat fructus, & nunquam deponat virorem ſuũ. Hæc iuniperus ſub vmbra ſua quieſcentibus, ne mundi huius ardore feriantur, & percutiat æſtus caput eorum, ſicut quondam percuſsis & Ionæ, dat fruges, & non ſolum dormientibus requiem & ſedentibus, ſed & ſaturitatem veſcentibus præbet. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 14. Oſeæ.*

*Spiritualis ebrietas eccleſiæ omnium rerum abundantia.* *Pſal. 64.* *Gen. 43.* *Cant. 5.* *conuiuium Ioſeph typus conuiuij Chriſti cum Apoſtolis.* *Zach. 11.* *Vaticinium de omnium rerum abundantia in Eccleſia.* *Pſal. 103.* *3. Reg. 6.* *Chriſtus iuniperus et cur.* *Ionæ. 4.*

*In Eccleſia perfectiores montes ſudabunt & ſtillabunt ex ijs gratiæ ſpirituales.* *Pſal. 118.* *De imperfectioribus fluent riui lactis & aquarum flumina.* *Ioan. 7.* *Cuncta redũdabunt gratia ſpirituali.* *Ezech. 47.* *Zach. 13.*

ET erit in die illa, &c.] Habitante Domino in Sion & in monte ſancto ſuo, quãdo nullus per Hieruſalem ſanctam pertranſire tentauerit, quicunque in ea mons fuerit, & ad virtutum excelſa peruenerit, dulcedine & melle ſudabit, & ſtillabunt ex eo gratiæ ſpirituales: de quibus propheta loquitur: Quã dulcia gutturi meo eloquia tua: ſuper mel ori meo. Qui autem inferior mõtibus eſt, & necdum ad perfectionis culmen aſcenderit, vocabitur collis, & fluent de eo riui lactis, quibus rudis in Chriſto nutritur infantia: & aquarum flumina, quæ de ventre ſuo Dominus manare teſtatus eſt. Omnes enim riui ſiue emiſsiones Iuda implebuntur aquis, & nihil in eis ſiccum erit, redundantibus cunctis gratia ſpirituali. *Tom. 5. Com. in cap. 3. Ioelis. Fol. 89.*

*Aquæ largiſsimæ & omnium virtutum flores multiplices in eccleſia.*

ET fons de domo Domini egredietur, &c.] Egredietur fons de domo Domini, quæ interpretatur Eccleſia. De quo & Ezechiel & Zacharias ponunt in fine voluminũ ſuorum: vt ſpinas noſtras & vitia atque peccata, quæ nullam frugem habuêre iuſtitiæ, commutent in Dñi noualia, & ariditatem noſtram rigent aquis largiſsimis, & pro ſpinis ac vepribus flores virtutũ multiplices germinemus. Et in eo loco vbi quondã fornicat⁹ eſt Iſrael, & initiat⁹ eſt Beelphegor, lilia caſtitatis & roſę pudoris ac virginitatis exuberent. *Ibidem. Fol. 90.*



*In ſola eccleſia eſt vera fidei cõfeſsio.* *2. Pet. 2.* *1. Tim. 5.* *Rom. 2.*

HAEC dicit Dominus, &cæte.] Quidquid de Iuda diximus, refertur ad Eccleſiam, in qua eſt vera confeſsio, & pax Domini, & viſio veritatis. Et ideo arguitur quod legem Dei contempſerit, & eius mandata non fecerit, & vnuſquiſq; adorans vitia ſua atque peccata, Deum cœperit habere, à quo victus eſt, dicente Petro Apoſtolo: à quo enim quis ſuperatur, hui⁹ eſt ſeruus. Auarus aurum, guloſus ventrem, libidinoſus panem & Beelphegor colit: laſciua mulier, quæ cum ſit in delitijs viuens, mortua eſt, adorat Venereas voluptates. Vnde mittet Dominus ignem in Iuda, & deuorabit ædes peſsimas & fundamenta vitioſa, quæ Hieruſalem gloriam perdiderunt: ſimulque diſcimus creatorem omnium, non ſolum Iudæ & Iſrael, ſed vniuerſarum gentium habere curam, & iuxta Apoſtolum, eos qui ſine lege peccauerunt perire ſine lege, & qui in lege commiſere delicta, lege Domini iudicari. *Tom. 5. lib. 1. Commentar. in caput 2. Amos Fol. 96.*

*Eſaia. 5.* *Hæretici nõ habent pluuiam & rorẽ ſpiritualem.* *Vt luna à ſole: ſic Eccleſia à Chriſto illuminatur.* *Eccleſiæ & lunæ Chriſti & ſolis comparatio.* *Ioſue. 4.* *Dominus pluit ſuper eccleſiam et non ſuper cõciliabula hæreticorum.* *De ciuitate Dei egreditur fons largiſsimus.* *Ioel. 3.* *Hieri. 2.* *Pſal. 41.* *Luc. 23.* *Eſaiæ. 9.* *Vniuerſa Iudæorum feſtiuitas ad Eccleſiæ tranſlata eſt myſteria.*

EGO quoque prohibui, &c.] Prohibet ſiue reprimit ab hæreticis Dominus pluuias ſpirituales, & omnem rorem diuinæ ſapientiæ, & mandat nubibus ſuis ne pluant ſuper eos imbrem, ante tres menſes meſsis ſiue vindemiæ: vt ad fructus myſterij trinitatis peruenire non poſsint. Et quo modo ſol iſte, quem cernimus, annuum curſum, donec ad priſtinam metam redeat, duodecim explet menſibus, qui ſinguli tricenis voluuntur diebus, & luna quæ Hebraicè Iareah. Græcè μήνη dicitur, iuxta vtramque linguam ex ſuo nomine menſibus nomen dedit, & ſolis illuſtratur radijs ab ea parte, quæ ei vicina eſt, vel plus vel minus pro varietate temporum lumen accipiens: Sic & Eccleſia veri ſolis ſplendore decorata, duodecim implet Apoſtolorum numerum. Vnde & duodecim in Iſrael appellantur tribus, & in teſtimonium æternæ memoriæ de Iordanis alueo duodecim lapides auferuntur, vt ponantur in loco ſecundæ circunciſionis. Pluit autem Dominus ſuper vnam ciuitatem veræ confeſsionis Eccleſiam, & ſuper alteram non pluit, quæ in hæreticorum conciliabulis eſt. Cumque illa imbrem recipiat ſempiternum, iſta iugi ariditate ſiccatur: vt qui ſitiunt coacti penuria veniant ad Domini ciuitatem, de qua egreditur fons largiſsimus, qui irrigat torrentem ſpinarum. Iſte autem eſt fons, qui dicit per Hieremiam: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi lacus contritos, qui aquas continere non poſſunt. Hic fons de vno fonte procedens, triplici vnione decurrit: quos fontes patris & filij & ſpiritus ſancti in cerui ſitientis modum pſalmiſta ſuſpirat, dicens: Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus. Cumque duæ & tres ciuitates ad vnam perrexerint ciuitatem, in qua aquæ ſunt abundantes, ſpei, fidei, charitatis, non ſatiabuntur: quia ad diuinam gratiam requirendam, non voluntate, ſed neceſsitate venerunt. *Tomo quinto lib. 2. Commentariorum. in caput quartum Amos.*

DIES illa, diẽ captiuitatis ſignificat &c.] Poſſumus hunc locum & in Domini intelligere paſſione, quando ſol hora ſexta retraxit radios ſuos & pendentem in cruce Dominum ſuum ſpectare non auſus eſt: quando tenebris cuncta placentibus feſtiuitates eorum & cantica, Veſpaſiano Titoque ſuperantibus, in planctum luctumque mutata ſunt: quando lachrymarum & pœnitudinis & ciliciorum repleta ſunt omnia, & capita habuêre caluitium, quæ prius Nazaræorum decorata cæſarie, comam Domino nutriebant. Tunc primogenitus filius Dei populus Iſrael: qui in vnigenitum & verè filium DEI miſerat manum, æterno luctui traditus eſt, & nouiſsima huius, ſiue qui cum eo erant, amaritudine repleta. Nunc ergo illis habentibus tenebras, qui repulerunt ſolem iuſtitiæ, nos qui ſedebamus in tenebris & in vmbra mortis, vidimus lucem magnam, & illorum vniuerſa feſtiuitas ad Eccleſiæ tranſlata eſt myſteria: vt illis flentibus, nos laudes Domino concinamus. Illi pro zona accinguntur funibus & cilicijs: nobis cum Apoſtolis dicitur: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Nos accincti ſumus Chriſti veritate, implentes illud quod ſcriptum eſt: State accincti lumbos veſtros in veritate. Illi autem pro veritate circundati ſunt diaboli mendacio. Noſtrũ caput, de quo Saluator loquitur: Veſtri autem & capilli capitis numerati ſunt, habet comam perpetuam, & in capite noſtro, qui Chriſtus eſt, fortitudinem poſsidemus, vt interficiamus leonem. Illi autem dormierunt in meretricis ſynagogę genibus, & diabolo tondente deraſi, virtutem capitis perdiderunt, amittentes cum robore oculos: de quibus in Eccleſiaſte ſcriptum eſt; Sapientis oculi in capite eius: qui autem ſtultus eſt, in tenebris ambulat. Illorum ſocij verſantur in luctu: noſtri comites induuntur lætitiæ veſtimento. *Tom. 5. lib. 3. Com. in cap. octauũ Amos.*

*Luc. 23.* *Epheſ. 6.* *Matt. 10.* *Iud. 14.* *Synagoga meretrix Dalila, Samſon Iudæi.* *Eccle. 2.*

*Quod in ſynagogis cecidit ſurgit in Eccleſia Chriſti.* *Rom. 11.* *Ioan. 17.* *Quæcunque de ædificatione Hieruſalẽ & templi et rerum omnium beatitudine prædicantur*

IN die illa ſuſcitabo tabernaculum Dauid. &c.] Nunc iuxta conſuetudinem ſcripturarum, poſt tormenta, poſt pœnas, proſpera & læta promittens, ſuſcitaturum eſſe ſe dicit: & in reſurrectione Domini omnia reſtituturum: vt quod in ſynagogis ceciderat, ſurgat in Eccleſijs, & poſsideant credentes reliquias Idumææ, & omnes nationes: vt quidquid reliquum fuerit de regno ſanguinario atque terreno, in cœleſtia regna mutetur, & omnes gentes quæ oblitæ ſunt Dominum, conuertantur & reuertantur ad eum. Sin autem iuxta Lxx. legere voluerimus, vt quærant me reliqui hominum, & omnes gentes ſuper quas inuocatum eſt nomen meum: reliquos hominum eos debemus accipere, qui de Iudaico populo crediderunt, & quaſi lapillus non ceciderunt de cribro: nec cum puluere paleiſq; & ſordibus ſunt proiecti. Reliquiæ .n. in principo, fidei ſaluæ fient, & in fine mundi: vt cum ſubintrauerit plenitudo gentiũ; tunc omnis Iſrael ſaluus fiat. Nomen autẽ Domini quod inuocatum ſuper reliquos; & ſuper omnes gẽtes, illud eſt, de quo Saluator dicit: Pater reuelaui nomen tuum hominibus. Et ne longo ſermone regulam differam ſponſionum, & in hoc propheta, & in cæteris, quæcunque de ædificatione Hieruſalem & templi, & rerum omnium beatitudine prædicantur, Iudæi in vltimo tempore vana ſibi expectatione pro-

*quotidie in eccleſia conuincimus expleta & quotidie in ſingulis impleri.*

promittunt, & carnaliter implenda commemorant: Nos autem qui non occidentem litteram, ſed ſpiritum ſequimur viuificantem: iam in Eccleſia conuincimus expleta, & quotidie impleri in ſingulis: qui ruentes per peccatum, reædificantur per pænitentiã. *Tom. 5. li. 3. Com. in cap. 9. Amos. Fol. 125.*

*Pſal. 125.*

*Rerum omnium abundantia futura in eccleſia prædicitur.*

*Geneſ. 4.*

*Pſal. 33.*
*Ibid. 118.*

ECCE dies veniunt, dicit Dominus, &cæte.] Suſcitato tabernaculo Dauid quod ceciderat, & reædificatis his quæ fuerant lapſa atque ſubuerſa, deſcribitur rerum omnium abundantia: quomodo hi qui prius euntes ibant & flebant portantes ſemina ſua: venientes venient cum exultatione portantes manipulos ſuos: vt conſequatur manipulorum tritura vindemiam, ſiue arator meſſorem, & vua varietur, ac ducat calorem in tempore ſeminis: ſiue vt verius eſt, calcator vuæ comprehendat ſementem, & ſic ſibi inuicem cũcta ſuccedant: vt nulla dies ſit abſque frumento, vino, & gaudio. In illo tempore plenis torcularibus vua calcabitur, & de Chriſti ac martyrum ſanguine rubentia muſta fundentur, & huiuſcemodi calcator vuæ erit ſeminarium ſermonis Dei: vt ſanguis eorum magis clamet in mundo, quam clamauit ſanguis Abel iuſti. Quicunque autem merito virtutum ſuarum ad montana conſcenderit: melle ſudabit, imò ſtillabit dulcedinẽ ſermonis Dei, de quo ſcriptum eſt: Guſtate & videte quam ſuauis eſt Dominus: Et quã dulcia eloquia tua gutturi meo: ſuper mel & fauum ori mei. Et qui infra montes, imò ſecundi à montibus fuerint (quos ſponſus tranſilit in Cãtico canticorum, & appellat colles) conſiti erunt & imitabuntur paradiſum Dei: vt omnia in illis poma pendeant doctrinarum. Tunc ſi quis infidelitate captiuus eſt, & necdum credidit in nomine Domini, & eſt de reliquijs populi quondam eius Iſrael, reuertetur ad fidem Chriſti: vt quem in prophetis audierat, in euangelio teneat. *Ibid. Com. in cap. 9. Amos.*

*Cant. 2.*
*Eccleſia paradiſus Dei vbi pendent omnia poma doctrinarũ.*
*Quem in prophetis audiuimus in euangelio tenemus.*

CAPTIVITAS ſiue tranſmigratio Hieruſalem (vbi quondam erat viſio pacis, & quæ nunc in toto orbe diſperſa eſt) poſsidebit ciuitates auſtri, id eſt, eccleſias veri & perfecti luminis, dicetque cum ſponſa pœnitens: Vbi paſcis, vbi cubas in meridie? Et cum Ioſeph in antiquam germanitatẽ recepta, inebriabitur ſanguine paſtoris & principis. Quod ſi iuxta LXX. Ephrata legimus, nulli dubium eſt quin Chriſti intelligatur fides. Ephrata enim interpretatur καρποφορία, id eſt, vbertas: & διοώνυμος eſt, appellaturque Bethleem, in qua ortus eſt cœleſtis panis. His autem ita geſtis, aſcendent Saluatores, vel qui ſaluati fuerint de reliquijs populi Iudaici, in montem Sion, vt iudicent & vlciſcantur montem Eſau. *Tomo quinto Commentariorum in caput primum Abdiæ in fine.*

*Cant. 1.*
*Eccleſiæ chriſtianorum veri & perfecti luminis*

*Eccleſiæ Vniuerſitas. Vnitas. Vrbes. Lex. prophetæ. apoſtoli.*
*Eccleſia de finibus ſuis id eſt ſacris ſcripturis nõ egreditur.*
*Spirituales gratiæ & copiæ virtutũ in Eccleſia.*
*Pſal. 121.*

ECCLESIA Chriſti, quæ habitat bene, & in toto orbe Eccleſias poſsidens, ſpiritus vnitate cõiuncta eſt, & habet vrbes, legis, prophetarum, euangelij, & Apoſtolorum: non eſt egreſſa de finibus ſuis, id eſt, de ſcripturis ſanctis: ſed cœptam poſſeſsionem: quia habitat in Sennam, quod interpretatus eſt (vt ſupra diximus) Symmachus, abundantiam: habet enim patrem & filium & ſpiritum ſanctum: cum quibus omnes ſpirituales gratiæ, copiæque virtutum ſunt. Vnde dicitur ad eam: Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. *Tomo quinto libro primo Com. in caput. 1. Michææ.*

*Pſal. 103.*
*Geneſ. 9.*
*Cant. 5.*
*Ebrietas ſpiritualis in eccleſia.*
*Dan. 2.*
*1. Cor. 1.*
*Ibid. 13.*
*Sapientia Eccleſiæ cõparatione cœleſtis Hieruſalem ſtilla eſt & gutta modica.*
*Matt. 15.*
*Eſau typus Iudæorum Iacob eccleſiæ & Chriſtianorum.*

SPIRITVS ſtatuit mendacium, &c.] Spiritus Dei, qui finem mendacio poſuit in pſeudoprophetis, ipſe tibi ſtillabit in vinum & ebrietatem. Vinum quod lætificat cor hominis, & ebrietatẽ qua inebriatus eſt Noë, & de qua dicitur: Comedite amici mei, & inebriamini. Hæc autem omnis lætitia & ebrietas ad comparationem ſapientię Dei, quæ velut fluuius cœleſtem irrigat Hieruſalem, ſtilla eſt, & gutta permodica. Nec dubitabunt ſapientiæ Dei ſtillam in hominibus dicere, qui lapidem abſciſſum de monte ſine manibus legerint, & fatuum Dei ſapientius hominibus, & Apoſtolos quoque ipſos ex parte cognouiſſe, & ex parte prophetaſſe. De hac igitur ſapientia, id eſt, de ſtilla Iudaici populi (non enim venit niſi ad oues perditas, domus Iſrael) congregatus eſt Iacob: omnis qui ſupplantat Eſau, & eripit primitiua eius ac benedictionem, & antequam naſcatur adhuc in vtero poſitus, plantam piloſi fratris inuadit. *Tom. 5. lib. 2. Commen. in cap. 2. Micheæ.*

*Pſal. 22.*
*Inſignia Eccleſiæ pabula*
*Ioan. 17.*

ET ſtabit, & paſcet in fortitudine Domini.] Poſtquam ſol iuſtitiæ egreſſus fuerit à ſummitate cœlorum, & peruenerit vſque ad terminos eorum, & pepererit pariens, & reliquię fratrum eius conuerſæ fuerint ad filios Iſrael: tũc ipſe Dominus, qui prius ambulabat, & cum his qui in itinere erant poſiti, necdum habebat fixum gradũ, ſtabit, & paſcet eos in fortitudine domini, vt poſſint dicere. Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ, ibi me collocauit: ſuper aquas refectionis enutriuit me, animam meam cõuertit. Paſcet autem eos, non ſolum in fortitudine Domini, ſed in ſublimitate nominis Domini Dei ſui: quando dicit ad patrem: Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum ſicut & nos: quando eram cum eis, ego ſeruabam eos in nomine tuo: quos dediſti mihi, cuſtodiui, & nullus ex his perijt: Et conuertentur, ſiue vt melius interpretatus eſt Symmachus, habitabunt. Iaſabou enim verbum Hebraicum vtrumque ſignificat. Habitabunt enim in eccleſia Domini, quia magnificatus eſt Chriſtus vſque ad terminum terræ. Siue iuxta LXX. quia magnificantur ipſi cum paſtore ſuo, vſque ad extremum terræ: vt in omnem terram exeat ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Tomo. 5. lib. ſecundo Commentariorum in caput quintum Michææ. Fol. 160.*

ישבו

*Pſal. 18.*
*Extra eccleſiam populus in ſaltu verſatur errorũ.*
*2. Cor. 7.*

PASCE populum tuum, &c.] Populus Dei, & oues paſcuæ eius, quæ prius paſcebantur abſque grege Domini, & extra Eccleſiam eius, in ſaltu verſabantur errorum, poſtea transferuntur ad notitiam veræ circuncisionis, & ſeruient Deo in ſpiritu, & gloriabuntur in Domino, & non in carne confident, & erunt vera circunciſio, & non conciſio. Cumque paſti fuerint ſpirituali circunciſione, intelligentes peccata priſtina, confundentur in vitijs ſuis, & erubeſcent, & erunt in confuſione quę ducit ad vitam: quia eſt & alia confuſio quæ ducit ad mortem: in qua habitauit quondam Og rex Baſan: ſiquidem Baſan interpretatur confuſio, de qua confuſione peſsima, & Dominus repromittit liberaturum ſe populum ſuum. Dixit Dominus, ex Baſan conuertam, conuertam de profundo maris.



*Pſal. 67.*
*Ad Eccleſiã Chriſti teſtimonia legis et prophetarum eloquia tranſcenderunt.*
*Deut. 32.*
*Sec 70.*

ris. Cumque ſcierimus veram circunciſionem, & confuſi fuerimus ſuper peccatis noſtris: tunc erimus in Galaad (quę interpretatur tranſmigratio teſtimonij) in Eccleſia Chriſti: ad quam teſtimonia, leges & prophetarum eloquia tranſcenderunt: & hoc fiet nobis ſecundùm dies antiquos, ſecũdum dies, quando egreſsi ſumus de terra Aegypti: de quibus Moyſes dicit: Recordamini dies æternitatis, non dies huius ſæculi: qui appellantur mali, ſed dies perpetuos. Recordatur autem dierum æternitatis, qui non aſpicit præſentia: ſurrexitque cum Chriſto, & ſedet cum eo in cæleſtibus, iam mente præſumens ſe de diebus præſentis ſæculi liberatum. *Tom. 5. lib. 2. Com. in ca. 7. Michææ.*

*Luc. 12.*

VAE qui ædificant ciuitatem in ſanguinibus, &c.] Hæreticis in igne deficientibus (quod ſentitur: aut diaboli principis ſui igne conſumptis: aut certè ſuccenſis igne Domini, de quo ait: Ignẽ veni mittere ſuper terrã & q̃ volo vt ardeat? & de priore curſu retractis & agentibus pęnitentiam, & cæptum iter deſerentibus, quod ſonat, ὀλιγοψυχία) replebitur vniuerſa terra gloria Domini: quando ad prædicationem Apoſtolorum in vniuerſum orbem exierit ſonus eorum. Sicut aquæ operientes mare, id eſt, vt omnem ſalſuginem & amaritudinem ſæculi, quam terra biberat, pluente deſuper diabolo, aquę Domini operiant, & efficiant maris locum & amaritudinis priſtinę non apparere. Vnde & in Pſamo dicitur: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. *Tomo quinto Commentariorum in cap. 2. Habac.*

*Pſal. 18.*
*Promiſsio de copia ſcientiæ & veritatis in Eccleſia.*

OPERVIT cœlos gloria eius, &c.] Manifeſtũ eſt iuxta hebraicum, quod in aduentu Chriſti cuncta repleta ſint gloria, ſecundum illud quo in Euangelio dicitur: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonę voluntatis. Et alibi Pacem fecit in cęlis & in terra per ſanguinem crucis, & ſedit in dextera magnitudinis: velociter enim currit ſermo eius. Et alibi: Domine Dominus noſter quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra. Et rurſum in Pſalmo decimo octauo: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Splendor quoque eius, quaſi ſol iuſtitiæ clara luce radiauit, & cornua in manibus eius, vexilla & trophæa crucis, & in ipſis cornibus abſcondita eſt, fortitudo eius. Cũ enim eſſet in forma Dei, non rapinã arbitratus eſt æqualẽ ſe eſſe Deo: ſed exinaniuit ſe, formam ſerui accipiẽs: factus obediens patri vſq; ad mortem, mortẽ aũt crucis. In cruce ergo pauliſper abſcondita eſt fortitudo eius quando dicebat ad patrem: Triſtis eſt, anima mea vſque ad mortem. Et pater ſi poſsibile eſt, tranſeat iſte calix à me. Et in ipſa cruce: Pater in manus tuas cõmendo ſpiritum meum. Porro iuxta LXX. in eo quod dictum eſt: Operuit cælos virtus eius: noſſe debemus minus eſſe quod operitur, ab eo quod operit: ſi tamen totum operiatur, & non ex parte quod opertum eſt. Cum ergo virtus Dei operiat cælos, maior eſt cœlis virtus eius, qua operiuntur cœli. Cęlos autem eos eſſe qui portent imaginem ſuper cæleſtis, qui enarrent gloriam Dei, crebro legimus. Virtutem quoque Dei Dominum Saluatorem, Apoſtolus probat: Chriſtus Dei virtus, & Dei ſapientia. Hæc virtus omnium ſpiritualium virtutum quaſi mater eſt: Verbi gratia: appellatur virtus ſapientia, fortitudo, iuſtitia, temperantia, veritas, ſanctitas, redemptio. Chriſtus autem factus eſt nobis à Deo ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. Hæ igitur ſpeciales virtutes, in quibus Chriſtus oſtenditur (ſecundum profectum eorum, qui eum vel ſapientiam recipiunt, vel fortitudinem, vel iuſtitiam, & cętera huiuſcemodi) continentur in generali virtute Dei, hoc eſt, in Domino ſaluatore: Atque in hunc modum & de terra intelligimus: quod qui primum propter imaginem terreni terra vocabantur, & dicebatur ad eos: terra es & in terram ibis: in aduentu Saluatoris laude Domini repleantur. Cum autem & cœli virtute Dei operti fuerint (protecti videlicet & ex omni parte veſtiti) & vniuerſa terra repleta laude Dei, tunc ſplendor eius vt lux erit. Imaginem autem Dei & ſplendorem gloriæ eius, eſſe Deum Saluatorem, Apoſtolus non tacet: Qui poſtquam nobis apparuit ſplendor gloriæ Dei, reuerſus eſt, ad priſtinam maieſtatem. Et ſi enim noueramus Chriſtum ſecundùm carnem, ſed non nouimus eum iuxta carnem, verùm iuxta ſpiritum: Quia quod factum eſt, in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum: quod & manifeſtius in Euangelio ſaluator oſtendens ait: Pater glorifica me gloria quam habui apud te, prius quam mundus fieret: vt poſt aſcenſionem ad cœlos, ſit ſplendor quod lux, hoc eſt, id accipiat filius eſſe quod pater eſt. *Tomo 5. lib. 2. Com. in cap. 3. Habacuc.*

*De gloria et magnificentia Eccleſiæ in terris.*
*Luc. 2.*
*Col. 1.*
*Pſal. 147.*
*Pſal. 8.*
*Phili. 2.*
*Matt. 26.*
*Luc. 23.*
*Cœli ſunt Apoſtoli & ſancti.*
*1. Corin. 1.*
*Geneſ. 3.*
*Eccleſiæ ſplẽdor & lux.*
*Hebr. 1.*
*Ioan. 1.*
*Ioan. 17.*

NVMQVID in fluminibus iratus es domine? &c.] Quod dicit: Numquid in fluminibus iratus es Domine, aut in fluminibus furor eius, vel in mari impetus tuus, dicit ambiguè & interrogantis magis eloquio, quàm probantis. Sunt enim & bona flumina, ſunt & mala. Eſt mare peſsimum, & eſt mare optimum. Bonorum fluminum, illud exemplum eſt: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: Et quod: qui de aqua Domini biberit fluẽt de ventre eius flumina aquæ ſalientis in vitam æternam. Malorum illud quod Pharao loquitur in Ezechiele: Mea ſunt flumina, & ego feci illa: in quibus draco habitat, & multa his ſimilia. Quod autem mare in bonam partem accipiatur, Pſalmus viceſimus tertius teſtimonio eſt, in quo tropoligicè de Eccleſia dicitur, ἡ οἰκουμένη, id eſt, orbis terrarum: Domini eſt terra & plenitudo eius: orbis terrarum, & omnes qui habitant in eo: ipſe ſuper mare fundauit eum, & ſuper flumina preparauit illum, id eſt, orbem. Quod autem à Domino fundatur ſuper flumina, & præparatur ſuper mare: vtique in bonam partem accipitur. Nec non & illud quod de vinea dicitur, quæ translata eſt de Aegypto: Extendiſti propagines eius vſque ad mare, & vſque ad flumina flagella eius: vſque ad mare, puto quod in bonam partem poſsit accipi. Et dicimus verba diuina, quæ manifeſtiora ſunt, & quaſi pctum ſitientibus præbent, hæc dici flumina.] *Ibidem Fol. 199.*

*Duplicia flumina bona & mala.*
*Pſal 45.*
*Ioan. 4.*
*Ezech. 29.*
*Flumina & aqua in bonam partem οἰκουμένης Eccleſiæ deſcriptio.*
*Eccleſia ædificata ſuper flumina ſcripturarum.*
*Pſal. 79.*
*Verba diuina flumina quæ potum ſitientibus præbent.*

QVOD ſi bona ſunt flumina, & bonum mare: lauatur illis Ieſus, & Eccleſiam ſuam ſuper huiuſcemodi mare collocat. *Ibid.*

*Iob. 38.*
*Sec. 70.*
*Eccleſia collocata ſuper ſcripturam.*

FLVVIOS ſcindes terræ, &cæt.] Legimus in his qui de mirabilib. confecerũt volumina, & qui olympiadas Græciæ ad noſtram vſque memoriam perduxerunt, exponẽtes quid in ſingulis annis

*Olympiadas græciæ qui ſcripſerũt, quid tradent.*

nis noui acciderit in mundo quod inter cætera terræ motu eruperint flumina, quæ ante non fuerant: & rurſum alia abſorpta ſint & peſſum ierint: quod ſcilicet omnes terrarũ venæ, quaſi in humano corpore ſanguinem, ita in ſe habeant latentes aquas, quæ terræ concuſſione rumpantur, & manent in flumina. Hoc ſi intelleximus, videamus animam humanam habere in ſe naturaliter aquas & fluuios, & per ſocordiam noſtram eos eſſe abſconditos, & non fluere. Cum autem ad prædicationem ſermonis Dei concuſſa fuerint, & de priori ſtatu mota, tunc erumpere quod latebat, & in refectionem potantium fluere. Hoc ipſum reor & illud ſignificare in Geneſi, quod fodiuntur putei à ſeruis Iſaac, quos ab Abraham factos Philiſtim terra obruerant. Quã diu viuit Abraham, putei illius, non clauduntur: illo autem mortuo, & puteis obturatis, ſi ſerui fodiant, contradicunt Philiſtim, & iurgium eſt. Si verò ipſe veniat Iſaac, & fodiat puteum, & inueniat aquam Philiſtim non valent contradicere. Vide Petrum & Paulum, & de puteis Chriſti fluuijſque non ambiges. Cerne omnes Apoſtolos, & iam non quatuor flumina, ſed duodecim fluuios intelliges exire de paradiſo ſcripturarum. Iſti fluuij antequam terra cõmoueretur, latebant: & cum eſſent in terræ venis, ſitientibus pocula non prębebant. Poſtquã verò ad aduentũ Chriſti orbis & omnis terra concuſſa eſt, ſubito proruperunt, & tunc completum eſt: Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim: terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia habitantiũ in ea. Poſuit deſertum in paludes aquarum, & terram ſine aqua in fontes aquarum, & habitare fecit ibi eſurientes, & conſtituerunt ciuitatem ad habitandum. Poſtquam enim Dominus venit in mũdum, & completũ eſt illud quod dixit in Euangelio: In iudiciũ ego in mundũ iſtũ veni: vt qui nõ videbant, viderẽt: & qui videbãt cæci fierent. Tunc terra Iſrael, de qua fluuij ante manabãt & irrigabant vniuerſum Iudęæ populũ aruit, & fontes illius obturati ſunt. Vniuerſus aũt orbis qui erat deſertus & ſterilis, & aquas prædicationis Dominicæ non habebat, verſus eſt in paludes aquarum, & quot doctores emiſit, tot habuit & fontes. Nec ſufficit eis, fontibus videlicet atque fluminibus irrigare orbis populos: ſed in vnaquaque prouincia, eos qui eſuriebant & patiebantur famem ſermonis Dei, in vnum populum congregantes extruxerunt Eccleſiam: quæ dicitur ciuitas ad inhabitandum, & quam lætificat impetus fluminis. *Ibid. Fol. 200*

*Gen. 26.*

*De paradiſo ſcripturarũ duodecim flumina tanquã duodecim Apoſtoli exeunt.*

*Pſal. 106. In aduentu Chriſti flumina proruperunt.*

*Matt. 12.*

*Quot Doctores Eccleſia emiſit, tot habet & fontes*

*Pſal. 45.*

ELEVATVS eſt ſol &c.] Si ſimplicem interpretationem ſequimur: ex præſentib. verbis profectus ſolis demonſtratur & lunæ: quod iuxta Eſaiam, in futuro ſæculo ſeptuplum ſol luceat, & luna ſolis fulgeat claritate: Quia enim creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei, quę nunc vanitati ſubiecta, propter eũ qui ſubiecit eam in ſpem libertatis. Cum in conſummatione mundi oĩs creatura fuerit liberata, liberabitur & ſol & luna, & in ſuo ſtabunt ordine. Quod ſi voluerimus, ſolẽ iuſtitiæ Chriſtum accipere, in cuius pennis ſanitas eſt, & lunã quæ huius ſolis ſplẽdore illuminatur, Eccleſiam: non difficilè eſt dicere, quod lux vera, & lux hominum & ſplendor gloriæ Dei, & ſplendor lucis æternæ, eam illuminet: quæ nunc in iſto ſæculo iuxta proſpera atque preſſuras creſcat atque decreſcat. Cum autem ſol fuerit eleuatus, & iuxta Apoſtolum exaltauerit eum Deus, & donauerit ei nomen ſuper omne nomen: tunc etiam Eccleſia quæ in præſenti ſeculo tenere ſuũ ordinem non poteſt, ad ordinem debitum reuertetur, & nequaquam mutabitur, ſed fixo ſtabit gradu, & audiet cum Moyſe: tu autem hic ſta mecum. *Tomo quinto Commentariorum in cap. 3. Habacuc. Fol. 201.*

*Eſaiæ. 30.*

*Rom. 8.*

*Mal. 4. Luna ſolis ſplendore illuminatur: ſic Eccleſia Chriſti lumine.*

*Philip. 2. Eccleſia militans inſtar lunæ; creſcit et decreſcit.*

NEC moueat aliquem (vt ſæpe iã dixi) quòd hæc aduerſum Eccleſiam dicta interpreter, cum ſciat Hieruſalem in ſcripturis ſanctis ſemper typum habere Eccleſiæ: de qua qui peccauerit, vel in Babylonem abducitur, vel ſi ſponte deſcendere voluerit, in Hiericho à latronibus vulneratur. Quę eſt enim ita illuſtris vt Eccleſia, quę in toto orbe fundata eſt: ita redempta Chriſti ſanguine, & columba propter gratiã ſpiritus ſancti, vt Eccleſia de gentibus congregata. *Tom. 5. Com. in ca. 3. Somphomiæ.*

*Hieruſalem ſemper in ſcripturis typum habet Eccleſiæ. Laus inſignis Eccleſiæ.*

COMMOTIS gentibus (quas quidem poſſumus & contrarias accipere fortitudines, non valentes ſplendorem Domini ſuſtinere) venerunt electa omnium gentium, & repleta eſt gloria domus Domini: quæ eſt Eccleſia Dei viuentis, columna & firmamentum veritatis, Hæc ſecundũ LXX. Cęterum in Hebraico melius & ſignificantius habetur, vt ſupra poſuimus: Et mouebo omnes gentes, & veniet deſideratus cũctis gentibus. Verè enim poſtquam ille venit, impleta eſt gloria domus Domini. Et quantum Dominus diſtat à ſeruo, tantum domus Domini melior eſt cui præeſt Dominus, à domo priore cui præfuit ſeruus. Quod autem, ait, meum eſt argentum, & meum eſt aurum, dicit Dominus exercituum: Non puto quemquam exiſtimare quod de argẽto loquatur & auro, quæ à diuitibus & regibus poſſidentur. Hoc enim modo, non ſolum argentum & aurum Dei eſt quaſi creatoris, ſed & cętera metalla, æs, ſtannum, plumbum, & quod domat omnia ferrum. Sed ego argentum, quo domus Dei ornatur, exiſtimo eloquia ſcripturarũ, de quibus dicitur: Eloquia Domini, eloquia caſta: Argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum. Et aurum, quod in occulto ſanctorum ſenſu, & in cordis verſatur arcano, & ſplendet vero lumine Dei, quod & Apoſtolum de ſanctis, qui ſuper fundamentum Chriſti ædificant, ſenſiſſe perſpicuum eſt: Aurum, argentum, lapides pretioſos. Vt in auro, ſenſus occultus ſit: in argento ſermo decens: in lapide pretioſo, opera Deo placentia. His metallis illuſtrior fit Eccleſia ſaluatoris, quàm quondam ſynagoga fuerat: his lapidibus viuis ædificatur dom⁹ Chriſti, & pax ei præbetur æterna. *Tom. 5. Com. in cap. 2. Aggæi. Fol. 227.*

*1. Tim. 3. Eccleſia columna et firmamentum veritatis.*

*Eccleſiæ & ſynagogæ cõparatio à minori ad mai⁹.*

*Eccleſia ornatur eloquijs ſcripturarũ. Pſal. 11.*

*1. Corin. 3. Illuſtrior Eccleſia quam ſynagoga, ob apertas & impletas & reuelatas ſcripturas. Ex ſcripturis ſanctis ædificatur Eccleſia.*

PONITE corda veſtra ex die iſta & in futurum, &c.] Vinea quoque, id eſt, ſermo Dei, cuius in vnoquoque pater agricola eſt: & ficus ſpiritus ſancti dona dulciſsima, & malogranatum, Eccleſiaſtica dogmata, & ſcientia ſcripturarum, quæ ſponſę genis in cantico canticorum comparatur, & ligna oliuæ dabũt refectionem & illuminationem cordis, ei qui cœperit ædificare templum Dei. *Tom. 5. Com. in cap. 2. Aggæi. Fol. 230.*

*Vineæ id eſt Eccleſiæ ſiue ſermonis Dei ficus dona dulciſsima ſpiritus ſancti & malogranatum Eccleſiaſtica dogmata.*

PORRÒ vinea & ficus & oliua ibi erunt, vbi malogranatum fuerit: quæ arbor propter granorum



norum nimiam multitudinem, & intertextis mẽbranulis quandam geometricam compoſitionem, & diuerſas quidem manſiunculas, ſed tamẽ omnes vno cortice comprehenſas, ſemper in ſcripturis ſuper Eccleſię perſona ponitur. *Ibidem Fol. 231.*

*Malogranati & Eccleſiæ pulcherrima comparatio.*

ADHVC clama, dicens, &c.] Quod ſi referimus ad Eccleſiam, cui vera bona & perpetua pollicetur: illa bona eſſe credenda ſunt, de quib. ſcritũ legimus: Videas bona Hieruſalẽ. Et in alio loco: Si volueritis, & audieritis me, quæ bona ſunt terræ comedetis. Et illud: Fidẽs eris in Domino, & eleuabit te ſuper bona terræ: Quæ ſibi vir ſapiens, cui Dominus incerta & obſcura ſuæ ſapiẽtiæ reuelarat, ſpe futurorum promittit & dicit: Credo videre bona Domini in terra viuentium. His bonis poſt ſæuiſsimæ perſecutionis incendia, quæ & à gentilibus, & ab Hæreticis Arianis Eccleſiæ Domini pertulerunt, pace reddita videmus Domini Eccleſias affluere, & conſolatam Sion & electam Hieruſalem, quas dudum abiecerat. *Tom. 5. Com. in cap. 1. Zachariæ.*

*Pſal. 127. Eſaiæ. 1. Pſal. 50.*

*Pſal. 26. Ampliſsimis donis tempore Conſtantini domini Eccleſiæ affluebant.*

ET Ecce angelus qui loquebatur in me, &c.] Nos iuxta ſpiritualem ſenſum hæc omnia interpretamur in Eccleſia: q̃ abſq; muro, ſiue vt LXX. tranſtulerunt, κατακαρπὸς, id eſt frugum omnium abundantia, habitetur, & habeat multitudinem hominũ ac iumentorum, & Dominus ignis ſit in circuitu ei⁹, & ipſe in medio illius verſetur in gloria. Iſta eſt ciuitas, de qua alibi legim⁹ Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Et rurſum: Magnus Dominus & laudabilis nimis: in ciuitate Dei noſtri in monte ſancto eius. In hac quicunq; habitat dicere poteſt: Ego autem ſicut oliua frugifera in Domo Dei. Et dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit. Super aquas refectionis educauit me. Et habitabitur, inquit, Hieruſalem præ multitudine hominum & iumentorum abſque muro, ſiue frugum omnium abundantia. *Tom. 5. lib. 1. Comment. in cap. 2. Zac.*

*Dominus ignis in circuitu Eccleſiæ. Pſal. 86. Ibid 47.*

*Pſal. 51. Ibid. 22. Habitabitur Eccleſia ſine muro in omnium frugũ abundantia.*

O ô fugite de terra aquilonis, &c.] Præcipitur nobis, qui habitauimus ad aquilonem, & calorem dominici feruoris amiſimus: qui diſperſi ſumus, in orbe terrarũ, & de quibus Euangelium prædicat: quod in quatuor ventos mittat angulos ſuos dominus, & congreget nos, & qui in huius ſæculi vitijs & confuſione verſamur: vt fugiamus in Sion Eccleſiam Domini, & humilia relinquentes, in ſpecula eius & ſublimitate dogmatum conſiſtamus *Ibid. Fol. 237.*

*Matt. 13. In ſpecula Eccleſiæ & ſublimitate dogmatum eius conſiſtere debemus*

ET dixit ad me, quid tu vides, &c.] Nũc quid ab Eccleſiaſticis viris in commentarijs ſcriptũ ſit diſſeramus. Cãdelabrũ aureũ de auro puriſsimo Eccleſiã intelligunt: quę in ſcripturis ſanctis ſenſum, ac mentẽ magis quã verba perquirit. Quod aũt in ſenſu aurum accipiatur, poſteriora & humeri colũbæ in ſexageſimo ſeptimo Pſalmo oſtẽdunt: quæ dicuntur auri virore, ſiue fulgore radiare Lampadem, & ipſi Chriſtũ intelligunt, quod luceat in eccleſia, qui de ſe ipſo dicebat: Nemo lucernam accẽdit, & ponit eam ſub modio, hoc eſt, ſub menſura legis: ſed ſuper candelabrum, id eſt, Euangelij libertatem: vt luceat cunctis qui ſunt in domo. Lucernas ſeptem & ſuffuſoria earum, & ipſi gratias ſancti ſpiritus intelligũt, per quas oleum miſericordiæ Dei, cunctarumq; virtutũ Eccleſia ſuſcipit. Duas oliuas ſuper cãdelabrum, & ipſi Moyſem & Eliam intelligunt, qui cum Domino loquebatur in monte, & ſignificabant quid in Hieruſalem paſſurus eſſet. Omnis enim lex & prophetæ de Chriſti prædicant paſsione. Alij duas oliuas ſtantes à dextris & à ſiniſtris legem & Euangelium interpretantur: vt in dextra Euangelium ſit, in ſiniſtra lex, de qua dextra & ſiniſtra dicitur in Cãtico Canticor: Siniſtra eius ſub capite meo. *Tomo quinto lib. 01. Commentariorum in caput quartum Zachariæ.*

*Eccleſia in ſcripturis ſenſum magis quam verba inquirit.*

*Candelabrũ Eccleſia lampas Chriſtus qui lucet in Eccleſia. Matt. 5. Lucernæ ſpiritus ſancti Dona & omnes virtutes in Eccleſia.*

*Matt. 17.*

*Duæ oliuæ lex & Euangelium & vtriuſq; differentia.*

*Cant. 2.*

ET factum eſt verbum Domini exercituum, &cæt.] Quantum prius indignatus ſum, quod à multis amatoribus deturpata eſt, & maculauit thorum meum: (vnde & tradidi eam amatoribus ſuis: nequaquam vt ſub marito adulteram, ſed vt ſcortum & vile mancipium, & in lupanaribus proſtitutam) Tanto nunc amplius ad eam reuerſus ſum: quia egit pęnitentiam, & ædificauit templum meum, in quo habitabo in medio illius. Et vocabitur ciuitas veritatis, quæ antea dicebatur vrbs mendacij, de qua & in Eſaia ſcriptum eſt: Veritas dormiuit in ea: nunc autem homicidæ. Vocabitur autem & mons domini ompotentis, mons ſanctificatus: in quo templo inſtaurato, immolantur victimæ, cæremoniarum ordo ſeruatur. *Tom. 5. lib. 2. Comment. in ca. 8. Zachariæ. Fol. 248.*

*Eccleſia ciuitas veritatis.*

*Eſaiæ. 1.*

*In Eccleſia cerimoniarũ ordo ſeruatur.*

NVNC autem non iuxta dies, & cæt.] Priuſquam fidem Chriſti quis recipiat, & in eo ſpiritus ſancti fundamenta iaciantur, nullus audire poterit, eſt merces operi tuo: ſiue Iudæus ſit, ſiue hæreticus, ſiue gentilis, quidquid boni operis fecerit, niſi in nomine Chriſti fecerit mercedem ſui boni operis non habebit. Videmus hæreticorum virgines, philoſophorum rigorem, Iudæorum in eſcarum varietate obſeruantiam, & tamen dicimus iuxta Aggeum, quod comedant & non ſatientur: bibant & non inebrientur: operiantur & non calefiant: & qui mercedes congregat, mittat eas in pertuſum ſacculum. Poſtquam verò fidem Chriſti receperint, & illi, & hi qui in Eccleſia fuerant peccatores (& pro magnitudine delictorum captiuitati huius mundi traditi, & Babylonio igne conbũſti, & audierint Dominum prædicantem: Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me: Euangelizare pauperibus miſit me: predicare captiuis remiſsionem, & cæcis vt videant: ſanare eos qui contrito ſunt corde: & completum fuerit in eos, illud quod per Amos dicitur: Conuertam populi mei Iſrael captiuitatem, & ædificabunt ciuitates diſsipatas & plantabo eos) Tunc & in dieb. illis orietur iuſtitia & multitudo pacis. Vinea dabit fructũ ſuum, quę dicit in euangelio: Ego ſum vitis, vos rami. Omnem ramũ qui manet in me, mundat pater, vt maiores fructus afferat, Cumq; mundati fuerint rami eius, id eſt, flagella & propagines, & gemmãtibus oculis ſpem futurorum cœperint fructuum polliceri: vt impleatur illud quod ſcriptum eſt: Vineæ florentes dederunt odorem: Tunc pendentes botros colorabit ſol iuſtitiæ: vt miſsi in torcularia octaui & octogeſimi tertij pſalmi, qui pro torcularibus inſcribuntur Domini calceatur pede: qui aſcẽdit de Boſor, vt fundat vinum quod lætificat cor hominis. Terra quoq; dabit germen ſuum: nõ arida & petroſa & plena ſentiũ, ſed terra bona, quæ dat centeſimũ & ſex

*Opera infidelium non ſunt meritoria.*

*Eſaiæ 61.*

*Amos. 9.*

*Pſal. 71.*

*Ioan. 15. Promiſsiones inſignes de eccleſiæ noui teſtamenti vbertate, fœcunditate et omnium benedictionum copia.*

*Cant. 2. Eſaiæ. 63. Pſal. 103. Matt. 13. Pſal. 125.*

& ſex ageſimum & triceſimum fructum, vt qui ſeminauerint in lacrymis, in gaudio metent: Sed & cœli dabunt rorem ſuum de quibus in decimo octauo Pſalmo ſcriptum eſt: Cæli enarrant gloriam Dei & opera, manuum annunciat firmamentum. De his cælis in Deuteronomij cantico dicitur: Lætamini cœli cum eo id eſt, cum Domino Saluatore: quos præſciuit & prędeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui, qui loquitur cum Moyſe: Expectetur vt pluuia eloquium meum, & deſcendant vt ros verba mea. Reſurgent enim qui erãt peccatis mortui, & ſuſcitabuntur qui iacebãt in ſepulcris dealbatis, quę plena ſunt oſsibus mortuorum, & lætabuntur qui morantur in terra. Et quæ ſit cauſa lætitiæ ſequens ſermo demonſtrat: Ros enim, qui à te eſt, ſanitas eorum eſt. Et hæc omnia, pacem videlicet, & vinearum fructum, & terrarum abundantiam, quæ cœlorum rore ſuccreuit, poſsidebunt reliquię populi: De quibus Eſaias loquitur: Niſi Dominus ſabaoth reliquiſſet nobis ſemẽ, ſicut Sodoma eſſemus, & ſicut Gomorra ſimiles fuiſſemus. Reliquiæ enim ſecundum electionem gratiæ, ſaluæ factæ ſunt: non ex operibus, alioquin non eſſet gratia. *Tom. 5. lib. 2. Commentariorum in caput octauum Zachariæ.*

*Deut 32. Sec. 70. Rom. 8. Deut. 32. Sec. 70. Eſaiæ. 26. Sec. 70. Eſaiæ. 1.*

PETITE à Domino pluuiam in tempore, & cæt.] Cæterum, quia iam extremum tempus eſt prophetarum, & mundus declinat ad finem, & omnia quæ prædicta ſunt ſui terminum præſtolantur: Petite à Domino, vt det vobis pluuiã ſerotinam, vt Chriſtus qui promiſſus eſt, veniat, & tribuat vobis rores & niues, pro quibus ſcriptum eſt in Hebræo hazizim. Et neſcio quid volentes LXX. phantaſias interpretati ſunt: niſi fortè magnitudinem gratiæ, admirationemq; donorum, nomine phantaſię voluêre deſcribere. Dominus ergo qui facturus eſt niues, & ſiccitatem omnis terræ, Euangelicæ prædicationis irrigaturus eſt pluuijs, ipſe dabit imbres creſcentibus & vbertate omnia complebuntur: vt poſtquam in Chriſto crediderint nationes, intelligant vana quę ante coluerunt, *Tom. 5. lib. 2. Commentariorum in cap. 10. Zach.*

*חזיזים Chriſtus ſiccitatem terræ irrigaturus eſt Euangelicæ prædicationis pluuijs. In Eccleſia omnia cõplebuntur vbertate.*

OMNIS hic locus obſcurus & dubius eſt. & debet nobis lector ignoſcere, ſi in his quæ ambigua ſunt, & nos pendulo incedimus gradu. Poſſumus autem iuxta ſpiritualem intelligentiã dicere quod credentes in Chriſto, Dominus adhortetur, vt petant ſerotinam pluuiam in conſummatione mundi, quando plenitudo donanda eſt gratię, & ſingulis in agro ſuo herba ſuccreſcet, ita vt poſsint dicere: Dominus regit me & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit: Super aquas refectiõis educauit me. Omnia enim ſimulacra, & diuini & ſomniatores fruſtra locuti ſũt, & vanè conſolabantur. *Ibid. Fol. 257.*

*Id conſummatione mũdi plenitudo gratiæ donãda. Pſal. 22.*

IN die illa magnus erit planctus, &c.] Dicam* & iuxta LXX. ῥοὼν appellatur non vna arbor malorum granatorum, id eſt, mali punici, ſed locus his arboribus conſitus: de quo iuxta intelligentiam ſpiritualẽ ſponſus dicit in Cantico canticorum: Deſcendi vt viderem in genimine torrentis, ſi floruiſſet vinea, ſi floruiſſent mala punica. Deſcendit enim Saluator ad torrentem huius ſæculi, & turbidas aquas (de quibus & in typo eius Helias bibiſſe deſcribitur, vt poſt flores vineæ & mali punici fructũ vtrumq; ſuſciperet, & inebrians Eccleſiã ſuã audiret ab ea: Potabis me de vino vnguentarij, de vino malorum. huiuſcemodi potio non ſolum æſtus ſtomachi fugat, ſed & corruptum ventrem ſanare dicitur, & reliquis prodeſſe viſceribus. Nihil hoc pomo pulchrius: in rubore, Eccleſiæ ſignificat verecundiam, in granorum ordine, gradus & membra totius corporis per ſingula officia diſtributa. *Tom. 5. lib. 3. Com. in cap. 12. Zachariæ.*

*Cant. 6. 3. Reg. 17. Chriſtus ſuã Eccleſiam inebriat. Cant. 8. Mali punici ſiue malogranati et Eccleſiæ pulcherrima cõparatio*

ET erit in die illa.] Aqua quæ egreditur de Hieruſalem, hoc eſt, de Eccleſia, doctrinam indicat Saluatoris. De Sion enim egreditur lex, & verbum Domini de Hieruſalẽ, iuxta illud quod alibi ſcriptum eſt: Repleta ſunt omnia ſcientia Domini, ſicut aqua multa operiẽs mare. Harum aquarum media pars ibit ad mare orientale, populum circunciſionis, qui in Apoſtolis & per Apoſtolos eſt electus, & medium earum ad mare nouiſsimum: vt de oriente & occidente veniant qui accumbẽt cum Abraham, Iſaac, & Iacob. Vel certè Orientale mare & mare nouiſsimum intelligamus vetus inſtrumentum & nouum, quod niſi flumine Saluatoris & ſpirituali eius intelligentia fuerit dulcoratum, amariſsimum eſt, Occidente littera & ſpiritu viuificante. Quodque ſequitur. In æſtate & in hyeme erũt: ſubauditur aquæ viuæ, quæ egrediuntur de Hieruſalem: vt & in pace & in perſecutionibus iſtæ viuentes aquæ manare non ceſſent. *Tom. 5. lib. 3. Commentar. in cap. 14. Zachariæ. fol. 270.*

*Doctrina ſaluatoris de Eccleſia ingredietur. Eſaiæ. 2. Eſaiæ. 11. Copia doctrinæ cæleſtis in Eccleſia. Matt 8. Nouum & vetus teſtamentum niſi ſpirituali intelligentia dulcorentur amariſsimũ eſt. Aquæ viuæ egrediuntur de Eccleſia.*

AQVAM viuam rectè à nobis doctrinam Saluatoris expoſitã, ſciet ille qui biberit, & qui Saluatorem audierit prædicãtem: Si quis biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ viuentis, & ſalientis in vitam æternam. Et rurſum: Qui credit in me (ſicut dixit ſcriptura) de ventre eius egredientur flumina aquæ viuentis. Sicut enim qui biberit de doctrina eius habebit in ſe fontem viuentem: ſic qui crediderit in eo (iuxta id quod ſcripturarũ vocibus continetur) flumina aquæ viuentis egredientur de ventre illius. *Ibidem.*

*Aqua viua doctrina ſaluatoris. Ioan. 4. Ibid. 7.*

RELINquamus ſimulatos angulos, & ad firmos atque robuſtos Chriſti angulos tranſeamus, ad quos cum peruenerimus, ſtatim nobis occurret turris Hananeel, quod interpretatur gratiſsimus Dei. Quid enim turre Salomonis gratius eſt, de qua ad ſponſam dicitur: Sicut turris Dauid ceruix tua, quæ ædificata eſt in Thalphioth: mille ſcuta pendent ſuper illam: omnia iacula potentium. Hanc turrem Dominus in Euangelio ædificari vult, expenſis prius & ſumptibus ſupputatis, & de qua dicitur ad Hieruſalem: Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turrib. tuis, de qua & ſanctus ad Dominum loquitur: Deduxiſti me quoniam factus es ſpes mea: turris fortitudinis à facie inimici. De turre Hananeel peruenimus ad regis torcularia, pro quibus & tres Pſalmi titulũ habent. Et dominus dicit in Eſaia: Torcular calcaui ſolus, vt exuberet in illis noſtra vindemia, & exprimamus botros, & rubẽtia in Chriſti ſanguine muſta calcemus: vt bibamus vinum quod lætificat cor hominis, & ſponſa deſiderat ſponſi, ſodalibus loquens: Inducite me in cellam vini, ponite ſuper me charitatem. *Tom. 5. lib. 3. Cõm. in cap. 14. Zachariæ Fol. 271.*

*Turris Dauid & Salomonis Eccleſia firmiſsima & inexpugnabilis. Cant. 4. Sec 70. Luc. 14. Pſal. 121. Pſal. 60. Eſaiæ. 63. Pſal. 103. Cant. 2. Sec. 70.*

IN die illa erit tumultus Domini & cætera] Nos cœptum ſequentes ordinem, omnia iſta re-



feramus ad Eccleſiæ beatitudinem: quod cuncti qui in ea fuerint, admirentur ſubiectionem hoſtium, & ſuam fęlicitatẽ, & vnuſquiſq; apprehẽdat manum proximi ſui, vt conſerant dextras, & mutua fide ac neceſsitudine copulẽtur. Quod autem in Hebraico legimus: Et Iudas pugnabit aduerſus Hieruſalẽ, pro quo LXX. tranſtulerunt. Et Iudas præparabitur in Hieruſalem: Vtroq; modo accipiamus, quod Iudas qui quondam Domini confeſſus eſt nomẽ, & in perſecutionibus coactus, Chriſti populum perſecutus eſt, & ipſe vertatur ad lętitiam. Vel certè Iudas, omnis confitẽs & fidelis, non aduerſum Hieruſalem pugnet, ſed præparet ſe in Hieruſalem, vt contra aduerſarios dimicet. Et cõgregabit ipſa Iudas diuitias omnium gentium in circuitu: aurum & argentum & veſtes multas nimis. Aurum & argentum in ſenſu & ſermone intelligi ſæpe diximus: vnde & veſtes æquè debemus accipere, quibus Chriſti decoratur Eccleſia: de qua ſcriptum eſt: Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate. Quibus veſtib. indutam ſe credẽtium turba lætatur, & dicit: Exultabo in Domino, quia induit me veſtimentis ſalutis, & tunica lætitiæ: Dixerat enim ei Dominus: Veſtiui te τριχάπτοις & byſsinis. In τριχάπτοις veſtes tenues accipiamus, quæ tam pulchræ ſunt atque ſubtiles, vt capillorum ſimiles eſſe videãtur. Has veſtes Eccleſia congregat, vt habeat quibus induat populum ſuum: cui à vero concionatore præceptum eſt: In omni tempore ſint veſtimenta tua candida. *Tomo quinto lib. 3. Com. in cap. 14. Zach. Fol. 272.*

*Eccleſiæ beatitudo. Diuitias omnium gentium poſsidet Eccleſia. Senſib. ſacræ ſcripturæ tãquam veſtibus decoratur Eccleſia. Pſal. 44. Eſaia 61. Sec 70. Ezech. 16. Sec. 70. Eccleſia congregat veſtes ſcripturæ quibus induat populum ſuum. Eccle. 9.*

IN die illa erit quod ſuper frenum equi eſt, &c.] Hortus & paradiſus in quem ſponſus deſcendit ad ſponſam, ſanctarum lectio ſcripturarum eſt: de quibus lilia & violas & roſas & varia decerpit aromata: vt impleat phialas animarũ credentium, & Domino ex eis liba defundat. Iſtiuſmodi lebetes, cũ verſi fuerint in phialas Domini, & dicere potuerint: Chriſti bonus odor ſumus, & pro virulentia carnium, varios cœperint flores geſtare virtutum: tunc erunt in Hieruſalẽ & in Iuda ſanctificati Domino omnipotenti: de quibus frequentius diximus, quod Hieruſalẽ viſionem pacis, & Iudas exprimat confitentem. *To. 5. lib. 3. Com. in ca. 14. Zac. Fol. 27[illegible].*

*Hortus & paradiſus in quem ſpõſus ad ſponſam deſcendit eſt lectio ſcripturarum. 2. Corint. 2. Ex ſcripturis quæ aromata decrepantur.*

ECCLESIA, quæ ſupra petram, Domini voce fundata eſt, quam introduxit rex in cubiculũ ſuũ: & ad quã per foramen deſcenſionis occultæ miſit manũ ſuam, ſimilis damulę hinnuloq; ceruorũ quatuor flũina paradiſi inſtar eructans, quatuor angulos & anulos habet, per quos quaſi arca teſtamenti & cuſtos legis Domini, lignis immobilib. vehitur. *Tom. 6. in Proæ. Co. ſuper Mat. ad Euſeb.*

*Gen. 2. Exod. 25. Eccleſia inſidet currui ſcripturæ. Quatuor flumina anguli & annuli ſunt quatuor Euangeliſtæ.*

ALIAM parabolam locutus eſt eis, &c.] Legimus in Platone, & philoſophorum dogma vulgatum eſt: tres eſſe in humana anima paſsiones, τὸ λογικὸν, quod nos poſſumus interpretari rationabile, τὸ θυμικὸν, quod dicimus plenum iræ vel iraſcibile, τὸ ἐπιθυμητικὸν, quod appellamus concupiſcibile: & putat ille philoſophus rationabile noſtrũ in cerebro: iram in felle: deſiderium in iecore commorari. Et nos ergo ſi acceperimus fermentum euangelicum ſanctarum ſcripturarum (de quo ſupra dictũ eſt) tres humanæ animæ paſſiones in vnum redigentur: vt in ratione poſsideamus prudentiam: in ira, odium contra vitia: in deſiderio, cupiditatem virtutum: & hoc totum fiet per doctrinã Euangelicam, quam nobis mater Eccleſia præſtitit. *T. 6. li. 2. C. in c. 13. Mat. Ca. 25.*

*Fermento Euangelico ſanctæ ſcripturæ tres humanæ animæ paſsiones in vnum rediguntur. Mater Eccleſia nobis Euangelicam doctrinam præſtitit.*

AT illa venit & adorauit eum, dicens: &c.] Mira ſub perſona mulieris Cananitidis Eccleſiæ fides, patientia & humilitas prędicatur. Fides qua credidit ſanari poſſe filiam ſuam. Patientia, qua totiens contempta in precib. perſeuerat. Humilitas, qua ſe nõ canibus, ſed catulis comparat. Canes autem ethnici propter idololatriam dicũtur qui eſui ſanguinis dediti, & cadaueribus mortuorum feruntur in rabiem. *Tom. 6. li. 2. Com. in ca. 15. Mat. Cano. 31.*

*Mulier Cananæa eſt typus Eccleſiæ*

TVNC hi qui in Iudæa ſunt, &c.] Abominatio deſolationis intelligi poteſt, & omne dogma peruerſum: quod cum viderimus ſtare in loco ſancto, hoc eſt, in Eccleſia, & ſe oſtendere Deum: debem⁹ fugere de Iudęa ad mõtes: hoc eſt, dimiſſa occidente litera & Iudaica prauitate, appropinquare montibus æternis: de quibus illuminat mirabiliter Deus: & eſſe in tecto & in domate, quo non poſsint ignita diaboli iacula peruenire: nec deſcendere & tollere aliquid de domo conuerſationis priſtinæ: nec quęrere quę retrorſum ſunt, ſed magis ſerere in agro ſpiritualium ſcripturarum, vt fructus capiamus ex eo. Nec tollere alteram tunicam, quam Apoſtoli habere prohibentur. *Tom. 6. lib. 4. Com. in cap. 24. Mat. Cano. 52.*

*Omne dogma peruerſũ abominatio deſolationis. Mirabiliter illuminat nos deus per Eccleſiam. Marc. 6.*

SCRIPTVM eſt, enim: Lætare ſterilis, &c.] Virũ habuit ſynagoga legẽ, & iuxta Annę quoq; prophetiam, fœtoſa quondam in liberis fuit. Sterilis vero Eccleſia ſine viro Chriſto, ſine vllo ſponſi ſermonis alloquio, diu iacuit in deſerto. Sed poſtquam accepit illa librum repudij in manus ſuas, & omnia ornamenta viri in idoli vertit ornamentum: tunc maritus priore cingulo putreſcente, alium lumbis ſuis baltheũ, aliud de gẽtibus lumbare contexuit: quæ ſtatim, vt eſt viro iũcta cõcepit & peperit. Et in Eſaia exclamat dominus per prophetam: ſi eſt gens nata ſimul: quãdo vna die in Actibus Apoſtolorum tria millia, & quinq; millia hominum crediderunt. *Tom. 6. li. 2. Com in cap. 4. ad Galatas.*

*Eſaiæ. 54. 1. Reg. 1. Eccleſia ſynagogæ miſit repudium & omnia ornamenta viri in idoli vertit ornamentum. Hier. 13. Eſaiæ. 66. Sec. 70. Act. 2. & 4*

BENEDIXIT nos in omni benedictione ſpirituali, &c. Quomodo ſecundum ſubſtantiã atq; naturam Deus bonus nos communione ſui efficit bonos, & loquitur ad Iſrael: Sancti eſtote quoniã ego ſanctus ſum: ita ipſe benedictus nos præſtat eſſe benedictos. Dat quippe legiſlator benedictiones, & benedictio Domini ſuper caput iuſti cuius benedictionis cognomentum habet Baruc: qui lingua noſtra, benedictum ſonat. Benedixit autẽ nos, nõ in vna benedictione, ſed in cũctis. Non quo omnes omnia conſequamur, ſed dum ſinguli vel ſingulas vel plures habemus ex omnib. omnes per ſingulas poſsideamus, Et non in terrenis benedictionibus, ſed in ſpiritualibus. Sunt quippe terrenæ benedictiones habere quẽpiã liberos, affluere opib. honore & ſanitate gaudere, quæ terrena benedicto vſq; ad irrationabilia iumenta deſcendit. Dictũ eſt quippe de illis: Benedixit eis Dominus, & dixit: Creſcite & multiplicamini. Spirituales verò benedictiones in cęleſtibus ſunt quia terra benedictionem nõ capit ſpiritualem. Si quidẽ & benedictiones illæ, quæ in Leuitico Dei præcepta ſeruantibus promittuntur, verbi cauſa, externis gentibus fœnerare, plena eſſe horrea frumentis: benedictos eſſe in vrbibus, benedictos in agris, & cætera

*Leui. 20. Deut. 11. & 28. Prouer. 10. Quaſcunque gratias & benedictiones ſingula Eccleſiæ membra poſsidẽt, tota Eccleſia poſsidet. Benedictiones duplices temporales & ſpirituales. Gene. 1. De temporalibus. Deut. 28. Leui. 26.*

his

his ſimilia, in prophetis non videmus expleta: hominibus, qui in melotis & in caprinis pellibus errauerunt, in egeſtate, in anguſtia, in deſertis montibus: in ſpeluncis & cauernis petrarum, per ſecutorum impetus declinantes. Spiritualiter ergo accipienda ſunt omnia: & ſpiritualia non in terrenis locis, ſed in cæleſtibus expectāda. Quod verò ait: benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus, quaſi iam in præterito factum, & non in futuro promiſſum, id eſt, benedixit, & non benedicturus eſt: Quæritur quo modo adhuc in terra nos poſitos, cœleſti benedictione benedixerit. Siue igitur quod conuerſatio noſtra in cælis eſt, & non ſumus de mundo iſto, ſed depoſita imagine choici, portamus imaginem ſupercœleſtis, & in carne non viuimus, ſed in ſpiritu & theſaurizamus nobis in cœlis, vbi & cor habemus, dicimur nunc cœſti benedictione benedicti: ſiue certè quod omnis benedictio ſpiritualis in Chriſto, licet in terra ſit, tamen de cœleſtibus computetur Benedixit nos, inquit, in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto: In ſermone Dei, & ſapientia, & veritate, ceteriſque virtutibus. *Tom. 6. lib. 1. Commentarior. in cap. 1. ad Epheſios.*

*Hebr. 11.*

*Benedictiones temporales veteris teſtamenti in nouo ſunt ſpiritualiter explicandæ & non in terrenis locis ſed cæleſtibus expectandæ. Quomodo in terra cœleſti benedictione benedicantur homines.*

V T innoteſceret nunc principatibus & poteſtatibus, &c.] Si principatibus & poteſtatibus in cęlis, quas ſanctas miniſtraſque Dei accipere debemus (licet quidam principem aeris iſtius & angelos eius interpretentur) ignota fuit multiplex ſapientia Dei, quæ nunc eis per Eccleſiam reuelata eſt, quanto magis patriarchis & prophetis ignota fuit: quos ſupra non ignoraſſe myſterium Chriſti, ſed ita vt Apoſtolos neſciſſe monſtrauimus? Multiplex quippe ſapientia Dei, quæ ſermone Græcò πολυποίκιλος, & vt ita dicam, multifaria appellatur, per Eccleſiā Dei, nunc & principatib. & poteſtatibus reuelata eſt: Quam olim Deus futuram in ſua mente decreuerat, & nunc eſſe perfectam, ex eo quod videmus, agnoſcim⁹. Crux itaque Chriſti non ſolum nobis, ſed & angelis cunctiſque in cœlo virtutibus profuit, & aperuit ſacramentum, quod antea neſciebant. Deniq; ad cœlum cum corpore Deum reuertentem mirantur, & dicunt. Quis eſt iſte, qui aſcendit de Edom, fuluida veſtimenta eius ex Boſor: Hic formoſus in ſtola candida? Et in alio loco: Quis eſt iſte rex gloriæ: Dominus virtutum, ipſe eſt rex gloriæ. Non putemus igitur in Eccleſia eſſe ſimplicem fidem, ſed multiplicem & multifariam eſſe ſapientiam, vt non ſolum varia ſit, ſed multa varietate diſtincta. reſpicis cunas Chriſti, vide pariter & cælum. Vagientem in pręſepe intuēris infantem, ſed angelos ſimul auſculta laudantes. Herodes perſequitur, ſed adorant Magi. Ignorant phariſæi, ſed ſtella demonſtrat. Baptizatur à ſeruo, ſed vox deſuper dei intonantis auditur. Aquis mergitur, ſed columba deſcendit, immo ſpiritus in columba. Ad paſsionem venit, & pati timet, vult tranſire calicem, & Petrum, quia calicem timebat, accuſat. Quid hac ſtultitia prudentius? varietate diſtinctius? ſapiētia obſcurius, quam fecit Deus in Chriſto Ieſu Domino noſtro? *Tomo ſexto libro ſecundo Comment. in cap. 3. ad Epheſios. Fol. 173.*

*Per Eccleſiā reuelata eſt poteſtatibus in cœlis multip' ex ſapientia Dei.*

*Apoſtoli perfectius nouerūt myſteriū Chriſti quā patriarchæ & prophetæ*

*Crux Chriſti angelis profuit & cūctis in cœlo virtutibus.*

*Eſaiæ. 63.*

*Pſal. 23.*

*In Eccleſia eſt ſcientia multa varietate diſtincta*

*Matt. 2.*

*Ibid. 3.*

*Ibid. 26.*

E I autem qui poteſt ſuper omnia facere &c.] Ipſi Deo ſit gloria, primum in Eccleſia, quæ eſt pura, non habens maculam neque rugam, & quæ propterea gloriam Dei recipere poteſt, qui corpus eſt Chriſti. Deinde in Chriſto Ieſu, quia in corpore aſſumpti hominis, cuius ſunt vniuerſa membra credentium, omnis diuinitas inhabitet corporaliter. Quæ quidem gloria non in præſens tantum tempus extenditur, & futuris ſæculis terminatur, ſed in omnes generationes, & ſæculum ſæculorum ineffabili æternitate permanet, creſcit, augetur. *Tomo 6. libro 2. Com. in cap. 3. ad Epheſios Fol. 176.*

*Synechdoche à parte potiori.*

V I R I diligite vxores veſtras, &c.] Quāuis ſui inuicem maritus & coniunx amore teneantur (qualis illa vxor memoratur Haſdrubalis, quę capto viro, in patriæ ſe iecit incendium, & cæteræ quæ viris mortuis ſuperuiuere noluerunt) Numquam tamen dilectionem illam vir ſapiens dilectioni Chriſti & Eccleſiæ comparabit. *Tomo ſexto libro tertio Commentariorum: in caput quintum ad Epheſios. Fol. 189.*

*Dilectio Chriſti & Eccleſiæ maior quam mariti & vxoris*

P R O P T E R hoc relinquet homo patrem, &c.] Ad exhortationem mutui affectus inter vxorem & virum, Adam & Euæ ſumſit exemplū quomodo coſta tollitur de Adam, & ædificatur in cōiugem, & ipſe rurſum coniunx in vnam viri carnem redigitur, quia qui vxorem diligit ſeipſum diligit, ſic & nos noſtras amemus vxores. Idipsū autem per Allegoriam in Chriſto interpretatur & in Eccleſia: vt Adam Chriſtum, & Eua prefiguraret Eccleſiam. Factus eſt enim nouiſsimus. Adam in ſpiritum viuificātem. Et quomodo de Adam & vxore eius omne hominum naſcitur genus: ſic de Chriſto & Eccleſia omnis credentium multitudo generata eſt. Quæ vnum Eccleſiæ corpus effecta, rurſum in latere Chriſti ponitur, & coſtę locum replet, & vnum viri corpus efficitur ipſo Domino id in Euangelio poſtulante: Pater da, vt quomodo ego & tu vnum ſumus, ſic & ipſi in nobis vnum ſint. *Tom. 6. li. 3. Commen. in ca. 5. Epheſios. Fol. 190.*

*Comparatio Adæ et Chriſti: Euæ & Eccleſiæ.*

*1. Cor. 15.*

*Ioan. 17.*

E T in templo eius.] Hoc eſt, in Eccleſia. Omnes dicent gloriam.] Collaudāt claritatem Dei: Vel gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto. Dominus Diluuium inhabitare facit. Aridam terram Deus non poſsidet. Simul attende vim verbi, quod non dixerit aquas, ſed diluuium, vt abundantiam gratiæ ſpiritualis oſtenderet, tanquam in arca Noe ſanctos à fluctibus ſæculi huius protegens. Et modo inhabitat diluuiū in conſcientia per abundantiā ſpiritusſancti, per quem delentur peccata. *Tomo ſeptimo Commentariorum in Pſalmum. 28. Fol. 34.*

*Diluuiū abūdantiæ gratiæ ſpiritualis in eccleſiā*

Q V I conuertit petram in ſtagna aquarum.] Antequam Chriſtus veniret in carnem, non erumperant adhuc tantæ aquæ, hoc eſt, tanta doctrina Poſtea exierūt de Chriſto quatuor flumina, quatuor Euangelia, & irrigauerunt totum mundum.

*Exod 17.*

*Doctrina Chriſti & Eccleſiæ irrigauit mundū*

*Numer. 20.*

E T rupem in fontes aquarum.] Repetitio eſt Rupes ſunt qui & petra. Petra dicitur rupis. Et rupem in fontes aquarum. Doctrina multa de Chriſto. *Tomo ſeptimo Commenentariorum in Pſalmū 113. Fol. 147*

S I C V T ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.] Ros domini ante fuit in populo Iudeorum, qui poſtea anathematizatus eſt, & benedictio illa, quæ ante deſcendebat in populo anathematizato, poſtea deſcendit in montem Sion, hoc

*Bendictiones à ſynagoga tranſierunt ad Eccleſiā.*



hoc eſt, Eccleſiam. *Tom. 7. Commen. in Pſalmum 132. Fol. 167.*

## *Articul. XIII. Eccleſiam promiſsis & protectione Chriſti ſtabilitam non poſſe deficere, in eaque ſummam eſſe ſaturitatem.*

A P O S T O L V S ſcribit ad Corinthios: Videte fratres vocationem veſtram: quia nō multi ſapientes, non multi nobiles hoc naſcentis Eccleſiæ rudimenta poſcebant, vt granum ſinapis paulatim in arborem creſceret, vt ſenſim Euangelij fermentum totam Eccleſiæ maſſam altius eleuaret. Noſtris temporib. Roma poſsidet, quod mundus ante neſciuit. Tum rari ſapientes, potentes nobiles, Chriſtiani: nunc multi monachi ſapientes, nobiles, quibus cunctis Pammachius meus ſapientior, potentior, nobilior, magnus in magnis, primus in primis, ἀρχιστρατηγὸς monachorum. *Tomo 1. Epiſt. 26. ad Pammachium capite ſecundo.*

*1. Cor. 1.*

*Eccleſiæ magnum incrementum.*

*Marc. 4.*

*Luc. 13.*

*1. Cor. 5.*

*Romanæ Eccleſiæ fælicitas.*

T E S T I M O N I A de Ioannis Euangelio congregata, quæ tibi quidam Montani ſectator ingeſsit, in quibus Saluator noſter ſe ad patrem, iturum, miſſurumque paracletum pollicetur, in quod promiſſa ſint tempus, & quo completa ſint tempore, Apoſtolorum acta teſtantur. Decima die dixit poſt aſcēſum Domini, hoc eſt quinquageſimā poſt reſurrectionem, ſpiritum ſanctum deſcendiſſe, linguaſque credentium eſſe diuiſas, ita vt vnuſquiſque omnium gentium ſermone loqueretur: quando quidā adhuc parum credentium, muſto eos ebrios aſſerebant: & Petrus ſtans in medio Apoſtolorum, omniſque conuentus, ait: Viri Iudæi, & omnes, qui habitatis in Hieruſalem, hoc vobis notum ſit, & auribus percipite verba mea. Non enim, ſicut vos exiſtimatis, hi ebrij ſunt: nā eſt hora diei tertia: ſed hoc eſt, quod dictum eſt per Ioel Prophetam: in nouiſsimis diebus, dicit Dominus, effundā de ſpiritu meo in omnem carnem: & prophetabunt filij, & filię eorum: & iuuenes viſiones videbunt, & ſeniores ſomnia ſomniabunt: & quidem in ſeruos meos & ancillas meas effundam de ſpiritu meo. Si igitur Apoſtolus Petrus, ſuper quem Dominus fundauit Eccleſiam, & Prophetiam, & promiſsionē Domini, illo tempore completam memorauit; quo modo poſſumus nobis aliud tempus vindicare? Quod ſi voluerint reſpondere, & Philippi deinceps quatuor filias prophetaſſe, & Prophetā Agabum reperiri, & in diuiſionibus ſpiritus inter Apoſtolos, & doctores, Prophetas quoque Apoſtolo ſcribente formatos, ipſumque Paulum Apoſtolum, multa de futuris hæreſibus, & de fine ſęculi prophetaſſe: ſciant, à nobis nō tam prophetiam repelli, quæ Domini eſt ſignata paſsione, quam eos non recipi, qui cum ſcripturę veteris & nouæ auctoritate non congruant. *Tom. 2. Epiſt. 54. ad Marcellam.*

*Ioan. 14.*

*Actor. 1.*

*Promiſsiones de præſentia & protectione ſpiritus ſancti in Eccleſia lōge ante Montani tempora impletæ.*

*Ioel. 2.*

*Matt. 16.*

*Montanus iactabat ante ſua tempora Eccleſiā non habuiſſe ſpiritum ſanctū*

*Acto 21. 11.*

*1. Cor. 12. 11.*

*2. Theſſ. 2.*

D I C mihi diſputator egregie de octo capitulis, ad quæ reſponderis. Pauliſper de cæteris taceo. Prima illa blaſphemia, quod nec filius Patrem, nec filium poteſt videre Spiritus ſanctus, quibus à te telis confoſſa eſt: Sanctam, inquit, & adorandam trinitatem, eiuſdem ſubſtantiæ, & coæternam, eiuſdem gloriæ & diuinitatis credimus anathematizantes eos, qui grande aut paruum, aut inæquale, aut viſibile in deitate trinitatis quidquam loquuntur. Sed ſicut in corporalem, inuiſibilem, & æternum dicimus Patrem: ſic incorporalem, inuiſibilem & æternum dicimus Filium, & Spiritum ſanctum. Niſi hoc diceres Eccleſiam non teneres: & tamen non quæro ſi ante non dixeris: non euentilabo, ſi amaueris eos, qui talia prædicauerunt: cum quibus fueris, quando iſta dicentes exilia ſuſtinebant, quis ſit ille, qui Theone presbytero Spiritum ſanctum Deum in Eccleſiā prędicante, clauſerit aures, foraſque cum ſuis concitus fugerit, ne tantum audiret piaculum. *Tomo 2. Epiſt. 61. ad Pammac. ca. 3.*

*Eccleſiæ doctrina tenenda.*

S I N autem interpretatur rubus, vel odium, quorum vtrumq; facit ad myſticos intellectus, quod poſtquam venerimus, ad eum locū, de quo ſit nobis Dominus locuturus: grande odium mercamur inimici. Tunc videbimus ardere rubum, & non comburi, inflammari Eccleſiā perſecutionibus, & eam, loquente in illa Domino, non perire. *Tom: tertio Epiſt. 127 ad Fabiolam, Manſione. 8.*

*Exod. 3.*

*Eccleſia inflāmatur perſequutionibus, ſed non interit.*

Q V AE iam ſuper petram Chriſtum ſtabili radice fundata eſt Catholica Eccleſia: vna columba perfecta & proxima ſtat à dextris, & nihil in ſe ſiniſtrum habet: ſtat in veſtibus deauratis, de ſermonibus ſcripturarum ad ſenſum tranſiens, & cunctis plena virtutibus, ſiue, vt nos tranſtulimus, in diademate aureo. eſt enim regina regnatque cum rege cuius filias poſſumus intelligere, & in commune credentium animas & propriè virginum choros. *Tom. 3. Epiſt. 140. ad Principiam. Fol. 396.*

*Mat. 16.*

*Cant. 6.*

*Eccleſia ſuper petram Chriſtum ſtabili radice fundata nō corruet.*

P R O patribus tuis, ſtirpe videlicet Iudæorum qui te reliquerunt, & negauerunt, nati ſunt tibi filij Apoſtoli, & de nationibus credentes, quos conſtituiſti principes in vniuerſa terra. Memor ero nominis tui in omni generatione & generatione. Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in ſæculum ſæculi. *Ibidem in fine.*

I S T E, qui arundinem quaſſatam non confregit, & linum fumigans non extinxit, iudicium quoque perduxit ad victoriam, cuius iudicia vera ſunt, iuſtificata in ſemetipſis: vt iuſtificetur in ſermonibus ſuis, & vincat cum iudicatur: & tam diu lumen prædicationis eius in mundo reſplendeat, nulliuſque conteratur & vincatur inſidijs; donec ponat in terra iudicium, & impleatur illud quod ſcriptum eſt: Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra. Et in nomine eius gentes ſperabunt ſiue in lege eius ſperabunt inſulæ: Quo modo enim inſulę turbine flatuq; ventorū, & crebris tempeſtatib. feriuntur quidē, ſed non ſubuertuntur, in exemplū Euangelicæ domus, q̄ ſupra petrā robuſta mole fundata eſt: ita & Eccleſiæ quæ ſperant in lege & in nomine Domini Saluatoris, loquuntur per Eſaiam: Ego ciuitas firma, ciuitas quæ non oppugnatur. *Tom. 3. Epiſt. 151. ad Algaſiam Quæſtione. 2.*

*Eſaiæ. 42.*

*Pſal. 18.*

*Pſal. 50.*

*Matt. 6.*

*Eſæ. 11. 27.*

*Vt Inſulæ tempeſtatibus feriuntur quidem ſed non ſubuertūtur: ita & Eccleſia.*

*Matt. 7.*

*Luc. 6.*

*Eſai. 27.*

S V P E R omnem gloriam protectio: & cæt.] Nos omnia referamus ad primum aduentum Chriſti: de quo & in Pſalmis legimus: Protexit me in abſcondito tabernaculi ſui: in petra exaltauit me: Super quam fundata Eccleſia nulla tempeſtate concutitur, nullo turbine ventiſque ſubuertitur. *Tom. 4. lib. 2. Commentariorum in caput quartum Eſaiæ.*

*Pſal. 26.*

*Eccleſia ſuper Chriſtū fundata nullis ventis & nullo turbine ſubuertitur.*

ET adiecit Dominus loqui ad me adhuc &c.] Iuxta anagogen, omnis hæreticus, qui iunxerit auxilio ſuo ſapientiam ſæcularem, & Hieruſalem, id eſt, Eccleſiam voluerit oppugnare, derelinquens aquas Siloæ fontis, qui interpretatur miſſus, & qui ſalit in vitam æternam, tradetur Aſſyriorum principi: quem ſenſum magnum in poſterioribus lecturi ſumus: cuius traditus poteſtati in profundum veniet peccatorum. Tantæ enim eſt arrogantiæ, vt auſus ſit oſtendere, Saluatori vniuerſa regna terræ, & dicere: Hæc omnia mihi tradita ſunt. Conabitur quoque Iudam, id eſt, domum confeſsionis intrare: & crebrò per eos qui in Eccleſia negligentes ſunt vſque ad collum veniet: credentes in Chriſto cupiens ſuffocare: & extendet alas ſuas, implens vniuerſam regionem Emmanuelis ſed non poterit obtinere, quia habet Iudas præſentem Deum. *Tomo quarto libro tertio Commentariorum in cap. 8. Eſaiæ.*

*Infra 10. Sec 70.*
*Matt. 4.*
*Cum Eccleſia habeat præſentem Deum irriti ſunt hæreticorũ conatus*

QVOD autem ſequitur: Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: pro quo LXX. tranſtulerunt: μεγάλη ἡ ἀρχὴ, id ſt, magnus principatus eius: ſcire debemus quod verbum Hebraicum המשרה & hic & ſupra LXX. ἀρχὴν, id eſt, principatum interpretati ſunt: Pro quo nos ſupra principatum, hic imperium vertimus Aquila autẽ verbi ambiguitate deceptus, μέτρον, id eſt, menſuram interpretatus eſt, quæ & Hebraicè & Latinè eodem appellatur nomine משורה Nec dubitare poterit de multiplici Saluatoris imperio & pace eius, quæ non habeat finem, qui in Pſalmis legerit: poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ. Et rurſum. Et multitudo pacis donec auferatur luna, ideſt, vſque ad conſummationem ſæculi. Principatus autem illius & imperium erit ſuper ſolium & regnum Dauid: quod poſt captiuitatem Babylonicam fuerat diſsipatum: vt confirmet illud & roboret, & doceat eſſe perpetuum, ne caſſa Dei promiſsio videretur, ab incarnationis tempore vſque in ſempiternum. *Tomo quarto libro tertio Commentariorum in cap. 9. Eſaiæ.*

*1. Par. 23.*
*Pſal. 2.*
*Pſal. 71. Soliũ et regnum Dauid à Deo confirmatum et roboratum perpetuũ eſt, ab incarnatiõis tempore vſque in ſempiternum ne dei promiſsio caſſa videatur.*

DOMVS, quæ ſupra petram fundata eſt nulla tempeſtate concutitur. *Tom. 4. lib. 6. Com. in cap. 14. Eſaiæ Fol. 68.*

SALVTES non fecimus in terra: &c.] Cadent quicunque habitationi terræ ſe dederunt, & in terrenis operibus fixa radice fundati ſunt, & non cadent qui ſedent in orbe terrarum, & requieſcunt in Eccleſia, quæ habitaculum patris & filij, & ſpiritus ſancti eſt. *Tomo quarto lib. 8. Com. in cap. 26. Eſaiæ.*

*Nõ concidẽt qui in habitaculo eccleſiæ requieſcunt.*

IN die illa vinea meri cantabit &c.] LXX. eandem pulchram appellant vineam, in qua fuit lex & prophetæ, ſacerdotium & pontificium, & Dei notitia dicente ſcriptura: Notus in Iudæa Deus, in Iſrael magnum nomen eius. Quod alij putant iuxta editionem eorum ad Eccleſiam pertinere, qua nihil eſt pulchrius. Et de qua dictum eſt: Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei, quæ princeps eſt genetricis ſuæ, & dicit in cantico Canticorum: Filij matris meæ pugnauerunt aduerſus me. Et loquitur: Ego ciuitas firma, ciuitas quæ oppugnatur. Pulchreque oppugnatur dixit, non expugnatur. Statimque iungit de ſynagoga quæ de capite verſa eſt in caudam. Fruſtra ei potum mearum tribuo doctrinarum, capietur enim in tenebris erroris ſui. Et quia apertam lucem non recepit, per diem corruit murus eius, id eſt, omne quod ſibi putabat auxilium: nullusque erit aduerſariorum, qui non capiat eam: quod de cõtrarijs debemus intelligere poteſtatibus. *Tomo quarto libro octauo Commentariorum in caput 27. Eſaiæ Fol. 99.*

*Pſal. 75.*
*Pſal. 86.*
*Cant 1.*
*Eccleſia oppugnatur ſed non expugnatur, cõtra ſentiendum eſt hodie de ſynagoga.*

INDIGNATIO non eſt mihi, & cætera.] Quidam hunc locum ad Eccleſias referunt, quod cuſtodiantur quidem à Deo, ſed multi in eis fructus non faciant & propterea boni doctoris ſuccẽdantur ardoribus vt clamitent & confiteantur errorem ſuum, & poſtea pacem faciant Deo, qui verè appellentur filij Iacob. *Ibidem.*

*Eccleſia à deo cuſtoditur & protegitur.*

CONVERTIMINI ſicut in profundum & cæt.] Dixit Dominus, atque pollicitus eſt: cuius dixiſſe feciſſe eſt: & qui habet ignem in Sion, & caminum in Hieruſalem, vt aduerſarios ſuos inſtar ſtipulæ atque lignorum egrediens de Hieruſalem flamma conſumat. *Tom. 4. li. 10. Com. in ca. 31 Eſaiæ.*

*Deus habet ignem in Siõ & caminum in Hieruſalem, id eſt in Eccleſia ad defenſionem.*

ET tu Iſrael ſerue meus Iacob, & cætera] Poſt vocationem gentium, quando viderunt inſulæ, & timuerunt, extrema terræ obſtupuerunt, appropinquauerunt & acceſſerunt, vocantur reliquiæ iuxta electionem gratiæ, de quibus ſcribit & Euangelium. Iſtos duodecim elegit Ieſus: quos & Apoſtolos nominauit qui poſt ſeruitutem pædagogæ legis, electi ſunt in Euangelio & ſemen Abraham amici Dei eſſe meruerunt. In illo enim apprehendit eos ab extremo terræ, & à longinquis eius finibus vocauit Iſrael de vniuerſis nationibus, congregans primum populum Iudæorum, de quibus, & Paulus Apoſtolus dicit: Vobis oportebat primum prædicari ſermonem: quoniam auertitis nos, imus ad gentes. Tibi ergo, qui es ſeruus meus, & electus meus, qui prædicaturus in gentibus eſt, & perſecutiones plurimas perpeſſurus, dico, ne timeas, quia tecum ſum, cui loquor in Euangelio: Ecce ego vobiſcum ſum omnes dies, vſque ad conſummationem ſæculi. Non erres neque à veritate declines, nec te falſa perſuaſione decipias: quod tuis viribus imperitus & nudus, ſiluam gẽtium penetres, & ferociſsimas nationes ad manſuetudinem voces. Ego ſum qui confortaui te, & auxiliatus tui ſum & ſuſcepit te, ſiue protexit dextera iuſti mei, id eſt, Domini Saluatoris, ſiue dextera mea, vt LXX. tranſtulerunt. Ecce enim aduerſarij tui, populus Iudæorum & omnes qui pugnant aduerſum te, & perſecutores tui, vertentur in nihili: quæreſque aduerſarios tuos, & non inueniens: Cauſaque redditur, quare non inueniat aduerſarios. Quia erunt quaſi non ſint. Qui aduerſarij inſanire dicuntur contra Apoſtolos: vel iuxta Hebraicum, eſſe conſumpti. Iccirco autem timere non debes, quia ego apprehendi manum tuam, qui dico tibi, ne timeas ego adiuui te, noli timere vermis Iacob, qui mortui eſtis ex Iſrael, ſiue vt LXX. Pauciſsimi ex Iſrael. *Tom. 4. lib. 12. Commentariorum in cap. 41. Eſaiæ.*

*Luc. 6.*
*Act. 13.*
*Mat. vlt.*
*Cõſolatio et confirmatio Eccleſiæ contra omnes hoſtes à dei præſentia iugi et defenſione.*
*Eximit metum eccleſiæ à promiſsione protectionis perpetuæ*

ET nunc hæc dicit Dominus & cæt.] Noli timere ego tecum ſum: qui vobis in Euangelio loquor: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus dieb. vſq; ad conſummationem ſæculi. Ab oriente enim, & ab Occidente adducam filios tuos, qui requieſcant in ſinu Abraham, & de cunctis mundi partibus filiorum, meorum & filiarum populus congregabitur: qui vel inuocent nomen, meorũ vel meo vocentur nomine: vt appellentur Chriſtiani in gloriam conditoris ſui. *Tom. 4. lib. 12. Co. in cap. 43. Eſaiæ.*

*Mat. vlt.*
*Matt. 8.*
*Promiſsio præſentiæ Dei in Eccleſia.*

HAEC dicit Dominus, labor Aegypti, &c.] Porrò quod in LXX. additum eſt: Innouamini ad me inſulæ: ſic exponere poſſumus, vt dicamus Eccleſias de gentibus congregatas innouari in Chriſto, & appellari inſulas, quod perſecutorũ rabiem, procellaſque ſuſtineant, & fundatæ ſupra Petram, nulla turbinum mole quatiantur. *Tomo quarto libro Decimo tertio Commenta. in cap. 46. Fo. 149.*

*Eccleſiæ dicuntur inſulæ quod fundatæ ſupra petrã nulla turbinum molle quatiantur.*

AVDITE inſulæ, & attendite populi de longe. &c.] Poſt vocationem reliquiarum Iſrael, & abiectionem in incredulitate populi permanentis: de quibus dixerat: Non eſt pax impijs dicit Dominus, tranſit ad Eccleſias de gentibus congregatas, & eis ſub inſularum nomine loquitur: quæ ita perſecutorum inſidijs, quaſi maris fluctibus patent, & ex omni parte ſæuiente naufragio, tunduntur potius quàm mouentur. *Tom. 4 lib. 13. Comment. in cap. 49. Eſaiæ. Fol. 155.*

*Sup. 48.*
*Inſulæ id eſt Eccleſiæ ſæuiente naufragio tundũtur potius quam mouẽtur.*

VT ſciamus ſuper Petram & fundamentum Chriſti ex vtroq; populo ædificari Sion, ad credentes Paulus loquitur: Aedificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarũ, ipſo ſummo lapide angulari, qui eſt Ieſus Chriſtus. Ex quo perſpicuum eſt, vnum eſſe fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. *Tom. 4. lib. 13. Com. in cap. 49. Eſaiæ. Fol. 158.*

*Ephe. 2.*
*Fundamentum vnum Apoſtolorũ & prophetarum firmum concidere non poteſt.*

HAEC dicit Dominus Deus, &c. Ad id quod Eccleſia dixerat: Ego ſterilis atque captiua, iſtos quis genuit mihi? Ego deſtituta & ſola, & iſti vbi erant? Reſpondit Dominus: Miraris cur iſta ſint facta? Nequaquam miraberis cum audieris, quod ego ad gentes leuauerim manum meam: de qua & ſanctus loquitur: Tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam. Et ipſe Saluator: Nemo poteſt rapere de manu patris mei. Et Apoſtolus Petrus: humiliamini ſub potẽti manu dei, vt vos exaltet in tempore viſitationis. Iſta manus ad gentes leuata, ipſa eſt, de qua hic idem Propheta loquitur: Erit radix Ieſſe: qui exurget, vt princeps ſit gentium: in ipſum gentes ſperabunt. Nec ſolum manum ſuam leuabit ad gentes ſed & ſignum ſuum exaltabit in populis. Haud dubium quin vexillum crucis, vt impleatur illud quod ſcriptum eſt: Laudibus eius plena eſt terra. Et iterum: In omni terra admirabile nomen eius. Tũc afferent in vlnis ſiue in ſinu filios Sion, & filias eius portabunt in humeris. Qualis fuit & Lazarus, omneſque ſancti qui requieſcunt in ſinu Abrahæ, & animæ credentium, ad quas Paulus Apoſtolus loquebatur: Lacte vos potaui. Et alibi filioli mei, quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis. Et in alio loco. Quaſi nutrix foueat filios ſuos. Sic deſiderantes vos, cupimus impertire vobis; nõ ſolũ euangeliũ Chriſti, ſed & animas noſtras: alioquin ridiculum eſt more Iudaico grandeuos filios & filias in vlnis humeriſque portari. Reges autem nutricij, & reginæ principeſque nutrices, manifeſtè Apoſtolos & Apoſtolicos oſtendunt viros: qualis fuit & Abraham, ad quem dicitur: Rex à Deo tuo in nobis es: & quorũ cor in manu Dei eſt, qui dicũt credentibus: Quaſi modo nati paruuli, rationabile, & abſque idolo lac deſiderate. Princeps quoque, id eſt, ἄρχουσα, quod Saræ nomen ſonat. Et reginæ ſiue regina, de qua in quadrageſimoquarto Pſalmo canitur: Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato: quotidie Chriſti nutrit paruulos, & ad perfectam ducit ætatem. Omniſque ætas, ſexus, & dignitas adorabunt Sion, propter eum qui habitat in ea. Si enim caput Eccleſiæ Chriſtus eſt, caput adoratur in corpore: & ſi ad quoſdam dicitur: Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum eius (non quo ſcabellum adorandum ſit, ſed quo maieſtas pedum illius indicetur) cur non adoretur Eccleſia, quæ totum Chriſti corpus amplectitur? vt impleatur illud quod ſcriptum eſt in Sophonia: Adorabunt eum ſinguli de loco ſuo, omnis inſulæ gentium: Vt nequaquam more Iudaico tribus per annum vicibus veniant in Hieruſalem, ſed in loco ſuo adorantes Dominum, poſsideant Hieruſalem. Quodque ſequitur: Et puluerem pedum tuorum lingent: Hoc ſignificat, quod reges & principes, quicquid in pedibus Eccleſiæ terreni operis adhæſerit, ſuo ſermone tergant atque delingant. Vnde & Apoſtolis præcipitur, vt excutiant puluerem pedum ſuorum. Et ad Petrum dicitur: Quod qui ſemel lotus ſit, non habeat neceſſe, niſi pedes lauare. Per quæ omnia diſcit Eccleſia, nõ eſſe alium Dominum præter eum: quem qui expectauerint æternam gloriam poſsidebunt. *Tomo quarto libro 13. Commentariorum in caput 49. Eſaiæ Fol. 158.*

*Pſal. 138.*
*Ioan. 10.*
*1. Pet. 5.*
*Eſaiæ 11. Vexillum crucis leuandum ſuper Eccleſiam gentium.*
*Pſal 8.*
*Luc. 16.*
*1. Cor. 3.*
*Gal. 4.*
*1. Theſ. 2. Obſequium regum & principum in Eccleſiam.*
*Gen. 23 Sec. 70.*
*Qui ſint reges nutritij & reginæ: nutrices Eccleſiæ.*
*1. Pet. 2.*
*Pſal. 98. Adorandũ & honorandum corpus Eccleſiæ.*
*Soph. 2.*
*In omni loco ſancto Chriſtiani poſsident Hieruſalem.*
*Matt. 10.*
*Ioan. 13.*

EGO, ego ipſe conſolabor vos, & cæt.] Simul Apoſtrophen facit ad filium, quem citò promittit eſſe venturum, & cuius panem dicit eſſe perpetuum: quod ipſe ſit iuxta diſpenſationem carnis aſſumptę Dominus Deus eius: qui conturbari faciat mare, & intumeſcere fluctus eius: vt aduerſum ſeruos ſuos perſecutorum inflectur ſuperbia: quæ iterum auxiliante Domino conquieſcat. Dicitque, quod poſuerit verba ſua in ore eius. Quicquid enim filius loquitur verba patris ſunt, & in vmbra ſuæ manus protexerit eum. Et iccirco protectus ſit, vt plantet cœlos nouos, & fundet terram nouam, & dicat ad Sion, hoc eſt, ad Eccleſiam. Populus meus es tu. Ergo Sion non eſt alia, niſi populus Dei. *Tomo quarto libro Decimo quarto Commentariorum in caput 51. Eſaiæ Fol. 165.*

*Perſequutorum ſuperbia contra Eccleſiam Domino auxiliante conquieſcit.*
*Matt. 16.*

QVIS operatus hæc eſt omnia, niſi Dominus atque Saluator, qui cœlum fecit & terram, & dicit Sion: Populus meus es tu? Quod propriè Eccleſiæ conuenit de gentibus congregatæ. Et in Oſeæ, credentibus pollicetur, dicens: Vocabo non populum meum, populum meum, & ipſe dicet mihi Deus meus tu. *Ibid.*

*Oſee. 2.*

SICVT in diebus Noe, &c.] Vt credat ſanctorum congregatio miſericordiam Domini ſempiternam, & ideo ad punctum, & breue eos eſſe deſertos, vt in amicitiam Dei, æterno fœdere iungerentur ponit exempla malorum, dicens. Quomodo vniuerſo orbe peccante, poſtquam corrupit om-

*In amicitiã Dei æterno fœdere iuncta Eccleſia.*

pit omnis terra viam Domini, iuductum eſt diluuium, & cum auctoribus cunctis peccatorum, cũcta peccata deleta ſunt, & in vno homine Noe humanum ſeruatum eſt genus: Cui iuraui nequaquam terris inducendum eſſe diluuiũ: & ſpõſio mea hucuſque ſeruata eſt, nec vnquam irrita fiet. Sic iuro Eccleſiæ meæ, quam mihi redemi ſanguine meo, nequaquam me iratum fore his, quorum miſertus ſum, nec meam clementiã vlla increpationis duritia commutandam. Facilius enim montes mouebuntur, & colles, quam mea ſententia commutabitur, Iuxta quod & in Euangelio loquitur: Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt. Hæc eſt autem, inquit, miſericordia mea: vt fœdus pacis, quo mihi reconciliatus eſt mundus, non merito eorum, quibus datum eſt, ſed mea clementia conſeruetur. *Tomo quarto libro.15. Commentariorum in caput 54. Eſaiæ.*

*Gen. 8. & 9. A pacto cũ Nobacho fœdus cum eccleſia initum confirmatur.*

*Firmiſſima & validiſſima promiſſio de Dei amore erga Eccleſiam. Matt. 24.*

AVDITE audientes me, &c.] Ergo non iuxta χιλιαςας, opum abundantiam, & delicatos cibos, & craſſitudinẽ corporis, phaſideſq; & fartos turtures, mulſum merum, vxorum pulchritudinẽ, examina liberorũ, Dominus animæ pollicetur: ſed illas delicias, ad quas nos myſticè prouocat, dicens: Delectare, ſiue delicijs fruere in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Et alibi: Credo videre bona Domini in terra viuentium. Et in alio Pſalmo: Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomen ſanctum eius. Qui implet in bonis deſiderium tuũ. Deniq; infert: Audite me, & viuet anima veſtra. Omniũ bonorum promiſſio, vita eſt ſẽpiterna. Quod ſi volueritis audire, & anima veſtra vixerit in æternũ, feriam vobiſcum pactum ſempiternum, miſericordias Dauid fideles. De quibus idem Pſalmiſta cantabat: Miſericordias Domini in æternum cantabo. In generatione & generatione annũciabo veritatẽ tuã. Et vt ſciamus quæ ſint iſtę miſericordiæ, ſequenti ſermone demonſtrat: Semel iuraui in ſancto meo: ſi Dauid mentiar, ſemẽ eius in ſempiternũ manebit, & thronus illius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in ęternũ, & teſtis in cęlo fidelis. Qui iccirco vocatur fidelis, quia promiſſa compleuerit. Pro quibus LXX. tranſtulerũt. τὰ ὅσια δαβὶδ τὰ πιςά, id eſt, ſancta Dauid fidelia: quod poteſt pro firmis accipi atq; robuſtis. Vt eſt illud. Fidelia omnia mandata eius: confirmata in ſæculum ſæculi. Et in alio loco: Deus fidelis & non eſt iniquitas in eo. Et Apoſtolus Paulus: Si negauerimus, inquit, eum, ipſe fidelis manet, negare ſeipſum non poteſt. Et in alio loco ſcribens ad Timotheum: Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus. Hoc autem pactum quod Dominus pollicetur, non erit breue & vnius temporis, ſicut fuit populi Iudæorum: ſed manebit in æternum, vt veniat verus Dauid, & in Euangelio cõpleatur, quæ ex Dei perſona ſunt repromiſſa: Inueni Dauid ſeruum meum: in miſericordia ſancta vnxi eum: Cuius manum poſuit in mari, & in fluminibus dexteram illius. Quem iuxta Ezechielem, per multa iam ſæcula dormiente Dauid, appellat ſeruum ſuum atque paſtorem dicens: Suſcitabo vobis paſtorem vnum, ſeruum meum Dauid. *Tom. 4. lib. 15. Commentariorum in cap. 55. Eſaiæ.*

*Chiliaſtarũ Epicurea opinio.*

*Myſticæ ſpirituales deliciæ.*

*Pſal 36.*
*Pſal. 26.*
*Pſal. 102.*

*Promiſſionũ Dei erga eccleſiam firmitas & certitudo iureiurando confirmata.*

*Pſal. 110.*

*Deut. 32.*

*2. Tim. 2.*

*1. Tim. 1.*

*Promiſſio de æterno fœdere ſub typo Dauid ad Chriſtum & noui teſtamẽti eccleſiam pertinet.*
*Pſal 88.*
*Ibidem.*
*Ezech. 34.*

ET ædificabuntur in te deſerta ſæculorũ, &c.] Non ſolum, inquit, orietur in tenebris lumen tuum, & tenebræ tuæ erunt quaſi meridies, & dabit tibi Dominus requiem ſemper, & eris quaſi hortus irriguus, & cætera: Sed ædificabuntur in te, quæ longo tempore deſerta fuerant, & in multis generationibus permanſura, ædium tuarum fundamẽta iacientur: ita vt vel tu ipſe voceris ædificator ſepium, atque maceriarum, vel oriatur in te quaſi ædificator ſepium, & auertat ſemitas in quietem, ſiue iuxta LXX. τὰς τρίβους τὰς ἀναμέσον παύσεις, id eſt, calles in medio facies conquieſcere. Hæc Iudæi & amici tantum occidentis litteræ, ad inſtaurationem referunt vrbium Palæſtinarũ. Et vel facta ſub Zorababel, & Ezdra, & Neemia, vel in vltimo tempore futura contendunt: Et ad inſtaurationem Hieruſalem, & in circuitu ciuitatũ altiſſima fundamenta iacienda: & tam excelſos muros ædificandos: vt nullus hoſtium poſſit intrare, & omnium in eas inimicorum prohibeatur ingreſſus. Nos autem ſequentes cœptæ explanationis ordinem, quæ deſerta fuerant in Iudæis, dicimus ædificari in Eccleſia, non ad breue tempus, ſed in perpetuum: Et fundamenta illius ex vtroq; populo, id eſt, in duabus generationibus ſuſcitanda. Vnde dicebat Apoſtolus: Quaſi ſapiens architectus fundamentũ poſui, alius ſuperædificat: vnuſquiſq; autem videat quid ſupprædificet. Et in alio loco: Dei Agricultura, Dei ædificatio ſumus. Et iterum: Aedificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & prophetarum: & vocandam eam, ſiue eum, qui natus eſt in ea, ædificatorem ſepium. De quo in Pſalmo legimus: Homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus. Quas ſepes atque macerias (hoc enim Græcus ſermo ſignificat, φραγμοῦς) agro & vineis circundari ſcriptura commemorat. Vineam de Aegypto tranſtuliſti, eieciſti gentes & plantaſti eam. Et poſt paululum. Quare deſtruxiſti maceriam eius, & vindemiant eam omnes qui tranſeunt viam? Et in hoc eodem propheta. Vinea facta eſt dilecto: Quam pulchro ſermone deſcribens, intulit: Aedificaui terram, & maceria circumdedi: Quam qui deſtruxerit, iuxta Eccleſiaſten, mordebit eum coluber. Quæ ideo circundata eſt, vt omnium beſtiarum in vineam Dei prohibeatur acceſſus. Iſte autem columber tortuoſus, qui decepit Euam in paradiſo: quæ quia Dei præcepta deſtruxerat, propterea morſibus eius patuit, & audiuit à Domino: Tu obſeruabis caput eius & ille obſeruabit tibi calcaneum. *To. 4. lib. 16. Com. in cap. 58. Eſaiæ.*

*Falſa expoſitio Iudæorũ de inſtauratione vrbium Paleſtinarũ*

*Quæcunque deſerta fuerũt in Iudæa ædificantur in Eccleſia. non ad breuè tempus ſed in perpetuũ.*
*1. Corint. 3.*

*Ephe. 2.*

*Pſal. 86. eccleſia nedũ ſtruatur vndiq; circunſepta et circũuallata atq; munita varijs præſidijs et auxilijs.*
*Pſal. 79.*

*Eccleſi. 10. A turribus defenditur Eccleſia & ſepibus circundata eſt ne beſtijs pateat acceſſus ad eam.*

ET timebunt qui ab occidente nomen Domini, &c.] Eorum in Sion redemptio eſt, & propinquus, qui eum ſuſceperint ex Iacob, & illis pollicetur dicens: Hoc fœdus meum cum eis ſiue pactum vt omnes alij tranſtulerunt: aut διαθήκην, id eſt, teſtamentum: vt poſuere LXX. Quod ſit autem fœdus, pactum, & teſtamentum, ſequens verſus oſtendit: Spiritus, inquit meus qui in te eſt, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui amodo & vſque in ſempiternum. Quod vel ad Eſaiam dicitur, vt mihi videtur: vel ad Dominum, vt plerique exiſtimant. Igitur ad Eſaiam ſic ordo connectitur. Hoc eſt pactum Euangelij ſempiternum: vt ſpiritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, per quæ ventura prædices: non de tuo ore diſcedant, nec de filiorum tuorum ac nepotum, & ſeminis ſeminis tui: vt omnis

*Fœdus & pactum domini perpetuũ cũ Eccleſia de ſpiritus ſancti iugi præſentia.*

*Gratia prophetarũ ve-*

per



per ſeriem generatio, demoſtretur: quod ſcilicet gratia prophetarum in Apoſtolos veniat, & in eos qui de Iſrael per Apoſtolos credituri ſunt. Quod autem infert: Amodo & vſque in ſempiternum, illi congruit: Cælum & terra tranſibunt: verba autem mea non præteribunt. Hunc locum diligenter Paulus ediſſerens, ſcribit ad Romanos: quod non ſit diſtinctio Iudæi & Græci: ſed ipſe Dominus omnium, diues in omnibus qui inuocant illum: & quod non ſic crediderint gentes, vt Iſrael penitus pelleretur. Nam & ego, ait, Iſraelites ſum ex ſemine Abraham, de tribu Beniamin. Non repulit Deus plebem ſuam quam præſciuit. Et poſt paululum, cum Heliæ poſuiſſet exemplum, querentis ad Dominum quod ſolus eſſet relictus, & audientis ab eo quod reliquiſſet ſibi Dominus ſeptem millia virorum, qui non curuaſſent genua ante Baal, intulit: Sic igitur & in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionẽ gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Si aũt gratiæ, iã nõ ex operib. alioquin gratia iã non eſt gratia. Quid ergo eſt? quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſecutus: electio autem conſecuta eſt: ceteri verò excæcati ſunt. Qui ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur. Potens eſt enim, inquit, Deus iterum inſerere illos: non contra naturam ex oleaſtro, ſicut gentium inſerta eſt multitudo: ſed ſecundum naturam in bonam, id eſt, in ſuam oliuam. Et ad extremum poſuit, vt ad præſens capitulum perueniret. Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc, vt non ſitis apud vosmetipſos ſapientes. Quia cæcitas ex parte in Iſrael contigit, donec plenitudo gentium ſubintraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret: ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion qui liberet & auertat impietates à Iacob, & hoc illis à me teſtamentum cum abſtulero peccata eorum. Hæc iccirco latius proſecuti ſumus: vt quicquid repromiſſionum & legimus & lecturi ſumus ad Sion & ad Hieruſalem: non generaliter ad omnes Iudæos, ſed ſpecialiter ad eos dici intelligamus qui in Apoſtolis & per Apoſtolos electi ſunt ex Iſrael. *To. 4. lib. 16. Commentario. in caput quinquageſimum nonum Eſaiæ in fine.*

*nit in Apoſtolos & in eos qui de Iſrael per apoſtolos credituri ſunt.*
*Luc. 21.*

*Rom. 10.*

*Ibid. 11.*

*3. Reg. 19.*

*Rom. 11.*

*Sup: eodem.*

*Regula generalis aurea. Quicquid repromiſſionũ ad Sion & ad Hieruſalẽ legitur nõ generaliter ad omnes Iudæos ſed ſpecialiter ad eos dici intelligamus, qui in Apoſtolis & per Apoſtolos electi ſũt ex Iſrael*

PRO ære afferam aurum, &c.] In quo ſcripturæ ſanctæ admiranda maieſtas, quod principes futuros Eccleſiæ, Epiſcopos nominauit quorum omnis viſitatio in pace eſt, & vocabulum dignitatis in iuſtitia: vt nequaqam accipiant perſonam in iudicio, nec audiatur quippiam iniquum in terra Eccleſiæ, neque contritio & infelicitas in terminis eius. Vbicunq; enim iniquitas eſt, & iuſtitia non ſeruatur, & pax perditur, hæc omnia conſequentur. Sed pro his (ait) omnibus occupabit ſalus muros tuos, ſiue ſaluator: qui in Hebraico legitur Ieſoua, quod propriè nomen Domini ſonat. Ipſe eſt enim fortitudo murorum Eccleſiæ quæ habet portas in laude Domini: vt qui ingrediuntur eam, primum diſcant laudare Dominum, & nomen illius confiteri. Quod autem LXX. pro laude interpretati ſunt γλύμμα, id eſt, ſculpturam: hoc poſſumus dicere, quod portæ Eccleſiæ cunctis debeant cælata eſſe virtutibus, per quas ingrediamur ad eam. *Tomo quarto libro 17. Commentariorum in caput. 60. Eſaiæ.*

*Epiſcopi principes eccleſiæ*

ישועה

*Dominus eſt fortitudo murorum Eccleſiæ.*

*Portæ Eccleſiæ debent eſſe cunctis cælatæ virtutibus.*

PROPTER Sion non tacebo & cætera] Nunc prophetæ introducitur perſona, dicentis: Propter Sion non tacebo, & propter Hieruſalem non quieſcam. Diebus, inquit, ac noctibus ora non claudam, nec mea vnquam reticebit oratio: ſed tamdiu clamabo, & precibus iungam preces, donec veniat qui promiſſus eſt, & ſplendore ſuo cunctum orbem illuminet. Quis eſt iſte quem quærit quem venire deſiderat, ponit manifeſtius. Donec egrediatur, vt ſplendor iuſtus eius & ſaluator eius, vt lampas accendatur. Siue iuxta LXX Donec exeat ſicut lux iuſtitia eius, & ſalutare illius ſicut lampas ardeat. Quæ dicebat in Euangelio. Ego ſum lux mundi. Quæ cum in Sion, & in Hieruſalem fuerit accenſa, nequaquam in ſola ſplendebit Iudæa, ſed dicetur ad eam: Lumen quod in te eſt, accenſum eſt: quod egreſſum ex patre, in tuis cœpit ardere finibus, omnes gentes illuminabit. Et cuncti reges videbunt inclytum tuum, ô Hieruſalem, & Sion: qui de tua ſtirpe generatus eſt, qui in te exaltatus patibulo, omnes traxit ad ſe: ita vt gentes videant iuſtitiam eius, qua cunctorum creator miſertus eſt gentibus: Et reges gloriam illius, qua glorificatus in cruce eſt, & omnia ſuo imperio regna ſubiecit. Denique nequaquam vocabitur Hieruſalem: & Sion, ſed nouum nomẽ accipiet, quod ei Dominus impoſuerit dicens ad Apoſtolum Petrum: Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Quod vocabulum à nomine Domini deriuauit, vt dicatur dominicum: Et populus illius nequaquam veteri nomine appellatur Iſrael, ſed nouo, id eſt, Chriſtianus. *Tom. 4. lib. 17. Comment. in cap. 62. Eſaiæ. Fol. 205.*

*Votũ et promiſſio de venturo Meſſia.*

*Ioan. 8.*

*Chriſtus exaltatus patibulo crucis omnes traxit ad ſe.*

*Matt. 16. Portæ inferi non præualebunt aduerſus Eccleſiã.*

*Nouum nomen Chriſtianorum.*

HABITABIT enim iuuenis cum virgine, & cætera] Dicit & Apoſtolus: Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus Eccleſiam. Cumque poſuiſſet exemplum: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna, intulit: Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. Si ergo propter breuitatem temporis, quod in arto eſt, ſic debent viri habere vxores ſuas, quaſi non habeant: Quanto magis inter ſponſum & ſponſam erit ſancta coniunctio? Iſte eſt ſponſus, de quo in duodeuiceſimo Pſalmo canitur: Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Et iſta ſponſa, quæ crebrius in Cantico ſcribitur Canticorum, quæ non habet rugam neque maculam. Quam Paulus deſiderat, offerre vni viro virginem caſtam, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. De qua & ſub nomine chariſſimi, quadrageſimus quartus Pſalmus canit: Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate Sicut igitur ſponſus gaudet in ſponſa, iuueniſque cum virgine, in quibus exemplis ſancta coniunctio eſt: Sic Dominus lętabitur in ea, cuius nomina fuerint immutata, *Ibidem. Fol. 206.*

*Ephe. 5.*

*1. Cor. 7.*

*Sanctiſſima et indiuidua coniunctio inter Chriſtum & Eccleſiam.*

*2 Cor. 11. A ſimilitudine dilectiõis ſponſi & ſpõſæ Chriſti in Eccleſiam amor illuſtratur.*

MISERATIONVM Domini recordabor, & cætera.] Virtutes Domini recordabor in omnib. quæ retribuit mihi: Pro quo in Hebraico, laudes Domini continentur, ſigna intelligamus atq; miracula: pro quibus ponũtur ſæpe virtutes, vt ibi: Gloriam meam alteri non dabo, nec virtutes meas ſculptilibus. Et ibidem: Virtutes eius in inſulis nunciabunt: vel gentibus totius mundi, vel Eccleſijs quæ firma mole fundatæ ſunt, &

*Virtutis Domini ſigna et miracula.*
*Sup. 42.*
*Sec. 70.*
*Ibidem.*
*Sec 70.*
*Eccleſiæ quaſi inſulæ firma mole fundatæ ſunt et feriuntur potius quã ſubueruntur.*



feriun-

feriuntur potius quam ſubuertuntur. *Tom. 4. lib. 17. Com. in cap. 63. Eſaiæ.*

*Pulcherrima comparatio inter chriſtum & ſolē, lunam & Eccleſiam à proprijs affectionib. virisq;*

QVIA ſicut cœli noui & terra noua &c.] Aiūt Phyſici & quorum curæ eſt de cæleſtibus diſputare: lunam non habere proprium lumen, ſed ſolis radijs illuſtrari. Ab ea enim ſēper orbis parte complctur & fulget, à qua ſoli vicinior eſt, nec vmbra terræ obſcuratur: quod & Poëta vno verſiculo demonſtrauit: Nec fratris radijs obnoxia ſurgere luna. Si hoc verum eſt, & nos tropologicè poſſumus dicere: Eccleſiam quæ pace & perſecutionibus creſcit atq; decreſcit, & oppreſſa tētationum tenebris rurſum priſtinum lumen aſſumit, habere ſplendorem à ſole iuſtitiæ, & hoc eſſe quod dicitur: Splendebit luna quaſi ſol habitatoreſq; eius iuſtos fulgere quaſi ſolem in regno patris ſui. *Tom. 4. lib. 18. Com. in cap. 66. Eſaiæ.*

*Sup. 30. Matt. 13.*

*Eccleſiæ tanquam ciuitatis firmitas deſcribitur ſub typo Hieremiæ.*

EGO quippe dedi te hodie, &c.] Deſcribit ſermo diuinus, cur propheta timere non debeat. Ego, inquit poſui, ſiue dedi te hodiè, hoc eſt in præſenti vita, donec vocatur hodie, quaſi ciuitatem firmiſsimā, non vt vnam domum, nec turrem, aut aliqua mœnia, ſed omnem ciuitatem, quæ ſita ſuper montem latere nō poteſt: De qua ſcriptum eſt: Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Et, ego ciuitas firma, ciuitas quæ oppugnatur: Et in columnam, inquit, ferream, de qua ſcribit Apoſtolus: Columna & firmamentum veritatis. Vnde Petrus & Ioannes qui putabantur columnæ Eccleſiæ, dextras dederunt Paulo et Barnabæ communionis. Nec hoc ſufficit ſed in murum, ait, æneum, qui nulla violatur rubigine, nec cæſus imbribus deperit, ſed vetuſtate fit fortior. Eris autem talis contra reges & principes, & populum non cuiuslibet loci, ſed terræ: id eſt, eorum qui terrena ſapiunt & cœleſtia non nouerunt, qui habent imaginem χοϊκοῦ & non cœleſtis. Hi, inquit, bellabunt aduerſum te, & non præualebunt. Cur quæſo? Quæ eſt tanta fortitudinis cauſa, vt nec reges nec principes, nec ſacerdotes, nec populi aduerſus vnum præualeant? Sequitur: Quia tecum ego ſum, ait Dominus, vt liberem te. Si quando reges Iuda, quæ interpretatur cōfeſsio, & principes eius, & ſacerdotes, & populi, epiſcopi videlicet & presbiteri & diaconi, & vulgus vile, atq; ignobile, contra ſanctum virum conſurgere voluerint, habeat fidei firmitatē, & timere deſiſtat: quia Domino auxiliante ſuperabit. *Tom. 4. lib. 1. Com. in ca. 1. Hieremiæ.*

*Matt. 5. Pſal. 86. Eſaiæ. 27. Sec. 70. 1. Tim. 3. Gal. 4.*

*Domino auxiliante ſuperat Eccleſia & eius ſancta membra.*

*Ephe. 5. Chriſtus ſponſus virginis Eccleſiæ. Ioan. 3.*

NVNQVID obliuiſcetur virgo ornamenti &c.] Per hæc diſcimus Chriſtū eſſe ſponſum virginis Eccleſiæ, quæ non habet maculam neq; rugam: Si autem ipſe eſt ſponſus: ipſius verba ſunt, de quo loquitur Ioannes Baptiſta: Qui habet ſpōſam, ſponſus eſt, Ornamentū ergo ſuum perdit, qui recedit à Domino, & amittit intelligentiā doctrinarum, quæ ſignificatur in pectore. Vnde & Ioannes Euangeliſta recumbit ſuper pectus Domini, & ſacerdotib. inter cætera ſeparatur pectuſculum victimarum. *Tom. 4. li. 1. Com. in ca. 2. Hierè.*

*Ibid. 13. Leuit. 7.*

*Eſaiæ. 40.*

*Ciuitas munita eſt Eccleſia.*

ANVNCIATE in Iuda, &c.] Hoc audiat Iuda, hoc Hieruſalem in quā confeſsio fidei eſt, & in qua pax Chriſti habitat, & cui per Eſaiam dictum eſt: in montem excelſum aſcende tū qui Euangelizas Sion. Eleua vocem tuā qui Euangelizas Hieruſalē: vt clamet fortiter & ita pręcipiat: Ingrediamur ciuitates munitas: hęreticorū bella conſurgunt, Chriſti munimenta nos teneant. Leuate crucis ſignū in ſpecula, id eſt, in ſublimitate Eccleſiæ. Conſortamini qui timetis, nolite ſtare, ſed ad Chriſti auxilium currite. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 4. Hieremiæ.*

*Crucis ſignū leuandum in ſublimitate Eccleſiæ.*

PROPTEREA Ecce dies veniunt, dicit Dominus: &c.] Manifeſtè futura populi Iſrael reſtitutio prædicitur, & poſt captiuitatem miſericordia quæ iuxta literam ſub Zorobabel, & Ieſu pontifice, & Ezdra ex parte completa eſt: Iuxta intelligentiā ſpiritualē verius atq; perfectius in Chriſto cōplenda deſcribitur. Veniet, inquit, tempus quando nequaquam dicetur, quod populus reduct⁹ ſit de Aegypto per Moyſen, & Aarō: ſed reductus de terra Aquilonis, Cyro rege Perſarū laxāte captiuos. Et de vniuerſis, inquit, terris quod nequaquā Cyri tēpore, ſed vltimo fine cōplebitur: dicente Apoſt. Poſtquā ſubintrauerit plenitudo gentium tūc omnis Iſrael ſaluus fiet. Poſſumus hoc & de perſecutionib. quę noſtro accidere populo à diebus Neronis, de quo ſcribit Apoſtolus: Et liberatus ſum de ore Leonis: vſq; ad Maximi tempora dicere: quo modo Dn̄s miſertus ſit populo ſuo & reduxerit eos in terrā ſuam: Haud dubium quin in Eccleſiam, quā dedit patribus eorum, Apoſtolis & Apoſtolicis viris. *Tom. 4. lib. 3. Com. in cap. 16. Hiere.*

*Eccleſiæ liberatio per Chriſtum à perſequutionibus typicè deſcribitur. Rom. 11.*

*2. Tim. 4.*

HAEC dicit Dominus, qui dat, &c.] Quomodo, inquit, rerum & maximè cœleſtium aſtrorū non poteſt ordo mutari & ſonantis maris fluctus voluuntur ad littora fragorq; gurgitum, & vndarū intumeſcentium terribilis auditur: nec poteſt vltra procedere, quam Dei iuſsione præceptum eſt iuxta illud: Terminum poſuiſti, quē nō tranſibunt: neq; cōuertentur operire terram. Sic inquit, ſemen & genus Iſrael, Domini erit voluntate perpetuum, nec aliquando deficiet. Leges autem hic non Moſaicæ ſunt intelligendæ, ſed conſtitutio, & ordo naturę. Interrogemus Iudæos, ſi cœli peribunt, & omnes quaſi veſtimentum veteraſcent, & ad Dominum dicitur: Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient: quo modo ſemen Iſrael poteſt eſſe perpetuū? Aut enim pereuntibus cœlis, peribit & ſemen Iſrael, aut ſi fuerit perpetuum, ergo nec cœli peribunt. Quod ſi ſcriptura mentiri non poteſt, & perituri ſunt cœli: peribit igitur & ſemen Iſrael, maximè cum & Iacob loquatur ad filios: Venite & annunciabo vobis, quid futurū ſit in nouiſsimis diebus. Quādo autem dicitur, in nouiſsimis diebus: ergo mūdus eſſe ceſſabit, & alia fiet rerum diſpoſitio. Hoc aduerſum illos. Cæterum noſtris mundum iſtū non eſſe perpetuum, etiam Euangelium demonſtrat, dicens: Cœlum & terra tranſibunt. Et: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſq; ad conſumationem ſæculi. Dicamus & aliter. Quamdiu mundus iſte fuerit, ſemen Iſrael, & gentem Iudaicam permanſuram, non in his qui nunc increduli ſunt, ſed in his qui cum Apoſtolis & per Apoſtolos crediderunt, vt reliquiæ ſaluæ fierent. *To. 4. lib. 6. Com. in cap. 31. Hiere. Fol. 301.*

*Pſal. 103. Semen et gēnus Iſrael domini volūtate erit perpetuum nec aliquando deficiet.*

*Ibid. 101. Oppugnat Iudæos & dilemmate conſtringit eorum ſemē non fore perpetuum. Gen. 49.*

*Matt. 24. Ibid. vlt. Quomodo Iſraelis ſemen perpetuum per ſucceſsionem eccleſiæ et trāſlationē promiſsionum.*

ECCE dies veniunt, &c.] Inuocantes Dominum ſaluatorem qui habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit: qui claudit & nemo aperit: quæ ſignatum quoq; Eſaiæ librum & omnium prophetarum aperiunt, & adorauerunt viginti quatuor ſeniores tenentes citharas, quod ſolus potuerit diuina reſerare myſteria: Aggrediamur ædificiū ciuitatis, ad quā propheticus ſermo dirigi-

*Apoc. 3. Eſaiæ. 22. Apoc. 3.*



*Pſal 85. ibid. 45.*

dirigitur. Glorioſa dicta ſūt de te ciuitas Dei. Et: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Aedificatur itaque eccleſia à turre obediētię, ſiue gratiæ & donorum Dei: hoc enim interpretatur Hananeel, vſque ad portam anguli: quæ licet videatur initium habere ſublime, quam diu in iſta carne ſubſiſtimus, rectam veritatis lineam non poſſumus poſsidere: ſed in angulo ſtamus, & fractis lineis: exitque vltra funiculus menſurę contra eam, id eſt, portam anguli ſuper collē Gareb, qui in lingua noſtra vertitur, aut incolatus, aut ſcabies: vt doceat nos aduenas eſſe, atque peregrinos, & non auribus prurientes, & ad nouitatem dogmatum peſsimorum facile non præbere cōſenſum. Et circuibit, inquit, Goatha, pro quo interpretati ſunt LXX. per gyrum electis lapidibus, qui voluuntur ſuper faciem terræ, & angulari lapide conſtringuntur: dicēte Apoſtolo Petro: Et ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerētes ſpirituales hoſtias, & acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Et omnem, inquit, vallem Phagarim, quod interpretatur ruinarum, & cineres, ſubauditur circuibit: vt quanquam nobis videamur in collibus, tamen ſemper timeamus ruinas, & conſideremus cineres, & pœnitentes dicamus cum Dauid: Quia cinerem quaſi panem manducaui, & poculum meum cum fletu miſcebam. Vnde & iacentibus dicitur: Numquid qui cadit non reſurget, dicit Dominus? Et vniuerſam, inquit, ſademoth quod nos vertimus in regionem mortis: vnum nomen in duo verba diuidentes: ſade quod dicitur regio, & moth, quod interpretatur mortis: pro quo Aquila vertit ſuburbana ſiue arua & rura. Regio autem mortis, regio peccatorum eſt, & ſuburbana, regio voluptatum: quæ pergit vſque ad torrentem Cedron: vbi traditus eſt Dominus: qui interpretatur tenebræ. Vide quanta habeat loca eccleſia, & quo modo illud Apoſtolicum. Vt ſit ſine macula & ruga, in futuro, & in cœleſtibus ſeruetur. Audis angulos, audis ſcabiem, audis ruinas & cineres, & regionem mortis & tenebras, & de tua virtute & impeccantia gloriaris? Denique ſequitur: Et vſque ad angulum portæ. Et hic angulus, ne vlla vera iuſtitia, ne certa victoria in iſto ſæculo demonſtretur: Ipſe quoque angulus portæ quamquam ſit orientalis, vnde lumen egreditur, tamen equorū appellatur: vt indigere nos doceat curſu atque certamine, & tandem cum Domino audire mereamur: Aſcendiſti equos tuos, & equitatio tua ſalus. In porta orientali, in porta quadrigarum, ſanctificatio Domini eſt: Et tunc nos perfectos arbitremur, quando dixerimus ad Dominum: Currus Dei decem millium multiplex millia lætantium: Dominus in eis in Sina in ſancto: Iſtiuſmodi ædificatio, quæ ſuper fundamentum Chriſti poſita eſt, de qua loquitur & Apoſtolus, Vt ſapiens architectus fundamentum poſui: nunquam deſtruetur ſed permanebit in perpetuum. *Tom. 4. lib. 6. Comme. in cap. 31. Hieremiæ. Fol. 301.*

*Explicat ædificium ciuitatis Dei ſiue eccleſiæ.*

*Aedificatur eccleſia à turre variorum donorū Dei.*

*Ad nouitatē dogmatum peſsimorum nō facile præbebimus conſenſum. Zach. 9. Sec. 70.*

*Membra eccleſiæ conſtringuntur angulari lapide. 1. Pet. 2.*

*Pſal. 101.*

*Pſal. 40. Sap. 8.*

שדמות

שדה מות

*Ioan. 18. Amplitudo & magnitudo locorum eccleſiæ. Eph. 7.*

*Nulla certa victoria in hoc ſæculo.*

*Abac. 3.*

*Pſal. 67.*

*1. Cor. 3. Aedificatio eccleſiæ nunquam deſtruetur, ſed permanebit in perpetuum.*

ECCE ego congregabo eos de vniuerſis terris, &c.] Multi hoc putant tempore Zorobabel filij Salathiel, & Ieſu filij Ioſedech ſacerdotis magni, quando Aggæus & Zacharias prophetauerunt ſub Ezdra ſacerdote cōpletum, quando ędificatum eſt templum & ſub Neemia extructi muri per circuitum: vt quos ante deiecerat in furore & ira, & indignatione grandi de Hieruſalem, & in toto orbe diſperſerat: poſtea reductos habitare fecerit confidenter, & fuiſſe eos in populum Dei, & Dominum fuiſſe in Deum eorum, & cætera quæ ſcriptura contexit. Sed quo modo hoc poſsit illi tempori coaptari? Habitare eos faciam confidenter, & feriam eis pactum ſempiternum, ſiue diſponam illis teſtamentum æternū: penitus non poteſt approbari: quippe quos legerimus & ſacra narrat hiſtoria, non ſolum à vicinis gentibus, ſed à Perſis quoque & Macedonibus, & Aegyptijs, Romaniſque ſæpe captos, & hucuſque ſeruire. Omnia igitur ad aduentum referenda ſunt Saluatoris: quæ noſtro & fidei tēpore videmus expleta, & electio (iuxta Apoſtolum) reliquiarum ſalua facta eſt. Et qui in Chriſto habitant confidenter, datum eſt illis cor vnū, iuxta illud quod ſcriptum eſt: Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna. Et viam, inquit, vnam ille qui dicit: Ego ſum via, veritas, & vita. Vt timeant me vniuerſis diebus. Principium enim ſapientiæ, timor Domini. Vniuerſis ait diebus: Quod ſi Iudæis non competit, de noſtro populo accipiendum eſt: cui & bene ſuit, & eſt, & erit, non ſolū ipſis, ſed & filijs eorum poſt eos. Nobiſcum enim pactum pepigit ſempiternum nec deſinet nobis vltra benefacere. *Tomo 4. lib. 6. Commentariorum in cap. 32. Hieremiæ. Fol. 306.*

*1. Ezdr. 3. 2. Ezdr. 3.*

*Pactum ſempiternum ictum non cū Iudæis ſed Chriſtianorū eccleſia.*

*Rom. 9. Act. 4.*

*Ioan. 14.*

*Prou. 9.*

*Cum Chriſtianis pactum ſempiternū pepigit.*

SICVT adduxi ſuper populum iſtum omne &c.] Hæc iuxta literam, licet in typo præceſſerint poſt reditum de Chaldæis, quando ad Cyri regis imperium reuerſus eſt populus, in Iudæam tamen ſpiritualiter in Chriſto & Apoſtolis verius pleniuſque complentur. Tunc & homines & iumenta reducti ſunt in Eccleſiam: iuxta illud quod ſcriptum eſt: homines & iumenta ſaluos facies Domine, rationales quoſque & ſimplices. Tunc agri empti ſunt pecunia, vt faceremus nobis amicos de iniquo mammona, qui nos reciperent in æterna tabernacula. Et ſcripti in libro, haud dubium quin viuentium. Et impreſſum eſt ſignum vexilli dominicæ crucis atq; victoriæ, & teſtes adhibiti ſunt martyres, & omnis ſanctorum chorus. In terra Beniamin, vbi eſt Domini fortitudo, & in circuitu Hieruſalem, in qua eſt viſio pacis, & æterna ſecuritas, in ciuitatibus Iuda, in quibus eſt Chriſti vera confeſsio. Et in ciuitatibus mōtanis, de quibus vna eſt, de qua dicitur: Non poteſt ciuitas abſcōdi in monte poſita. Et in ciuitatibus campeſtrib⁹, quæ Hebraicè appellantur ſephela vt de profundis atq; depreſſis, per camporum æqualitatem ad ſumma gradiamur. Et ciuitatibus quæ ad auſtrū ſunt: quod nageb LXX. tranſtulerūt, vbi eſt meridies & plena lux veritatis. Cum autem hæc omnia facta fuerint, implebitur quod ſcriptū eſt: Cōuertam captiuitatem eorum, ait Dominus: de quo ſcriptum eſt: Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem. Accepit ſiue (vt Apoſtolus ait) dedit dona hominibus. *Ibidem Fol. 306.*

*Spiritualis prophetia de Chriſti regno & apoſtolorum eccleſia. Pſal 35.*

*Luc. 16.*

*Denique fortitudo æterna ſecuritas in Eccleſia.*

*Matt. 3.*

*Pſal. 67.*

*Eph. 40.*

*Hier. 43.*

FACTVS ſum in deriſum, &c.] Deriſionem populi ſui Propheta paſſus eſt, quando verbis eius non credebant, imo repugnabant dicentes ad eum: Mendacium tu loqueris, non miſit te Dominus Deus noſter: aut his verbis: illud ſanctæ Eccleſiæ tempus exprimitur, quo publice à re-

probis irridetur, quando iniquis creſcentibus in opprobrium, fides & veritas erit in crimine. Tãto quippe vnuſquiſque, deſpectior erit, quanto iuſtior eſſe potuerit, tanto abominabilis, quanto laudabilis. Sancta quippe electorum Eccleſia afflictionis tempore prouerbium prauis efficitur: quia cum bonos mori per tormenta conſpiciunt, ab eis ſimilitudinem electionis ſumũt. Quo enim tranſitoriam mortem vident, ſed permanentem vitam non vident: tanto magis deridendo mala præſentia fugiunt, quanto per intellectum intrinſecus ad bona permanentia non pertingunt. Sed ſancta Eccleſia ſcit in paſsionibus creſcere, atque inter opprobria honorabilem vitam tenere. Scit nec de aduerſis deijci, nec de proſperis gloriari: Nouit circa proſpera mentem ſuam in deiectione ſternere: nouit contra aduerſa animum ad ſpem ſuperni culminis exaltare. Scit bona ſua miſericordiæ redemptoris: ſcit mala ſua iuſtitiæ retribuere iudicis, quod & bona illo largiente habeat, & mala illo permittente patiatur. *Tomo quarto libro ſecundo Commentariorum in caput tertium Lamentationum. Hieremiæ.*

*Quomodo eccleſia ſit affecta in perſequutionibus.*

SPIRITVS oris noſtri, &c.] Hanc ſententiam diuerſi auctores, diuerſis modis expoſuerũt. Nam alij ſuper reges Iudæorum, qui Chriſti, hoc eſt, recti dicebantur, ſub quorum protectione gens Iudæorum videbatur degere, interpretati ſunt: quaſi propter peccata populi ipſi interierint: vt Ioſias qui iuſtus eſſe legitur, & cæteri huiuſmodi. Alij autem ſuper Ieſu Chriſto vero vniuerſorum Domino, ac vita animarum fidelium, dictum intelligunt: ſub cuius tutela in vniuerſis gentibus verſatur eccleſia. Ipſe autem ſpiritus oris noſtri eſt: in quo viuims, mouemur, & ſumus ex cuius ſapore quicquid rectè ſentimus, ſapimus: qui traditus eſt propter delicta noſtra & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram: Scripſit enim de hoc pleniſsimè propheta Eſaias, ita dicens: Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: & nos putauimus eũ quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum: ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. *Tom. 4. lib. 3. Com. in cap. 4. Lamentat. Hieremiæ.*

*Sub Chriſti tutela in vniuerſis gentib. verſatur Eccleſia.*
*Actor. 17.*
*Eſaiæ. 53.*

HAEC dicit Dominus Deus: Et ſummã &c.] Verus Nabuchodonozor propterea ſumit de medulla cedri ſublimis, de vertice ramorum eius: vt ſit regnum eius humile, et non eleuetur: Dominus autem Deus pater omnipotens, qui loquutus eſt ad Ezechielem, tollit de ſtirpe regia, & de genere Dauid, & plantat ſuper montem excelſum & eminentem, qui loquitur in Pſalmo: Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion mõtem ſanctum eius. Defecerat enim princeps de Iuda, & dux de Iſrael, donec veniret cui repoſitum eſt, & ipſe erat expectatio gentium. Iſte erupit in germen, & fecit fructum, & cedros omnes ſua ſublimitate ſuperauit: ita vt habitent ſub eo omnes volucres cœli, & cuncta volatilia illius protegantur vmbraculo. De quo dicit Habacuc. Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius: & quæ congregare deſiderat quaſi gallina pullos ſuos ſub alas ſuas: vt omnia regionis ligna cognoſcant, quod ipſe ſit Dominus. *Tom. 4. libro quinto Commentariorum in caput. decimumſeptimũ Ezechielis.*

*Rex eccleſiæ Chriſtus.*
*Pſal. 2.*
*Gen. 49.*
*Sub alis ſuis & quaſi vmbraculo Chriſtus Eccleſiã protegit.*
*Matt. 23.*

HAEC dicit Dominus Deus, &c.] Vſque hodie autem Moab, qui interpretatur ex patre, & Seir, qui in piloſum vertitur & hirſutum, deſpicit & contemnit domum Iuda, in qua vera confeſsio eſt, & putat tam facilè eam poſſe ſubuerti, quam cæterarum ſubuertuntur vrbium munimenta. Vnde & Dominus comminatur aperturum ſe ſiue diſſoluturum omnem fortitudinem Moabitarum: vt ciuitates habere deſiſtant, & nequaquam in dialectica arte confidant: ſed cuncti illius termini, quos pro illiſione fluctuum vocant promontoria, deſtruantur, & inclytæ atque electæ terræ Beth Ieſimoth, quæ interpretatur domus ſolitudinis atque deſerta, & Beelmeon, quæ & ipſa vertitur habens fontem, ſiue ſuper fontem, & Cariathaim, quam LXX. ciuitatem maritimam tranſtulerunt, pereant. Quamuis.n. habeant robora pugnatorum, & inclyta pergant ad prælium arte pugnandi, & ex omni parte circumſepti munitiq́ue gradiantur: tamen inclyta eorum terra non eſt domus habitationis, ſed domus ſolitudinis. Quodq́ue ſe putant habere fontem ſcientiæ, & vrbem maritimam, quæ cunctas ſuſtinere poſsit ſæculi tempeſtates, patientiã ſibi & fortitudinem promittentes, tamen illuc conuertentur, & vt ipſi tradantur filijs orientis, veri in Chriſto luminis: ſicut traditi ſunt filij Ammon, qui ſibi in hæretica multitudine confidebant. *Tom. 4. libro octauo Commentariorum in cap. 25. Ezechielis.*

*Eccleſiæ vrbis munimẽta non facile ſubuertũtur.*
*Hæreticorũ fiducia inanis.*
*Apoc. 22.*

ET factus eſt ſermo DOMINI, &cætera.] In Apocalypſi Ioannis, vbi de viuis lapidibus Hieruſalem extructa memoratur, paululum in extremis partibus ordine commutato, ijdem in fundamentis eius ponuntur lapides: ita vt portæ illius cryſtalli lumine ſcribantur ædificatæ. Sed & in pectore pontificis, per quatuor ordines in rationali, ijdem lapides deſcribuntur, & in humeris eius duo lapides onychini: in quibus duodecim patriarcharum ſcripta ſunt nomina: quos verus pontifex (de quo ſcriptum eſt: Tu es ſacerdos in ęternum ſecundũ ordinem Melchiſedech) portat in pectore, portat in humeris: vt in duodecim lapidibus Apoſtolorũ numerũ, & in duob. vtriuſq́ue teſtamenti ſacramenta demonſtret: quorum vnus Ioannes Euangeliſta recubuit in pectore eius, vt hauriret fluenta ſapientię, & poſſet dicere: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum. Iſti ſunt viui lapides de quibus ædificatur Eccleſia, & de quibus ſcribit Apoſtol9 Petrus: Si crediđiſtis, quia ſuauis eſt Dominus: ad quem accedentes lapidem viuentem, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorabilem: & ipſi ſicut lapides viuentes ædificamini domus ſpirituales in ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales victimas, placentes Deo per Ieſum Chriſtum: quoniã dicit ſcriptura: Ecce ponam in Sion lapidem angularem, electum, pretioſum, & qui credit in eo, non cõfundetur. Super quo & vas electionis pari voce conſentit, dicens: Superædificati in fundamento Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo angulari lapide CHRISTO Ieſu Domino noſtro: in quo omnis ædificatio conſtructa, creſcit in

*Exod. 28.*
*Pſal. 109.*
*Ioan. 13.*
*Ibid. 1.*
*Ex viuis lapidibus apoſtolis nempe & duobus teſtamentis ædificatur eccleſia.*
*1. Pet. 2.*
*Eſaiæ. 28.*
*Eph. 2.*

templum



templum ſanctum in Domino. Hi ſunt lapides, de quibus & in alio loco legimus: Lapides ſancti voluuntur ſuper terram: inſtar rotarum, paululum tangentes humum, & volubilitate ſua ad cœleſtia feſtinantes. De quibus & ſcriptura commemorat: Ecce ego præparo carbunculum lapidem tuum, & fundamenta tua ſapphirum, & ponam propugnacula tua iaſpidem, & portas tuas lapides cryſtalli, & muros tuos lapides electos, & omnes filios tuos doctos à Deo, & in multa pace filios tuos, & in iuſtitia ędificaberis. Super quo quid nobis videretur, in eiuſdem prophetæ explanationibus diximus. De huiuſcemodi lapidibus & XX. Pſalmus canit: Domine in virtute tua lætabitur rex, & ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer. Deſiderium animæ eius tribuiſti ei, & voluntate labiorum eius non fraudaſti eũ. Quoniam præueniſti eum in benedictionib. dulcedinis: poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Iſtæ ſunt margaritæ prophetarum & Apoſtolorum, quæ comparatione Chriſti, omnes venundantur in Euangelio, vt ematur prẽtioſiſsimum margaritum, & lapis de quo Zacharias ſcribit quod ſeptem habeat oculos, id eſt, ſeptem gratias ſpiritus ſancti. Lege Eſaiam. Et ponitur per Apoſtolum Paulum in fundamento eccleſiæ: ſuper quo ædificentur aurum, argentũ, & lapides pretioſi. *Tom. 4. lib. 9. Comment. in cap. 28. Ezech.*

*Zach. 9.*
*Lapides ſpirituales eccleſiæ.*
*Eſaiæ 54.*
*Margaritæ prophetarũ & apoſtolorum vẽduntur vt ematur precioſiſsima margarita Chriſtus lapis fundamentum eccleſiæ.*
*Matt. 13.*
*Zach. 3. et 4.*
*Eſaiæ. 54.*
*1. Cor. 3.*

ET fundamenta illius deſtruentur: vt nihil in Aegypto priſtinæ reſideat firmitatis, ſed deſertis fundamentis peſsimis, ponatur fundamentũ Chriſti, ſuper quo ædificetur Eccleſia. Omnis quippè plantatio, quam non plantauit cœleſtis pater, eradicabitur. Vnde & Hieremias deſtruere iubetur quæ conſtructa erant, vt ædificet meliora. *Tom. 4. lib. 9. Com. in cap. 30. Ezech.*

*Eccleſiæ plãtatio facta ſuper Chriſtũ non poteſt eradicari.*
*Matt. 7.*
*Hier. 1.*

ET factus eſt ſermo Domini, &cęt.] Et dabo, inquit, ſanctificationem meam, ſiue ſanctuariũ, in medio eorum in perpetuum: quod Iudæi de templo interpretantur, quod ſub Zorobabel extructũ eſt. Sed quomodo ſtare poterit hoc ꝙ dicitur, in perpetuum, cum templum illud quod à Zorobabel extructum eſt, & poſtea à multis inſtauratum, Romano igne ſuccenſum ſit? Quæ omnia referenda ſunt ad eccleſiam, & ad tempora ſaluatoris: quando tabernaculum eius poſitũ eſt in Eccleſia, vbi factus eſt Deus noſter, & nos populus eius. Profectuſq́ue omnium eſt, vt ſciant quod ipſe ſit Dominus: & ipſe ſanctificet Iſrael, non iuxta carnem, ſed iuxta ſpiritum: quando ſanctificatio eius in medio credentium facta eſt in perpetuum. *Tom. 4. lib. 11. Com. in ca. 37. Ezech. Fol. 447.*

*Tabernaculũ ſaluatoris poſitum in Eccleſia vbi factus eſt Deus noſter & nos populus eius.*

ET factus eſt ſermo Domini ad me, &c.] Et pulchrè poſt multas & myſticas in hoc volumine prophetias, extremum vaticinium eſt contra Gog & Magog. Si enim tempus iudicij eſt, iuxta Petrum, vt incipiat à domo Dei: & iuxta hunc eundem Ezechielem, qui ait: Et à ſanctis meis incipite: & nouiſsimus inimicus deſtruetur mors. In Eſaia quoque primus ſermo fit contra Iudæam, in qua confeſsio Domini eſt, & extremus cõtra quadrupedes, quę in deſerto ſunt: rectè & hic nouiſsimus ſermo fit contra Gog & Magog, qui oppugnant ciuitatem Dei, quam fluminis impetus lætificat. Et quæ in Eſaia dicit: Ego ciuitas firma, ciuitas quæ oppugnatur. Et de qua in euãgelio ſcriptum eſt: Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita. Et plenius in Pſalmo: Hieruſalem, quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum. Montes in circuitu populi ſui. *Tom. 4. lib. 11. Comment. in cap. 38. Ezechielis.*

*1. Pet. 4.*
*Sup 9.*
*1. Cor. 15.*
*Eſaiæ. 2.*
*Ibid. 30.*
*Hæretici oppugnant ciuitatẽ Dei.*
*Pſal. 45.*
*Eſaiæ. 7.*
*Sec. 70.*
*Matt. 5.*
*Pſal. 121.*
*Dominus in circuitu eccleſiæ cum oppugnatur.*

TVNC à facie Domini & à conſpectu maieſtatis eius ſubuertentur montes, qui ſe eleuabant cõtra ſcientiam Dei: & cadent ſepes ſiue valles, quæ vel humilitate ſenſus ad ima demerſæ ſunt: vel certè munitiones, quæ aliquid pollicentur, vt imitentur Eccleſiam Dei: de cuius ſepibus dicitur: Qui deſtruit ſepem mordebit eum coluber. *Tom. 4. libro 11. Commentar. in cap. 38. Ezechielis. Folio. 450.*

*Omnes mu[illegible] [illegible] ſe [illegible] tra [illegible] ſubue[illegible]*

CADET Gog vel in campi latitudine, vel in âgri, qui cultus eſt à Dei agricolis. Neq; enim fieri poteſt vt Domini verba ſint irrita. *Tom. 4. l. 11. Com. in cap. 39. Ezech. Fol. 451.*

NON poteſt abſcondi ciuitas ſuper montem poſita: quæ loquitur in Eſaia: Ego ciuitas firma, ciuitas quæ oppugnatur. Non dixit, quæ expugnatur, ſed oppugnatur: quę ędificata eſt ſuper pẽtram, & nulla tempeſtate concutitur. *To. 4. lib. 12. Com. in cap. 40. Ezech.*

*Matt. 16.*
*Eccleſia nulla tempeſtate deijcitur.*

CVMQVE compleſſet mẽſuras domus &c.] Omnis murus qui eſt exterior, & habet ſpatioſiſsimam longitudinem & latitudinem per quadrum, Apoſtolorum continet numerum, id eſt, duodecim millium: vt ſingulis Apoſtolis millenus numerus deputetur: & tamen ad menſuram plenitudinis Chriſti, & perfecti viri non veniat: niſi iungatur ei, & παλαιστὴ, qui trecenti, triginta, & tres cubiti ſunt, & cubiti tertia pars: per quę ſanctę & venerabilis trinitatis myſterium demõſtratur, quæ cingit & vallat omnia, & habitatores templi ſui præſtat tutiſsimos. *Tom. 4. lib. 13. C. in cap. 42. Ezehc.*

*Trinitatis myſterium vallat omnia, & habitatores eccleſiæ præſtat tutiſsimos.*

ET eduxit me ad portam, &c] Cum, ait, ego corruiſſem, maieſtas Domini ingreſſa eſt templum, per viam portæ, quæ reſpiciebat ad orientem: ſtatimq́ue me eleuauit ſpiritus: ipſe enim iacens pergere non valebam, & introduxit me in atrium interius, foris enim cecideram: & ecce, qui prius conſpexerã gloriam Dei Iſrael venientem per viam orientalem, vidi repletam gloria Domini domum eius: & vocem ad me de domo interiori loquentem audiui. Quæ quid ſit locutã, ſcriptura non narrat: niſi fortè illud Apoſtoli. Et audiui verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui. Vir autem, inquit, qui ſtabat iuxta Prophetam, dixit ad eum: quem perſpicuè Dominum intelligimus. Cui enim alij poterit conuenire quod ſequitur. (Filij hominis, locus ſolij mei, & locus veſtigiorum pedum meorum, vbi habito in medio filiorum Iſrael in æternum,) niſi illi, qui habitat in Eccleſia in medio filiorum Iſrael cernentium Deum: & habitat in perpetuũm, non ſecundum templum Salomonis ad tempus? Et locus eius eſt ille, de quo ſcriptum: Et factus eſt in pace locus eius, quæ exuperat omnem ſenſum: Et locus veſtigiorum pedum illius, Apoſtolis dicentibus: adoremus in loco vbi ſteterunt pedes eius. Et pulchrè dixit, ſteterunt: In Eccleſia enim ſtant pedes Domini: in ſynagoga ambulant & prætereunt. Vt autem ſciamus hoc dici de Eccleſia, iungitur: Et non polluerit vltra domus Iſrael nomen ſanctum meum: quod propriè ad eos pertinet, qui ſanctæ conuerſationis in

*Domus Dei gloria repleta eſt.*
*2. Cor. 12.*
*Deus in Eccleſia habitat in perpetuum non vt in ſynagoga & templo Salomonis ad breue tẽpus.*
*Pſal 75.*
*Philip 4.*
*Pſal 131.*
*In eccleſia ſtat domin9: in ſynagoga ambulat & præterit.*

Eccleſia

Eccleſia commorantur. Qui ſint autem, qui polluerint prius nomen ſanctum Dei, ponit manifeſtius: Ipſi, & reges eorum, tam populus, quàm ſacerdotes, in fornicationibus ſuis, quibus à Deo fornicati ſunt: & in ruinis regum ſuorum: qui fruſtra ſibi per ſuperbiam, regium nomen aſſumunt. *Tom. 4. lib. 13. Commenta. in cap. 43. Ezechielis. Fol. 469.*

*De⁹ habitat in medio eccleſiæ.*
*Ioan. 1.*
*Habitat in eccleſia non paruo tempore vt in ſynagoga, ſed in perpetuum.*

BONI operis præmia pollicetur dicens: Et habitabo in medio eorum: de quo & in euangelio dicitur: Medius inter vos ſtat, quem vos neſcitis: & habitabit non paruo tempore, vt in ſynagoga, ſed in perpetuum: quod in Chriſti Eccleſia cõprobatur. *ibid. Fol. 470.*

ET Ariel duodecim cubitorum in longitudine, per duodecim cubitos latitudinis, quadrangulum æquis lateribus. Quod nemo dubitat ad duodecim tribus pertinere, quæ in Ioannis Apocalipſi ſcriptæ ſunt, & ad Apoſtolorum numerum: de cuius ſacramento ſupra dixiſſe me memini. Per quatuor autem latera mundi, duodeni cubiti ſimul efficiunt quadraginta octo cubitos ſacerdotalium ciuitatum: vt iſtis quaſi fundamentis in tote orbe diuiſis, eccleſiæ fortitudo ſolidetur. *Tom. 4. lib. 13. Comment. in cap. 43. Ezech.*

*Apoc. 7.*
*Num 35.*
*Multis fundamentis in toto orbe diuiſis eccleſiæ fortitudo ſolidatur.*

ET hi egreſſus ciuitatis: &cęt.] Nomen ipſius ciuitatis nequaquam erit vt pri⁹ Hieroſolyma (quę interpretatur viſio pacis) ſed Adonai ſama, quod in Latinum ſermonem vertitur, Dominus ibidem: qui recedat nunquam ab eá; vt à priori populo ante diſceſsit, dicens ad diſcipulos: Surgite abeamus hinc: & ad Iudæos Relinquetur vobis domus veſtra deſerta: ſed æternam habeat poſſeſsionem, & ſit ei ipſe poſſeſsio, iiſdem diſcipulis repromittens: Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. *To. 4. lib. 14. Com. in cap. 48. Ezech.*

*יהוה שמה*
*A ſynagoga receſsit Deus ſed ab eccleſia nunquam recedit.*
*Ioan. 14.*
*Matt. 23.*
*Ibid. 28.*

NOSTRA vrbs, quæ eſt ciuitas magni regis, cuius artifex & conditor eſt Deus, de qua & Pſalmiſta canit: Nunquid Sion dicet homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſsimus: aliam habet tribuum in terra ſancta deſcriptionẽ & menſuram ciuitatis, poſſeſsionis ordinem, & plagas tribuum ſingularum. *Sup: Ibid.*

*Eccleſia ciuitas magni regis.*
*Pſal. 15. 86.*

ET ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium mihi.] Reſiſtente Perſarum angelo precib⁹ tuis & meæ legationi, qui orationes tuas Deo offerebam, venit in adiutoriũ mihi angelus Michael, qui præeſt populo Iſrael. *To. 4. lib. 1. Comment. in cap. 10. Daniel.*

*Angelus Michael eccleſiæ defenſor.*

VERVNTAMEN annuntiabo tibi quod &c.] Adhuc res in dubio eſt. Te enim precante Dominum, & me offerente orationes tuas, ſtatè regione princeps Perſarum, & non vult populum tuum de captiuitate laxari. Ego autem quia venit princeps Græcorum, & interim pugnat contra principem Perſarum, habens ille Michaelem in adiutorium, donec illi inter ſe dimicant, referam tibi quæ Deus mihi futura prædixerit, & tibi narranda præceperit. *Ibidem.*

*Michael archangelus ἀρχιςρατηγὸς eccleſiæ*

SED & hanc vidi ſapientiam ſub ſole, &c.] Parua ciuitas eſt, & viri in ea pauci, ad comparationem totius mundi, eccleſia eſt: aduerſus quã ſæpè conſurgit rex magnus Diabolus, non quod magnus ſit, ſed quo magnum ſe eſſe iactet & circũdat eam obſidione ſiue perſecutionis, ſiue alio anguſtiarum genere. Et inuenit in ea virum pauperem & ſapientem Dominum Ieſum Chriſtũ, qui pro nobis pauper factus eſt, & eſt ipſa ſapientia: & ille vir pauper liberat vrbem in ſapientia ſua. Quoties videmus ſedentem leonem in inſidijs cum diuitibus: hoc eſt cum ſenatoribus & principibus huius ſæculi, & aduerſus eccleſiam molientem, pauperis iſtius ſapientia corruiſſe? *T. 5. Com. in cap. 9. Eccleſiaſt.*

*Ad comparationem toti⁹ mundi eccleſia parua ciuitas.*
*2. Cor. 8.*
*Pſal. 9.*
*Quicquid Satan molitur aduerſus eccleſiam Chriſti ſapientia corruit.*

ET concepit adhuc, &c.] Iuxta typum, dicimus eos qui propter ſanguinem ſeminis Dei vocantur abſque miſericordia, & dicere auſi ſunt: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros: hucuſque ſeruire Romanis. Domum autem Iuda, eos videlicet ex Iudæis, qui Dominum ſunt confeſsi, non in exercitus fortitudine, ſed in Euangelij prædicatione ſaluatos. Quod in Iſrael & Iuda tam iuxta hiſtoriam, quàm iuxta typum interpretati ſumus, referamus ad hæreticorum conciliabula, & ad Eccleſiã Domini ſaluatoris: quod illis abſque miſericordia derelictis regnumque perdentibus, Eccleſia Dei ſui virtute ſuperarit. *Tomo 5. libro primo Commentar. in caput. 1. Oſeæ.*

*Matt. 27.*
*Eccleſia Dei ſui virtute ſuperauit pereuntibus Iudæis.*

ET ſponſabo te mihi in æternum, &c.] Apoſtolus poſt fornicationem, & idolorum cultum credentibus Corinthijs loquitur: Deſpondi .n. vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto. Quærimus cur tertiò deſponſionis nomẽ repetierit. Primò enim ait: Sponſabo te mihi in ſempiternum. Secundò: Sponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio, & in miſericordia, & miſerationibus. Nec hoc fine contentus iungit & tertiũ: Sponſabo te mihi in fide, & ſcies quia ego Dominus. Primò deſpondit eam in Abraham, ſiue in Aegypto, vt vxorem habeat ſempiternam. Secundò in monte Sinai, dans ei pro ſponſalibus legis iuſtitiam, atque iudicium, & iunctam legi miſericordiam: vt quando peccauerit tradatur captiuitati: cum egerit pœnitentiam, reuocetur in patriam, & miſericordiam conſequatur. De his ſponſalibus in diuerſis locis Pſalmiſta decantat: Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine. Et miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, & iuſtitia & pax deoſculatæ ſunt ſe. Quos duos calices in ſeptuageſimoquarto Pſalmo legimus. Calix in manu Domini, vini meri plenus miſto, & inclinauit ex hoc in illum: de iuſtitiæ calice in calicem miſericordiæ, & rurſum de calice miſericordię, in calicem iuſtitię. Si iniquitates, inquit, obſeruaueris Domine, Domine, quis ſuſtinebit? Quia apud te propitiatio eſt. Iſta igitur meretrix, quæ primum voto ſponſi in æternos fuerat iuncta complexus, vt nunquam à vinculo recederet maritali: quia receſsit, & in Aegypto fornicata eſt, rurſum per legem aſſumitur: quam quia præterijt, prophetis quaſi ſponſi ſodalibus, qui ad ſe miſsi fuerant, interfectis: nouiſsimè venit Dei filius, Dominus Ieſus: quo crucifixo & à mortuis reſurgente, deſponſatur nequaquam in legis iuſtitia, ſed in fide, & gratia euangelij: vt cum cognouerit vnigenitum, cognoſcat & patrem. Dicit enim ipſe ad Philippum: Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? Philippe, qui videt me, videt & patrẽ meum: quo modo tu dicis, oſtende nobis patrẽ? non credis quia ego in patre, & pater in me eſt? Qui in fide fuerit deſponſatus, & crediderit euãgelio, ſtatim ſciet quia ipſe ſit Deus, credẽs in eũ, quem prius negauerat. *Tom. 5. lib. 1. C. in cap. 2. Oſeæ.*

*2. Cor. 11.*
*Eccleſia ſponſa diuerſis tẽporibus tribus Chriſto ſponſo deſpõſata.*
*Prima deſpõſatio facta temporibus Abraham et Moyſis in Aegypto.*
*Secunda deſponſatio in monte Sinai in datione legis.*
*Pſal. 100.*
*Pſal. 85.*
*Pſal. 129.*
*Tertia deſponſatio Chriſti tempore facta.*
*Matt. 11.*
*Ioan. 14.*

CIR-



CIRCVNDIT me in negatione, &c.] Quidquid loquuntur, negatio, imo mendacium eſt: & circundãt eum in dolo ſiue in impietate domus Iſrael: dum vniuerſa quæ ſimulant artifici ſermone componunt, & impietatem loquuntur cõtra Dominum. Iudas autem, hoc eſt vir eccleſiaſticus, non ſuperbit, non inflatur tumore hęretico: ſed humiliatur cum Deo, & cum ſanctorum choro fidelis eſt & robuſtus: dum ædificat domũ ſuam ſuper petram, quæ nulla tempeſtate quatiatur. *Tom. quinto libro ſecundo Comme. in cap. 11. Oſeæ. Fol. 69.*

*Domus eccleſiæ nulla tẽpeſtate concutitur.*

QVICQVID ſecundum ἀναγωγὴν interpretati ſumus, in aduentu Domini ſaluatoris, & in conuerſione veri Iſrael, tot tam ad hæreticos & Iudæos, quam ad gentes, & ad omne dogma peruerſum referri poteſt: vt cum egerint pœnitentiam, veniam conſequantur. Si ergo plenitudo repromiſsionis adimpleta eſt in aduentu Saluatoris, & quotidie impletur in eccleſia, credendũ eſt quod plenius impleatur, quando perfectione veniente, quod nunc ex parte eſt, deſtruetur. Notandum quod ſæpè iam diximus, ſalutem Iſraelis & reuerſionis ad Dominum & de captiuitate redemptionem, non carnaliter accipi, vt Iudæi putant, ſed ſpiritualiter, vt veriſsimè comprobatur. *Tom. 5. lib. 2. Commentariorum in caput. 14. Oſeæ.*

*Plenitudo repromiſsionum in aduentu ſaluatoris impleta eſt & quotidie impletur in Eccleſia.*
*1. Cor. 13.*
*Spiritualis redemptio de captiuitate per Chriſtũ.*

PLANGE quaſi virgo accincta ſacco, &cætera.] Vir pubertatis, ſiue vt LXX. tranſtulerunt, παρθενικὸν, quem vulgo virgineum vocant (eo quod primus florem virginitatis abſtulerit) non alius intelligitur niſi DEVS: qui in Abraham, Iſaac, & Iacob deſpondit ſibi virginem ſponſam, nulla idololatriæ ſorde maculatam. Ad quam & per Hieremiam loquitur: Non vt DOMINVM me vocaſti, & patrem, & principem virginitatis tuæ. Vnde & Apoſtolus ad credentes loquitur: Deſpondi vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto: quam diu cum hac ſpõſa ſponſus fuerit, non poteſt ieiunare, nec plangere, nec abſentis ſponſi deſiderium lacrymis indicare. Cum autem ablatus fuerit ſponſus ab ea, plangit & plorat, & accingit ſe cilicio, & pro zona veſte circundatur. Intelleximus quis ſponſus ſit virginalis: verum quia iſte ſponſus ſiue maritus, non ſolum virginem accepit ſponſam, ſed & meretricem in Oſee ducit vxorem: propterea ſcriptum eſt in Deuteronomio: Si egreſſus fueris contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captiuoſque duxeris, & videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, voluerisque habere vxorem: introduces in domum tuam: quæ radet cæſariem, & circuncidet vngues ſuos, & deponet veſtem in qua capta eſt: ſedenſque in domo tua, flebit patrem & matrem ſuam vno menſe, & poſtea intrabis ad eam, dormieſque cum illa, & erit vxor tua: Huiuſcemodi mulieris non eſt maritus Dominus virginalis, ſed meretricem de gentium ſordibus ducit vxorem. Quod & de omni anima credentium poſſumus dicere: Si à parua ætate credidit Domino, habet ſponſum Dominum virginalem: Sin autem ex Iudæis ſiue gentilibus & hæreticorum ſpurciſsimis fęcibus ad fidei venerit veritatem, & de tenebris ad lucem tranſierit, habebit quidem ſponſum, ſed non virgineum: & de huiuſcemodi hominibus dicitur: In AEgypto fractæ ſunt mammæ tuæ, & ibi deuirginata es. *Tomo quinto Commentariorum in caput primum Ioelis. Folio ſeptuageſimo nono.*

*Hier. 3.*
*2. Cor. 3.*
*Matt. 9.*
*Deſponſatio Chriſti ſponſi et eccleſiæ ſponſæ.*
*Sponſam ducit Chriſtus vel virginẽ vel meretricem ſuo ſenſu certo.*
*Deut. 21.*
*Ezech. 23.*

ET erit poſt hæc, effundam ſpiritum, &cætera.] Et ſequentes regulam prophetarum, quidquid Iudæi in vltimo tempore ſibi carnaliter repromittunt, ſpiritualiter in primo aduentu Domini Saluatoris dicerent eſſe completum: maximè cum & illi, & nos quę promiſſa ſunt, in Chriſto dicamus eſſe complenda: in hoc tantummodo diſcrepantes, quod illi futura contendũt, nos iam facta conuincimus. *Tom. 5. Comment. in cap. 2. Ioelis.*

*Elegans regula prophetarum et admodum vtilis.*

ET Dominus, de Sion rugiet & de Hieruſalem dabit vocem ſuam &c.] Cum ſolis & lunæ cunctarumque ſtellarum ſplendor tenebris fuerit commutatus, Dominus de Sion inſtar leonis rugiet ſiue clamabit, & tam excelſa vox eius erit atque terribilis, vt cælorum cardines & terrarum fundamenta quatiantur. Cumque tam ſeuerus in eos fuerit qui puniendi ſunt, erit clemẽs erga populum ſuum, & dabit eis fortitudinem, qui appellãtur filij Iſrael (mens ſcilicet cernens Deum: vel εὐθύτατον θεοῦ, quẽ nos rectiſsimùm Dei dicere poſſumus) qui non ambulauerũt per prauas ſemitas, ſed gradientes in via Chriſti, omnia recta fecerunt. Tunc ſcient & hi qui punientur, & illi qui aſſumentur in gloriam, quod Dominus habitet in ſpecula ſua Sion, & in Chriſto monte ſancto ſuo, ſiue in eo qui ſe dignum Dei habitaculo præparauit. Tunc erit ſancta Hieruſalem viſio pacis, à qua & Salomon nomen accepit, & alieni non pertranſibunt per eam ampli⁹. Alienos vel dæmones intellige, qui externi à Deo ſunt: vel omnes peſsimas cogitationes atque peccata: de quibus propheta loquitur: Ab alienis parce ſeruo tuo: quæ nequaquam vltra in nobis viam reperient, ſi habuerimus Dei pacẽ, & cor noſtrum aduerſarijs non patuerit. *Tomo quinto Commentariorum in caput tertium Ioelis Folio nonageſimo nono.*

*Pſal. 18.*
*Non Iudæa & ſynagoga in æternum habitabitur, ſed eccleſia.*

ET Iudæa in æternum habitabitur, &cętera.] Non vtique hęc Iudæa in æternum habitabitur, quam videmus eſſe deſertam: non iſta Hieruſalem, cuius ruinas cernimus: ſed illa Iudæa, cuius filiæ exultauerunt & lætatę ſunt in omnibus iudicijs Domini. Et de qua in fine quinquageſimi Pſalmi legimus: Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, & ædificentur muri Hieruſalem. In hac prouincia confeſsionis & gloriæ, & in hac vrbe, in qua pax Dñi cernitur, erit æterna habitatio: non in vnam, vel in tres, aut plures generationes, ſed in generationem & generationem, hoc eſt, in duabus generationibus eorum, qui de Iudæis & de gentibus crediderint. Et mũdabit Dominus ſanguinem omnium peccatorum, quem prius non mundauerat: vt mundet in euangelio, quos in lege peccantes immundos reliquerat. Ideo enim concluſit omnia ſub peccato, vt omnibus miſereretur, ſiue vlciſcetur ſeruorum ſuorum ſanguinem, quem in martyrio pro nominis eius confeſsione fuderunt. Et Dominus commorabitur in Sion: de qua ſcriptum eſt: Fundamenta eius in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion, ſuper omnia tabernacula Iacob. *Ibid. Fol. 90.*

*Pſal. 47.*
*Rom. 11.*
*Dominus cõmorabitur in eccleſia.*
*Pſal. 68.*

ODIO

*Pſal.9.* *Excelſus mons Sion eccleſia et ciuitas Dei viuentis. Heb.12.* *Matt.16. Portæ inferi non præualebunt aduerſus eccleſiã.*

ODIO habuerunt in porta corripientem, &c. Duplices portas, mortis, & vitæ, vitiorum atque virtutum, ſæpè in ſcripturis legimus, vt illud in Pſalmis: Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion: haud dubium quin eccleſiam ſignificet excelſus mons Sion, & ciuitatem DEI viuentis Hieruſalem cœleſtem, & multitudinem angelorum, & Eccleſiam primitiuorum, qui ſcripti sũt in cœlis. Qui in portis Sion fuerit exaltatus, portas mortis timere non poterit: de quibus Petro Dominus loquebatur: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. *Tom.5.lib.2.Com.in cap.5. Amos.*

*Ioan.15. Gen.2. Deus de coſta Adam in typum eccleſiæ ſemel ædificauit Euã & quotidie credentes et membra corporis ſui ædificat. Deut 34. 2.Cor.12.*

QVI ædificabat in cœlo aſcenſionem ſuam, &c.] Dominus Deus omnipotens, qui reſpicit ſiue tangit terram & commouet eam, ipſe eſt qui quotidie ædificat in cœlo aſcenſionem ſuam, & dicit in Euangelio: Pater meus vſque modo operatur, & ego operor: & nõ ſolum de coſta Adam in typum eccleſiæ ſemel ædificauit Euã, ſed quotidiè credentes & membra corporis ſui ædificat, & de terris ad cœlum leuat, vt in illis ipſe cõſcendat. Aſcendit Dominus in cœlum cum Enoch: Aſcendit cum Elia: aſcendit cum Moyſe, cuius ſepulturę locus, quia in cœlum aſcenderat, in terra non potuit inueniri. Aſcendit cum Paulo, qui vas electionis, in Apoſtolum de perſecutore mutatus eſt, & de humilibus raptus in ſublimia: ita vt aſcenderet in cœlum tertium, & per ſpiritum ſanctum & filium perueniret ad patrem, & audiret verba ineffabilia, myſteria trinitatis, quę hominibus audire non licitum eſt. *Tom.5.lib.3.Com. in cap.9.Amos.Fol.123.*

*Eſaiæ.27. Sec.70. Matt 5. Pſal.45. Cant.5. Mar.14. Quotidie in myſterijs bibitur ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini. Pſal.26. Matt.5.*

ECCE dies veniunt dicit Dominus, &c.] Hi montes, qui ſtillabunt dulcedinem, & colles qui conſiti fuerint, poſtquam conuerterit Dominus captiuitatem populi ſui Iſrael, ædificabunt ciuitates antea deſertas & habitabunt in eis, vt vnaquæque ciuitas extructa dicat: Ego ciuitas firma, ciuitas quæ oppugnatur: & de qua Dominus in Euangelio loquitur: Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita. Et in Pſalmis dicitur: Fluminis impetus lætificat ciuitatem DEI. Et plantabunt quoque vineas cum Noê, bibent vinum earum, & inebriabuntur, & audient à Domino Saluatore: Bibite amici mei, & inebriamini. Bibent autem vinum, quod ſe in regno patris cum Apoſtolis ſuis nouum bibiturum eſſe pollicitus eſt. Hęc eſt vinea Sorech: cuius vinum quotidie in myſterijs bibimus. Nec harum rerum felicitate contenti: propter delicias facient hortos, & irrigabunt eos, vt nulla deſint in eis genera virtutum, & comedent fructus eorũ: Qui enim plantauerit & rigauerit, ipſe & comedet. Cumque hæc omnia montes & colles fecerint, ſtillantes dulcedinem, & ædificantes ciuitates, & habitantes in eis: plantantes vineas, & bibentes vinum eorum, facientes hortos, & comedentes fructus eorum: tunc ipſos plantatores plantabit Dominus ſuper terram ſuam, de qua dicitur: Credo videre bona Domini in terra viuentium. Et in Euãgelio: Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Poſtquam autem plantauerit eos, & firma in altum radice ſolidarit: non euellet vltra de terra, quam dederat eis. Ex quo intelligimus eccleſiam vſque ad finem mundi, cõcuti quidem perſecutionibus, ſed nequaquam poſſe ſubuerti: tẽtari, nõ ſuperari. Et hoc fiet, quia Dominus Deus omnipotens: ſiue Dominus Deus eius, id eſt, Eccleſiæ, ſe facturum eſſe pollicitus eſt: cuius promiſſio, lex naturæ eſt. *T.5.lib.3.Com.in cap.9. Amos. Fol.126.in fine.*

*Eccleſia poteſt concuti perſequutionibus ſed nõ poteſt ſubuerti.*

*Matt.8. Eccleſiæ nauicula periclitari poteſt, ſed non penitus mergi.*

ET dixit ad eos: tollite me, &c.] Hoc quantũ ad hiſtoriam: cæterum non ignoramus flantes ventos, quibus in Euangelio, vt quieſcerent, Dominus imperauit, & periclitantem nauiculam, in qua dormiebat Ionas, & intumeſcens mare, quod increpatur: tace & obmuteſce, referri ad Dominum Saluatorem, & periclitantem Eccleſiam, vel Apoſtolos ſuſcitantem: qui cum deſerentes in paſſione quodammodo in fluctus præcipitabant. Iſte Ionas dicit: Scio quia propter me tempeſtas grandis eſt ſuper vos: quia me vident venti vobiſcum ire in Tharſis: hoc eſt ad contemplationem lætitiæ nauigare: vt vos mecum perducam ad gaudium. Vt vbi ego ſum & pater, ibi & vos ſitis. Iccirco ſæuiunt: iccirco mundus, qui in maligno poſitus eſt, fremit: ideo elementa turbantur: me cupit deuorare mors, vt vos pariter occidat; & non intelligit, quia velut in hamo eſcam capit, vt mea morte moriatur. Tollite me, & mittite in mare. Non eſt enim noſtrum mortem arripere: ſed illatam ab alijs libenter excipere: Vnde & in perſecutionibus non licet propria perire manu, abſque eo vbi caſtitas periclitatur: ſed percutienti colla ſubmittere. Sic, inquit, placate ventos: ſic in maria libamina fundite, tempeſtas, quæ propter me ſæuit contra vos, me moriente ſedabitur. *Tom.5. Commentar.in cap.1. Ionæ. Fol.136.*

*Ioan.14. Omnis tempeſtas eccleſiæ morte id eſt, Chriſti ſedabitur.*

*Ioan 14. Leu.26. Deus habitat in medio eccleſiæ & eã nunquam relinquit.* *Matt.8.*

QVIA Ecce Dominus egredietur de loco &c.] Tropologicè, egredietur Dominus de loco ſuo quem vel filium, vel omnes ſanctos intelligere poſſumus. Ipſe enim filius ait: Ego in patre, & pater in me. Et de ſanctis: Habitabo, & inambulabo in eis, & ero eorum Deus, & ipſi erũt mihi populus. De his ergo egreditur, non quod derelinquat eos: nam & de Apoſtolis egrediebatur ſermo Domini ad audientes, & tamen non relinquebat eos, & huiuſcemodi loca, id eſt, ea quæ Deum hoſpitem habere mereantur, quaſi cum Chriſto reſurgentia, & cum eo in cæleſtibus ſedentia, ſurſum poſita ſunt. Vnde & deſcendere dicitur ad eos qui doctrinam eius in monte audire non poſſunt. Cumque deſcenderit, non aſcendit in humilibus, & in his qui deorſum poſiti sũt: ſed qui terræ vocantur excelſa, & qui intelligentes aduenientis Domini maieſtatem commouebuntur. Et quamuis montes ſint, tamen ad talis aurigę, & aſcenſoris pauebunt præſentiam. *Tom.5 lib.1.Com.in cap.1. Micheæ.*

*עפל Eſaiæ.5 Auxilia angelorum tuẽtur eccleſiam.* *Mat. 5.21.*

ET tu turris gregis, &c.] Turrem gregis nebuloſam, ſiue ſqualentem: quod Hebraicè dicit ophel: nullam aliam debemus accipere niſi illã: de qua Eſaias ait: Et ædificaui turrem in medio eius, id eſt, vineæ. Vinea autem Domini domus eſt Iſrael. Hæc turris quamdiu habet torcular, id eſt, altare, & in circuitu maceriam, auxilia videlicet angelorum, & non ingreditur diabolus aper in vineam: non eſt ſqualida, non eſt tenebroſa: ſed à Domino lucente ſortita vocabulum, appellatur ciuitas, quę in monte ſita latere non poteſt. Turris igitur quondã gregis & populi Dei (quia peſſimi coloni interfecerunt patris familiæ filiũ)





*Eſaiæ.16.* *Turris vineæ eſt filia Sion id eſt Eccleſia.* *Apoc.22.* *Chriſtus eſt protector Eccleſiæ.* *קנני* *Ioan.8. Matt.5. Hier.2. Ioan.6. 1.Cor.10.*

nunc ſqualida eſt & deſtituta, & ſub nomine Iſrael clamat in Eſaia de terra. Et hæc turris filiæ Sion: ſiue vt Symmachus vertit in Græcum: Ipſa eſt filia Sion, & vſque ad hanc veniet DEVS, vel poteſtas prima: quæ poteſtas regnum eſt filiæ Hieruſalem. Venit autem ad hanc turrim prima poteſtas, ſiue principatus primus: ille qui dixerat: Ego ſum alpha & ω, principium & finis, prim⁹ & nouiſſimus: Et qui ex perſona aſſumpti hominis ait in Prouerb. Dominus creauit me in principio viarum ſuarum in opera ſua: ſiue vt in Hæbræo ſcribitur: Dominus poſſedit me kanani non creauit me, ſed poſſedit me, habuitq́;, ſignificat. Et venit poteſtas prima, & regnum filiæ Hieruſalem, vt poſt primam fieret & ſecunda: ſicut enim ipſe loquitur confidenter: Ego ſum lux mũdi: ita & diſcipulis ſuis donat, vt ipſi quoque lumen vocentur mundi, dicitq; ad eos: Vos eſtis lux mundi. Sed et vineam veram ſe in Euangelio vocans, de credentibus per Hieremiam loquitur: Ego autem plantaui te vineam frugiferam totam veram. Et cum ſit panis viuus de cœlo deſcendens, diſcipulis dedit vt appellentur panis. Vnde & Apoſtolus Paulus loquitur confidenter. Omnes enim vnus panis ſumus. In hunc igitur modum ingreditur poteſtas prima, & regnum in Hieruſalem: vt & credentes in ea, poteſtatem faciat & regnum. *Tomo quinto Commentariorum in caput quartum Micheæ. lib.2.*

*1.Ioan.5. 1.Cor.2.*

ET nunc congregatæ ſunt, & cætera] Nos qui non occidentem litteram, ſed ſpiritum viuificantem ſequimur, dicimus aduerſum filiam Sion, quæ interpretatur Eccleſia multas nationes Dæmonum congregari, & in præſenti ſæculo, quod in maligno poſitum eſt, inſultare, & in occiſione filiorum eius gaudere, neſcientes cogitationes Domini, nec eius conſilium agnoſcentes. Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum maieſtatis crucifixiſſent. Congregabit, itaque eos quaſi manipulos areæ: vt quidquid ſpinoſum habere videbantur & aſperum, vacuumque & leue, vngulis ſuis conterat, & cornibus ventilet, vt purum remanens frumentum, in Domini offeratur donaria. *Ibidem Folio centeſimo quinquageſimo octauo.*

*Eſaiæ 30. Rom.8.* *Malac.4. Sol Chriſtus luna eccleſia* *Philip.2.*

ELEVATVS eſt ſol & cætera] Si ſimplicem interpretationem ſequimur ex præſentibus verbis profectus ſolis demonſtratur & lunæ: quod iuxta Eſaiã in futuro ſęculo ſeptuplũ ſol luceat & luna ſolis fulgeat claritate: Quia enim creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei, quæ nunc vanitati ſubiecta eſt, propter eum qui ſubiecit eam in ſpem libertatis. Cum in conſumatione mundi omnis creatura fuerit liberata, liberabitur & ſol & luna, & in ſuo ſtabunt ordine. Quod ſi voluerimus, ſolem iuſtitiæ Chriſtum accipere, in cuius pẽnis ſanitas eſt, & lunam, quæ huius ſolis ſplendore illuminatur, Eccleſiam: non difficile eſt dicere, quod lux vera, & lux hominum, & ſplendor gloriæ Dei, & ſplendor lucis æternæ eam illuminet: quæ nunc in iſto ſæculo iuxta proſpera atque preſſuras creſcat atque decreſcat. Cum autem ſol fuerit eleuatus, & iuxta Apoſtolum exaltauerit eum Deus, & donauerit ei nomen ſuper omne nomen: tunc etiam Eccleſia quæ in præſenti ſæculo tenere ſuum ordinem nõ poteſt, ad ordinem debitum reuertetur, & nequaquam mutabitur, ſed fixo ſtabit gradu, & audiet cum Moyſe: tu autem hic ſta mecum. *Tom.5.Com.in cap.3.Habacuc.*

*Deut.5.*

*Trinitas et Sancti angeli Eccleſiæ miniſterijs præſidẽt Pſal 73.*

POST quæ infertur & dicitur: ideo Eccleſiam hæc paſſuram fore, vel eſſe perpeſſã, quod in ſupbiã ſe eleuauerit, & quaſi cedrus ſuũ cacumen erexerit malis operib. dedita: & nihilominus futurã ſibi beatitudinem repromittens, & in corde ſuo cęteros deſpiciẽs, nec putãs quemquã eſſe præter ſe, & dicens: Ego ſum, nõ eſt alia præter me vltra quomodo ergo facta eſt in ſolitudinem paſcua beſtiarum? Vbi enim prius habitabat pater & filius & ſpiritus ſanctus, & angeli eius miniſterijs præſidebant, tunc habitabunt beſtiæ: de quib. & propheta cõplorat, dicens: Ne tradas beſtijs animam confitentem tibi. Omnis qui tranſibit per eam, ſibilabit & mouebit manus ſuas. Quod ſi de angelis intellexerimus, ita interpretabimur: cum tranſierint per eam angeli, & non manſerint in eã, vt prius facere cõſueuerant, ſtupebunt & mirabuntur, & non eam fulcient, & ſuſtentabunt ruentem manu ſua, ſed leuabunt manus & pertranſient. Vel certè cũ ſibilo attollent manus, & quaſi plangentes in morem lugentium congregabunt. *Tom.5.Comment.in cap.2. Sophoniæ. Fol.217.*

*Clemens in eo eſt Deus quod à ſua Eccleſia nunquã recedat.*

CVM hæc faciant principes, iudices prophetæ, ſacerdotes Hieruſalem: nihilominus clemens & iuſtus eſt Dominus. Clemens, in eo quod à ſua Eccleſia non recedit: Iuſtus, in eo quod reddit vnicuique quod meretur. *Tom.5.Com.in cap.3. Sophoniæ.*

*Ioan.14.* *Deus in medio Eccleſiæ habitat.*

LAVDA Filia Sion, iubila Iſrael: &c.] Cæterũ iuxta Hebraicum, laudare iubetur Eccleſia, & iubilare Iſrael, ſenſu videns Deũ: & exultare, atq; lætari in omni corde locus pacis, ad quẽ dictum eſt: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Abſtulit enim in fine & in conſummatione mundi huius iudicium eius, nequaquã eam iudicans atque corripiens, ſed ſaluans, & auertit inimicos eius, dæmonũ turbas. Rex Iſrael Dominus in medio eius erit, non timebit vltra malum. In die illa dicetur ad Hieruſalem liberam, quæ non ſeruit cum filijs ſuis, ſed quæ eſt mater ſanctorum: Noli timere Sion (ipſa quippe eſt & Hieruſalem) nequaquam tua opera diſſoluentur: nec facies quæ te feciſſe lugebis. Dominus Deus tuus qui ſaluabit te, fortis & potens, ipſe habitabit in medio tui, gaudebit ſuper te in exultatione & lętitia, & ſilebit peccata tua in charitate, qua te dilexit & exultabit ſuper te in laude: vel quia laudabilis ſis, vel quia cum tuis laudibus canas. Nugas, ſiue vt Aquila interpretatus eſt, translatos, quia à te receſſerunt, congregabo, quia ex te erant, hoc eſt, hi qui per vitia atque peccata de tuo ſinu fugerant & facti erant ſub Dæmonum poteſtate, redintegrato omnium ſtatu venient ad te, & nequaquam vltra ſuper perditis filijs tuis patieris opprobria. *Ibidem Folio 220.*

*Verus Zorobabel Chriſtus ædificauit templum tabernaculũ ſiue Eccleſiã.*

AD Zorobabel filium Salathiel, & cætera] Hic Zorobabel de tribu Iuda, hoc eſt, de Dauid ſtirpe deſcendens, typus eſt Saluatoris: qui verè deſtructum ædificauit templum, id eſt, Eccleſiam, & reduxit populum de captiuitate. Et tam de veteris templi lapidibus quàm de nouis, qui

prius fuerant impoliti, ædificauit Eccleſiam: id eſt, & de reliquijs populi Iudaici, & de gentium multitudine, Deo patri extruxit tabernaculum. *Tom. 5. Commen. in cap. 1. Aggei.*

*Hebr. 22. Eccleſia eſt ædificata in paſsione & reſurrectione Domini. Ioan. 14.*

ET leuaui oculos meos, & vidi, &c.] Cæterum nos montem Sion, & matrem primitiuorũ atque ſanctorum interpretemur Eccleſiam: quę ædificata eſt in paſsione Domini & reſurrectione, & quotidiè ædificatur ab eo, qui nouit menſuras, & merita ſingulorum. Quod de Eccleſia diximus, poteſt & de animab⁹ accipi credẽtium, quæ quotidie ædificantur à Domino, & cernũt pacem eius, quæ Apoſtolis eſt relicta. *Tomo quinto libro primo Commentariorum in caput ſecundum Zachariæ.*

*Eccleſia in omnium rerum abundãtia abſq; muro inhabitatur. Dominus ignis in circuitu eccleſiæ. Pſal. 86. Ibid. 47. Fælicitas habitantiũ in Eccleſia. Pſal. 51. Ibid. 22.*

ET ecce angelus qui loquebatur in me, &c.] Nos iuxta ſpiritualem ſenſum hæc omnia interpretamur in Eccleſia: quæ abſq; muro, ſiue vt LXX. tranſtulerunt, κατάκαρπος, id eſt, frugum omnium abundantia, habitetur, & habeat multitudinem hominum ac iumentorum, & Dominus, ignis ſit in circuitu eius, & ipſe in medio illius verſetur in gloria. Iſta eſt ciuitas, de qua alibi legimus: Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Et rurſum: Magnus Dominus & laudabilis nimis: in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius. In hac quicunq; habitat, dicere poteſt: Ego autem ſicut oliua frugi fera in domo Dei. Et: Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit. Super aquas refectionis educauit me. Et habitabitur, inquit, Hieruſalẽ præ multitudine hominum & iumentorum abſque muro, ſiue frugum omnium abundantia. Quidã, homines & iumenta duos populos interpretantur, Iudæorum atque gentiliũ: quod illi qui in lege verſati venerint ad fidem Chriſti, homines appellati ſunt: nos autem qui poſt idololatriam quaſi in deſerto legis & ſolitudine fuimus Prophetarum, & eius recepimus paſsionem, iumenta dici debemus. Alij autem rationabiles quoſque & ſcripturarum eruditos ſcientia, homines intelligi volunt: Iumenta verò ſimplices quoſque credentium, & de his dici: homines & iumenta ſaluos facies Domine. Hæc iumenta & hæc animantia audiunt boni paſtoris vocem, & cognoſcunt & ſequuntur eum. Qui ipſe eſt & paſtor, quia regit nos: & oſtium, quia per illum in Eccleſiã & ad patrem ingredimur: & murus ignis in circuitu: vt credentes & habitantes in medio calefaciat, qui prius frigore charitatis intẽpuerant, & poſsint ſpiritu eſſe feruentes. Lupos autem & ſæuiſsimas beſtias (de quibus ſcriptum eſt: Ne tradas beſtijs animam confitentem tibi: Et quorum fructus eſt, fœnũ, ligna ſtipula, & afferunt tribulos & ſpinas) ſuo igne conſumat, & qui aduerſaris ignis eſt, ſit in medio credentium gloria. Quod autem murus Hieruſalem ſit Dominus, & in alio loco legimus. Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui. *Ibidem.*

*Pſal. 35. Ioan 10. Chriſtus oſtiũ Eccleſiæ. Deus in circuitu Eccleſiæ aduerſarijs murus igneus eſt. Rom. 12. Pſal. 73. 1. Cor 3. Gen. 3. Pſal. 124.*

LAVDA & lætare filia Sion, quia, &cæt.] Et hæc adhuc ex perſona Domini intelligenda: quod hortetur populum ſuum de captiuitate in ſedem priſtinam reſtitutum gaudere atque lætari: quod ipſe DOMINVS veniat & habitet in medio eius, & multæ gentes crediturę ſint in eum: de quibus dicitur: poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ. Et habitet in medio eius, loquens ad diſcipulos: ECCE ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. Et poſsideat Dominus Iudam partem ſuam confitentem & credentem nomini ſuo, & non alibi poſsideat, niſi in terra ſancta, quæ interpretatur Eccleſia, & eligat adhuc Hieruſalem, quam tentationi in perſecutionibus dereliquerat. *Ibi. Fol. 237.*

*Deus in medio Eccleſiæ habitat. Matt. 28.*

ECCE ego ſaluabo populum meum de: & cætera] Hæc, Iudæorum alij dicunt, poſt Zorobabel & Nehemiam ędificato templo & muris ciuitatis extructis, & ſtatu Iudaico reſtituto, à Machabæis & diuerſis principibus, qui vſque ad Herodem rexere Iudæam, eſſe completa. Alij in conſumatione mundi ſub Chriſto, quem fruſtra pręſtolantur, explenda commemorant. Nos autem & illo tempore, id eſt, poſt Zorobabel & Nehemiam, dicimus ex parte completa, & quaſi in typis & imaginibus præceſsiſſe: quando populus reductus eſt de captiuitate, & habitauit in Hieruſalem, & Dei populus appellatus eſt, & rurſum Dominus vocatus eſt Deus eorum, nequaquam in mendacio & iniquitate, ſed in veritate & iuſtitia. Et nunc plenisſimè ſub Domino Saluatore in Eccleſia, id eſt, in vera Hieruſalem promiſsionem rebus expleri: maximè quia dicitur: Ecce ego ſaluabo populum meum de terra orientis, & de terra occidentis: de quibus & Dominus in Euangelio loquebatur: Multi de oriente & occidente venient, & accubabunt in regno cœlorum cum Abraham, Iſaac, & Iacob. Et multo ante Pſalmiſta promiſerat, dicens: Deus Deorum Dominus locutus eſt, & vocauit terram. Ab ortu ſolis vſque ad occaſum, de Sion decor pulchritudinis eius. Veniet enim ex Sion, qui eripiat & auertat iniquitates ab Iacob. *Tomo quinto libro ſecundo Commentariorum in caput octauum Zachariæ.*

*Promiſsio de reductione populi à captiuitate & habitatione in Hieruſalẽ plenisſimè in Eccleſia ſub Chriſto reb. ipſis expletur. Mat. 8. Pſal. 49. Roma. 11. Malac. 1.*

VIDEBIT Aſcalon, & timebit, & Gaſa & cætera] Et circundabo, domum meam, hoc eſt, Eccleſiam, ex his qui militant mihi, id eſt, ex his qui mihi ſeruiunt in varijs miniſterijs, & ad meum imperium huc illucque diſcurrunt, euntes, & reuertentes. Siue circundabo domum meam angelorum præſidio de quibus & in alio loco ſcriptum eſt: Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos: vt non ſit qui vadat & reuertatur: hoc eſt, qui inſidias meo populo moliatur. Nec tranſibit ſuper eum vltra exactor de quo dicit Eſaias: Ceſſauit exactor: vel certè ἐξελαύνων, id eſt, foras educens & vinctos in captiuitatem trahens: quia oculis ſuis (quas prophetas & omnes ſanctos intelligere poſſumus.) vidit Dominus vocationem gentium, & Eccleſiæ ſecuritatem. *Tomo quinto libro ſecundo Commentariorum in cap. 9. Zachariæ. Fol. 254.*

*Angelorum præſidio circundata. Eccleſia. Pſal. 33. Securitas Eccleſiæ.*

ET deuorabunt, & cætera] Dicamus & iuxta Anagogen, imò explanemus prophetiam multis obſcuritatibus inuolutam. Filij Sion protecti à DOMINO ſuo, deuorabunt aduerſarios ſuos, quos intelligimus filios Græciæ. Et ſubijcient lapidibus fundę, comminationib. ſcripturarũ de aduerſarijs ſuis ſubiectos humileſq; facientes. Nihil enim ita percutit, vt exemplum de ſcripturis ſanctis, & teſtimonium rotatu oris emiſſum.

*Filij Eccleſiæ proteguntur à domino Comminationes ſcripturarum flagellant conſciẽtias.*



emiſſum. *Tom. 5. lib. 2. Comment. in cap. 9. Zachariæ Fol. 256.*

RELINQVAMVS ſimulatos angulos, & ad firmos atque robuſtos Chriſti angulos tranſeamus, ad quos cũ peruenerimus, ſtatim nobis occurret turris hananeel quod interpretatur gratiſsimus Dei. Quid enim turre Salomonis gratius eſt, de qua ad ſponſam dicitur: Sicut turris Dauid ceruix tua, quæ ædificata eſt in Thalphiot? mille ſcuta pendẽt ſup illã omnia iacula potẽtiũ. Hanc turrẽ Dñs in Euangelio ædificari vult, expenſis prius & ſumptibus ſupputatis, & de qua dicitur, ad Hieruſalem: Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis, de qua & ſanctus ad Dominum loquitur: Deduxiſti me, quoniam factus es ſpes mea: turris fortitudinis à facie inimici. De turre Hananeel peruenimus ad regis torcularia, pro quibus & tres Pſalmi titulum habent. Et Dominus dicit in Eſaia. Torcular calcaui ſolus, vt exuberet in illis noſtra vindemia, & exprimamus botros, & rubentia in Chriſti ſanguine muſta calcemus: vt bibamus vinum quod lætificat cor hominis, & ſponſa deſiderat ſponſi ſodalibus loquens: Inducite me in cellam vini, ponite ſuper me charitatem: Si nos iſtiuſmodi inebriarint torcularia, habitabimus in Hieruſalem, in qua anathema vltra non erit: maledictio videlicet & abominatio. Vnde dicit & Apoſtolus: Si quis non amat Dominum, ſit anathema. Et in alio loco: Nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu. Et pro fratrum ſalute anathema eſſe cupit, imitari volens Dominum ſuum, qui & ipſe cum non eſſet maledictio pro nobis factus eſt maledictio. Ablato autem omni anathemate habitabit Hieruſalem ſecura atque confidens, & illud in ſe exprimens: Qui confidit in Domino, beatus eſt. Et: Melius eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine: de qua ſecuritate & confidentia Hieremias propheta commemorat: Benedictus erit homo qui confidit in Domino. *Tomo quinto libro tertio Commentarorum in cap. 14. Zachariæ.*

*Cant. 4. Sec. 70. Mille ſcuta pendent ſuper turrem Eccleſiæ, & omnia iacula potentiũ. Luc. 14. Pſal. 121. Pſal. 60. Eſa. 63. Pſal. 103. Cant. 2. Sec. 70. 1. Cor. 16. 1. Cor. 12. Rom. 9. Gal. 3. Securi qui habitant in Eccleſia. Pſal. 117. Hier. 17.*

QVI ædificauit domum ſuam ſuper arenam, & cætera.] Fundamentum quod Apoſtolus architectus poſuit, vnus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus: Super hoc fundamentum ſtabile & firmum, & per ſe robuſta mole fundatum ædificatur Chriſti Eccleſia. Super arenam verò, quę fluida eſt, & coagmentari non poteſt, nec in vnam copulam redigi, omnis hæreticorum ſermo ad hoc ædificatur, vt corruat. *Tomo ſexto libro primo Commentariorum in cap. ſeptimum Matthæi Can. 11.*

*2. Cor. 1. Eccleſia ſuper fundamẽtum Chriſtũ: hæreticorum Conciliabula ſuperare nam ædificata.*

ET cum transfretaſſent, venerunt & cætera Si ſciremus quid in noſtra lingua reſonaret Genezaret, intelligeremus quomodo Ieſus per typum Apoſtolorum, & nauis Eccleſiam de perſecutione & naufragio liberatam tranſducat ad littus, & in tranquilliſſimo portu faciat requieſcere. *Fom. 6. lib. 2. Commentariorum in cap. 14. Matthæi. Can. 29.*

*Nauem Eccleſiæ Chriſtus ex perſequutionibus eripit & in portu tranquillo facit requieſcere.*

HOMO erat pater familias, qui plantauit, & cæt.] Homo iſte pater familias, ipſe eſt, qui habebat duos filios, & qui in alia parabola conduxit operarios in vineam ſuam qui plantauit vineam de qua & Eſaias plenisſimè per canticum loquitur, ad extremum inferens: Vinea Domini ſabaoth domus Iſraël eſt, Et in Pſalmo: Vineam de Aegypto, inquit, tranſtuliſti: eieciſti gentes, & plantaſti eam. Et ſepem circundedit ei: vel murum vrbis, vel angelorum auxilia: & fodit in ea torcular aut altare, aut illa torcularia quorum & tres Pſalmi titulo prænotãtur, octau⁹, & octogeſimus & octogeſ. terti⁹. Et ædificauit turrim: haud dubiũ quin templum, de quo dicitur per Micheam: Et tu turris nebuloſa filia Sion. Et locauit eam agricolis, quos alibi vineæ operarios appellauit: qui conducti fuerant hora prima, tertia, ſexta, nona, & vndecima. *Tom. 6. lib. 3. Com. in cap. 21. Matthæi. Can. 46.*

*Sup. 20. Eſaiæ. 5. Pſal. 49. Circundedit Deus Eccleſiæ ſepem vel murum vrbis vel angelorũ auxilia Mich. 4.*

DICIT illis Ieſus: Nunquã legiſtis & cæt.] Varijs parabolis, diuerſiſq; ſermonibus res eaſdem contexunt. Quos enim ſupra operarios: & vinitores, & agricolas appellarat, nunc ædificatores, id eſt, cementarios vocat. Vnde dicit Apoſtolus: Dei agricultura, Dei ædificatio eſtis. Hi ergo cementarij quo modo & vinitores accipiunt vineã, ſic acceperunt lapidẽ, quẽ vel in fundamentis ponãt, iuxta architectum Paulum, vel in angulo: vt duos parietes, id eſt, populum vtrumq; cõſociet, qui reprobatus ab eis, factus eſt in cap. anguli. Et hoc à Domino factum eſt, non humanis viribus, ſed Dei potentia. De hoc lapide adiutorij Petrus quoq; loquitur confidenter: Iſte lapis qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, hic factus eſt in caput anguli. Et Eſaias: Ecce, ait, immittam in fundamenta Sion lapidem electum, pretioſum, angularem: & qui crediderit in eum, non confundetur. *Ibidem.*

*1. Cor. 3. Ibidem. Ob fundamẽtum immobile Eccleſia non poteſt deſtrui. 1. Pet. 2. Eſai. 28.*

SCIENS autem Ieſus, ait illis: Quid moleſti eſtis huic mulieri? &c.] Alia oboritur quæſtio quare Dominus poſt reſurrectionem dixerit ad diſcipulos: Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem mundi, & nunc loquatur me autem non ſemper habetis. Sed mihi videtur in hoc loco de præſentia dicere corporali, quod nequaquam cum eis ita futurus ſit poſt reſurrectionem, quomodo nunc in omni conuictu & familiaritate. Cuius rei memor Apoſtol⁹ ait: Et ſi nouerамus Ieſum Chriſtum ſecũdum carnem, ſed nunc iam non nouimus eum. *Tom. 6. lib. 4. Com. in cap. 26. Mat. Can. 58.*

*Infr. 28. in fine. Chriſtus ad eſt Eccleſiæ perpetuò, non præſentia corporali ſed per ſpiritum ſanctum. 2. Cor. 5.*

AMEN dico vobis, vbicunq; prædicatum & cæt.] In toto mundo non tam mulier iſta, quàm Eccleſia predicatur, quod ſepelierit Saluatorem quod vnxerit caput eius. *Ibid.*

ET Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſæculi.] Qui vſque ad conſummationem ſæculi cum diſcipulis ſe futurum eſſe promittit, & illos oſtendit ſemper eſſe victuros, & ſe nunquam à credentibus receſſurum. Qui autem vſque ad conſummationem mundi ſui præſentiam pollicetur, non ignorat eam diem, in qua ſe ſcit futurum, cum Apoſtolis. *Tom. 6. libro 4. Com. in cap. 28. Matt. in fine.*

*Apoſtoli & diſcipuli domini ſemper victuri in ſucceſſorib.*

SED contra cum vidiſsent quod creditum & cæt] Petrus, & Ioannes, & Iacobus, qui videbãtur columnæ eſſe, ter ſupradictum de Apoſtolis legimus, ſeorſum autem his qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt. Solicitus itaq; requirebam quid nam eſſet quod diceret, qui videbantur, ſed nunc me omni ſcrupulo liberauit adijciens, qui videbantur columnæ. Columnæ igitur Eccleſiæ ſunt Apoſtoli, & maximè Petrus, Iacobus, & Ioannes, ex quibus duo cum Domino aſ-

*Apoſtoli columnæ eccleſiæ. Matt. 17.*

*Apoc.3.*

cendere merentur in montem, quorum vnus in Apocalypſi Saluatorem introducit loquentem. Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei: docens omnes credentes qui aduerſarium vicerint, poſſe columnas Eccleſiæ fieri. Ad Timotheum verò Paulus ſcribens ait, Vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna autem & firmamentum veritatis. His & cæteris inſtruimur, tam Apoſtolos omneſq; credentes, quàm ipſam quoq; Eccleſiam columnam in ſcripturis appellari, & nihil intereſſe de corpore quid dicatur, an membris, cum & corpus diuidatur in membra, & membra ſint corporis. *Tom.6.lib.1. Com. in ca.2. ad Galatus.*

*1.Tim 3. Eccleſia columna et firmamentum veritatis.*

*Quæ dicũtur in ſcripturis de corpore eadem etiã intelliguntur de membris.*

ET omnia ſubiecit ſub pedibus eius & cæt.] Sed & hoc quod ait: Et ipſum dedit caput ſuper omnia Eccleſiæ, quæ eſt corpus ipſius, plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur: non ſolum hominum, ſed etiam angelorum, cunctarumq; virtutum & rationabilium creaturarum Eccleſia intelligi poteſt. *Tom.6.lib.1. Com. in cap.1. ad Ephesios.*

*Chriſtus caput corporis Eccleſiæ.*

Propter quod memores eſtote quia &c.] Simul & illud eſt attendendum, quod nos, quos ſine Chriſto alienatos quondam à conuerſatione Iſrael eſſe memorauit, & peregrinos à promiſſionibus & teſtamento Dei, nunc poſtquam in Chriſtum credimus: ſicut repromiſsiones & teſtamenta eius accepimus: ita cõuerſationẽ quoq; habere dicamur Iſrael, quo modo cõuerſatio vniuerſa legalis explẽ in nobis: Quia videlicet lex ſpiritualis eſt, & magis circũcidamur, & ſabbatizemus in ſpiritu, ſpirituales victimas offerentes: illorum templo altarique deſtructis, nos immolemus agnum immaculatum, & accincti lumbos, expediti paſcha comedamus. Sicut enim, circunciſio dicitur in carne manu facta: ita ad diſtinctionem eius intelligitur alia eſſe circunciſio, quæ non ſit, vt diximus, manu facta, ſed ſpiritu. *Tomo ſexto libro 1. Commentariorum in caput 2. ad Ephesios.*

*Repromiſsiones & teſtamenta Chriſti credentes acceperunt.*

PROPTER quod dicit: Aſcendens in altum & cæter.] Alij hunc locum ita ediſſerunt: quod ob id Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad cœlos victor aſcenderit: vt inde angelos cæteraſq; virtutes ad cuſtodiam Eccleſiarum ſuarum mitteret. Et dum indignus ſit locus iſte terrenus, ſublimium poteſtatum habere præſentiam: quodã modo illæ ſuſtinuerint captiuitatem. Ideo enim (inquiunt) aſcendit in altum vt captiuans captiuitatem, dona hominibus largiretur. *Tom. 6. lib. 2.Com.in cap.4.ad Ephesios. Fol.177.*

*Ideo aſcẽdit in cœlũ Chriſtus vt inde angelos aliaſq; virtutes ad cuſtodiã ſuarum Eccleſiarum mitteret.*

SACRAMENTVM hoc magnum &cæt.] Primus homo & primus vates Adam, hoc de Chriſto & Eccleſia prophetauit, quod reliquerit Dominus noſter atq; Saluator patrem ſuum Deum & matrem ſuam cæleſtem Hieruſalem, & venerit ad terras propter ſuum corpus Eccleſiam, & de ſuo eam latere fabricatus ſit, & propter illam Verbum caro factum ſit. *Tom.6. lib.3.Com.in cap. 5.ad Ephesios.*

*Propter corpus ſuũ eccleſiam venit ad terras ſaluator & de ſuo latere eã eſt fabricatus.*

ET non ſunt infirmata veſtigia mea.] Veſtigia, exemplo Eccleſiæ, non ſunt infirmata à ſucceſſoribus: quia impreſsi ſequentibus me. *Tom.6. Com.in Pſal.17. Fol.20.*

*Veſtigia poſteriorũ Patrũ in Eccleſia impreſſa præcedentiũ veſtigijs.*

ET ſemini eius in ſæculum. Semen eius: hoc ſunt ſancti eius. Facit miſericordiam Dominus ſemper cum ſanctis ſuis ſine fine. Et faciens miſericordiã Chriſto ſuo Dauid, & ſemini eius vſque in ſæculum: Ipſi mediatori Ieſu Domino, & populo Eccleſiaſtico, qui per verbum eius credidit. Ipſe fortiſsimus liberator nos ab hoc mundo dignetur eruere, & in fide ſtabilire per Euangelium: quia ipſi gloria & imperium cum æterno patre & ſpiritu ſancto in cuncta ſæcula ſęculorum. Amen. *To.7.Co.in Pſal.17. Fol.21 in fine.*

*Promiſsio Chriſto ſuo Dauid facta ſemper durat*

FACTVM eſt cor meum.] Cor Chriſti, Eccleſia intelligitur. *Tom.7.Com.in Pſal.21.*

*Eccleſia cor Chriſti.*

ET ſuper flumina præparauit illam.] Per flumina intelliguntur potentes ſæculi vel cupidi, vt ait Salomon: Omnia flumina intrant in mare. Sic & ipſi potentes licet magnum habeant cenſum, nunquam ſatiantur. Super iſta flumina eſt Eccleſia, vt illis prędicet, & conuertantur qui poteſtatem habent. Si audire noluerint, ſuper flumina præparauit illam. Super cupiditates huius ſæculi conſtituit eam, vt ipſa ſuperior eſſet mũda ſine macula & ruga. *Tom 7.C.in Pſal.25.*

*Eccl.1.*

*Eccleſia eſt ſuperior omnibus ſæculi cupiditatib.*

INNOCENTES & recti adhæſerunt mihi.] Sicut collo adhæret caput, & membra in eodẽ corpore continentur: ſic & Eccleſia per iuſtitiam adhæſit Chriſto, & membra eius in eodem corpore continentur. *Tom.7.Com.in Pſal.24. Fol. 29.*

*Indiuidua coniunctio capitis Chriſti & corporis Eccleſiæ.*

QVONIAM mirificauit miſericordiam ſuam in ciuitate munita.] Munita, ideſt ſancta Eccleſia ciuitas, vt diximus, firmata vndiq; per fidem cõtra omnem impugnationem aduerſariorum, vnde dixit. Fundata enim erat ſupra firmam petram. *Tom.4.lib.7.Com.in Pſal.30.*

*Cur dicatur Eccleſia ciuitas munita.*

QVONIAM tranſibo in locum tabernaculi, &c.] Tabernaculum Dei, Eccleſia eſt, quę adhuc peregrinatur à Domino per quam ad æterna tabernacula, id eſt, ad cæleſtem Hieruſalem (quæ eſt mater omniũ noſtrum) venitur. In qua ſunt multi admirabiles, & virtutibus ſacris pollentes: quia ædificati ſuper fundamẽtum Apoſtolorum, tanquam vna domus habentur. In quam iſte mente ingrediens, qui relicta idolatria, iam cognouerat baptiſmi ſacramenta admirans harmoniã cantici ſpiritualis, per ſuauitatem æternæ dulcedinis, acceſsit ad domum Dei, quod eſt ſancta ſanctorum. *Tomo ſeptimo Commentariorum in Pſalmum 41.*

*Eccleſia eſt dei tabernaculum.*

DOMINVS virtutum nobiſcum, ſuſceptor noſter Deus Iacob.] Semper enim cum credentibus dignanter inhabitat: ſicut Apoſtolis poſt reſurrectionem polliceri dignatus eſt, dicens: Ecce ego vobiſcũ ſum omnibus diebus vſq; ad conſumationem ſæculi. *Tom.7.Commentariorum in Pſa. 45. Fol.58.*

*Cum credentibus in eccleſia inhabitat Chriſtus. Matt. vlt.*

DEVS repuliſti nos, & deſtruxiſti nos.] Pertinet ad populum Iudaicum. Quando illum permittebat Deus tribulari: quaſi tunc videbatur repellere. Et modo Eccleſiam videtur repellere, quando illam permittit tẽtari per tribulationem. Nã aliter non repellit: quia dixit ſanctus Paulus: Nõ repellit Deus plebem ſuam, quam præſciuit. Vnde & vox ad Hieremiam prophetam ait. Vade & deſtrue, & diſsipa, & euelle, & ędifica. Ac ſi dixiſſet: Deſtrue vitia & peccata, & ædifica virtutes. Repellit nos ac deſtruit, cum peccamus. Miſeretur & ædificat cum ad eum pœnitendo reuertimur. *Tom. 7. Com.in Pſal.59. Fol.73.*

*Deus Eccleſiam non repellit niſi permittendo eã tentari. Rom 2. Hiere.1.*

VT quid auertis manum tuã, & dextrã &c.] Sinus Dei eſt ſanctuariũ eius, ſicut per aliũ ait prophetam. Sicut enim paſtor gregem ſuum fouet, & fœtus in ſinu portat: ſic Dominus plebem ſuam vegetat. Tunc ergo ab hoc ſinu vel inſpectionem, vel potentiam ſuam auertit, cum peccauerimus in eum. *Tom.7.Com.in Pſal.73.*

*Deus plebẽ ſuam tanquã fœtum paſtor in ſinu portat Iſa. 40.*

IN æternum ſeruabo, &c.] In Eccleſia quam per miſericordiam, & teſtamentum præceptorum ſuorum redemit, hæc in ea perpetualiter conſeruantur.

*Præcepta domini in eccleſia perpetuò conſeruantur.*

ET ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius, & cæt.] Congregatio enim ſanctorum, quæ in Eccleſia eſt, in qua Deus tanquam in throno reſidet: ſicut ſol fulgebit in regno patris. *Tom.7.Com. in Pſal.88.*

*In congregatione ſanctorum tanquã in throno Deus reſidet*

SEMEN eius in æternum manebit.] Populus acquiſitus et thronus eius. Ipſam Eccleſiam in claritate futuræ beatitudinis permanere iterum atque iterum promittit.

*Iterata promiſsio de perpetuitate Eccleſiæ.*

ET ſicut luna, tota perfecta in æternum. Tota lucida, tota perfecta, nil obſcuritatis continẽs in ſe. *Ibidem.*

QVOD continui in ſinu meo multarum gentium.] Quos congregaui tanquam in ſinu: in vna domo credulitatis. *Ibid.*

BENEDICTVS Dominus, &c.] Ecce benedictus, ecce glorioſus, cum redit ex inferis, cum ſe præbet diſcipulis, cum eccleſiæ vota & pia deſideria reſtituit, dicens ſanctis: Ecce ego vobiſcũ ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſæculi *Ibid. in fine Pſal.*

*Matt.vlt.*

ETENIM correxit orbem terræ qui non commouebitur.] Crux ipſius columna eſt generis humani: in ipſa columna ędificata eſt domus ei⁹. Ego crucem dico: non lignum, ſed paſsionem. *To. 7.Com.in Pſal.95.*

*In cruce ſiue paſsione Domini ædificata Eccleſia.*

LAETENTVR inſulæ multæ.] Nos dicamus & inſulas Eccleſias. Denique dicitur & in alio loco: Conuertimini ad me inſulæ multæ. Vultis ſcire quoniam inſulæ dicantur Eccleſiæ? Dictum eſt in propheta ex perſona Domini: Loquere (inquit) habitatioribus inſulæ huius. Letentur inſulæ multæ. Quomodo enim inſulæ in medio mari poſitæ ſunt, ſic & Eccleſiæ quaſi in medio mari poſitæ ſunt ſęculi iſtius: & ita perſecutionibus, quaſi diuerſis tunduntur fluctibus. Verum iſtæ inſulæ tunduntur quotidie, ſed non ſubruũtur. In mari quidem ſunt ſed habent fundamentum Chriſtum qui moueri non poteſt. *To. 7.Com.in Pſal.96.*

*Inſulæ deſignant Eccleſias.*

*A ſimili inſularum docet eccleſiã non poſſe ſuberti.*

FECIT lunam in tempore.] Aiunt, quando creſcit luna, creſcere fructus omnes: & quando minuitur, iterum fructus minui. Ergo bene dixit: fecit lunam in tempore. Aut aliter intelligamus, lunam Eccleſiam. In proficiendo enim Eccleſia, proficimus & cum ipſa: & cum perſecutionem patitur & minuitur, & nos cum illa minuimur, & perſecutionem patimur. *Tom.7.Comment. in Pſal.103.*

*Eccleſiæ & lunæ iucunda comparatio.*

QVI habitat in Hieruſalem:] In ipſa Eccleſia in matre noſtra, quæ ſurſum eſt, libera. *Tom.7. Com.in Pſal.124.*

*A quibus eccleſia cuſtodiatur.*

MONTES in circuitu eius.] Cuſtodiæ ſanctorum, angelorum, prophetarum, Apoſtolorũq; quæ in modum proceritatis montanæ ſupereminent cunctis in ſanctitate.

ET dominus in circuitu populi ſui: ex hoc nunc & vſque in ſæculum.] Sicut ipſe polliceri dignatus eſt, dicens: Ecce ego vobiſcũ ſum vſq; in conſummationem ſæculi. *Tom.7. Commentari. in Pſal.124.*

FVNDAMENTA eius in montibus ſanctis.] Quæ ſunt fundamenta Eccleſiæ, niſi pater & filius & ſpiritus ſanctus? Hæc ergo fundamenta non ſunt in vallibus, ſed ſunt in montibus, & non in montibus quibuſcunque, ſed in montibus ſanctis. Loquitur Paulus: Quaſi ſapiens architectus fundamentum poſui, hoc eſt, fidem trinitatis. Denique dicit & in alio loco: Expectabant enim ciuitatem habentem fundamenta cuius artifex & conditor Deus, fundamenta eius in montibus ſanctis. Ideo dixit, in montibus ſanctis quia ſunt & alij montes nõ ſancti. Deniq; dicitur in Eſaia: Super montem tenebroſum leuate ſignum. Et in alio loco dicitur: Quis es tu mõs corrupte? Dicitur & in Hieremiá. Date Domino Deo veſtro gloriam, antequam offendant pedes veſtri ad mõtes tenebroſos. Videtis ergo quia ſunt & montes tenebroſi, & dicitur nobis à Hieremia, vt demus gloriam Deo, antequã offendant pedes noſtri ad montes tenebroſos. Si enim pedes noſtri impegerint ad illos montes, gloriã Domino dare non poſſumus: Fundamenta eius in montibus ſanctis. Quos nos poſſumus dicere fundamenta? Apoſtolos. In illis erant fundamenta: ibi primum poſita eſt fides Eccleſię, & ibi fundamẽta ſunt poſita. Et qa vniuſquiſq; ſuper ædificat fundamento: alius aurum, alius argentum, alius lapides pretioſos: diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob: Iſtas portas diligit, quas videmus corruiſſe. Iſtas portas diligit, & iſtam Sion diligit, quæ arata eſt ſicut ager. Et videte quid dicat.

*Fundamentum Eccleſiæ ipſa Trinitas ſeu fides Trinitatis.*

*1 Cor.3.*

*Hebr.11.*

*Montes tenebroſi non ſancti qui ſint. Eſai.e 13. Zach. 4. Hier.13.*

*Apoſtoli prima fundamenta Eccleſiæ.*

DILIGIT Dominus portas Sion, ſuper omnia tabernacula Iacob.] Videte quid dicat: Super omnes ciuitates Iacob, hoc eſt, Iudæ: iſtam tantũ diligit ciuitatem. Et quomodo videmus alias ex parte ſtare, & iſtam penitus corruiſſe? Legamus Apocalypſim Ioannis: legamus & Eſaiam vbi ædificatur ciuitas Hieruſalem, & duodecim portæ ipſius dicuntur eſſe de lapidibus pretioſis conſtructæ, & ipſa ciuitas de cœlo deſcendit, & dicuntur muri eius aurei, & dicuntur plateæ eius ſtratæ eſſe ſmaragdo, & dicuntur ſingulæ ex ſingulis lapidibus pretioſis. Hæ ſunt totæ Domini diuitiæ: & hoc diligit Dominus quod & homines? Prohibet nos ab auaritia, & ipſe de auaritia extruit ciuitatem? Ergo diligit Dominus portas Sion: Illas portas duodecim Sion: Manifeſtum eſt quod de Apoſtolis ſcripſit. Super omnia tabernacula Iacob: ſuper omnes veteres ſanctos. Hoc interim diximus ſecundum vnum tropum. Dicamus autem & aliter: Diligit Dominus portas Sion: Mihi videntur portæ Sion eſſe virtutes. Sicut enim portæ mortis ſunt vitia atque peccata: ita portæ Sion videntur mihi eſſe virtutes. Denique dicit in alio loco: Qui exaltas me de portis mortis. Si autem portæ mortis peccata ſunt: ergo portæ Hieruſalem virtutes ſunt. Super omnia tabernacula Iacob. Videte quomodo Iacob, hoc eſt, vetus populus non habet fundamentum, nec domum fundamentis poſitam, ſed tabernacula quæ citò pertranſeunt. *Tomo ſeptimo Commentariorum in Pſalmum octuageſimo ſextum.*

*Apoc.12: Eſaiæ.62. Ezec.48.*

*Totæ domini diuitiæ in ciuitate Eccleſiæ.*

*Duodecim Apoſtoli duodecim portæ Eccleſiæ.*

*Pſal.9.*

*Portæ Eccleſiæ ſunt virtutes.*

*Firmitas Eccleſiæ præ ſynagoga.*

GLORIOSA dicta ſunt de te ciuitas Dei.] Ergo quod dictum eſt, fundamenta eius in monti-

*Teſtimonia prophetarũ de laude Eccleſiæ. Eſaiæ 52.*

bus ſanctis, poſſumus & de Deo dicere. Poſſumus autem & hoc dicere: Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Quæ eſt iſta ciuitas, vbi dicta ſunt glorioſa? In omnibus Prophetis dictũ eſt de hac ciuitate. Eſaias dicit: Exurge, exurge Hieruſalem, induere fortitudinem brachij tui. Iterũ ipſe Eſaias: Ego ciuitas firma, ciuitas quæ oppugnatur. Dicit & Dauid: fluminis impet⁹ lætificat ciuitatem Dei. Et in alio loco: Domine, in ciuitate tua imagines eorum diſſipabis. Et Saluator glorioſa loquutus eſt de hac ciuitate: Non poteſt abſcondi ciuitas ſuper montem poſita. *Tom.7. Com. in Pſalmum.86. Fol.108.*

*Eſaiæ.27. Sec.70. Pſal.45. Ibid.72. Matt.5.*

## *Articulus 14. Eccleſiæ ſpirituales claues datas eſſe, & penes eandem ſpiritualem poteſtatem excommunicandi reſidere.*

*1.Cor.15. Pœna non obedientium ſacerdotibus. Excommunicatio ſpiritualis mucro.*

MIHI ante presbyterum ſedere non licet: illi, ſi peccauero, licet tradere me Satanæ in interitum carnis, & ſpiritus ſaluus ſit in die Domini Ieſu. Et in veteri quidem lege, quicunque Sacerdotibus non obtemperaſſet; aut, extra caſtra poſit⁹, lapidabatur à populo; aut, gladio ceruice ſubiecta, cõtemptum expiabat cruore. Nũc verò inobediẽs, ſpirituali mucrone truncatur; aut eiectus de Eccleſia, rabido dæmonum ore diſcerpitur. *Tom.1. Epiſt. 1. ad Heliodorum cap.7.*

*1.Tim.5. Publica peccata publice punienda.*

VERITAS angulos non amat, nec quærit ſuſurrones. Timotheo dicitur: Aduerſum presbyterum accuſationem cito ne receperis. Peccãtem autem coram omnibus argue: vt & cæteri metũ habeant. Non eſt facile de prouecta ætate credendum, quam & vita præterita defendit, & honorat vocabulum dignitatis. Verũ quia homines ſumus: & interdum contra annorum maturitatem puerorum vitijs labimur: ſi me vis corrigere delinquentem, apertè increpa, tantum ne occultè mordeas: *Tom.1. Epi.4. ad Ruſticum cap.10.*

*Pœna virginum ſacrarũ inobedientiũ.*

QVAM linguoſam, garrulam, ac procacẽ rixiſq; perſpexerat delectari, & ſœpius cõmonitã nolle conuerti, inter vltimas & extra conuentum ſororum, ad fores triclinij orare faciebat, & ſeparatim cibum capere; vt, quã obiurgatio non correxerat, emendaret pudor. *Tom.1. Epiſt.27. ad Euſtochium.cap.10.*

CINCINNATVLOS pueros, & calamiſtratos, & peregrini muris olentes pelliculas, de quibus illud Arbitri eſt: Non bene olet, qui bene ſemper olet: quaſi quaſdam peſtes & venena pudicitiæ virgo deuitet: vt taceã de cęteris, quorum importuna viſitatio & ſe infamat, & alias: vt etiam ſi nihil mali perpetretur, tamen hoc ſit vel maximũ malũ, fruſtra patere maledictis & morſibus ethnicorum. Nec hoc de omnibus dicimus, ſed de his, quos Eccleſia ipſa reprehendit, quos interdum abijcit, in quos nonnunquam Epiſcoporum & præsbyterorum cenſura deſæuit: vt prope periculoſius ſit laſciuis puellis, ad loca religionis, quam ad publicum, procedere. *Tom.1. Epiſt.9. ad Demetriadem cap.10.*

*Eccleſiæ animaduerſio in delinquẽtes impudicos adoleſcentes.*

NEQVAQVAM igitur gentilis plangendus eſt, atq; Iudæus qui in Eccleſia non fuerunt, & ſemel mortui ſunt: de quibus Saluator dicit: Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos: ſed eos plange, qui per ſcelera atque peccata egrediuntur de Eccleſia, & nolunt, vltra reuerti ad eam damnatione vitiorum. *Tom.1. Epiſt.4.6. ad Ruſticum cap.2. in fine.*

*Matt.8. Plangendi excommunicati impœnitentes.*

RETVLIT mihi quidã frater è Gallia, ſe habere ſororem virginem, matremq; viduam, quę in eadem vrbe diuiſis habitarent cellulis, & vel ob hoſpitij ſolitudinem, vel ob cuſtodiendas facultatulas, prę́ſules ſibi quoſdam clericos aſſumpſiſſent: vt maiore dedecore iungerentur alienis, quàm à ſe fuerant ſeparatæ, cumq; ego ingemiſcerem, & multo plura tacendo, quam loquendo, ſignificarem: Quæſo te, inquit, corripias eas litteris tuis, & ad concordiam reuoces vt mater filiam, & filia matrem agnoſcat. Cui ego, Optimam, inquam, mihi iniungis prouinciam: vt alienus conciliem quas filius fraterq; non potuit, quaſi verò Epiſcopalem cathedram teneam, & non clauſus cellula, ac procul à turbis remotus, vel præterita plangam vitia, vel vitare nitar præſentia. *Tom.1. Epiſt.47. ad Ruſticum cap.1.*

*Cohabitatio virginũ ſacrarum & clericorum ſuſp. & periculoſa. Epiſcopalis cathedræ authoritas in delinquẽtes.*

MIROR ſanctum epiſcopum, in cuius parochia eſſe presbiter dicitur, acquieſcere furori eius & non virga Apoſtolica virgaq; ferrea confringere vas inutile, & tradere in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat: nec meminerit illi⁹ dicti: Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Et in alio loco: In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. Et iterum: Nonne odiẽtes te, Domine, odio habui, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos. *Tom.2. Epiſt. 53. ad Riparium.*

*Virga Apoſtolica et ferrea Epiſcoporum. 1.Cor.5. Pſal.49. Pſal.100. Pſal.138.*

PRIMVM in fidei regula diſcrepamus. Nos patrem & filium & ſpiritum ſanctum in ſua vnumquemque perſona ponimus, licet ſubſtantia copulemus: illi Sabellij dogma ſectantes, trinitatem in vnius perſonæ anguſtias cogunt. Nos ſecundas nuptias non tam appetimus, quam concedimus, Paulo iubente, vt viduæ adoleſcentutulæ nubant: illi intantum putant ſcelerata coniugia iterata, vt quicunque hoc fecerit, adulter habeatur: Nos vnam quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum toto anno, tempore nobis congruo, ieiunamus: illi tres in anno faciunt quadrageſimas, quaſi tres paſsi ſint Saluatores, non quo & per totum annum excepta Pentecoſte, ieiunare non liceat, ſed quod aliud ſit neceſsitate, aliud voluntate, munus offerre. *To.1. Epiſt.54. ad Marcellam.*

*1.Timo.5. Eccleſiæ præcepta indu. cum neceſſitatem.*

QVOMODO ceſſauit exactor, quieuit &cæt.] In Petri epiſtola legimus: Tempus eſt vt incipiat iudicium à domo Dei. Et in Ezechiele tortoribus dicitur: à ſanctis meis incipite. Pro diuerſitate quippe peccati, iudicij ordo diſponitur: vt qui minus deliquerint, ante purgentur. Nouiſſimus autem inimicus, deſtruatur mors. Ergo cum Iſrael de ſeruitute dura fuerit liberatus ſumet parabolam contra regem Babylonis: quam debemus intelligere vt parabolam. Si enim contra Nabuchodonoſor ſermo eſt, & ſimplex hiſtorię expoſitio: quomodo parabola dicitur, quę nulli alteri παραβάλλεται, id eſt, comparatur? Miratur ergo Iſrael quo modo ceſſauerit exactor, qui exigere conſueuerat, vſque ad nouiſſimum quadrantem. Exigere autem non alios niſi debitores, qui dicunt in oratione Dominica: Dimitte

*1.Pet.4. Ezech.9. Pro diuerſitate peccati iudicij ordo diſponitur. 1.Cor.15. Nabuchodonozor Diabolus eſt exactor pœnarũ à pœnitẽtib. Matt.5.*



Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Huic exactori debitores traduntur à iudice; qui eos mittit in carcerem, & exigit vſque ad peccatum minimum. Denique & Paulus Apoſtolus in Corintho fornicãtem, qui vxorem patris acceperat, nec non Phygellum & Hermogenem tradidit exactori. Et de his exactoribus etiam ſupra dicitur: Populus meus exactores veſtri deprædantur vos: & qui repetunt dominantur veſtri. Pro tributo, Aquila famem interpretatus eſt. Sublato enim à nobis ſponſo, famen patimur verbi Dei, & iugiter à corpore Domini ieiunamus. Idcircoque virga & baculus impiorum: pro quo Septuaginta τὸν ζυγὸν, id eſt, iugum interpretati ſunt, percutit nos ſiue opprimit: quia nolumus ſuſtinere iugum leuiſsimum, iugum Saluatoris. Hic autem baculus, & hæc virga inſanabili gentes furore cædebat, & fugientes perſequebatur crudeliter: non emendare volens traditos, ſed occidere. *Tom.4. lib.6. Com. in cap.13. Eſaiæ. Fol.66.*

*Ibid. 1.Cor.5. 2.Tim.1. Sup.3. ex LXX. Virga & baculus impiorum excommunicatio.*

QVIA hæc dicit Dominus ad me, &c.] Ramuſculi qui inutiles ſunt, falcibus præcidentur, dicente in euangelio ſaluatore: Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem qui fert fructum, purgabit eum vt fructum plus afferat. Et quæ præciſa fuerint, relinquentur auibus montium, & beſtijs terræ. Auibus quæ iuxta viam ſeminata populantur, & beſtijs quibus traditur anima non confitens Deum, ita vt qui à Domino præciſus fuerit & abiectus, & de corpore illius quod eſt eccleſia, ſeparatus, tam in æſtate quàm in hyeme, hoc eſt, in proſperis & in aduerſis, volucrum & beſtiarum mãſio ſit. Sicut autem ij, qui inutiles ſunt & infructuoſi in eccleſia, amputantur & proijciuntur, ne modicũ fermentum totam maſſam corrumpat: ſic è contrariò fieri poteſt, vt qui hæretico fuerant errore decepti, & auulſi à Domino, atque lacerati, & horribiles ob blaſphemiam, fruſtraque mendacia præſtolantes, & conculcati à dæmonibus, & à fluuijs in partes varias diſſipati, cum recordati fuerint Dei ſui & magiſtros peſsimos dereliquerint, offerant munus Domino exercituum, non alibi niſi in monte Sion, & ſpecula quod interpretatur. *Tom.4. lib.7. Commentariorũ in cap.18 Eſaiæ. Fol.77.*

*Ioan.150. Periculoſũ eorum ſtatus qui ab eccleſia præſcinduntur. Matt.13. Pſal.73. 1.Cor.5.*

ECCE enim ambulat vnuſquiſque poſt &c.] Semel à Domino derelicti faciunt ea quæ non competunt, vt vadens poſt deſideria cordis ſui mali: de quo exeunt cogitationes peſsimæ: & iccirco de eccleſia ſeparantur, vt vadant in terram longinquam: quam nec ipſi, nec patres eorũ nouerant priuſquam peccarent, vt ibi ſeruiant dijs alienis, qui non ſunt Dij, ſed eorum putantur errore qui eos colunt. Quod autem intulit. Die ac nocte: perpetuam peccantium oſtendit in ſcelere perſeuerantiam: dum & in diebus, flagitijs, & in noctibus, libidini ſeruiunt: Qui non dabunt, inquit, vobis requiem. Haud dubium quin falſos Deos ſignificet, de quibus dixit: Et ſeruietis ibi dijs alienis. Quidquid ergo peccamus, quidquid die, & nocte facimus, & malorum operum perpetramus imperium eſt dæmonum, qui nunquam nobis dant requiem, ſed ſemper impellũt delictis augere delicta, & cumulum facere peccatorum. *Tom.4. lib.3. Com. in cap.16. Hier. Fol.166.*

*Matt.15. De eccleſiã ſeparati ſeruiunt dijs alienis.*

VAE paſtoribus qui diſperdunt, &c.] Perdũt oues paſtores, qui docent hæreſin. Lacerant & diſſipant, qui ſciſmata faciunt. Eijciunt eas, qui contra iuſtitiam de Eccleſia ſeparant. Non viſitant, qui pœnitẽtibus contrahunt manum. *Tom. 4. lib.4. Com. in cap.23. Hier.*

*Schiſmaticorum & hæreticorum diſcrimen.*

GENS autem & regnum, &c.] Non ſolũ Dominus peccatrices gentes ſubijcit Nabuchodonoſor, ſed Apoſtolus de peccatorib. loquitur: Quos tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare. Et in alio loco: Tradidi huiuſmodi Satanę in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat. Poteſtatibus quoque obediendum monet: non ſolum propter iram, ſed & propter conſcientiam, ne condẽnemur ab eis. *Tom. 4. lib.5. Commentarior. in cap.27. Hier.*

*1.Tim.1. 1 Cor.5. Rom.13. Propter conſcientiam obediendum magiſtratib⁹ eccleſiaſticis ne ab eis cõdemnemur.*

ET hæc ſunt verba libri quem miſit &cæt.] Porrò ſecundum myſticos intellectus, poſtquam de Hieruſalem, id eſt, Eccleſia propter peccata noſtra eiecti fuerimus, & traditi Nabuchodonoſor: de quo dicit idẽ Apoſtolus: Tradidi huiuſmodi Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini. Et iterum: Quos tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare: non debemus eſſe ſecuri, nec torpentes otio, ſalutem penitus deſperare, ſed primum ædificare domos, non ſuper arenam, ſed ſuper Petram & tales domos, quales ædificauerunt obſtetrices in Exodo: quia timebant Dominũ. Deinde plantare hortos ſiue pomaria. qualem & Dominus plantauit in Eden paradiſum, & poſuit in eo lignum vitæ: de quo ſcriptum eſt: Lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eã, beatus. Tertiò accipere vxores, quarum vna eſt, ſapientia: de qua ſcribit Salomon: Ama illam, & ſeruabit te & circunda illam, & exaltabit te. Et in alio loco: Hanc exquiſiui ſponſam accipere mihi, & amator factus ſum decoris eius. Nec ſufficit nobis vna cõiunx ſapientia, niſi habeamus & reliqua: fortitudinẽ temperantiam atque iuſtitiam: vt pluͤres ex ea generemus filios. Filias quoq; noſtras dem⁹ viris, vt & fidei veritas quę interpretatur in filijs, bonis operib. copuletur: q̃ referũtur ad filias, & opera bona iungantur fidei ſanitati: taleſq; filios generãtes & filias, multiplicemur in numero: vt deſtruentes ea q̃ paruuli ſunt, & in perfectum creſcentes virũ, audire mereamur: Scribo vobis patres: quoniam agnouiſtis eum, qui ab initio eſt: & cum Apoſtolo dicamus liberis noſtris: in Chriſto enim Ieſu per Euangelium ego vos genui. Quæramus quoq; pacem Eccleſiæ, ciuitati & terræ noſtræ: vt ad eam redire mereamur, de qua Domini iudicio tranſlati ſumus, vt habitaremus in confuſionis errore. *Tom.4. lib.5. Com. in cap.29. Hieremiæ. Fol.292.*

*1.Cor.5. 1.Tim.1. Præſcribitur quid faciendum pœnitẽtibus & excommunicatis. Exod.1. Prou.3. Ibid.4. Sap.8. Fidei veritas bonis operibus copulãda. 1.Ioan.2. 1.Cor.4. Luc.6.*

QVIA hæc Dominus, &c.] Secundum anagogen, tam diu in ſæculi huius cõfuſione verſamur, quamdiu requiem ſeptenarij numeri mereamur accipere: & accepta pęnitentia Deus impleat quod promiſit, & reducamur ad locũ noſtrum Eccleſiam. Iccirco enim Dominus percutere, viſus eſt, vt ſanaret: dabitque nobis finem laboris noſtri atque patientiæ: & inuocamus eum, & reuertemur in Eccleſiam, & orabimus, & exaudiemur: quæremus & inueniemus eum, cum toto corde quæſierimus illum, & tũc apparebit nobis. *Ibidem Fol.293.*

*Finis excommunicatiõis.*

SVB perſona aquilæ deſcribitur, quod nequaquam velit de Libano (qui interpretatur candor, & refertur ad thymiama) paruula atque humilia virgulta perſtringere, ſed ſummitates cedrorum, & de principibus, ac de ſtirpe regia: iuxta illud Habacuc: Eſcæ eius electæ. Ponitque teſtamentum cum his, quos ceperit, vt regi Babylonio colla ſubmittant, & impleant illud quod Apoſtolus loquitur: Quos tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare. Et in alio loco: Quos tradidi, inquit, Satanæ, in interitum carnis vt ſpiritus ſaluus fiat. Non debemus ergo, ſi forſitan ob aliquod peccatum de congregatione fratrum, & de domo Dei eijcimur, reluctari: ſed æquo animo latam in nos ferre ſententiam, & dicere cum propheta: Iram Domini ſuſtinebo, quoniam peccaui ei, donec iuſtificet cauſam meam, & cætera. Et frequenter euenit, vt alteri ſubditi ad alterum tranſeamus, qui nobis ſuum repromittat auxilium: nec faciat in ſua priſtina ſententia permanere: Quod omni ratione vitandum eſt, ne ſiccentur palmites noſtri, germina areſcant, & contra pactum Dei facere credamus. *Tomo quarto libro quinto Commentariorum in caput 17. Ezechielis.*

*Habac.1. Excommunicati ſubiſunt regi Babylonio Nabuchodonoſori id eſt Diabolo. 1.Tim.1. 1.Cor.5. Excommunicationis ſentencia æquo animo ferenda. Mich.7.*

*Gladius acutus excommunicatio. 1.Cor.5. 1.Tim.1. Pſal.77. 2.Reg.24. Matt.10.*

POSSVMVS iuxta Anagogen, gladium acutum paruumque ad cædem, accipere diabolum, de quo ait Apoſtolus: Tradere huiuſcemodi Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat. Et in alio loco: Hymeneus & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare. Et in Pſalmis ſcriptum eſt: Miſit furorem, & iram, & anguſtiam: immiſsionem per angelos peſsimos. Hunc quidam putant gladium & in manu fuiſſe angeli, quando ſub Dauid percutiebatur Hieruſalem. Alij autem & de illo dici gladio ſuſpicantur, de quo in euangelio ſcriptum eſt. Nō veni pacem mittere ſuper terram, ſed gladium, & diuidere inter ſe omnem conſanguinitatis affectum: vt mali corruant, & ſancti reſurgant. Sed hoc impium eſt credere de gladio Saluatoris, & non potius de Diabolo, qui Domini in eccleſia ſceptra ſubuertit: qui interficit cunctos in populo, & duces & hoſpites Dei, & tunc à Domino comprobatur, quādo Iudam proditorem, & ſimiles eius ſubuerterit. Qui poſtquam comedit buccellam, intrauit in illum Satanas. Duplicaturque & triplicatur gladius interfectorum, vt vt ſoluatur peccatum Hieruſalem: quia ſuſcepit de manu Domini duplicia peccata ſua. Gaudet autem Dominus, & exultat, & hortator eſt gladij ſæuientis: vt vadat ſiue ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram, & quocunque eum facie ſuæ tulerit appetitus, vt interfectis malis, remaneant boni, & impleatur illud quod ſcriptum eſt: Quid paleis ad frumentum, dicit Dominus *Tom.4.lib. 7.Com.in cap.21.Ezech.*

*Alius gladius ſaluatoris & alius gladius Diaboli. Ioan.13. Eſaiæ.40. Hier.32. Excommunicatio eccleſiaſtica. Gal.5. 2.Tim.4. Zach 9. Sec.70.*

ET bonum non ſit impio, & non prolonget &c.] Imprecatur malè his qui non habent timorem Dei, & optat ne diu differantur à pœna, ſed ſtatim morte ſubtracti, cruciatus recipiant, quos merentur. Simile quid & Apoſtolus loquitur: Vtinam præcidantur qui vos conturbant. Et alibi Alexander ærarius multa mihi mala oſtendit reddat illi Dominus ſecundum opera eius. *Tom.5.cap.8.Eccleſiaſtis.*

QVI ſubtrahit lapides, dolebit in eis, &c.] Voluuntur & in Zacharia ſancti lapides ſuper terram. Non enim firma in ea ſtationē conſiſtunt, ſed prætereunt, & ſemper ad altiora nitentes, hinc abire feſtinant. De his viuis lapidibus & in Apocalypſi vrbs ſaluatoris extruitur, & eccleſiam ædificari Apoſtolus non tacet. Si quis ergo hæretica arte peruerſus de Eccleſiæ ædificio iſtos abſtulerit lapides (vnde & ſignanter Aquila & Symmachus pro eo quod nos poſuimus: Qui ſubtrahit lapides, dolebit in eis, dixerunt: Qui transfert lapides, dilacerabitur in eis) poſtea tormenta patietur. Quia verò abſolutè ſcriptura ait: Qui ſubtrahit lapides, ſiue qui transfert lapides, & non adiecit, bonos ſiue malos: propterea & è contrariò intelligendum, ꝙ Eccleſiaſticus vir, Epiſcopus videlicet & presbyter, ſi iuxta mandatum Leuitici, de leproſa domo lapidem abſtulerit. in cinerem & puluerem conterendum: dolebit in eo ipſo quod de Eccleſia Chriſti lapidem auferre cogitur: dicens ſecundum Apoſtolum. Flere cum flentibus: lugere cum lugentibus. Et: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? *Tomo 5. Commenta. in cap 10. Eccleſiaſtis.*

*Apoc 21. 1.Cor.3. 1.Pet.2. Leuit 14. Excommunicatio infligitur ab eccleſia ex dolore et commiſeratione. Rom.12. 2.Cor.11.*

*Pſal.77. 3.Reg.22. Ibidem.*

NOLI timere terra, &c.] A dextris & à ſiniſtris virtutes & fortitudines Dei legimus: quas Græci δυναμεῖς vocant. A dextris Seraphim & Cherubim, cunctaſque angelicas poteſtates: à ſiniſtris contrarias fortitudines: de quibus ſcriptum eſt: Miſit in eos iram indignationis ſuæ: furorem & iram, & tribulationem, immiſsionem per angelos malos: de quibus & Micheas in Regum volumine loquitur: Vidi Dominū Deum Iſrael ſedentē ſuper thronū ſuum: & omnis exercitus cæli ſtabat iuxta eum à dextris & ſiniſtris eius. Ego puto ſiniſtrum fuiſſe ſpiritum, qui egreſſus eſt, & ſtetit coram Domino, & ait: Ego decipiam Achab, & egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Ad quam ſiniſtram & contrariam poteſtatem, quæ apta erat ad decipiendum, & exercitata ad ruinas, & multos ante deceperat, loquitur Deus: Decipies & præualebis: egredere & fac ſic. Spiritus quoque ille qui ſuffocabat Saul, de quo dixerunt ad eum pueri ſui: Ecce ſpiritus Dei malus obſtupeſcere te facit, de ſiniſtris partibus erat, qui miniſtrant Domino ad puniendos eos qui cruciari propter peccata meruerunt: Non ſolum enim homines miniſtri ſunt, & vltores iræ eius, in his qui malū operantur, & non ſine cauſa portant gladium. Sed etiam contrariæ fortitudines, quæ appellantur furor & ira Dei, quos propheta declinans ait: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Iſtiuſmodi (vt ita dicam) quæſtionarijs atque tortoribus tradidit Apoſtolus peccatorem in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fieret: de quibus & Satanas eſt, cui tradidit alios, vt diſcerent non blaſphemare. *Tom.5.Com.in cap.2.Ioelis.*

*Excommunicati traduntur ſpiritui maligno. 1.Reg.16. Rom.13. Pſal 6. 1.Cor 5. 1.Tim.1.*

ET venient omnes immolantes, &cæt.] In maxillis ſermo accipitur, qui prolatus à Domino, varia vnguenta depromit, & tanta erit boni odoris fragrantia, vt faciat ſibi Dominus flagellum de ſcripturarum textum teſtimonijs, vt eijciat de templo vendentes & ementes, & dicat ad eos: Scriptum eſt, Domus patris mei, domus orationis vocabitur cunctis gentibus:

*Flagellum de ſcripturarum textum teſtimonijs. Matt.21.*



vos autem feciſtis eam domum negotiationis. Quidam illud quod in Daniele ſcriptum eſt, licet in Hebraico non legatur: Semen Chanaan & non Iuda: & quod ab Oſee propheta de Ephraim dicitur: Participes idolorum Ephraim: poſuit ſibi ſcandala, prouocauit Chananæos, fornicantes fornicati ſunt: huic coaptant loco, & omnem fornicatorem, Chananæum & alienigenam appellari volunt, quem de domo Dei aſſerunt auferendum. *Tom.5.lib.3.Comment. in cap.14. Zachariæ.*

*Dan.13. Oſee.4. Publici peccatores de eccleſia auferendi.*

POLLVIT Chriſti myſteria indignè accipiens corpus eius & ſanguinem: pro eo quod dilexerit vitia, & adinuenerit ſibi Deos alienos: ſecundum numerum peccatorum habens numerū Deorum: iuxta Apoſtolum Paulum: Vorantium Deus venter eſt. Et ſecundum Petrum: à quo quis vincitur, ei ſubijcitur. Et qui hoc fecerit, exterminatur de Eccleſia, & de tabernaculis Iacob: qui ſupplantat vitia atque peccata, donec humilietur in bonum ſuum, & offeratur pro eo victima Domino omnipotenti. *Tomo quinto Commentariorum in cap. ſecundū Malachiæ. Fol. ducenteſimo octuageſimo primo.*

*Philip.3. 2.Pet.2. Exterminātur de eccleſia peccatores vt humilientur in bonum ſuum.*

SED hoſpitalem, &c.] Verè nunc eſt cernere quod prædictum eſt in pleriſque vrbibus, epiſcopos ſiue presbyteros ſi laicos viderint hoſpitales, amatores bonorum, inuidere, fremere, excōmunicare, de Eccleſia expellere, quaſi non liceat facere quod Epiſcopus non faciat, & tales eſſe laicos damnatio ſacerdotum ſit. Graues itaque eos habent, & quaſi ceruicibus ſuis impoſitos, vt à bono abducant opere, varijs perſecutionibus inquietant. *Tomo ſexto libro primo Com. in caput.1.ad Titum.*

*Abuſus epiſcopalis poteſtatis damnatur.*

HAERETICVM hominem poſt vnam, &c.] Propterea à ſemetipſo dicitur eſſe damnatus: quia fornicator, adulter, homicida, & cætera vitia, per ſacerdotes de Eccleſia propelluntur. Hæretici autem in ſemetipſos ſententiam ferunt, ſuo arbitrio de eccleſia recedentes: quæ receſsio, propriè conſcientiæ videtur eſſe damnatio. *Tom. ſexto libro primo Commentariorum in caput tertium ad Titum.*

*Publici peccatores per ſacerdotes de eccleſia propellūtur.*

PASCE populum tuum in virga tua, &cæt.] Hoc quod dicitur: Paſce populum tuum in virga tua: Deus pater loquitur ad filium, id eſt, ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: vt quia paſtor bonus eſt, & ponit animam ſuam pro ouibus ſuis: paſcat populum in virga ſua, & oues hæreditatis ſuæ. Ac ne putemus eoſdem eſſe populos, quos & oues: in alio loco legimus: Nos autem populus tuus, & oues paſcuæ tuæ. Populus refertur ad rationabiles quoſque, oues autem ad eos qui necdum ratione vtentes, tantum ſimplicitate contenti ſunt, & appellantur de hæreditate Dei. Tam populus quàm oues indigent virga paſtorali: de qua loquitur & Apoſtolus: Quid vultis, in virga veniam ad vos an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis? Ob hanc puto cauſam (quia populus Iſrael durę ceruicis erat, & ſemper carnes Aegyptias ſuſpirabat) vſum eſſe Moyſen non ſolum aduerſum Aegyptios, quos percuſsit decem plagis: ſed etiam aduerſus populum in ſolitudine, virga legali, virga percutiente, & omnia vaſa teſtea, & fragilia confringente: Apoſtolis autem Domini Saluatoris, qui ſapientiam loquebantur inter perfectos, virgam excuſſam eſſe de manibus: quia perfecta dilectio foras mittit timorē. Quod ſi quis nobis oppoſuerit: quomodo nunc dicatur ad Chriſtum: hoc eſt ad bonum paſtorem (qui vtique maior Apoſtolis, & melior eſt) vt vtatur virga: cum maioris profectus ſit virgam non habere, quam virga populos oueſque corripere. Reſpondebimus eis ſecundum illud quod Dominus pollicetur Apoſtolis ſuis: maiora eos ſigna in populis eſſe facturos, quàm ipſe fecerit. Et quia adhuc Dominus loquebatur ad carneum Iſrael, & necdum ad eum qui perfectè poterat noſſe myſteria: icci rco dictum eſſe de eo: vt paſcat in virga populum, & gregem ſuum: Apoſtolis autem virgam excuſſam eſſe de manibus, & ſeueritatem legis, euangelij clementia tēperatam. *Tom.5.lib.2.Comment.in caput 7.Micheæ. Fol.169.*

*Ioan.10. Pſal.78. 1.Cor.4. Seueritas legis & clementia euangelij. 1.Ioan 4. Ioan.14. Seueritas legis euangelij clementia tēperata.*

ET factum eſt verbum domini ad Zachariam, &c.] Poſſumus & ad eos referre, qui in eccleſia delinquentes, proiecti ſunt de terra confeſsionis: quia noluerunt audire Dominum, & verterunt ad eum ſcapulam recedentem, & aures ſuas aggrauauerunt, & cor poſuerunt vt Adamantem. Et facta eſt ſuper eos indignatio Domini, & diſperſi ſunt per omnia regna vitiorum, & deſolata eſt terra eorum, vel anima vel corpus, non habens habitatorem Dominum, nec in ſe ſpiritum reuertentem. Et terra quondam deſiderabilis, quę erat hoſpitium trinitatis, verſa eſt in deſertum habitationemq́; draconum. *To.5.l.2.Com. in cap.7.Zach.*

*Status eorū qui ſunt de eccleſia deiecti.*

ET erit, ſicut eratis maledictio in gentibus & cæt.] Singuli credentium, qui propter vitia eijciuntur de Eccleſia, & traduntur Sathanæ in interitum carnis, vt diſcant non blaſphemare: cum egerint pœnitentiam, reuertentur in priſtinum ſtatum, & videbunt pacem Dei, & confeſsionis ſuæ gloriam poſsidebunt. *Tom.5.lib.2.Com.in ca.8. Zachariæ.*

*Conditio reuertentium ad eccleſiam 1.Cor.5. 1.Tim.1.*

SED licet nos, &cæt.] Porrò ἀνάθεμα verbum propriè Iudæorum eſt, & poſitum tam in Ieſu Naue, quàm in Numeris: quando omnia quæ erant in Hiericho & Madianitarum, deteſtationi & anathemati habenda DOMINVS imperauit: Interrogemus eos, qui Chriſtum & Apoſtolum Paulum, boni DEI & vſque ad illud tempus ignorati, vel filium aſſerunt eſſe vel ſeruum, qui maledicere neſciat, nec nouerit aliquem condemnare: quo modo nunc Apoſtolus eius verbo, Iudæorum, id eſt, creatoris vtatur, & perire vel angelum vel Apoſtolum velit, cum ipſe non ſoleat vlciſci. Quod autem addidit: ſicut prædiximus, & nunc iterum dico, oſtendit ſe & in principio hoc ipſum cauentem denunciaſſe anathema eis, qui aliter prædicaturi erant, & non poſtquam prædicatum eſt, id anathema decernere quod ante prædixerat. Propterea autem & ſibi, quem aliud in Iudæa facere, aliud docere in gentibus criminabantur, & angelo, quem maiorem etiam præceſſoribus ſuis Apoſtolis eſſe conſtabat, anathema denunciauit. vt non magna Petri & Ioannis putaretur auctoritas: cum nec ſibi liceret qui eos ante docuerat, nec angelo aliter prædicare, quàm ſemel didicerant: Se itaque & angelum nominatim poſuit: alios verò abſque nomine. Si quis, inquit, vobis Euangelizauerit, vt in generali vocabulo, nec præceſſoribus faceret iniuriam, & tamen nomina

*Ioſu.6.7. Nu.21. Anathema denunciat Paulus falſis prophetis.*

nomina eorum latenter oſtenderet. *Tom.6.lib.1. Com.in cap.1.ad Galat.*

*Matt.5.*

TANTVM vt pauperum memores eſſemus, &cæt.] Poſſunt & alio genere pauperes accipi, de quibus in euangelio dicitur: Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Merentur quippe tales in memoria eſſe Apoſtolorum. Nec non & illi pauperes, de quibus in Salomone ſcribitur: Redemptio viri animæ, propriæ diuitiæ. Pauper verò non ſuſtinet comminationem. Non enim poteſt futurarum pœnarum audire terrorem, pauper in fide, pauper in gratia, non habens diuitias ſpirituales, nec ſcientiam ſcripturarum, quæ auro & argento, & pretioſo lapidi comparatur. Quoniam igitur non egent ſani medico, ſed hi qui malè habent, propterea & Apoſtolis in dexterarum communicatione conuenit, ne ſpernerent pauperes, ne deſpicerent peccatores: ſed ſemper meminiſſent eorum, ſicut Paulus Corinthij illius meminit: quē cum in priori epiſtola contriſtaſſet ad tempus vt corpore per pœnitentiam laborante ſpiritus ſaluus fieret, in ſecunda, ne maiori triſtitia abſorberetur, reuocat ad eccleſiam: petitque cunctos vt confirment in eum charitatem, & donent fratri, ſicut ipſe vnicuique eorum in facie Chriſti donauerit, implens pactum quod Hieroſolymis fecerat, vt ſemper pauperum recordaretur. *Tom. 6.lib.1.Com.in cap.2.ad Galat.*

*Prou.13. Sec.70.*

*1.Cor.5.*

*2.Cor.2. Pœnitentes publici ex Eccleſia eiecti tempore completo ad Eccleſiam reuocandi.*

MOAB lebes ſpei meæ.] Eſt ne credibile, vt Moab qui interpretatur diabolus, lebes ſpei Domini ſit? Quo modo ſpes Domini eſt? Dicat Apoſtolus: Quos tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare. Diabolus quaſi quæſtionarius Domini eſt. Qui non rectè ambulant ad Deum, tradũtur diabolo. Quare? Vt pereant in æternum? Et vbi clementia Dei: vbi miſericors pater: vbi eſt qui facit ſolem ſuum oriri ſuper iuſtos & peccatores, & pluit ſuper peccatores & iuſtos? Quod dicit, hoc eſt: Tradidi, inquit, peccatores diabolo, vt ab ipſo cruciati, conuertantur ad me. Dicitur & in Hieremia: Quid vides tu Hieremia? Ollam ſuccenſam, inquit. Videre ergo quoniam in iſta olla mittuntur carnes. Hoc ſcriptum eſt in Ezechiel: Et mitte, inquit, carnes in ollã, vt molles fiant. Vt dura conuertantur ad Deum, vt ex corde lapideo fiat cor carneum. Et vbi prius non poterat ſcribi propter duritiem: poſtea ſcribatur propter mollitiem. Succendam, inquit, hanc ollam, & excoquam carnes & oſſa, vſque dum amittant omnem humorem & illuuiem. Et videte poſteà, quid dicatur: Et diſcant, inquit, quia ego Dominus: Magna miſericordia, & magnum ſacramentum. Mittuntur carnes in ollam vt excoquãtur, vt diſcant quia Dominus eſt. *Tom.7.C. in Pſal.107.Fol.139.*

*1 Tim.1. Quæſtionarius Domini diabolus. Matt.5.*

*Hier.1.*

*Ezech.24.*

*A ſimili pœna ac ſupplicium & eius finis in pœnitentibus illuſtratur.*

ERVE animam meã ab impio, &c.] Oro gladium manus tuæ erue ab inimicis tuis. Inimicus enim accepit poteſtatem, vt propter peccata nos puniat. Quos tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare, ait Apoſtolus. *Tom.7.Commen. in Pſal.16. Fol.17.*

*1.Tim.1.*

IN potentatibus ſalus dexteræ eius.] Potentatibus, ſanctæ Eccleſiæ: quibus ſalus facta eſt per Chriſtum, qui eſt dextera eius, id eſt, Dei patris: quia habet Eccleſia ligandi & ſoluendi poteſtatem, & diſciplinam faciendi. Et Dominus: Ecce dedi vobis poteſtatem calcare ſuper ſerpentes, & virtutes omnes inimici. Vnde Paulus dicit: Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate? *Tom.7.Com.in Pſal.19.Fol.23.*

*Eccleſia habet poteſtatẽ diſciplinam eccleſiaſticã exercendi. Ioan. 10.*

*1.Cor.4.*

SI autem derelictus, &c.] Quod derelictores legis, iudiciorum oblitores, prophanatores iuſtificationum, mandatorumque tranſgreſſores, in virga, id eſt, in diſciplina Dei corripiantur, & miſericordia diuina non auferatur, illud oſtenditur, vt nullus ſine ſpe recuperationis ab eccleſia arceatur: quia ſicut ſeueritas diuina terret, arguente iuſtitia, ita pietas reparat, moderante clemẽtia. *Tom.7.Com.in Pſal.88.*

*γνώμη aurea.*

## *Articulus. XV. Eccleſiæ ſuum conſtare ius, vt hæreticos auxilio brachij ſæcularis redire cogat ad fidem.*

QVID loquar de Priſcilliano, qui & ſæculi gladio, & totius orbis auctoritate damnatus eſt? *Tom.2.aduerſus Pelagium ad Cteſiphontem cap.2.*

## *Articul. XVI. Hæreſes velut ſarmenta inutilia, ab Eccleſia reſcindendas eſſe, & catholicam fidem retinendam.*

*Gen 1.*

ILLAS præſtigias quis non ſtatim abijciat, atque cõtemnat, dicente Origine de aquis, quæ ſuper firmamentum ſunt? non eſſe aquas, ſed fortitudines quaſdã angelicæ poteſtatis; & rurſum aquas, quæ ſuper terram ſunt, hoc eſt, ſub firmamento, eſſe virtutes contrarias; ideſt, dæmones? Et quo modo legimus, in diluuio apertas cataractas cæli, & aquas inundaſſe diluuij? vnde aperti ſunt fontes abyſſi, & totus mundus opertus eſt aquis? O furor hominum iunctus ſtultitiæ, qui reliquerunt illud, quod in Prouerbijs dicitur: Audi fili ſermonem patris tui; & ne abijcias legem matris tuæ: & conuerſi ſunt ad errorem: & dicunt ſtulto, vt princeps ſui ſit: nec contemnunt res fatuas, quæ dicuntur à fatuo, ſicut ſcriptura teſtatur: Fatuus autem fatua loquitur, & cor eius vana intelligit. Vnde obſecro te dilectiſſime, & quaſi membris meis parcens, propter caritatem, quam in te habeo, precor ſcribens, & orans, vt impleas illud quod dicitur: Nónne odientes te, Domine, odiui, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? inimica & digna odio Origenis verba ſunt, & Deo repugnantia, & ſanctis eius: & nõ iſta ſola, quæ dixi, ſed & alia innumerabilia. neque enim nunc mihi propoſitum eſt aduerſus omnia Origenis dogmata diſputare. nihil mihi ſurripuit Origenes, nec in mea generatione fuit; nec propter aliquas res mundi, & hæreditatem, odium aduerſum illum pugnaſque ſuſcepi: ſed vt ſimpliciter fatear, doleo, & valdè doleo, vidẽs plurimos fratrum, & eorum præcipuè, qui profeſſionem habent non minimam, & in gradum quoque ſacerdotij maximum peruenerunt, eius perſuaſionibus deceptos, & peruerſiſſima doctrina cibos factos eſſe diaboli: in quibus completum eſt illud, quod dicitur: Super omnẽ munitionem ludit, & eſcæ eius electæ, & cõgregauit ſicut arenam captiuitatem. *Tom.2. Epiſt.60. ad Ioannem Hieroſolomitanum cap.3.in fine.*

*Origenis hæreſis deteſtãda.*

*Gen.7.*

*Prou.1.*

*Eſaie.32.*

*Pſal 128.*

*Hæretici odio proiequendi.*

*Origenis perſuaſionibus doctiſſimi quique decepti.*

*Habac.1.*

QVIS te hoc tempore arguit Arianum? quis tibi nunc Photini Manichæique crimen impingit? olim iſta emendata ſunt, atque concuſſa. Nõ eras tam ſtultus, vt apertè defenderes hæreſim, quam ſciebas Eccleſiæ diſplicere. Noueras te, ſi hoc feciſſes, ſtatim loco mouendum, & ſolij tui delicias ſuſpirabas, ſic ſententiam temperaſti, vt nec ſimplicibus diſpliceres, nec tuos offenderes. *Tom.2.Epiſt.61.ad Pammachium.cap 2.in fine fere.*

*Quicunque defendit hæreſim in eccleſiæ aduerſam loco mouendus eſt.*

MEMINIT beatitudo tua, quod eo tempore, quo tacebas, nunquam ab officijs meus ſermo ceſſauerit: nec conſiderauerim, quid tu pro diſpenſatione tunc faceres, ſed quid me facere conueniret, & nunc ſumptis dignationis tuæ epiſtolis, fructum aliquem cœpiſſe me video Euangelicæ lectionis. Si enim duri iudicis ſententiã crebra mulieris inflexit petitio: quanto magis paterna viſcera interpellatione ſedula molliuntur? Quòd de canonibus eccleſiaſticis mones, gratias agimus. Quem enim diligit Dominus, corripit; & flagellat omnem filium, quem recipit. Sed tu ſcito nobis nihil eſſe antiquius, quàm Chriſti iura ſeruare, nec patrum transferre terminos, ſemperque meminiſſe, Romanam fidem Apoſtolico ore laudatam: cuius ſe eſſe participem Alexandrina Eccleſia gloriatur. Super nefaria hæreſi, quod multam patientiam geris, & putas eccleſiæ viſceribus incubantes tua poſſe corrigi lenitate, multis ſanctis diſplicet: nedum paucorum pœnitentiam præſtolaris, nutrias audaciam perditorũ, & factio robuſtior fiat. *T.2.Epi.68.ad Theop.*

*Luc.18.*

*Hebr.12. Chriſti iura ſeruãda nec Patrum termini transferendi. Rom.1. Romanæ fidei laus.*

*Hæretici nõ lenitate corrigendi ſed ſeueritate.*

SANCTVS epiſcopus Agatho, cum dilectiſſimo diacono Athanaſio in Eccleſiaſtica directus eſt cauſa: quam cum didiceris, non ambigo quin noſtrum ſtudium probes, & in Eccleſiæ victoria glorieris: namque Origenis hæreſim in monaſterijs Nitriæ quidam nequam & furioſi homines ſerere & fundere cupientes, prophetica falce ſucciſi ſunt. quia recordati ſumus commonentis Apoſtoli: Argue eos ſeuerè. Feſtina igitur & tu, partem huius præmij recepturus, deceptos quoſque emendare ſermonibus. Optamus, ſi fieri poteſt, in diebus noſtris catholicam fidem, & Eccleſiæ regulas cum ſubiectis nobis populis cuſtodire, & omnes nouas ſopire doctrinas. *Tom.2.Epiſt.69.*

*Tit.2.*

*Catholica fides & eccleſiæ regulæ cuſtodiendæ.*

NVPER tuæ beatitudinis percepi ſcripta, emendantia vetus ſilentium, & me ad ſolitum officium prouocantia. vnde licet per ſanctos fratres Priſcum, & Eubulum, tuus ad nos ſermo ceſſauerit: tamen quia vidimus, illos zelo fidei concitatos, raptim Palæſtinæ luſtraſſe regiones, & diſperſos regulos vſque ad ſuas latebras perſecutos; breuiter ſcribimus, quod totus mundus exultet, & in tuis victorijs glorietur; erectumque Alexandriæ vexillum crucis, & aduerſus hæreſim trophæa fulgentia, gaudens populorum turba proſpectet. Macte virtute, macte zelo fidei, oſtendiſti quod hucuſq; taciturnitas diſpenſatio fuit, nõ conſenſus. Liberè enim reuerentiæ tuæ loquor. Dolebamus te nimium eſſe patientem; & ignorantes magiſtri gubernacula, geſtiebamus in interitum perditorum, ſed vt video exaltaſti manum diu, & ſuſpendiſti plagam, vt ferires fortius. Super ſuſceptione cuiuſdam non debes contra vrbis huius dolere pontificem: quia nihil tuis litteris pręcepiſti: & temerarium fuit de eo quod neſciebat, ferre ſententiam: tamen reor illũ nec audere, nec velle te in aliquo lędere. *Ibid. Epiſt.70.*

*Hæretici ſeuerè ſunt perſequendi.*

DVPLICEM mihi gratiam beatitudinis tuæ litteræ præſtiterunt; quod & ſanctos & venerabiles Agathonem Epiſcopum, & diaconum Athanaſium habuerint portitores, & aduerſum ſceleratiſſimam hæreſin zelum fidei demonſtrarint. Vox beatitudinis tuæ in toto orbe pertonuit; & cunctis Chriſti Eccleſijs lætantibus diaboli venena ſiluêre. Nequaquam amplius antiquus ſerpens ſibilat; ſed contortus & euiſceratus, in cauernarum tenebris deliteſcens, ſolem clarum ferre non ſuſtinet, qui quidem ſuper hac re, & antequam ſcriberes, ad occidentem epiſtolas miſeram, ex parte hæreticorum ſtrophas meæ linguæ hominibus indicans. Et diſpenſatione Dei factum puto, vt eo tempore tu quoque ad Anaſtaſium Papam ſcriberes, & noſtram, dum ignoras, ſententiam roborares. Verum à te nunc admoniti, magis ſtudium accommodabimus, vt hic & procul ſimplices ab errore reuocemus. Nec timeamus ſubire odia quorundam. non enim debemus hominibus placere, ſed Deo: quamquam ardentius ab illis defendatur hæreſis, quàm à nobis oppugnetur. Simulque obſecro, vt, ſi qua ſynodica habes, ad me dirigas; quo poſſim, tanti Pontificis auctoritate firmatus, liberius & confidentius pro Chriſto ora reſerare. Vincẽtius preſbyter antè biduum, quàm hanc Epiſtolam darẽ, de Vrbe venit, & ſuppliciter te ſalutat, crebroq; ſermone concelebrat Romam, & totam Italiam. tuis poſt Chriſtum epiſtolis liberatam. Adnitere ergo Papa amantiſſime atque beatiſſime, & per omnem occaſionem ad occidentales epiſcopos ſcribe, vt mala germina acuta, vt ipſe ſignificas, ſuccidere falce non ceſſent. *Ibidem Epiſt.71.*

*Zelus fidei aduerſus hæreſes.*

*Odia hæreticorum contemnenda.*

*Synodica petit.*

DIDICI, quod & ſanctitas tua nouerit Theodorum monachum; eiuſque ſtudium comprobaui, quia cum à nobis Romam nauigaturus exiret, noluit ante proficiſci, niſi te, & ſanctos fratres, qui tecum ſunt in monaſterio, quaſi ſua viſcera amplexaretur, & inuiſeret. Quem cum ſuſceperis; pro Eccleſiæ tranquillitate lætare. vidit enim cuncta Nitriæ monaſteria, & referre poteſt continentiam & manſuetudinem monachorum; quo modo extinctis & fugatis Origenis ſectatoribus, pax Eccleſiæ reddita ſit, & diſciplina Domini conſeruetur. Atque vtinam apud vos quoque deponerent hypocriſim, qui occultè dicuntur ſubruere veritatem. de quibus non benè ſentientes, in ijs regionibus fratres, hæc me ſcribere prouocarunt. Quamobrem cauete, et effugite huiuſcemodi homines, iuxta quod ſcriptum eſt: Si quis non affert ad vos Eccleſiaſticam fidem, huic nec aue dixeritis. Quamquam ex ſuperfluo faciam, hæc tibi ſcribere, qui errantes potes ab errore reuocare: tamen nihil nocet & prudentes & eruditos viros pro ſolicitudine fidei commoneri. Omnes fratres, qui tecũ ſunt, nomine meo ſalutari volo. *Ibidem Epiſt.72.*

*Origeniſtis extinctis pax eccleſijs reddita.*

*2.Ioan.2.*

GENERALIS epiſtola, quæ ad omnes catholicos ſcripta eſt, ad te propriè pertinet, qui zelũ fidei aduerſus cunctas hæreſes habens, Origenis propriè, & Apollinarij diſcipulis aduerſaris: quorum venenatas radices, & in altum defixam impietatem, omnipotens Deus protraxit in medium; Vt in Alexandria proditæ, in toto orbe areſcerent. Scito enim, fili cariſſime, Amelech vſque ad ſtirpem eſſe deletum, & in monte Raphidim erectum trophæum crucis. Etenim quo modo, porrectis in altum Moyſi manibus,

*Theophili laus ob extinctam hæreſim Origeniſtarũ*

*Exod.17.*

bus, vincebat Iſrael: ſic Dominus confortauit famulum ſuum Theophilum: vt ſuper altare Eccleſiæ Alexandrinæ contra Origenem vexillum poneret: & impleretur in eo, quod dicitur: Scribe ſignum hoc: quia delebo funditus Origenis hæreſim à facie terræ: cum ipſo Amalech. Et ne videar eadem rurſus iterare, & prolixiorem epiſtolam texere; ipſam ad vos ſcriptam direxi: vt ſcire poſsitis, quæ nobis ſcripſerit; & quantum boni vltimæ ætati meæ conceſſerit Dominus; vt quod ſemper clamabam, tanti Pontificis teſtimonio probaretur. Iam autem puto & te aliquid operis edidiſſe, & iuxta priorem epiſtolam, qua te ſuper hac re fueram cohortatus, elimaſſe librum quem tuæ linguæ homines legant audio enim & ad occidentem quorundam hominum naufragia perueniſſe: qui non contenti perditione ſua, volunt plures mortis habere participes: quaſi multitudo peccantiū ſcelus imminuat: & non, numeroſitate lignorum, maior gehennæ flamma ſuccreſcat. Sanctos fratres, qui tecum ſunt in monaſterio Domino ſeruientes, & tecum, & per te plurimum ſalutamus. *Ibid. Epiſt. 73.*

*Multitudo peccantium hæreticorum non parit errori patrocinium.*

## *Articul. XVII. Eccleſia collecta ſanguine Chriſti ex vtroque populo gentium & Iudæorum.*

SICVT ouis ad occiſionem ducetur, &c.] Propter ſcelus populi mei percuſsit eos: Siue iuxta LXX. ἀπὸ τῶν ἀνομιῶν τοῦ λαοῦ μου ἤχθη εἰς θάνατον, id eſt, ab iniquitatibus populi mei ductus eſt ad mortem. Duplicem ſenſum habet. Aut enim perſecutores, & ſceleratos populi ſui, ſua morte percuſsit. Aut propter magnitudinem peccatorū populi, quē ſemper peculiarē habuit, duct⁹ ad mortē eſt: vt illos ad vitā ſua morte reuocaret. Ipſe dedit impios, pro ſepultura ſua, & diuitem, pro morte ſua: Siue peſsimos pro ſepultura eius, & diuites, pro morte eius: vtrumque populum ſignificans: vt in malis & peſsimis qui ante Dei notitiam non habebant, ordinatur gentium multitudo: in diuitibus, quorum erat teſtamentum & legiſlatio, & prophetę, Iudaicus populus demonſtretur. Ergo iccirco paſſus eſt Dominus, & ſepultus, vt ex vtroque populo ſibi eccleſiam congregaret. *Tom. 4. lib. 14. Com. in cap. 53. Eſaiæ.*

*Paſſus Chriſtus vt ex vtroque populo ſibi eccleſiam congregaret.*

*Rom. 9.*

LABORAVI ſuſtinēs. Quia igitur laborauit, videbit eccleſias in toto orbe conſurgere, & earū ſaturabitur fide. *Ibid.*

*Eſaiæ. 2.*

## *Artic. XVIII. Eccleſia apoſtolica prima vt & hodierna Concordiam conſeruauit in dogmatibus.*

RECEDITE, recedite, &c.] Præuium Apoſtoli habebant Dominum, qui congregaret eos, Deum Iſrael, hoc eſt, de orbe terrarum vnum gregem faceret, vt impleretur illud quod Dominus in euangelio ad patrem loquitur: Da vt ſicut ego & tu vnum ſumus, ſic & iſti in nobis vnum ſint: vt eodem ſenſu, & eadem ſententia, repugnantia inter ſe vitia, atque contraria deſerentes, vnam apprehenderent ſolamque virtutem. *Tom. quarto libro 14. Commentariorum in caput 52. Eſaiæ.*

*Concordia eccleſiæ.*

IDEO diſpertiam ei plurimos, &c.] Prædam fortium Apoſtolis ſuis tradidit, atque diuiſit, vt Petrus, Iacobus, & Ioannes circūciſi populi principes fierent, & Paulus, & Barnabas mitterentur ad gentes, locis non animo ſeparati, & ſub vno Domino in diuerſa ſtarent acie, vt agminis vtriuſque victoria, triumphum erigerent Saluatori. Ex quo qui diſpēſatoriam inter Petrum, & Paulum contentionem, verè dicunt iurgiū fuiſſe, atque certamen, vt blaſphemanti Porphyrio ſatiſfaciant, & veteris legis ceremonias in Eccleſia Chriſti, à ſtirpe credentis Iſrael aſſerunt eſſe ſeruādas, debent & auream in mille annis expectare Hieruſalem: vt victimas immolent, & circuncidantur: vt in ſabbato ſedeant, dormiant, ſaturentur, inebrientur, & ſurgant ludere, qui ludus offendit Deum. *Ibidem. cap. 53. Fol. 173.*

*Galat. 2.* *Apoſtoli locis & non animo ſeparati ſub vno Domino in diuerſa ſteterunt acie.* *Ibidem.* *Ex abſurdo probat inter Petrum & Paulum non fuiſſe verum iurgium.* *Exod. 32.*

IN die illa erit tumultus Domini &c.] Nos cœptum ſequentes ordinem, omnia iſta referamus ad Eccleſiæ beatitudinem: quod cuncti, qui in ea fuerint, admirentur ſubiectionem hoſtiū, & ſuam fœlicitatem, & vnuſquiſque apprehendat manum proximi ſui, vt conſerant dextras, & mutua fide ac neceſsitudine copulentur: *Tom. 5. lib. 3. Com. in cap. 14. Zachariæ.*

*Mutua fide & neceſsitudine in eccleſia membra copulātur.*

PAVLVS vinctus Ieſu Chriſti, &c.] Legimus in actibus, quòd Sanctus ſpiritus Antiochiæ dixerit: Separate mihi Barnabam & Saulū in opus ad ꝙ aſſumpſi eos. Tunc ieiunātes, & orātes, imponenteſque eis manus, dimiſerunt illos. Qui cum Seleuciam Syriæ deſcendiſſent, & nauigantes Salaminam Cypri, quæ nunc Conſtantia dicitur, perueniſſent: haberentque ſecum in miniſterio Ioannem (propter quem poſtea ædificatorium Eccleſię iurgium concitatum eſt) et omni inſula peragrata, Paphum vſque veniſſent: inuenerunt quendā pſeudoprophetam nomine Bar Ieſu cum proconſule Sergio Paulo viro prudente. *Tom. 5. lib. 1. Com. in cap. 1. ad Philemonem.*

*Actor. 13.* *Inter Paulū & Barnabā ædificatoriū eccleſiæ iurgium.* *Ibidem.*

## *Articulus. XIX. De Repudio Synagogæ, eiuſdemq́ doctrinæ ſterilitate atque inopia poſt necem Saluatoris, & de iuſta ſynagogæ reprobatione, gentiumque vocatione, ac tandem reliquiarum Iudaiſmi & gentium, ideſt, vtriuſque populi in vnam fidem Chriſti coagmentatione.*

IN hac Aaron & Maria, propter Aethiopiſſam contra Moyſen murmurant: & in typum zeli, aduerſus Eccleſiam de gentibus congregatā, populus Iudęorum leprę ſorde perfunditur: nec redit ad tabernaculum, & priſtinam recipit ſanitatem, donec ſtatutum plenitudinis gentium tēpus impleatur. *Tom. 3. Epiſtol. 127. ad Fabiolam, manſione. 14.*

*Nume. 12.* *Maria leproſa ſoror Moyſi typus ſynagogæ.*

SVCCEDIT Deuteronomium ſecunda lex, meditatorium euangelij, ibique breuiter diſcimus, quæ inter Pharam, & Tophel, & Laban, & Hazeroth, & loca aurea, abiecto Iuda infeliciſsimo, vndecim dierum via de Horeb, per viam montis Seir, vſq; ad Cades barne Moyſes populo ſit locutus; & extremum canat canticum, in quo apertiſsimè ſynagoga proijcitur, & Eccleſia Domino copulatur. Impinguatus eſt, & incraſſatus, ac dilatatus, & recalcitrauit dilectus, & oblitus

*Deut. 1. et inde.* *Deuteronomium meditatorium euangelij.* *Deut. 32.*





eſt Dei Saluatoris ſui. Et iterum: Generatio peſſima: filij ineruditi, ipſi ad æmulationem me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus. Irritauerunt me in ſculptilibus ſuis: & ego zelare hos faciam nationes, & contra gentem ſtultam irritabo eos. Benedicuntur filij Iſrael. Et rurſus in Symeone Iudas miſerandus excluditur. *Tom. 3. Epiſt. 127. ad Fabiolam manſione 42.*

*In Moyſis Cantico ſynagoga proijcitur, Eccleſia Domino copulatur.* *Hier. 5.* *Deut. 33.*

ECCLESIA enim de gentibus, quæ non habebat prius legem, & Prophetas, peperit in domo ſynagogæ. Nec egreſſa eſt cubiculo, ſed ingreſſa. *Tom. 3. Epiſt. 131. ad Ruffinum.*

*Eccleſia gētium ingreſſa in locum ſynagogæ.*

INTERROGEMVS Iudæos, quæ ſit iſta filia, ad quam loquitur Deus: non dubito quin ſynagogam reſpondeant. Et quo modo dicitur ſynagogæ & Iſraëlitico populo: dimitte populum tuum, & domum patris tui? Nunquid derelinquet gentem Hebræam, & Abraham antiquum patrē? Si dixerint, de vocatione ſignificari Abraham, qua Chaldæos reliquerit: quis eſt iſte rex, qui amaturus eſt decorem Abraham? Certè alius eſt, qui loquitur: Audi filia: & alius, de quo loquitur: Concupiſcet rex decorem tuū: Qui alius, nō ſolum rex, ſed & Dominus & Deus eſt, qui adorandus eſt. Filia Tyri, in muneribus vultum tuum deprecabūtur diuites plebis. In Hebræo eſt: ô filia fortiſsimi, in muneribus faciem tuam deprecabuntur diuites populi. Verbum Hebraicū ſor צר, quod in Ezechiele iuxta Septuaginta legim⁹, interpretari poteſt & Tyrus, & tribulatio, & fortiſsimus, ſiue fortiſsima, & ſilex, id eſt, lapis duriſsimus. vnde in præſenti loco error ortus eſt. Aquila enim, & Septuaginta, & Theodotion, & Quinta editio, Titum interpretati ſunt: Sexta verbum Hebraicum poſuit ſor צר: Symmachus κρατίςην, id eſt, fortiſsimam, nos idipſum ad Deum retulerimus: vt illa, cui ſupra dixerat, Audi filia, & vide; filia fortiſsimi nūcupetur; aut certè ipſa fortiſsima ſit, quia imitata eſt fortem patrem, cuius vultum in diuerſis muneribus deprecabuntur diuites plebis. Diuites in cunctis operibus bonis, & ſcientia: ſiue qui diuites putantur in hoc ſęculo, ſapientes huius mūdi, & philoſophorum diſciplinis eruditi. Vel, quod melius eſt, qui antea diuites fuerant, habentes eloquia Dei, & teſtamenta, & Prophetas, id eſt, de populo Iſrael. Vt enim ante Saluatoris aduentū ij, qui de Tyro erant, hoc eſt de populo gentiū, & proſelyti eſſe cupiebāt, deprecabantur diuitem populum Iſrael, & per eos introducebātur in templū: ſic poſt aduentum Domini, quicunque ex Iſrael credere voluerint, diuites quondam familiaritate & protectione Dei venientes ad filiam Tyri; & offerentes varia dona virtutum, & confeſsionis in Chriſtum, deprecabuntur eam, vt ſalutem, quam perdiderunt in Iudæa, inueniant in gentibus. *Tomo tertio Epiſtola. 140. ad Principiam. Folio. 397.*

*Ezech. 27.* *Rom. 3.* *Salus in Iudæa perdita in gentibus inuenitur.*

LEGI & cuiuſdam librum, & elegantem in eo ſenſum reperi, excuſſos Iudæos dici à templo, & lege & gratia Domini, pro eo ꝙ eſt reprobos; & eorum eſſe filios Apoſtolos, qui ex ipſorum ſemine procreentur, & in ſimilitudinem ſagittarum manu Domini contineantur. *Tom. 3. Epiſt. 141. ad Marcellam. in fine fere.*

*Iudæi cur excuſſi dicātur.*

ET vocauit vnum de pueris, & interrogauit quidnam eſſent hæc. & nunc interrogat Iſrael, quare Deus in gentium aſſumptione lætetur; & æmulatione cruciatus, paternam ſcire non poteſt voluntatem. Qui ait illi: quoniam frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum ſaginatum quoniam incolumen illum recepit. Cauſa lætitiæ, quod pari in Dei laudes toto orbe voce concinitur, ſalus eſt gentium ſalus eſt peccatorum: lætantur angeli, omnis in gaudium creatura conſentit, & de ſolo dicitur Iſrael: Iratus autem noluit intrare. Iraſcitur ſe abſente fratrem eſſe ſuſceptum: iraſcitur eum viuere quem putabant extinctum: & nunc foris ſtat Iſraël, & nunc diſcipulis euangelia in Eccleſia audientibus, mater eius & fratres foris ſtant quærentes eū. Egreſſus autem pater illius cœpit rogare eum. Quam benignus, & clemens pater, rogat filium, vt lætitiæ domus particeps fiat, rogat autem pater per Apoſtolos, rogat per euangelij prædicatores. E quibus Paulus ait: Precamur pro Chriſto, reconciliamini Deo. Et alibi: Vobis oportebat primū annunciare verbum Dei: ſed quia repuliſtis illud, & indignos vos iudicaſtis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. *Tom. 3. Epiſtol. 146. ad Damaſum.*

*Filius prodigus typus vocationis gentium.* *Matt. 12.* *Actor. 13.*

PORRÒ, ſecundum litteram, nulli violentū eſſe videatur, mortuo Saluatore appellari Hieruſalem ſanctam ciuitatem: cum vſque ad deſtructionem eius ſemper Apoſtoli templum ingreſſi ſint, & ob ſcandalum eorum, qui de Iudæis crediderant, legis exercuerint cæremonias. Intantum autem Hieruſalem amauit Dominus, vt fleret eam, & plangeret, & pendens in cruce loqueretur: Pater ignoſce illis: quod enim faciunt neſciunt. Itaque impetrauit, quod petierat: multaque ſtatim de Iudæis millia crediderunt, & vſque ad quadrageſimum ſecundum annum datum eſt eis tempus pœnitentiæ. Poſt quos perſeuerantibus illis in malitia, egreſſi ſunt duo vrſi de ſiluis gentium Romanorum, Veſpaſianus, & Titus, & blaſphemantes pueros, aſcendente vero Eliſeo in domum Dei, (hoc enim interpretatur Bethel.) voce conſona illudentes interfecerunt, atque lacerauerunt: & ex eo tempore Hieruſalem non appellatur ciuitas ſancta, ſed ſanctitatem & priſtinum nomen amittens, ſpiritualiter vocatur Sodoma, & Aegyptus: vt ædificetur pro ea ciuitas noua, ꝙ fluminis impetus lætificat, & de cuius medio egreditur fons, qui totius orbis amaritudinē mitigauit: vt miſerabilis Iſrael ruinas tēpli nudatis plangat lacertis: & in Chriſto turba credentium, noua quotidie videat Eccleſiæ tecta conſurgere; & dicat Sion: Anguſtus mihi locus eſt; impleaturque illud, quod in Eſaia ſcriptum eſt: Et erit ſepulcrum eius inclytum. *Tom. tertio Epiſtol. 150. ad Hedibiam quæſtione octaua in fine.*

*Matt. 27.* *Actor. 2. 3.* *Luc. 19. 23.* *Actor. 2.* *4. Reg. 2.* *Quando Hieruſalem ſāctitatem & priſtinum nomen amiſerit.* *Apoc. 11.* *Pſal. 45.* *In locum ſynagogæ ſuccedit Eccleſia gentium.* *Eſaiæ. 11.*

IVDAEI iuxta vocationis ordinem primi fuerunt & appellabantur caput: nos ſecundi qui dicebamur cauda, verſi ſumus in caput, & Dei appellamur filij. Quotquot enim receperunt eū, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 1. Eſaiæ.*

*Cauda verſa in caput.* *Ioan. 1.*

COGNOVIT bos poſſeſsorem ſuū, &c.] Bos iuxta anagogen refertur ad Iſrael, qui legis portauit iugum, & mundum animal eſt. Aſinus peccatorum onere prægrauatus, gentiū populus accipitur: cui Dominus loquebatur: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Phariſęis ergo & Scribis non credētibus,

*Per Anagogen ſub typo animalium deſignatur repudium Iudæorum, et vocatio gentium.* *Matt. 11.*

qui habebant legis clauem atque notitiam, & verè appellabantur Iſrael, id eſt, mens videns Deum: credidit pars populi Iudæorum, vt vna die tria millia ſimul crederent, & alia die quinque millia. Sapientibus quoque ſæculi non recipientibus crucē Chriſti, indocta nationum turba ſuſcepit. Vnde & Apoſtolus loquebatur: Videte vocationem veſtram: quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit DEVS, vt confundat ſapientes: & quæ infirma ſunt mundi elegit DEVS, vt confundat fortia. *Ibidem.*

*Act. 2. et 4. 1. Cor. 1.*

ET commota ſunt ſuperliminaria &c.] Clamantibus Seraphim, & in tota terra trinitatis myſterium prædicantibus, quam paſsionem Domini Saluatoris terra vniuerſa cognouit, ſtatim commotum eſt, ſiue ſublatum liminare templi, & omnes illius cardines conciderunt, impleta Saluatoris comminatione dicentis. Relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Et quam pulcher ordo verborum: Poſtquam terra repleta eſt gloria Domini Sabaoth. Iudæorum templum impletum eſt ignorantiæ tenebris, & caligine, & fumo, qui noxius eſt oculis. *Tom. 4. lib. 3. Comment. in cap. 6. Eſaiæ.*

*Matt. 23. Pulchro ordine impleta eccleſia gloria Domini templum Iudæorum repletur ignorantiæ tenebris.*

LEGISSE me noui in his locis latiſsimam & inextricabilem tropologiam: quod vniuerſa, quæ iuxta hiſtoriam diſſeruimus, ſpiritualiter Iudæis acciderint, vix vnam habentibus vaccam & duas oues, mūda videlicet animalia: vt nequaquam ſolido cibo, ſed lacte nutriantur infantie: & comedant mella verborum, quæ deſtillant de labijs mulieris meretricis: & vinum non habeant, quod lætificat cor hominis: ſed omnia eorum opera redigantur in ſpinas: & vulnerentur ab aduerſarijs, qui percutiunt in obſcuro rectos corde. Quod ſi quando voluerint altius quippiam ſapere, & nimio labore ſudantes de ſcripturis ſanctis myſticum aliquid inuenire: nihilominus fruges non afferant doctrinæ, ſed vepribus compleantur & ſpinis, quæ oriuntur in manibus ebrij. Et nequaquam terra eorum atque doctrina ab hominibus, rationalibus animantibus: ſed à bobus; quorum Deus curam nō habet: & à brutis animalibus conculcetur. *Tom. 4. lib. 3. Com. in c. 7. Eſaiæ. in fine.*

*Hebr. 5. Prou. 5. Infœlicitas et inopia ſynagogæ. Pſal. 10. Pro. 26. 1. Cor. 9.*

IN Domino Deo forti in perpetuum, &cæt.] Ipſe ciuitatem ſublimem humiliabit, vt Iudæi putant Romam, vt nos rectius eſſe cōuincimus Hieruſalem, quæ occidit prophetas, & lapidauit eos qui ad ſe miſsi erant, & ad extremum patris familias interfecit filium, vt hærede iugulato periret hæreditas. Nec vocatur ciuitas, quæ Hebraicè dicitur ir, ſed kiria, quam Aquila πολίχνην interpretatus eſt: et quam nos, vel ciuitatulam, vel viculum, vel oppidulum poſſumus dicere: & frequenter in ſcripturis hoc nomine appellatur Hieruſalem. Pulchreque duplicem humilitatē poſuit: Humiliabit, humiliabit eam: primū ſub Babylonijs, quando templum deſtructum eſt; ſecundo ſub Tito, & Veſpaſiano, cuius ruina vſq; in finem permanet. *Tom. 4. lib. 8. Commentariorū in cap. 26. Eſaiæ.*

*Ioan. 8. Matt. 23. Hieruſalem bis humiliata eſt.*

INDIGNATIO non eſt mihi, &c.] Iuxta LXX hic eſt ſenſus, vt ex perſona accipiamus eccleſiæ. Ego ciuitas firma, ciuitas multis vallata hoſtibus, quæ fruſtra dedi pocula inimicæ meæ ſynagogæ. Capietur enim nocte, & corruet murus eius, nullaque erit de aduerſarijs poteſtatibus, quæ non apprehendet eam. Rurſum loquar: Quid mihi prodeſt cuſtodire eam: quæ ſtipulam in ſe habeat non frumenta: quæ ita inculta eſt, vt veprium plena ſit & ſpinarum, quam ſaluare volui? Sed quia hoſtiliter mecum agit, receſsi ab ea. Dixeruntq́, in me, & ex me nati Apoſtoli: Vobis quidem oportebat primum loqui verbum Dei: ſed quoniā repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Iccirco faciet Dominus quod minatus eſt, vt omnes in ea ardeant Romano igne circundati: Vel certè ardeant vitijs atque peccatis, ne poſsint ardentia diaboli iacula reſtringuere. Omnes enim adulterantes, quaſi clibanus corda eorum. Et illi qui prius habitabant in ea, poſtquam clamauerint, capta eſt ciuitas, atque ſuccenſa, dimittent eam, & reconciliantes mundum Deo, dicent: Faciamus pacem illi, pacem faciamus ei: hoc eſt, Chriſto, ſemper ſcribentes in epiſtolis ſuis. Gratia vobiſcum, & pax à Deo patre, & Chriſto Ieſu Domino noſtro. De quibus in hoc eodem propheta legimus: Quam ſpecioſi pedes euangelizātium pacem. *Tom. 4. lib. 7. Commentariorum in caput 27 Eſaiæ.*

*Sterilitas ſynagogæ. Actor. 13. Eph. 6. Oſee. 7. 1. Cor. 1. Infra. 52.*

MVLIERES opulentæ, ſurgite, &c.] Nunc alijs verbis idipſum repetit, quod ſolitudo gentium vertatur in diuitias Iſrael, & Iſrael reputetur in gentes: quo tempore habitauerit in deſerto iudicium, Dominus atque Saluator: cui pater dedit omne iudicium. Et iuſtitia in Charmel requieſcet: de qua ſupra dictum eſt: Et erit in Charmel deſertum: quod iudicium atque iuſtitia habitet in deſerto, & requieſcat in Charmel, qui prius appellabatur deſertum. Opus quoque iuſtitiæ erit pax: quæ, iuxta Apoſtolum, omnem ſenſum exuperat. Et cultus iuſtitiæ ſilentium, vt non multiloquio Iudæorum, ſed breuitate fidei adorent DOMINVM: & ſecuri æterna pace requieſcant: & in tabernaculis eorum ſunt diuitiæ, de quibus Apoſtolus loquebatur: Gratias ago DEO meo per Ieſum CHRISTVM quoniam in omnibus diuites facti eſtis in eo, in omni verbo, & in omni ſcientia. Cum autem populus Chriſtianus ſederit, vel habitauerit in pulchritudine, ſiue vt LXX. tranſtulerunt ἐν πόλεις ἐρήνης, id eſt, in ciuitate pacis: haud dubium quin in Eccleſia: tunc grando atque tempeſtas, & DOMINI ira deſæuiens, deſcendent in ſaltum: de quo ſupra dictum eſt: Et Charmel in ſaltum reputabitur: & humiliabitur ciuitas Hieruſalem, & iuxta aliam ſcripturam, de terra loquetur. Quæ cum ita ſe habeant, & didicerimus vaticinio prophetali, quanta bona Eccleſia poſſeſſura ſit: & quanta mala paſſura ſit Hieruſalem: Beati eſtis Apoſtoli, cæteriq́ue doctores, qui ſeminatis ſuper omnes aquas ſcripturæ ſanctæ, in quibus calcat bos & aſinus. Bos mundum animal, propter electionem patrum: aſinus immundus, propter idololatriam quondam gentilium: vt & de circunciſione, & de præputio eccleſia DOMINI congregetur. Quod ſupra iuxta Septuaginta dicitur ὥπερ γιῶ τοῦ λαοῦ μου ἄκανθα καὶ χόρτος ἀνασθήσεται, id eſt, ſuper terram populi mei ſpinæ & fœnum aſcendet, referri poteſt, & ad hæreticos, & ad ſimplices

*Ioan. 5. Quanta bona eccleſia ſit poſſeſſura & quanta mala ſit paſſura ſynagoga. Philip. 4. 1. Cor. 1. Sap. 29.*



ces quoſque credentium, qui non ita ſcripturam intelligunt ſanctam, vt illius conuenit maieſtati. Vnde ſingula ſingulis coaptauimus, vt terra populi Dei, hæreticis ſpinas, imperitis quibuſq; eccleſiæ ſenum afferat. *Tom. 4. lib. 10. Commentario. in cap. 32. Eſaiæ.*

*Scriptura hæreticis ſpinas profert.*

LAETABITVR deſerta & inuia, &cætera.] Omnis cultus DEI, & circunciſionis ſcientia, & loca vberrima atque campeſtria, quæ appellantur Sarai, (pro quibus Symmachus interpretatus eſt campos) dabuntur deſertæ quondam Eccleſiæ: & habitatores illius videbunt gloriam Domini, & decorem, ſiue altitudinem Dei noſtri. *Tomo quarto libro decimo Commentariorum in cap. 35. Eſaiæ.*

*Quicquid boni fuit vnquā in ſynagoga id eſt, tranſlatum in eccleſiam.*

HAEC dicit Dominus redemptor, &cæter.] Chriſtus bonus paſtor, poſuit animā ſuam pro ouibus ſuis, & contempſit eam, qui abominationi eſt genti Iudæorum, cui ter per ſingulos dies ſub nomine Nazarenorum maledicunt in ſynagogis ſuis. *Tomo quarto lib. 13. Commentarior. in ca. 49. Eſaiæ.*

*Ioan. 10. Iudæi Chriſto ſub nomine Nazarenorum ter per ſingulos dies maledicunt in ſuis ſynagogis.*

QVIA hæc, &cæt.] Propter vos ſemper nomen meum blaſphematur in gentibus. Et ſciendum quod, in gentibus, non habeatur in Hebræo: ſed abſolutè, nomen meum iugiter blaſphematur: vt ſubaudiatur, in ſynagogis veſtris, qui diebus ac noctibus blaſphemant Saluatoré. Et ſub nomine, vt ſæpè dixi, Nazarenorum ter in die in Chriſtianos congerunt maledicta. *Tom. quarto libro decimo quarto Commentariorum. in cap. 52. Eſaiæ.*

ECCE accola veniet &c.] Nos iuxta cœptam interpretationem ad Eccleſiam referimus: quæ per Apoſtolos ex vtroque populo congregata eſt: quæ non habet maculam, neque rugam: quæ libera eſt, & mater omnium credentium. Ad quos proſelytos & aduenas congregandos, miſit DOMINVS diſcipulos ſuos, dicens: Docete omnes gentes: vt confugiant ad euangelium, & nouam legem ſuſcipiant: vt habitatores quondam idololatriæ fiant coloni Eccleſiæ. De quibus, & in Pſalmis dicitur: Dominus illuminat cæcos: Dominus diligit aduenas: vt poſtquam cæci lumen receperint veritatis, & ſtulti ſapientiam didicerint, tunc ad Eccleſiam tranſeuntes diligantur à Domino: Et audiant per prophetam: Vocabo non populum meum, populum meum: quo intrante templum Dei, zelus apprehendit populum ineruditum. *Tomo quarto libro decimo quinto Commentariorum in cap. quinquageſimū quartum Eſaiæ.*

*Galat. 4. Mat. vlt. Pſal. 145. Gentes ad eccleſiam tranſeuntes, diliguntur à Domino. Oſee. 2. Rom. 11.*

ET erit in die illa, &cætera.] Poſtquam reliquiæ Syriæ fuerint, ſicut quondam fuerat gloria filiorum Iſrael, & delicto eorum ſalus gentibus data: tunc attenuabitur omnis gloria Iudæorum, qua glorioſi erant in vniuerſo orbe. & pingues carnes eorum tabeſcent: non habentium prophetas, non ſigna atque virtutes, non præſens auxilium Dei, non ſacerdotij dignitatem: ſed omne corpus gentis eorum emarceſcet: & redigetur ad nihili. Cumque dicatur de vocatione gentium: Meſsis multa; operarij autem pauci: illi pauperes, meſsis reliquias, quæ per Apoſtolos ſaluatæ ſunt, & rariſsimas ſpicas legent, non de montibus & erectis locis, ſed in valle Raphaim, id eſt, in litteræ vilitate. Et conſidera quod Raphaim, qui gigantes interpretantur, ſicut ſupra Ephraim, Phariſæos ſcribaſque ſignificet. Denique LXX. pro valle Raphaim φάραγγα στερεὰν id eſt, vallem duram interpretati ſunt: vt duritiam cordis Iudaici exprimerent. De quorum humilitate eliguntur quaſi in ſtipula ſpicę, & quaſi in vindemia racemi, qui ſaluati fuerint: & ſicut excuſsio oliuæ, duarum, aut trium oliuarum, ſiue quatuor, aut quinq;. Quando enim venit percuſsio Iudæorum populi, oliua illa populi Iſrael, quæ ſub Moyſe ſexcenta millia habuit armatorum, & ſub Dauid, numerante Ioab, innumerabilem populum, vix paucos fructus offerre potuit Domino Saluatori; duas oliuas, Paulum, & Barnabam; & tres oliuas, Petrum & Iacobum, & Ioannem qui & in monte transfiguratum Dominum conſpexerunt: & ad archiſynagogi filiam ire cum Domino meruerunt. Quatuor autem & quinque oliuæ, reliquos nouem faciunt Apoſtolos: in quibus Iudæ proditoris locum Matthias obtinuit, qui vtique pro diuerſitate gratiarum, quæ nobis ignota eſt: in quatuor & quinque oliuas ſeparati ſunt: vt euangeliorū numerum, & legis in ſe volumina demonſtrarēt, quaſi prædicatores vtriuſque inſtrumenti. *Tomo quartò libro ſeptimo Commentariorum in caput ſeptimum Eſaiæ.*

*Gloria Iudæorum marceſcet. id in ſpecie oſtenditur. Matt. 9. Reliquiæ Iudæorum ſaluandæ.* מיאיף

*Nume. 26. 2. Reg. 24. Acto. 1. Matt. 17. Marc. 5. Actor. 1. Apoſtoli nouem poſteriores euangeliorum numerum & legis in ſe volumina demonſtrant.*

IN die illa inclinabitur homo &c.] In illo tēpore quando de populo Iſrael, cui prius dicebatur: Oliuam fructiferam vocauit te Dominus Deus tuus: & de qua in Pſalmis legimus: Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ: pro ſiccitate gratiæ ſpiritualis, vix duas oliuas, & tres aut quattuor, aut quinque Dominus eſuriens repererit, ſubintrabit gentium plenitudo: nequaquam ad idola manufacta; ſed ad Deum ſuum inclinabitur: et reſpicient ſanctum Iſrael: & aras, lucoſque, ac delubra contemnent: ſcientes illud ſcriptum: Omnis plantatio, quam non plantauit cœleſtis pater, eradicabitur *Ibidem.*

*Hier. 11. Pſal. 127. Repudiata ſynagoga introducitur gentium multitudo. Matt. 15.*

IN die illa erunt, &cæt.] Quomodo ſub Moyſe & Ieſu filio Naue Amorræi & Euæi, ſiue cæteræ gentes, quæ habitabant in terra repromiſsonis, dereliquerunt vomeres & ſegetes, & aceruos in agris, atque fugerunt, ne ab hoſtibus occuparentur: ſic terra Iudæa & omnes vrbes illius robuſtiſsimæ, Romanis Iudæam vaſtantibus & obſidentibus Hieruſalem, à ſuis habitatoribus derelictæ ſunt. Et ſit Apoſtropha ad ipſam terram Iudææ, id eſt, ad eos qui habitabant in illa. Hæc autem vniuerſa perpeſſa es: quia oblita es DEI Saluatoris tui, qui interpretatur Ieſus, quem tibi venturum lex, & prophetæ iugiter nunciabant: & fortis adiutoris tui, qui tuus ſemper opitulator fuit, non es recordata. Cauſa ergo deſertarum vrbium Iudææ, obliuio Saluatoris eſt, qui in principio huius prophetæ dixerat; Iſrael me non cognouit, & populus meus non intellexit. *Ibidem.*

*Cauſa Repudij iudaici.*

PROPTEREA plantabis plantationem, &c.] Pro eo quod nos iuxta Aquilam & Symmachum & LXX. interpretati ſumus in die hæreditatis, quod Hebraicè dicitur beiom nahala, legi poteſt in Hebraico, in die peſsima, & pro eo quòd Aquila & Theodotio interp̄tati ſunt, & dolebit נחלת ביום

homo, nos docti ab Hebræis, pro homine qui lingua eorum dicitur, enos interpretati ſumus Anous, ideſt, grauiter. De cuius verbi ambiguitate ſi vitæ huius ſpatium fuerit, in Hieremia plenius differemus, vbi iuxta L x x. dicitur. Et homo eſt, & quis cognoſcet eum? Dicam ergo quod propoſui. Quia oblita es terra Iudæa Dei Saluatoris tui, & eius, qui tibi ſemper præbuit fortitudinem, non es recordata, propterea plantabis quidem plantationem fidelem, ſiue vt Aquila & Theodotio interpretati ſunt, pulchram: aut vt Symmachus, bonam; vnum Deum prædicans: ſed germen alienum ſeminabis, non recipiens patrem, quia non recipis filium. Qui enim credit in patrem, credit & in filium. Et quia germen alienum blaſphemiæ contra Ieſum ſeminaſti in ſynagogis Satanæ; ideo non vindemiabis vuam, ſed labruſcam. Cumque viſum fuerit florere germen tuum, & aliquam habere pietatis vmbram, dum homines ab idolis retrahis: tamen quando ad fructus veneris colligendos, in die hæreditatis dolebis grauiter, cernens gentium populum tibi eſſe prælatum. Vnde & Apoſtolus loquitur: Triſtitia mihi eſt magna, & indeſinens dolor cordi meo: Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei iuxta carnem, qui ſunt Iſraelitæ: quorum eſt adoptio filiorum, & legiſlatio, & gloria, & teſtamentum, & repromiſsiones: quorum patres, & cætera: Quod non ſolum Paulus, ſed & omnis ſanctus loquitur, volens cum ramis oleaſtri etiam radicem ſaluam eſſe. Hęreditas autem illa eſt, quam à Domino cõſequimur: de qua Apoſtolus ait: Diuiſiones autem gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: & diuiſiones miniſteriorum, idem autem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. *Ibid. cap. decimo ſeptimo Eſaiæ.*

*Gentium populus præferendus Iudæis.* — *Rom. 9.* — *Priuilegia Iſraelitarum.* — *1. Cor. 12.*

ET omnes eos, & cætera. ] Poſſumus terram, & mõtem Domini, quem ſancti poſſeſſuri ſunt, & ſcripturas ſanctas intelligere, quas auferendas à Iudæis, Dominus comminatur, dicens: Auferetur à vobis regnum Dei, & tradetur genti facienti fructus eius: vt inueniant in eis illum montem, de quo in hoc eodem propheta, & in Michea legimus: Erit in nouiſsimis diebus manifeſtus mons DOMINI. *Tomo quarto libro decimo ſexto Commentariorũ, in caput quinquageſimum ſeptimum Eſaiæ.*

*Scripturæ ſanctæ à Iudæis ſunt auferendæ.* — *Matt. 21.* — *Supra: 2. Mich. 4.*

ET timebunt qui ab occidente nomen &cęt.] Quod autem repulſo Iſrael, gentium turba ſuccedat, Malachias propheta plenius docet, in quo dicitur ad Iudæos: Non eſt voluntas mea in vobis, dicit Dominus, omnipotens. Et hoſtiam non ſuſcipiam de manibus veſtris. Rurſumq; de multitudine nationum: Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, glorificatum eſt nomen meum in gentibus. *Tomo quarto lib. decimo ſexto Commen. in cap. 59. Eſaiæ.*

*Mal. 1.* — *Repulſo Iſraël gentium turba ſuccedit.*

TRANSITE, tranſite per portas, &cæte.] Leuate ſignum in gentes, & ad populos nationum, vt nequaquam vnius terræ Iudæ ad ſalutem prouocentur anguſtiæ, ſed auditum fiat in extremis terræ, vt paſsionem omnium creatoris totus mundus exaudiat. Dicite, inquit, filiæ Sion. Quæ vel ideo appellatur filia Sion, quia primum orta eſt ex Iudæis. De qua dicit in cantico canticorum. Filij matris meæ pugnauerunt aduerſum me. Vel certè propterea filia, quia à Deo adoptionis nomen accepit. Quotquot enim ſuſceperunt eum, dedit eis poteſtatem, vt filij Dei fierent. Quid eſt autem quod iubentur magiſtri, atque doctores Sion filiæ nuntiare? Ecce Saluator tuus venit, qui in Hebraico dicitur Ieſus. Vnde & Gabriel ad Ioſeph: Et vocabis, inquit, nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Qui Saluator credentium iudex eſt omnium vt reddat vnicuique ſecundum opera ſua. Iuſtis præmia, peccatoribus, æterna ſupplicia. Et vocabit, inquit, eos ipſe Dominus, atq; Saluator: ſiue iuxta Hebraicum: Vocabunt eos, Apoſtoli & Apoſtolici viri, populum ſanctum & redemptum à Domino, qui redempti ſunt Chriſti ſanguine. Ipſa quoque ciuitas, nequaquam vocabitur derelicta, vt prius vocata fuerat, vel in Iudæis, negationem, vel in gentibus propter idololatriam: ſed requiſita, vt Hebraicè dicitur derouſa vt pro augmentis, & varietate virtutum, noua ſemper accipiant nomina. *Tom. 4. lib. 17. Commentar. in cap. 62. Eſaiæ.*

*Cant. 1.* — *Ioan. 1.* — *Matt. 1.* — *Ibidem. 16.* — *Iudæa ciuitas derelicta* — דרושה

ET nunc Domine pater, &c. ]Et ciuitatis ſanctuarij tui miſerearis, in qua inuocatum eſt nomẽ tuum. Quæ ciuitas appellatur Sion & Hieruſalem: quam fluminis impetus lætificat, & in qua quondam fuit ſpecula virtutum & pacis contemplatio. Domus quoque tua, id eſt, templum ſanctificationis noſtræ & gloriæ, in qua laudauerunt te patres noſtri in ruinas & cineres concidit, & incẽdio vaſtante deleta eſt: ita vt nequaquam in ea offerantur victimæ: non paſcha celebretur: non quicquam fiet de ceremonijs, quas tu fieri præcepiſti: ſed omnia deſiderabilia noſtra verſa ſunt in ruinas. Cum hæc igitur ita ſe habeant, nunquid Domine ſuper his continebis miſericordiam tuam, & tacebis aduerſarijs blaſphemantibus: & affliges nos atque humiliabis, non more ſolito, ſed nimis? Quæ omnia Iudæi Aſſyriorum & Babyloniorum temporibus putant eſſe completa. Nos autem iuxta ea, quæ ex perſona Saluatoris ſequũtur: Apparui his qui nõ interrogabant: Inuentus ſum ab his qui me non quærebant: ad tempus Romanæ victoriæ vniuerſa referimus, quæ Ioſephus Iudaicæ ſcriptor hiſtoriæ ſeptem explicat voluminibus: quibus impoſuit titulum captiuitatis Iudaicæ, id eſt, περὶ ἁλώσεως: & ſuperfluum eſt ea ſermone differere, quæ oculis pateant, cum omnia deſiderabilia eorum verſa ſint in ruinas, & templum toto orbe celebratum, in Sterquilinium vrbis nouæ, quæ à conditore appellatur Helia, & in habitaculum tranſierit noctuarum: fruſtraque quotidie dicunt in ſygagonis ſuis: Super his omnibus Domine ſuſtinebis & affliges nos, atque humiliabis vehementer. *Tom. 4. lib. 17. Commenentar. in cap. 64. Eſaiæ.*

*Pſal. 45.* — *Infr. 65.* — *Tempore Romanæ victoriæ et vaſtationis Hieruſalem repudiata ſynagoga.* — *Rom. 10.*

ET dimittetis nomen veſtrum &c. ] Alijs in veſtrum ſuccedentibus locum, nomen veſtrum erit in iuramentum electis meis: vt pro malorum exemplo vos habeant, & deteſtentur talia ſuſtinere, & iurent ſic: non hæc patiar quæ paſſus eſt populus Iudæorum. Siue nomen veſtrum erit in ſatietatem: quod in his dici ſolet,

quorum



quorum odioſa eſt recordatio & memoria, & qui vſque ad ſaturitatem nauſeamque venerũt. Vel certè hoc dicendum, quod nomen ſuum derelinquant electis Domini, vt pro illis gentium turba ſuccedat, & ipſi appellentur filij Abraham & Iſrael. De quibus Paulus loquitur: Pax ſuper eos, & ſuper Iſrael Dei. Neque enim qui ex Iſraelitis ſunt, Iſrael, nec qui ſemen Abraham; omnes filij, ad quos dicitur: Si filij eſſetis Abraham, opera Abraham faceretis. Et quia ſemen ſunt Abraham, & non filij (de quorum differentia ſupra diximus) Propterea eos increpat Baptiſta Ioannes, dicens: Et ne velitis dicere, patrem habemus Abraham: potens eſt enim DEVS de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Quomodo enim poſſunt huius eſſe filij qui dixerunt ligno & lapidi: tu genuiſti me. Cum è contrariò qui ex fide ſunt, hi appellentur filij Abrahæ. Vos autem, inquit, interficiet DOMINVS, vt nequaquam appellemini circunciſio, ſed conciſio: vt vita careatis æterna, vt non habeatis eum qui dicit: Ego ſum vita: Seruos autem, ait, ſuos vocabit nomine alio, ſiue nouo quod in toto orbe celebrabitur. Et erit benedictum in tantum, vt qui illo nomine fuerit appellatus, benedicatur in Domino, & ſignum veræ circunciſionis accipiat, amen. Quo ſæpè in approbationem eorum quæ dicta ſunt, Dominus vtitur in euangelio: Amen amen dico vobis: Nomen autem nouum ſiue aliud, nullum eſt, niſi quod ex Chriſti nomine deriuatur, vt nequaquam vocetur populus Dei Iacob, & Iudas, & Iſrael, & Ephraim, & Ioſeph, ſed Chriſtianus. *Tom. quarto lib. 18. Commentariorum in caput. 65. Eſaiæ. Fol. 218.*

*Gentium turba ſuccedit Iudæis.* — *Gala. 6.* — *Rom 9.* — *Ioan. 8.* — *Matt. 3.* — *Hier. 2.* — *Gal. 3.* — *Ioan. 14.* — *Ibidem. 5.* — *Nouum nomen Chriſtianorum.*

ET non audietur in ea, &c. ] Beatus Apoſtolus Paulus Chriſto in ſe loquente, ſcripturam veterem ediſſerens, Abraham patriarcham non ſolum circunciſionis, ſed pręputij aſſerit patrẽ: hoc eſt, duos ex eo populos eſſe generatos, & eũ qui iuxta carnem natus fuerat, centenarius propter Chriſtum, qui de Abraham ſtirpe generatus eſt, in quem ille miſerit manus, maledictioni perpetuæ ſubiacere. Hanc figuram docent euangelia: in quibus fertur tunc hæmorrouſam ægrotare cœpiſſe, quando nata eſt filia archiſynagogi, & quando iſta ſanata ſit, ſtatim illam eſſe mortuam: vno atque eodem annorum ſpatio nouum populum in iuuentute perſiſtere, & veterem in infidelitate mori, & eſſe maledictum. Hoc iuxta L X X. interpretes diximus: quorum editio toto orbe vulgata eſt: ne in loco famoſiſſimo videremur ad Hebrææ linguæ arcem confugere. Quod ſiue poſt reſurrectionem intellexeris in ſecundo Saluatoris aduentu: ſiue poſt baptiſmum in prima reſurrectione credendum, non abhorret ab eccleſiæ fide. *Tom. 4. lib. 18. Com. in cap. 65. Eſaiæ.*

*Rom. 4.* — *Gal. 4.* — *Matt. 9.* — *Mar. 5.* — *Luc. 8.* — *Typus Repudij Iudæorũ & vocationis gentium.*

HAEC dicit Dominus exercituum, &c.] Quorum reprobauit templum conſequenter reprobat & ſacrificia: & obliquè arguit eos, quod non veneratione ſui, ſed epularum deſiderio immolent victimas. Quod autem ait: Non ſum loquutus cum principibus veſtris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra AEgypti, ſuper verbo holocauſti, & victimarum: manifeſtè intelligitur, quod primum decalogum dederit in tabulis lapideis, ſcriptum digito DEI: & poſt offenſam idololatrię caputque vituli, poſtea inſeferit ſibi magis fieri quam dæmonibus: concedẽs puram religionem mandatorum Dei, & auferens ſanguinem victimarum, carniumque deſiderium. *Tom. quarto lib. 2. Commentariorum in cap. 7. Hier.*

*Templum & ſacrificia Iudæorum reprobata.* — *Exod. 13.*

INFIRMATA eſt, &c. ] Quæ erat diues liberis, orba ſubito facta eſt, & clara luce diſperijt, & confuſa eſt, in ſolitudine ſui. Reliquum autem, ait, populum tradam gladio: vt mortem & iram Dei nullus effugiat. Alij ad ſynagogam referunt quæ infirmata eſt, vt eccleſiæ creſceret multitudo: iuxta illud quod ſcriptum eſt: ſterilis peperit ſeptem ſiue plurimos, & quæ multos habebat liberos, infirmata eſt. Vnde & occidit ei ſol iuſtitiæ, in cuius pennis eſt ſanitas: & iccirco æterna confuſione cooperta eſt, perdẽs populum ſuum gladio ſpirituali. *Tom. 4. lib. 3. Com. in caput 15. Hier.*

*Synagoga infirmata vt eccleſiæ creſceret multitudo.* — *1. Reg. 2.* — *Mala. 4.*

COGITAVIT Dominus, &c. ] Vrbs iſta cuius Dominus cogitauit diſsipare murum, tetenditque funiculum, hoc eſt, rectam & condignam mercedem nequitiæ ſuæ reddere ei diſpoſuit, ſynagoga eſt Iudæorum, quæ ſemper ſuperbè, & contentioſè agebat contra Dominum: prophetas eius, & nuncios ad ſe miſſos perſequens: nouiſsimè vero ipſum hęredem, hoc eſt, vnicum filium eius interfecit. Vnde & ipſe Dominus iuſtus iudex, & iuſtitiam diligens, non auertit manum ſuam, à perditione eius, ſed terram illius, quaſi funiculo metiens hoſtibus partiendam diuidit. Murum & antemurale diſsipauit, cum angelorum cuſtodiam & defenſionem, quam Domini pietate & patrum ſuorum merito olim habuerant, ab ipſa ſecedere fecit. E contrario verò alia eſt vrbs illa, de qua in Eſaia ſcriptũ eſt: poſt contritionem Moab canticum celebre compoſitum eſſe, vbi ita legitur: In die illa cantabitur canticum iſtud in terra Iuda: Vrbs fortitudinis noſtræ, Saluator ponetur in ea; bonorum operũ murus, & antemurale. Aperite portas, & ingrediatur gens iuſta cuſtodiens veritatem. *Tomo quarto libro primo in caput primum Lamentationum Hiere.*

*Synagogæ reiectio.* — *Eſaiæ. 26.* — *Vrbis id eſt eccleſiæ gentium introductio.*

DEFIXAE ſunt in terra, &c. ] Hoc deſcribit ſermo propheticus, quod deſtructa Hieruſalem terrena, imo ſynagoga Iudæorum, doctores eius, & defenſores, quos portarum, & vectium nomina denotant, contriti ſunt atque diſsipati: reges eius, & principes atque prophetæ iam non ſint in illa: ſed nec legem inuiolatam habeant, neque viſionem, & prophetiam à Domino mereantur habere, quia ipſum verum legiſlatorem, & Dominum prophetarum præſentialiter ad ſe venientem recipere dedignabantur. *Tomo quarto libro primo Commentariorum in caput ſecundum Lamen. Hier.*

*Cauſa reiectionis Iudæorum.*

PERSEQVERIS in furore, & conteres &cęt.] His tribus ſentẽtijs, quas modo enumerauimus, quæ ſub Thau littera prænotatæ ſunt, reſpondet ad ſuperiores quibus iniquitatem Iudæorum, & doloſam meditationem expreſſerat: oſtendens quid meruerint, quoniam in furore, diuino iudicio diſponente, hoſtes eorum illos perſecuti ſunt, & in præſenti vita fortiter contriuerunt: ita vt hactenus per totum orbẽ diſperſi, malũ exilij patiãtur: ſedẽtes ſine rege ac ſacerdotio regali, & ſine templo, & ſine cultu pietatis.

*Cauſa exilij Iudaici.*

Qui autem ad Chriſtum conuertuntur, promiſſionem illam, quæ ad patres eorū 1 facta eſt, ſpiritualiter hæreditabunt. *Tom.4.lib.2.Co.in cap.3. Lament.Hier.*

ET eleuauerunt Cherubim alas ſuas, &cæt.] Paulatim gloria Domini recedit de Hieruſalē. Primum templum deſerens ſtat in atrio vel in limine domus, & poſtea in introitu portæ orientalis: nouiſsimè ſublatis pennis rotiſque ſequentibus, ſtat ſuper montem, qui eſt ad orientem vrbis: haud dubium quin montem ſignificet Olueti, vnde Saluator aſcendit ad patrem. Stabatque gloria Domini, quæ de Hieruſalem vrbe diſceſſerat ſuper montem Olueti, in ſignum reſurrectionis & luminis: vt inde perituram, arſuramque cerneret Hieruſalem. Quodque dicit: Aſcendit gloria de medio ciuitatis, alijs verbis loquitur Dominus ad diſcipulos: Surgite, abeamus hinc. Et ad Iudæos: Relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Ioſephus quoque refert auditam vocem in templo angelorum & fortitudinum cœleſtium, quæ prius in vrbis præſidio erant, abeamus ex his ſedibus. Mirumque in modum vſque in præſentem diem gloria Domini, quę deſeruit templum, ſtat ſuper mōtem Oliueti, & in crucis ſigno rutilans, ſpectat templum quondam Iudaicum, in fauillas & cineres diſſolutum. *Tom. quarto lib.3.Commentariorum in cap.11. Ezechielis.*

*Act.1.*
*Relinquit Chriſtus ſynagogam & ingreditur eccleſiam gē tium.*
*Ioan.14.*
*Luc 13.*
*lib.7. de bello iud. c.12.*

HAEC dicit Dominus Deus, &c.] Tropologicè de credentibus loquens, iſte eſt qui Iſrael quondam ſublime lignum humiliabit, & exultauit humilem gentium populum: qui exiccauit lignum viride Iudæorum, florens & germinans in lege & prophetis, & frondere fecit lignū aridum nationum: vt quod ſemper loquutus eſt, opere compleret. Hoc idem ſignificant Symeonis in euangelio verba dicentis: Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & reſurrectionem multorum. Et granum ſynapis, quod cum minimum ſit omnibus ſeminibus, poſtquam creuerit auium habitaculum eſt. *Tomo quarto libro quinto Commentariorum in cap. decimum ſeptimum Ezechie.*

*Iſrael humiliatur & exaltatur gentium populus*
*Luc.2.*
*Matt.13.*

ET factus eſt ſermo Domini, &cæt.] Repulit tabernaculum Ioſeph, & elegit tribum Iuda. Elegit enim Deus domum confeſsionis Eccleſiam: et repulit tabernaculum Ioſeph, quod interpretatur augmentum. *Tomo quarto libro ſeptimo Commentariorum in caput vigeſimum tertium Ezechie.*

*Deus eccleſiam elegit ſynagogā repudiauit.*

ET ait Dominus ad me, dicens, &c.] Poſſunt hæc & poſt aduentum Chriſti intelligi: quod viri iuſti de populis nationum, ipſi Samaritanos & Iudæos comparatione ſui iudicent: & tradant eos ad deuorandum: quibus Dominus dixerat: Relinquetur vobis domus veſtra deſerta: & quādo videretis circundari ab exercitu Hieruſalē, ſcitote quia appropinquat deſolatio eius. Vſque hodie enim adulteratæ ſunt, & totius orbis lapidibus opprimuntur. Quoniam miſerunt nuncios ad eos qui erant procul, & dicere non poterant: Ego Deus appropinquans, & non Deus de longè, dicit Dominus & præparauerunt ſe amatoribus ſuis dæmonibus: & omnem cultum atque ornatum, quem à Deo acceperant naturali bono, verterunt in cultum dæmonum: & opera ſua decoremque quem in armillis & diademate intelligimus, adulteris amatoribus præbuerunt: quorum pœna gentibus timor eſt: imo his qui ex gentibus crediderunt, ne ſimilia patiantur, ſi ea feceriut quæ fecit Samaria & Hieruſalem. A quibus tunc auferentur impietates, cum receperint ſcelera ſua, & velamen quod poſitum eſt ante vultum Moyſi, abſtulerint ab oculis ſuis: vt cognoſcant quod ipſe ſit Dominus Ieſus Chriſtus, quem Dei filium negauerunt. *Ibid. in fine.*

*Matt.23.*
*Luc.21.*
*Iudæi hodiè totius orbis lapidibus opprimuntur.*
*Hier.23.*
*Exod.34.*
*2.Cor.3.*

HABITATORES Sidonis, &cæt.] Seniores Giblij & prudentes eius præbuerunt nautas Tyro ad miniſterium: ſiue confortauerunt conſilium eius. Sacra narrat hiſtoria, ſeniores plurimos à Domino fuiſſe reprobatos, & iuniores electos in typum ſynagogæ & eccleſiæ. Senior Cain abijcitur, & Abel iunior eligitur: Iſmael filius Abraham alienus à patre eſt, & Iſaac iunior hæreditatem accepit. Filiorum quoque Iſaac ſenior Eſau venator eſt, & vagatur in ſaltibus: iunior Iacob ſimpliciter habitat domi. Vnde ſcriptum eſt & in Malachia: Iacob dilexi: Eſau autem odio habui. Et rectè, iuxta Apoſtolum, nihil in matris vtero conſtituti boni vel mali fecerant: nec habebāt meritum nec offenſam, vt alter eligeretur, & alter abijceretur: niſi in typo, vt diximus ſynagogæ & Eccleſiæ, ſenior repellitur, & aſſumitur iunior. *Tom.4.lib.8.Commentariorū in cap.27. Ezechielis.*

*Typi inſignes reiectionis ſynagogæ & electionis eccleſiæ.*
*Gen. 4.*
*Ibid.22.*
*Ibid.25.*
*Malach.1.*
*Rom.9.*

ET factus eſt ſermo Domini, &c.] Quod Dominus abiecerit tribum Ephraim, & elegerit tribum Iuda, & in Pſal. legimus, in quibus ſcriptum eſt: Et repulit tabernaculum Ioſeph: & tribum Ephraim non elegit ſed elegit tribū Iuda: de qua ſcriptum eſt: Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de fœmoribus eius, donec veniat cui repoſitum eſt; & ipſe erit expectatio gentium. Verè enim in aduentu Domini Saluatoris, duæ virgæ, & (vt in Hebraico poſitum eſt) duo ligna, in vnum iuncta ſunt ſceptrum: & in baptiſmate Chriſti dudum ſeparata ſociantur, vt fiant in vnum nouum hominem, & in vnam gentem: neque polluantur vltra in idolis & abominationibus: ſed mundi lauacro, fiūt populus Dei, & imperet eis Chriſtus: & habitent ſuper terram mitium, terram viuentium, quam dederat ſeruo ſuo Iacob: qui populum Iſrael in matris vtero ſupplantauit. *Tom.4.lib.11.Comment.in cap.32.Ezechielis.*

*Pſal 77.*
*Gen.4.*
*Sec.70.*
*Coagmentatio duorum populorum in vnum.*
*Iacob id eſt, eccleſia in matris vtero ſupplantauit Eſau id eſt ſynagogam.*

VIDVAM & repudiatam (ſiue eiectam) non &c.] Omnis hic locus præcepta continet ſacerdotum, qui poſt multa quæ ſupra expoſuimus, iubentur viduam & repudiatam ſiue eiectam nō accipere vxorem. Vidua & repudiata eſt ſynagoga: id eſt, congregatio Iudæorum, quæ Dominū nō recepit. Vnde eiecta rectè dicitur ſiue vidua, ſynagoga. Eiecta verò hæreticorum frequentia: qui exierunt à nobis, quia non erant ex nobis. Sed virginem, inquit, de ſemine domus Iſrael, quæ nutrita eſt in domo Dei, in lege & pphetis, de qua & Apoſtolus loquitur. Volo oēs vos virginē ſanctā exhibere Chriſto. Iſta eſt virgo de qua et alibi dicit ſermo diuinus: Ama illā, & ſeruabit te: circunda illam & exaltabit te, honora eam, vt te amplexetur. Quæ ſit autem virgo quæ amanda ſit, & ſuum cuſtodiet amorem, ſciet qui illud legerit: Hanc dilexi & quęſiui ab adoleſcentia mea, & quæſiui ſponſam ducere mihi: & amator fui decoris eius: Et iterum: & omnium Dominus dilexit eam. Non ſolum autem virginem, ſed viduam debent ſacerdotes ducere quæ tamen alterius ſacerdotis vxor fuerit: ſcientiam videlicet, quam alius Dei cultor inuenerit. Neque enim noua contenti tantum debemus eſſe doctrina, ſed & veterem excolere, & noſtro iungere comitatui, ſi tamen ſacro cultu fuerit erudita. *Tomo quarto libro 13. Commentariorum in cap. 44. Ezech.*

*Vidua id eſt ſynagoga repudiata & virgo id eſt eccleſia gentium eſt aſſumpta.*
*1.Ioan.2.*
*2.Cor.11.*
*Prou.4.*
*Sec.70.*
*Sap.8.*



CVMQVE ingreditur princeps, &c.] Præcipitur populo terræ: vt ſi ingreditur per portam aquilonis vt adoret, egrediatur per viam portæ meridianæ. Quis eſt iſte populus, cui hoc præcipitur? Nempe gentilium: vt qui derelinquens portam aquilonis, à quo exardeſcunt mala ſuper terram, ingreſſus fuerit templum, non ingrediatur niſi per viam portæ meridianæ: ad portam luminis, ad portam caloris, ad portam in qua ſponſus cubat in meridie. Denique dicitur in eodē Cantico canticorum: Surge aquilo, & veni Auſter. Qui verò ingreditur per viam portæ meridianæ, egrediatur per viam portæ aquilonis. Quis nam ille eſt populus? ſcilicet Iudæorum, qui derelinquens portam viæ luminis, vadit ad portam aquilonis: de quo dicitur: Aquilo ventus duriſſimus. Nam & olla Hieremiæ à facie aquilonis accenditur. *Tom. 4. lib.14. Commentario. in cap.46. Ezechielis.*

*Hier.1.*
*Populus gentiū relinquit portam Aquilonis.*
*Cant.4.*
*Populus Iudæorum relinquit viā portæ luminis & vadit ad portā Aquilonis.*
*Prouer.27.*
*Sec.70.*
*Hier.1.*

ET diuidetis terram iſtam vobis, &c.] Per hoc capitulum diſcimus (& decutitur ſupercilium Iudæorum) nihil inter Iſrael & gentium populum eſſe diuiſū. Si enim aduenis & alienigenis, cū his qui ſunt de populo Iſrael, hoc eſt, indigenis, terra diuiditur, nulli dubium eſt candē eſſe hæreditatem populi gentium, & populi Iudæorum: ſi tamen cōuerſi fuerit ad cultum Dei Iſrael, quod propriè nomen poſsidet Chriſtianum habentibus Iudæis legis literam, & nobis ſpiritum: illis tenentibus membranas, & nobis eum qui ſcriptus eſt in mēbranis. Et apud Moyſen ſorte terra diuiditur, hic autem, vt diximus, domini iudicio delegatur: vnaque poſſeſsio & aduenæ & Iſrael, & in ſingulis tribubus datur hæreditas iubente Domino Deo. *Tomo quarto libro decimo quarto Commenta. in cap.47. Ezechie. in fine.*

*Eadem hæreditas populi gentium & Iudæorum.*
*Iudæorum & chriſtianorum diſcrimen.*

TEMPVS ſcindendi, & tempus, conſuendi.] Quomodo enim ſynagoga deſtruitur, vt ædificetur Eccleſia, & à lege fiunt ſciſsiones, vt Euangelia conſuantur: quod Euangeliſtæ ſinguli perpetrarunt, de lege & prophetis aduentus dominici teſtimonia conſuentes, ita & tempus fuit quęrendi & cuſtodiendi Iſrael, tempus perdendi & proijciendi illum. Vel certè tempus quærendi populum ex gentibus, & tempus perdendi populum Iudæorum: Tempus cuſtodiendi credentes ex nationibus, & tempus abijciendi incredulos ex Iſrael. *Tomo quinto Commentariorum in cap. 3. Eccleſiaſtis.*

*Synagoga deſtruitur vt ædificetur eccleſia, & à lege fiūt ſciſſiones vt Euangelia conſuantur.*

MELIOR eſt puer pauper & ſapiens &c.] Super Chriſto & diabolo hunc locum interpretati ſunt: quod puerum pauperem & ſapientem, Chriſtum velint intelligere. Puerum, iuxta illud: Magnum tibi eſt vocari puerum meum. Pauperem verò: quia pauper factus eſt, cum diues, eſſet. Et ſapientem: quia proficiebat ætate & ſapientia, & gratia apud Deum & homines. Iſte natus eſt in regno ſenis. Et iccirco dicit. Si eſſet de hoc mundo regnum meum, miniſtri vtique mei certarent pro me, vt nō traderer Iudęis. Nūc autem non eſt de hoc mundo regnum meum. In illius itaque ſtulti ſenis regno, qui oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eius natus optimus puer de domo vinculatorum (de quibus Hieremias in lamentationib. loquitur: Vt humiliaret ſub pedib. eiꝰ omnes vinctos terræ) proceſſit ad regnum, & abijt in regionem longinquā: & contra eos qui ſuper ſe regnare nolebant, poſt aliquantum temporis rex reuerſus eſt. Præſago itaque ſpiritu, vidit Eccleſiaſtes omnes viuentes qui poſſunt adoleſcentis participes eſſe, dicentis, Ego ſum vita: vetere ſtulto rege dimiſſo, Chriſtum ſequi: Simulque duo ex Iſrael populi ſignificantur. Prior qui in aduentu Domini fuerit, & poſterior qui Antichriſtum pro Chriſto ſuſcepturus eſt: quod prior non penitus ſit abiectus. Prima quippe Eccleſia ex Iudæis & Apoſtolis congregata eſt, & in fine, Iudæi qui Antichriſtum pro Chriſto ſuſcepturi ſunt, non lætabuntur in Chriſto. *Tom.5.Com in cap.4. Eccleſiaſtis.*

*Eſaiæ.49.*
*2.Cor.8.*
*Luc.2.*
*Ioan.18.*
*Matt.4.*
*Thre.3.*
*Luc.19.*
*Vetere ſtulto rege dimiſſo Chriſtus ſequendus.*
*Ioan.14.*
*Duo ex Iſrael populi.*

ET confidentia, quoniam canis viuens, &c.] Et Chananæam illam, cui dictum eſt: Fides tua te ſaluam fecit: canem eſſe iuxta Euangelium dicamus. Leonem verò mortuū, circunciſionis populum, ſicut Balaam Propheta dicit: Ecce populus, vt catulus leonis cōſurget, & vt leo exultans. Canis ergo viuens nos ſumus ex nationibus: leo autem mortuus, Iudæorum eſt populus à Domino derelictus. Et melior eſt apud Dominum iſte canis viuens, quam leo ille mortuus. Nos enim viuentes cognoſcimus patrem & filium & ſpiritum ſanctum: illi verò mortui nihil ſciunt: neque expectant aliquam repromiſsionem atque mercedem: ſed completa eſt memoria eorum: Neque ipſi meminerunt quę ſcire debuerant: neque illorum iam Dominus recordaturus eſt. Dilectio quoque qua aliquando Deum diligebant, perijt, & odium de quo audacter loquebantur. Nónne odientes te Domine odiui, & ſupra inimicos tuos tabeſcebam? Nec non & zelus eorum, iuxta quē Phinees zelatus eſt, & Mattathiæ intremuerunt poplites. Perſpicuum eſt autem, quod & pars eorum non eſt in ſæculo. Non enim poſſunt dicere: Pars mea Dominus. *Tom.5. Comment. in cap.9. Eccleſiaſtis.*

*Num.23.*
*Canis viuens ſunt gentes leo mortuus Iudæorum populus.*
*Pſal.138.*
*Nume.25.*
*1.Mac.2.*
*Pſal.72.*

ET erit numerus filiorum, Iſrael, &c] Legimus abiectionem decem tribuum, & non miſerabilem Iſrael, nec vltra populum Dei indignatione perpetua condem natū: Nūc diſcimus quomodo filij Iuda & filij Iſrael pariter congregentur: & ponant ſibi caput vnum ſiue principatū, & aſcendant de terra, & in loco vbi prius dicebatur, non populus meus, appellentur filij Dei viuentis, & hoc fieri, quia magnus ſit dies Iezrael. Ambigenti & in varias ſententias fluctuanti, illud occurrit Pauli Apoſtoli ad Romanos ſcribentis: Quod ſi volens Deus oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa irę apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam, quos & vocauit nos, non ſolum ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus, ſicut in Oſee dicit: Vocaui non plebem meam, plebem meam, & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam. Et erit in loco vbi dictum eſt eis: Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viui. Eſaias autem clamat pro Iſrael: Si fuerit numerus filiorum Iſrael tan-

*Rom.9.*
*Eccleſia noui teſtamenti non modo ex Iudæis ſed et ex gentib. collecta.*
*Oſee.2.*
*Ibid.1.*
*Eſaiæ.10.*

quam arena maris reliquiæ ſaluæ fient. Verbum enim conſummans, & breuians in ęquitate: quia verbum breuiatũ faciet Dominus ſuper terram.

*Eſaiæ.1.*

Et ſicut prædixit Eſaias. Niſi Dominus ſabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus & ſicut Gomorra ſimiles fuiſſemus. Quid ergo dicemus? quod gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam, iuſtitiam autem quæ ex fide eſt: Iſraël verò ſectans legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit.

*Oſeæ teſtimonium de vocatione gentium aſſumit Paulus.*

Igitur beatus Apoſtolus, Oſee prophetæ aſſumens teſtimonium, & exponens illud ſuper vocatione gentium, & eorum fide qui ex Iudæis credere voluerunt, omnem nobis difficultatem intrepretationis abſcidit, aſſerens Chriſti temporibus eſſe completum: vt ſcilicet in Iſrael eligantur duodecim tribus: hoc eſt, omnis populus Iudæorum, & in Iuda hi qui ex gentibus Ieſum Dominum confitentur. Si quis autem alienus à fide Chriſti, & non recipiens auctoritatem noui teſtamenti, ſed de numero circunciſionis, reſponderit filios Iuda, & filios Iſrael duas tribus ſonare & decem, de quibus crebro diximus, & in hoc dantes manus, nihil fidei nocere monſtrabimus. Sed poſtquam fuerit numerus filiorum Iſrael quaſi arena maris in toto orbe diſperſus, & omnem ſupputationem vicerit populi multitudo,

*Diuiſus populus Iudæorũ prius & corpore ſeparatus fide iungetur & inibit cõcordiã.*

tunc habebit licentiam Iſrael (qui hodie quoque captiuus eſt, & qui prius dicebatur, abſque miſericordia, & non populus meus) cum duabus tribubus, id eſt, Iuda & Beniamiñ quarum magna pars in Chriſtum credidit, inire concordiam: vt corporib ſeparatos iũgat fides, & vnum ſibi caput ponat & principem, de quo ſcripſit Ezechiel:

*Ezech.34.*

Et princeps vnus in medio eorum, Dauid ſeruus meus: & reſuſcitabuntur quaſi ab inferis mortui: Iuda ſcilicet & Iſrael, qui in infidelitate mortui erant. Et hæc omnia fient, quia magnus eſt dies ſeminis Dei, qui interpretatur Chriſtus. Ex quo perſpicuum eſt, ideo in typo

*Naboth typus Chriſti.*

Nabot Iezraëlitis ſanguinem pręceſsiſſe, vt veritas compleretur in Chriſto. *Tom.5. lib.1. Com. in ca. 1. Oſee. in ſine fere.*

ET percutiã eis fœdus, &c.] Quando omnia religionis aduerſæ vocabula fuerint ablata de populo Dominum confitente: Et vocauerit me, inquit vir meus, & nequaquam Baali: id eſt, idolũ meum tunc percutiam eis fœdus atq; concordiã cum beſtijs agri & volucribus cœli, & reptilibus terræ. De hoc tempore & Eſaias loquitur:

*Eſaiæ.11.*

Habitabit lupus cũ agno: & perdus cum hædo accubabit. Vitulus & leo & ouis ſimul morabũtur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrſus paſcẽtur, & ſimul requieſcent catuli eorum, & leo quaſi bos comedet paleas: nequaquam carnem ſanguinemq́ue deſiderans, ſed mundis atq; ſimplicibus veſcens cibis.

*Acto.11. Poſt aſcenſionem Domini duo parietes angulari lapide copulati ſunt. Epheſ.2. Rom.9.*

Quando Petro vt Cornelium ſuſciperet ex nationibus reuelatum, iuſſumq; eſt vt comederet omnes beſtias, & nihil immundũ eſſe cognoſceret quod cum gratiarũ actione perciperetur: ſuper quibus audit poſtea: quod Deus mundauit, tu ne cõmune dixeris. Ergo in aduentu Domini Saluatoris, poſt reſurrectionis eius triumphos, & aſcenſum ad patrem, duo parietes angulari lapide copulati ſunt, ab eo qui fecit vtrumq; vnum. Et vocauit eam quæ dicebatur abſque miſericordia, miſericordiam conſequutam, & cum qui dicebatur non populus meus populum ſuum pacatiſq; omnibus arcus & gladius contereretur ac bellum. Non enim erunt neceſſaria inſtrumenta pugnantium, cum qui pugnent defuerint. Iungetur Iſrael gentib. & implebitur illud Deuteronomij:

*Deut.32. Sec. heb. Pſal.75. Ibid.65.*

Lætamini gentes cum populo eius. Notus enim in Iudæa Deus: in Iſrael magnum nomen eius & factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion, hoc eſt, in Eccleſia: in qua confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium, & bellum:

*Ibid.75. Eſaiæ.64.*

quibus fractis atq; contritis dormient credentes fiducialiter, & ſub vno paſtore requieſcent, ſiue ſperabunt. In his quę oculus non vidit & auris non audiuit, & in cor hominis non aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. *Tom.5. lib.1. Co. in cap.2. Oſee.*

*Adulteræ et ſynagogæ comparatio.*

ET dixit Dñs, &c.] Et notandum quod hæc adultera præſens tempus ſignificet Iudæorum: qui abſque Deo & notitia ſcripturarum, & gratia ſpiritus ſancti diligantur à Domino: qui omnium expectat ſalutem, & aperit ianuam pœnitentibus, & nihilominus illi res inutiles amant, traditiones hominum, & δευτερωσέων ſomnia diligentes, & nequaquam vuas habeant, & vinum, & plena muſto torcularia, ſed vetera vinacia, quæ proiecta ſunt. *Tom.5. lib.1. Co. in cap.3. Oſee.*

FVGIT Iacob in regionem Syrię.] Non errabit qui ſupplantatorem Iacob, & Iſrael videntẽ Deum in typo Domini dixerit pręceſsiſſe, & Rachel primum ſterilem atque formoſam (quam plurimum dilexit Iacob) ſignificare Eccleſiam:

*Rachel Eccleſiæ et Lia typus eſt ſynagogæ.*

Liam autẽ lippientibus oculis atq; fœtoſam, ſynagogę ſacramenta monſtrare: & quod ipſe credentium populũ eduxerit de tenebris huius ſæculi, & ad dulciſsima Iordanis, id eſt, baptiſmi, fluenta peruenerit. *To.5. Com. in cap.12. Oſee.*

*Eſau populi Iudaici & Iacob populi Chriſtiani eſt typus.*

HAEC dicit Dominus: Super trib. &c.] Quid de Eſau & Iacob diximus, referamus ad Iudæos & populum Chriſtianum. Illi enim terreni & ſanguinarij, perſecuti ſunt fratrem ſuum Iacob, qui eos ſupplantauit, & abſtulit primogenita eorum: & perſecuti ſunt in gladio, ita vt ſubſtantias poſſeſsionesq; credẽtium publicarent, quod in Actibus Apoſtolorum legimus. Et violauerunt miſericordiam ac iura naturæ: oblitique ſunt matris ſuæ Rebeccæ, quæ interpretatur patientia, & ſimul eos generauit in Chriſto: antiquumq́ue furorem & iracundiam tenentes, vſque hodie in ſynagogis ſuis ſub nomine Nazarenorum blaſphemant populum Chriſtianum, & dummodo nos interficiant, volunt igne comburi. Sed Dominus mittet ignem in Theman in deſerta ſiccaq; Iudææ (quæ nequam irrigantur imbribus prophetarum) & deuorabit omnes munitiones eorum ſiue fundamenta murorum eius: vt omni ſenſu litteræ concidente, ſuperædificetur Eccleſia Chriſti Domini fundamentis. *Tom. 5. lib.1. Com. in cap.1. Amos.*

NVMQVID ambulabunt duo pariter, &c.] Sunt qui primum exemplum æſtimant continere doctrinam, quia nõ poſſunt duo pariter ambulare, niſi ſibi ante conſenſerint in eum qui fecit

*Eph.2.*

vtraq; vnum, & mediũ parietem maceriæ deſtruxit, & duos condidit in vnum nouum hominem

*Coagmentatio vtriſq; populi gentium et Iudæorum.*

fecitq; inter eos pacem, & copulauit vinculo charitatis, vt cum fuerint ſimul duo, poſtulent à patre & impetrent quidquid rogauerint: Hæ ſunt duæ virgæ quæ ſibi in Ezechiele copulantur: & duo populi circunciſionis & gentium: de quibus

*Ezech.7.*



quibus ad Heliam loquitur Dominus: Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genu ante Baal.

*3 Reg.19. Eſaiæ.65.*

Et in alio loco Deus: Inuẽtus ſum ait, his qui me non quærebant: apparui eis qui me non interrogabant. Cum autem duo redacti fuerint in vnum, adhærebunt Domino, & fient vnus ſpiritus: Qui enim adhæret Domino, vnus eſt ſpiritus.

*1.Cor.6.*

Iſti ergo duo qui ſibi conſentiunt, & in via Chriſti pariter ambulant, nullius aduerſariorum impetum poſſunt pertimeſcere. Quod ſi diſcordia ſeparentur, ſtatim eos leo rugiens inuadet: de quo & Petrus Apoſtolus ait

*1.Pet.5.*

Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiẽs circumit, quęrens quem deuoret. Qui leo rugiẽs non verſatur in agris conſitis, non in vineis, non in oliuetis, nec inter ligna pomifera, quæ laudãt Deum: ſed vbi ſiluæ ſunt & inculta humus, & beſtiæ commorantur: & non ſolum leonis patebunt morſibus, ſed apprehendet eos catulus leonis, & ducet ad cubile ſuum, fugiẽs lucem, & pergens ad tenebras. Omnis enim qui peccat amat tenebras, & odit lucem: de quibus & in Pſalmo legimus:

*Ioan.3. Pſal.103.*

Poſuiſti tenebras & facta eſt nox: in ipſa pertranſibunt omnes feræ ſiluarum: Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi. Quærit enim catulus leonis non eam prædam quam poſsidet, quæ ſuæ eſt poteſtatis: ſed vt de Eccleſia Chriſti rapiat: de quo & in Habacuc ſcribitur: Eſcæ eius electæ. *Tom.5. Commen. in cap.3. Amos.*

*Habac.1.*

ET erit in die illo, dicit Dominus, &c.] Poſſumus hunc locum & in Domini intelligere paſſione, quando ſol hora ſexta retraxit radios ſuos, & pendentem in cruce Dominum ſuum ſpectare non auſus eſt: quando tenebris cuncta complentibus,

*Luc.23.*

feſtiuitates eorum & cantica, Veſpaſiano Titoq; ſuperantibus, in planctum luctumq́ue mutata ſunt:

*Quo tempore ſit ſynagoga reiecta.*

quando lacrymarum & pœnitudinis ciliciorũ repleta ſunt omnia, & capitã habuere caluitium, quæ prius Nazaræorum decorata Cæſarie, comam Domino nutriebant. Tunc primogenitus filius Dei populus Iſrael: qui in vnigenitũ & verè filium Dei miſerat manum, æterno luctui traditus eſt, & nouiſsima huius, ſiue qui cum eo erant, amaritudine repleta. Nunc ergo illis habentibus tenebras, qui repulerunt ſolem iuſtitiæ, nos qui ſedebamus in tenebris & in vmbra mortis, vidimus lucem magnã & illorum vniuerſa feſtiuitas ad Eccleſiæ tranſlata eſt myſteria: vt illis flentibus, nos laudes Domino concinamus.

*Eſaiæ.9. Vniuerſa feſtiuitas Iudæorum ad Eccleſiæ tranſlata eſt myſteria.*

Illi pro zona accinguntur funibus & cilicijs: nobis cum Apoſtolis dicitur: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Nos accincti ſumus Chriſti veritate, implentes illud quod ſcriptum eſt: State accincti lumbos veſtros in veritate.

*Luc.12. Ephe.6.*

Illi autem pro veritate circundati ſunt diaboli mendacio. Noſtrum caput, de quo Saluator loquitur: veſtri autem & capilli capitis numerati ſunt, habet comam perpetuam, & in capite noſtro, qui Chriſtus eſt, fortitudinem poſsidemus, vt interficiamus leonem.

*Matt.10. Iud.14.*

Illi autem dormierunt in meretricis ſynagogæ genibus, & diabolo tondente deraſi, virtutem capitis perdiderunt, amittentes cũ robore oculos: de quibus in Eccleſiaſte ſcriptum eſt, Sapientis oculi in capite eius: qui autem ſtultus eſt, in tenebris ambulat.

*Eccle.2.*

Illorum ſocij verſantur in luctu: noſtri comites induuntur lætitiæ veſtimento. *Tom.5. lib.3. Commentariorum in cap.8. Amos.*

HAEC dicit Dominus Deus ad Edom.] Quia didicimus terram Idumæorum aduerſariam eſſe terrę repromiſsionis, & Eſau inimicum legimus Iacob, & populum eſſe, cui iratus eſt Dominus in ſempiternum: noſſe debemus ſecundum legem tropologiæ: Aut contra Iudæos factum eſſe ſermonem (qui ſunt æmuli Chriſtianis, & perſequuntur fratrem ſuum Iacob, populum ſupplantatorem: qui illis primogenita præripuit.]

*Iudæi æmuli Chriſtianorũ perſequũtur fratrem ſuũ Iacob.*

Aut certè aduerſus omnes hæreſes, & contraria dogmata veritati: quę videntur quidẽ nobis eſſe vicina, ſed magis aduerſaria ſunt, & de paterna hæreditate ſimplicem, & habitatorem domus Iacob nituntur expellere. *Tom.5. Com. in cap.1. Abd. Fol.127.*

*Iudæis promiſſa in regno Eccleſiæ ſpiritualiter confirmãtur.*

ET hęreditabunt hi qui ad &c.] Poteſt ex parte per annos quingentos vſque ad aduentũ Chriſti eſſe completum: quod ſicut certiſsimè ſcio, quotidie completur in nobis, & in regno Eccleſiæ confirmatur. Hi enim qui habitant in meridie, id eſt, in Nageb, & in vero ſunt lumine, qui tenent campeſtria & humilia id eſt, diſcipuli eius qui dicit:

*Matt.11.*

Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, poſsidebũt montem Eſau, & Philiſtim: quos poſſumus propter ſuperbiam dogmatum, & eloquentiam ſæcularem in ethnicorum perſona accipere: Vt in monte ſint magiſtri, in Philiſtim & alienigenis diſcipuli, qui magiſtrorum auctoritate ducuntur:

*Hæreſes ſub nomine Chriſtiano Eccleſiã diuidunt.*

Et non ſolum montem Eſau, & alienigenas, ſed regionem quoq; Ephraim, & Samariæ poſsidebunt. Ephraim & Samariam crebro in Oſee legimus, & in hæreſibus, quæ ſub nomine Chriſtiano Eccleſiam diuidũt, interpretati ſumus. Et ibi enim ſeparatur vbertas, & ibi cuſtodiam fidei repromittunt. Porrò Beniamin filius dexterę, atque virtutis, vbi templum Dei eſt, poſsidebit Galaad: quæ interpretatur tranſmigratio teſtimonij.

*A Iudæis ad Chriſtianos teſtimonium Domini commigrauit.*

Iſraelem carneũ ſignificans: ab illis enim ad nos teſtimonium Domini commigrauit. Iuxta LXX. autem & ipſum Beniamin, & Galaad, hi qui fuerint in meridie poſsidebunt. *Tom. quinto Commentariorum in ca. 1. Abdiæ. Fol.131.*

*Luc.24. Iudæorum & Chriſtianorum diſcrimen.*

ILLI habent libros, nos librorum Dominum: illi tenent prophetas, nos intelligentiam prophetarum: illos occidit littera, nos viuificat ſpiritus: Apud illos Barrabas latro dimittitur, nobis Chriſtus Dei filius ſoluitur. *Tom.5. Proœmio in Ionam in fine.*

*Deut.32. Sec.70.*

ET afflictus eſt, &c.] Videns ſubintrare gentium plenitudinẽ, & illud impleri quod in Deuteronomio dicitur. Ipſi me irritauerunt in his qui non ſunt Dij, & ego eos irritabo ſuper gente, quæ non eſt, ſuper natione ſtulta eos ad iracundiam concitabo, deſperat de ſalute Iſraelis,

*Triſtitia Ionæ de interitu Iſrael.*

magno dolore cõcutitur, qui erumpit in vocem & cauſas mœroris exponit, & quodammodo loquitur: Ego ſolus electus ſum ex tanto numero prophetarum, qui per aliorum ſalutem ruinam meo populo nunciarem. Non igitur contriſtatur, vt quidam putãt, quod gentium multitudo ſaluetur, ſed quod pereat Iſrael. Vnde & Dominus noſter fleuit ſuper Hieruſalem, & noluit tollere panem filiorum, & dare eum canibus. Et Apoſtoli primum prædicant Iſraeli. Et Paulus cupit eſſe anathema pro fratribus ſuis, qui ſunt Iſraelitæ

*Luc.19. Marc.7. Rom.9. Act.13.*

raëlitæ

raelitæ & quorum adoptio & gloria, & teſtamentum, & repromiſsiones, & legislatio: ex quibus patres, ex quibus Chriſtus eſt ſecundum carnem.

*Matt.26.*

Pulchrè autem dolens (quod interpretatur Ionas) affligitur dolore, & triſtis eſt anima eius vſque ad mortem: quia ne periret populus Iudæorum, quantum in ſe fuit, multa perpeſſus eſt. Hiſtoriæ quoque magis dolentis conuenit nomen ſignificans laborio ſum prophetam, & peregrinationis atque naufragij miſerijs prægrauatum. *To. 5. Com. in cap. 4. Ionæ.*

ET præparauit Dominus Deus hæderam, & cæt.] Ad perſonam Domini Saluatoris, ne penitus propter φιλοκολόκυνθον, cucurbitam relinquamus: ſic referri poteſt, vt illud commemoremus Eſaiæ: Relinquetur filia Sion ſicut tabernaculū in vinea, & velut caſula in cucumerario: quaſi ciuitas quæ expugnatur.

*Eſaiæ.1. Sec.70.*

Et dicamus, quia in alio ſcripturæ loco cucurbitam nō inuenimus, quod vbi cucumis naſcitur, ibi naſci ſoleat & cucurbita. Et Iſrael huic generi comparatur: quod quondam protexerit Ionam ſub vmbra ſua conuerſionem gentium prestolantem, & non paruam lætitiam tribuerit ei faciens vmbraculum & tabernaculum potius quàm domum: habens tectorum imaginem, domorum non habens fundamenta. Porrò kikaion noſtra arbuſcula modica, citò conſurgens, & citò areſcens, ordine & vita comparabitur Iſraeli: radices paruas mittenti in terram & conanti quidem in excelſa ſuſtolli, ſed altitudinem cedrorum Dei, & abietum non æquanti. Quod mihi videntur & locuſtæ ſignificare, quibus veſcebatur Ioannes: qui dicit ſub typo Iſraelis: Illum oportet creſcere, me autem minui: animal paruum, infirmas habens alas, de terra quidem conſurgens, ſed altius non valens auolare, vt plus ſit quam reptile, & tamen auibus non æquetur. *Ibidem Fol.143.*

*Mat.3. Ioan.3. Eccleſiam oportet creſcere & minui ſynagogam.*

ET dixit Dominus ad Ionam: putas ne &c.] Supra Niniuitis agentibus pęnitentiam, & gentium vrbe ſaluata, interrogans idipſum prophetam: Putas ne bene iraſceris tu? Nihil reſpondit, ſed interrogationem Dei ſilentio comprobauit: ſciens enim clementē eſſe Deum, & miſericordē & patientem, & multę miſerationis, & ignoſcentem malitijs, ſuper ſalutem gentium non dolebat: hic autem, poſtquam in ſiccata cucurbita aruit Iſrael, & cum diſtinctione interrogatus: bene iraſceris tu ſuper hædera? Confidenter reſpondit & dicit. Benè iraſcor ego vel contriſtor, vſque ad mortem: non enim ſic volui ſaluare alios, vt perirent alij, non ſic alienos lucrifacere, vt meos perderem. Et reuera vſque ad præſentem diem Chriſtus plangit Iſrael, & Hieruſalem plangit, vſque ad mortem, non ſuam, ſed Iudæorum, vt moriantur negantes, & reſurgant Dei filium confitentes. *Ibid.*

*Triſtitia de morte & interitu Iudæorum.*

ET dixit Dominus: tu doles ſuper hædera, & cæt.] Dominus noſter atq; Saluator non ita laborauit in Iſrael, quo modo laborauit in gentium populo. Deniq; Iſrael loquitur confidenter: Ecce tot annis ſeruio tibi & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dediſti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer: ſed poſtquam filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum: Nec tamen confutatur à patre, ſed clementer ei dicitur. Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt: epulari & gaudere te oportebat, quia hic frater tuus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt.

*Luc.15. Querela Iſrael id eſt vnius filij contra filiū prodigum, id eſt gentium Eccleſiam.*

Pro gentium populo immolatus eſt vitulus ſaginatus, & pretioſus ſanguis effuſus eſt, de quo Paulus ad Hebræos pleniſsimè diſputat: Et Dauid in Pſalmo: Frater, inquit, non redimit, redimet homo? Decreuit Chriſtus, vt ille creſceret: iſte mortuus eſt vt ille viueret: hic deſcendit ad inferos, vt ille cœlos aſcenderet. In Iſrael verò nullus, tantus labor fuit. Vnde, & inuidet iuniori fratri, quod poſt ſubſtantiam cum meretricibus lenonibuſque prodactam, recipiat anulum & ſtolam, & polleat priſtina dignitate. Quod autem ait. quæ ſub vna nocte nata eſt: ſignificat tempus ante aduentum Chriſti: qui mundi lumen fuit, de quo dicitur: Nox præceſsit, dies autem appropinquauit. Et vna nocte perijt: quando occubuit eis ſol iuſtitiæ, & Dei perdidere ſermonem. *Ibid.*

*Hebr.10. Pſal.48.*

DECALVARE detondere ſuper filios &cæ.] Dicitur ad Iſrael, ſecundum litteram: vt vel decem tribus accipiamus in Samaria: vel in commune, omnem, Iſrael. Quia captiuus ductus eſt populus, & omnis Iudęa ab Aſſyrijs Babylonijſque vaſtata eſt, aſſumant planctum, & plorent filios ſuos. Et quo modo aquila, quæ regina eſt auium, certò tempore amittit pilos, & remanet implumis: ſic etiam Iſrael, deponat omnem gloriam ſuam, qua ante fuerat circundatus, & plangat filios, hoſtium poteſtati ſubditos.

*Aquilæ comparatur Iudæa.*

Quod autem aquila, certo tempore ſoleat amittere plumas, & in Pſalterio ſcriptum eſt: Innouabitur vt aquilæ ſenectus tua. Et comicus ἐν ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ: viſa eſt, inqt, verè, quod dici ſolet, aquilæ ſenectus. Si autem voluerimus hoc ipſum & de præſenti tempore Iudaicę euerſionis accipere videbimus omnem gratiam, qua quondam apud Deum floruit, ab eis penitus receſsiſſe. Vbi eſt enim propheta? vbi doctor legis? vbi angelorum præſidia? vbi contra plures à paucis inſperata victoria? Decaluata eſt Hieruſalem, quę omnem comam priſtinæ gloriæ perdidit, & filij eius qui clamauerunt contra Dominum, crucifige, crucifige eum, in captiuitatem ducti ſunt. *To. 5. lib. 1. Com. in cap. 1. Micheæ.*

*Pſal.102. Eſaiæ.33. 1. Cor.1.*

ASCENDE per diuiſionem.] Præſens locus quaſi proprium habet exordium, & apoſtrophē eloquij prophetalis, ad eū qui ſaluari cupit: cui imperatur vt aſcendat per diuiſionem. Quod quidem manifeſtius fiet, ſi de Geneſi ſumpſerimus exemplum vbi naſcuntur gemini de Thamar, cum qua Iudas patriarcha concubuit. Factū eſt, inquit, cum pareret & haberet geminos in vtero in ipſo partu vnus protulit manum, & tulit obſtetrix, & ligauit in manu eius coccinum, dicens: Hic egredietur prior: Cum autem contraxiſſet manum, ſtatim egreſſus eſt frater eius & illa ait: Quare diuiſa eſt propter te maceria? & vocauit nomen eius Phares, quod interpretatur diuiſio. Et poſt hæc egreſſus eſt frater eius, in cuius manu erat coccinum, & vocauit nomen eius Zara: qui in lingua noſtra dicitur, ſemē & oriēs. Oſtendit ergo ſenior populus, in quo erat & ſemen antequam de gentibus Eccleſia naſceretur, manum ſuam in operibus, & poſtea contraxit eam: audiens per Eſaiam. Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Cumque ille contraxiſſet manum, & à iuſtitiæ ceſſaret operibus, frater

*Gen.38. Eſaiæ.1. Eph.2.*



frater eius egreſſus eſt gentium populus. Et propter ipſum diuiſa eſt ſepes, & deſtruxit Dominus atque Saluator, vt ille poſſet incedere, parietem qui erat in medio, & maceriam duos populos ſeparantem, & fecit vnum gregem, & duos creauit in ſemetipſo, in vno nouo homine faciens pacem. Vnde & obſtetrix propheticè loquens dicit ad Phares populum iuniorem: vt quid diuiſa eſt propter te maceria? Si intellexiſtis exemplum de Geneſi, aſcende qui ſaluari cupis nequaquam per veterem populum, qui manum contractam habet, ſed per nouum, in quo via Chriſtus eſt, in quo porta Ieſus: per quem ad patrem incedimus Ipſe enim ſoluit medium parietem & maceriam, id eſt, obſcuritatem veterum prophetarum, & omnia antiquæ legis aperuit ſacramenta, & diſſipata incedendi difficultate, viam oculis omnium reuelauit: vt qui vult pergere nullo irretiatur obice, nec obſcuritatis caligine: *To. 5. lib. 1. Co. in cap. 2. Micheæ.*

*Vetus populus id eſt, Eſau manum contractam habet: Chriſtus via & porta ad patrem obſcuritatem veterū prophetarum et omnia antiquæ legis aperuit ſacramenta.*

ET erit in nouiſsimo dierum mons &c.] Nūc derelicta domo eorum atque deſerta quando filius Dei egrediens de templo ait: Surgite, eamus hinc, & relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Angeli quoque, Ioſepho referente dixerunt: Tranſeamus ex his ſedibus: pro monte Sion mōs Domini eleuatus eſt, de quo ad principem Tyri dicitur: Et vulneratus es in monte Domini. *Tom. 5. li. 1. Com. in. cap. 4. Mich.*

*Matt.14. Luc.13. Pro monte Sion mons domini eſt eleuatus, Ezec.28.*

SED iuxta Hebraicum pulchrè. Congregabo, inquit, claudicantem, id eſt, eam, malè q̄ ambulauerat, & ad quā Helias dixerat: Vſquequo claudicatis? cuius pes ſcandalizatus fuerat abſciſſus. Quam eieceram, & cui dederam libellum repudij colligam, & quam afflixeram catipitatibus varijs, vel tradideram diabolo & angelis eius. Ac ne ſtatim nobis diligens lector opponat, quo modo congregatam aſſeris claudicantem, & collectam eam quæ fuerat eiecta, cum Iudæi in infidelitate permaneant? Audiat de prima Chriſti dici Eccleſia quæ credidit ex Iudæis: de qua fuerunt & Apoſtoli: ſuper qua in Actibus Apoſtolorū Lucas deſcribit: quod in vna die crediderint tria millia, etiam alibi quinq; millia, & de quib. Iacob. loquitur ad Paulū: Vides frater Paule quāta millia ſunt de Iudæis credentium, & omnes hi æmulatores legis ſunt. Sed & ſignificantiam conſidera prophetalem: non dixit ponā claudicantē totam ſaluam, ſed ponam claudicantem in reliquias: vt reliquiæ & electio ſaluæ fiant, & eā quæ laborauerat in gentem robuſtā, in nomen videlicet Chriſtianum: quod non gladius, non ignes, non tormenta ſuperabunt. Vide fidem & paſsionem martyrū, & de robuſta gente non ambiges. Et regnabit Dominus ſuper eos, id eſt, ſuper gētes multas, & ſuper reliquias claudicantis in mōte Sion: in Eccleſia, in ſpecula, in contemplatione virtutum à præſenti ſæculo, & vſq; in futurum. *Ibidem. Fol.156.*

*3. Reg.18. Marc.9. Reliquiæ nonnullæ Iudæorū ſaluandæ. Actor.2. Ibidem.4 Prima Chriſti Eccleſia credidit & collecta eſt ex Iudæis Ibid.21. Rom.11.*

PROPTER hoc dabit eos vſq; ad tempus, &c.] Quia de Bethlehem, quæ eſt Ephrata egreſſus eſt Chriſtus Dominator in Iſrael, & egreſſus eius nō eo tantum fuerat tempore, quo viſus in carne eſt, ſed ab initio æternatis, ſiue ab initio ſęculi: Quia ſemper ipſe locutus eſt per prophetas, & ſermo dei factus eſt in manu eorū: Ideo dabit Iudæos, eoſq; regnare permittet vſq; ad tempus parientis, quando completur illud: Lætare ſterilis quæ non pariris, erumpe & clama quæ non parturis: quoniam multi filij deſertæ, magis quàm eius quæ habet virum.

*Eſaiæ 54. Sec.70.*

Cum enim ſterilis peperit ſeptem & quę multos habuerat filios, fuerit infirmata: & derelicto populo Iudaico, plenitudo gentium ſubintrauerit: tunc omnis Iſrael ſaluus fiet, & reliquię fratrum eius ad filios Iſrael conuertentur, & adueniens Helias propheta (quod interpretatur Deus Dominus) cōuertet cor patrum ad filios & cor filiorum ad patres ſuos, & nouiſsimus populus iungetur antiquo: vt verè filij Abraham appellentur, cum in eum crediderint, quem vidit Abrahām, & lætatus eſt. Quod eſt aūt tēpus in quo ſterilis pariet? Vt reor illud de quo Eſaias loquitur: Tēpore acceptabili exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tibi. Quod & Paulus intelligēs de Chriſti tempore prædicatū, ait: Ecce nunc tēpus acceptabile. Hoc ipſum puto & illud myſticè demonſtrari, quod in eccleſiaſte ſcriptum eſt: Tempus pariendi, & tempus moriendi: quod eo tempore quo ex ſterili natus eſt gentium populus, filios amiſerit ſynagoga. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 5. Miche.*

*Reg.2. Rom.11. Derelicto populo Iudaico plenitudo gētium ſubintrabit. Luc.1. Malac.4. Ioan 8. Eſaiæ.49. 2. Cor.6. Eccle.3. Quo tempore ex ſterili natus eſt gentilium populus filios amiſit ſynagoga*

FICVS enim non florebit, &c.] Certè cum venerit dies tribulationis, & ego aſcendero ad populum, qui mecū aliquādo peregrinatus eſt: Vel certè cum venerit dies euerſionis Iudaicæ, & populi prioris, & derelicta fuerit filia Sion ſicut tabernaculum in vinea: & ſicut caſula in cucumerario, & ſicut ciuitas quæ oppugnatur: ego qui de pereunte electus ſum populo (de quo dictū eſt: Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorra ſimiles eſſemus,) copulabo me diſcipulis Chriſti: Quos quia in monte docet, turbis & debilibus deorſum relictis, ego ad montana conſcendam. Ficus enim non dedit fructū: ad quam venit in Euangelio eſuriens Dominus, & non inuenit in ea poma, & maledixit ei, dicens: Non afferes fructum vſq; in ſæculum. Et diligenter conſidera quid dixerit: Non afferes fructum in ſæculum: non ait, vſque in ſæcula ſæculorum. Sed cum ſæculum iſtud pertranſierit, & intrauerit plenitudo gentium: tunc etiam hæc ficus afferet fructus ſuos, & omnis Iſrael ſaluabitur. Hęc eſt ficus, ad quam tertio venit paterfamilias, & quaſi nō facientem fructus vult ſubuertere: pro qua agricola cui cōmiſſa fuerat, deprecatur vt det ei ſpatium, & dicit: Domine dimitte eam & iſtum adhuc annū, donec fodiam circa eam, & mittam ſtercus, & ſi quidem fecerit fructum: ſin autem, tunc ſuccides eam. Agricola iſte vel Grabiel eſt, vel Michael cui commiſſus eſt populus Iudæorum, qui Dominum deprecatur in paſsione, & dicit: Domine da ei ſpatium pœnitētiæ, & noli eos ſubuertere, & ſi quidem fecerint fructum: ſin autem tunc ſubuertes eos. Si fecerint, inquit, fructum: non dixit quid ſuſtinerent: neque dixit ſi fecerint fructum permanebunt vt erant, ſed ſi fecerint fructum ſuſpenſa ſententia eſt, vt ſubaudiatur transferes eos in Eccleſiam gentium, & in alteram vineam tranſplantabis. Venit Dominus tertiò, & non inuenit in eis fructum. Dedit primū legē per Moyſen: ſecūdo locutus eſt per prophetas: tertio ipſe deſcēdit. Et poſt paſsionē datis ad pœnitentiam 44. annis, quia nō fecerunt fructū, quartò ſubuerſi ſūt. Quod tamē noſtræ intelligentiæ derelinquitur. In parabola enī nō ſcribitur,

*Eſai.1. Ibid.27. Sec.70. Eſai.1. Ficus non afferens fructū typus populi Iudaici. Mat.21. Rom.11. Luc.13. Iudæi ſi fecerint fructum trāsferuntur in Eccleſiam gentium & in aliam vineam tranſplantantur.*

tur, quid poſtea fecerit paterfamili. s: ſed quid tantum agricola deprecatus ſit. Ex quo animaduertimus eos qui de hac ficu fecerint fructus, ad populum gentiũ eſſe translatos: ad quem aſcẽdit & propheta, dicens: Requieſcam in die tribulationis, vt aſcendam ad populum peregrinationis meæ. Eos autem qui non fecerunt fructus, & permanſerunt in duritia ſua, eſſe ſubuerſos. Hoc ipſum ſignificat & Ioannis vox in Euangelio: Ecce ſecuris ad radices arborum poſita eſt: Omnis arbor quæ non fecerit fructũ, excidetur & in ignem mittetur. Diximus de ficu, mõſtrantes eam eſſe populum Iudæorum: dicamus & de vinea: quod quidem facile intelliget qui Eſaiam legerit: Vinea facta eſt dilecto in cornu, in loco vberi. Et poſtea: Et expectaui vt faceret fructum fecit autem ſpinas & non iudicium ſed clamorem. Et in Hieremia: Ego autem plantaui te vineam fructiferam totam veram, quo modo verſa es in amaritudinem vitis aliena? Et manifeſtius in Pſalmis: Vineam de Aegypto tranſtuliſti: eieciſti gentes & plantaſti eam. Hæc igitur vinea, ad quam paterfamilias ſæpe miſerat ſeruos, vt acciperet de ea vinum, quod lætificat cor hominis: quia verſa eſt in amaritudinem, & nouiſſimè etiam patris familiæ filium auſa eſt interficere: non vuas faciens, ſed ſpinas, & non iudiciũ, ſed clamorem Crucifige, crucifige eum, &, non habemus regẽ, niſi Cæſarem: propterea exterminauit illam aper de ſilua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Oliuam quoque populum ſynagogæ liquidò comprobabit, qui in Apoſtolo fractos oliuæ ramos legerit, & nos de oleaſtro inſertos: vt in ramis intelligamus multitudinem Iudaicam fuiſſe ſucciſam: in radicibus Apoſtolorum electionem eſſe ſeruatam: in quibus inſerti manebimus, ſi fecerimus fructum, & dicetur de nobis: Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuę. *Tom. 5. Commentariorum. in cap. 3. Habacuc. Fol. 204.*

*Iudæi facientes fructum ad populum gentium trãſlati.* — *Matt. 3.* *Luc. 3.* — *Ficus, typus populi Iudaici.* — *Eſaiæ. 5.* *Sec. 70.* — *Vinea reiecta ſynagoga* *Hier. 2.* *Pſal. 79.* — *Matt. 21.* — *Ioan. 19.* *Pſal. 79.* *Rom. 11.* — *Oliua populus ſynagoga* — *Pſal. 127.*

VOX diei Domini amara, tribulabitur ibi & cæt.] Iuxta ſuperiora vel de Babylonica captiuitate accipe, vel de extrema quam paſsi ſunt à Romanis: ſuper quam & Dominus fleuit Hieruſalem dicẽs: Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſsi ſunt, & cæt. Verè enim expetita vindicta eſt à ſanguine Abel iuſti vſq; ad ſanguinem Zachariæ quẽ occiderunt inter templum, & altare, & ad extremum de Dei filio, dicentes: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros: Experti ſunt diem amaram, quia ad amaritudinem Dominum prouocauerant: diem à Domino conſtitutam, in qua non imbecillis quilibet, ſed fortiſsimi viri deprimentur, & veniet ſuper eos ira in finem. Sæpe quippe & ante iram Domini ſuſtinuerunt, ſed ira illa non fuerat conſummationis & finis. Quid neceſſe eſt nunc deſcribere quantas in vtraq; captiuitate ſuſtinuerint calamitates, & quo modo qui lucem Domini reſpuerunt, in tenebris & caligine verſati ſint, & qui noluerunt ſolennium dierum audire tubas, audierint clamorem bellãtium? De ciuitatibus autem munitis & excelſis angulis Iudææ, quod ad ſolum vſq; ſunt diruti, puto oculorum magis eſſe quam aurium iudicium: nobis præſertim, qui nunc in iſta ſumus prouincia, licet videre, licet probare quæ ſcripta ſunt. Vix ruinarũ parua veſtigia in magnis quondam vrbibus cernimus. Silo vbi tabernaculum & arca teſtamenti Domini fuit, vix altaris fundamenta monſtrantur: Gabaa illa ciuitas Saulis vſque ad fundamẽtum diructa eſt. Rama & Bethoron, & reliquæ vrbes nobiles à Salomone conſtructæ, parui viculi demonſtrantur. Legamus Ioſephum, & prophetiam Sophoniæ, illius cernemus hiſtoriam. Et hoc non tantum de captiuitate dicendum eſt, ſed vſque ad præſentem diem perfidi coloni poſt interfectionem ſeruorum, & ad extremum filij Dei, excepto planctu prohibentur ingredi Hieruſalem: & vt ruinam ſuæ ciuitatis flere liceat, pretio redimunt: vt qui quõdam emerant ſanguinem Chriſti, emant lacrymas ſuas. vt ne fletus quidem eis gratuitus ſit. Videas in die quo capta eſt à Romanis & diruta Hieruſalem, venire populum lugubrem: confluere decrepitas mulierculas, & ſenes pannis anniſque obſitos: in corporibus & in habitu ſuo iram Domini demonſtrantes: Congregatur turba miſerorum, & patibulo Domini coruſcante ac radiante ἀναστάσει eius, de oliueti monte quoque crucis fulgente vexillo, plangere ruinas templi ſui populum miſerum: & tamen non eſſe miſerabilem: Adhuc fletus in genis & liuida brachia, & ſparſi crines, & miles mercedem poſtulat, vt illis flere plus liceat, & dubitat aliquis, cum hæc videat, de die tribulationis & anguſtiæ, de die calamitatis & miſeriæ: de die tenebrarũ & caliginis, de die nebulæ & turbinis, de die tubæ & clangoris? Habẽt enim & in luctu tubas, & iuxta prophetiã, vox ſoenitatis verſa eſt in planctũ. Vlulãt ſuper cineres ſanctuarij & ſuper altare deſtructũ, & ſuper ciuitates quõdam munitas, & ſuper excelſos angulos templi: de quibus quondam Iacobum fratrem Domini præcipitauerunt. *Tom. 5. Com. in cap. 1. Sophoniæ.*

*Mal. 23.* — *2. Par. 24.* — *Deſcribuntur breuiter calamitates Iudæorum.* — *Ioſue 18.* *2. Par 8.* — *Graphica & euidens Hypotypoſis Calamitatis Iudaicæ.* — *Matt. 21.* — *Miſeria gentis Iudaicæ.* — *Thren 1.*

SED & vos AEthiopes. &c.] Moyſes quoque, id eſt, lex Domini ſpiritualis, Aetphiopiſſam de gentibus duxit vxorem, & Maria, id eſt, ſynagoga Iudæorũ, & Aaron, id eſt, carnale ſacerdotiũ, & non ſecundum ordinem Melchiſedech, murmurat aduerſus legem, ſed fruſtra: Statim enim ſynagoga perfunditur lepra, & extra caſtra proiecta, completo tempore, ipſo orante Moyſe, in caſtra reducitur. Aetiopiæ enim manus iam præuenerat Deum *Tom. 5 Com. in cap. 2. Sophoniæ.*

*Exod. 2.* — *Maria id eſt ſynagoga perfunditur lepra.* — *Pſal. 67.*

VLTRA flumina Ethiophiæ, &c.] Cum reddiderit Dominus credentium populis labium electum, & inuocauerint omnes nomen Domini, & portauerint iugum eius, tunc etiam vltra flumina Aethiopiæ (vnde venit regina Saba audire ſapientiam Salomonis) deferent victimas Domino. Et Aethiopia præueniet manus eius Deo: veroq; legifero, qui decem plagis percuſsit AEgyptum, nubet Aethiopiſſa, inuidente ſynagoga Hebræorum. Quod autem ait iuxta Hebraicum: Inde ſupplices mei, filia diſperſorum meorum deferent munus mihi, huiuſcemodi eſt: O Iſrael, ô ſynagoga quondam filia, quam in toto orbe diſperſi, licet inuideas, licet ęmulatione cruccieris, tamen de Aethiopia mihi victimæ deferẽtur: id eſt, de gentilium populo. In die illa, id eſt, quando gentium crediderit multitudo, etiam tu non penitus confunderis ſuper cunctis erroribus tuis: quibus præuaricata es in me, eligendo Barrabam, & Dei filium crucifigendo. Tunc auferã de medio tui ſcribas & ſacerdotes et phariſæos magniloquos ſuperbiæ tuæ, & nequaquã te in monte ſancto meo vltra iactabis, ſed habebis populum pauperem, homines illiteratos, & piſcatores, qui ſperabũt in nomine Domini. Reliquiæ Iſrael, non multitudo quæ clamauit: Crucifige, crucifige eum: non potifices & optimates, ſed reliquiæ nequaquam facient iniquitatem, nec loquentur mendacium in Chriſto veritati credentes: nec inuenietur in ore eorum lingua doloſa, ſcientes quod omne mendacium de Diabolo eſt: quoniam ipſi paſcentur & dicẽt: Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit in loco paſcuæ ibi me collocauit, Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit: & nõ erit qui exterreat, vincente fide credentium perſecutorum ſuperbiam. *Tom. 5. Com. in cap. 3. Sophoniæ. Fol. 219.*

*3. Reg. 10.* *Pſal. 67.* *Exod. 2.* — *Inuidia ſynagogæ aduerſus populum gentium.* — *Ioan. 18.*



*Luc. 23.* — *Ioan. 8.* *Pſal. 22.*

ECCE ego interficiam omnes, &c.] Et hoc ſynagoga, quæ non claudicat, ſed vtroq; truncata eſt pede, pollicetur ſibi in aduentu Chriſti ſui, quem ſperat eſſe venturũ, & putat omnes gentes interficiendas à Domino, quæ afflixerunt Iſrael, & ſaluandam ſynagogam, & eam quæ acceperat libellũ repudij colligendã, & ponẽdos eos in laudem, & in nomen in omni terra captiuitatis ſuæ, in qua fuerant ante confuſi. Et hoc fieri eo tẽpore, quando captiuitas reducta fuerit Hieruſalem, & extructum templum, & reliquus ceremoniarũ ordo ſeruatus. Hęc ſibi repromittit, & propterea non agit pœnitentiam, & dũ ſperat incerta, perdit certam ſalutem. Nec miror ſynagogã hæc dicere: quæ quia non recipit Chriſtum, oculos dolet, & cum Lia lippeſcit, & non amatur à Iacob, & Rachel ſuccedente negligitur. Chriſtianos miror, imo ſemi Iudæos, qui ſibi videtur eſſe de Eccleſia: ea dicere & ea ꝓfiteri, quæ ſi vera ſunt, fruſtra credimus in Chriſtũ, & omne noſtrum tollitur, ſacramentum, & miſerabiliores ſumus omnibus hominibus, credentes eum veniſſe qui non venit. *Ibidem. Fol. 221.*

*Synagoga vtroq; pede truncata eſt.* — *Gen. 29.*

VIDEBIT Aſcalon, & timebit, & Gaſa, &c.] Diſperdam iniuriam vel ſuperbiam Philiſtinorum. Pro quib. LXX. alienigenas, ideſt, ἀλλοφυλῶν tranſtulerunt, Philiſtim interpretãtur in lingua noſtra, cadentes poculo: quod de calice biberint Babylonis, & inebriati corruerint. Hi itaque tempore vocationis gentium & aduentus Chriſti, non habebunt ſuperbiam, ſed humilem & manſuetum ſequentur Ieſum. Et auferet de ore eorum ſanguinem: verba blaſphemiæ, & abominationes, idolorum cultum, & eſum eorum quæ immolata ſunt idolis, de medio dentium eorum: vt poſtquam hæc ablata fuerint, ipſi Philiſtim, hoc eſt, alienigenę relinquantur Domino, & ſit dux in Iuda, id eſt, in populo Dominum confitente: vt prior populus qui erat in capite, vertatur in caudam, & nouiſsimus qui erat cauda in caput trãſeat: & Accaron ſterilis quõdã, & iccirco eradicata, ſit quaſi Iebus, id eſt, quaſi Hieruſalẽ. Hæc enim ciuitas trib. nominib. appellatur: Iebus, Salem, & Hieruſalem. *Tomo quinto libro ſecundo Com. in caput nonum Zachariæ.*

*Prior populꝰ qui erat in capite, vertetur in caudã, & nouiſſimus qui erat in cauda, in caput tranſibit.*

EXVLTA ſatis filia Sion, &c.] Hanc prophetiam Euãgeliſtę ſcribunt eſſe completam, quando Dominus ingreſſus eſt Hieruſalem, ſedens ſuper aſinam & pullum aſinæ, & puerorum cum palmarum ramis occurrit turba, clamantium: Benedictus qui venit in nomine Domini: O ſanna in excelſis: & increpantibus phariſæis cur non corriperet clamantes pueros, Reſpondit: Non legiſtis? Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem? Exultat ergo Sion, & iubilat Hieruſalem: vna atque eadem ciuitas (Sion enim arx eſt Hieruſalem) quia venit ei rex ſuus, qui omnium prophetarum vaticinijs repromiſſus eſt: Iuſtus & ipſe Saluator, id eſt, Ieſus: ſicut angelus interpretatus eſt, loquens ad virginem: Et vocabitur Ieſus: quia ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis ſuis. Pauper quoque, ſiue vt LXX. tranſtulerunt, manſuetus: qui cum diues eſſet, pro nobis pauper factus eſt, & dicit in Euangelio: Diſcite à me, quoniam manſuetus ſum, & humilis corde. Et aſcendens ſuper aſinam ſubiugalem, ſiue ſuper pullum nõuum: vtrumque videlicet populum circunſionis & præputij: quorum prior grauiſsimum legis portauerat iugum: ſicut in Actis Apoſtolorum ſcriptum eſt: Nec nos nec patres noſtri potuerunt portare graue legis iugum. Vnde & Paulus ſcribit ad Galatas, qui circuncidi volebãt: State, & nolite iterum iugo ſeruitutis contineri. Pullus autem nouus, gentilium multitudo frena nõ habens legis; nec arctus ab aliquo, ſed ſemper in præcipitijs & in voraginibus idololatriæ eliſus atq; confractus, Domini ſeſsione didicit ambulare, & rectam viam ingredi. *Ibidè.*

*Matt. 21.* — *Pſal. 8.* *Zach 9.* — *Luc. 1.* — *Matt. 11.* *Chriſtus aſcendit ſuper aſinam & pullum nouũ id eſt vtrumque populus.* *Act. 15.* *Galat. 5.*

ET tuli virgam meam, quæ vocabatur &c.] Poſt vocationem Iſraelis, & aſſumptionem virgæ ſecundæ quæ vocabitur funiculus: tulit Dominus virgam primã, totius orbis nationes, quæ vocabatur decora, & abſcidit eas à cultu ſuo: quia veneratæ ſunt idola, & omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt. Manifeſtiuſque exponẽs quæ eſſet hæc virga: intulit. Vt irritum facerẽ fœdus meum, quod percuſsi cum omnibus populis Statim enim vt Iſrael aſſumptus eſt, gentium turba proiecta eſt, & vt nata eſt filia Archi ſynagogi (quæ poſtea in Euangelio, cum duodecim eſſet annorum, ægrotare & mortua eſſe narratur) αἱμοῤῥοοῦσα cœpit ſanguinem fluere, & perpetua infirmitate cruciari. Et in irritum, ait, deductum eſt fœdus meum, quod cum omnibus inieram nationibus. Et intellexerunt pauperes gregis (id eſt, populus Iſrael qui mea mandata cuſtodit (quia verbũ Domini eſt: id eſt, voluntatis eſt Domini abijcere gentes negantes, & in Abraham Iſrael aſſumere confitentem. *Tom. 5. lib. 3. Comment. in cap. 11. Zac.*

*Pſal. 13.* — *Marc. 5.* *Matt. 9.* — *Typus Repudij Synagogæ & Electionis gentium.*

FRAMEA ſuſcitare ſuper paſtorem meum, &c.] Poſtquam paſtor bonus, qui animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis (qui locutus ad patrem eſt Quem tu perſcuſsiſti, ipſi perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorũ adijciebãt) patris voluntate percuſſus eſt, & vir cohęrens Deo, qui ait. Ego in patre: & pater in me pependit in patibulo, & dixit: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum: ſtatim diſperſæ ſunt oues, omnis in Chriſto multitudo credentium. Conuertitq; Dominus manum ſuam (vt in LXX. legimus) ad paſtores: quos multi malè Iudæorum principes interpretantur: Vt autem in hebræo ſcriptum eſt, ad paruulos, quibus Dominus dixerat in Euangelio: Ne timeas grex paruule: Et in Eſaia ECCE ego & pueri ſiue paruuli, quos mihi dedit Deus. Et duæ partes factæ ſunt in omni terra Iudæorum atque gentilium, qui pari-

*Pſal. 68.* — *Ioan. 14.* *Luc. 23.* — *Ibid. 12.* *Eſaiæ. 8.*

ter perierunt & defecerunt, in paſſione enĩ eius, vox Pſalmiſtæ completa eſt, dicentis: Saluum me fac Domine, quoniã defecit ſanctus. Et: Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Pereuntibuſq; gentilibus & Iudæis, tertia in orbe pars, hoc eſt, tertius Chriſtianorum populus, repentè ſuccreuit. Et pulchrè ait: Tertia pars relinquetur in ea, hoc eſt, in terra: quia de Iudæis atq; gentilibus hi qui Dominũ confeſsi ſunt, ſoli vitæ & habitationi terræ reſeruati ſunt. Ipſa quoq; tertia pars ne delicata eſſet, & ſecura confeſsione, quaſi argentum & aurum per ignẽ ducitur & probatur: quem & Dominus in credentibus ardere cupit, & Paulus feruere deſiderat. Vnde & Apoſtoli in ſpiritu & igne domini baptizati, loquuntur in Pſalmo: Quoniam probaſti nos Deus: igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum. Et poſt paululum: Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Et in alio loco dicitur ad credentem: Si tranſieris per ignẽ, flamma non cõburet te: quia tecũ ſum. Iccirco autem non conſumit incendium & flamma non deuorat: quia vox Domini intercidentis flammam ignis. Cum ſic probati fuerint paruuli, ſuper quos Dominus conuertit manum ſuã, & per vocationem eorum omnis nationũ turba crediderit: tunc credentium populus vocabit Chriſtũ nomine ſuo, & illo dicente: Tu es popul⁹ meus, populus reſpõdebit: Dñs Deus me⁹ es tu. Iudæi hæc ad Chriſtum referunt, & in vltimo tẽpore futura contendunt: ſed hoc inter nos & illos eſt, quod nos expleta iam dicimus, illi explẽda commemorant. *Tom. 5. lib 3. Commentariorum in cap. 13. Zachariæ.*

*Pſal. 11.*

*Pereũtibus gentibus & Iudæis tertia in orbe pars Chriſtianorum populus repente ſuccreuit.*

*Luc. 12. Rom. 12. Acto. 2. Pſal. 65.*

*Eſaiæ 43. Pſal. 28.*

*Quæ Chriſtiani expleta dicimus. Iudæi adhuc explenda cõmemorant.*

ET ſic erit ruina equi & muli, &c.] Rectius camelus dici poteſt populus Iudæorum, qui & ipſe legẽ Dei meditatur, & eam ruminat, & voluit in pectore, ſed non diuidit vngulam, vt credat in patrem & in filium, & in eo immũdus eſt. Quod nequaquam ſeparat literam à ſpiritu, vmbram à veritate, & portat legis onera, & audit per Prophetam: Væ genti peccatrici populo pleno delictis. De iſtiuſmodi camelo qui ruminat, vngulamq; non findit, & in prouerbijs quaſi ad filium dicitur: Qui relinquit cuſtodire diſciplinam patris, meditabitur eloquia mea. Poſt camelum tranſeamus ad aſinum, qui quondam ferebatur in frenis & immundus erat, & multos habebat Dominos, & per pręcipitia labebatur: vt corruens repente cõſurgeret, & portaret Dominum Saluatorem, & ingrederetur in ſanctam Hieruſalẽ, & eũ paruulorum turba credentium ſuſciperet triumphantem. Hunc aſinum ad vitem & vineam Saluator dicitur alligaſſe, de qua in pſalmis ſcriptum eſt: Vineam tranſtuliſti ex Aegypto, & eieciſti gentes, & plantaſti eam: ad quam ipſe vinitor loquitur: Ego plantaui te vineam frugiferam totam veram. *Tom. 5. lib. 3. Commen. cap. 14. Zachariæ.*

*Cameli & populi Iudæi cõparatio.*

*Eſaia. 1.*

*Aſinus typus Iudæorum.*

*Matt. 21.*

*Gen. 49. Pſal. 79. Hier. 2.*

CVI autẽ aſsimilabo generationem iſtam? &c.] Pueris in foro ſedentibus, & clamitantibus, atq; dicentibus ad coæquales ſuos: Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: lamentati ſumus, & non planxiſtis, comparatur generatio Iudæorum, ſcriptura dicente: Cui ſimilem æſtimabo generationem iſtam ſimilis eſt pueris ſedentibus in foro, & reliqua. Non ergo nobis tribuitur libera intelligentia, & allegoriæ interpretatio paſsiua: ſed quidquid dicturi ſumus de pueris, ad ſimilitudinem generationis eſt referendũ. Pueri iſti qui ſedẽt in foro, hi ſunt, de quibus Eſaias loquitur: ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi De⁹. Et in decimo octauo Pſalmo: Teſtimoniũ Dñi fidele, ſapientiam præſtans paruulis. Et alibi: Ex ore infantiũ & lactentium perfeciſti laudem. Iſti ergo pueri ſederunt in foro, ſiue ἐν ἀγορᾷ, quod ſignificantius græcè dicitur, vbi multa venalia ſunt. Et quia populus Iudæorum audire nolebat, non ei tantum locuti ſunt, ſed plenis faucibus inclamarunt: Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: prouocauimus vt ad noſtrum canticum bona opera faceretis, & ſaltaretis ad noſtram tibiam: ſicut ſaltauit & Dauid ante arcam Domini, & noluiſtis. Lamentati ſumus, & vos ad pœnitentiam prouocauimus: & ne hoc quidem facere voluiſtis, ſpernentes vtramque predicationem tam exhortationis ad virtutes, quam pœnitentiæ poſt peccata. Nec mirum ſi duplicem viam contempſeritis ſalutis: cum & ieiunium & ſaturitatem pariter ſpreueritis. Si ieiunium vobis placet: cur Ioannes diſplicuit? Si ſaturitas: cur filius hominis diſplicuit? Quorum alterum dæmonium habentem, alterum, voratorem & ebrium nuncupaſtis. Ergo quia vos noluiſtis vtramque recipere diſciplinam, iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis: id eſt Dei diſpenſatio atque doctrina. Et ego qui ſum Dei virtus, & ſapientia Dei, iuſtè feciſſe ab Apoſtolis meis filij comprobatus ſum quibus reuelauit pater, quæ à ſapientibus abſconderat, & prudentibus apud ſemetipſos. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 11. Mat. Can. 19.*

*Comparatio populi Iudæorum cũ pueris clamantibus ad æquales ſuos, &c.*

*Eſaia. 8.*

*Pſal. 8.*

*2. Reg. 6.*

*Duplex via ſalutis ſiue prædicationis: prima eſt exhortationis ad virtutes: altera pœnitentia poſt peccata. Duplex diſciplina Domini.*

CVM autem immundus ſpiritus exierit & cætera] Immundus ſpiritus exiuit à Iudæis, quando acceperunt legem & ambulauit per loca arida quærens ſibi requiem. Expulſus videlicet à Iudæis ambulauit per gentium ſolitudines: q̃ cũ poſtea Domino credidiſſent, ille non inuento loco in nationibus, dixit.

*Diabolus à Iudæis primum expellitur & vadit ad gentes inde à gentibus iam credentibus redit ad Iudæos.*

REVERTAR in domum meam, &c.] Hoc eſt abibo ad Iudæos quos ante dimiſeram.

ET veniens inuenit eam vacantem, &c.] Vacabat enim templum Iudæorum, & Chriſtum hoſpitẽ non habebat dicentem: Surgite, eamus hinc. Et in alio loco: Dimittetur vobis domus veſtra deſerta. Quia igitur & Dei & angelorum præſidia non habebant, & ornati erant ſuperfluis obſeruationib. legis & traditionibus phariſęorum reuertitur Diabolus ad ſedem ſuam priſtinam, & ſeptenario ſibi numero dæmonum addito, habitat priſtinam domum, & fiunt illius populi nouiſsima peiora prioribus. Multò enim nunc maiori dæmonum numero poſsidentur blaſphemãtes in ſynagogis ſuis Chriſtum Ieſum, quam in Aegypto poſſeſsi fuerant ante legis notitiã: quia aliud eſt venturum non credere: Aliud eum nõ ſuſcepiſſe qui venerit. Septenarium autem numerum adiunctum diabolo vel propter ſabbatum intellige, vel propter numerum ſpiritus ſancti: vt quomodo in Eſaia ſuper virgam de radice Ieſſe & florẽ qui de radice conſcendit ſeptem ſpiritus virtutum deſcendiſſe narrantur, ita è contrariò vitiorũ numerus in diabolo cõſecratus ſit. *Tom. 6. lib. 2. Com. in ca. 12. Mat. Can. 23.*

*Ioan. 14. Luc. 13.*

*Nota.*

*Septenarius numerus conſecratus virtutibus & vitijs.*

*Eſaia. 11.*

ECCE mater mea & fratres mei, &c.] Mater eius & fratres, hoc eſt, ſynagoga & popul⁹ Iudęorũ





foris ſtant, & intrare deſiderant, & ſermone eius indigni fiunt. Cumq; rogauerint & quæſierint & nũcium miſerint, reſponſum accipiunt liberi eos eſſe arbitrij, & intrare poſſe ſi velit & ipſi credere: qui tamen intrare non potuerunt niſi alios rogauerint. *Ibid. in fine. cap.*

*Synagoga ſtat ante fores Eccleſiæ, ſed intrare poteſt ſi velit.*

ET non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.] Poteſt & aliter intelligi: quod Ieſus deſpiciatur in domo & in patria ſua: hoc eſt, in populo Iudæorum. Et ideo ibi paucá ſigna fecerit: ne penitus inexcuſabiles fierẽt. Maiora autem ſigna quotidie in gentibus per Apoſtolos facit: non tam in ſanatione corporum, quã in animarum ſalute. *Tom. 6. lib. 2. Commen. in cap. 13. Matthæi. Cano. 27.*

*Maiora ſigna ſunt in ſanatione animarum quã corporum.*

ET eſt allatũ caput eius in diſco, &c.] Hoc iuxta literam factum ſit: nos autem vſq; hodie cernimus in capite Ioannis prophetæ, Iudæos, Chriſtum qui caput eſt prophetarum, perdidiſſe. *To. 6. lib. 2. Com. in cap. 14. Mat. Cano. 28.*

ET venientes nunciauerunt Ieſu. & cæt.] poſtquã à Iudæis & rege Iudæorum prophetæ truncatum eſt caput, & linguã ac vocem apud eos perdidit prophetia: Ieſus tranſijt ad deſertum locũ, quæ virum ante non habuerat. *Ibid.*

*Decollatio capitis Ioannis typus eſt, Iudæis caput Chriſtum ablatum.*

NON ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael.] Non quo & ad gentes non miſſus ſit, ſed quo primum miſſus ſit ad Iſrael: vt illis non recipientibus Euangelium, iuſta fieret ad gẽtes tranſmigratio. Et ſignificãter dixit ad oues perditas domus Iſrael, vt ex hoc loco etiam vnam erroneam ouem de alia parabola intelligamus. *Tom. 6. libro ſecundo. Commentariorum in caput. 15. Matthæi.*

AT illa dixit: Etiam Domine. Nam &c.] O mira rerum conuerſio, Iſrael quondam filius, nos canes. Pro diuerſitate fidei, ordo nominum commutatur. De illis poſtea, dicitur: Circundederunt me canes multi. Et videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem. Nos audiuimus cum Syrophœniſſa, & muliere, quæ ſanguine fluxerat: Magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. Et: Filia, fides tua te ſaluam fecit. *Ibidem.*

*Mira cõuerſio in ordine nominum inter Iudæos & gentes.*

*Pſal. 21. Philip. 3.*

SIMILE eſt regnum cælorum homini patrifamilias qui exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam, &c.] Omnis retro vocatio gentibus inuidet, & in Euangelij torquetur gratia. Vnde & Saluator concludens parabolam: Erunt, inquit primi nouiſsimi & nouiſsimi primi. Quod Iudæi de capite vertantur in caudam, & nos de cauda mutemur in caput. *Tom. 6. lib. 3. Com. in cap. 20. Matthæi. Cano. 41.*

*Iudæi de capite vertuntur in caudã et nos de cauſa mutamur in caput.*

MANE autem reuertens in ciuitatem eſurijt &c.] Cum vidiſſet arborem vnam, quam intelligimus ſynagogã, & conciliabulum Iudęorum, iuxta viã (habebat enim legem, & ideo iuxta viã, erat,) quia non credebat in viã: venit ad eum (ſtãtem ſcilicet & immobilem, & non habentem Euangelij pedes nihilq; inuenit in ea, niſi folia tantum, promiſsionum ſtrepitum, traditiones phariſaicas, & iactationem legis, & ornamenta verborum abſque vllis fructibus veritatis, Vnde & alius Euangeliſta dicit: Nondum enim erat tempus ficorũ: ſiue quod tempus nondum venerat ſaluationis Iſraël, eo quod nondum gentiliũ populus ſubintraſſet: ſiue quod præterijſſet tempus fidei: quia ad illum primum veniens, & ſpretus tranſiſſet ad nationes. Et ait illi: Nunquam ex te fructus naſcatur: vel in ſempiternũ, vel in ſæculum: vtrumque enim αἰῶνα græcus ſermo ſignificat. Et areſacta eſt ficulnea, quę eſuriente Domino cibos, quos ille cupierat, non habebat. Sic autem aruerunt folia, vt truncus ipſe remaneret, & fractis ramis vireret radix, quæ in nouiſsimo tempore, ſi credere voluerit, virgulta fidei pullulet, impleaturque ſcriptura dicens: Eſt arbori ſpes. *Tomo ſexto librò 3. Commentariorum in cap. 21. Matthæi. Cano. 44.*

*Synagogã arbor conſtãs folijs nudis ſine fructib.*

*Matt. 11.*

*Ioan. 14.*

QVID autem vobis videtur: homo &c.] Hi ſunt duo filij, qui & in Lucæ parabola deſcribuntur, frugi & luxurioſus: & de quibus Zacharias propheta loquitur: Aſſumpſi mihi duas virgas, vnam vocaui decorem, & alteram vocaui funiculum, & paui gregem. Primo dicitur gentilium populo per naturalis legis notitiam. Vade & operare in vinea mea: hoc eſt, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Qui ſuperbè reſpondit: Nolo. Poſtea verò in aduentu Saluatoris acta pœnitentia, operatus eſt in vinea Dei, & ſermonis contumaciam labore correxit. Secundus autem filius, populus Iudæorum eſt, qui reſpondit Moyſi: Omnia quæcunque dixerit Dominus, faciemus, & non iuit in vineam: quia interfecto patrisfamilias filio, ſe putauit hæredem. Alij verò non putant gentilium & Iudæorum eſſe parabolam: ſed ſimpliciter peccatorum & iuſtorum, ipſo quoq; Domino propoſitionem ſuam poſteá differente. *Ibid.*

*Luc. 15. Zach. 11.*

*Duo filij frugi et luxurioſus typus ſynagogæ & Eccleſiæ.*

*Luc. 6. Tob. 4.*

*Exod. 24.*

AMEN dico vobis: quia publicani & meretrices præcedunt vos in regnum Dei.] Eo quod illi qui per mala opera Deo ſe ſeruire negauerãt, poſtea pœnitentiæ baptiſmum acceperint à Ioanne. Phariſæi autem, qui iuſtitiam præferebant, & legem ſe Dei facere iactabant, Ioannis contempto baptiſmate, Dei præcepta non fecerunt. Vnde dicit:

VENIT enim ad vos Ioannes in via inſtitiæ & non credidiſtis ei, &c.] Porrò quod dicitur: Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Et illi dicunt Nouiſsimus. Sciendum eſt in veris exemplarib. nõ haberi, nouiſsimum, ſed primum, vt proprio iudicio cõdemnentur. Si autem nouiſsimum voluerimus legere, manifeſta eſt interpretatio, vt dicamus intelligere quidem veritatem Iudæos ſed tergiuerſari, & nolle dicere quod ſentiunt ſicut & baptiſmũ Ioannis, ſcientes eſſe de cœlo, dicere noluerunt, *Ibid.*

TVNC princeps ſacerdotum ſcidit veſti. & cæt.] Scidit veſtimenta ſua, vt oſtendat Iudæos ſacerdotij gloriam perdidiſſe, & vacuam ſedem habere pontifices. Sed & conſuetudinis Iudaicæ eſt, cũ aliquid blaſphemię, & quaſi contra Deum audierint, ſcindere veſtimenta ſuá. Quod Paulũ quoq; & Barnabam, quandó in Lycaonia Deorum cultu honorabantur, feciſſe legimus. *To. 6. li. 4. Com. in cap. 26. Mat. Cano. 61.*

*Iudæi ſacerdotij gloriã perdiderunt & vacuam ſedem habẽt Pontifices.*

*Act. 14.*

ET reſpondens vniuerſus populus dixit: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros] Perſeuerat vſque in præſentem diem, hæc imprecatio ſuper Iudæos, & ſanguis Domini nõ aufertur ab eis. Vnde per Eſaiam loquitur: Si leuaueritis ad me manus non exaudiam vos. Manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine. Optimã hæreditatem Iudæi filijs reliquerũt dicentes: Sãguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. *T. 6. l. 4. C. in. c. 27. Mat.*

*Gene. 22.* *Geneſ. 15.* *Chronologiæ ratio difficilis quam Genebradus li. 1 Chronographiæ expediuit.* *Geneſ. 38.*

FRATRES ſecundũ hominem di[c]o, &c.] Supputandi in hoc loco anni ab eo tẽpore, quo Dominus ad Abraham locutus eſt, dicẽs: Et in ſemine tuo benedicentur omnes gentes, vſq; ad legiſlatorẽ Moyſẽ, vtrum quadringenti triginta ſint: vel quomodo in Geneſi ipſe Abrahæ Dñs polliceatur, quod poſt, quadringentos annos de terra ſeruitutis filij eius exituri ſint: Non enim parua res eſt, & à multis quæſita, neſcio an ab aliquo ſit inuenta. Illud etiam quod in eodem libro de Thamar & duobus eius paruulis legitur, quod ſcilicet primus, qui dicitur Zara, miſerit manum ſuam, & obſtetrix ligauerit ei coccinum, & dehinc illo manum intrinſecus retrahente, manum poſterior qui Phares vocatur porrexerit, præſenti loco congruit: quod oſtenderit Iſrael in legis opere manũ ſuam, & eam prophetarum, & ipſius Saluatoris pollutam cruore ſubtraxerit. Poſtea verò proruperit populus gentium propter quem dicitur ſepes eſſe deſtructa, & medius paries qui inter Iudæos & Gentiles fuerat diſſipatus, vt fieret vnus grex, & vnus paſtor, & eſſet gloria: & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 3. ad Galatas.*

*1. Reg. 1.* *Magna conuerſio ſynagogæ & Eccleſiæ.* *Hier. 13.*

SCRIPTVM eſt enim: Lætare ſterilis &cæt.] Virum habuit ſynagoga legem, & iuxta Annæ quoq; prophetiam, fætoſa quondam in liberis fuit. Sterilis verò Eccleſia ſine viro Chriſto, ſine vllo ſponſi ſermonis alloquio, diu iacuit in deſerto. Sed poſtquam accepit illa librum repudij in manus ſuas, & omnia ornamenta viri in idoli vertit ornamentum: tunc maritus priore cingulo putreſcente, alium lumbis ſuis baltheum, aliud de gentibus lumbare contexuit: quæ ſtatim vt eſt viro iuncta, concepit & peperit. Et in Eſaia exclamat Dominus per prophetam: ſi eſt gens nata ſimul: quando vna die in Actibus Apoſtolorum tria millia & quinq; millia hominũ crediderunt. Nec puto neceſſe eſſe, vt de multitudine Chriſtiana, & de Iudæorum paucitate dicamus, cum in toto mundo crucis vexilla reſplendeant, & vix rarus atq; notabilis in vrbibus Iudæus appareat. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 4. ad Gal.*

*Eſaiæ. 66.* *Sec. 70.* *Act. 2. & 4.* *In toto mundo crucis vexilla reſplendent.*

VIRI diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & cæ.] Quamuis ſui inuicem maritus & coniunx amore teneantur (qualis illa vxor memoratur Haſdrubalis, quæ capto viro, in patriæ ſe iecit incendium, & cæteræ quæ viris mortuis ſuperuiuere noluerũt) Nunquam tamen dilectionem illam vir ſapiens dilectioni Chriſti & Eccleſiæ comparabit. Sanctus igitur hic intelligendus eſt amor, quo & Iſaac dilexit vxorem ſuam Rebeccam (quæ interpretatur patientia) & de terra Meſopotamiæ (quæ ſæculi huius ex omni parte fluctibus cingitur) in terram eam repromiſsionis inducit, vt conſolaretur pro morte matris ſuæ. Interitum quippe ſynagogæ, coniunctione Eccleſiæ temperauit. *Tom. 6. li. 3. Co. in cap. 5. ad Epheſios.*

*Geneſ. 24.* *Interitũ Eccleſiæ ſynagogæ coniunctione temperauit.*

INTER dilectum & diligibilem hoc intereſt, quod dilectus appellari poteſt & ille qui dilectionem non meretur. Diligibilis verò is tantum qui meritò diligitur. Denique & inimicos noſtros diligere præcipimur, qui ſunt dilecti, ſed non diligibiles: Amamus quippe illos, non quia amari merentur, ſed quia pręcipitur eos odio nõ habẽdos. Illud verò quod in quadrageſimi quarti Pſalmi titulo prænotatur, pro dilecto: melius habet in Græco, pro diligibili: qui locus maniſeſtiſsimè de Chriſto intelligitur: Licet enim Iudæi. Iedidia, hoc eſt, amatum Dei. Salomonẽ dici putent, quod ei à Deo ſit ob ſapientiam nomẽ impoſitum: tamẽ amatus Dei qui magis dici poteſt, niſi is de quo in Euangelio pater loquitur: His eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè cõplacui, hunc audite. Denique & in Eſaia ita ſcriptum eſt: Cantabo dilecto canticum diligibilis vineæ meæ. Vinea facta eſt dilecto. Et hoc circũciſio de populo Iudaico accipiendum putans, impegit in lapidem offenſionis & petram ſcandali: non recogitans vineam quæ de Aegypto tranſlata eſt, eſſe domum Iſrael, & Chriſtum hic dici vel diligibilem, vel dilectum, dum & ipſe diligi meretur à ſanctis, & ſancti eum diligunt: offerẽtes ei magis charitatẽ, quã vlla charitatis præmia poſtulantes. *Tom. 6. lib. 1. Commentariorum in cap. 1. ad Philemonem.*

*1. Reg. 12.* *Matt. 17.* *Eſai. 5.* *Vinea de Aegypto trãſlata domus Iſrael id eſt, Eccleſia.*

MEMOR ero Raab, & Babylonis ſcientiũ me.] Quonã dixit: Glorioſa dicta ſũt de te ciuitas Dei & tamen ipsã ciuitatẽ Eccleſiam intelligimus de gentib. congregatã, propterea nunc de vocatione gentiũ dicitur: Memor ero Raab, & Babylonis ſcientiũ me. Quicunq; peccator eſt, ſecurus ſit. Dominus memor fuit Raab. Securũ dixi, ſi reuertatur ad Dominũ. Cæterũ ſecuritas ſine lachrymis non habet remediũ. Memor ero Raab, Raab illius meretricis, quę ſuſcepit exploratores Ieſu: quę erat in Hiericho, quo venerat Ieſus, & miſit duos exploratores. Hiericho mundus iſte, qui in ſeptẽ diebus ſubuertitur, vult interficere exploratores Et cum ille cupiat interficere exploratores, ſola meretrix Raab ſuſcepit. Et ſuſcepit eos nõ in inferiori loco, ſed in cænaculo. Dicamus ergo primum ſecundum quod vulgò dicitur: Neq; enim debemus & illam interpretationem dimittere. Et ſuſcepit eos non in inferiori loco, ſed in cænaculo. In dogmate, hoc eſt in ſublimitate fidei ſuę & abſcondit eos in lino, hoc eſt, in ſtupa lini. Hoc interim diximus ſecundum hiſtoriam; & videtis quo modo de ipſa hiſtoria paulatim ad myſtica aſcendimus ſacramenta. Ieſus dux, qui populum eduxerat de Aegypto: Ieſus; qui interpretatur Saluator, Moyſe mortuo & ſepulto in terra Moab, in terra Arabiæ, hoc eſt, lege mortua, in Euãgelium cupit inducere populum ſuum. Emittit duos exploratores Hiericho. Duos exploratores, vnum in circunciſionem: alium in gentes, Petrum & Paulum. Hiericho quærit eos occidere: illa eos ſuſcepit meretrix: Eccleſia de gentibus congregata. Credit in Ieſum, & quos volebat Hiericho interficere, ipſa ſaluat in domate ſuo. Et ponit eos in domate ſuo in excelſa fide ſua, & abſcondit eos in lini calamo. Licet meretrix ſit, tamen ponit eos in lino. Linum multo labore & diligentia in candorem venit. Scitis ipſi, quoniam linum de terra naſcitur, & cum in terram natum fuerit, nigrum eſt, nullam ſpeciem habet, nullum vſum. Primum ergo tollitur de terra: frangitur: deinde torquetur: & poſtea lauatur: deinde tunditur: deinde pectitur, & multa cura & labore vix venit ad candorem. Ergo hoc dicitur: quod iſta quidem meretrix ſuſcepit exploratores in lino ſuo, vt illi exploratores linum ipſius verterent in candorẽ. Quid igitur? Dat illis conſiliũ & ſic dicit: Expectate his tribus diebus.

*Prædicta vocatio gentiũ Ioſue. 2.* *Ioſue id eſt Ieſus Moyſe id eſt, mortua in Euangelium cupit populum inducere.* *Similitudine lini illuſtratur gentium candor & vocatio.*



diebus. Non erat vna dies, non duo, niſi tres dies. Videte quid dicat. Expectate tribus diebus. Non nominat tres noctes, ſed tres dies: quia illuminatum habebat cor. Et deinde dicit poſt tres dies. Et quid dicit: Nolite, inquit, ire per campeſtria, ſed in montana conſcendite. Eccleſiæ enim fides non eſt in vallibus, ſed in montibus conſtituta, Hiericho ergo poſtea ſubuertitur ab Ieſu, & iſta ſola meretrix reſeruatur incolumis. Ergo hoc dicitur: Memor ero Raab, hoc eſt, quæ ſuſcepit exploratores meos, & ego in die iudicij memor ero eius. *Tom. 7. Com. in Pſal. 86.*

NVNC apertius loquitur ad vocationem gentium. Videte enim quid dicat. Ecce alienigenæ & Tyrus, & populus AEthiopum; hi fuerunt illic.] Alienigenas vocat ad diſtinctonẽ Iſrael. Nos enim ſumus alienigenę & Tyrus, Tyrus interpretatur tribulatio, hoc eſt, Zor, & populus Aethiopum niger, & in peccatorum ſordibus inuolutus. Et populus Aethiopum. Hoc eſt, quod dicitur: Aethiopia præueniet manus eius Deo. Ecce alienigenæ & Tyrus & populus Aethiopum. Quod dicitur, hoc eſt. Illi qui ante alieni erant in tribulatione: qui erant poſiti in corde maris. Dicit enim de Tyro, Tyrus poſita in corde maris. Illi igitur qui prius erant in mari, & fluctibus tundebantur, poſtea inuenti ſunt in Eccleſia, Et populus Aethiopum. Nos quondam Aethiopes fuimus, Aethiopes vitijs atq; peccatis quoniam peccata nos nigros fecerant, ſed poſtea audiuimus: Lauamini, mundi eſtote. Et diximus: Lauabis me & ſuper niuem dealbabor. Nos ergo Aethiopes verſi ſumus in candorem. Ecce alienigenæ & Tyrus & populus Aethiopum, hi fuerunt illic. Vbi fuerunt? Vbi glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei *Ibidem.*

*Pſal. 67.* *AEthiopes id eſt, gentes verſi in candorem.* *Eſaiæ. 1.* *Pſal. 50.*

## *Caput ſeptimum De ſcripturis ſacris.*

### I. *Scripturæ Canonem Eccleſiæ Catholicæ auctoritate conſtitutum atque confirmatum eſſe.*

PROPONIS mihi, ô Vigilanti librum apocryphũ, qui ſub nomine Eſdræ à te, & ſimilibus tui legitur: vbi ſcriptum eſt, quod poſt mortem nullus pro alijs audeat deprecari: quem ego librum nunquam legi. quid enim neceſſe eſt in manus ſumere, quod Eccleſia non recipit? *Tom. 2. aduerſus Vigilantium cap. 3.*

*Illi libri non ſunt in manus ſumẽdi, quos Eccleſia non recipit ergo à contrario ſenſu.* *Luc. 1.*

PLVRES fuiſſe, qui Euangelia ſcripſerunt & Lucas Euangeliſta teſtatur dicens: Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem rerum, quæ in nobis cõpletæ ſunt, ſicut tradiderũt nobis, qui ab initio ipſi viderunt ſermonem, & miniſtrauerunt ei: & perſeuerantia vſque in præſens tempus monimenta declarant, quæ à diuerſis authoribus edita, diuerſarum hæreſeon fuere principia: vt eſt illud iuxta AEgyptios, & Thomam, & Matthiam, & Bartholomeum, duodecimque Apoſtolorum, & Baſilidis atq; Apellis, ac reliquorum, quos enumerare longiſsimũ eſt: cũ tantum in pręſentiarum hoc neceſſe ſit dicere, extitiſſe quoſdam, qui ſine ſpiritu & gratia Dei cõati ſunt magis ordinare narrationẽ, quàm hiſtoriæ texere veritatẽ Quib. iure poteſt illud propheticũ coaptari: Væ qui prophetant de corde ſuo; qui ambulant poſt ſpiritũ ſuũ: qui dicũt, dicit Dominus: & Dominus non miſit eos. De quibus & Saluator in Euãgelio Ioannis loquitur: Omnes qui ante me venerunt, ſures & latrones fuerunt, Qui venerunt, non qui miſsi ſunt. Ipſe enim ait: Veniebant, & ego non mittebam eos. In venientibus enim præſumptio temeritatis: in miſsis obſequium ſeruitutis eſt. Eccleſia aũt, quę ſupra petram; Domini voce fundata eſt, quam introduxit rex in cubiculum ſuum & ad quam per foramen deſcenſionis occultæ miſit manum ſuam, ſimilis damulę hinnuloq; ceruorum, quatuor flumina paradiſi inſtar eructãs, quatuor angulos, & anulos habet, per quos quaſi arca teſtamẽti & cuſtos legis Dñi, lignis immobilibus vehitur. Primus omnium Matthæus eſt publicanus cognomẽto Leui, qui Euãgeliũ in Iudæa hebręo ſermone edidit ob eorũ vel maximè cauſam, qui in Ieſum crediderant ex Iudęis, & nequaquã legis vmbrã, ſuccedente Euangelij veritate, ſeruabãt, Secũdus Marcus, interpres Apoſtoli Petri, & Alexãdrinæ Eccleſię primus Epiſcopus: qui Dominũ quidem ſaluatorem ipſe non vidit, ſed ea quę magiſtrum audierat prædicantem, iuxta fidem magis geſtorum narrauit, quàm ordinem: Tertius Lucas medicus, natione Syrus Antiochenſis, cuius laus in Euangelio, qui & ipſe diſcipulus Apoſtoli Pauli in Achaiæ Boeotiæq; partib. volumen condidit, quædam altius repetens, & vt ipſe in Proæmio confitetur, audita magis quàm viſa deſcribens. Vltimus Ioannes Apoſtolus, & Euangeliſta, quem Ieſus amauit plurimum: qui ſupra pectus Domini recumbens, puriſsima doctrinarum fluenta potauit, & qui ſolus de cruce meruit audire: Ecce mater tua. Is cum eſſet in Aſia, & iam tunc hæreticorum ſemina pullularent Cerinthi, Ebionis & cæterorũ, qui negant Chriſtum in carne veniſſe: quos & ipſe in Epiſtola ſua Antichriſtos vocat, & Apoſtolus Paulus frequenter percutit, coactus eſt ab omnibus penè tunc Aſiæ Epiſcopis, & multarum Eccleſiarum legationibus, de diuinitate Saluatoris altius ſcribere: & ad ipſum (vt ita dicam) Dei verbum non tam audaci, quam fœlici temeritate prorumpere. *Tom. 6. in Proæmio Com ſuper Mat. ad Euſebium.*

*Ex traditione Euangelium ortum.* *Apocriphi libri diuerſarum hæreſeõ principia.* *Euangelia apocrypha.* *Ezech. 13.* *Ioan. 10.* *Hier. 23.* *Eccleſia vehitur quatuor Euangelijs eaq; approbat.* *Argumenta quatuor Euãgeliſtarum.* *Matt.* *Marcus* *Luc.* *2. Cor. 7.* *Ioan. 21.* *Ioan.* *1. Ioan. 2.* *Rom. 3.*

NOTVM enim vobis facio fratres Euangelium, quod Euangelizatum eſt à me: quia non eſt ſecundum hominem &c.] Quæritur, vtrum totius orbis Eccleſiæ Dei acceperint Euangeliũ, an hominis? Quotus enim quiſq; noſtrũ per reuelationem Chriſti didicit: & non homine prædicante cognouit? Ad quod reſpondebimus: Eos q. poſsint dicere: An exprimentũ eius quæritis, qui in me loquitur Chriſtus? Et viuo autem iam non ego, viuit aũt in me Chriſtus: non tã ipſos docere, quam in ipſis Deum, qui ad ſanctos loquitur, Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes: & ſtatim de peccatorib. Vos aũt: ſicut homines moriemini, & tãquam vnus de principibus cadetis, Cum igitur Paulus loquitur & Petrus, qui non moriũtur vt homines, neq; vt vnus de principibus corruũt: Deos eos eſſe manifeſtum eſt. Qui autẽ Dij ſunt, tradunt Dei Euangelium, & non hominis. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 1. ad Gala.*

*Quãdo approbantibus ſanctis eccleſiæ viris Eccleſia accipit Euangelium à Deo ipſo accipit.* *2. Corint.* *Pſal. 81.*

CONTINVO non acquieui carni & ſanguini &c.]Non contuli cum carne & ſanguine. Scio pleroſq; de Apoſtolis hoc dictum arbitrari. Nam & Porphyrius obijcit, ꝙ poſt reuelationẽ Chriſti, non fuerit dignatus ire ad homines, & cum eis conferre ſermonem: ne poſt doctrinam videlicet Dei à carne & ſanguine inſtrueretur. Sed abſit vt ego Petrum, Ioannem & Iacobum carnem & ſanguinem putẽ: quæ regnũ Dei poſsidere nõ poſſũt: Si ſpirituales Apoſtoli, caro, & ſanguis ſunt, quid de χοικοῖσ arbitremur. Non contulit planè Paulus poſt reuelationem Chriſti cum carne & ſanguine: quia noluit margaritas proijcere ante porcos: nec dare ſanctum canibus. Vide quid de peccatoribus ſcriptum ſit: Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, quia carnes ſunt. Cum talibus qui caro & ſanguis erant, quæ Petro quoque non reuelauerunt filium Dei, non contulit Apoſtolus Euangelium, quod ei fuerat reuelatum: ſed paulatim eos de carne & ſanguine vertit in ſpiritum, & tunc demum occulta eis ſacramenta commiſit. Dicat quiſpiam: Si ſtatim non contulit cum carne & ſanguine Euangelium: tamen ſubintelligitur quod poſtmodum cum ſanguine & carne contulerit, & ſenſus hic, quo Apoſtoli excuſantur, ne caro & ſanguis ſint, ſtare non poterit: dum nihilominus qui in principio cum carne & ſanguine non contulit, poſt modum, vt dixi, cum ſanguine & carne contulerit. Quæ propoſitio nos coarctat vt ſic diſtinguamus, ne ſtatim ſiue continuò, cum carne iungamus & ſanguinè: ſed cum ſuperioribus hærere faciamus, & legatur: Cum autem placuit ei qui me ſegregauit de vtero matris meæ: Ac deinde: Vt reuelaret filium ſuum in me: Et ad extremum: Vt Euãgelizarem illum in gentibus continuò, vt à proprio incipiat exordio: Non contuli cum carne & ſanguine, magiſq; arbitrandum eſt ſic ſtare ſenſum: quia qui ſtatim miſſus ſit poſt reuelationẽ Chriſti. Euangelium gentibus annunciare non ſteterit: nec moris quibuſdam tempus produxerit eundo ad Apoſtolos, & reuelationem Domini cum hominibus conferendo: ſed abierit in Arabiam, & rurſus reuerſus Damaſcum, poſt tres annos Euangelium prædicauerit: & tunc demum Hieroſolymam veniens, Petrum Ioannem & Iacobum viderit, *Tom. 6. lib. 1. Comment in caput 1. ad Galatas.*

*1. Cor. 15.*

*Euangelium Pauli à ſpiritualibus cũ quibus contulit, fuit approbatum.*

*Gen. 16.*

*Matt. 16.*

*Prædicatio Pauli Apoſtolorum aliorum iudicio comprobata.*

ERAM autem ignotus facie Eccleſijs Iudææ, &c.] Totum quod ait, illud eſt: vt doceat ſe nunquam de perſecutore apud eos ipſos, quos prius perſecutus fuerat, potuiſſe exiſtere glorioſum: niſi prædicatio eius, eorum quoq; qui ante eum malè nouerant, eſſet iudicio comprobata. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 1. ad Gal. in fine.*

DEINDE poſt annos quatuordecim & cæt.] Id quod ſupra latinus interpres, acquieui dixerat, in eo loco vbi ſcriptum eſt: Continuò non acquieui carni & ſanguini: in præſenti loco contuli, magis, quam acquieui interpretatus eſt. Et vt verius dicam, ſermo Græcus ἀνεθέμην aliud quiddã quam apud nos intelligitur: cũ ſcilicet ea quę nouimus, conferimus cum amico & quaſi in ſinum eius & conſcientiam reponimus, vt pari conſilio vel probanda ſint, vel improbanda quę nouimus. Aſcendit igitur poſt quatuordecim annos Hieroſolimam: & qui prius tantũ ad videndum perrexerat Petrũ, & diebus quindecim manſerat apud eum, nunc ſe dicit ideo perrexiſſe, vt cõferret cum Apoſtolis Euangelium, aſſumpto Barnaba circumciſo, & Tito ex gentibus habente præputium: vt ſub ore duorum & trium teſtium, ſtaret omne verbum. Aliud eſt autem conferre, aliud diſcere. Inter conferentes æqualitas eſt: inter docentem, & diſcentem minor eſt ille qui diſcit. In principio fidei in tranſitu Apoſtolos videt. Poſt annos (vt ipſe ait) decem & ſeptem plenè cum eis loquitur, & ſe humiliat, & ne forte in vacuum aut curreret aut cucurriſſet, inquirit: duplicem ob cauſam, quo & humilitas oſtenderetur Pauli, qui doctor in toto iam orbe gentium, ad præceſſores Apoſtolos cucurriſſet, & Galatæ diſcerent non repobaſſe Euangelium eius, eos quoque qui in Iudæa Eccleſijs præſidebant. Simul autem & illud docet, quod pro Chriſti fide & Euangelij libertate ad eos ipſos qui de eo plura cognouerant, quod legem infringeret, Moyſen deſtrueret, circuncitionem penitus auferret, auſus ſit ducere Titum hominem incircunciſum. Et inter tantam multitudinem Iudæorum & inimicos ſuos (qui quaſi ob Zelum legis ſanguinem eius haurire cupiebant) nec ipſe, nec Titus aliquo ſint terrore ſuperati neceſsitati cedere. Quæ potuit habere veniã, vel pro loco vel pro authoritate maiorum, vel pro numero Eccleſiarum, quæ de Iudæis in Chriſto credebant, vel pro tempore, ne tantam ſimul inuidiam ſuſtinerent. Quidam poſt quatuordecim annos eum Hieroſolimam aſcendiſſe tunc dicunt, quando in Actibus Apoſtolorum de quęſtionibus obſeruandæ, vel prætermittendæ legis inter credentes Antiochiæ orta diſſenſio eſt, & placuit ire Hieroſolymam, & ſententiam maiorum præſtolari, quando ipſe quoque Paulus & Barnabas miſsi ſunt, & hoc eſſe quod in codicibus legatur Latinis, quibus ad horam ceſsimus ſubiectioni, vt veritas Euangelij perſeueraret apud vos. Quod ſcilicet propterea Paulus & Barnabas de re manifeſta, quaſi dubia ſe mittipaſsi ſunt Hieroſolymam, vt malorum, quoque iudicio Euangelij gratia confirmata, credentibus probaretur, & nulli reſideret vltra dubitatio circuncitionis omiſſæ, cum Apoſtolorũ eſſet literis imperatum, iugum legis ab his qui in Chriſtum crediderant ex gentibus auferendum.

*Paulus ſi non cum Apoſtolis alijs contuliſſet Euangelium in vacuum cucurriſſet.*

*Ex his teſtimonijs aſſcriptis liquet à iudicio Eccleſiæ approbationem ſacræ ſcripturæ pendere.*

*Act. 15.*

## II. *Scripturæ nomine non tantum noui, verum etiam veteris teſtamenti libros pari authoritate contineri.*

O SI videres ſororem tuam, & illud ſacri oris eloquium coram audire contingeret: cerneres in paruo corpuſculo ingentes animos: audires totã veteris & noui teſtamenti ſupellectilẽ ex illius corde feruere. Ieiunia pro ludo haber, orationem pro delitijs. *Tom. 1. Epiſ. 10. ad Furiam. ca. 5.*

*Tota ſupellex noui & veteris teſtamenti feruet in corde Furiæ.*

FORCIPE vtriuſq; teſtamenti carbo comprehenſus, purgat labia peccatoris. *Tom. 1. Epiſt. 10. ad Furiam. cap. 6.*

*Eſa. 6.*

ALIVD eſt, damnare legem, quod Manichæus facit: aliud legi præferre Euangelium: quæ Apoſtolica doctrina eſt, in illa enim ſeruus, in hoc præſens Dominus loquitur: ibi promittitur, hic impletur: ibi initia, hic perfectio eſt: in illa operum fundamenta iaciũtur, hic fidei & gratiæ culmen imponitur. *To. 2. lib. primo Dialogorum aduerſus Pelag. cap. 9.*



*Manichæus damnat legẽ*

*Diſcrimen noui & veteris teſtamenti.*

*Marcion laniat vetus teſtamentũ.*

*Obiectio contra præſcientiam dei per dilemma quod Deus inde vel iniuſtitiæ vel ignorantiæ re' teneatur*

QVAERIT hoc Marcion, & omnes hęreticorum canes, qui vetus laniant teſtamentum, & huiuſcemodi ſyllogiſmum texere conſueuerunt. Aut ſciuit Deus, hominem in paradiſo poſitũ, præuaricaturum eſſe mandatum illius, aut neſciuit: ſi ſciuit, non eſt in culpa is, qui præſcientiam Dei vitare non potuit; ſed ille, qui talem condidit, vt non poſſet Dei ſcientiam deuitare: ſi neſciuit, cui præſcientiam tollis, aufers & diuinitatem, hoc enim genere in culpa erit, qui elegit Saul futurum poſtea regem impijſsimum, & Saluator aut ignorantiæ, aut iniuſtitiæ tenebitur reus, cum in Euangelio ſit locutus: Nonne vos duodecim ego elegi Apoſtolos, & vnus de vobis diabolus eſt? Interroga eum cur Iudam elegerit proditorem: cur ei loculos commiſerit: quem furem eſſe non ignorabat. Vis audire rationem, Deus præſentia iudicat, nõn fututã, nec condemnat ex præſcientia, quem nouerit talem fore, qui ſibi poſtea diſpliceat: ſed tãtæ bonitatis eſt, & ineffabilis clementię, vt eligat eum, quẽ interim bonum cernit, & ſcit malum futurum, dans ei poteſtatem conuerſionis & pœnitentiæ. *Tomo ſecundo libro. 3. Dialogorum aduerſus Pelagianos capite primo.*

*1. Reg. 9.*

*Ioan 6.*

*Solutio.*

HOC ergo Iudęorum Paulus dimiſerat, quod malum habebant: & in primis illud, quod ignorantes Dei iuſtitiã & ſuã iuſtitiam volentes cõſtituere, iuſtitię Dei nõ ſunt ſubiecti. Deinde quod poſt paſsionẽ & reſurrectionẽ Chriſti, dato ac manifeſtato ſacramẽto gratiæ, ſecundum ordinem Melchiſedech, adhuc putabunt vetera ſacramẽta, non ex conſuetudine ſolennitatis, ſed ex neceſsitate ſalutis eſſe celebranda: quæ tamen ſi nũquam fuiſſet neceſſaria, infructuosè, atq; inaniter pro eis Machabęi martyres fierent. *To. 2. Epiſt. 87. ad Hieron.*

*Vetus teſtamentum Machabæorum martyrio cõfirmatum.*

HAEC dicimus, non quo legem iuxta Manichæum & Marcionem deſtruamus, quam & ſanctam & ſpiritualem iuxta Apoſtolum nouimus; ſed quia, poſtquam venit fides & temporum plenitudo, miſit Deus filium ſuum, natum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret; vt adoptionem filiorũ reciperemus, & nequaquam ſub Pædagogo, ſed ſub adulto & Domino hærede viuamus. *Tom. 2. Epiſt. 86. ad Auguſtinum. cap. 4. in fine.*

*Legem non deſtruit Paulus vt Marcion & Machæus.*

IGITVR & incendium, & initiũ oris, in duobus animaduertimus teſtamentis: quæ circa Deũ ſtare, non mirum eſt: cum per ea Dominus ipſe diſcatur. Sex alæ vni: & ſex alæ alteri. *T. 3. Epi. 142 ad Damaſum.*

*Per vtrumque teſtamẽtum in Domini notitiã peruenitur.*

NOS, quia primam ſententiam ſequimur. Euangelicum teſtamentum miſſum aſſerimus ad prophetam, quod habens in ſe vtraque mandata, id eſt. & ſua & veteris teſtamenti, ignitum ſermonem Dei, duplici præceptorum acie comprehendit, & tactis labijs, quicquid fuerit ignorantiæ (hoc ſiquidẽ nos labia interpretamur immũda) purgationis ſuæ pepulit veritate. Hanc forcipem Iacob in ſcala conſpicit: hic eſt gladius bis acutus: hæc duo minuta, quæ mulier vidua mittit in dona Dei: hic ſtather duos denarios habẽs: qui in ore piſcis repertus, pro Domino & Petro redditur: hac duplici forcipe, quæ vnionis retinetur virtute, carbo comprehenſus mittitur ad prophetam quem in centeſimo decimonono Pſalmo (cum propheta Deum rogaret, dicẽs: Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa: & poſt interrogationem Spiritus ſancti: Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam: dictum eſt: Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatorijs) ſcimus prophetæ eſſe conceſſum. Verè quippè deſolatorius carbo qui linguam puram facit à peccato, ſermo diuinus eſt: de quo & in Eſaia dicitur: Habes carbones ignis: ſedebis ſuper eos: hi erunt tibi in adiutorium. *Tomo tertio Epiſtola. 89. ad Damaſum.*

*Typi vtriuſque teſtamẽti.*

*Vtriuſque teſtamenti vna virtus.*

DEINDE iuxta Anagogen, dicendũ eſt, quod inclamante Ieſu, & emittente ſpiritum, velum templi ſciſſum ſit in duas partes à ſummo vſque deorſum; & omnia legis reuelata ſint myſteria; vt quæ prius recondita tenebantur, vniuerſis gentibus proderentur. In duas autem partes, in vetus & nouũ teſtamentum: & à ſummo vſq; deorſum, ab initio mũdi, quando homo conditus eſt, & reliqua, quæ facta ſunt in medio, ſacra narrat hiſtoria, vſque ad conſummationem mundi. Et quærendum, quod velum templi ſciſſum ſit, exterius, an interius? Mihi videtur, in paſsione Domini illud velum eſſe conſciſſum, quod in tabernaculo & in templo foris poſitum fuerat & appellabatur exterius: quia nũc ex parte videmus, & ex parte cognoſcimus. Cum autem venerit, quod perfectum eſt, tunc & velum interius diſrumpendum eſt; vt omnia quæ nunc nobis abſcondita ſunt, domus Dei ſacramenta videamus. Videamus quid ſignificet duo Cherubim, quid oraculum, quid vas aureum, in quo manna reconditum fuit, nunc enim per ſpeculum videmus in ænigmate: & cum hiſtoriæ nobis velum ſciſſum ſit, vt ingrediamur atrium Dei, tamen ſecreta eius, & vniuerſa myſteria, quæ in cœleſti Hieruſalem clauſa retinentur, ſcire non poſſumus. *Tomo tertio Epiſtola 150. ad Hedibiam, quæſtione octauo.*

*Velum templi ſciſſum in duas partes in nouum & vetus teſtamentum.*

ET dicent, venite aſcendamus, &c.] Domus Domini dicitur domus Dei Iacob, vt recipiamus vetus teſtamentum: & non ſecundum Manichæum aliam extra domum Dei Iacob quęramus domum. Cum autem fuerimus in domo Dei Iacob: tunc docebit nos vias ſuas, per quas gradiamur ad eum, & ambulabimus in ſemitis eius, quas triuerunt & alij. Denique & Ieſus aſcendens in montem docebat diſcipulos ſuos octo beatitudines: & cætera quæ Euangelicus ſermo complectitur. Prius ergo diſcendæ ſunt viæ Domini: & poſtea ambulandum in ſemitis eius. *Tomo quarto libro primo Commentariorum in caput ſecundum Eſaiæ.*

*Contra Manichæum vetus teſtamẽtum recipiendum in eccleſia & per eccleſiam diſcimus ſcripturas.*

*Matt. 5.*

ET congregaſtis aquas piſcinę inferioris &c.] Iuxta 70. conſiderauerunt ſe hæretici, quod multi eſſent, & hac multitudine confidentes, doctrinam veteris teſtamenti, auerterũt à ciuitate Dei, quæ eſt Eccleſia, & deſtruxerunt domos Hieruſalem: vt ædificarent conciliabula malignantium: dumque vetus reprobant inſtrumentum, nec nouum ſecuti ſunt: quia nouum veteris inſtrumenti teſtimonijs roboratur. Propterea inter duos

*Qui vetus reprobant inſtrumentum etiam nouũ repudiare debent.*

*Nouum veteris instrumenti testimonijs roboratur.*

ter duos muros veterem & nouum, fecerunt ſibi nouas aquas, quas interiores eſſe putant, & maiora continere myſteria, quàm in teſtamento veteri continentur: & non reſpexerunt Deum, qui veteris inſtrumenti conditor eſt, & factorem eius ne longè quidem videre voluerunt. *To.4.li.7. Com.in cap.22.Eſaiæ.*

NONNE adhuc in modico & in breui, &cæt.] Omnis ſcriptura ſancta vnus liber appellatur, dicente Eccleſiaſte: Sermones ſapientum tanquã ſtimuli, & quaſi claui in altum confixi, qui à cõcilijs dati ſunt à paſtore vno. *Tom.4.lib.9. Com.in cap.29.Eſaiæ.*

*Eccle 12. Tota ſcriptura vnus liber eſt.*

ET erit vobis viſio omnium ſicut verba libri ſignati, &c.] Leo de tribu Iuda, Dominus Ieſus Chriſtus eſt, qui ſoluit ſignacula libri, non propriè vnius, vt multi putant, Pſalmorum Dauid; ſed omnium ſcripturarum, quæ vno ſcriptæ ſunt ſpiritu ſancto: & propterea vnus liber appellatur. De quo Ezechiel myſtico ſermone teſtatur, quod ſcriptus fuerit intus & foris, in ſenſu & litera. De quo & Saluator loquitur in Pſalmis. In capitulo libri eſt ſcriptum de me; nõ Hieremiæ, non Eſaiæ, ſed in omni ſcriptura ſancta, quæ vnus liber appellatur. *Tom.4.lib.9. Com. in ca. 29.Eſaiæ.*

*Tota ſcriptura eſt vnus liber.*
*Ezech.2.*
*Pſal.39.*

INTER bonum & iuſtum, vt hæretici volũt, nulla eſt diſtantia, Apoſtolo ſcribente ad Romanos: Ergo lex ſancta eſt, & mandatum ſanctũ, & iuſtum & bonum: vt videlicet bonitas in genere, & iuſtitia intellligatur in ſpecie. *T.4.li.17.C. in cap.63.Eſaiæ.*

*Rom.7.*

OSTENDIT mihi Dominus: & ecce duo calathi &c.] Duos cophinos, ſiue calathos bonorũ & malorum ficorum, quidam interpretantur in lege, & in Euangelio, ſynagoga & Eccleſia, Iudęorum populo & Chriſtianorum, gehenna & regno cœlorum: quorum alterum ad ſupplicium pertinet peccatorum, alterum ad ſanctorum habitaculum. Sed nos ſcientes iuxta Apoſtolũ Paulum, legem bonam & ſanctam, & mandatum bonum & ſanctum, & vnum eſſe vtriuſque teſtamenti Deum: vel ad eos magis referamus, qui in aduentu Dñi Saluatoris crediderunt, & nõ crediderũt, vt q a ſcribis & ſacerdotib. cõcitati clamauerunt dicentes: Crucifige, crucifige talem, ſint calathus ficorum malorum: Qui verò poſt aſcenſionẽ eius de populo, crediderunt, ad bonas ficus, & ad calathum cophinumque optimum referantur. *Tomo quarto libro quinto Commentariorum in caput.24. Hieremiæ.*

*Typus legis & euangelij.*
*Rom.7.*
*Luc.23.*

FACTVM eſt verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi ſacerdotem in terra Chaldæorum, ſecus flumen Chobar.] Buzi in linguam noſtram vertitur ſpretus, atque contemptus: Ezechiel roboratus à Deo. Quod ſic Dño coaptabitur: vt dicamus creatorem mũdi qui pater eſt. Saluatoris, ab omnibus hæreticis ſperni, atque contemni: qui vetus non recipiunt teſtamentũ. Nec mirum robuſtum Dei eſſe Dominum, cum ipſe ſit Dei virtus, Deique ſapientia. *Tom.4.lib.1. Com.in cap.1.Ezech.*

*Hæretici qui vetus non recipiunt teſtamentum cõtemnunt creatorem mundi.*

ET dixit ad me: &c.] Et ecce in oſtio templi Domini inter veſtibulum, &c.] Secundum Anagogen, omnes hæreticos peiores eſſe prioribus: id eſt idolo Zeli, pictiſque in pariete figuris animantium, & planctu Adonidis, per quæ idololatria voluptaſque monſtratur, ille ſcire poterit, qui intellexerit prophetam dicentem. Tu autem odiſti diſciplinam, & proieciſti ſermones meos poſt te. Et in alio loco: Verterunt contra me ſcapulam recedentem. An ignoramus Marcionem, & cæteros hæreticos, qui vetus laniant teſtamentum, contempto creatore, id eſt, iuſto Deo, aliũ quendam bonum Deum colere & adorare, quẽ de ſuo corde finxernnt? *Tom.4.lib.3.Com.in cap.8. Ezech.*

*Hæretici idololatræ.*
*Pſal.49. Hier.2.*

ET dixit ad me, &c.] Et ecce applicant ramũ ad nares ſuas.] Omnes hæretici, qui repleuerunt terram in iniquitate, & conuerſi ſunt ad falſi nominis ſcientiam, vt Dominum ad iracundiam prouocarent: æſtimandi ſunt quando laudare voluerint Deum magis turpi ſonitu blaſphemare, vel teſtamenti veteris Deum parui ducere, irridere, contemnere. *Tom.4.lib.3. Comme.in cap.7.8. Ezechielis.*

*1.Tim.6. Excluditur obiectio cõtra vetus teſtamentum & ex nouo vetus roboratur.*

ET deſtruent lupanar tuum, & demolientur proſtibulum tuum, &c.] Prodeſt Hieruſalem, vt ſuffodiatur lupanar eius, & omnis fornicationis eius ſeminarium deſtruatur. Cum enim hoc factum fuerit, mercedes vltra non dabit, & requieſcet Dei indignatio, & nequaquam eam Zelabitur de illius caſtitate ſecurus: videlicet iuxta eos, qui in bonam partem accipiunt quæ dicuntur. Alij verò, vt ſupra diximus, ad contrariam partem referunt, vt magnæ irę Dei, ſit non iraſci, cũ ſemel contempſerit fornicantem, & de ſalute illius deſperauerit. Sin autem hæretici, qui vetus non recipiunt inſtrumentum, iuxta 70. editionẽ in hoc loco reprehenderint illud, quod dictum eſt: Et contriſtabas me in omnibus iſtis: eò quod Deus non ſolum iram recipiat, ſed & mędori ſubiaceat atque triſtitiæ: interrogemus eos, quomodo illud ſuſcipiant, quod certè boni Dei mandatum eſt: nolite contriſtare ſpiritum ſanctum Dei in quo ſignati eſtis in die redẽptionis? Quicquid enim dixerint in defenſionem illius teſtimonij, hoc nos in ſatisfactionem præſentis ſermonis aptabimus. *Tom.4.lib.5.Commentariorum in caput.16. Ezechielis.*

ITERVM leuaui manum meam in eos in ſolitudine &c.] Neque dixit, dedi eis præcepta mala, ſed non bona. Non enim ſtatim ſequitur, vt quod bonum non eſt, ſit malum, ſicut & Apoſtolus docet, bonum eſſe homini vxorem vel mulierem non tangere, ſed propter incontinentiam vnumquemque poſsidere vas ſuum in ſanctificatione & caſtitate. Quod ſi nõ fecerit, nec bonũ nec malum eſt. Dedit ergo eis Deus diſperſis in gentibus præcepta non bona, hoc eſt, dimiſit eos cogitationibus, & deſiderijs ſuis, vt facerent quę non conueniunt. *Tom.4.lib.6.Com in cap.10. Ezech.*

*Inter non bonum & malum eſt diſcrimen.*
*1 Cor.7. 1.Tim.4.*

CVMQVE compleueris expians illud, offeres vitulum de armento immaculatum, &c.] Ne in cõſecratione ſpiritualis altaris, & propriè ad Eccleſiam pertinentis, lex & prophetæ viderentur excluſi: propterea conſecrato altari, vitulus immaculatus aſſumitur & aries, & offertur in conſpectu Domini: & filij Sadoch. hoc eſt iuſtorum ſacerdotes aſpergunt ſuper capita eorum ſal, vt & lex & prophetæ ſapore Euangelij condiantur. Nec vllum eſt ſacrificium iuxta legis imperium, & interpretationem Apoſtoli, qui ait: Sermo veſter ſit ſale conditus quod ſale careat. Vtrumque autem offertur holocauſtũ Domino, vt corpus pinguis literæ (quod ſignificatur in lege: & prophetiæ

*Lex & prophetæ ſapore euangelij cõdiendi.*
*Leuit.2. Col.4.*



phetiæ nubilum, igne Domini, hoc eſt, ſpiritu ſancto, de quo dicit Paulus: Spiritu feruentes) in ſpiritualem & tenuem ſubſtantiã conuertantur. *Tom.4.lib.13.Com.in cap.43.Ezech.*

SEMINATE vobis in iuſtitia, &cęt.] His, qui ab Eccleſia ſeparati ſunt, & falſum ſibi Chriſtianorum nomen aſſumunt, præcipitur, vt agant pœnitentiam, & vtrunque recipiant teſtamentum: in veteri iuſtitiam ſeminent, in nouo metant miſericordiam, & illuminent ſibi lumen ſcientiæ: ſiue innouent ſibi noualia, & requirant Dominum, qui docere eos poteſt veram iuſtitiam: falſoſq; magiſtros deſtruant, à quibus nõ diſcunt iuſtitiam, ſed iniquitatem. *Tom.5.lib.2.Com. in cap.10.Oſeæ.*

*Hæretici non ſunt Chriſtiani.*
*In veteri teſtamento magis iuſtitia: in nouo magis elucet miſericordia.*

HAEC dicit Dominus: Super tribus ſceleribus Gazæ.&c.] Gaza quæ ſibi fortitudinem ſcientiæ ſuæ & imperium repromittit, accuſatur in eo quod captiuos de familia Salomonis concluſerit in Idumæa. Hos ego arbitror Iudæorum Magiſtros, & omnes, qui occidentem ſequuntur literam, noluntque ſpiritum recipere viuificantem, ſed quæcunque interpretantur & ſapiunt, volunt eſſe terrena: nec audiunt cum diſcipulis parabolas Dominum diſſerentem, & dicentem eis: Qui habet aures audiendi audiat: præſertim cum Apoſtolus manifeſtam hiſtoriam in duobus intelligat teſtamentis: Vnum ſuper montem Sina, quæ eſt Agar, & ſeruit cum filijs ſuis: alterum ſuper Hieruſalem libera, quæ eſt mater noſtra. Ignem igitur ſe in muros Gazæ, & omnia eius dicit argumenta miſſurum, quibus ſua mendacia circundare nititur & tueri. *Tom.5.lib.1.Co.in cap.1.Amos.*

*Luc.8.*
*Gal.4. Typus vtriuſque teſtamenti.*

SIMVL hoc attendendum, quod hæc ipſa vel aſſumptio, vel onus, vel pondus, Prophetæ viſio ſit. Non enim loquitur in ἐκστάσει, vt Montanus, & Priſca Maximillaque delirant: ſed quod prophetat, liber eſt viſionis intelligentis vniuerſa quę loquitur, & pondus hoſtium facientis in ſuo populo viſionem. *Tom.5.Commentar.in Proœmio in Nahum.*

*Montanus et Priſca & Maximilla delirant prophetas in ἐκστάσει loquutos.*

NECNON hoc animaduertendum, quod aſſumptio vel pondus, quæ eſſe iam diximus, prophetæ viſio eſt, & aduerſum Mõtani dogma peruerſum intelligit quod videt: nec vt amens loquitur, nec in morem inſanientium fœminarum dat ſine mente ſonum. Vnde & Apoſtolus iubet, vt ſi prophetantibus alijs, alij fuerit reuelatum: taceant qui prius loquebantur. Et ſtatim: Non eſt enim, inquit, Deus diſſentionis, ſed pacis. Ex quo intelligitur, cum quis voluntate reticet, & alteri locum dat ad loquendum, poſſe & loqui & tacere cum velit. Qui autem in ecſtaſi, id eſt, inuitus loquitur, nec tacere nec loqui in ſua poteſtate habet. *Tomo quinto Commentari.in Proœmio in Habacuc.*

*Montanus putauit prophetas tanquam amentes loquutos*
*1.Cor.14.*

DA partem ſeptem, & quidem octo: quia non ſcis quid futurum malum ſit ſuper terram &c.] Poſt Ethicum illum Pſalmum, id eſt, cẽteſimum octauum & decimum, quindecim graduum Pſalmi ſunt: per quos primum erudimur in lege, & ſeptenario numero expleto, poſtea per ogdoadẽ ad Euangelium ſcandimus. Pręcipitur ergo vt in vtrunq; inſtrumentum, tam vetus ſcilicet quam nouum pari veneratione credamus. Iudæi dederunt partem ſeptem credentes ſabbatum: ſed nõ dederũt octo, reſurrectionem diei dominicę denegantes. E contrario hæretici, Marcion & Manichæus, & omnes qui veterem legem rabido ore dilaniant, dant partem octo, ſuſcipientes Euãgelium: ſed eandem ſeptenario numero non tribuunt, legem veterem reſpuentes. Nos igitur vtrique inſtrumento credamus. Non enim poſſumus dignos cruciatus, dignamque pœnam iam nunc de mente comprehendere: quæ repoſita eſt his qui verſantur in terra, Iudæis atque hæreticis, è duobus alterum denegantibus. *To.5.Co.in c: 11.Eccleſiaſtis.*

*Pſalmus 118. eſt totus ethicus.*
*Vtrique teſtamento credendum.*

VERBA ſapientum vt ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, &c.] Ne videretur poſt legem Dei, temerarius ſubito præceptor erumpere, & ſibi vendicare doctrinam, quam Moyſes, non tam ſua ſponte quàm Deo iraſcente primum, dehinc inſpirante ſuſceperat: dicit ſua verba eſſe ſapientum, q̃ in ſimilitudinem ſtimulorũ corrigant delinquentes, & pigros mortalium greſſus aculeo pungente commoueant: ſicque ſint firma quaſi claui in altum ſolidumque defixi: nec authoritate vnius ſed conſilio atque conſenſu magiſtrorum omnium proferantur. Et ne cõtemneretur humana ſapientia, ait eam ab vno paſtore conceſſam: id eſt, licet plurimi doceant, tamen doctrinæ author eſt vnus Dominus, facit hic locus aduerſus eos, qui alium legis veteris, alium Euangelij exiſtimant Deũ, quod vnus paſtor concilium prudentum inſtruxerit. Prudentes autem tam prophetæ ſunt quàm Apoſtoli. *Tomo quinto Com.in caput duodecimum Eccleſiaſtis.*

*Quomodo verba ſapiẽtum ſint ſtimuli.*
*Vnus Deus legis & euãgelij.*

ET reddam vobis annos quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo & eruca: fortitudo mea magna, quam miſi in vos.] Quærimus cur eruca fortitudo vel virtus Domini appellata ſit, & non ſolum virtus, ſed virtus magna? Quomodo potentia Dei in Aegyptijs plagis oſtenſa eſt per parua animalia, & præcipuè cyniphes, qui tam parui ſunt culices, vt vix cernantur oculis. Sic nunc in paruo tardoque vermiculo, qui vix moueri poteſt, & leui tactu conteritur, Dei potentia & humana fragilitas demonſtratur. Non quo Deus ad nutum ſuum & potentiæ maieſtatem nequeat terras ſubuertere, & operire cũcta diluuio, vel fulmine concremare, ſed per parua, & vt ita dicã, puncta corporum oſtendit humanam fragilitatem. Vnde & illud ſolemus Marcioni & cæteris reſpondere hæreticis, qui vetus laniant teſtamẽtum: quod & pulices & culices & cimices, & huiuſcemodi animantia iccircò fecerit Deus, vt fragilitatem & imbecillitatem noſtræ carnis oſtenderet: quæ in tantum nihil eſt, vt ab his quæ parua ſunt vulneretur. Si autem eruca paruuſque vermiculus fortior homine eſt, quid gloriatur terra & cinis, & elata per ſuperbiam (cum ex humo ſit à quo homo appellatur) humana contemnit? *Tom.5.Com.in cap.2.Ioëlis.*

*Noſtra fragilitas & Dei potentia ſimilitudine vermiculi oſtenditur.*
*Reſponſio ad obiectionem Marcionis qui vetus laniat teſtamẽtum.*
*Eccle.10.*

VOS quoq;, quos iuſtè poſt pœnitentiam vocos filios Sion & Eccleſiæ, lætamini atque gaudete, quia dedit vobis Deus pater doctorem iuſtitiæ, ſiue tribuit vobis alimenta iuſtitiæ & deſcendere fecit ad vos pluuias temporaneas atque ſerotinas pluuia tempeſtiua eſt, quando primũ doctrinam ſuſcipimus: pluuia ſerotina quãdo laboris noſtri fructus recipimus, & ad perfectam ſanctarum ſcripturarum ſcientiam peruenimus. Poteſt pluuia temporanea & ſerotina, vetus & nouum accipi teſtamentum. *Ibid.vt ſupra.*

*Pluuia temporanea & ſerotina vet & nouum teſtamentum.*

QVIA

*Locus veteris teſtamẽti à calumnijs Manichæi & Marcionitarum vindicatur. Luc 10. Eſa.14.*

QVIA deſcẽdit malum à Domino in portam Hieruſalem] Quod infertur: quia deſcenderunt mala Domino ſuper portas Hieruſalem. Et Marcionitæ ac Manichæi vtũtur hoc ſcripto: eò quod legis Deus malorum ſit conditor, Sic dicamus mala à Domino deſcendiſſe, quomodo & Saluator loquitur in Euangelio: Videbam Sathanam: quaſi fulgor de cælo cadentem, Quomodo enim ibi cecidit de cęlo Lucifer, qui mane oriebatur, & contritus eſt ſuper terram, qui mittebat ad gentes: ſic & hæc mala quæ a Domino ceciderunt, & venerunt ad portas Hieruſalem, antequam caderent, non erant mala, ſed quia à Domino corruerunt, iccirco facta ſunt mala. *Tom. 5. Com. in caput. 1. Micheæ.*

*Hæreticorũ dogmata ſũt ſtercora. Philip. 2.*

LEGI in cuiuſdam volumine, propterea cantharum ſuper hæreticis intelligi, quia dogmata habeant ſtercori comparanda. Vnde & Apoſtolus doctrinæ veteris errorem dicit ſe reputaſſe in ſcybala, id eſt, in ſtercora. Non quod lex vetus, vt Manichæi arbitrantur, ad comparationẽ Euãgelij ſcybala computetur (quod impium eſt dicere, cum vnius Dei vtrumque ſit teſtamẽtum) ſed quod doctrinæ phariſæorum, & præcepta hominum & δευτερώσεις, Iudæorum ſtercora dicantur ab Apoſtolo, *Tom. 5. Commentario. in cap. 2. Habacuc.*

*Vetus teſtamentum non eſt ſtercus.*

*In medio noui & veteris teſtamenti Dominus cognoſcitur.*

IN medio duorum animalium cognoſceris.] Sunt qui duo animalia, duo intelligant teſtamẽta, nouum & vetus, quæ verè animalia ſint, atq; vtilia quæ ſpirent, & in quorum medio Dominus cognoſcatur. *Tom. 5. Com. in cap 3. Habacuc.*

INVALVERVNT ſuper me verba veſtra dicit Dominus. Et dixiſtis: quid locuti ſumus contra te, &c.] Populus qui de Babylone reuerſus, videbatur Dei habere notitiam, & obſeruare legem, & intelligere peccatum ſuum, & pro peccato offerre victimas, decimas reddere, obſeruare ſabbathum, & cœtera quæ DEI lege præcepta ſunt: cernens cunctas in circuitu nationes rebus omnibus abundare, ſe in penuria & fame & miſeria conſtitutum, ſcandalizabatur ad ſingula, atque dicebat. Quid mihi prodeſt, quia vnum & verum Deum colo, abominor idola, & compunctus conſcientia delictorum ante Deum triſtis incedo? Quem locum vt ſupra diximus, ſeptuageſimus & ſecundus Pſalmus plenius latiuſque proſequitur. Vnde propheta, qui eſt medicus ſpiritualis, medetur cunctis vulneribus, & verba blaſphemiæ in creatorem recidere conteſtatur, & dicit ex perſona Dei. Inualuerũt ſu p me veſtra verba, ſiue ingrauata ſunt: Etenim iuxta Zacha. iniquitas ſedet ſuper talentum plumbi; & quod contra Deum dicitur, graui blaſphemiarũ mole deprimitur. Qui non intelligentes verba grauiſsima & blaſphemiam ſuam, interrogant: quid locuti ſumus contra te? Quibus reſpondit Dominꝰ: Dixiſtis, vanus eſt qui ſeruit Deo, & quod emolumentum, quia cuſtodiuimus præcepta eius? In præſenti ſæculo mercedem pro Dei exigũt ſeruitute: ideo non recipiunt. Et quia ambulauimus triſtes coram Domino, iuxta illud quod ſcriptum eſt in Pſalmis: Tota die triſtis ingrediebar. Beatos igitur dicimus arrogantes, qui ſuperbiunt contra Deum, & impia blaſphemiarum verba iaculantur. Si quidem ædificati ſunt, & poſt ſcelera atque blaſphemias proſperis omnib. perfruuntur. Tentauerunt Deum: ſiue reſtiterũt Deo, & ſalui facti ſunt: Salutem, fœlicitatem pręſentis ſęculi putant, & iccirco decipiũtur errorib. Hæc & de hæreticis Marcione & Valentino, & cæteris qui vetus non recipiunt teſtamentum, & contra creatorem mundi loquuntur, intelligere poſſumus: quod proficiãt in impietate ſua, & multos ſceleris ſocios habeant: ad quos ſcandalizati, qui in Eccleſia perſeuerant, & ignorantes cauſam iudicij Dei, prophetæ verba contexunt. *Tom. 5. Com. in cap. 3. Malachiæ.*

*Zach. 5.*

*Multi hæreticorum ſucceſſu incremento et progreſſu offenduntur.*

*Tam in nouõ quã in veteri lege manſuetudo docetur*

SED ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, &c.] Eccleſiaſticus vir deſcribitur, imitator eius qui dicit: Diſcite à me: quia mitis ſum & humilis corde. Et pollicitationem ſuam percuſſus alapa comprobat: Si malè locutꝰ ſum, argue de malo: ſin autem bene quid me cædis? Tale quid & Dauid loquebatur in Pſalm. Si reddidi retribuentib. mihi mala & Hieremias in lamentationibus bonum eſt homini cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Dabit percutienti ſe maxillam: ſaturabitur opprobrijs Hoc aduerſum eos qui putant alterum DEVM legis, alterum Euangelij: quod & ibi & hic manſuetudo doceatur. *Tom. 6. Com. in cap. 5. Matt.*

*Ioan. 18.*

*Pſal. 7. Tren 3.*

*Idem Deus legis & euãgelij.*

TVNC tetigit oculos eorum, dicens: ſecundũ fidem veſtram fiat vobis, &c.] Audiant Marcion & Manichæus, & cæteri hæretici, qui vetus laniant inſtrumentum, & diſcant Saluatorem appellari filium Dauid: Si enim non eſt natus in carne, quomodo vocatur filius Dauid. *To. 6. lib. 1. Com. in cap. 9. Matth.*

*Locus pro vtroque teſtamento cõtra Marcionem & Manichæum.*

ITERVM ſimile eſt regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas &cæ.] Bonæ margaritæ, quas quærit inſtitor, lex & prophetæ ſunt. Audi Marcion, audi Manichee: Bonę margaritæ ſunt lex & prophetę, & notitia veteris inſtrumenti. Vnum autem eſt pretioſiſsimum margaritum, ſcientia Saluatoris & ſacramentum paſsionis illius, & reſurrectionis arcanum. Quod cum inuenerit homo negotiator, ſimilis Pauli Apoſtoli, omnia legis prophetarumque myſteria & obſeruationes priſtinas, in quibus inculpatè vixerat, quaſi purgamenta contemnit, & quiſquilias, vt Chriſtum lucrifaciat. Non quo inuẽtio nouæ margaritæ condemnatio ſit veterum margaritarum, ſed quo comparatione eius omnis alia gemma vilior ſit. *Tom. 6. lib. 2. Commenta. in cap. 3. Matthæi.*

*Pretioſiſsimæ margarita ſciẽtia Saluatoris.*

*Nouum teſtamentum per omnia non tollit vetus ſed præſtantius eſt.*

RESPONDERVNT ei: Non habemus hic niſi quinque panes, & duos piſces.] Eſt hic quidã puer, qui habet quinque panes, qui mihi ſignificare videtur Moyſen. Duos autem piſces, vel vtrunque intelligimus teſtamentum: vel, quia par numerus, refertur ad legem. Igitur Apoſtoli ante paſsionem Saluatoris, & coruſcationem Euangelij fulgurantis, non habebant niſi quinque panes, & duos piſciculos. qui in ſalſis aquis & in amaris fluctibus verſabantur. Qui ait eis: Afferte mihi illos huc. Audi Marcion, audi Manicheæ: quinque panes & duos piſciculos ad ſe afferri iubet Ieſus: vt eos ſanctificet atque multiplicet. *To. 6. lib. 2. Com. in cap. 14. Matt.*

*Duo piſces vtrunq; teſtamentum.*

DE reſurrectione autem mortuorum non legiſtis &c.] Supra diximus Sadducæos nec angelum, nec ſpiritum, nec reſurrectionem corporũ confitentes, animarum quoque interitum prædicaſſe. Hi quinque tantum libros Moyſi recipiebant, prophetarum vaticinia reſpuentes. Stultum

*Sadducæi prophetas reſpuebant.*



ergo erat inde proferre teſtimonia, cuius authoritatem non ſequebantur. *Tom. 6. lib. 3. Co. in cap. 22. Matthæi.*

*Locus contra Marcionitas pro authoritate prophetarum & veteris teſtamenti.*

O inſenſati Galatæ, quis vos facinauit.] Interrogemus hoc loco Marcionem, qui prophetas repudiat, quomodo interpretetur id quod ſequitur. Ante quorum oculos Ieſus Chriſtus proſcriptus eſt, &c.] Nobis rectè proſcriptus eſt Chriſtus, decuius patibulo & paſsione, alapis, & flagellis, omnis prophetarum prædicit chorus: vt crucem ipſius non de Euangelio tantum in quo crucifixus refertur, ſed multò antequam deſcendere dignaretur ad terras, & hominem qui eſt crucifixus aſſumeret, nouerimus. Nec parua laus Galatarum eſt, quod ita crediderint in crucifixum, vt ante fuerat eis proſcriptus: quo ſcilicet lectitantes prophetas, & omnia veteris legis ſacramẽta noſcentes, via & ordine venerint ad credendum. *Tom. 6. lib. 1. Com: in cap. 3. ad Gal.*

*Marcion Deum veteris teſtamenti crudelem et ſanguinariũ infamat.*

CHRISTVS nos redemit de maledicto legis, &c.] Subrepit in hoc loco Marcion de poteſtate creatoris, quem ſanguinarium, crudelem infamat & vindicem, aſſerens nos redemptos eſſe per Chriſtum, qui alterius boni Dei filius ſit. Qui ſi intelligeret quo differret, emere & redimere (qa qui emit, alienum emit: qui autem redemit, id emit propriè quod ſuum fuit, & ſuum deſinit) nũquam ſcripturarum verba ſimplicia, in calumniam ſui dogmatis detorqueret. Redemit ergo nos Chriſtus de maledicto legis, quod peccantibus conſtitutum eſt: quod ipſe increpat per prophetam dicens: Ecce peccatis veſtris venditi eſtis & in iniquitatibus, dimiſi matrem veſtram. Et Apoſtolus; hoc ipſum replicat, dicens: Ego autẽ carnalis ſum venundatus ſub peccato, Maledicta quoque legis, quæ in Leuitico & Deuteronomio ſcripta ſunt, non Deo authore complentur, ſed ſpiritu prophetico his qui peccaturi erãt, ea quę ventura ſunt nunciantur. Quod ſi Apoſtoli voluerit nos teſtimonio coarctare, dicentis: Quicunq; ex operib. legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Scriptum eſt enim: Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea: & aſſerere omnes qui ſub lege fuerunt, fuiſſe maledictos: interrogemus eum, vtrum hi qui ſub Euangelio Chriſti ſunt, & eius præcepta non faciunt, maledicti ſint an non? Si maledictos dixerit, id habebis in Euangelio, quod nos habemus in lege. Si maledictos negauerit, fruſtra ergo Euangelij præcepta ſunt poſita, & abſque mercede erunt hi qui illa cõpleuerint. Soluitur itaque vtrumque hoc modo. Quomodo Chriſtus Ieſus ex maledicto legis nos liberauit, factus pro nobis maledictum, ita de maledicto quoque Euangelij, quod ſtatutum eſt ſuper eos, qui eius præcepta non fecerint, eruit nos: factus pro nobis ipſe maledictum, ſciens talenti quoque minimam non dimittere portionem, & nouiſsimum exigere quadrantem. *Tom. ſexto libro ſecundo Commentariorum in caput tertium ad Galatas.*

*Eſa. 50.*

*Rom. 7.*

*Deut. 17.*

*Dilemmate conſtringit Marcionitas arctius quã vt elabi poſſint.*

*Non ſolum legis ſed & euangelij ſunt maledicta.*

*Obiectio contra authoritatem veteris teſtamenti ſoluitur.*

NVNC verè cognoſcentes Deum, magis autẽ cogniti ab eo &c.] Legem nobis Moyſi infirma & egena dicentibus elementa, occaſionem inueniunt hæretici, vt detrahant creatori, quia mundum condiderit, & legem ſanxerit. Quibus nos reſpondebimus id quod ſupra diximus, infirma his eſſe & egena elementa, qui ad ea poſt Euangelij gratiam reuertuntur. Antequam verò præfinitum tempus veniret à patre, non tam infirma & egena appellata eſſe elementa, quam mundi. Denique prius quam Chriſti in toto orbe Euãgelium coruſcaret, habuerunt ſuum fulgorem præcepta legalia: poſtquam verò maius Euangelicæ gratiæ lumen effulſit, & ſol iuſtitiæ toti mundo ſe prodidit, ſtellarum lumen abſconditum eſt, & earum radij caligauerunt: ita vt Apoſtolus in alio loco diceret: Nã nec glorificatum eſt quod glorificatum fuit, in hac parte, propter excellentem gloriam. Quod alijs verbis nunc loquitur, vt dicat: lex Moyſi quæ ante Euangelium diues & opulenta & clara fuit, poſt aduentum Chriſti ad comparationem eius, quaſi infirma & egena, imminuta atque deſtructa eſt ab eo qui maior fuit Salomone, & tẽplo & Iona. Quod enim ſcriptum eſt: Illum oportet creſcere, me autem minui: non tam ex Ioannis, quam ex legis perſona dictum puto: quia ſemper cedunt minora maioribus, & perfecta initijs pręponuntur. *Tomo ſexto libro ſecundo Commentariorum in caput 4. ad Galatas.*

*2. Cor. 3.*

VTINAM & abſcindantur qui vos conturbãt &c.] Quæritur quomodo Paulus diſcipulus eius qui ait: Benedicite maledicentibus vobis: & ipſe loquens: Benedicite, & nolite maledicere: & in alio loco: Neq; maledici regnum Dei poſsidebunt: Nũc & maledixerit eis, qui Eccleſias Galatię conturbabant: & cum optantis voto maledixerit: Vtinam & abſcindantur qui vos conturbãt. Tam. n. deteſtanda abſciſsionis eſt paſsio, vt & qui inuitis eã intulerit, legibus publicis puniatur, & qui ſeipſum caſtrauerit, infamis habeatur. Vt enim illud (aiunt) verum ſit: Viuit in me Chriſtus, & hoc: An experimentum quæritis eius qui in me loquitur CHRISTVS, certè maledictionis vox non poteſt eius intelligi, qui dicit: Diſcite à me, quia humilis ſum, & mitis & manſuetus corde. Et magis putatur Iudaico furore, & quadam effrenata inſania ſe nõ potuiſſe cohibere, quàm imitatus eſſe eum, qui tanquam agnus coram tondente ſe non aperuit os ſuum, & maledicentibus no remaledixit. Tradidit autem ſe morti cõdemnatus. Ad quod qui pro Paulo reſpondebit, hæc dicet, non tam furoris in aduerſarios, quam dilectionis in eccleſias Dei verba eſſe quæ locutus ſit, videbat quippe totã prouinciam, quam ipſe ſuo ſanguine & periculis ab idololatria ad Chriſti tranſduxerat fidem, ſubitã perſuaſione turbatam, & dolore Apoſtolico, dolore patris ſe tenere nõ poterat: mutabat vocem, & quibus blanditus fuerat, iraſcebatur, vt quos nequiuerat lenitate, ſaltem obiurgatione retineret, nec mirum eſſe ſi Apoſtolus vt homo, & adhuc vaſculo clauſus infirmo, videnſque aliam legem in corpore ſuo captiuantem ſe, & ducentem in lege peccati, ſemel fuerit hoc locutus: in quod frequẽter ſanctos viros cadere perſpicimus. Sed & illud dici poteſt, (licet ſuperfluum quibuſdam eſſe videatur:) quod Paulus non tam maledixerit eis: quam orauerit pro illis, vt eas partes corporis perderent, per quas delinquere cogebãtur. Et quomodo in Euãgelio dictum eſt: melius eſſe aliquẽ ſine oculis, & ſine manu, & ſine, pede & qualibet alia parte, membrorum intrare in regnum cælorum, quam totum ire in gehennam, Ita & nunc optare eis magis vnam partem corporis

*Luc. 6.*

*Rom. 12. 1. Cor. 15.*

*Non modo in veteri ſed et in nouo teſtamento ſunt ſeueriſsimæ cõminationes contra Marcionem*

*2 Cor. 15.*

*Matt. 11.*

*1. Pet. 2.*

*Rom. 7.*

*Matt. 18.*

poris perpetuo igne damnari. Hic locus ſi quando ab Ethnicis reprehenditur: quomodo eis reſponderi poſsit, oſtendimus. Nunc à nobis contra hæreticos proferatur: Marcionem videlicet & Valẽtinum & omnes qui contra vetus laniant teſtamentum: qua ratione illi, qui creatorem ſanguinarium, ſeuerum bellatorem, & tantum iudicem criminantur, hoc in Apoſtolo Dei boni valeant excuſare. Et certè nullam puto in veteri lege tam trucem, tam cruentam in aliquos eſſe ſententiam quam vtinam abſcindantur qui vos conturbant. Nec poſſunt dicere oraſſe Apoſtolum pro inimicis Chriſti, qui eius Eccleſias conturbabant: Nec ex dilectione prolatum, quod tumore & indignatione plenum, ipſo verborum pondere demonſtratur. Quicquid ergo illi pro Apoſtolo excuſationis attulerint, hoc nos pro lege veteri defendemus. *To.6.lib.3.C.in ca.5 ad Galat.*

*Accommodatio ſuperiorũ ad ethnicos & hæreticos.*

*Ex nouo teſtamento vetus defenditur.*

SVPERAEDIFICATI ſuper fundamentum Apoſtolorum & prophetarum &cęt.] Quod ſequitur: Aedificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & prophetarum: magis priori quam ſecundæ interpretationi conuenit: in qua ſuperius dixeramus, ante paſsionem Chriſti vicinium Iſrael, & gentes fuiſſe de longe. Hoc teſtimonio & contra Marcionem cæteroſque veteres hæreticos, qui alium Euangelij prædicauit Deum, vti poſſumus. Si enim nequaquam peregrini & accolæ, ſed ciues ſanctorum & domeſtici Dei ſuperædificati ſunt fundamento Apoſtolorum & prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu: in quo omnis ædificatio compaginata, creſcit in templum ſanctum in Domino: In quo & Epheſij coædificantur in tabernaculum Dei in ſpiritu: vnus eſt Deus, vnius ædificationis & templi, quod ſuperædificatum eſt fundamento Apoſtolorum & Prophetarum. *Tom.6.lib.1.Com.in cap. 2.ad Epheſios.*

*Alius locus producitur contra Marcionem.*

QVOD alijs generationibus non fuit notum, &c.] Aut iuxta Montanum, patriarchas & prophetas in ectaſi locutos accipiendum, & neſciſſe quæ dixerint, Aut ſi hoc impium eſt (ſpiritus quippe Prophetarum, prophetis ſubiectus eſt) intellexerunt vtique quæ locuti ſunt. *Tom.6.lib.2. Com.in cap.3.ad Epheſios.*

*Montani error.*

*1.Cor.14.*

QVI volunt prophetas nõ intellexiſſe quod dixerint, ſed quaſi in ectaſi locutos, cum in præſenti teſtimonio, illud quoque ad Romanos in pleriſque codicibus inuenitur, ad confirmationem ſui dogmatis trahunt, legentes: Ei autẽ qui poteſt vos roborare iuxta Euangelium meum, & prædicationem Ieſu Chriſti: ſecundum reuelationem myſterij temporibus ęternis taciti: manifeſtati autem nunc per ſcripturas propheticas, & aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & reliqua: Quibus breuiter reſpondendum eſt, temporibus præteritis tacitum Chriſti fuiſſe myſterium, non apud eos qui futurum illud pollicebantur, ſed apud vniuerſas gentes, quibus poſtea manifeſtatum eſt. Et pariter annotandum, quod ſacramentũ fidei noſtræ, niſi per ſcripturas propheticas, & aduentum Chriſti non valeat reuelari. Sciant igitur, qui prophetas non intelligũt, nec ſcire deſyderant, aſſerentes ſe tantum Euangelio eſſe contentos, Chriſti neſcire myſterium, quod temporibus æternis, gentibus cunctis fuerit ignoratum. *Tomo ſexto lib.ſecundo Commentariorum in caput tertium ad Epheſios.*

*Rom.16.*

*Diſputat cõtra Montanũ hæreticum.*

*Chriſti myſterium non fuit tacitum in veteri teſtamento ſed gentibus ignotum.*

VBI ſunt Marcion & Valẽtinus, & omnes hęretici, qui alterum mundi, id eſt viſibilium, & alterum aſſerunt inuiſibilium conditorem: Hunc iuſtum eſſe dicentes, illum neſcio quem ſemper ignotum, tantum bonum qui pater Chriſti ſit, Ecce, Deus in quo myſterium Chriſti ab omnibus retro ſæculis abſconditum fuit, creator eſſe omnium prædicatur, Ex quo oſtenditur idem eſſe Deus noui & veteris teſtamenti, *Ibidem.*

*Idem Deus noui & veteris teſtamẽti.*

PROPTER hoc relinquet homo patrẽ & matrem &cæter.] Interrogemus Marcionem, qua conſequentia locum iſtum, qui de veteri vſurpatus eſt inſtrumento, in Chriſtum & in Eccleſiam interpretari queat, cum iuxta illum ſcriptura vetus omnino non pertineat ad Chriſtum. *Tom. 6.lib.3.Comm.in cap.5. ad Epheſios.*

FILII obedite parentibus veſtris in Domino, &c.[ Simul & hæreticos coarctabimus, nolentes vetus teſtamentum eſſe Dei boni, cuius filius Chriſtus ſit, Qua ratione Apoſtolus Chriſti, boni Dei filij, ſcriptura creatoris vtatur, & obedientiam filiorum de veteri lege præſumat. Quod teſtimonium de Exodo ſumptum, ita ibi contexitur: Honora patrem tuum & matrem tuam, vt bene ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. De quo nunc vltima verba ſubtraxit, quod mandatum in decalogo quintũ eſt. *Tom.6.lib.3. Commenta.in cap.6.ad Epheſios.*

*Coarctantur hæretici nolentes vetus teſtamentũ eſſe dei boni.*

*Exod.10.*

LICET non ſint digni fide, quam primam irritam fecerunt, Marcionem loquor & Baſilidem, & oẽs hæreticos qui vetus laniant teſtamentũ: tamen eos aliqua ex parte ferremus, ſi ſaltẽ in nouo continerent manus ſuas, & non auderent Chriſti (vt ipſi iactitant) boni Dei filij, vel Euangeliſtas violare, vel Apoſtolos, nunc vero cum & Euangelia eius diſputauerint, & Apoſtolorum Epiſtolas, non Apoſtolorum Chriſti fecerint eſſe, ſed proprias: miror quomodo ſibi Chriſtianorum nomen audeant vindicare. Vt enim de cæteris Epiſtolis taceã, de quib. quicquid contrariũ ſuo dogmati viderãt, eraſerunt: nõnullas integras repudiandas crediderunt: ad Timotheum videlicet vtramque, ad Hebræos & ad Titum, quam tunc conamur exponere. Et ſi quidem redderẽt cauſas, cur eas Apoſtoli non putarent, tẽtaremus aliquid reſpondere, & forſitan ſatisfacere lectori. Nunc verò cum hæretica authoritare pronũcient & dicant: Illa Epiſtola Pauli eſt, hæc nõ eſt: ea authoritate refelli ſe pro veritate intelligant, qua ipſi non erubeſcunt falſa ſimulare. *Tom.6.C. in Proœm.ad Titum.*

*Hæretici quidam reijciũt nõ modo vetus teſtamẽtum ſed & magnam partem noui.*

ANNVNCIATE de die in diem Salutare eius &c.] Duo ſunt dies, vetus teſtamentum & nouum. Et in illo Chriſtus lucet, & in iſto Chriſtus lucet. Nolite eum tantum laudare in veteri teſtamento, ne ſitis Iudęi: Nolite eum tantum laudare in nouo teſtamento, ne ſitis Manichæi: Laudate illum de die in diem, hoc eſt in veteri & nouo teſtamento, quæ duo dies vnam lucem faciunt. Propterea ſcribitur & in Leuitico: Omne autem animal quod findit vngulam & ruminat, mundum eſt. Si ergo vnam habet vngulam, non eſt mundum Iudæus habet vnam vngulam, & propterea immundus eſt. Manichæus vnam habet vngulam, & propterea immũdus eſt. Et quia vnam habet vngulam, non ruminat cibos ſuos: nec id quod ſemel in ventrem miſerit, rurſum educit

*Confirmatiõ vtriuſque teſtamenti.*

*Leuit.11.*



educit ad guttur: & ruminat illud & tenue facit, vt groſſum fuerat, rurſum tenue mittatur in vẽtrem: hoc quidem pertinet ad ſacramenta diuina dicere. Omne animal quod findit vngulam & ruminat, mundum eſt, Iudęus vnam vngulam habet: in vnum enim tantum credit teſtamentũ, & non ruminat. Legit enim tantummodo literam, & nihil cõſyderat, nihil quærit intrinſecus: Eccleſiaſticꝰ verò vngulas findit & ruminat, hoc eſt, in vtrũq; credit teſtamentũ, & in vtroq; teſtamẽto ſæpè requirit. Et quodcunq; latet in litera in ſpiritu, ꝓfert Hoc totũ quare dixi? Quia ſcriptum eſt: Annuntiate de die in diem ſalutare eius. Propterea & Apoſtoli bini mittuntur: propterea non habemus vnum oculum, ſed duos. Propterea duas habemus aures, propterea duas nares, propterea duo labia: propterea duas manus, duos pedes. Nihil in nobis vnum habemus, niſi quod turpe eſt. Et corporis noſtri membra, duorum teſtamentorum ſacramenta teſtantur, *Tomo ſeptimo Com.in Pſal.95.*

*Teſtamenta ruminanda ſunt.*

*Omnia corporis noſtri mẽbra duorum teſtamentorum ſacramẽta teſtantur.*

ET adipe frumenti ſatiat te] Portas Sion diximus Prophetas. Quoniam ergo portas Sion nouimus prophetas dici videamuſq; quæ ſint ſerę portarum: Verę enim Eccleſiæ portæ prophetæ ſunt: Sine prophetis Eccleſiam ingredi non poſſumus, Manichæus intrare voluit ſine portis, & non intrauit. Marcion non recepit vetus teſtamentum, & ſine portis veteris teſtamenti in Euangelium intrare non potuit Nos ergo, recipimus portas prophetas, & per portas ingredimur. Sed videamus quæ ſint ſeræ portarum. Multi latrones, multi fueres cupiunt intrare per portas. Omnes qui ante me venerunt fuerunt fures & latrones. *Tomo ſeptimo Com.in Pſal.147.*

*Per prophetas quaſi portas in Eccleſiam ingredimur.*

*Ioan.10.*

## *III. Articulus. Quis librorum Canonicorum ſit Catalogus.*

*De Canone ſacræ ſcripturæ, ac primum de Canone Eccleſiaſtico in genere ex tom. 3. Epiſt.103.cap. . ad Paulinum, in qua non ſolum ipſum ſacrorum librorum Catalogum recenſet: ſed etiam argumenta ac materiam ſubiectam ſingulorum librorum complectitur eo propoſito ſibi ſcopo ac conſilio, vt obſcuritatem diuinorum oraculorum euincat.*

VIDELICET manifeſtiſsima eſt Geneſis, in qua de creatura mundi, de exordio generis humani, de diuiſiõe terrę, de cõfuſione linguarũ & deſcenſione vſq; ad Aegyp. ſcribitur Hebręorũ. Patet Exodus cũ decem plagis, cum Decalogo cum myſticis diuiniſque præceptis. In promptu eſt Leuiticus liber, in quo ſingula ſacrificia, imo ſingulæ penè ſyllabæ, & veſtes Aaron, & totus ordo Leuiticus, ſpirant cœleſtia ſacramenta. Numeri verò nonne totius Arithmeticę & prophetiæ Balaam & quadraginta duarum per eremum manſionum myſteria continent? Deutronomium quoq; ſecunda lex, & Euangelicæ legis præfiguratio nonne ſic ea habet, quæ priora ſunt vt tamen noua ſint omnia de veteribus? Hucuſq; Moyſes, hucuſq; Pentateuchus: quib. quinque verbis loqui ſe velle Apoſtolus in Eccleſia gloriatur. Iob exemplar patientiæ, quæ nõ myſteria ſuo ordine cõplectitur? Proſa incipit verſu labitur, pedeſtri ſermone finitur: omneſq; leges dialecticæ, propoſitione, aſſumptione, confirmatione, concluſione determinat, ſingula in eo verba plena ſunt ſenſibus. Et (vt de cœteris ſileã) reſurrectonem corporũ ſic prophetat, vt nullus de ea vel manifeſtius vel cautius ſcripſerit. Scio, inquit, quod redemptor meus viuit, & in nouiſſimo de terra reſurrecturus ſũ: & rurſum circundabor pelle mea: & in carne mea videbo Deum. Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. Veniam ad Ieſum Naue, typum Domini non ſolum geſtis ſed etiam nomine. Tranſit Iordanem: hoſtium regna ſubuertit diuidit terram victori populo & per ſingulas vrbes, viculos, montes, flumina, torrentes atq; confinia, Eccleſiæ cæleſtiſque Hieruſalem ſpiritualia regna deſcribit. In Iudicũ libro quot principes populi, tot figurę sũt. Ruth Moabitis Eſaię explet vaticinium dicentis E mitte agnum Domine Dominatorem terræ, de petra deſerti, ad montem filiæ Sion. Samuel in Heli mortuo & in occiſo Saul, veterem legem abolitam mõſtrat. Porro in Sadoch atq; Dauid noui ſacerdotij nouiq; imperij ſacramenta teſtatur. Malachim id eſt Regum, tertius & quartus liber à Salomone vſq; ad Ieconiam & ab Hieroboam filio Nabat vſq; ad Oſee, qui ductus eſt in Aſſyrios, regnum Iuda & regnum diſcribit Iſrael. Si hiſtoriam reſpicias, verba ſimplicia ſunt. Si in literis ſenſum latentem inſpexeris Eccleſiæ paucitas & hæreticorum contra Eccleſiam bella narrantur Duodecim prophetæ in vnius voluminis anguſtias coarctati, multo aliud quam ſonant in litera, prędigurant. Oſee crebro nominat Ephraim, Samariam, Ioſeph, Iezrael, & vxorem fornicariam, & fornicationis filios & adulteram cubiculo clauſam mariti, multo tempore ſedere viduam: & ſub veſte lugubri viri ad ſe reditũ pręſtolari. Iohel filius Phatuel deſcribit terram duodecim tribuum, heruca, brucho locuſta, rubigine vaſtante corruptam: & poſt euerſionẽ prioris populi, effuſum iri ſpiritum ſanctum ſuper ſeruos Dei & ancillas, id eſt ſuper centũ viginti credentiũ nomina, qui effundendus erat in cœnaculo Sion: qui centũ viginti, ab vno vſq; ad quindecim paulatim & per incrementa ſurgentes, quindecim graduum numerum efficiunt: qui in pſalterio myſticè cõtinentur. Amos paſtor & ruſticꝰ, & ruborũ mora diſtringuẽs paucis verbis explicari non poteſt. Quis enim dignè exprimat tria aut quatuor ſcelera Damaſci, Gazæ & Tyri & Idumeæ & filiorũ Ammon, & Moab, & in ſeptimo octauoque gradu Iudæ & Iſrael: Hic loquitur ad vaccas pingues, quæ ſunt in monte Samariæ & ruituram domũ maiorem minoremq; teſtatur. Ipſe cernit fictorem locuſtę, & ſtantẽ Dominũ ſuper murum litũ vel adamantinum, & vncinum pomorum, attrahentem ſupplicia peccatoribus, & famem in terram, non famem panis, nec ſitim aquæ ſed audiendi verbũ Dei. Abdias qui interpretatur ſeruus Dñi pertonat contra Edõ ſanguineum terrenumq; hominẽ. Fratris quoq; Iacob ſemper æmulum haſta percutit ſpirituali. Ionas

*Iob.19.*

*Eſa.26.c.*

Q colum-

columba pulcherrima, naufragio ſuo paſsionem Domini preſigurans, mũdum ad pœnitentiam reuocat: & ſub nomine Niniue ſaluté gentib. nunciat. Micheas de Moraſti cohæres Chriſti vaſtationẽ annunciat filiæ latronis, & obſidionem ponit contra eã quia maxillã percuſſerit iudicis Iſ- *Nahum.1.c.* rael Nahum conſolato rorbis increpat ciuitatem ſanguinũ, & poſt euerſionem illius loquitur: Ecce ſuper montes pedes Euangelizantis & annun- *Habac.3.c.* ciantis pacem. Habacuc, luctator fortis & rigidus ſtat ſuper cuſtodiam ſuam & figit gradum ſuper munitionem, vt Chriſtum in cruce contempletur & dicat: Operuit cœlos gloria eius, & laudis eius plena eſt terra. Splendor eius vt lux erit cornua in manibus eius ibi abſcondita eſt fortitudo eius. Sophonias, ſpeculator & arcanorum domini cognitor audi clamorem à porta piſciũ, & eiulatũ à ſecunda, & contritionem à collibus. Indicit quoq; vlulatum habitatoribus pilæ quia *Pſal.1 5.* conticuit oĩs populus Canaan: diſperierunt vni- *Aggæ.1 c.* uerſi, qui inuoluti erant argento. Aggæus feſtinus & lœtus qui ſeminauit in lacrymis, vt in gaudio meteret, deſtructũ templum ædificat dominumq; patrem inducit loquentem: Adhuc vnum modicum & ego commouebo cœlum & terram, mare, & aridam, & mouebo omnes gentes: & veniet deſideratus cunctis gentibus. Zacharias memor domini ſui, multiplex in prophetia, Ieſum ſordidis veſtibus indutum, & lapidem oculorũ ſepté, candelabrumq; aureum cum totidẽ lucernis, quot oculis, duas quoq; oliuas à ſiniſtris lãpa discernit & dextris vt poſt equos, rubros nigros albos, & varios, & diſsipatas quadrigas ex Ephraim, & equum de Hieruſalem, pauperem regem vaticinetur, & prædicet ſedẽtem ſuper pullũ filiũ *Malac.1.* aſinę ſubiugalis. Malachias apertè, & in fine omnium prophetarũ, de abiectione Iſrael & vocatione gentium. Nõ ait, eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituũ, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſq; ad occaſũ, magnũ eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Eſaiã, Hieremiam, Ezechielẽ & Danielẽ quis poſsit intelligere vel exponere? Quorũ pri- *Hie.2.et.13.* mus nõ prophetiam mihi videtur texere, ſed Euangeliũ. Secundus virgam nuceam & ollam ſuccenſam à facie Aquilonis, & pardum ſpoliatum ſuis coloribus, & quadruplex diuerſis metris nectit alphabetum. Tertius principia & finem tan- *Dane.1.c.* tis habet obſcuritatib. inuoluta vt apud Hebręos iſtæ partes cũ exordio Geneſios ante annos triginta nõ legatur. Quart⁹ verò, qui & extremus inter 4. prophetas, temporũ conſcius & totius mundi philohiſtior lapidẽ pręciſum de mõte ſine manibus, & regna omnia ſubuertẽtẽ claro ſermone pronũciat Dauid. Simonides noſter, Pindarus & Alcæus Flac. quoq;, Catullus & Serenus, Chriſtũ lyra perſonat, & in decachordo Pſalterio ab inferis excitat reſurgentẽ. Salomõ pacificus & amabilis Dñi, mores corrigit, naturam docet, eccleſiam iungit, & Chriſtum ſanctarumq; nuptiarũ dulce canit Epithalamiũ. Heſter in Eccleſię typo populũ liberat de periculo, & interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas partes conuiuij & diẽ celebrẽ mittit & in poſteros. Paralipomenõ liber, id eſt inſtrumenti veteris ἐπιτομή, tantus ac talis eſt vt abſq; illo, ſi quis ſcientiam ſcripturarum ſibi voluerit arrogare, ſeipſum irrideat. Per ſingula quippe nomina, iuncturaſq; verborum, & prætermiſſæ in Regum libris tanguntur hiſtoriæ, & innumerabiles explicantur Euangelij quæſtiones. Eſdras & Neemias adulter videlicet & cõſolator à Dño, in vnum volumẽ coarctãtur inſtaurãt templum, muros extruunt ciuitatis: omniſq; illa turba populi redeuntis in patriam, & deſcriptio ſacerdotum, leuitarum, Iſraelis proſelytorũ, ac per ſingulas familias murorum, ac turriũ opera diuiſa, aliud in medulla. Cernis me ſcripturarum amore raptum, exceſsiſſe modum epiſtolæ, & tamen non impleſſe, quod volui. Audiuimus tantum, quid noſſe quid cupere debeamus: vt *Pſal.118.* & nos quoque poſsimus dicere: Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore. Cœterum Socraticum illud impletur in nos. Hoc tantum ſcio quod neſcio. Tangam & nouum breuiter teſtamẽtum, Matthæus, Marcus, Lucas, & Ioãnes quadriga domini, & verum Cherubin, quod interpretatur ſcientię multitudo, per totum corpus oculati ſunt, ſcintillæ emicant, diſcurrunt fulgura, habent rectos, & in ſublime tendentes terga pennata, & vbiq; volitãtia. Tenent ſe mutuo, ſibiq; perplexi ſunt, & quaſi rota in rota voluuntur, & peragunt quocumq; eos flatus Spiritus ſancti perduxerit. Paulus Apoſtolus ad ſeptem ſcribit Eccleſias (octaua enim ad Hebræos à pleriſq; extra numerum ponitur) *Ezec.1.c.* Timotheum inſtruit ac Titum: Philemonem pro fugitiuo famulo deprecatur. ſuper quo tacere melius puto, quam pauca ſcribere. Actus Apoſtolorum nudam quidem ſonare videntur hiſtoriam, naſcentis Eccleſiæ infantiam texere: ſed ſi nouerimus ſcriptorem eorũ Lucã eſſe me- *2. Cori.8.* dicum, cuius laus eſt in Euangelio, animaduertemus, pariter omnia verba illius, animæ languẽtis eſſe medicinam. Iacobus, Petrus Ioannes & Iudas Apoſtoli ſeptẽ Epiſtolas ediderunt tam myſticas, quã ſuccinctas, & breues pariter & longas, breues in verbis, longas in ſentẽtijs, vt rarus ſit, q non earum lectione cœcutiat. Apocalypſis Ioannis tot habet ſacramenta, quot verba. Parum dixi pro merito voluminis, laus omnis inferior eſt in verbis ſingulis multiplices latent intelligentiæ. *To.3. Epiſt.103. ad Paulinum.c.7.*

PRO gemmis & ſericis diuinos codices amet, in quibus non auri & pellis Babylonicæ vermiculata pictura, ſed ad fidem placeat emendata, & erudita diſtinctio. Diſcat primo Pſalteriũ, his ſe canticis auocet, & in prouerbijs Salomonis erudiatur ad vitam. In Eccleſiaſte conſueſcat, quę mũdi ſunt calcare. In Iob virtutis & patientię exẽpla ſectetur. Ad Euangelia tranſeat, nunquam ea poſitura de manib. Apoſtolorũ Acta & Epiſt. tota cordis imbibat voluntate. Cumq; pectoris ſui cellarium his opibus locupletauerit, mandet memoriæ prophetas, Pentateuchum, & Regum, & Paralipomenõn libros Eſdræ quoq; & Heſter volumina. Ad vltimum ſine periculo diſcat Canticum Canticorum, ne, ſi in exordio legerit, ſub carnalibus verbis, ſpiritualium nuptiarum epithalamium non intelligens, vulneretur. *Tom.1. Epiſtola 7. ad Letam. capit quinto.*



*De canone non Eccleſiæ, ſed Hebræorum in genere.*

QVOMODO viginti duo elementa ſunt, per quę Hebraicè ſcribimus omne quod loquimur, & eorum initijs vox humana comprehenditur: ita 22. volumina ſupputantur, quibus quaſi literis & exordijs, in Dei doctrina tenera adhuc & lactens viri iuſti eruditur infãntia. Primus apud eos liber vocatur Bereſchith, quẽ nos Geneſin dicimus ſecundus Elle ſemot, qui Exodus apellatur. Tertius vaiikra.i. Leuiticus, quartus vaidabber, quẽ Numeros vocamus: Quintus. Elle hadebarim, qui Deuteronomiũ prænotatur Hi ſunt quinq; libri Moyſi quos propriè thora, id eſt legẽ appellant. Secundum prophetarũ ordinem faciunt, & incipiunt ab Ieſu filio Naue, qui apud illos Ioſue ben Nun dicitur: Deinde ſub texunt ſoptim, id eſt Iudicum librum, & in eundẽ compingunt Ruth: quia in diebus Iudicũ facta eius narratur hiſtoria. Tertius ſequitur Samuel, quẽ nós regnorum primũ & ſecundum dicimus; Quartus Melachim, id eſt Regũ, q tertio & quarto Regnorũ volumine continetur. Meliuſq; multo eſt Melachim id eſt regum quã malachoth id eſt regnorum dicere: nõ enim multarum gentiũ regna deſcribit, ſed vnius Iſraelitici populi, qui tribubus duodecim continetur. Quintus eſt Eſaias. Sextus Hieremias. Septimus Ezechiel. Octauus, liber duodecim prophetarũ, qui apud illos vocatur tereaſar. tertius ordo hagiographa poſſidet & primus liber incipit ab Iob, ſecũdus à Dauid, quem quinq; inciſionibus & vno Pſalmorũ volumine comprehendunt. Tertius eſt Salomõ, tres libros habens: Prouerbia, quæ illi parabolas, id eſt, Miſſe appellant. Quartus Eccleſiaſtes id eſt coheleth. Quint⁹ eſt canticũ canticorũ, quẽ titulo ſira ſirim appellãt. Sextus eſt Daniel. Septimus dibre haiamin id eſt verba dierum, quod ſignificãtius χρονικὸν totius diuinæ hiſtorię poſſumus appellare: qui liber apud nos Paralipomenon primus, atq; ſecundus inſcribitur. Octauus Eſdras, qui & ipſe ſimiliter apud græcos & latinos in duos libros diuiſus eſt. Nonus Heſter Atq; ita fiunt pariter veteris legis libri viginti duo id eſt Moyſi quinq; & prophetarũ octo: hagiographorũ nouem: quamquã nonnulli Ruth & Kinoth inter hagiographa ſcriptitẽt, & hos libros in ſuo putẽt, numero ſupputandos, ac per hoc eſſe priſcæ legis libros vigintiquatuor, quos ſub numero viginti quatuor ſeniorum ca. 4. Apocalypſis Ioannis inducit, adorantes agnum, & coronas ſuas proſtratis vultibus offerentes, ſtantibus coram quatuor animalibus oculatis ante & retro, id eſt in præteritum & futurum reſpicientibus & indeſeſſa voce clamantibus: Sanctus ſanctus, ſanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt, Hic prologus ſcripturarum, quaſi galeatum principium, omnibus libris quos de Hebræo vertimus in latinum, conuenire poteſt: vt ſcire valeamus quidquid extra hos eſt, inter apocrypha eſſe ponẽdũ. Igitur Sapientia, quę vulgò Salomõis inſcribitur, & Ieſu filij Sirach liber, & Iudith, & Tobias, & Paſtor non ſunt in canone. Machabæorum primum librum Hebraicum reperi. Secundus græcus eſt: quod ex ipſa quoque phraſi probari poteſt. *Tom.3. Epiſt.106. præfatione in librum Regum.*

QVOD aũt in fine huius teſtimonij ponitur: & gradus eius verſi ad orientem: gradus huius propitiatorij, vel vigintiquatuor libri veteris inſtrumenti debent accipi: qui habebant cytharas in Apocalypſi Ioannis, & coronas in capitibus ſuis: vel ſacramentũ patris & filij & ſpiritus ſancti, in quo nobis vera datur propitiatio. *To. 4. lib. 13. Commen. in cap. 43. Ezechielis vide To. 1. Epiſt. 28. ad Lucinium.* *Scholia.*

*Primò obſeruãdum in catalogo poſtremo Hebræorum triplicem ordinem ſcriptorum ab Hieronymo cõſtitui. primus ordo Canonicorum, quæ, cum verè ſacra ſint à deoq; inſpirata, quibuſque etiam fuerint auctoribus literis conſignata inter omnes conſtat. Alter hagiographorum. tertius eorum quæ ſuppoſititia atq; adulterina eſſe cõſtat, & aprocrypha vocantur. Hagiographorum rurſus duplicem ordinem conſtituit: alter eſt eorum quæ cum Canonicis libris communi omniũ conſenſione numerantur, verũ cũ neq; ad legẽ, neq; ad Prophetas pertineant, à ſanctiſsimis tamẽ viris fuiſſe compoſita, hoc vocabulo deſignauit antiquitas: qualia ſunt Iob, Pſalmi, Salomon, Eſdras, Paralipomenon: alter eſt eorum quæ ita ſuſpexit ſynagoga vetus, vt neque illorum authores eſſent noti, neq; in Canonem ſacrarum ſcripturarum admittẽda exiſtimaret, vt pote Iudith, Tobias, Sapientia, Eccleſiaſticus, Machabæorũ hiſtoria: quæ duæ Hagiographorum ſpecies quamuis eſſent Iudæorum opinione auctoritate valde diſpares, communi tamen vocabulo ſanctorum ſcripta dicebantur, vt in maximo preciò habenda eſſe demonſtrarent. Non me præterit ſecundi generis hagiographa ſemel ab Hieronymo in hoc prologo galeato apocrypha appellari, verum cum ſemper alias hagiographa ab eo dicantur, apocryphorum vocabulo abuſus fuiſſe videtur, cum præſertim tantum hagiographa ab apocryphis diſtent, vt apocrypha ab eo dicantur, quæ non modo fabuloſa, ſed impia etiam atque ſacrilega ſoleant permiſcere. Vide D. Hieronymum in cap. 17. Eſaiæ & in Epiſt. 7. Tom. 1. ad Letam, & Originem homilia 1. in Cantica & Auguſtinum contra Fauſtum lib. 11. ca. 4. Euſebius Cæſarienſis lib. 3. hiſtoria Eccleſiaſtica cap. 3. & 25. tres ſcriptorum ordines ſtatuit. Primum eorum quæ ſine contradictione ſunt legitima & canonica, atq; omnium Eccleſiarum confeſsione minimè dubia. Secundum eorum de quibus fuit à nonnullis dubitatum. Tertium eorum quæ ſuppoſititia ſunt & adulterina, ab omnibuſq; paſsim reyicienda. Hodie tamen ea quæ ſecundi ordinis ſunt canonica dici poſſunt & debent. Alij non diſsimili modo diuidunt libros ſacros in Protocanonicos & Deuterocanonicos. Protocanonici libri indubitatæ fidei, de quorum authoritate nulla vnquam fuit in Eccleſia dubitatio vel controuerſia. Sed ſtatim ab incunabulis naſcentis Eccleſiæ communi omniũ orthodoxorum Patrum conſenſu fuerunt recepti, & ad conſeruandam fidei noſtræ authoritatem aſſumpti. Deuterocanonici illi ſunt, de quibus, quia non ſtatim ipſis Apoſtolorum temporibus, ſed longè poſt ad totius Eccleſiæ notitiã peruenerunt, inter Catholicos fuit aliquando ſententia anceps. Deinde illud obſeruandum quoque eſt, quantum attinet ad varietatem numeri in computandis libris ſacris, alios veteris teſtamenti libros ſeorſum ponere, atq; ſingulatim diſtingere in vniuerſum omnes, cõnumeratis etiã particularib. qui alioqui ſub alijs veluti generalioribus cõtineri videtur: horum quidam numerant 45. idq; iuxta cõmunem ſupputationem, quæ in Eccleſiaſtico canone habetur & Concil. Florent. & Trident. Seſsione. 4. Alij recenſent 46. qui Threnos ſiue Lamentationes Hieremiæ, ab ipſius prophetia ſeparant, atq; ſic vno libro priorem numerum augent. Alij libros particulares nonnullos ſub generalibus comprehendunt capitibus: & hi ſtatuunt modo 44. libros iuxta partitionem Auguſtini, eò quod is librum*

*Faru . h ſub Hieremia comprehendat. porro in cæteris cõuenit cum Florentini & Tridentini Concilij ſententia: alij ſtatuunt dunxtat veteris Teſtamenti libros ſacros 22. vt ſecundum Hebræos Hieronymus qui duodecim prophetas in vnum contraxit volumen & pro Regum quatuor ponit tantum duos omiſſis etiam penitus ijs quæ dicuntur Iudæis apocrypha, atq; ita ſi hiſtoria Ruth Iudicũ libro, et Threnorum liber prophetiæ iungatur Hieremiæ 22. ſin verò ſinguli pro ſingulis accipiantur tractatibus 24. libri euadent Poſtremo generatim ſemel diligenter notandũ ad omnia hæreticorum quæ ex D. Hieronymo producuntur retundẽda argumenta quod Hieronymus in cenſendis Canonicis libris non tam ſuam & Eccleſiæ ſententiam cõmemoret: quã potius Hebræorum opinionem aperiat atq; ſequatur.*

*2. libro de Doctrina Chriſti. c. 8.*

## De Canone Eccleſiaſtico veteris Teſtamenti in ſpecie, ac primum de authoritate Pentateuchi ſeu quinq; librorum Moyſi.

*De Canone ſcripturæ vide D. Driedonem lib. 1. de ſcripturis & dogmatibus Eccleſiaſticis.*

TRANSIVIT Sichem, non vt pleriq; errantes legunt, Sichar, quæ nunc Neapolis appellatur, & ex latore montis Garizim extructã circa puteum Iacob intrauit Eccleſiam: ſuper quo reſidens Dominus, ſitienſq; & eſuriens, Samaritanæ fide ſatiatus eſt: quæ quinq; Moſaicorum voluminum viris ſextoq;, quem ſe habere iactabat, errore Doſithei derelicto, verum Meſſiam & verum reperit Saluatorem. *Tom. 1. Epiſt. 27. ad Euſtochium cap. 6.*

SIVE Moyſen dicere volueris, authorem Pentateuchi ſiue Eſdram eiuſdẽ inſtauratorem operis, non recuſo. *To. 2. aduerſus Heluidium ca. 3. de perpetua Virginitate B. Mariæ virginis.*

*vide tom. 6 lib. 2. Co. in cap. 14. Matthæi cano. 18 fa. 2. Mat. 14. c. Ioan. 4.*

TREDECIM cubiti poſt octonarium numerum librorum Moyſi continent ſacramentum: qui & in quinq; monſtrantur panibus, & in Samaritana Euangelij: quæ arguitur quod quinq; habuerit viros, & ſextum quem ſe putat habere, non habebat, & tamen, octonarinus & quinarius numerus, vno cubito, id eſt, quarto decimo cõſummatur, quia in Chriſto recapitulantur omnia. Vnde dicitur: & cubit⁹ vnus finis vtrinq;: dũ & vetus & nouũ teſtamentum, vna Chriſti menſura cõplectitur, & altitudinem triginta cubitorum arcæ Nohæ, vnus cubitus includit. *Tom. 4. li. 12. Com. in cap. 40. Ezechielis. vide etiam Tom. 3. præfatione 104. in Pentateuchum ad Deſiderium.*

*Vide quoq; de Pentateucho to. 3. Ep. 39. ad Cyprianum.*

## Ruth.

HEBRAEI in Iudicum librum compingunt Ruth quia in dieb. Iudicũ facta eius narratur hiſtoria. *To. 3. Epiſt. 106. præfatione in lib. Reg.*

## Deuteronomium.

FALSAS de ſcripturis diaboli ſagittas veris ſcripturarum frangit clypeis, & notandum quod teſtimonia neceſſaria de Deutronomio tantum protulerit, vt ſecundę legis ſacramenta mõſtraret. *Tom. 6. lib. 1. Com. in c. 4. Matthæ.*

## De quartuor libris Regum.

MISERAM quedã τῶν ὑπομνημάτων in prophetas duodecim ſancto patri Domnioni, Samuelem quoq; & Malachim id eſt, quatuor Regũ libros. quę ſi legere volueris, probabis, quantæ difficultatis ſit diuinam ſcripturã & maximè prophetas intelligere. *Tom. 2. Epiſt. 52. ad Pammachium pro libris ſuis aduerſus Iouinianum.*

## De Thobia.

MIRARI non deſino exactionis veſtræ inſtantiam: exigitis enim vt librũ Chaldæo ſermone conſcriptum, ad latinum ſtylũ traham, librum vtiq; Thobiæ, quem Hebræi de Catalogo diuinarum ſcripturarum ſecantes, his quæ hagiographa memorant manciparunt. Feci ſatis deſiderio veſtro, non tamen meo ſtudio. arguunt enim nos Hebręorum ſtudia, & imputant nobis contra ſuum Canonem, latinis auribus iſta transferre. ſed melius eſſe iudicans phariſæorum diſplicere iudicio, & Epiſcoporũ iuſsionib. deſeruire, inſtiti, vt potui, & quia vicina eſt Chaldæorum lingua ſermoni Hebraico; vtriuſq; linguæ peritiſsimum loquacẽ reperiens, vnius diei laborem arripui; & quicdquid ille Hebraicis literis mihi expreſsit hoc ego, accito notario, ſermonibus Latinis expoſui *Tom. 3. Epiſt. 110. ad Chromatium & Heliodorum in prologo Tobiæ.*

*Hebræorum ſcilicet to. in c. 8. Danielis.*

*Tobiæ. 14. c.*

LIBER Tobię licet non habeatur in Canone, tamen quia vſurpatur ab Eccleſiaſticis viris, tale quid memorat: dicente Tobia ad filium ſuũ: Fili Ecce ſenui, & in eo ſum, vt reuertar de vita mea: Tolle filios tuos, & vade in Mediam fili: ſcio enim quæ loquutus eſt Ionas propheta de Niniue quoniã ſubuertetur. *To. 6. Proœmio in Ionã.* *Scholia.*

TAMETSI *in prologo galeato Sup. & in prologo Tobiæ, Tobiam extra canonẽ ponat & inter apocrypha numeret: tamen Hieronymum de Canone Iudaico & non Eccleſiaſtico loqui ſatis oſtendunt apertè ſuperiora verba in prologo Tobiæ. arguunt nos Hebræorum ſtudia, & imputant nobis contra ſuum canonem, latinis auribus iſta transferre, ſed melius eſſe iudicans phariſæorum diſplicere iudicio, & Epiſcoporum iuſsionibus deſeruire, inſtiti vt potui, &c. Locum autem qui contra adducitur, ex præfatione in Prouerbia nihil moramur, cum liquidò ſatis iã conſtet iſta Cõmentaria neutiquam eſſe Hieronymi. Porrò Hieronymi ætate Tobiam in Canonem relatum fuiſſe locuples teſtis eſt B. Auguſtinus in 2. libro. de Doctrina Chriſtiana cap. 8. & Concilium Carthaginenſe 3. cui interfuit D. Auguſtinus in Catalogo ſacrarum literarum Tobiam recenſet. Quoties aũt reliqui nonnulli Patres Thobiam è Canone excludunt intelligendi ſunt quod Thobias non Protocanonicis ſed Deuterocanonicis accenſeatur. Cæterum ne de Thobiæ authoritate vlterius ambigas, certè vetuſtiſſimi quique Eccleſiæ Patres de ipſo, ceu de Canonica ſcriptura teſtimonia adduxerunt. inter alios verò Clemens primus eius nominis pontifex Epiſtola 1. & 2. & Anacletus in ſuo primo decreto, Alexander primus in Epiſtola prima ad confirmationem ſanctiſſimæ Trinitatis vtitur teſtimonio benedictionis Thobiæ, inquiens. Si Trinitas non eſt, cur Thobias cum filium ſuum mitteret in Rages ciuitatem cum Raphaele archangelo, benedicens eos ita dixiſſe docetur. Deus Abraham & Deus Iſaac & Deus Iacob ipſe benedictionem ſuam impleat in vobis: Innocentius quoq; 1. in ſua decretali Epiſtola ad Exuperium. Calliſtus Papa 1. in ſecundo Decreto, & Marcellus Papa 1. in. 2. Epiſtola huius hiſtoriæ teſtimonia allegarunt.*

*Synodus etiam 70. Epi. ſub Gelaſio 1. coacta & Concil. Tridenti.*

## Iudith.

LEGIMVS in Iudith (ſi cui tamen placet librũ recipere) viduam confectam ieiunijs & habitu lugubri ſordidatam, quæ non lugebat mortuum virum, ſed ſqualore corporis ſponſi quærebat aduentum &c. *Tom. 1. Epiſtola 10. ad Furiam cap. 6.* *Scholia.*

*Sic etiam accipe Hieronymum to. 3. Epiſt. 115.*

PARENTHESIN *ſuperiorem interponit propter aliquos qui quod nõ eſſet in Canone Hebræorũ, de eo, dubitabant: & ſi apud Iudæos Canoni non includatur, nobis tamen*



*men de eo nulla eſt dubitatio. præſertim cum ab Eccleſia eum receptum eſſe, Nicæna ſynhodus vna cum Carthaginenſi, & Gelaſij cæterorumq; omnium ſanctorum authoritas diſertè prodant.*

APVD Hebræos liber Iudith inter hagiographa legitur: cuius authoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur. Chaldæo tamen ſermone conſcriptus, inter hiſtorias computatur. Sed quia hũc librum Nicoena ſynhodus in numero ſanctarum ſcripturarum legitur cõputaſſe: acquieui poſtulationi veſtræ, imo exactioni, & ſepoſitis occupationibus, quibus vehementer artabar, huic vnam lucubratiunculam dedi magis ſenſum è ſenſu, quã ex verbis, verbũ trãsferens. *To. 3. præfatione 3. in Iud.*

## Iob.

OBLIQVVS apud Hebræos etiam totus liber fertur, & lubricus, & quod græci Rhetores vocant ἐσχηματισμένος: dum qui aliud loquitur aliud agit: vt ſi velis anguillã vel murenulam ſtrictis tenere manibus, quanto fortius preſſeris, tanto citius elabitur. Memini me ob intelligentiam huius voluminis Lyddæum quendam præceptorem, qui apud Hebræos primus haberi putabatur, non paruis redemiſſe nummis: cuius doctrina an aliqd profecerim neſcio. vide plura *Tom. 3. præfatione 113. & 114. in librum Iob: & Tom. 1. Epiſt. 7. ad Lætam ca. 5. & To. 3. Epiſtola 103. ad Paulinum cap. 7. & To. 3. Epiſtola 106. præfatione in librum Regum.*

## Pſalterium Dauidicum.

CVM hora ferme tertia hodiernæ diei 72. Pſalmum, id eſt tertij libri principium legere cœpiſſemus, & docere cogeremur, tituli ipſius partem ad finẽ ſecundi libri, partẽ ad principiũ tertij libri pertinere: quod ſcilicet defecerunt hymni Dauid, filij Ieſſe, finis eſſet prioris: Pſalmus verò Aſaph, principium ſequentis, & vſq; ad eum locum perueniſſemus, in quo iuſtus loquitur: Si dicebam narrabo, ſic, Ecce generatio nem filiorum tuorum præuaricatus ſum: quod in latinis codicibus non ita habemus: repentè nobis eſt, nunciatum, ſanctiſsimam Leam exiſſe de corpore *To. 1. Epiſt. 24. ad Marcellam de exitu Leæ.*

*Vide lib. 2. Apologiæ aduerſus Ruffinum Pſalmos ait iugi meditatione de canto. Eſdra. 1.*

SCIO quoſdam putare pſalteriũ in quinq; libros eſſe diuiſum, vt vbicunq; apud 70. interpretes ſcriptũ eſt, γένοιτο γένοιτο id eſt, fiat fiat, finis librorũ ſit: pro quo in Hebræo legitur Amen Nos autem, Hebræorũ autoritatem ſequuti, & maximè Apoſt. qui ſemper in nouo teſtamento Pſalmorũ librum nominant, vnũ aſſerimus pſalmorum volumen. Pſalmos omnes eorum eſſe teſtamur autorum, qui ponuntur in titulis Dauid ſcilicet, Aſaph, & Iditũ, filiorum Chore, Emã Ezrahitæ Moyſi, & Salomonis, & reliquorum, quos Eſdras primo volumine comprehendit. *vide latius. To. 3. Epiſt. 134. ad Sophronium. vide quoq; de diuiſione pſalterij in quinq; libros to. 7. Com. in Pſalmum 40. ſed iſta quinq; partita pſalmorum diuiſio in hac Epiſt. ad Sophronium reprehenditur. vide quoq; li. 3. Epi. 139 ad Cyp.*

## Heſter.

LIBRVM Heſter à varijs translatorib. conſtat eſſe vitiatum: quem ego de archiuis Hebræorum releuans, verbũ è verbo expreſsius trãſtuli, quẽ librum editio vulgata lacinioſis hinc inde verborũ finibus trahit: addens ea quę ex tẽpore dici poterant & audiri: ſicut ſolitũ eſt ſcholaribus diſciplinis ſumpto themate excogitare, quibus verbis vti potuit, qui iniuriam paſſus eſt, vel qui iniuriã fecit. Vos autem ô Paula & Euſtochiũ quoniam & Bibliothecas Hebræorum ſtuduiſtis intrare, & interpretum certamina cõprobaſtis, tenentes Heſter Hebraicũ librum, per ſingula verba, noſtram tranſlationem aſpicite: vt poſsitis agnoſcere, me nihil etiam augmentaſſe addendo, ſed fideli teſtimõio ſimpliciter, ſicut in Hebræo habetur, hiſtoriam Hebraicam latinæ linguæ trãdidiſſe. *To. 3. præfatione 112. in librum Heſter & tom. 1. Epiſtola. 7. ad Lætam. ca. 5.* *Scholia.*

NON *affirmat Hieronymus hanc hiſtoriam à primo ipſius Hebræo authore confictɔ themate conſcriptam (ſicuti imperiti nõnulli cõtra huius libri authoritatẽ obijciũt) ſed aſſerit eius vulgatã tranſlationẽ vitio tranſlatorũ fuiſſe vitiatã etc. Proinde ſi tranſlatores aliquid vel ex Ioſepho vel alio quopiã pia intentione addiderunt, nihil hoc derogat Hebraicæ veritati, quæ in ſua ſemper ſynceritate inuiolata permãſit, & ad nos ex D. Hieronymi verſione in ſua integritate peruenit qui ſex illa poſtrema capita, vt aſcitia reſecuit, & catholica eccleſia eadẽ tanquã apocrypha neglexit. vnde nõ eſt operæ precium ijs obiectionibus reſpondere, quæ ex apocryphis capitibus ab aduerſarijs adferuntur.*

*4. vltima capita non ſunt in Hebræo nã à dimidio decimi capitis ea quæ poſt leguntur in Heſter ex vulgata 70. editione acceptata ſũt deſunt enim penes Hebræos.*

## Quinq; libri Salomonis. Prouerbia, Eccleſiaſtes, Cantica Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus.

CVM virgunculam rudem & edentulam ſeptimus ætatis annus exceperit, & cœperit erubeſcere, ſcire quid taceat, dubitare quid dicat, diſcat memoriter pſalteriũ, & vſq; ad annos pubertatis libros Salomonis: Euangelia, Apoſ. & prophetas ſui cordis theſaurũ faciat, *To. 1. Epiſt. 12. ad Gaudentiũ de Pacatulæ infantulæ educatione cap. 3.*

LEGI ſub nomine Theophili ſexti Antiochenſis Eccleſiæ Epiſcopi in Euangeliũ & in Prouerbia Salomonis commentarios, qui mihi cũ ſuperiorum voluminum elegantia & phraſi non videntur cõgruere. *To. 1. de Viris Illuſtrib. in Theophilo.*

*Eccle. 3.*
*Eccle. 7. ca.*
*Sap 1. ca.*
*Rom. 11. ca.*
*2. Tim. 2. ca.*
*Mat. 13.*

ATTICVS. A me ſententiæ & diſpoſitionis Dei cauſas requiris? Reſpondet ſtultę interrogationi tuæ liber Sapientiæ. Altiora te ne quæſieris & fortiora te ne ſcrutatus fueris. & alibi: Noli eſſe ſapiens multũ & noli argumentari plus quam oporteat, & in alio loco. In ſapientia & ſimplicitate cordis quęrite Deum. Ac ne forte huic volumini contradicas, audi Apoſtolum, Euangelica clangentẽ tuba. O altitudo diuitiarũ ſapientiæ & ſcientię dei, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, et inueſtigabiles viæ eius. Quis. n. cognouit ſenſum Domini aut quis conſiliarius eius fuit. Iſtæ ſunt quæſtiones, de quib. & in alio loco ſcribit: Stultas & ineruditas quæſtiones deuita, ſciens quoniã lites generant. & Eccleſiaſtes, de quo certè libro nulla eſt ambiguitas: Dixi, inquit, ſapiens efficiar, & ipſa longè facta eſt à me: profunda profunditas quis eam inueniet? *To. 2. li. 1. Dialogorũ aduerſus Pelagianos ca. 10.*

SAPIENTIAM, qua præiuit Salomon omne hominum genus, nũc quoq; in fine opuſculi ſui profitetur, quod non fuerit veteris legis inſtitutione contentus, ſed in profundas ſe vltrò demerſerit quæſtiones, & ad docendũ populum Prouerbia & parabolas cõpoſuerit aliud in medulla habentes, aliud in ſuperficie pollicentes. prouerbia quippe nõ hoc ſonare quod ſcriptum eſt, etiã in Euangelijs edocemur: quod Dñs populo in Pro-

uerbijs & parabolis ſit loquutus, ſecretò autem Apoſtolis diſſoluerit ea. Ex quo manifeſtum eſt Prouerbiorũ librũ, non vt ſimplices arbitrantur patentia habere præcepta: ſed quaſi in terra aurũ, in nuce nucleus, in hirſutis caſtaniarũ operculis, abſconditus fructus iniquiritur, ita in eis diuinum ſenſum altius perſcrutandum *To.5.Co.in ca.12 Eccleſiaſtis circa finẽ: vide To.5.Co.li.3.in ca.12. Za.*

AIVNT Hebræi cum inter cætera ſcripta Salomonis, quę antiquata ſunt, nec in memoria durauerunt, & hic liber obliterandus videretur, eò quod vanas aſſerat Dei creaturas, & totum putaret eſſe pro nihilo, & cibum & potum & delicias tranſeuntes præferret omnibus: ex hoc vno capitulo meruiſſe auctoritatem, vt in diuinorum voluminum numero poneretur: quod totã diſputationem ſuam, & omnem catalogum ſuum hac quaſi ἀνακεφαλαιώσει coarctauerit, & dixerit finem ſermonum ſuorum auditu eſſe promptiſsimum, nec aliquid in ſe habere difficile: vt ſcilicet Deum timeamus, & eius præcepta faciamus Ad hoc enim natũ eſſe hominem, vt creatorẽ ſuum intelligens, veneretur eum metu & honore, & opere mandatorum. Siquidem cum iudicij tempus aduenerit, quidquid à nobis geſtũ eſt, ſtare ſub iudice & ancipitẽ diu expectare ſententiam: & vnumquemq; recipere pro opere ſuo, ſiue mali quid geſſerit ſiue boni *Tom.5 Com.in ca.12. Eccleſiaſtis in fine. vide to.1. Epiſtola 7. ad Letam c.5 & to.3. Epiſtola 103. ad Paulinum cap.7.*

EXTANT Dionyſij Alexãdrinę vrbis Epiſcopi ad Baſilidem multæ Epiſtolæ: in quarum vna aſſerit etiam in Eccleſiaſten ſe ſcribere cœpiſſe Commentarios. *To.1. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis ſeu de Viris Illuſtribus in Dionyſio Alexandrino.*

## *Obiectiones.*

LONGA ægrotatione fractus, ne penitus hoc anno reticerem, & apud vos mutus eſſem, tridui opus nomini veſtro conſecraui, interpretationem videlicet trium Salomonis voluminum, Miſſe quod Hebræi parabolas, vulgata autem editio Parabolas vocat. Coheleth, quem græcè Eccleſiaſten, latinè Concionatorem poſſumus dicere, Sirhaſirim, quod in lingua noſtra vertitur, Canticum Canticorum, fertur & πανάρετος Ieſu filij Sirach liber: & ali⁹ ψευδεπίγραφος, qui Salomonis inſcribitur. Quorum priorem Hebraicum reperi, non Eccleſiaſticum, vt apud Latinos, ſed Parabolas prænotatum. Cui iuncti erant Eccleſiaſtes & Canticum Canticorum, vt ſimitudinem Salomonis non modo numero librorum, ſed etiam materiarum genere coæquaret. Secundus apud Hebræos nuſquam eſt: quin & ipſe ſtylus græcam eloquentiam redolet, & non nulli ſcriptorum veterum hunc eſſe Iudæi Philonis affirmant. Sicut ergo Iudith & Tobiæ & Machabæorum libros legit quidem Eccleſia, ſed eos inter Canonicas ſcripturas non recipit: ſic & hæc duo volumina legat ad ædificationẽ plebis: non ad auctoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam. *Tom.3. Epiſt.115. ad Chromatium & Heliodorum Epiſcopos.*

*Sic etiam Athanaſius in Catalogo ſacrorum librorum vocat. Auguſti lib. 2. de doctrina Chriſtiana c. 18 et li. 17. de Ciuitate Dei c. 20.*

SAPIENTIA quæ vulgò Salomonis inſcribitur, & Ieſu filij Sirach liber, & Iudith & Tobias & Paſtor non ſunt in canone. *Tomo tertio Epiſtola 106. præfatione in librum Regum.*

*Iſidorus lib. 6. Etymolo. cap. 2. & in Apologia aduerſus Ruffinum. lib. 1.*

IN Sapientia, quæ Salmonis inſcribitur (ſi cui tamen placet librum recipere) ſcriptum reperimus: Creauit vt eſſent omnia, & ſalutares generationes mundi, & non erit eis venenum mortiferum. *T.5. li.3. C. in ca.12. Zac. Scholia. & ſolutiones.*

HIERONYMVS *in poſtremis teſtimonijs non de Canone Eccleſiaſtico, ſed Iudæorum & ſynagogæ loquitur, eodemque modo capiendus eſt Tom.5. Com. in cap.1. Abdiæ cum ait. Paruus propheta verſuum supputatione non ſenſuum. alioquin vt in tribus voluminibus Salomonis, Canticum Canticorum quanto breuius eſt, tanto difficilius: nam cap.10. Eccleſiaſtis Salomonis nomine etiam Eccleſiaſticum citat, quem librum à Ieſu filio Sarach editum, ipſomet Hieronymo teſte, quis non nouit? proditur id etiã diſertè in Proœmio eius libri & in fine capitis quinquageſimi. Quod autem teſtimonium Eccleſiaſtes cap.10. adducit, ex Eccleſiaſtico Salomonis cap. 27. ſumptum eſt in hac verba ὁ ἱστῶν παγίδα ἐν αὐτῇ ἁλώσεται. Qui ſtatuit laqueum, capietur in illo. Ad hæc cum Beatus Hieronymus Sapientiam & Eccleſiaſticum è Catalogo eximit, de Eccleſia ſuorum temporum loquitur, cui cum nondum ſatis apertè de authoritate horum voluminum conſtaret, non auſa eſt ea in Canonem recipere ad dogmatum probationem: ſed paulò poſt à ſpiritu ſancto plenius edocta in Concilio.3. Carthaginenſi volumen vtrũque recepit, ac deinceps ſequentia Concilia Florentinũ & Tridentinum &c. in ſacris Catalogis vtrumq; numerarũt Cæterum ſi Origenes atq; alij quidam Patres hos libros è Canone reiecerunt, nõ ob id conſequitur eos nullo modo eſſe Canonicos, ſed hoc tãtum ex illorũ authoritate colligitur, nẽpe libros eiuſmodi nõ eſſe de numero ſcripturarũ, quæ ad primũ Canonis ordinẽ pertinent, de quibus ſc. nunquã fuerit addubitatũ. id quod neq; nos inficiamur. vtrumq; enim in ſecundo Canonicorum voluminum ordine collocamus.*

## *De libris Machabeorum.*

PORPHYRIVS hunc locum ita ediſſerit vt quadraginta quinq; dies, qui ſuper mille ducentos nonaginta ſunt, victoriæ contra duces Antiochi tẽpus ſignificent: quãdo Iudas Machabæus fortiter dimicauit & emundauit templũ, idolumq; cõtriuit, & victimas obtulit in templo dei. Quod rectè diceret, ſi Machabæorum liber, trib. & ſemis annis templũ ſcriberet fuiſſe pollutũ & non tribus. *To.4. lib.1. Co. in ca.12. Danielis.*

*1. Mac. 1. & 4.*

MACHABEORVM primũ librum Hebraicũ reperi. ſecundus græcus eſt: quod ex ipſa quoque phraſi probari poteſt. *To.3. præfatione 106. in lib. Reg.*

## *Machabæorum libri Deutrocanonici non Protocanonici.*

SICVT Iudith & Tobię & Machabæorũ libros legit quidem Eccleſia, ſed eos inter Canonicas ſcripturas non recipit: ſic & hæc duo volumina Eccleſiaſticũ & Sapientiã Salomonis legat ad ædificationem plebis, non ad authoritatẽ Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam. *To.3. præfatione 115 ad Chormatium & Heliodorũ Epiſcopos.*

SVPPVTANTVR à primo anno Cyri regis Perſarum vſq; ad finem primi Machabæorũ voluminis, & mortem Simonis Pontificis, anni quadringenti viginti quinq;. vide plura *To. 4. Com. in cap 9. Danielis. & in ca.11. Danielis, quibus locis hiſtoriam Machabæorum & horum librorum allegat.*

## *De duobus libris Paralipomenon.*

HOC primũ ſciendũ quod apud Heb. libri Paralip. vſus ſit, & apud illos vocatus dibre halamĩ .i. verba dierũ, q propter magnitudinẽ apud nos diuiſus eſt. quod nõnulli etiã in Bruto Ciceronis Dialogo faciunt, vt eum in tres partes ſecent; cũ vnus à ſuo auctore ſit editus. Deinde etiam illud



attendendum, quod frequenter nomina, non vocabula hominum, ſed rerum, vt dixi, ſignificantias ſonant. ad extremum quod omnis eruditio ſcripturarum in hoc continetur; & hiſtoriæ, quæ vel prætermiſſæ ſunt in ſuis locis, vel perſtrictæ leuiter, hic per quædam verborum compendia explicentur. *Tom.3. præfatione 108. ad Domnionem & Rogatianum in librum Paralipomenon. vide epiſtola 7. ad Letam cap.5. to.1. & to.3. Epiſt.103. ad Paulinum cap.7. & to.3. epiſtola 106. præfatione in librum Regum.*

## *Eſdræ primus & ſecundus qui dicitur Neemias.*

*Concilium Tridentinum ſeßione. 4.*

NON quemquam moueat, quod Eſdrę liber vnus à nobis editus eſt: nec apocryphorum tertij & quarti libri ſõnijs delectetur: quia & apud Hebræos Eſdræ Neemiæque ſermones in vnum volumen coarctantur: & quæ non habentur apud illos, nec de viginti quatuor ſenib. ſunt procul abijcienda. *T.3. Epiſt. ſeu præfatione. 109 ad Domniũmẽ et Rogatian. in Eſdrã et Neemiã vide etiam to.1. Epiſt.7. ad Letam c.5. et to.3. Epi.103. ad Paulinum cap.7. & to.3. Epiſt.106. præfatione in librũ Reg.*

## *De appendice Danielis.*

DE Daniele autem breuiter reſpondebo, me non negaſſe eum prophetam, quem ſtatim in fronte prologi prophetam eſſe confeſſus ſum; ſed quid Hebræi dicerent, & quibus argumentis ſuam niterentur probare ſententiam, voluiſſe mõſtrare: & docuiſſe lectorẽ legere. eccleſias hunc prophetã iuxta 70. translatores. Quorũ ſi in iſto libro editionem dixi multum à veritate diſtare, & recto Eccleſiarum Chriſti iudicio reprobatam, non eſt meæ culpæ qui dixi; ſed eorum, qui legunt. In promptu ſunt quatuor editiones, Aquilæ, Symmachi, Septuaginta & Theodotionis. eccleſiæ iuxta Theodotionem legunt Danielem. ego quid peccaui, ſi Eccleſiarum iudicium ſequutus ſum? Quod autem refero quid aduerſum Suſannæ hiſtoriam, & hymnum triũ puerorum, & Belis Draconis fabulas, quæ in volumine Hebræo nõ habentur Hebræi ſoleãt dicere: qui me criminatur ſtultum ſe ſycophantẽ ꝓbat. non. n. quid ipſe ſentirẽ, ſed quid illi cõtra nos dicere ſoleãt explicaui *T.2.2. apol. aduer. Ruffi.*

DANIEL apud Hebræos nec Suſannæ habet hiſtoriam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis Draconis fabulas, quas nos, quia in toto orbe ſunt diſperſæ, veru ante poſito, eaſque iugulãte ſubiecimus; ne videremur apud imperitos magnam voluminis patrem detrũcaſſe. Audiui ego quendam de præceptoribus Iudæorum, cum Suſannæ derideret hiſtoriam; & à græco neſcio quo diceret eſſe confictam; illud opponere, quod Origeni quoque Africanus oppoſuit, Etymologias has, ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι, καὶ ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι de græco ſermone deſcendere. Cuius rei nos intelligentiam noſtris hanc dare poſſumus; vt verbi gratia, dicamus de arbore ilice dixiſſe eum, ilico pereas: & à lentiſco, in lentem te comminuat angelus, vel non lente pereas, aut lẽtus, id eſt, flexibilis ducaris ad mortem: ſiue aliud quid ad arboris nomen conueniens. Deinde tantum fuiſſe otij tribus pueris cauillabatur, vt in camino æſtuantis incendij metro luderent, & per ordinem ad laudem Dei omnia elementa prouocarent. Aut, quod miraculum diuinæque aſpirationis iudicium, vel draconem interfectum offa picis, vel ſacerdotum Belis machinas deprehenſas: quæ magis prudentia ſolertis viri, quam prophetali eſſet ſpiritu perpetrata? Cum verò ad Habacuc veniret; & de Iudęa in Chaldęã raptum diſcophorum lectitaret; quærebat exemplum, vbi legiſſemus in toto veteri teſtamento, quenquam ſanctorum graui volaſſe corpore, & in puncto horæ tanta terrarum ſpacia tranſiſſe. Cui cum quidam è noſtris, ſatis ad loquendum promptulus, Ezechielẽ adduxiſſet in medium; & diceret eũ de Chaldæa in Iudæam fuiſſe translatum; riſit hominem; & ex ipſo volumine demonſtrauit Ezechielem in ſpiritu ſe vidiſſe tranſpoſitum; denique & Apoſtolum noſtrum, videlicet vt eruditum virum, & qui legem ab Hebræis didiciſſet, non fuiſſe auſum affirmare ſe raptum in corpore: ſed dixiſſe: ſiue in corpore ſiue extra corpus neſcio, De⁹ ſcit. His & talibus argumentis apocryphas in libro eccleſiæ fabulas arguebat. Super qua re Lectoris arbitrio iudicium derelinquens, illud admoneo non haberi Danielem apud Hebræos inter prophetas, ſed inter eos qui hagiographa conſcripſerunt. *To.3. præfatione 120. in Danielem.*

*vide Hieronymum lib. 5. Com. in cap.29. Ieremiæ.*

SED & hoc noſſe debemus inter cætera Porphyrium de Danielis libro nobis obijcere: idcirco illum apparere confictũ, nec haberi apud Hebræos, ſed græci ſermonis eſſe commẽtum. Quia in Suſannæ fabula contineatur (dicente Daniele ad præsbyteros) ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι, καὶ ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι, quam etymologiam magis græco ſermoni conuenire quam Hebræo. Cui & Euſebius & Apollinarius pari ſententia reſponderũt: Suſannæ Beliſq; ac Draconis fabulas, non contineri in Heb. ſed partẽ eſſe prophetiæ Abacuc filij Ieſu de tribu Leui: ſicut iuxta 70. interpretes in titulo eiuſdẽ Belis fabulæ ponitur: Homo quidam erat ſacerdos nomine Daniel filius Abda, conuiua regis Babylonis: cum Danielem & tres pueros de tribu Iuda fuiſſe, ſancta ſcriptura teſtetur. Vnde & nos ante annos plurimos cum verteremus Danielem, has viſiones obelo prænotauimus, ſignificantes eas in Hebraico non haberi: Et miror quoſdã μεμψιμοίρους indignari mihi, quaſi ego decurtauerim librum: cum & Origenes & Euſebius & Apollinarius, alijque eccleſiaſtici viri & Doctores græciæ, has, vt dixi, viſiones non haberi apud Hebręos fateantur: nec ſe debere reſpõdere Porphyrio pro his, quæ nullã ſacræ ſcripturæ auctoritatem præbeant. *T. . . in Proœm Dan.*

HVCVSQVE Hebræi legunt, media quæ ſequuntur, vſq; ad finem Cantici trium puerorum in Hebraico non habentur. De quibus ne omnino præteriſſe videamur, pauca ſunt dicenda. *To.4. Com. in cap.3. Danielis. Hucuſq; ex Theodotionis editione addita fuerunt ibid. to.4. Com. in cap.3. Danielis.*

EPISTOLA Nabuchodonozor in prophetæ volumine ponitur, vt non fictus ab alio poſtea liber, ſicuti ſycophanta mentitur, ſed ipſius Dan. eſſe credatur *ibid. to.4. Co. in fine Co. c.3 Dan. Hucuſque Danielem in Hebræo volumine legimus: cætera quæ ſequuntur vſque in finem libri, de Theodotionis editione sũt tranſlata to.4. Com. in finem cap.12. Danielis.*

EXPOSITIS, vt potuimus, quæ in Danielis libro iuxta Hebraicum continentur, ponam breuiter quid Origenes in decimo Stromatum ſuorum libro de Suſãnæ & Belis fabulis dixerit. Cuius hæc verba ſunt quæ ſuis locis ſubnotabis. *To. 4. Com. in cap.13. Danielis circa principium.*

QVIA Hebræi reprobant hiſtoriam Suſannæ dicentes ...

beri debemus, diligenter inquirere nomina; σχίνου καὶ πρίνου, quæ latini ilicem & lentiſcum interprætantur, ſi ſint apud Hebræos & quam habeant Etymologiam, vt à σχίνω ſciſsio & à πρίνω ſectio ſiue ſerratio dicatur lingua eorum. Quod ſi non fuerit inuentum, neceſsitate cogemur, & nos eorum acquieſcere ſententiæ, qui græci tantum ſermonis hanc volunt eſſe περιχοπὴν, quæ græcam tantum habeat etymologiam & Hebraicã non habeat. Quodſi quis oſtenderit duarum iſtarũ arborum ſciſsionis & ſectionis in Hebræo ſtare etymologiam, tunc poterimus etiam hanc ſcripturam recipere. *Tom. 4. Com. in cap. 13. Danielis.*

*vide in Catalogo de viris illuſtrib. in Iulio Africano qui hiſtoriã Suſannæ tanquam fabulã reijcit quia in Hebræo nõ habeatur. contra quem ſcripſit Origenes.*

HOC quod ſcriptura nunc dicit: Exclamauit voce magna: quia de idololatria & ignorãte Deum dicitur, videtur obſeruationẽ noſtram ſubuertere, qua dudum aſſeruimus vocem magnam in ſanctis tantum reperiri. Quod ſoluet facilè qui hanc hiſtoriam in libro Danielis apud Hebræos dixerit non haberi. Si quis autem poterit eam approbare eſſe de Canone, tunc quærendũ eſt quid ei reſpondere debeamus. *To. 4. Com. in ca. 14. Danielis in fine.*

*Daniel. c. 14.*

ET vt ſcias eo tempore fuiſſe Habacuc, quo iã duæ tribus, quæ vocabantur Iudas, ductæ erant in captiuitatem: Daniel docere te poterit: ad quẽ in lacum leonum Habacuc cum prandio mittitur: quanquam apud Hebræo hæc ipſa non legatur hiſtoria. Igitur ſiue quis recipit ſcripturã illam ſiue non recipit, vtrunque pro nobis eſt: aut enim recipit et iam poſt factam rem liber Habacuc texitur: aut nõ recipit & quaſi propheta ſcribit, quę ventura cognoſcit. *To. 5. Proœmio in Habacuc in fine.* *Scholia.*

QVOD *abſolutè Appendicem Danielis inter apocrypha non referat ſicuti falsò multi exiſtimant, ipſemet ſatis explicat in primo teſtimonio ſupra aſſcripto ex to. 2. lib. 2. Apologiæ aduerſus Ruffinum, cum affirmat Eccleſias hunc prophetam iuxta Theodotionem legere & non iuxta 70. tranſlatores. ſeq; ea in re rectum Eccleſiarum iudicium ſequi aſſerit: In reliquis aſſcriptis teſtimonijs non tam ſuam mentem aperit, quàm quid Hebræi contra dixerint, enarrat. Porrò Suſannæ hiſtoriam Athanaſius in Synopſi à Daniele conſcriptam eſſe putat. Origenes quoq; tractatu 31. in Matthæum ſemper in Eccleſia magna cum veneratione lectam prodit. vide Bibliothecæ ſanctæ lib. 5. Annotatione 250. Africani epiſtola ad Origenem extat octo cõiecturis hiſtoriæ falſitatem coarguendam videri; Origeniſque ad eam reſponſio, qua coniecturæ illæ omnes ſolidè confutantur. Prodit in ea Origenes initio hiſtoriã illã vel Hebraicè vel Syraicè ſcriptã exiſtimari debere: verſã deinde in græcam græcis etiam alluſionibus exornatã. Vtcunq; ſit, ab Eccleſia hiſtoria iã recepta eſt: neque id negat Hieronymus, ſed tantum quid Hebræi de ea ſenſerint, prodit. Neq; ex græcorum nominum alluſione et ſimili apud eos etymologia falſam & commentitiam eſſe hiſtoriam cum Porphyrio efficaciter nonnulli probant. Nam inde non Hebraicam ſed græcam eſſe hiſtoriam Suſannæ ſupra confirmauit Hieronymus: & hoc aſſeuerat cum in Hebraico non inueniatur, partem eſſe prophetiæ Habacuc filij Ieſu de tribu Leui.*

*in Iulio Africano libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis*

*Vide fuſius Sixtum Senẽſem libro 8. Bibliothecæ ſanctæ hæreſi ſexta.*

## De Baruch propheta.

*cap 16.*
*cap. 36.*
*Ioan. 1. cap.*

ARMILLIS in Ezechiele ornatur Hieruſalem, Baruch Epiſtolas accipit ab Hieremia. In columbæ ſpecie ſpiritus Sanctus allabitur. Itaque vt te & aliquid piperis mordeat, & priſtini libelli etiam nunc recorderis; caue ne operis ornamenta dimittas, quę verę armillæ ſunt brachiorum, ne Epiſtolam pectoris tui ſcindas, quam à Baruch traditam nouacula rex profanus incidit; ne ad ſimilitudinem Ephraim per Oſee audias. facta es inſipiens vt columba *Tom. 1. Epiſt. 19. ad Euſtochium de acceptis ab ea munuſculis.* *cap. 7.*

LIBELLVM Baruch, qui vulgò editioni 70. copulatur nec habetur apud Hebræos, & φευδόγραφον Epiſtolam Hieremiæ nequaquã cenſui differendam: ſed magis Hieremiæ ordinem, librariorũ errore confuſum, multaq; quæ deſunt, ex Hebræis fontibus digerere, ac cõplere: vt nouum ex veteri, verumq; pro corrupto atque falſato Prophetam teneas. *Tom. 4. Proœmio in Hiere.*

ANIMADVERTAMVS quantis virtutũ priuilegijs diſcipulus Baruch Hieremiæ miniſtrauerit dicente Dauid: Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat. Vnde & Helizeus miniſter Heliæ in tantũ placuit Deo, vt poſt tranſlationem magiſtri etiam duplicem ſpiritũ mereretur accipere. Hoc dico ad commonitionẽ eorum qui malorum hominum abutuntur miniſterijs, & non audent abijcere eos, quos malæ cõſcientiæ norunt ſibi glutino copulatos. Traditur autẽ liber Baruch tanto & tali viro vidente Hananeel, qui vendiderat & teſtibus qui ſubſcripſerant, & quorum nomina in emptionis volumine tenebantur. Et in conſpectu, inquit, omnium Iudæorum, qui ſedebant in atrio carceris: qui videlicet ad Prophetam venerant ad conſolandũ, vel ſtudio timoris Dei, Domini verba audire cupiebant. *Tom. 4. lib. 6. Com. in cap. 32. Hieremiæ.*

*Pſal. 100.*
*4. Reg. 2. c.*

LIBRVM Baruch notarij eius, qui apud Hebræos nec legitur, nec habetur, prætermiſimus: pro his omnibus maledicta ab æmulis præſtolantes: quibus me neceſſe eſt per ſingula opuſcula reſpondere. Et hoc patior quia vos me cogitis. *Tom. 3. Epiſtola 118.* *Scholia.*

TEMPORE *Hieronymi agnoſco id quod nunc tenemus de prophetia Baruch, non fuiſſe adeo certum. Nõ enim omnes libri Canonici eodem tempore ab Eccleſia recepti ſunt, eoq; factum eſt vt quem priora Concilia non receperunt, eum poſterioira confirmarent & patres approbarent. Quemadmodum itaque ante tempora Hieronymi, licet quidam aſſeruerint Epiſtolam Iacobi ab alio ſub eius nomine editam, tamen paulatim (vt idem ait) procedente tempore obtinuit auctoritatem. & Epiſtola Iudæ, quam a pleriſq; aſtruit Hieronymus fuiſſe repudiatam, auctoritatem vſu meruit: ſic & Liber iſte Baruch, quanquam olim non fuerit à quibuſdam admiſſus, modo tamẽ dignus habitus eſt qui ab Eccleſia et Concilijs vniuerſalibus reciperetur. Præterea Hieronymus in enumeratione Canonicorum librorũ veteris teſtamenti Ioſephum ſequutus eſt, qui 1. libro aduerſus Apionem ex maiorum ſuorũ traditione, vt inquit 22. libros enumerat: auctor eſt Euſebius lib. 3. c. 9. & 19. Neq; in decernendis libris Canonicis Eccleſiæ regula eſt Hieronymus. approbatur enim à Gelaſio ſententia Hieronymi nõ in Canone ſanctarum ſcripturarum conſtituẽdo, ſed in his auctoribus condemnandis, quos Hieronymus pio zelo & fidei religione reprehendit. Baruch autem partem Hieremiæ veteres patres fecerunt eaque quæ Baruch literis mãdauit, Hieremiæ (fuit enim eius amanuenſis) tribuunt: vt doctè & latè à Melchiore Cano Locorum Theologicorum lib. 2. cap. 11. probatum eſt.*

*cap. ſanctæ Romanæ 15. diſt.*

## De libris propheticis.

*De ordine, numero et etymolog. prophetarum to. 5. Proœmio Com. in Ioelem.*

LIBROS ſedecim prophetarũ, quos in latinũ de Hebræo ſermone verti, ſi legeris, & delectari te hoc opere cõperero, prouocabis nos, etiã cætera clauſa armario non tenere. Miſeram quædam τῶν ὑπομνημάτων in prophetas duodecim ſancto patri Domnioni, quæ ſi legere volueris, probabis, quantæ difficultatis ſit diuinã ſcripturam & maximè prophetas intelligere.



## De Canone noui teſtamenti, ac primum in genere de quatuor Euangeliſtis.

QVIDAM quatuor euangelia, quos nos quoque in Proœmio Commentariorum Matt. ſequuti ſumus: horum animalium putant nominibus deſignari: Matthæi quod quaſi hominẽ deſcripſerit. Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Leonis ad Marcum referunt: Initium Euãgelij Ieſu Chriſti filij Dei, ſicuti ſcriptum eſt in Eſaia propheta. Vox clamãtis in deſerto, parate viam Domini rectas facite ſemitas eius. Vituli ad Lucæ Euangelium, quod à Zachariæ incipit ſacerdotio. Aquilæ & Ioannis exordium, qui ad excelſum euolãs cœpit: In principio erat verbum & verbum erat apud Deum & Deus erat verbum. Super quo quid nobis videretur, in ſupra dicto opere diximus: pleniuſque in Apocalypſi Ioannis horum animalium ſpecies ac nomina referũtur ad quatuor Euangelia. Quibus quo modo poſsit omnium animalium deſcriptio coaptari, tentabimus ſuo loco dicere. *T. 4. lib. 1. Com. in c. 1. Ezech.*

*cap 40.*
*cap. 4.*

LEGI in cuiuſdam Commentarijs, quatuor fabros, quatuor Euangeliſtas intelligi: qui oppreſſum Iſraëlem, ſenſum videlicet videntẽ Deum, & Iudam Dominum confitentem, & Hieruſalem viſionem pacis, in priſtinam ſedẽ reſtituant, & quos vitiorum gentes diſperſerant de Eccleſia, per prædicationem Euangelij retraxerunt ad ſalutem. *Tom. 5. lib. 1. C. in cap. 1. Zachariæ.*

LEGI in cuiuſdam volumine, quatuor quadrigas, in quibus ſunt equi rufi & nigri & albi & varij ac fortes, quatuor euangelia intelligenda, & equos Apoſtolos, per diuerſitatem colorũ diuerſas gratias poſsidentes, quorum alij rufi sũt in martyrio: alij obſcuri, & nigri, & Chriſti myſteria cognoſcentes. de quibus dicitur in Pſalmis Caligo ſub pedibus eius. et. poſuit tenebras latibulum ſuum. alij albi gratia virginali: alij varij & fortes, habentes gratiam curationum, diuerſarumque virtutum. Hæ quadrigæ quatuor, ſiue currus miſsi ſunt in quatuor ventos cæli. i. ad cardines mundi & vniuerſum orbem terrarum, vt explerent Domini voluntatem, quibus poſtea infertur ab angelo: Ite & perambulate terrã & in cunctis terrarum finibus euangelium ſeminate. *Tom. 5. lib. 1. Com. in cap. 6. Zachariæ.*

*Pſal. 17.*

HAEC præſens præfatiuncula pollicetur quatuor tantum Euangelia, quorum ordo eſt iſte, Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes codicum grę corum emendata collatione, ſed veterum quę ne multum à lectionis latinæ conſuetudine diſcreparent, ita calamo temperauimus vt his tantum quæ ſenſum videbantur mutare correctis, reliqua manere pateremur vt fuerant. *Tom. 6. præfatione in 4. euangelia ad Damaſum.*

ECCLESIA, quæ ſupra petram, Domini voce fundata eſt, quam introduxit rex in cubiculũ ſuum: & ad quam per foramen occultæ deſcenſionis miſit manum ſuam, ſimilis damulæ hinnuloque ceruorum, quatuor flumina inſtar paradiſi eructãs, quatuor angulos & anulos habet, per quos quaſi arca teſtamenti & cuſtos legi Domini, lignis immobilibus vehitur. Primus omnium Matthęus eſt publicanus, cognomento Leui, qui Euangelium in Iudæa Hebræo ſermone edidit, ob eorum vel maximè cauſam, qui in Ieſum crediderant ex Iudæis, & nequaquam legis vmbram ſuccedente Euangelij veritate ſeruabant. Secundus Marcus, interpres Apoſtoli Petri, & Alexandrinæ Eccleſiæ primus Epiſcopus, qui Dominum quidem Saluatorem ipſe non vidit, ſed ea quæ magiſtrũ audierat prædicantem, iuxta fidem magis geſtorum narrauit, quam ordinem. Tertius Lucas Medicus natione Syrus Antiochenſis, cuius laus in Euangelio, qui & ipſe diſcipulus Apoſtoli Pauli, in Achaiæ Bœotiæque partibus volumen condidit, quædam altius repetens: & vt ipſe in Proœmio confitetur, audita magis quàm viſa deſcribens. Vltimus Ioannes Apoſtolus & Euangeliſta, quem Ieſus amauit plurimum: qui ſupra pectus Domini recumbens puriſsima doctrinarum fluenta potauit, & qui ſolus de cruce meruit audire. Ecce mater tua. Is cũ eſſet in Aſia, & iam tum hæreticorũ ſemina pullularent Cerinthi, Ebionis & cæterorum, qui negant Chriſtum in carne veniſſe: quos & ipſe in Epiſtola ſua Antichriſtos vocat & apoſtolus Paulus frequenter percutit, coactus eſt ab omnibus pene tunc Aſiæ Epiſcopis, & multarum Eccleſiarum legationibus, de diuinitate Saluatoris altius ſcribere: & ad ipſum (vt ita dicam) Dei verbum, nõ tam audaci quam fælici temeritate prorumpere. Vnde & Eccleſiaſtica narrat hiſtoria, cum à fratribus cogeretur vt ſcriberet: ita facturum ſe reſpondiſſe, ſi indicto ieiunio in commune omnes Deum deprecarentur: quo expletò reuelatione ſaturatus, illud Proœmium è cælo veniens eructauit: In principio erat verbum. &cæt. Hæc igitur quatuor Euangelia multo ante prædicta, Ezechielis quoq; volumen probat, in quo prima viſio ita contexitur. Et in medio ſicut ſimilitudo quatuor animalium: & vultus eorum facies hominis, & facies leonis, & facies vituli, & facies aquilæ. Prima hominis facies Matthæum ſignificat, qui quaſi de homine exorſus eſt ſcribere. Liber generationis &c. Secunda Marcum, in qua vox Leonis in eremo rugientis auditur: Vox clamantis in deſerto &cæt. Tertia vituli, quæ Lucam Euãgeliſtam à Zacharia ſacerdote ſumpſiſſe initium præfigurat. Quarta Ioannem Euangeliſtam, qui aſſumptis pennis aquilæ, & ad altiora feſtinans, de verbo DEI diſputat. Cætera quæ ſequuntur, in eundem ſenſum proficiunt. Crura eorum recta & pennati pedes, & quocunque ibat ſpiritus, ibant & non reuertebantur, & dorſa eorum plena oculis, & ſcintillæ ac lampades in medio diſcurrentes, & rota in rota, & in ſingulis quatuor facies. Vnde & Apocalypſis Ioannis poſt expoſitionem viginti quatuor ſeniorum, qui tenentes cytharas & phialas, adorãt agnum Dei, introducit fulgura & tonitrua, & ſeptem ſpiritus diſcurrentes, & mare vitreũ, & quatuor animalia plena oculis, dicẽs: Animal primũ ſimile Leoni, & ſecundum ſimile vitulo & tertiũ ſimile homini, & quartũ ſimile aquilę volanti. & poſt paululũ: Plena erãt, inquit, oculis, & requiẽ non habebãt die ac nocte, dicentia ſanct⁹, ſanctus ſanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. Quibus cunctis perſpicuè oſtenditur, quatuor tantum Euangelia

*Matt 16. ca.*
*Canticorum 1. c. & 5.*
*Geneſ. 2. b.*
*Exod. 25. b.*
*2. Co. 8.*
*Ioan. 21.*
*ibid. 19.*
*1. Ioan. 2.*
*Rom 3.*
*2. Cor. 5.*
*Ioan. 1. a.*
*Ezechie. 1. a.*
*Matt. 1.*
*Marci. 1.*
*Luca. 1.*
*Ezech. 1. a.*
*Apoc. 4. a.*

ſuſcipi, & omnes apocryphorum nęnias mortuis magis hæreticis, quàm Eccleſiaſticis viuis canendas. *Tomo ſexto in Proëmio Commentariorum ſuper Matthæum ad Euſebium Cremonenſem: vide conſentanea, tom. 2. lib. 1. contra Iouinianum in cap. 14. in medio capitis.*

CAETERVM cooperatores euangelij & vinculorum ſuorum, cum ad Philemonem Epiſtolam ſcriberet, Marcum ponit, quem puto Euangelij conditorem & Ariſtarchum, cuius ſupra fecimus mentionem, & Demam, de quo in alio loco queritur: Demas me dereliquit, diligens præſens ſæculum, & abijt Theſſalonicam. Et Lucā medicum, qui Euangelium & Actus Apoſtolorum Eccleſijs derelinquens, quomodo Apoſtoli de piſcatoribus piſcium, piſcatores: hominum facti ſunt: ita de medico corporum, in medicum eſt verſus animarum, de quo & in alio loco: Miſi, inquit, cum illo fratrem: cuius laus eſt in Euāgelio per omnes Eccleſias, cuius liber quotieſcūque legitur in Eccleſijs totiens eius medicina non ceſſat. *Tom. 6. lib. 1. Comment. in cap. 1. ad Philemonem.*

*2. Tim. 4. c.*

*2. Cor. 8.*

## *De Canone noui teſtamenti in ſpecie ac primo de ſingulis Euangeliſtis ſigillatim.*

### *De Matthæi Euangelio.*

MATTHAEVS qui & Leui, ex publicano Apoſtolus, primus in Iudæa propter eos, qui ex circunciſione crediderant, Euangelium Chriſti hebraicis literis verbiſque compoſuit. quod quis poſtea in gręcum tranſtulerit, non ſatis certum eſt. Porrò ipſum Hebraicum habetur vſque hodie in Cæſarienſi Bibliotheca, quam Pamphylus martyr ſtudioſiſsimè confecit. mihi quoque à Nazaræis, qui in Beroea, vrbe Syriæ hoc volumine vtuntur, deſcribendi facultas fuit. In quo animaduertendum, quod vbicunque Euangeliſta, ſiue ex perſona ſua, ſiue ex perſona Domini Saluatoris veteris ſcripturæ teſtimonijs vtitur, non ſequatur 70. tranſlatorum auctoritatem ſed Hebraicam, è quibus illa duo ſunt: Ex Aegypto vocaui filium meum: Et: Quoniam Nazaræus vocabitur. *To. 1. in Catalogo de ſcriptoribus eccleſiaſticis in Matthæo.*

PANTAENVS in Indiam, rogatus ab illius gētis legatis, à Demetrio Alexādriæ Epiſcopo mittitur: vbi reperit, Bartholomæum de duodecim Apoſtolis, aduentum Domini Ieſu, iuxta Matthæi Euangelium prædicaſſe, quod Hebraicis literis ſcriptum, reuertens Alexandriam, ſecum retulit. *Tom. 1. in Catalogo de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Pantæno.*

### *De Euangelio Marci.*

*Vide to. 1. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis initio in Simone Petro.*

MARCVS diſcipulus & interpres Petri, iuxta Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus, breue ſcripſit Euāgelium. Quod cùm Petrus audiſſet, probauit, & Eccleſiæ legēdū, ſua authoritate dedit, ſicut ſcribunt Clemens in ſexto ὑποτυπώσεων, libro, & Papias Hierapolitanus Epiſcopus, meminit huius Marci: & Petrus in Epiſtola prima ſub nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificans: Salutat vos Eccleſia quæ eſt in Babylone collecta, & Marcus filius meus. Aſſumpto itaque Euangelio, quod ipſe confecerat, perrexit Aegyptum, & primum Alexandriæ Chriſtum annuncians, conſtituit Eccleſiam, tanta doctrina & vitæ continentia, vt omnes ſectatores Chriſti ad exemplum ſui cogeret. Denique Philo diſertiſsimus Iudæorum, videns Alexandriæ primam Eccleſiam adhuc Iudaizantem, quaſi in laudem gentis ſuæ librum ſuper eorum conuerſatione ſcripſit. Et quomodo Lucas narrat Hieroſolymæ credētes omnia habuiſſe cōmunia: ſic & ille, quod Alexandriæ ſub Marco fieri doctore cernebat, memoriæ tradidit. Mortuus eſt anno octauo Neronis, & ſepultus Alexandriæ, ſuccedente ſibi Aniano: *Tom. 1. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Marco.*

### *De Marci vltimo Capitulo 16.*

MARCI teſtimonium nō recipimus, quod in raris fertur Euangelijs, omnibus græciæ libris penè hoc capitulum in fine non habentibus: præſertim cum diuerſa atque contraria Euangeliſtis cæteris narrare videatur. *Tom. 3. Epiſtola. 150. ad Hedibiam quæſtione 3. Tomo. 2. li. 2. aduerſus Pelagianos capit 6. vide, & hanc appendicem Eccleſia reijcit.*

### *De Euangelio Lucæ.*

LVCAS medicus Antiochenſis, vt eius ſcripta indicant, gręci ſermonis non ignarus fuit, ſectator Apoſtoli Pauli, & oīs peregrinatiōis eius comes. Scripſit euangelium de quo idē Paulus. Miſimus cum illo fratrem, cuius laus eſt in Euangelio per omnes Eccleſias & ad Coloſſenſes. Salutat vos Lucas medicus cariſsimus & ad Timotheum. Lucas eſt mecum ſolus. Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo πράξεις ἀποστόλων prænotatur, cuius hiſtoria vſque ad biennium Romæ commorantis Pauli peruenit, id eſt vſque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus in eadem vrbe librum eſſe cōpoſitum. quotieſcunque in Epiſtolis ſuis Paulus dicit iuxta Euangelium meum, de Lucæ ſignificat volumine: & Lucas non ſolum ab Apoſtolo Paulo didicit Euangelium, qui cum Domino in carne non fuerat, ſed à cæteris Apoſtolis, quod ipſe quoq; in principio ſui voluminis declarat, dicens: Sicut tradiderunt nobis, qui à principio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis. Igitur Euangelium ſicut audierat ſcripſit: Acta verò Apoſtolorum, ſicut viderat ipſe, compoſuit. *Tom. 1. Catalogo de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Luca.*

*2. Cor. 8. 4. cap.*

*2. Timoth. 4. c.*

DE verbo oſianna, quia in græcum non poterant transferre ſermonem, ſicut in alleluia & in amen & in pleriſque alijs factum videmus, ipſum Hebræum poſuerunt oſianna dicētes. Lucas igitur qui inter omnes Euangeliſtas græci ſermonis erudiliſsimus ſunt, quippe vt medicus & qui Euangelium græcis ſcripſerit, quia ſe vidit proprietatem ſermonis transferre non poſſe, melius arbitratus eſt tacere, quā id ponere quod legenti faceret quæſtionem *Tom. 3. Epiſtola 145. ad Damaſum.*

EVANGELISTAM Lucam tradunt veteres Eccleſiæ tractatores medicinæ artis fuiſſe ſcientiſsimū, & magis græcas literas ſciſſe, quàm Hebręas. Vnde & ſermo eius tā in Euangelio, quā in Actibus Apoſtolorum, id eſt, in vtroq; volumine comptior eſt & ſęcularem redolet eloquentiam, magiſque teſtimonijs græcis vtitur, quàm

Hebræis.



Hebræis. Matthæus autem & Iohannes, quorum alter Hebræo, alter græco ſermone Euangelia texuerunt, teſtimonium de Hebraico proferunt: vt eſt illud: Ex Aegypto vocaui filium meum: et: Quoniam Nazaræus vocabitur: et, Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. et. videbunt in quem compunxerunt & cætera his ſimilia. *To. 4. lib. 13. Com. in cap. 6. Eſaiæ.*

*Matt. 2. c.*

*Ioan. 7.*

*Ioan. 19.*

### *De Euangelio S. Ioannis.*

IOANNES Apoſtolus, quem Ieſus amauit plurimum filius Zebedæi, frater Iacobi Apoſtoli, quem Herodes poſt paſsionem Domini decollauit, nouiſsimus omnium ſcripſit Euangelium, rogatus ab Aſiæ Epiſcopis, aduerſus Cerinthum, alioſque hæreticos maximè tunc Ebionitarum dogma conſurgens. qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe. Vnde & compulſus eſt diuinam eius natiuitatem edicere. Sed & aliam cauſam hujus ſcripturæ ferunt: quod cū legiſſet Matthæi, Marci, Lucæ volumina, probauerit quidem textum hiſtoriæ, & vera eos dicere firmauerit, ſed vnius tantum anni, in quo & paſſus eſt, poſt carcerem Ioannis hiſtoriam texuiſſe. Prætermiſſo itaque anno, cuius acta à tribus expoſita fuerant, ſuperioris temporis, antequam Ioannes clauderetur in carcerem, geſta narrauit, ſicut manifeſtum eſſe poterit ijs, qui diligenter quatuor Euangeliorum volumina legerint. Quę res etiam διαφωνίαν, quæ videtur Ioannis eſſe cū cæteris, tollit. *Tomo. 1. de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Ioanne. vide ſimilia de S. Ioanne. to. 2. lib. 1. contra Iouinianum capite 14. in medio.*

### *Hiſtoria de adultera muliere Ioannis 8. cap. eſt in Canone.*

*Aſſerit etiā D. Chryſoſtomus apud aliquos defuiſſe adulteræ hiſtoriā: Eccleſia tamen hodie recipit.*

IN Euangelio ſecundum Ioannem in multis & græcis & latinis codicibus inuenitur de adultera muliere, quæ accuſata eſt apud Dominū. &c. *Tom. 2. lib. 2. Dialogorum aduerſus Pelagianos ca. 6.*

QVI ſint Epheſij & hinc vel maximè comprobatur, quod ſicut Ioannes myſterium natiuitatis antiquæ Domini relaturus in pectus eius recubuit, & de fonte puriſsimo hauſit riuulum doctrinarū, ita & hi in abeuntis Pauli collum recūbentes, oſculis atque complexibus ſuis indicauerunt vnum ſecum conſcientiæ habere theſaurū, & magiſtri deſiderium lachrymis cōteſtati ſunt. *Tom. 6. Proëmio in Epiſtolam ad Epheſios.*

### *De hiſtoria Lucæ in Actibus Apoſtolorum.*

ACTA Apoſtolorum, ſicut Lucas ipſe viderat, compoſuit. *Tom. 1. in Catalogo de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Luca.*

ALIVD edidit volumen egregium, quod titulo πράξεις ἀποστόλων prænotatur: cuius hiſtoria vſque ad biennium Romę commorantis Pauli peruenit. *Ibid. in Luca.*

### *De 14. Epiſtolis Pauli in genere.*

*Epiphanius hæreſi 76. lib. 3.*

PAVLVS ſcripſit nouem Epiſtolas ad ſeptem Eccleſias, ad Romanos vnam, ad Corinthios duas, ad Galatas vnam, ad Epheſios vnam, ad Philippenſes vnam, ad Coloſſenſes vnam, ad Theſſalonicenſes duas: præterea ad diſcipulos ſuos. Timotheo duas, Tito vnam, Philemoni vnam Epiſtola autem, quæ fertur ad Hebræos, nō eius creditur propter ſtyli ſermoniſque diſſonātiam: ſed vel Barnabæ, iuxta Tertullianum; vel Lucæ Euangeliſtæ, iuxta quoſdam; vel Clementis, Romanæ poſtea Eccleſiæ Epiſcopi, quem aiunt ſententias Pauli proprio ordinaſſe, & ornaſſe ſermone. Vel certè quia Paulus ſcribebat ad Hebræos, & propter inuidiam ſui apud eos nominis titulum in principio ſalutationis amputauerit. Scripſerat autem vt Hebræus Hebræis Hebraicè, id eſt ſuo eloquio diſertiſsimè, vt ea, quæ eloquenter ſcripta fuerāt in Hebræo, eloquentius verterentur in græcum: & hanc cauſam eſſe, quod à cæteris Pauli Epiſtolis diſcrepare videatur. Legunt quidam & ad Laodicenſes, ſed ab omnibus exploditur.

*to. 1. in Catalogo de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Gaio.*

SICVT poſuit in Aegypto ſigna ſua & prodigia ſua in campo Taneos.] Sicut enim tunc in decem ſignis, id eſt, plagis Moyſes populum ex Aegypto liberauit: ita & Paulus Apoſtolus decē Epiſtolis præſentis mundi tenebras oppreſsit. *To. 7. Com. in Pſal. 87.*

### *De Canone Epiſtolarum Pauli in ſpecie.*

QVOD Epiſtola Pauli ad Hebræos nō ſit excludenda è Canone ſacrarum Epiſtolarum Pauli. Nec me fugit, quod perfidia Iudæorum ſuperiora teſtimonia ex Epiſtola ad Hebræos non ſuſcipiat, quæ vtique veteris teſtamenti authoritate firmata ſunt. Illud noſtris dicēdum eſt: Hanc Epiſtolam quæ ad Hebræos inſcribitur, non ſolum ab Eccleſijs Orientis, ſed ab omnibus retro Eccleſijs & græci ſermonis ſcriptorib. quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipi, licet pleriq; eam vel Barnabæ vel Clementis arbitrentur, & nihil intereſſe cuius ſit: cū Eccleſiaſtici viri ſit, & quotidie Eccleſiarum lectione celebretur. Quod ſi eam latinorū conſuetudo non recipit inter Epiſtolas Canonicas: nec græcorum quidem Eccleſiæ Ioannis Apocalypſin eadem libertate ſuſcipiunt: & tamen nos vtraque ſuſcipimus, nequaquam huius temporis conſuetudinem, ſed veterum ſcriptorum authoritatem ſequētes, qui plerunque vtriuſque abutuntur teſtimonijs, non vt interdum de apocryphis facere ſolēt: quippè qui & gentilium literarum rarò vtantur exemplis, ſed quaſi canonicis & Eccleſiaſticis. *Tom. 3. Epiſt. 129. ad Dardanum.*

*Epiſtola ad Hebræos à pleriſque extra numerū ponitur to. 3. Epiſt. 103. ad Paulinum.*

PRAETEREA plenius tractatum eſt in Epiſtola ad Hebræos, quam omnes græci recipiunt, & nonnulli latinorum, quod iſte Melchiſedech, Rex iuſtus Rex fuerit Salem. i. Rex pacis ſine patre & matre *Tom. 3. Epiſtola. 126. ad Euagrium.*

*Epiſtola ad Hebræos latina conſuetudo inter Canonicas ſcripturas non recepit. to 4 lib. 3. Com. in cap. 8. Eſaiæ.*

EPISTOLAM ad Hebræos latinorum cōſuetudo non recipit *Tom. lib. 3. Com. in cap. 6. Eſaiæ.*

PAVLI Epiſtolæ ad Hæbræos ſcribens vtatur teſtimonijs, quę in Hebræis voluminibus nō habentur, quod ſi aliquis dixerit Hebręos libros à Iudæis eſſe falſatos poſtea: audiat Originē quid in octauo volumine expoſitionum Eſaiæ huic reſpondeat quæſtinculæ, quod nunquam Dominus & Apoſtoli, qui cætera crimina arguunt in ſcribis & phariſæis, de hoc crimine quod erat maximum, reticuiſſent: Sin autem dixerint poſt aduentum Domini Saluatoris, & prędicationem

Apoſtolorum libros Hebræos fuiſſe falſatos: Cachinnum tenere non potero: vt Saluator & Euãgeliſtæ & Apoſtoli ita teſtimonium protulerint, vt Iudæi poſtea falſaturi erãt. *Tom. lib. 3. Commen. in cap. 6. Eſaiæ.*

*To. 6. lib. 1. Com. in ca. 2. ad Epheſios Hebræorũ 12*

ET Paulus Apoſtolus loquitur (ſi quis tamen ad Hebræos Epiſtolã ſuſcipit) Acceſsiſtis ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis, Hieruſalem cœleſtem & millia angelorum *Tomo 4. lib. 9. Com. in cap. 28 Ezechielis.*

*Hebræorum 12. cap.*

DE hoc monte & de hac ciuitate & Apoſtolus Paulus (ſi tamen in ſuſcipienda Epiſtola græcorum authoritatem latina lingua non reſpuit) ſacrata oratione diſputat. *Tom. 5. lib. 2. Comme. in cap. 8. Zachariæ.*

CLEMENS Romanus ſcripſit ex perſona Romanæ Eccleſiæ, ad Eccleſiam Corinthiorum valde vtilem Epiſtolam, quæ & in nonnullis locis publicè legitur, quæ mihi videtur characteri Epiſtolæ, quæ ſub nomine Pauli ad Hebræos fertur, conuenire. Sed & multis de eadem Epiſtola, non ſolum ſenſibus, ſed iuxta verborum quoq; ordinem abutitur, omninò grandis in vtraque ſimilitudo eſt. *To. 1. Catalogo de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Clemente.*

*De Epiſtola ad Hebræos multi latinorum dubitãt to. 6. lib. 4. Com. in cap. 26. Matthæi canone. 37.*

GAIVS ſub Zephyrino Romanæ vrbis Epiſcopo in diſputatione aduerſus Proculum Montani ſectatorem Epiſtolas Pauli tredecim tantũ enumerat, decimam quartam, quæ fertur ad Hebræos dicit non eius eſſe. ſed & apud Romanos vſque hodie quaſi Pauli Apoſtoli non habetur. *Tom. 1. in Catal. de ſcriptoribus eccleſiaſticis in Gaio.*

*Hebr. 11. &.*

RELEGE ad Hebręos Epiſtolam Pauli Apoſtoli (ſiue cuiuſcunque alterius eam eſſe putas: quia iam inter Eccleſiaſticas eſt recepta) totum illum Catalogum fidei enumera, &c. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 2. ad Titum.*

*Scholia.*

QVOD *Hieronymus Epiſtolam ad Hebræos germanam, canonicam atque Eccleſiaſticam agnoſcat liquidò conſtat partim ex 1. aſſcripto teſtimonio ex to. 3. Epiſt. 129. ad Dardanum: partim etiam ex poſtremo ex to 6. lib. 1. Com. in cap. 2. ad Titum. Reliqua omnia Hieronymi teſtimonia vna ſolutione refelluntur, quod non ex ſua ſẽtentia loquatur ſed ſecundum aliquorum latinorum opinionem, & præcipuè iuxta vulgi conſuetudinem, vſu potius quam ratione ac eruditorum iudicio eo tempore introductam. quo tempore licet etiam aliqui latinorum illuſtres, de hac Epiſtola dubitarint, an in Canone eſſet recipienda noſtra tamen ætate poſt tam diuturnam Eccleſiæ deciſionem (a) certam amplius dubitare non licet. Græcos omnes Patres hanc recepiſſe, inter latinos non omnes, ſed quoſdam ſaltẽ de ea dubitaſſe ſatis authoritates adductæ ſuprà euincunt. Quæ vero contra authorem huius Epiſtolæ B. Paulum Apoſtolum teſtimonia ex Hieronymo producuntur à Sixto Senenſi in Bibliotheca ſancta diſſoluuntur. Neque ex incertitudine auctoris Epiſtolæ collabaſcit authoritas, vt ipſemet ſupra in epiſtola ad Dardanum ratiocinatur; neque vero etiam ipſe Hieronymus de authore Paulo huius Epiſtolæ ambigit, ſed tantũm quid alij cenſeant, recenſet. Id verò pro certiſsimo argumento notent velim aduerſarij noſtri quod vſque adeo Hieronymus hanc pro Canonica habuerit vt Marcionem & Baſilidem hoc etiam nomine inter hæreticos numerarit, quod hanc epiſtolam reiecerint. verba Hieronymi ſunt iſta tomo 6. in Proœmio ad Titum: Licet non ſunt fide digni, qui fidem primã irritam fecerunt, Marcionem loquor & Baſilidem, & omnes hæreticos, qui vetus laniant teſtamentum: tamen eos aliqua ex parte ferremus, ſi ſaltem in nouo continerent manus ſuas, et non auderent Chriſti (vt ipſi iactitãt) boni Dei filij, vel Euangeliſtas violare vel Apoſtolos. Nũc verò cum & Euangelia eius diſputauerint & Apoſtolorum Epiſtolas, non Apoſtolorum Chriſti fecerint, eſſe ſed proprias: miror quomodo ſibi Chriſtianorum nomen audeant vendicare. Vt enim de cæteris Epiſtolis taceam, de quibus quicquid contrarium ſuo dogmati viderant, eraſerunt: nonnullas integras repudiandas crediderunt: ad Timotheum videlicet vtranque, ad Hebræos & ad Titum, quam nunc conamur exponere ſupra. Tom. 6. in Proœmio ad Titum.*

*a Concilia Florentinum Laodicenum Tridentinũ. Carthaginenſe 3. Nicænum Araſicanũ.*

## *Quod Epiſtola ad Philemonem ſit verè eccleſiaſtica & Canonica.*

QVI nolunt inter Epiſtolas Pauli eam recipere, quæ ad Philemonem ſcribitur aiunt non ſemper Apoſtolum, nec omnia, Chriſto in ſe loquente, dixiſſe: quia nec humana imbecillitas vnum tenorem ſancti ſpiritus ſemper ferre potuiſſet: nec huius corpuſculi neceſsitates ſub præſentia Domini ſemper cõplerentur: velut diſponere prandium, cibum capere, eſurire, ſaturari, ingeſta digerere, exhauſta complere: taceo de cæteris quæ exquiſitè & coactè replicant: vt affirment aliquod fuiſſe tempus, in quo Paulus dicere non auderet: Viuo iam non ego, viuit vero in me Chriſtus. & illud: An experimentum eius quæritis qui in me loquitur Chriſt⁹? Quale, inquiunt, experimentum Chriſti eſt audire: Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens tecum affer. & illud ad Galatas. Vtinam & excindantur qui vos conturbant. Et in hac ipſa Epiſtola. Simul autem & præpara mihi hoſpitium. Hoc autem non ſolum Apoſtolis, ſed & prophetis quoque ſimiliter accidiſſe. Vnde ſæpius ſcriptum feratur: factum eſt verbum Domini ad Ezechiel: ſiue ad quemlibet alium prophetarũ: quia poſt expletũ, vaticinium, rurſum in ſemet reuertens, homo communis fieret è propheta: & excepto Domino noſtro Ieſu Chriſto, in nullo ſanctum ſpiritum permanſiſſe. Quod ſignum & Ioannis Baptiſta acceperat: vt ſuper quem vidiſſet ſpiritum ſanctum deſcendentem & manentem in eo, ipſum eſſe cognoſceret. Ex quo oſtendit ſuper multos quidem deſcendere ſpiritum ſanctum: ſed proprium hoc eſſe Saluatoris inſigne, quia permaneat in eo. His & cæteris iſtiuſmodi volunt Epiſtolam non eſſe Pauli, quæ ad Philemonem ſcribitur, aut etiamſi Pauli ſit, nihil habere quod ædificare nos poſsit; & à pleriſque veteribus repudiatam: dum commendandi tantum ſcribatur officio, non docendi. At è contrario, qui germanæ auctoritatis eam eſſe defendunt, dicunt nunquam in toto orbe à cũctis Eccleſijs fuiſſe ſuſceptam, niſi Pauli Apoſtoli fuiſſe crederetur, & hac lege ne ſecundam quidem ad Timotheum & ad Galatas eos debere ſuſcipere: de quibus & ipſi humanæ imbecillitatis exempla protulerit: Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens tecum affer: Et vtinam excindantur qui vos conturbant. Inueni plurima & ad Romanos & ad cæteras Eccleſias: maximeque ad Corinthos remiſsius & quotidiano penè ſermone dictata, in quibus Apoſtolus loquatur: Cæteris autem ego dico non Dominus: Quas & ipſas, quia tale aliquid habeãt: aut Pauli Epiſtolas non putandas: aut ſi iſtæ recipiuntur,

*Gala. 2.*
*2. Cor. 13.*
*2. Timot. 4.*
*Galat. 5.*
*1. Cor. 7.*





recipiendam eſſe & ad Philemonem, ex præiudicio ſimilium receptarum. *To. 6. in Proœmio Epiſtolæ ad Philemonem.*

## *De ſeptem Epiſtolis Canonicis primum generatim.*

*Sic Sophronius vertit potius quam Canonicis: quod & doctis placet.*

IACOBVS Iuſtus frater Domini vnam tantum ſcripſit Epiſtolam, quæ de ſeptem Catholicis eſt, quæ & ipſa ab alio quodam ſub eius nomine edita aſſeritur, licet paulatim, tempore procedente obtinuerit autoritatem.

## *De duabus Epiſtolis Petri Canonicis in ſpecie.*

*Sic dictæ quod ad omnes Chriſtianos pertineant, & ad omnes diſperſionis filios ſcriptæ ſint*

SIMON Petrus ſcripſit duas Epiſtolas, quæ Catholicæ nominantur: quarum ſecunda à pleriſque eius eſſe negatur, propter ſtyli cum priore diſſonantiam *Tom. 1. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Simone Petro.*

BEATVS Paulus habebat Titum interpretem, ſicut & beatus Petrus Marcum: cuius Euangelium Petro narrante, & illo ſcribente, compoſitum eſt. Deniq; & duæ Epiſtolæ, quæ feruntur Petri, ſtylo inter ſe & charactere diſcrepant, ſtructuraq; verborum. Ex quo intelligimus pro neceſsitate rerum eum diuerſis interpretibus vſum. *Tomo tertio Epiſtola 150. ad Hedibiam quæſtionem 11.*

*Hinc diluitur obiectio ex priori teſtimonio Hieronymi de ſtyli diſſonãtia.*

## *De tribus Epiſtolis Apoſtoli Ioannis.*

*1. Ioan. 3.*

IOANNES idem Apoſtolus & Euangeliſta in Epiſtola ſua ait: Quicunq; odit fratrem ſuum homicida eſt, & rectè: cum enim homicidium ex odio ſæpe naſcatur, quicunque odit etiamſi gladio necdum pecuſsiterit, animo tamen homicida eſt. *Tomo primo Epiſtola 36. ad Caſtorinam materteram.*

SCRIPSIT Ioannes & vnam Epiſtolam, cuius exordium eſt: Quod fuit ab initio, quod audiuimus & vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ: quæ ab vniuerſis Eccleſiaſticis, & eruditis viris probatur. Reliquæ autem duæ, quarum principium eſt: Senior electę dominę, natis eius. & ſequentis: Senior Caio cariſsimo, quem ego diligo in veritate: Ioannis præsbyteri aſſeruntur *Tomo primo de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Ioanne Apoſtolo.*

PAPIAS aſſerit ſe non varias opiniones ſequi, ſed Apoſtolos auctores habere. Conſiderabam, ait, quid Andreas, quid Petrus dixiſſent, quid Philippus, quid Thomas, quid Iacobus, quid alius Iacobus, quid Ioannes, quid Matthæus vel alius quilibet diſcipulorum domini: quid etiam Ariſtion, & ſenior Ioannes Diſcipuli Domini loquebantur. Non enim tantum mihi libri ad legendum proſunt, quantum viua vox vſque hodie in ſuis auctoribus perſonans. Ex quo apparet ex ipſo Catalogo nominum, alium eſſe Ioannem, qui inter Apoſtolos ponitur: & alium ſeniorem Ioannem, quem poſt Ariſtionem enumerat. Hoc autem diximus propter ſuperiorem opinionem quam à pleriſque retulimus traditam, duas poſteriores Epiſtolas Ioannis, nõ Apoſtoli eſſe, ſed præsbyteri. *Tomo primo de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Papia Ioannis auditore.*

## *Scholia.*

PRAESBYTER *qui in duobus vltimis teſtimonijs nominatur, ipſemet idem eſt Apoſtolus Ioannes & Euangeliſta: ſic appellatus ob notabilem ætatis diuturnitatem: vixit enim vſque ad annum 68. poſt Domini Paſsionem, vt Hieronymus in libro de Viris Illuſtribus tradit. & Epheſi longo ſenio confectus, poſtquam Aſiæ fundaſſet Eccleſias, mortuus eſt. Hieronymi autem verba ex aliorum non ex ſua ſententia adducta ſunt. quod ex illis verbis ſubiectis liquet, ſuper qua re cum per ordinem ad Papiam eius auditorem ventum fuerit, diſſeremus. in Papia verò cum duplicem Ioannem nominaſſet, ſubintulit: hoc autem diximus propter ſuperiorem opinionem, quam a pleriſque retulimus traditam, Duas Epiſtolas poſteriores non Ioannis eſſe Apoſtoli ſed præsbiteri: Senioris autem vocabulum muneri Eccleſiaſtico propriè conuenit. 1. Petri 5. ca. Seniores, ait, qui in vobis ſunt, obſecro conſenior ipſe & teſtis paſsionum Chriſti &c.*

## *De vnica Epiſtola Iacobi quod ſit germanæ authoritatis.*

IACOBVS qui appellatur frater Domini cognomento Iuſtus Mariæ ſororis matris Domini filius, poſt paſsionem Domini ſtatim ab Apoſtolis Hieroſolymorum Epiſcopus ordinatus, vnam tantum ſcripſit Epiſtolam, quæ de ſeptem Catholicis eſt, quæ & ipſa ab alio quodã ſub nomine eius edita aſſeritur, licet paulatim, tempore procedente, obtinuerit authoritatem. *Tomo primo de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Iacobo.*

## *De vna Epiſtola Iudæ.*

IVDAS, frater Iacobi, paruam quidem, quæ de ſeptem Catholicis eſt, Epiſtolam reliquit. Et quia de libro Enoch, qui apocryphus eſt, in ea aſſumit teſtimonium, à pleriſque reijcitur: tamen autoritatem vetuſtate iam & vſu meruit & inter ſanctas ſcripturas computatur. *Tomo primo de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Iuda Apoſtolo.*

## *Quod Apocalypſis Ioannis ſit germanæ authoritatis.*

IOANNES Apoſtolus quarto decimo anno ſecũdam poſt Neronem perſequutionem mouente Domitiano, in Pathmos inſulam relegatus, ſcripſit Apocalypſin, quam interpretatur Iuſtinus martyr & Irenæus. Interfecto autem Domitiano, & actis eius ob nimiam crudelitatem à ſenatu reſciſsis, ſub Nerua principe redit Epheſum: ibique vſque ad Traianum principem perſeuerans, totas Aſiæ fundauit rexitque Eccleſias: & confectus ſenio, ſexageſimo octauo poſt paſsionem Domini anno mortuus, iuxta eandem vrbem ſepultus eſt. *Tom. 1. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Ioanne Apoſtolo.*

DIONYSII Alexandrini duo libri aduerſus Nepotem Epiſcopum, qui mille annorum corporale regnum ſuis ſcriptis aſſeuerat: in quibus & de Apocalypſi Ioannis diligentiſsimè diſputat &c. *Tom. 1. de Viris Illuſtribus in Dionyſio Alexandrino.*

PETRVS Apoſtolus, & Ioannes Apoſtolus & Euangeliſta & propheta: Apoſtolus quia ſcripſit ad Eccleſias vt magiſter: Euangeliſta, quia librum Euangelij condidit, quod excepto Matthæo, alij ex duodecim Apoſtolis non fecerunt: propheta: vidit enim in Pathmos inſula, in qua fuerat à Domitiano principe ob Domini martyrium relegatus, Apocalypſim, infinita futurorum myſteria continentem. Refert autem Tertullianus, quod Romæ miſſus in feruentis olei dolium, purior & vegetior exiuerit, quam intrauerit. *Tomo ſecundo libro primo aduerſus Iouinianum cap. 14.*

ILLVD noſtris dicendum eſt: hanc Epiſtolam quæ inſcribitur ad Hebræos, non ſolum ab Eccleſijs Orientis, ſed omnib. retro Eccleſijs, & græci ſermonis ſcriptorib. quaſi Pauli Apoſt. ſuſcipi, licet pleriq; eam vel Barnabę vel Clemẽtis arbitrentur, & nihil intereſſe, cuius ſit: cum Eccleſiaſtici viri ſit, & quotidie Eccleſiarum lectione celebretur. Quod ſi eam latinorum conſuetudo non recipit inter ſcripturas Canonicas: nec græcorum quidem Eccleſiæ Apocalypſin Ioannis eadem autoritate ſuſcipiunt: & tamen nos vtraque ſuſcipimus, nequaquam huius temporis conſuetudinem, ſed veterum ſcriptorum auctoritatem ſequentes, qui plerunq; vtriusque abutuntur teſtimonijs, non vt interdum de apocryphis facere ſolent: quippe qui & gentilium literarum raro vtantur exemplis, ſed quaſi Canonicis & Eccleſiaſticis. *Tom. 3. Epiſtola 129. ad Dardanum Apocalypſis Ioannis in ſuperficie litteræ, medullata Eccleſiæ ſacramenta continet. Tom. 4. lib. 9. Commen. in cap. 30. Eſaiæ.*

LEGIMVS in Apocalypſi Ioannis, quæ in Eccleſijs legitur & recipitur. Neque enim inter apocryphas ſcripturas habetur, ſed inter Eccleſiaſticas. Dicitur ergo ibi de Domino ſaluatore: Et gladius, inquit, ex vtraque parte acutus egrediebatur de ore eius. Vides ergo quod iſti ſancti *Apoc. 1. ca.* gladios iſtos ancipites, quos habent in manibus, de ore Domini ſuſceperunt? Dominus ergo gladios de ore ſuo donat ſanctis ſuis? Gladium ancipitem hoc eſt ſermonem doctrinæ ſuæ: *Tom 7. Com. in Pſal. 149.*

## *Hæreticorum proprium eſt eas ſcripturas pro ſuo arbitratu repudiare, quæ ipſorum propoſito maximè & ſectæ repugnant.*

LICET non ſunt digni fide, qui fidem primam irritam fecerunt, Marcionem loquor & Baſilidem, & omnes hæreticos, qui vetus laniant teſtamentum tamen eos aliqua ex parte ferremus, ſi ſaltem in nouo continerent manus ſuas & non auderent CHRISTI (vti ipſi actitant) boni dei filij, vel Euangeliſtas violare vel Apoſtolos. Nunc verò cum & Euangelia eius diſputauerint, & Apoſtolorum Epiſtolas, non Apoſtolorum Chriſti fecerint eſſe, ſed proprias: miror quo modo ſibi Chriſtianorum nomen audeant vindicare. Vt enim de cæteris Epiſtolis taceam de quibus quicquid contrarium ſuo dogmati viderant, eraſerunt: nonnullas integras repudiandas crediderunt: ad Timotheum videlicet vtranque: ad Hebręos & ad Titum quam nunc conamur exponere. Et ſi quidem redderent cauſas, cur eas Apoſtoli non putarent, tentaremus aliquid reſpondere, & forſitan ſatisfacere lectori. Nunc verò cum hæretica authoritate pronuncient & dicant: Illa Epiſtola Pauli eſt, hæc non eſt, ea auctoritate refelli ſe pro veritate intelligant, qua ipſi non erubeſcunt falſa ſimulare. Sed Tatianus Encratitarum patriarcha, qui & ipſe nonnullas Epiſtolas Pauli repudiauit, hanc vel maximè, hoc eſt ad Titum, Apoſtoli pronunciandam credidit, parui pendens Marcionis & aliorum, qui cum eo in hac parte conſentiunt aſſertionem. *Tomo 6. in proœmio ad Titum.*

*Qui bibunt vinum defecatum: id propriè ad hæreticos referri poteſt. qui quaſdam ſcripturas probant: quaſdam reprobant, defecata cupientes vina potare, cum in ſanctis ſcripturis nihil turbidum ſit atq; cænoſum, ſed totum de ſuperiori vnda puriſſimum Tom. quinto libro tertio Commentariorum in Amos cap. 6.*

## *De libris apocryphis vitandis.*

CAVEAT omnia apocrypha: & ſi quandò ea non ad dogmatum veritatem, ſed ad ſignorum reuerentiam legere voluerit, ſciat non corũ eſſe quorum titulis prænotantur, multaq; his admixta vitioſa, & grãdis eſſe prudentiæ aurum in luto quærere. Cypriani opuſcula ſemper in manu teneat. Athanaſij Epiſtolas & Hilarij libros inoffenſo decurrat pede: illorum tractatibus, illorum delectetur ingenijs, in quorum libris fidei pietas non vacillet. cæteros ſic legat vt magis iudicet, quàm ſequatur. *To. 1. Epiſt. 7. ad Lætam. cap. 5.*

LIBRI autem Petri, è quibus vnus Actorum eius inſcribitur, alius Euangelij, tertius prædicationis, quartus Apocalypſios, quintus Iudicij, inter apocryphas ſcripturas reputantur *To. 1. de Viris Illuſtribus in Simone Petro.*

EVANGELIVM quod appellatur ſecundum Hebræos: & à me nuper in Græcum latinumque ſermonem eſt translatum, quo Origenes ſæpe vtitur, poſt reſurrectionem ſalutatoris refert. Dominus autem cum dediſſet ſyndonem ſeruo ſacerdotis, iuit ad Iacobum, & apparuit ei. iurauerat enim Iacobus, ſe non comeſturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum reſurgentẽ à mortuis. Ruſusq; poſt paululum. Afferte, ait, Dominus menſam & panem. Statimq; additur, Tulit panem & benedixit ac fregit & dedit Iacobo Iuſto & dixit ei. Frater mi comede panem tuum, quia reſurrexit filius hominis à dormientibus. *Tom. 1. de Viris Illuſtribus in Iacobo.*

IN Euangelio iuxta Hebræos, quod Chaldaico quidem Syroque ſermone, ſed Hebraicis literis ſcriptum eſt; quo vtuntur vſque hodie Nazaræni, ſecundum Apoſtolos, ſiue vt plerique autumant iuxta Matthæum, quod & in Cæſarienſi habetur Bibliotheca, narrat hiſtoria: Ecce mater Domini & fratres eius dicebãt ei: Ecce Ioannes Baptiſta baptizat in remiſsionem peccatorum: eamus & baptizemur ab eo & cætera. Quibus teſtimonijs ſi non vteris ad authoritatem, vtere ſaltem, ad antiquitatem, quid omnes Eccleſiaſtici viri ſenſerint. *Tomo ſecundo libro tertio Dialogorum aduerſus Pelagianos cap. 1.*

IN Euangelio quo vtuntur Nazaræni & E-



bionitæ (quod nuper in Græcum ſermonem de Hebræo tranſtulimus, & quod vocatur à pleriſque Matthæi autenticum) homo iſte qui aridam habet manum, cœmentarius ſcribitur iſtiuſmodi vocibus auxilium precans. Cœmentarius erã manibus victum [quæritans]: precor te Ieſu vt mihi reſtituas ſanitatem, ne turpiter mendicem cibos. Vſque ad aduentum ſaluatoris arida manus in ſynagoga fuit Iudæorum, & Dei opera non fiebant in ea: poſtquam ille venit in terras reddita eſt in Apoſtolis credentibus dextera, & operi priſtino reſtituta. *Tom. 6. lib. 2. Commentar. in cap. 12. Matt.*

CVM Apoſtoli Chriſtum putarent ſpiritum vel iuxta Euangelium, quod Hebræorum lectitant Nazareæi, incorporale dœmonium dixit eis. Quid turbati eſtis & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas & pedes meos quia ego ipſe ſum & cæt. *Tom. 4. lib. 18. proœmio in Eſaiam.*

QVICVNQVE ſponſum animæ dei ſermonem intellexerit, crediderit Euangelio, quod ſecundum Hebræos editum nuper tranſtulimus (in quo ex perſona ſaluatoris dicitur: Modo tulit me mater mea, ſanctus ſpiritus in vno capillorum meorum) non dubitabit dicere ſermonem Dei ortum eſſe de ſpiritu, & animam, quæ ſponſa ſermonis eſt, habere ſocrum ſanctum ſpiritum. *Tom. 5. lib. Com. in cap. 7. Michea.*

QVOD autem iuxta Hebraicum dicitur: & hominem nõ contriſtauerit, Apoſtolico cõgruit teſtimonio. Nolite cõtriſtare ſpiritum ſanctum qui habitat in vobis Et in Euangelio quod iuxta Hebræos Nazaræi legere conſueuerunt, inter maxima ponitur crimina, qui fratris ſui ſpiritum contriſtauerit. *Tom. 4. lib. 6. Commen. in cap. 18. Ezechielis.*

SALVATOR noſter nullum volumen proprium ſuæ doctrinæ reliquit (quod in pleriſque apocryphorum delyramenta confingunt) ſed patris & ſuo ſpiritu quotidie loquitur in corde credentium *To. 4. lib. 1. Com. in cap. 44. Ezech.*

IN libro Paſtoris (ſi cui tamen placet librum recipere) Hermæ primum videtur Eccleſia cano capite: Deinde adoleſcentula & ſponſa crinibus adornata *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 7. Oſeæ.*

A ſæculo non audierunt.] Paraphraſin huius teſtimonij, quaſi Hebræus ex Hebræis, aſſumit Apoſtolus Paulus de authenticis libris in Epiſtola quam ſcribit ad Corinthios non verbum *1. Cor. 2.* ex verbo reddens, quod facere omnino contemnit, ſed ſenſuum exprimens veritatem, quib. vtitur ad id quod voluerit roborandum. Vnde apocryphorum delyramenta conticeant, quæ ex occaſiõe huius teſtimonij ingerũtur Eccleſijs Chriſti. De quibus verè dici poteſt, quod ſedeat diabolus in inſidijs cum diuitibus in apocryphis, vt interficiat innocentem. Et iterum. Inſidiatur in apocrypho quaſi leo in ſpelunca ſua: inſidiatur vt rapiat pauperem. Aſcenſio enim Eſaiæ, & Apocalypſis Heliæ, hoc habent teſtimoniũ, Et per hanc occaſionem multaq; eiuſcemodi, Hiſpaniarum & Luſitaniæ deceptæ ſunt mulierculæ, oneratæ peccatis, quæ ducũtur deſiderijs varijs, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes: vt Baſilidis Balſami atq; Theſauri Barbelonis quoq; & Leuſibotæ, ac reliquorum nominum portenta ſuſciperent. De quibus diligentiſsimè vir Apoſtolicus ſcribit Irenæus, Epiſcopus Lugdunenſis & martyr, multarum origines explicans Hæreſeon, & maximè Gnoſticorum, qui per Marcum AEgyptium, Galliarum primum circa Rhodanum, deinde Hiſpaniarũ nobiles fœminas deceperunt, miſcentes fabulis voluptatem, & imperitiæ ſuæ nomen ſcientiæ ſuæ vendicantes *Tom. 4. lib. 17. Co. in cap. 64. Eſaiæ.*

PLVRES fuiſſe, qui Euangelia ſcripſerunt & *Luc. 1. ca.* Lucas euangeliſta teſtatur, dicens. Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem rerum, quæ in nobis completæ ſunt, ſicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt ſermonẽ, & miniſtrauerunt ei: & perſeuerantia vſque in præſens tempus monimenta declarant, quæ à diuerſis authoribus edita, diuerſarum hæreſeon fuere principia: vt eſt illud Aegytios, & Thomam & Matthiam & Bartholomæum, duodecimque Apoſtolorum Baſilidis & Apellis, ac reliquos enumerare longiſsimum eſt: cum tantum in præſentiarum hoc neceſſe ſit dicere, extitiſſe quoſdam qui ſine ſpiritu & gratia Dei conati ſunt magis ordinare narrationem, quam hiſtorię texere veritatem. Quibus iure poteſt illud Propheticum coaptari. Væ qui prophetant de corde ſuo: qui ambulant poſt ſpiritum ſuum. qui dicunt, dicit Dominus: & Dominus non miſit eos. *Ezec. 13.* De quibus & ſaluator in Euangelio Ioannis loquitur: Omnes, qui ante me venerunt, fures & latrones fuerunt. Qui venerũt non qui miſſi ſunt. Ipſe enim ait: Veniebant & ego non mittebam eos. *Ioan. 10. ca.* In venientibus enim præſumptio temeritatis: in miſsis obſequium ſeruitutis eſt. *To. 6. in proœmio Com. ſuper Mat. ad Damaſum.*

LEGI nuper in quodam Hebraico volumine, quod Nazarenæ ſectæ mihi Hebræus obtulit, Hieremiæ apocryphum, in quo hæc ad verbũ ſcripta reperi. Et acceperunt triginta argenteos &c. *Tom. 6. lib. 4. Com. in cap. 27. Matthæi: Com. 62.*

QVAERAT aliquis quiſnam ſit iſte qui dicat. Surge qui dormis, & exurge à mortuis: aut cuius teſtimonio Apoſtolus ſit abuſus. Et quidem qui ſimplici reſponſione contentus eſt, dicet in recõditis eum Prophetis, & his quæ vocantur apocrypha, hæc lecta in medium protuliſſe, ſicut in alijs quoque locis illum feciſſe manifeſtum eſt) non quod apocrypha comprobaret, ſed quo & Arati & Epimenidis & Menandri verſibus ſit abuſus, ad ea quæ voluerat in tempore comprobanda *Tomo 6. lib. 3. Com. in c. 5 ad Epheſios.*

QVI putant totum librum ſequi debere eum, qui libri parte vſus ſit, videntur mihi & apocryphum Enochi, de quo & Apoſtolus Iudas in epiſtola ſua teſtimonium poſuit, inter Eccleſiæ ſcripturas recipere, & multa alia quæ Apoſtolus Paulus de reconditis eſt loquutus. *Tomo 6. lib. 1. Com. in cap. 1. ad Titum.*

LEGIMVS in quodam libro Apocrypho, eo tempore quo deſcendebant filij dei ad filias hominum, deſcendiſſe illos in montem Hermon, & ibi iniſſe pactum, quomodo venirent ad filias hominum, & ſibi eas ſociarent. Manifeſtiſsimus liber eſt, & inter apocryphos computatur, & veteres interpretes de ipſo loquuti ſunt: nonnulla autem nos diximus non in authoritatẽ ſed commemorationem. Sicut Ros Hermon qui deſcendit in montem Sion. Legi in cuiuſdam libro ſuam hæreſim

confirmatis de iſto libro apocrypho. Quid enim dicit? Filij, inquit, Dei, qui de cęlis deſcendebāt, venerunt in Hermon, & concupierunt filias hominum: Angeli inquit, ſunt de cœleſtibus deſcendentes, & animæ quæ deſiderauerunt corpora. Siquidem corpora filię hominum ſunt. Vidiſtis quomodo Manichæi dogma conſurgit. Sicut enim Manichæi dicūt animas deſiderare corpora humana, & ſociatas eſſe voluptati corporum: ſic & iſti qui dicūt angelos deſideraſſe corpora, hoc eſt filias hominū: nōne vobis videntur idipsū dicere quod Manichęi? Longū eſt nunc contra iſtos dicere: ſed tantummodo indicare volui, de quo volumine quaſi per occaſionem iſtius, ſuū dogma confirmant. *Tom.7. Com. in Pſal. 132.*

BARNABAS Cyprius, qui & Ioſeph Leuites, cum Paulo gentiū Apoſtolus ordinatus, vnā ad ædificationem Eccleſiæ pertinentem Epiſtolam compoſuit, quę inter apocryphas ſcripturas legitur *To.1. de ſcriptorib. Eccleſiaſt. in Barnaba.*

περιόδους Pauli & Theclæ & totam baptizati Leonis fabulam, inter apocryphas ſcripturas cōputamus. Quale enim eſt vt Lucas indiuiduus comes Apoſtoli Pauli inter cæteras eius res hoc ſolū

*2.Tim.2.*
*2.Tim.1.ca.*

ignorauerit? Sed & Tertulianus vicinus eorū temporū, refert presbyterum quendam in Aſia σπουδαστὴν Apoſtoli Pauli, cōuictum à Ioanne, quod auctor eſſet libri, & confeſſum ſe hoc Pauli amore feciſſe, & ob id loco excidiſſe: quidam ſuſpicātur, *Tom.1. de ſcriptoribus Eccleſiaſti: in Luca.*

HERMAM aſſerunt auctorem eſſe libri, qui appellatur Paſtor, & apud quaſdam gręciæ Eccleſias etiā publicè legitur. Reuera vtilis liber, multiq; de eo ſcriptorū veterum ſumpſerūt teſtimonia, ſed apud Latinos penè eſt ignotus *To.1. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Herma.*

CLEMENS Romanus ſcripſit ex perſona Romanæ Eccleſiæ, ad Eccleſiam Corinthiorum valde vtilē Epiſtolam, quæ & in nonnullis Eccleſijs publicè legitur, quæ mihi videtur characteri epiſtolæ, quæ ſub Pauli nomine ad Hebræos fertur, conuenire. Fertur & ſecunda eius nomine Epiſtola, quæ à veteribus reprobatur. Et diſputatio Petri & Appionis longo ſermone conſcripta, quam Euſebius in lib.3. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ volumine coarguit *Tom.1. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Clemente.*

FERVNTVR ſub nomine Modeſti & alia συγγράμματα. Sed ab eruditis quaſi ψευδεπίγραφα repudiantur *T.1. de ſcriptoribus eccleſiaſticis in Mode.*

SARAPION ad Domnum, qui perſequutionis tempore ad Iudæos declinauerat, volumen compoſuit: & alium de Euangelio, quod ſub nomine Petri fertur, librum ad Rhoſenſem Ciliciæ eccleſiam, quę in herēſin eius lectione diuerterat *To.1. de Scriptoribus Eccleſiaſt. in Sarapione.*

TV vigilans dormis, & dormiens ſcribis: & proponis mihi librum apocryphum, qui ſub nomine Eſdrę à te, & ſimilibus tui legitur: vbi ſcriptum eſt, quod poſt mortem nullus pro alijs audeat deprecari: quem ego librum nunquam legi. quid enim neceſſe eſt in manus ſumere quod Eccleſia non recipit? Niſi forte Balſamum mihi & Barbelum, & theſaurum Manichæi, & ridiculū nomen Leuſiboræ proferas: & quia ad radices Pirenæi habitas, vicinuſq; es Hiberiæ, Baſilidis antiquiſsimi hæretici, & imperitæ ſcientiæ incredibili[illegible] ſequeris & proponis quod toa- tius orbis authoritate damnatur. Nam in cōmentariolo tuo quaſi pro te faciens, de Salomone ſumis teſtimonium, quod Salomon omnino non ſcripſit: vt, qui habes alterum Eſdram, habeas & Salomonem alterum: & ſi tibi placuerit legito fictas reuelationes omnium patriarcharum, & prophetarum: & cum illas didiceris, inter mulierum texturas cantato, imo legendas propone in tabernis tuis, vt facilius per has nænias vulgus indoctum prouoces ad bibendum. *Tom.2. aduerſus Vigilantium cap.3.*

(*3. & 4. librum Eſdræ intelligit, quos non eſſe ex Hebræorum canone, in ipſa quoq; ſupra Eſdram præfatione ſupra oſtendit. Locus autem quem Vigilantius inducebat ex 7. cap. lib. 4. ſumtus erat, verum loquitur poſt iudicij diē: ſic vt neq; ille liber hæreticæ faueat opioni.*)

ET erant, inquit Lucas pater illius & mater admirantes ſuper his, quæ dicebantur de eo. Licet tu mira impudentia. hęc in græcis Codicibus falſata contendas, quæ non ſolum omnes penè græciæ tractatores in ſuis voluminibus reliquerunt, ſed nonnulli quoq; è latinis, ita vt in græcis habentur, aſſumpſerunt. Nec neceſſe eſt nunc de exemplariorum varietate tractare, cùm omne & veteris & nouæ ſcripturæ inſtrumentum in latinum ſermonem exinde translatum ſit, & multo purior manare credenda ſit fontis vnda, quam riui. *Tomo ſecundo Epiſtola aduerſus Heluidium. cap.4.*

CHRISTVS Dominus noſter vtriuſq; teſtamenti conditor, in Euangelio ſecundum Ioannem. Qui credit, inquit, in me, ſicut dicit ſcrptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Vtique ſcriptum eſt quod Saluator ſcriptum eſſe teſtatur. vbi ſcriptum eſt. Septuaginta nō habent, apocrypha neſcit Eccleſia. Ad Hebræos igitur reuertendum, vnde & Dominus loquitur, & diſcipuli exempla præſumunt. *Tom.2. lib.2. aduerſus Ruffinum. cap.8.* *Ioan.7.*

SCRIPTVM eſt. Quod oculus non vidit nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Solent in hoc loco apocryphorum quidam delyramenta ſectari & dicere; quod de Apocalypſi Heliæ teſtimonium ſumptum ſit. cū in Eſaia iuxta Hebraicū ita legatur: A ſæculo non audierunt, nec auribus perceperunt Oculus non vidit Deus abſq; te, quæ præparaſti expectantibus te. *Tom.2. Epiſt. 101. ad Pammachiū de optimo genere interpretandi. c.4.* *1.Cor.2.* *Eſaiæ.64.*

ET profecti de Libna, caſtrametati ſunt in Reſſa. Decima octaua māſio in frenos vertitur. Si enim poſt profectū rurſum ad luti opera deſcēdimus, infrenandi ſumus: & curſus vagi atq; præcipites ſcripturarū retinaculis dirigendi. Hoc verbum, quantum memoria ſuggerit nuſquam alibi in ſcripturis ſanctis apud Hebræos inueniſſe me noui abſque libro apocrypho, qui à græcis μικρογένεσις appellatur: ibi in ædificatione turris, pro ſtadio ponitur, in quo exercerentur pugiles & athletæ, & curſorum velocitas comprobatur *Tom.3. Epiſtola.127. ad Fabiolam Manſione.18.*

VITVLVM qui pro nobis immolatus eſt, & multa ſcripturarum loca, & præcipuè Barnabæ Epiſtola, quæ numeratur inter ſcripturas apocryphas, nominat. *Tom.4. lib.13. Comment. in cap.43. Ezechielis.*



## IV. *Quanta ſit ſacræ ſcripturæ maieſtas, authoritas, vtilitas iucunditas & veritas.*

MIHI videtur exitioſiſsimè credi, aliquod in ſanctis libris haberi mendacium, id eſt eos homines, per quos nobis illa ſcriptura miniſtrata eſt, atq; conſcripta: aliquid in ſuis libris fuiſſe mētitos. Alia quippe quæſtio eſt, ſitne aliquādo mentiri viri boni: & alia queſtio eſt, vtrū ſcriptorem ſanctarū ſcripturarum mentiri oportuerit: imo alia, verò nō ſed nulla eſt q̄ſtio, admiſſo enim ſemel in tantum authoritatis faſtigium officioſo aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quę non, vt cuiq; videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eodem pernicioſiſsima regula ad mentientis authoris conſilium officiumq; referatur. Si enim mentiebatur Apoſtolus Paulus, cum Apoſtolum Petrum obiurgans diceret: Si tu, cum ſis Iudæus gentiliter & non Iudaicè viuis, quemadmodum cogis gentes Iudaizare? Et rectè illi videbatur Petrus feciſſe, quem non recte feciſſe, & dixit & ſcripſit: vt quaſi animos tumultuantium deliniret. Quid reſpondebimus, cum exurrexerint peruerſi homines prohibentes nuptias, quos futuros ipſe prēnunciauit, & dixerint, totum illud, quod idem Apoſtolus, de matrimoniorum iure firmando locutus eſt, propter homines, qui dilectioni coniugum tumultuari poterant, fuiſſe mentium, ſcilicet non quod hoc ſenſerit, ſed vt illorum placaretur aduerſitas? Non enim opus eſt multa commemorare: Poſſunt enim videri etiam de laudibus Dei eſſe officioſa mendacia, vt apud homines pigriores dilectio eius ardeſcat: atq; ita nuſquam certa erit in ſanctis literis caſtæ veritatis authoritas; Nonne attendimus, eundem Apoſtolum cum ingenti cura veritatis commendandæ dicere Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra? Inuenimur autem & falſi teſtes Dei: quia teſtimonium diximus aduerſum Deum, quod ſuſcitauit Chriſtum quem non ſuſcitauit. Si quis huic diceret, quid in hoc mēdacio perhorreſcis, cū id dixeris, quod etiāſi falſum ſit, ad laudem Dei maximè pertinet. Nonne huius deteſtatus inſaniam, quibus poſſet verbis & ſignificationibus in lucem penetralia ſui cordis aperiret? clamans non minore, aut fortaſſe etiam maiore ſcelere in Deo laudari falſitatem, quam veritatem vituperari? Agendū eſt igitur, vt ad cognitionem ſcripturarum diuinarum talis homo accedat, qui de ſanctis libris tam ſanctè & veraciter æſtimet vt nolit aliqua eorum parte delectari per officioſa mendacia: potiuſque id, quod non intelligit, tranſeat, quam cor ſuum præferat veritati. Profectò enim, cum hoc dicit, credi ſibi expetit, & id agit, vt diuinarū ſcripturarum authoritatibus nō credamus. Et ego quidem qualibuſcunq; viribus, quas Dominus ſuggerit, omnia illa teſtimonia, quæ adhibita ſunt, aſtruendæ vtilitati mendacij, aliter oportere intelligi oſtenderem: vt vbique eorum firma veritas doceretur: quam enim teſtimonia mendacia eſſe non debent, tam non debent fauere mendacio. Sed hoc intelligentiæ tuæ relinquo, admota enim lectioni diligentiori conſideratione, multo id fortaſſe facilius videbis, quā ego. Ad hanc autem conſyderationem coget te pietas, qua cognoſcis fluctuare authoritatem ſcripturarum diuinarum: vt in eis, quod vult, quiſque credat, quod non vult, non credat: ſi ſemel fuerit perſuaſum, aliqua ratione illos viros, per quos nobis hæc miniſtrata ſunt, in ſcripturis ſuis officioſè potuiſſe mentiri: niſi fortè regulas quaſdam daturus es, quibus nouerimus, vbi oportet mentiri, & vbi non oporteat; quod ſi fieri poteſt nullo modo mendacibus dubijſq; rationibus id explices, quæſo, Nec me oneroſum, aut impudentem iudices per humanitatem veraciſsimam Domini noſtri, nam vt non dicam nulla, certè non magna culpa, meus error veritati fauet: ſi rectè in te veritas poteſt fauere mendacio. *Tom.2. Epiſt.86. ad Hieronymum.*

*Veritas ſacræ ſcripturæ.*
*1.Tim.4*
*1.Cor.7*
*Nulla mendacia admittenda in ſacra ſcriptura & ne officioſa quidem.*
*1.Cor 15.*
*Qua perſuaſione ad lectionem ſacrarū literarum accedendum.*
*Fluctuat authoritas ſcripturæ ſi admittatur mendacia.*

SI ad ſcripturas ſanctas admiſſa fuerint officioſa mendacia: quid in eis remanebit authoritatis: quæ tandem de ſcripturis illis ſententia proferetur, cuius pondere contentioſæ falſitatis ſubruatur improbitas? ſtatim enim vt protuleris: ſi aliter ſapit, qui contra nititur, dicet illud, quod prolatum erit honeſto aliquo officio ſcriptorem fuiſſe mentitū. Vbi enim hoc non poterit: ſi poterit in ea narratione, qua exorſus Apoſtolus, ait: Quæ autem ſcribo vobis: Ecce coram Deo quia non mentior: credi affirmariq; mentitus, eo loco vbi dixit de Petro & Barnaba: Cum viderem, quia non recte ingrediebantur ad veritatem Euangelij? Si enim rectè ingrediebantur illi, iſte mentitus eſt, ſi autem ibi mentitus eſt: vbi verum dixit? An ibi verum dixiſſe videbitur, vbi hoc dixerit, quod lector ſapit? Cū vero contra ſenſum lectoris aliquid occurrerit: officioſo mēdacio deputabitur? Nō enim deeſſe poterunt cauſæ, cur exiſtimetur, non ſolum potuiſſe verumetiam debuiſſe mentiri, ſi huic regulę conceditur locus. Nō opus eſt hanc cauſā multis agere verbis, præſertim apud te cui ſapienter prouidenti dictum eſt ſatis. Nequaquam verò mihi arrogauerim, vt ingenium tuum, diuino dono aureum meis obolis ditare cōtendam: nec eſt quiſquam te magis idoneus, qui opus illud emendet. Neque enim à me docendus es, quo modo intelligatur, quod idem dicit: factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem & cætera, quæ ibi dicuntur compaſsione miſeſericordiæ, non ſimulatione fallaciæ: fit enim tanquam ægrotus, qui miniſtrat ægroto, non cum ſe febres habere mentitur, ſed cum animo condolentis cogitat, quemadmodum ſibi ſeruiri vellet, ſi ipſe ægrotaret, nam vtique Iudæus erat, Chriſtianus autem factus non Iudæorum ſacramenta reliquerat, quæ conuenienter ille populus & legitimo tempore, quo oportebat, acceperat. ſed ideo ſuſceperat, ea celebranda cum iam Chriſti eſſet Apoſt. vt doceret non eſſe pernicioſa ijs, qui ea vellent, ſicut à parentibus per legem acceperant cuſtodire, etiam cum in Chriſto credidiſſent: non tamen in eis iam conſtituerant ſpem ſalutis, quoniam per Dominum Ieſum ſalus ipſa, quæ ipſis ſacramentis ſignificabatur, aduenerat. Ideoq; gentib. quod inſuetos à fide reuocarent onera grauia & non

*Gal.1.*
*Officioſa etiam mendacia à ſcripturis excludenda.*
*1.Cor.9.*
*Paulus ægroto ſimilis qui miniſtrat ægroto.*

neceſſaria, nullo modo imponenda eſſe cenſebat Quapropter non ideo Petrum emendauit, quod paternas traditiones obſeruaret: quod ſi facere vellet, nec mẽdaciter nec incongruè faceret: quã uis enim iam non ſuperflua, tamen ſolita non nocerẽt: ſed quoniã gentes cogebat Iudaizare: quod nullo modo poſſet, niſi ea ſic ageret, tanquam adhuc etiam poſt Domini aduentum neceſſaria ſaluti forent: quod vehementer per Apoſtolatum Pauli veritas diſſuaſit. Nec Apoſtolus Petrus hoc ignorabat, ſed id faciebat, timens eos, qui ex circũciſione erant. Itaq; & ipſe verè correctus eſt: & Paulus vera narrauit: ne ſancta ſcriptura, quæ ad fidem poſteris edita eſt, admiſſa authoritate mendacij, tota dubia nutet, ac fluctuet, Non enim poteſt aut oportet literis explicari, quanta & quam inexplicabilia mala conſequũtur, ſi hoc conceſſerimus. *Tom. 2. Epiſt. 87. in medio.*

*Admiſſa authoritate mẽdacij ſacra ſcriptura nutat ac fluctuat.*

AT ſatius eſt credere, Apoſtolum Paulum aliquid verè non ſcripſiſſe, quam Apoſtolum Petrum non rectè aliquid egiſſe. Hoc ſi ita eſt, dicamus (quod abſit) ſatius eſt credere mentiri Euãgelium, quam negatum eſſe à Petro Chriſtum, & mentiri Regnorum librum, quàm tantũ prophetam, à Domino Deo tam excellenter electum, in concupiſcenda atq; abducenda vxore aliena commiſiſſe adulteriũ, & in marito eius necando tam horrendum homicidium. Immo verò ſanctam ſcripturam, in ſummo & cœleſti authoritatis culmine collocatam, de veritate eius certus ac ſecurus legam: & in ea homines vel approbatos, vel emendatos veraciter vel damnatos diſcam, potius quam facta humana: ne dum in quibuſdam laudabilis excellentiæ perſonis aliquando credere timeo reprehendenda, ipſa diuina eloquia mihi ſint vbiq; ſuſpecta. Manichæi plurima diuinarum ſcripturarum, quibus eorũ nefarius error clariſsima ſententiarum perſpicuitate conuincitur, quia in alium ſenſum detorquere non poſſunt, falſa eſſe contendũnt: ita tamen, vt eandem falſitatem non ſcribentibus Apoſtolis tribuant, ſed neſcio quibus codicum corruptoribus, quod tamen quia nec pluribus ſiue antiquioribus exemplaribus, nec præcedentis linguæ autoritate, vnde Latini libri interpretati ſunt, probare aliquando potuerunt: notiſsima omnibus veritate ſuperati, confuſique diſcedunt. Hanc non intelligit prudentia ſancta tua, quanta malitiæ illorum pateſcat occaſio, ſi non ab alijs Apoſtolicas literas eſſe falſatas, ſed ipſos Apoſtolos falſa ſcripſiſſe dicamus. *Tom. 2. Epiſt. 97. ad Hieronymum.*

*Mat. 26.*
*2. Reg. 11. 12*

*In commodo quæ ſequantur expoſito principio quod ſint mẽdacia in ſacris literis.*

HOC ad quæſtionem: quam ſuſcepi maximè pertinet: vt veritas diuinarum ſcripturarum ad noſtram fidem ædificandam memoriæ commendata, non à quibuslibet, ſed ab ipſis Apoſtolis, ac per hoc in canonicum authoritatis culmen recepta, ex omni parte vera atq; indubitata præſiſtat, *Ibidem.*

*Veritas ſacrarum ſcripturarum.*

QVIA in Hebræo pro carbone calculus legitur, cœteris quoq; ſuper hoc conſonantibus, videtur mihi ſermo diuinus calculi appellatione ſignari, ſicut enim calculus genus eſt lapidis duriſsimi, & rotundi, & omni puritate leuiſsimi: ita ſermo Dei, qui neque hæreticorum, neq; omnium aduerſariorum poteſt contradictionibus cedere, calculus dicitur. De hoc calculo Sephora filium circuncidit, & Ieſus populum purgat à vitijs: & in Apocalypſi Dominus pollicetur vincentibus, vt accipiant calculum, & ſcribatur ſuper eum nomen nouum. Videntur autem mihi & Septuaginta in eo quod ἄνθρακα trãſtulerunt, idem ſenſiſſe, quod cęteri. ἄνθραξ quippe, quem nos carbunculum interpretamur, genus eſt lapidis fulgidi, atq; nitentis, quem etiam in duodecim lapidibus inuenimus. Siue igitur calculum, ſiue carbunculum lapidem accipimus in calculo diuini ſermonis veritas, & rigor, in carbunculo lucens doctrina & manifeſta monſtratur: Eloquia enim Domini, eloquia caſta, argent ũigne examinatũ, probatum terrę, purgatũ ſeptuplũ. Et alibi: Mandatum Domini lucidum, illuminans oculos. Quod autem ait: in manu habebat carbonem, manum intelligamus operationẽ: vt ibi, in manu linguæ, mors & vita: & in Pſalmo: Cadent in manu gladij. *Tom. 3. Epiſt. 143. ad Damaſum.*

*Hæb. 1.*
*Sermo diuinus calculus*

*Exod 4.*
*Ioſue: 2.*
*Apoc. 2.*
*Exod 28.*
*Pſal. 11.*
*Pſal. 18.*

QVO modo autem ij, qui rapiuntur in nubibus, rapiantur obuiam Chriſto, diligentius contemplandum eſt. Scimus nubes prophetas quibus præcepit Deus ne pluerent ſuper Iſrael imbrem, quando impleuerunt menſuram patrum ſuorum, & facta eſt lex & prophetæ vſq; ad Ioannem Baptiſtam. Et quia Deus poſuit in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo prophetas: non ſolum Prophetæ, ſed & Apoſtoli nubes intelligendi ſunt. Si quis igitur rapitur ad Chriſtum aſcendit ſuper nubes legis & Euangelij, ſuper prophetas & Apoſtolos: & aſſumptis alis columbæ eorumq; doctrina ad excelſa ſublatus, occurrit, non deorſum, ſed in aere & ſpirituali intelligentia ſcripturarum. Occurrens autem in ſpiritualibus, & terrena dimittens, ſiue ille ſit dormiens, ſiue in Chriſto mortuus, ſiue viuens, & in illius præſentiam reſeruatus, ſemper cum illo erit & perfruetur verbo Dei, & ſapientia, veritate atque iuſtitia. *Tom. 3. Epiſt. 152. ad Minerium & Alexandrum.*

*Eſa. 5.*
*Mat. 11.*
*Eph. 4.*
*Nubes prophetæ et Apoſtoli lex & Euangelium per quæ rapimur ad Chriſtum et Eccleſiam.*

POST interpretationem elementorum intelligentiæ ordo dicendus eſt, Aleph, Beth, Gimel, Daleth, prima connexio eſt, doctrina domus, plenitudo tabularum: quòd videlicet doctrina Eccleſiæ, quæ domus Dei eſt, in librorum reperiatur plenitudine diuinorum. Secunda connexio eſt, He, Vau, Zain, Heth, iſta, & hæc vita, quæ enim alia poteſt eſſe vita ſine ſcientia ſcripturarum? per quam etiam ipſe Chriſtus agnoſcitur, qui eſt vita credentium: Tertia connexio habet Thet, Iod bonum principium: quia quamuis nunc ſciamus vniuerſa, quæ ſcripta ſunt, tamen ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus, & nunc, per ſpeculum in ænigmate videmus, cum autem meruerimus eſſe cum Chriſto, & ſimiles angelis fuerimus, tunc librorũ doctrina ceſſabit, & tunc videbimus facie ad faciẽ bonũ principium ſicuti eſt. Quarta connexio eſt Caph Lamed, man⁹ diſciplinę ſiue cordis. Manus intelliguntur in opere, cor & diſciplina intelliguntur in ſenſu: quia nihil facere poſſumus, niſi pri⁹, quæ faciẽda ſunt, ſcierimus. Quinta connexio eſt Mem, Nun, Samech ex ipſis, ſempiternum adiutorium, hoc explanatione non indiget, ſed omni luce manifeſtus eſt, ex ſcripturis æterna ſubſidia miniſtrari. Sexta connexio habet, Ain, Phe, Zade, fons, ſiue oculus oris iuſtitiæ: ſecundum illud, quod in quarto numero expoſuimus. Septima connexio eſt, quæ & extrema, quo & in ipſo quoque ſeptenario numero ſit myſticus intellectus. Coph. Res, Sin, Thau, vocatio capitis, dẽtiũ ſigna. Per dentes articulata vox promitur, & in his ſignis ad caput omnium, qui eſt Chriſtus peruenitur, per quem venitur ad regnum ſempiternum. *Tom. 3. Epiſtol. 155 ad Paulam.*

*Doctrina Eccleſiæ in librorum reperitur plenitudine diuinorũ.*

*Sine ſcientiã ſcripturarũ non eſt vita: & per ſcripturas Chriſtus cognoſcitur.*

*1. Cor. 13.*

*Ex ſcripturis æterna ſubſidia miniſtrantur.*



O RO te, quid hoc ſacratius ſacramẽto? Quid hoc voluptate iucundius? qui cibi, quæ mella ſũt dulciora, quàm Dei ſcire prudentiam, & in abdita eius intrare, & ſenſum creatoris inſpicere, & ſermones Domini Dei tui, qui ab huius mundi ſapientibus deridentur; plenos docere ſapientiã ſpiritali? Habeant ſibi cæteri ſi velint, ſuas opes, gemma bibant, ſerico niteant, plauſu populi delectentur, & per varias voluptates, ſuas diuitias vincere nequeant. Noſtrę diuitię ſint, in lege Domini meditari die ac nocte, pulſare ianuam non patentem, panes trinitatis accipere, & ſæculi fluctus Domino præeunte, calcare. *Ibid.*

*Iucunditas & ſuauitas ſacrarum literarum.*

*Diuitiæ ſpirituales ſacræ ſcripturæ.*
*Pſal. 1.*

ET cũ dixerint ad vos, quærite à pythonibus & à diuinis qui ſtrident in incantationibus ſuis, nunquid non populus à Deo ſuo requirit pro viuis à mortuis? &c.] Cum dixerint, inquit, ad vos gentes & populi de quibus ſupra lectum eſt: Infirmamini populi & vincemini: quid prophetas vultis audire: q̃d Eſaiæ verbis decipimini, & illum putatis quæ ventura ſunt noſſe? Quærite magis à Pythonibus & à diuinis, qui ſtrident in incantationibus ſuis. Pro quibus 70. interpretati ſunt. Qui de terra loquuntur, qui de ventre clamitant. Omnis enim qui de terra eſt, de terra loquitur. Et cuius Deus venter eſt, & gloria in cõfuſione eius de ventre clamare credẽdus eſt. Vos reſpõdete & dicite: Nunquid nõ populus à Deo ſuo requirit pro viuis ac mortuis? Si vos, inquit, pro varietate idolorum veſtrorum (non enim vnum, ſed plures habetis Deos) eos cõſulitis, quos Deos arbitramini, & à mortuis ſiue mortuorum hominum ſimulachris, de venientibus quæritis: quanto magis nos Deum noſtrum per prophetam audire debemus? Docet ergo diſcipulos, & infert ad legem magis & ad teſtimonium. Si de aliquo, inquit, dubitatis, ſcitote ſcriptum: Gentes quas Dominus Deus tuus diſperdet à facie tua, omnia audiunt, & diuinos: tibi autem nõ ſtra didit Dominus Deus tuus: Prophetam vobis ſuſcitabit Dominus Deus veſter de fratribus veſtris, ſicut me: illum audietis. Vnde ſi vultis noſſe, quæ dubia ſunt, magis vos legi, & teſtimonijs tradite ſcripturarum. Quod ſi noluerint veſtra congregatio verbum Domini quærere, non habebit lucem veritatis: ſed verſabitur in erroris tenebris: quæ lux pertranſibit eam, hoc eſt: congrationem veſtram ſiue terram: & corruetis & eſurietis: & cum eſurieritis iraſcemini: ſecundum illud quod ſcriptum eſt: Et cum non fuerint ſaturati, murmurabũt: & maledicetis Deo veſtro, & regi veſtro, & in neceſsitatibus ſurſum aſpicietis in cælum, & in terram deorſum: & ecce tribulatio & tenebrę: diſſolutio genuum, & mentis anguſtia, & caligo oculorum: & non poteritis erui de anguſtia: Hæc iuxta Hebræos: Cæterum, vt ſupra diximus, ſi perſona eſt Chriſti dicentis: Ecce ego & pueri mei, quos mihi dedit Deus: Etiam hæc ipſe loquitur ad Apoſtolos, & ad credentes ex gentibus, qui eius Euangelium ſuſceperunt. Si dixerint, inquit, patres veſtri, quos reliquiſtis quęrite vẽtriloquos, quos Pythonas intelligim⁹. Qualem & in Actibus Apoſtolorum ancillam legimus: quæ quæſtui erat Dominis ſuis: & qui de terra loquuntur; quod in euocatione animarum magis ſe facere pollicentur: & cætera maleficarum artium genera. Hoc ſcire debetis, quod vnaquæque gens proprios conſulat Deos: & de viuorum ſalute mortuos ſciſcitetur. Vobis autẽ in auxilium legem dedit Deus, vt poſsitis dicere: Non eſt talis Ethnicorum diuinatio, qui cultores ſuos ſæpe decipiunt, ſicut noſtra: quæ abſque vllo munere profertur ex lege. Vnde interpretati ſunt 70. Non ſicut verbum hoc, pro quo non eſt dare munera. Gratis enim, inquit, accepiſtis gratis date. Veniet autem ſuper incredulos fames duriſsima, non fames panis, aut ſitis aquæ, ſed fames audiendi ſermonem Dei. Et cum eſurieritis, contriſtabimini: & maledicetis principi veſtro, & paternis traditionibus, hoc eſt Diabolo & antiquis erroribus. Hoc enim ad eos loquitur, q̃ famem paſſi fuerint veritatis: & ſuſpicient in cęlum ſurſum, & in terram deorſum: & erunt in indigentia, & in anguſtia, & in tenebris & in tribulatione: vt non videant vſque ad tempus, donec & ipſi ad Dominum conuertantur. Latam explanationem loca iſta deſiderant: ſed parcimus librorum magnitudini, vt tollamus faſtidium lectionis. Hęc iuxta 70. tranſlationem ex parte perſtrinximus: quæ in pleriſq; diſſonat ab Hebræo, Cæterum Nazaræi locum iſtum ita ediſſerunt: Cum dixerint ad vos ſcribæ & Phariſæi, vt eos audiatis, qui omnia ventris cauſa faciũt, & in morem magorum ſtrident in incantationibus ſuis, vt eos decipiant, hoc eis reſpondere debetis: Non mirum, ſi vos veſtras traditiones ſequamini: cũ vnaquæque gens ſua conſulat idola. Ergo & nos à vobis mortuis de viuentibus conſulere non debemus; magis nobis Deus legem dedit, & teſtimonia ſcripturarum: quæ ſi ſequi nolueritis, nõ habebitis lucem, ſed ſemper caligo vos opprimet: quæ tranſibit per terram veſtram atq; doctrinam: vt cum decepti à vobis ſe in errore perſpexerint, & ſuſtinere famem veritatis, tunc cõtriſtẽtur, ſiue iraſcantur, & maledicant vobis: quaſi quos Deos ſuos & reges putabãt. Et fruſtra ad cælum terramque reſpiciant, cum ſemper in tenebris ſint, & non poſsint de veſtris auolare inſidijs. *Tom. 4. lib. tertio Com. in cap. 8. Eſaiæ.*

*Ioan. 3.*
*Philip. 3.*

*Non eſt in rebus dubijs ad artes prohibitas ſed ad ſcripturã ſacram recurrendum.*

*Deut. 18.*

*Pſal. 58.*

*Diſcrimen inter diuinationem prophetarum et gentilium.*

*Non ſunt idola conſulenda, ſed teſtimonia ſcripturarum.*

IN die illa erit Aegyptus &c.] In illo tempore (hoc enim vt crebro diximus, ſignificat dies) quando miſcuerit Dominus ſpiritum erroris, atque vertiginis, vt euomat Aegyptus vinũ draconum, & furorem aſpidum inſanabilem, intelligens errorem ſuum, & ebrietatem priſtinam: Aegyptus timebit quaſi mulier, non timore fortuito, qui viris accidere conſueuit: quos non amat Aegyptus, ſed ſuffocat & interficit: ſed timore fœmineo, quas ſolas vult Pharao, viuere. Timebit autem commotionem, ſiue eleuationem manus Domini, per quam ſupplicia demonſtrãtur: quam mouebit & eleuabit vt percutiat Aegyptum. Tunc terra Iuda, id eſt, ſcientia ſcripturarum: lex & prophetæ, Euangelia & Apoſtolorum Epiſtolæ erunt Aegypto in feſtiuitatem, ſi vas cognouerit: vel in timorem, ſi comparatione doctrinæ, & veritatis earum ſe intellexerit habuiſſe mendacium. Omnis qui huius terræ fuerit recordatus, pauebit eo pauore qui ducit ad vi

*Exod. 12.*

*Scripturæ partim iucũditatem & gaudium: partim timorem adferũt.*

*Eccle. 1.*

tam. Principium enim ſapientię, timor Domini. Et hoc non ſolum in conſummatione mūdi, ſed in pręſenti quoque tempore accipere poſſumus: quod Eccleſiaſticum virum, & doctrinis cæleſtibus eruditum, omnis hæreticus timeat & ad recordationem illius terreatur. *Tom. 4. lib. 7. Com. in cap. 19. Eſaiæ.*

*Prophetarū fides ex prædictionum certitudine.*

TIBI autem hoc erit ſignum &cæt. ] Iccirco vel maximè prophetæ apud populum ſermonū ſuorum habebant fidem: quia non ſolum de his quæ multa poſt ſæcula futura erant, ſed etiā quæ in continenti, & poſt non grande temporis ſpatium eſſent implenda, memorabant. *Tom. 4. lib. 11. in cap. 37. Eſaiæ.*

HAEC dicit Dn̄s Chriſto meo Cyro &c. ] Legamus Xenophōtis octo librorum Cyri maioris hiſtoriam, & prophetiam Eſaiæ cernemus expletam. Quæ enim ciuitas illi nō patuit, quis enim non regum terga ſubiecit? Qui muri prius inexpugnabiles, non illius obſidione ſubuerſi ſunt? Vnde ad ipſum Cyrum Deus apoſtropham facit. Dedi tibi theſauros, & abſconditas opes cunctarum vrbium: vt qui prius colebas idola, bene fi..ijs vnum ſentires Deum, pręſertim cum ſcias, multò antequam naſcereris tuum nomē eſſe pręd ictum. Quod quidem & Ioſephus in vndecimo Iudaicæ antiquitatis volumine refert, legiſſe Cyrum ab Eſaia de ſe certo vaticinatum nomine: & iccirco Iudæos, quaſi Dei familiares plurimū dilexiſſe. Hæc autem, inquit, tribui tibi, propter Iacob ſeruum meum, & Iſraël electum meum. Et vocaui te nomine tuo, ſicut vocaui Abraham, Iſaac & Iacob: & multò ante prædixi, vt Iſaac & Ioſiā, ne putareris ille eſſe Chriſtus cui aſsimilatus es, & in cuius typum & imaginem præceſsiſti. Tu autem non cognouiſti me, id eſt, ſimulachra coluiſti, non Deum. Accinxi te fortitudine, multarum gentium feci eſſe victorem, & non cognouiſti auxiliatorem tuum. *To. 4. lib. 12. Com. in cap. 45. Eſaiæ.*

*Cyri nomen antequā naſceretur prædictum.*

*Gen 17.*
*3. Reg. 13.*

OMNES ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis pecuniam, properate &c. ] Increpat eos qui ſequuntur ſapientiam ſæcularem, & peruerſas hęreticorum, ſimulataſque doctrinas, & phariſæorum traditiones, omnemque falſi nominis ſcientiam, quę eleuatur contra Deum: & magnis pretijs ac labore continuo appendunt argentū pro ea diſciplina in qua non ſunt panes, & ſudāt pro his cibis, in quibus nulla ſaturitas eſt. Ex quo oſtenditur eam ſectandam eſſe ſapientiam, quæ non eſt in folijs ac flore verborum, ſed in medullis ac fructibus ſenſuum: quæ non aurem pręteruolat, ſed animum reficit. Quam vt diſcamus, non tranſimus maria, nec magnis ſumptibus indigemus: ſed propè eſt verbum in ore noſtro, & in corde noſtro. *Tom. 4. lib. 15. Commentariorum in cap. 55. Eſaiæ.*

*Excellentia ſapientiæ Theologicæ præ omnia lia ſeculari ſcientia.*

*Rom. 10.*

*Pro. 5.*

LVPVS & agnus paſcētur ſimul, & leo & bos comedēt paleas &c. ] Leo & bos comedet paleas, quando viri diſertiſsimi, & quondam apud ſæculum potentes, ſcripturarum ſe tradunt ruſticitati: vt nequaquam ſæculari paſcantur eloquentia, quæ inſtar mellis ſtillat de labijs meretricis, ſed vilitatem & paleas ſequantur hiſtoriæ: donec multo labore atque induſtria mereantur ad frumentum ſenſuum peruenire. De quibus paleis & frumento Hieremias loquitur: Quid paleis ad triticum, dicit DOMINVS? *Tomo quarto libro 18. Commentariorum in caput 65. Eſaiæ.*

*Scripturæ ſacræ triticum ſecularis eloquentia & ſcientia eſt palea.*

*Hier. 23.*

LAETAMINI cum Hieruſalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam &c. ] Introitus glorioſus Eccleſiæ, ille intelligendus eſt, de quo ſcribit Ioānes Apoſtolus: Et in duodecim portis erāt duodecim margaritæ, & plateę ciuitatis auro mūdo, ſicut vitrū perſpicuū. Iſtas margaritas prohibet Dn̄s mitti ante porcos, quas negotiator bonus cū in pphetis inuenerit & Apoſtolis, pergit ad vnum pretioſiſsimum margaritum, non priores abijciens, ſed per illas quęrens pretioſius. *Tom. 4. lib. 18. Com. in cap. 66 Eſaiæ.*

*Apoc. 21.*

*Duodecim Apoſtoli & prophetæ margaritæ precioſæ.*
*Matt. 7.*

QVIS eſt vir ſapiens &c. ] Nec parentum, nec maiorum error ſequendus eſt: ſed authoritas ſcripturarum, & Dei docentis imperiū. *Tom. 4. li. 2. Com. in cap. 9. Hier.*

*Auctoritas ſcripturarū ſequenda.*

TETENDIT arcum ſuum, & poſuit me quaſi ſignum &c. ] Aliquando per arcum ſacra ſcriptura deſignatur. Ipſe quippe arcus Eccleſię, ipſe arcus Domini: de quo ad corda hominum, ſicut ferientes ſagittæ, ſic terrentes ſententiæ veniunt. Vnde rectè per Pſalmiſtam dicitur: Arcū ſuum tetendit, & parauit illum: & in eo parauit vaſa mortis ſagittas ſuas ardentibus effecit. Arcū nanque ſuū Dominus tetendit: quia cunctis peccatoribus per ſcripturam ſacram minas exhibuit. In quo arcu, ſcilicet vaſa mortis pręparat: quia ſecundum eloquij ſui ſententiam, eos qui nunc corrigi negligunt reprobos damnat. In quo etiam ſagittas ſuas ardentibus effecit: quia ad eos, quos per timorem corrigit, accenſas verborum ſententias emittit. Et poſuit me, inquit, quaſi ſignum ad ſagittam. Conſtat nimirum, quod iccirco ſignum ponitur, vt ſagittarum emiſsione feriatur. Fidelis itaque populus in ſignū hoſti ſuo eſt poſitus: quia eum ſemper ſuis ictibus impetit, cum ſuis perſecutionibus affligit. Qui enim in hac vita aſsiduè mala tolerat, velut in ſigno poſitus, ictus ſuſcipit ferientis. Vnde & prædicator egregius, cum perſecutionū mala toleraret, atq; ſub perſecutione aduerſariorum gemeret teneram diſcipulorum mentem de ſuis afflictionibus conſolans ait: Ipſi enim ſcitis, quod in hoc poſiti ſumus: ac ſi eis apertè dicat: Quid in hoc tēpore vulnera noſtra miramini: qui ſi ęterna gaudia quærimus, huc ad hoc venimus, vt feriamur? *Tom. 4. lib. 2. Com. in cap. 3. Lament. Hier.*

*Scriptura ſacra cur arcui comparetur.*

*Pſal. 7.*

VENTER tuus comedet &c. ] Principia lectionis, & ſimplicis hiſtoriæ, eius voluminis eſt. Quando verò aſsidua meditatione in memoriæ theſauro librum Domini condiderimus, impletur ſpiritualiter venter noſter, & ſaturantur viſcera: vt habeamus cum Apoſtolo Paulo viſcera miſericordiæ, & impleatur ille venter, de quo Hieremias loquitur: Ventrem meum, ventrem meum ego doleo, & ſenſus cordis mei conturbāt me. Et comedi illud &cæt. ] Loquitur & Dauid: Quā dulcia gutturi meo eloquia tua, ſuper mel ori meo. Et alibi: Iudicia Domini vera iuſtificata in ſemetipſa, deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multū, & dulciora ſuper mel & fauum. Et Samſon fauum mellis in ore leonis inuenit, & Dominus poſt reſurrectionem, partē aſsi piſcis comedit, & fauum. Et in Prouerbijs de ape dicitur, quanquam hoc Hebræa non habeāt exemplaria: Vade ad apem, & diſce quomodo operatrix ſit, & opus ſuum caſtum faciat: cuius laboribus reges & imperiti pro ſanitate abutūtur. Quod

*Venter ſpiritualis ſpirituali cibo ſcripturæ ſatiatur & repletur.*
*Coloſ. 3.*
*Hier. 4.*

*Pſal. 118.*

*Iud. 14.*
*Luc. 24.*
*Scriptura melli comparatur.*
*Pro. 6.*



Quod operati ſunt Moyſes & prophetæ, Euangeliſtæ, & Apoſtoli: vt quicunque rex fieret, cuius cor in manu Dei eſt, dulcibus fruatur cibus. Qui verò ſimplex, & abſque ſerpentis aſtutia habet innocentiam columbarum, ſimplici fide credat, atque ſaluetur: quia vbique inſidiæ ſunt, & ſæpe Diabolus transfigurat ſe in angelum lucis: melq; diſtillat de labijs mulieris meretricis: dulcia repromittens, vt venena interſerat. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 3. Ezechielis.*

*Pro. 21.*

*Populus Iſrael ſemper conſulebat Dominum per prophetas: docetur id 6. exemplis.*

ET factum eſt in anno ſeptimo &cęt. ] Hanc fuiſſe conſuetudinem populi Iſrael vt quicquid ſcire cupiebant, à Domino quęrerēt per Prophetas, multa exempla teſtantur, Saul quærens aſinas, pergit ad Samuelem, accepitque conſilium à puero, vt offerat prophetæ quartam partem ſicli. Aegrotante filio Hieroboam, mittitur in Silo ad Achiam prophetam vxor eius, deferens munuſcula, panes & colliridas, vuas & laguncula̢m mellis, vt de filij infirmiate cognoſceret. Dauid quoque Propheta alium interrogat prophetam Nathan, vtrum templum Domino ædificare debeat. Et Achab ſciſcitatur, aſcendat an non in Ramoth Galaad. Et in Eſaia quoque & in Regum volumine, quæ Sennacherib ventura ſint, nunciantur. Nec mirum, ſi in veteri teſtamento, ſingulis quæ ventura ſunt prophetæ annuncient, cū Agabum legerimus, quę Paulo ventura ſunt prophetare. Scriptum eſt enim in Deuteronomio: Gentes quas perditurus eſt Dominus in conſpectu tuo, iſtæ omina & diuinationes audient: tibi autem non ſic dedit Dominus Deus tuus. Gentium enim eſt adire Chaldæos, ariolos, aruſpices, diuinos ſortilegos, oracula dæmonum, quibus errori earum illuditur. Vnde & nunc ſeniores Iſrael prophetam adeunt, vt interrogent per eum Dominum: & tamen de interrogatione ſilent, ipſo qui interrogandus erat, ſciente, quid interrogarent, vt & in eo miraculum ſit ſcire cur venerint, & ad ea reſpondere, quæ tacitus ſermo in animo continebat. *Tom. 4. lib. 6. Com. in cap. 20 Ezec. in principio.*

*1.*
*1. Reg. 9.*
*3. Reg. 14.*
*2.*
*3. Reg. 7.*
*3.*
*3. Reg. 22.*
*4.*
*Eſai. 37.*
*4. Reg. 19.*
*Actor. 21.*
*5.*
*6.*

*Deut. 18.*

ET factum eſt verbum Domini ad me &cę. ] Quod de Hieruſalem intelleximus, intelligam⁹ de animarum ſtatu, quæ puræ à Deo conditę ſūt, aurumque in ſenſu atque ſapientia, & argentum in ſermone atque eloquio ſuſceperunt, vt quod mente cōceperint verbis explicēt. De argento legimus: Eloquia Domini, eloquia caſta: argentū igne examinatum, probatum terræ, purgatū ſeptulum de auro ſimiliter & argento, ſexageſim⁹ ſeptimus continet Pſalmus: in quo ſcriptum eſt: Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatę, & poſteriora ſiue interiora dorſi eius, in virore aut pallore auri. Omnis enim gloria filiæ regis intrinſecus, quæ loquitur in Cātico Canticorum: Introduxit me rex in cubiculum ſuum. Qui inter duo dormierit & requieuerit teſtamenta, ſtatim aſſumet pennas columbæ deargentatas: aurique in cordis theſauro fulgore radiabit. *Tom. 4. lib. 7. Commentariorum in caput. 22. Ezechielis.*

*Pſal. 11.*

*Cant. 1.*

QVODQVE ſequitur: Corona tua circūligata ſit tibi, & calciamenta tua erunt in pedib. tuis: hoc ſignificat: Habebis comam, quæ tondetur in luctu, & calciamenta in pedibus, quæ lugentes ſolent abijcere. Vnde & Dauid Abeſſalon filium fugiens, nudis pedibus incēdit. Aiūt Hebræi huiuſque Babylonios magiſtros, legis præcepta ſeruantes. Decalogum ſcriptum in membranulis circundare capiti ſuo, & hæc eſſe quæ iubeantur ante oculos & in fronte pendere: vt ſemper videant quæ præcepta ſunt. Et quia Ezechiel ſacerdos erat, nequaquam eum debere deponere coronam gloriationis, ſed ligatam habere in capite. *Tom. 4. lib. 7. Com. in cap. 24. Ezechielis.*

*2. Reg. 15.*

*Honor maximus Decalogo et legi diuinæ à Iudæis, exhibetur ſignō externo.*

SOMNIVM dicite mihi, &cæt. ] Confitentur Magi, confitentur arioli, & omnis ſcientia ſæcularis literaturæ, præſcientiam futurorum nō eſſe hominum, ſed Dei. Ex quo probatur prophetas Dei ſpiritu locutos, qui futura cecinerunt. *T. 4. libro 1. Com. in cap. 2. Danielis.*

*Ex præſcientia futurorū veritas ſacrarum literarū colligitur.*

ANGELVS Domini deſcendit cum Azaria &c. Oppreſſa perturbationibus anima, & varijs moleſtijs occupata cum hominum deſperauerit auxilium, & tota ad Dominum fuerit mēte, conuerſa, deſcendit ad eam angelus Domini, ſcilicet ſermo diuinus, & excutit flammæ æſtuantis ardores: vt nequaquam ignita iacula inimici cordis noſtri arcana penetrēt, nec illius fornacè claudamur. *Tom. 4. lib. 1. Cōm. in cap. 4. Danielis.*

*Verbum Dei tuetur animā ab inſidijs Diaboli.*

NON eſt bonum homini, niſi quod comedit & bibit &c. Bonum eſt veros cibos, & veram ſumere potionem: quos de agni carne & ſanguine in diuinis voluminibus inueniemus. Quis enim vel comedere, vel cum opus eſt, parcere poteſt abſque Deo qui præcepit ſanctum canibus non eſſe mittendum, & docet quomodo in tempore conſeruis ſint danda cibaria: & iuxta alium ſenſum, inuentum mel tantum comedere, quantum ſufficit? pulchrè autem homini bono Deus dat ſapientiam, & ſcientiam & lætitiam: Niſi enim bonus fuerit, & mores ſuos proprio arbitrio ante correxerit, ſapientiam & ſcientiam, & lætitiam non meretur, ſecūdum illud quod alibi dicitur: Seminate vobis in iuſtitia: vindemiate in fructu vitæ: illuminate vobis lumen ſcientiæ. Seminanda quippe iuſtitia, & vitæ fructus eſt demetēdus vt poſtea ſcientiæ lumen poterit apparere. *Tom. 5. Com. in cap. 2. Eccleſ.*

*In diuinis voluminibus vera potio et verus cibus ſpiritualis.*
*Matt 7.*
*Pro. 31.*

*Oſee. 10.*

ET laudaui ego lætitiam: quia nō eſt bonum homini ſub ſole niſi comedere, & bibere & lætari. &c. ] Cibum & potū ſpiritualiter accipiamus; & ſuper eis lætitiam, quam in labore vitæ noſtrę vix poſſumus inuenire. Quod autem hæc ita ſentienda ſunt vt diximus: demonſtrat ſequens verſiculus, in quo ait: Dedi cor meum vt viderem ſapientiam & occupationem: quod ſcilicet occupentur homines ſuper terram, & diebus ac noctib. in ſcripturarum meditatione verſentur; ita vt plerumque pro inueſtigatione veri ab oculis ſomnus aufugiat *Tom. 5. Com. in cap. 8. Eccleſiaſtis.*

*Aſsiduà meditatio ſacræ ſcripturæ.*

VIDE vitam cum muliere quam dilexiſti, omnibus diebus vitæ vanitatis tuæ, qui dati ſunt tibi ſub ſole &c. ] Sapientiam ſequere & ſciētiam ſcripturarum, & hanc tibi in coniugium copula; de qua in prouerbijs dicitur: Ama illā, & ſeruabit te, amplexare illam, & circundabit te. Dies autem vanitatis, dies huius ſæculi nequam ſignificant, de quo & Apoſtolus non tacet, Quod autem ait: Vide vitam cū muliere quam dilexiſti: ambiguè dictum eſt, ſiue vide & contemplare vitā, & ipſi & vxor tua tecū (nō poteris enim ſine tali vxore ſolus videre vitam) Siue vtrumq; conſidera & vide vitā, & mulierem diebus vanitatis tuę. Et pulchrè pręcipit, vt in in diebus vanitatis

*Pro. 4.*
*Eph. 5.*
*Scriptura ſacra vxor noſtra.*

tis noſtrę, veram vitam cum ſapiẽtia vxore quęramus. Hæc .n. pars noſtra eſt, & hic laboris fructus, ſi in hac vita vmbratili vitam veram inuenire valeamus. *Tomo.5. Com.in caput 9. Eccleſiaſtis.*

SICVT mane tranſijt rex Iſrael &c. ] Pro eo quod nos diximus: Ex Aegypto vocaui filium meum 70. tranſtulerunt. Ex Aegypto vocaui filios eius, quod in Hebraico non habetur, nullique dubiũ eſt Matthæum de hoc loco ſumpſiſſe teſtimonium iuxta Hebraicam veritatem. Ergo qui detrahunt noſtræ tranſlationi, videant ſcripturam, de qua Euãgeliſta hoc teſtimonium sũpſerit, & interpretatus eſt in Domino Saluatore: quando de Aegypto reductus eſt in terram Iſrael: & cum inuenire non quiuerint, deſinant rugare frontem, adducere ſupercilium, criſpare nares, digitis concrepare. Hunc locum in ſeptimo volumine Iulianus Auguſtus, quod aduerſum eos, id eſt, Chriſtianos euomuit, calumniatur, & dicit quod de Iſrael ſcriptum eſt. Matthęus Euangeliſta ad Chriſtum tranſtulit: vt ſimplicitati eorum qui de gentibus crediderant, illuderet. Cui nos breuiter reſpondebimus: Primum Matthæum Euãgelium Hebræis literis edidiſſe: quod non poterant legere niſi hi qui ex Hebræis erant: ergo non propterea fecit vt illuderet Ethnicis. Sin autem Hebræis illudere voluit, aut ſtultus aut imperitus fuit: ſtultus apertum finxit mendacium: imperitus ſi non intellexit, de quo hæc dicerentur. Stultitiam ipſum volumen excuſat, quod prudenter ordinateque compoſitum eſt: imperitum non poſſumus dicere, quem ex alijs teſtimonijs ſcripturarum ſcientiam legis habuiſſe cognoſcimus. *Tom.5.Com.in ca.11.Oſeæ.*

*Confutatur Iulianus & aſtruitur veritas euangelij iuxta Matthæum.*

QVIS ſapiens & intelliget iſta &c. ] Vias Domini eſſe cognoſcimus lectionem veteris & noui teſtamenti, & ſanctarum intelligentiam ſcripturarum. In his vijs qui ambulat, niſi conuertatur ad Dominum, & ablatum ab eo fuerit velamen, quod erat ante oculos Moyſi, rectũ iter inuenire nõ poterit. Sin autem dixerit cum Dauid: Reuela oculos meos, & cõſyderabo mirabilia de lege tua, ambulabit in eis, & Chriſtum inueniet, & Iudæos atque hæreticos (quos vel præuaricatores vel impios ſcriptura nunc nominat) offendere in eis, & infirmari atque corruere ſentiet, iuxta illud quod ſcriptum eſt: Ecce iſte poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorũ in Iſrael. *Tom.5.lib.2.Com.in cap.14.Oſeæ.*

*Via Domini Lectio noui & veteris teſtamenti. Pſal.128.*

QVI optimus in eis eſt, quaſi paliurus, & qui erectus quaſi ſpina de ſepe &c. ] Dominus comminatur hæc dicens: Et auferam bona eorũ, quæ putant bona, quæ illis bona videntur: cæterum veritate rei nunquã bona appellabuntur, quæ & dantem ſpoliant, & accipientem interficiunt: licet nõ tam comminatio ſit quam benedictio auferre ab eis mala, & ipſum, diuinumque ſermonem ingredi in conſcientias eorum, & quaſi tineam comedere quodcũq; peruerſum eſt, & prædarum malarumq; cogitationum facere vaſtitatẽ, & ambulare ſuper normam, & regulam veritatis eos ipſos ad rectũ retrahere: q̃ prauis opinionib. ducebantur, & hoc facere in lumine veritatis. Et in die illo, quando qui ſancti ſunt, & electi de eccleſia aſcendent ad ſpeculã, & in ſublimitate doctrinarum atque operum ſuarum de rebus cæleſtibus diſputabunt. *Tom.5.Com.lib.2.in c.7.Matt.*

*Scriptura ſacra tinea quæ comedit quicquid peccati latet in conſcientia.*

SI quid naturalis boni in anima tua videbatur eſſe, quod in ſimilitudinem vectium hoſtes, qui per portas ſenſuum tuorum conabantur irrũpere, prohibere poſſet & repellere: hoc Babylonio igni ſuccenſum eſt. Nec non aquam munitionis attrahe tibi: de ſermone Dei dicitur: vt circundet ſibi quaſi murum firmiſsimum, ſcripturarum doctrinam atque rationem: ne ad interiora eius poſsit hoſtis irrumpere. *Tom.5.Com.in cap. 3. Nahum.*

*Sermo Dei & ſcripturæ doctrina murus firmiſsimus contra hoſtem diabolum.*

SIMILE eſt regnum cælorum grano ſinapis &c. ] Non ſit moleſtum lectori ſi totas parabolas proponimus. Quæ .n. obſcura ſunt, plenius diſſerenda ſunt: ne breuitate nimia inuoluãtur magis ſenſus, quam exponantur. Regnum cælorum prædicatio Euangelij eſt, & notitia ſcripturarum, quæ ducit ad vitam, & de qua dicitur ad Iudæos: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Simile eſt ergo huiuſcemodi regnum grano ſinapis, quod accipiẽs homo ſeminauit in agro ſuo. Homo qui ſeminat in agro ſuo, à pleriſque Saluator intelligitur, quod in animis credentium ſeminet: Ab alijs, ipſe homo ſeminans in agro ſuo: hoc eſt, in ſemetipſo & in corde ſuo. Quis eſt iſte qui ſeminat, niſi ſenſus noſter & animus: qui ſuſcipiens granum prędicationis, & fouens ſementem humore fidei, facit in agro ſui pectoris pullulare? Prædicatio Euangelij minima eſt omnibus diſciplinis. Ad primam quippè doctrinam fidem nõ habet veritatis, hominem Deum, Chriſtum mortuum, & ſcandalum crucis prædicans. Confer huiuſcemodi doctrinam dogmatibus philoſophorum, & libris eorum, & ſplendori eloquentiæ, & compoſitioni ſermonum, & videbis quanto minor ſit cæteris ſeminibus ſementis Euangelij. Sed illa cũ creuerit, nihil mordax, nihil viuidum, nihil vitale demonſtrat, ſed totum flaccidum marcidumque & mollitum ebullit in holera, & in herbas, quæ citò areſcunt & corruũt. Hæc autem prædicatio, quæ parua videbatur in principio, cum vel in anima credentis, vel in toto mundo ſata fuerit: nõ exurgit in holera, ſed creſcit in arborem: ita vt volucres cæli (quas vel animas credentium, vel fortitudines Dei ſeruitio mancipatas ſentire debemus) veniant, & habitẽt in ramis eius. Ramos puto Euangelicæ arboris, quæ de grano ſinapis creuerit, dogmatum eſſe diuerſitates: in quibus ſupradictarum volucrum vnaquæque requieſcit. Aſſumamus & nos pennas columbæ: vt volitantes ad altiora, poſsimus habitare in ramis huius arboris, & nidulos nobis facere doctrinarum: terrenaque fugientes ad cæleſtia feſtinare. *Tom.6. lib.2.Com.in cap.13.Matthæi.*

*Regnum cælorum notitia ſcripturarum & prædicatio euangelij.*

*Matth.21.*

*Collatio doctrinæ euangelicæ cum dogmatibus philoſophorum.*

*Rami euangelicæ arboris dogmatũ diuerſitates.*

SI quicquã eſt, Paula & Euſtochiũ, quod in hac vita ſapientem virum, teneat, & inter preſſuras & turbines mundi æquo animo manere perſuadeat, id eſſe, vel primum reor meditationem & ſcientiam ſcripturarum. Cum enim à cæteris animalibus hoc vel maximè differamus, quod rationale animal ſumus, & loqui poſſumus: ratio autem omnis & ſermo, diuinis libris continentur, per quos & Deum diſcimus, & quare creati ſumus non ignoramus, miror quoſdam extitiſſe, qui aut ipſi ſe inertiæ & ſomno dantes nolint quę præclara ſunt diſcere, aut cæteros, qui id ſtudij habent, reprehendendos putent. Quibus cum poſsim diſtrictius reſpondere, & breuiter eos vel offenſos dimittere, vel placatos, multo

*Maxima cõſolatio in ſcripturis tẽpore tribulationis.*



multo eſſe melius ſcripturas legere, quàm augendis & cumulandis opibus inhiare: Illud dicam q̃ vel apud iniquiſsimum iudicem obtineam, placere mihi otium meum, & ſolitudinem omni celebritate iucundiorem videri. *Tom.6.in Proœm. ad Epheſios.*

*Scriptura norma & regula actionũ noſtrarum.*

ET quicunque hanc regulam, &c. ] Ad normam omnia diriguntur, & vtrum praua rectáue ſint, cum regula appoſita fuerit, arguentur: Ita & doctrina Dei quædam quaſi norma ſermonis eſt, quæ inter iuſta iudicat & iniuſta: quam qui ſecutus fuerit, habebit pacem in ſemetipſo, quæ ſuperat omnem ſenſum, & poſt pacem, miſericordiam, quæ pręcipua eſt in Dei Iſrael. *Tom. 6.lib.3.Com.in cap.6.ad Gal.*

*Dulcedo mellis in ſacra ſcriptura.*

QVAM dulcia, &c. ] Tranſito melle, vel aliò cibo palato nullum vltra ſaporem habet: ſed eloquia tua Domine ſiue in ore, ſiue in faucibus, vel in arcano abditi pectoris ſemper dulcia ſunt meditantibus ea. Nam ſicut mel viſibile amaritudinem arcet noſtrarum faucium: ita eloquijs dominicis amaritudines noſtrorum criminũ mitigantur. *Tom.7.Com in Pſal.118.*

ALIAM parabolam locutus eſt. Simile, eſt regnum Cælorum fermento, quod acceptum & cæt. ] diuerſus eſt, hominum ſtomachus: alij amaris, alij dulcibus: alij auſterioribus, alij lenibus delectantur cibis. Proponit itaque Dominus, vt iam ſupra diximus, diuerſas parabolas: vt iuxta vulnerum varietates, & medicina diuerſa ſit. Mulier iſta, quæ fermentum accepit, & abſcondit illud in farinæ ſatis tribus, donec fermentaretur totum: vel prædicatio mihi videtur Apoſtolica: vel Eccleſia quæ de diuerſis gentibus cõgregata eſt. Hæc tollit fermentum, notitiam ſcilicet intelligentiam ſcripturarum, & abſcondit illud in farinæ ſatis tribus: vt ſpiritus, anima, & corpus in vnum redacta, non diſcrepent inter ſe: ſed cum duobus & tribus conuenerit, impetrent à patre quodcunq; poſtulauerint. Diſſeritur locus iſte & aliter. Legimus in Platone, & philoſophorum dogma vulgatum eſt: tres in humana anima paſsiones, τὸ λογικὸν, quod nos poſſumus interpretari rationabile, τὸ θυμικὸν, quod dicimus plenum iræ vel iraſcibile, τὸ ἐπιθυμητικὸν, quod appellamus concupiſcibile: & putat ille philoſophus rationabile noſtrum in cerebro: iram in felle: deſiderium in iecore commorari. Et nos ergo ſi acceperimus fermentum Euãgelicum ſanctarũ ſcripturarũ (de quo ſupra dictum eſt) tres humanæ animæ paſsiones in vnum redigentur: vt in ratione poſsideamus prudentiam, in ira, odium contra vitium: in deſiderio, cupiditatem virtutum; & hoc totum fiet per doctrinam Euangelicam, quam nobis mater Eccleſia præſtitit. *Tom. 6.lib.2.Com.in cap.13.Matt.Cano.25.*

*In ſcripturis iuxta vulnerum varietates medicina diuerſa.*

*Fermento Euangelico ſacrarum literarum tres animæ paſsiones in vnũ rediguntur.*

ET adipe frumenti ſatiat te. *Tomo.7. in Pſalmum.147.*

PRAECIPIT ſcriptura diuina, quando ad diuitis prandiũ inuitati fuerimus, cum intelligentia mittamus manum noſtrã ad epulas. Igitur & nobis diues prandium præpoſitũ ſcripturarum eſt. Venimus in pratum vbi herbæ florent: hinc roſa rubet, inde candent lilia, diuerſi flores ſunt. Anima noſtra huc illucq; trahitur, vnde flores pulchriores capiat. Si roſam colligimus, liliũ relinquimus: Si lilium tulerimus, violæ vobis ſuperſunt. Ita & in ſeptuageſimo ſeptimo pſalmo, qui myſticus eſt, & ſacramentis plurimis inuolutus: quamcunq; aſpexeris literam, flores ſunt, flores diuerſi, & non poſſumus totos colligere. Eligamus autem omne quod poſſumus è paucis, poteſt & cætera florum dignitas contemplari. *Tom 7.in Proœm. Pſal.77.*

*Diues prandium ſcripturarum.*

QVAERITVR quare ad id quod ait: ſecũdum fidem electorum Dei, & cognitionem veritatis iunxerit, quæ iuxta pietatem? Eſt planè veritas, quæ non habet pietatem. Si quis grammaticam artem nouerit vel dialecticã: vt rationem rectè loquendi habeat, & inter falſa & vera dijudicet. Geometria quoq; & Arithmetica, & muſica habent in ſui ſcientia veritatem: ſed nõ eſt ſcientia illa, ſcientia pietatis. Scientia pietatis eſt noſſe, legem, intelligere Prophetas, Euãgelio credere, & Apoſtolos non ignorare. Et econtrariò multi ſunt, qui habent pietatis veram cognitionem, ſed non ſtatim & cæterarum artiũ, & earum, de quibus ſupra mentionẽ fecimus, veritatem. Hæc igitur veritas, cuius cognitio iuxta pietatem eſt, in ſpe vitę ęternę poſita eſt, quia ſtatim ei qui ſe cognouerit, præmiũ tribuit immortalitatis. Abſq; pietate verò notitia veritatis delectat ad præſens, ſed æternitatẽ non habet præmiorũ: quàm promiſit non mendax Deus ante ſęcula æterna, manifeſtauit eam temporibus ſuis in Chriſto Ieſu. Qui aũt promiſit ante, & poſtea fecit eſſe perſpicuam, niſi ſapientiæ ſuę, quæ erat ſemper cum patre, cum lætaretur orbe perfecto, & gauderet ſuper filijs hominum, & repromiſit eos quicumque in illa credituri eſſent, habituros eſſe vitam æternam: Antequam orbis iaceret fundamentũ, antequam maria diffunderet, montes ſtatueret, cælum ſuſpenderet, terram deiecta mole ſolidaret, hæc repromiſit Deus, in quo mendacium non eſt: Non quia poſsit mentiri, & nolit in falſitatis verba prorumpere: ſed quia qui pater ſit veritatis, nullum in ſe habet mendacium, ſecundum illud: Fiat autem Deus verax: Omnis autem homo mendax. Propterea autem non mẽdax Deus dicitur, & cum iureiurando quædam in prophetis pollicetur: vt nos ſecuriores effecti magis ſperemus futura eſſe q̃ prędicta ſunt, & tota mente credentes, ad conſequenda ea quæ ventura ſunt, præparemur. *Tom.6.lib.1.Comment.in ca. 1. ad.Titum.*

*Diſcrimen ſcientiæ Theologicæ & aliarum ſcientiarum.*

PARASTI in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me. Menſa, id eſt, ſcriptura diuina. Sicut poſt laborem, in menſa inuenitur conſolatio & refectio: ſic & ſancti per menſam, id eſt, per ſcripturam diuinam habent conſolationem & reſurrectionem, id eſt, ſpem, fidem, & charitatem. Aduerſus eos qui tribulant me. Perſecutores Eccleſiæ: qui ſunt dæmones, Iudæi, & hæretici. Contra iſtos omnes in ſcripturis ſacris inuenimus conſolationem. *Tom.7.Com.in Pſal.22.*

*Scriptura mẽſæ cõparatur.*

## V. Scripturas ſacras obſcuras eſſe, ideo non cuiuſuis eſſe eas interpretari, ſed Eccleſiæ.

AVDI ergo mi conſerue, amice, germane, auſculta paulisper, quo in ſcripturis ſanctis calle gradiaris. Totũ, quod legimus in diuinis libris, nitet quidem & fulget etiam in cortice, ſed dulcius medulla eſt. Qui edere vult nucleum,

cleum, frangat nucem. Reuela, inquit Dauid, oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Si tantus propheta tenebras ignorantiæ confitetur; qua nos putas paruulos, & penè lactantes inſcitiæ nocte circundari? Hoc autem velamen nõ ſolum in facie Moyſi, ſed & in Euãgeliſtis, & Apoſtolis poſitum eſt. Turbis ſaluator in parabolis loquebatur, & conteſtãs myſticum eſſe quod dicebatur, aiebat: Qui habet aures audiendi audiat. Niſi aperta fuerint vniuerſa, quę ſcripta ſũt ab eo, qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit: claudit, & nemo aperit: nullo alio reſerente pandentur. Si haberes hoc fundamentũ; immo ſi quaſi extrema manus operi tuo induceretur, nihil pulchrius, nihil doctius, nihil dulcius, nihilq́ue Latinius tuis haberemus voluminibus. *Tom. 1. Epiſt. 13. cap. 4.*

*Dauid agnoſcit obſcuritatem diuinarum literarum.*

SI quid ignoras, ſi quid de ſcripturis dubitas interroga eum, quem vita commendat, excuſat ætas, fama non reprobat, qui poſsit dicere: Deſponſaui enim vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto. Aut ſi non eſt qui poſsit exponere, melius eſt aliquid neſcire ſecurè, quàm cũ periculo diſcere. Memento, quia in medio laqueorum ambulas: & multæ veteranæ virgines, caſtitatis indubitatæ, in ipſo mortis limine coronã perdidere de manibus. *Tom. 1. Epiſtol. 22. ad Euſtochium. cap. 13.*

*Explicatio ſcripturæ petenda à doctis & pijs viris.*

DVO palliola, & Amphimallum de tuis vſibus vel vtenda, vel ſanctis danda ſuſcepi. Ego inſignia paupertatis, & quotidianæ ſymbola pęnitentiæ, tibi & ſorori tuæ miſi, quattuor ciliciola apta propoſito & vſibus veſtris, & codicem, hoc eſt, viſiones Eſaiæ valdè obſcuriſsimas, quas nuper hiſtorica explanatione diſſerui: vt, quotieſcunque mea opuſcula videris, toties amici dulciſsimi recordatus, nauigationem, quam parum per diſtuleras, pares. *Tom. 1. Epiſt. 28. ad Lucinium.*

*Eſaiæ obſcuritas.*

MISERAM quædã τῶν ὑπομνημάτων, in prophetas duodecim ſancto patri Domnioni, Samuelem, quoque & Malachim, id eſt, quatuor Regũ libros, quæ ſi legere volueris, probabis, quantæ difficultatis ſit diuinam ſcripturam, & maximè prophetas intelligere, & interpretum vitio, quæ apud ſuos puriſsimo curſu Orationis labuntur, apud nos ſcatere vitijs. *Tom. 2. Epiſtol. 52. ad Pammachium.*

*Prophetarũ obſcuritas.*

SCRIBIS in Epiſtola tua, quod antequã Paulinianus presbyter fieret, nunquam te Papa Epiphanius ſuper Origenis errore conuenit. Primũ dubium eſt, & de perſonis diſputo. Ille obieciſſe ſe dicit tu negas, ille teſtes profert, tu non vis audire productos, ille etiam commemorat alium eſſe cõuentũ, tu pro vtroq; diſsimulas, mittit tibi per clericũ ſuum Epiſtolam, reſponſionem flagitat: taces mittere non audes, & Paleſtinæ prouocatus, Alexandrię loqueris. Inter illum & te cui accommodanda ſit fides, nõ eſt meum dicere, puto, quod nec ipſe audeas aduerſum talem ac tantum virum, tibi veritatem, illi mendacium deputare. Sed fieri poteſt, vt vnuſquiſque pro ſe loquatur. Te ipſum contra te teſtem vocabo. Si enim nulla de dogmatibus quæſtio verſabatur, ſi ſtomachum ſenis non noueras, ſi ille nihil tibi reſponderat: q̃d neceſſe erat, vt in vno Eccleſię tractatu, de cunctis dogmatibus, homo non ſatis eloquẽs diſputares, & de trinitate, de aſſumptione dominici corporis, de cruce, de inferis, de Angelorũ natura, de animarũ ſtatu, de reſurrectione Saluatoris, & noſtra, & interea, q̃ forſitan oblitus es ſcribere, præſentibus populis & tali ac tanto viro intrepidus diceres, & omnia vna ſaliua continuares? Vbi ſunt veteres Eccleſiæ tractatores, qui vix ſingulas quæſtiones expli are multis voluminibus potuerunt? Vbi electionis vas, tuba Euangelij, rugitus Leonis noſtri, tonitruus gentium, flumen eloquentiæ Chriſtianæ: qui myſterium, retro generationibus ignoratum, & profundum diuitiarũ ſapientiæ, & ſcientiæ Dei magis miratur, quam loquitur? vbi Eſaias virginis demonſtrator, qui in vna quæſtione ſuccumbẽs: ait: Generationem eius quis enarrabit? Repertus eſt ſæculis noſtris haud grandis homũculus, qui de cunctis Eccleſiæ quæſtionibus, vno linguæ rotatu, ſole clarius coruſcaret. *Tomo. 2. Epiſtola. 61. ad Pammachium.*

*Veteres Eccleſiæ tractatores vix ſingulas quæſtiones explicare multis voluminibus potuerunt.*

NEC ignoro, quanti laboris ſit, prophetas intelligere, nec facile quempiam poſſe iudicare de interpretatione, niſi intellexerit ante, quæ legerit. *Tomo 2. lib. 2. aduerſus Ruffi.*

*Prophetarũ & Apoſtolorum obſcuritas.*

NON eſt eiuſdem hominis, & aureos nummos & ſcripturas probare; & deguſtare vina, & ꝓphetas, vel Apoſtolos intelligere. *Tom. 2. Epiſtol. 75. ad Vigilantium.*

*Poſtremorũ capitum Ezechielis difficultas.*

SED credo in Dei miſericordia, qui nos adiuuit in difficillimo principio ſupradicti operis, quod ipſe adiuuet, & in penultimis prophetæ partibus, in quibus Gog & Magog bella narrantur: & in extremis in quibus ſacratiſsimi & inexplicabilis templi ædificatio, varietas menſuraq; deſcribitur. *Tom. 2. Epiſt. 82.*

QVOD ſi iuxta inclytum oratorem, ſilent inter arma leges: quanto magis ſtudia ſcripturarũ quæ & librorum multitudine, & ſilentio, ac librariorum ſedulitate, quodq; proprium eſt, ſecuritate, & otio dictantium indigent. Vide *Ibidem.*

*Studia ſcripturarũ quæ requirant.*

ET ſi in Euangelijs & prophetis peruerſi homines inueniunt quod nitantur repræhendere: miraris, ſi in tuis libris, & maximè in ſcripturarũ expoſitione, quæ vel obſcuriſsimæ ſunt, quædã à recta linea, diſcrepare videantur? *Tom. 2. Epi. 92. ad Auguſtinum.*

*Scripturæ obſcuriſsimæ.*

NEC ignoro, quanti laboris ſit prophetas intelligere, nec facilè quemquã poſſe iudicare de interpretatione, niſi intellexerit ante quæ legerit: nos quoque patere morſibus plurimorũ, qui ſtimulante inuidia, quod conſequi non valent, deſpiciunt. *Tom. 3. Epiſt. 117. ad Paulam.*

*Difficillimũ eſt intelligere prophetas.*

SACERDOS & ipſe fuit, ſicut Hier. principia voluminis & finem magnis habẽs obſcuritatib. inuolita. *Tom. 3. Epiſt. 119.*

IOHEL planus in principijs, in fine obſcurior. *Tom. 3. Epiſt. 121.*

QVAE cum non minimũ puluerem moueãt, & prima ſtatim fronte difficultatem interpretationis obijciant, in commune Dominũ deprecemur, & mihi quoque de altari carbo mittatur, vt omni peccatorum ſorde deterſa, primũ poſsim Dei ſacramẽta conſpicere, dehinc enarrare quæ videro. *Tomo tertio Epiſt. 14 . ad Damaſum.*

*Precibus à Deo petendꝰ intellectus ſcripturæ.*

NON ſunt, vt quidã putant, in ſcripturis verba ſimplicia: plurimum in his abſconditum eſt: aliud litera, aliud myſticus ſermo ſignificat. *Ibid. Fol. 40. fa. 1.*

OMNIS quidem ad Romanos Epiſtola interpretatione indiget, & tantis obſcuritatibus inuo-

*Obſcuritas epiſtolæ ad Romanos.*





luta eſt, vt ad intelligendam eam ſpiritus ſancti indigeamus auxilio, qui per Apoſtolos hæc ipſa dictauit. *Tomo tertio Epiſtola ad Hedibiam quæſtione decima.*

SIMVLQVE animaduerti, quod quæſtiunculæ tuæ, de Euangelio tantum & de Apoſtolo propoſitæ, indicant te veterem ſcripturã aut non ſatis legere, aut non ſatis intelligere: quæ tantis obſcuritatibus & futurorum typis obuoluta eſt, vt omnis interpretatione egeat, & porta Orientalis, de qua verum lumen exorietur, & per quã pontifex ingredietur, & egredietur, ſemper clauſa ſit, & ſoli Chriſto pateat, qui habet clauẽ Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit: vt illo reſerante, introeas in cubiculũ, eius, & dicas. Introduxit me rex in cubiculũ ſuum. *Tom. 3. Epiſt. 151. ad Algaſiam.*

*Ob typos futurorum obſcura ſcriptura.*
*Eze. 43. 44.*
*Apoc. 3.*

TOTVS hic Apoſtoli locus, & in ſuperioribus, & in conſequentibus, immo omnis Epiſtola eius ad Romanos nimijs obſcuritatibus inuoluta eſt: & ſi voluero cuncta diſſerere, nequaquã mihi vnus liber, ſed magna & multa erunt ſcribenda volumina. *Ibid. quæſtione 8. in fine.*

*Oſcuritas Epiſtolæ ad Romanos.*

*Eſa. 6. 8.*

NVLLVS putet me voluminis iſtius argumẽtum breui cupere ſermone comprehendere: cum vniuerſa Domini ſacramenta præſens ſcriptura contineat, & tam natus de virgine Emanuel, quã illuſtrium patrator operum atq; ſignorũ, mortuus ac ſepultꝰ, & reſurgens ab inferis, & Saluator vniuerſarum gentium prædicetur. Quid loquar de phyſica, ethica & logica, quidquid ſanctarum eſt ſcripturarum, quidquid poteſt humana lingua proferre, & mortalium ſenſus accipere, iſto volumine cõtinetur. De cuius myſterijs teſtatur ipſe, qui ſcripſit: Et erit vobis viſio omnium ſicut verba libri ſignati, quem cum dederint ſcienti literas, dicent: Lege iſtum, & reſpondebit: Nõ poſſum, ſignatus eſt enim. Et dabitur liber neſcienti literas, diceturq́ue ei: Lege, & reſpondebit. Neſcio literas. Siue igitur hunc librũ dederis neſcienti literas populo nationum, reſpondebit. Non poſſum legere, quia non didici literas ſcripturarum: Siue dederis ſcribis & phariſæis, qui legis literas noſſe ſe iactant, reſpondebunt: Non poſſumus legere, quia ſignatus eſt liber. Qui idcirco eis ſignatus eſt liber: quoniam non receperunt eum quem ſignauit pater: qui habet clauem Dauid: qui aperit & nemo claudit: qui claudit & nemo aperit. *Tom. 4. Proœm. in Eſaiam.*

*Obſcuritas Eſaiæ prophetæ.*

*Eſa. 29.*

MAGNI laboris & operis eſt, omnem Eſaiæ librum velle ediſſerere, in quo maiorum, noſtrorum ingenia ſudauerunt: Græcorum dico. Cæterum apud Latinos grande ſilentium eſt, præter ſanctæ memoriæ matryrem Victorium, qui cum Apoſtolo di ere poterat. Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia *Ibid. fac. 2.*

*Interpretes Eſaiæ græci & latini.*

ONVS AEgypti &c.] Moris eſt, ſcripturarũ; obſcuris manifeſta ſubnectere: & quod prius ſub ægnimatibus dixerint, aperta voce proferre. *Tomo quarto libro quinto Commentariorum in caput 19. Eſaiæ.*

*Aenigmata ſcripturæ.*

PROPTEREA repleti ſunt &c.] Prophetæ ideo obſcuri ſunt: quia perſonæ in his plurimę cõmutantur. Ergo & nunc vox Eſaiæ inducitur plãgentis Babylonem ſpiritu Prophetali, quod tanta mala ſuper eam ventura ſint, vt ipſe, qui narrat, timore ſuperatus nequeat in verba prorumpere, videns tantæ multitudinis ſanguinem fundi: & miſericordię motus affectu (homo enim de hominibus loquitur) non minus doleat quam mulier vlulare in partu ſoleat: ſed conturbatus & trepidus, & in terram corruens. caligantibus oculis neſciat quid loquatur. *Tom. 4. lib. 5. Com. in cap. 21. Eſaiæ.*

*Cauſa obſcuritatis in prophetis perſonarũ mutatio*

VAE terræ cymbalo, alarum quæ transflumina Aetiopiæ &c.] vtranq́ue editionem poſui in prophetia obſcuriſsima, ne quid volentibus intelligere quod ſcriptum eſt, deeſſe videatur. Simulq; vehementer admiror eos, qui fidem noſtram & ſpem Chriſtianam arbitrantur ſimplicitate contentam: quia ſcriptum eſt: Mandatum Dei lucidũ illuminans oculos: Nec plus nos debere quęrere, quã vt fiant quæ præcepta ſunt: cum idcirco & omnis ſcriptura & Prophetę ſpecialiter futurorum myſterijs inuoluti ſint: vt prouocent nos ad intelligentiam: & ad illud quod in Euangelio dicitur: Petite, & accipietis: quærite & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis. *To. 4. li. 6. Co. in cap. 18. Eſaiæ.*

*Pſal. 18. 6.*

*Futurorum myſteria inclusa prophetas reddunt obſcuros.*
*Luc. 11.*

SEXTVS & ſeptimus ſuperiores libri, allegoriam quinti voluminis continent, quod olim hiſtorica explanatione dictaui. Pręſens opus, id eſt, octauus liber ad cæptam interpretatiõem reuertitur: vt & hiſtoricam & tropologicam iuxta vtramq; æditionem pariter diſſerat. Quæ ſi longa tibi videbitur O virgo Chriſti Euſtochium, nõ mihi in putes, ſed ſcripturæ ſãctę difficultati, pręcipueq́ue Eſaiæ prophetæ: qui tantis obſcuritatibus inuolutus eſt, vt præ magnitudine rei breuem explanationem putem, quę per ſe longa eſt, *Tom. 4. Proœm. 8. lib. Com. Eſaiæ.*

*Difficultas ſanctæ ſcripturæ & maximè prophetarum.*

SED iam proponamus Eſaiæ capitulum: & cũ Moyſe ingrediamur nubem & caliginem, vt clarificetur vultus noſter, & iuxta Hebraicum, cornuta ſit facies, audianturq; & rutilent tõitrua & fulgura, quæ plebs vilior videre non potuit. *To. 4. lib. 9. Com. in Eſaiæ proœmium.*

SICVT ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus, coram ton. ſe obmu. &c.] Hoc teſtimonium, cum in actibus Apoſtolorum reginæ Candacis eunuchus rheda veheretur, & legens nõ intelligeret, interpretante Philippo ſuper paſsione & nomine Saluatoris intellexit, & ſtatim baptizatus in agni ſanguine, quem legebat, vir meruit appellari, & Apoſtolus genti AEthiopum miſſus eſt. *Tomo quarto libro decimo quarto Comment. in cap. 53. Eſaiæ.*

*Act. 8.*

*Eunucho ſit ſcriptura obſcura.*

NOS autem, quia & ſupra in hoc eodem capitulo legimus: Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, annunciare pauperibus miſit me. Quod Dominus atq; Saluator lecto Eſaiæ volumine in Synagoga Iudæorum ſuper ſe expletum eſſe monſtrauit, dicens: Hodie completa eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris. Et nunc de eodẽ dicitur, quod poſt paſsionem ad patrẽ cruentus aſcenderit. neceſsitate compellimur, omnia quę dicuntur in primo accipere Saluatoris aduentu. Neque enim fieri poteſt (quod plerique noſtrorum facere nituntur) vt varientur tempore, quæ operibus copulata ſunt: nec negamus ſudoris eſſe maximi, hæc omnia ſibi coniungere. & ſic ſpiritualiter explenda in cõſumatione mõſtrare, vt Chriſto, & iuxta carnem, & iuxta ſpiritum, iam completa doceamus. *Tom. 4. lib. 17. Com. in cap. 63. Eſaiæ.*

*Supra. 61.*

*Magni ſudoris eſt prophetias applicare Chriſto et nouo teſtamento.*

SI cui autem explanationum in Prophe-

tas diſplicet longitudo, audiat liberè, multo me pauciora dixiſſe, quam rei obſcuritas flagitat: & poſſe vnumquemq; de noſtra latitudine breues ſibi commentariolos facere: qui tamen pleno intellectui non ſufficient. Neque enim ſimplex à Prophetis hiſtoria, & geſtorum ordo narratur ſed ęnigmatum plena ſunt omnia aliudq; in verbis ſonant, aliud tenetur in ſenſibus? vt quæ æſtimaueris plena & inoffenſa currere lectione, ſequentium rurſum obſcuritatibus inuoluantur. Verum tempus eſt, vt finem imponam volumini prophetali, in cuius expoſitione ſi prolixior ſolito fuero, extremis partibus concedēdum eſt: quas diuidere nolui, ne librorum numerus augeretur. *Tomo quatro libro decimo octauo in Proœ. Comm. in Eſaiam.*

*Aenigmatibus plena omnia in prophetis.*

PERSONARVM mutatio, & maximè in Prophetis, difficilē intellectum facit, quæ ſi ſuis locis & cauſis temporibusq; reddantur: plana fient quæ videbantur obſcura. *Tom. 4. lib. 2. Comment. in Hierem.*

*Galat 3.*

ORA frater Euſebi Dominum Ieſum Chriſtum, vt eodem, labore, & ſpiritus gratia, quo aliorum Prophetarum, & præcipuè Eſaiæ repromiſsiones interpretati ſumus, etiā huius Prophetæ explanare valeamus. Qui quantum in verbis ſimplex videtur & facilis, tantum in maieſtate ſenſuum profundiſsimus eſt. *Tom. 4. lib. in Proœ. Comm. in Hieremiam.*

*Hieremiæ obſcuritas.*

QVIA inebriaui animam laſſam. Mutatio perſonarum, facit obſcuram intelligentiam Prophetarum. *Tomo quarto libro ſexto Commentariorum in cap. 31.*

AGGREDIAR Ezechielem Prophetam, cuius difficultatem Hebræorum probat traditio. Nā niſi quis apud eos ſacerdotalis miniſterij, id eſt, triceſimum annum impleuerit, nec principia Geneſeos, nec Canticum Canticorum, nec huius voluminis exordium, & finem legere permittitur: vt ad perfectam ſcientiam & myſticos intellectus, plenum humanæ naturæ tempus accedat. *Tom. 4. in Proœmio in Ezechiel.*

*Ezechielis difficultas.*

IN qua erat inuolutus liber, & expandit illum coram me, & erat ſcriptus intus, & foris, ſcriptæque erant in eo lamentationes, &c.] Pro inuoluto libro, LXX. capitulum libri tranſtulerunt: in manu Domini ſedentis ſuper thronum: quæ miſſa eſt & extēta. De quo & in Pſalmis dicitur: In capitulo libri ſcriptum eſt de me, capitulum intelligamus exordium. Iſte liber inuolutus, atq; ſignatus. ſcriptusq; intus & foris, vel ante & poſt, tantæ difficultatis fuit, vt nullus potuerit neque in cælo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire illū & legere: niſi ſolus Leo de tribu Iuda, radix Dauid & Ieſſe: quem Ioannes in Apolypſi deuoraſſe ſe dixit, non totum, ſed in capitulo, id eſt, in principio. Neque enim fieri poteſt, vt humana natura totos libri huius theſauros deuoret. Et expandit illum coram Propheta, & legendum cognoſcendumque præbuit, qui in Eſaia populo non credenti dicitur eſſe ſignatus. Vſque hodie enim velamen Iudæis in veteri poſitum eſſe teſtamento. Scriptusque erat antè & retro, de futuris, & de præteritis. Vel certè foris in hiſtoriæ litera, intus intelligentia ſpirituali, de quā & Pſalmiſta: Omnis, inquit, gloria filiæ regis ab intus. Scriptæque erant in eo tam intus quam foris lamentationes, & carmen, & væ. Lamentationes, de his qui in pœnitentiam prouocantur: ſicut Samuel & Apoſtolus Paulus plangebant atque lugebant Saul & Corinthios, quos ſaluare cupiebant. Carmen, ſuper his qui Dei digni ſunt teſtimonio. Et quibus Pſalmiſta præcipit: Cantate Domino canticum nouum. Porrò væ ſuper illis qui penitus deſperantur, & cum venerint in profundum peccatorum contemnunt. *Tom. 4. lib. 1. Comment. in cap. 1. Ezechielis.*

*Pſal. 39.*
*Apoc. 16.*
*Eſa. 29.*
*2. Cor. 3.*
*Pſal. 44.*
*1. Reg 16.*
*2. Cor. 12.*
*Pſ. 95. et 97.*
*Prouer. 18.*

ET factum eſt verbum &c.] Quando prophetæ dicitur. Propone ænigma, narra parabolam: ſiue vt LXX. tranſtulerunt: narra narrationem, & dic parabolā, oſtenditur obſcurum eſſe quod dicitur. Nulli enim dubium & ænigma, & parabolam aliud præferre in verbis, aliud tenere ſenſibus: & Saluator enim ad populū loquebatur in parabolis, quas ſecretò Apoſtolis diſſerebat. Ergo ænigma & parabolam ita debemus intelligere, quaſi ægima & parabolam *Tomo 4. lib. 5. Com. in cap. 17. Ezechielis.*

*Aenigmata ſacrarum literarum.*
*Matth. 13.*

PRECATVR propheta ne fiat quod Dominus comminatus eſt, hoc eſt, ne ſuccendatur ſaltus & ligna omnia concrementur: vt aut adhuc accipiant locum pœnitentiæ, aut ſibi non imponatur neceſsitas triſtia nunciandi: præſertim cum populus ea non intelligat, & obſcuritate dictorum, magis ad inſaniam prouocetur. *Tomo quarto libro ſeptimo Commentariorum in caput 20. Ezechielis.*

*Obſcuritate dictorū magis ad inſaniam prouocatur populus.*

IN ędificatione templi, & ordine Sacerdotum terræque ſanctæ diuiſione, & flumine egrediente de templo, & arboribus ex vtraq; ripa ſemper, virentibus, & per ſingulos menſes efferentes fructum, & reliquis quæ vſque ad finem prophetico volumine continentur apertè imperitiam confitemur: melius arbitrantes interim nihil, quàm parum dicere. *Tomo quarto lib. 11. Comment. in cap. 39. Ezechielis.*

*Inf. 41. 44. 45. 47.*
*Ignorantiā ſuam agnoſcit Hieronymus in explicando fine Ezechielis.*

TREPIDATIONEM meam in explanationem templi Ezechielis imo tacendi perſeuerantiam, tuę filia Euſtochium preces, & domini promiſſa ſuperarunt, dicentis: Petite & accipietis: quærite & inuenietis: pulſate & aperietur vobis Et qua nos excuſatione vſi ſumus, vt in calce anterioris voluminis diceremus, melius eſt nihil, quàm parum dicere: tu eam vertiſti in contrarium, vt referre putes ſaltem parum, quàm nihil dicere: quia in altero voluntas prompta, in altero totius operis deſperatio eſt: naturamque huiuſcemodi hominum eſſe commemoras, vt non tantum gratiam habeant ij his, quæ tribueris, quantum doloris ſuper his quæ negaueris. Minore enim ſtudio virtutes laudamus, quam vitia reprehendimus: & quamuis pulchra ſint corpora, vnius prauitate ac deformitate membri inſigniora fiunt. Obſequar igitur voluntati tuæ, & flante ſpiritu ſancto, vela ſuſpendam, ignorans ad quæ ſim littora peruenturus: & cum hoc eodem propheta clamitans: à quattuor ventis veni ſpiritus, faſtidioſoque lectori, imo animo perduelli noſtra lecturo, illud in explanatione templi tota libertate denuncio: vt ſi veritatem deſiderat, quærat eā ab alijs. Nos autem ea, quæ in opere difficillimo poſſumus ſuſpicari ſimpliciter confitemur atque dictamus: gratias acturi Domino, ſi non omnibus (qđ impoſsibile eſt) ſed in pleriſq; nobis aperuerit fores ſcientiæ. Præmia enim, vt ait, ſublimis Orator, quæque ſectanti, honeſtum eſt etiam in ſecundis tertijsúe conſiſtere. *Tom. 4. lib. 12. Com. in Proœm. per totum.*

*Matt. 7.*
*Explanatio templi Ezechielis inuoluta difficultatibus magnis.*



*Ioan. 1.*

ET Ecce murus forinſecus, in circuitu domus vndique & in manu viri Calamus menſuræ ſex cubitorum & palmo, & menſus eſt latitudinem ædificij, &c.] Dum eſſem Romæ puer, & liberalibus ſtudijs erudirer, ſolebam cum cæteris eiuſdem ætatis & propoſiti, diebus dominicis ſepulchra Apoſtolorū & martyrum circuire: crebroque cryptas ingredi, quę in terrarū profunda defoſſæ, ex vtraque parte ingredientium, per parietes habent corpora ſepultorum: & ita obſcura ſunt omnia, vt propemodum illud propheticū compleatur: Deſcendant ad infernum viuentes: raro deſuper lumen admiſſum, horrorem temperet tenebrarum: vt non tam feneſtram quam foramen dimiſsi luminis putes: rurſumque pedetentim acceditur, & cæca nocte circundatis, illud Vergilianum proponitur: Horror vbique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent. Hoc mihi dictū ſit, vt prudens lector intelligat, quam habeam ſententiam ſuper explanatione templi DEI in Ezechiele: de quo ſcriptum eſt; Nubes & caligo ſub pedibus eius. Et rurſum: Tenebræ latibulum eius. Vnde & Moyſes nubem ingreſſus eſt & caliginem, vt poſſet Domini miniſteria contemplari, quę populus longè poſitus, & deorſum manens, videre non poterat. Denique poſt quadraginta dies, vultum Moyſi vulgus ignobile caligantibus oculis non videbat: quia glorificata erat, ſiue (vt in Hebraico continetur) cornuta facies Moyſi: Ita & mihi legenti deſcriptionē templi myſtici (quod Iudæi ſecundum literam in aduentum Chriſti ſui, quem nos eſſe Antichriſtū comprobamus putant ædificandum, & nos ad Chriſti referimus eccleſiam, & quotidie in ſanctis eius ædificari cernimus) accidit: Vbicunque oculus cordis aperitur, & me aliquid videre æſtimauero, & tenere ſponſum, & gaudens dixero. Inueni, quem quæſiuit anima mea: tenebo eum, & non dimittam eum: rurſum me deſerit ſermo diuinus, fugitq; ſpōſus è manibus, & clauduntur oculi cęcitate, ita vt cogar dicere: O profundum diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Et quod alibi ſcriptum eſt: Iudicia Domini abyſſus multa. Et: de profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam: Et illud Heliſæi, qui raptum à ſe magiſtrum cordis oculis ſequebatur dicens: Pater, pater: currus Iſrael, & auriga, eius. Simpliciter igitur eſt fatendū me templum beati Ezechielis, quod ſecula cuncta tacuerunt, non temeritate velle differre, ſed fide & timore Dei, coniecturam animi mei cupere legentibus demonſtrare: Vt ſi ego in tabernaculū Dei pelles Caprarū piloſq; obtulero, vnde peccatorum ſpinæ & aculei, protegantur & arceantur pluuiæ & tēpeſtates: alius diues q eſt pro qualitate meritorum, vel ferrum vel æs, vel argētum, aurumque pretioſiſsimos lapides offerat: & non noſtra, quia ſunt minora cōtemnat, ſed proprijs gaudeat opibus. Niſi enim ima fuerint, ſumma eſſe non poterunt, & vt maiora laudentur minorum comparatione ſuccreſcunt. *Tomo quarto libro duodecimo Commentariorum in caput quadrageſimum. Ezechielis.*

*Pſal. 54.*
*Simili illuſtratur obſcuritas templi Ezechielis.*
*Pſal. 96.*
*Pſal. 17.*
*Exod. 24.*
*Ibidem.*
δεδόξασται
קרן
*Cant. 3.*
*Rom. 11.*
*Pſal. 35.*
*4. Reg. 2.*
*Sec. 70.*
*Exod. 25.*

IGNOSCE lector difficultati, & veniam tribue pauperi intelligentiæ. Per feneſtras enim obliquas, & in modum retis factas, & quæ ſemper clauſæ ſunt, vix vſq; ad interiorem domum cordis noſtri oculum poſſumus intromittere: vt omnia quæ cernimus in vmbra videamus & in imagine: & cum Apoſtolo clamemus: O profundum diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quā inſcrutabilia ſunt iudicia eius: & inueſtigabiles: viæ illius. Et: Quis cognouit ſenſum Dei: niſi ille qui eſt magni conſilij angelus, & ſua poteſt dignis aperire myſteria. *Tom. 4. lib. 12. Com. in cap. 41. Ezechielis.*

*Rom. 11.*

ILLVD Rhetoris Victorini breuiter admoneo, vt obſcuritatem voluminum ex trib. rebus fieri ſcias: vel rei magnitudine, vel doctoris imperita, vel audientis duritia: quorum primum & ſecundum liquidò in hoc opere confitebor: tertium, acumen ingenij tui, et deſiderium ſcripturarum facilè tenuit: quæ priuilegio virginali, & victus continentia, non dicam frequentem, ſed iugem hoſpitem poſsides Deum. *Tom. 4. lib. 13. in Proœ. Com. Ezech.*

*Ex tribus rebus oritur obſcuritas voluminū.*

QVOD in principio templi Ezechielis debui dicere, nunc præpoſtero ordine in fine dicturus ſum, illius verſiculi memor: Hic labor ille domus, & inextricabilis error. De quo et in alio loco idem Poëta decantat. Vt quondam Creta fertur labyrinthus in alta: Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque Mille vijs habuiſſe dolum: qua ſigna ſequendi. Falleret indeprenſus, & irremeabilis error. Ita & ego iſtarum ſcripturarum ingreſſus oceanum, & myſteriorum Dei, vt ſic loquar labyrinthum, de quo ſcriptum eſt: Poſuit tenebras latibulū ſuum, & nubes in circuitu eius: perfectam quidem ſcientiam veritatis mihi vēdicare non audeo, ſed noſſe cupientibus aliqua doctrinæ iudicia præbuiſſe non meis viribus, ſed Chriſti miſericordia: qui errantibus nobis ipſe dolos tecti ambageſque reſoluit: cæca regens ſpiritu ſancto veſtigia; quem ſequentes ad portum explanationum prophetæ Ezechielis peruenire poterimus in quem extremus, id eſt, quartuſdecimus liber eſt. Quem ſi orante te virgo Chriſti Euſtochium, ad finem vſque perduxero, & Dominus vitæ huius conceſſerit ſpacium, tranſibo ad Hieremiam, qui vnus nobis remanet prophetarum: cuius interpretatio, mei quidem laboris & tuarum orationum, ſed propriè Chriſti erit clementiæ. *Tom. 4. in Proœm. libri 14. Commentar. in Ezechielem.*

DICAMVS ſtrictim de ſingulis quantum explanationis patitur difficultas: nedum ſtudemus breuitati, velamentum non ſolum Moyſi, ſed & prophetæ Ezechielis remaneat in nobis, qui cupimus reuelata facie veritatem Domini contemplari. *Tom. quarto libro decimotertio Comm. in cap. 43. Ezechielis.*

TV autem Daniel claude ſermones, & cæter.] Qui Danieli multiplicem reuelauerat veritatem ipſa occulta eſſe ſignificans quæ locutus eſt, præcipit vt inuoluat ſermones, & ſignet librū, vt legant plurimi, & quærant hiſtoriæ veritatem, & propter obſcuritatis magnitudinem diuerſa opinentur. Quod autem ait; Pertranſibunt, id eſt, percurrent plurimi, multorum ſignificat lectionem. Solemus enim dicere: percurri librum,

*Danielis obſcuritas.*

*Eſaiæ.29.* *Apoc.5.* *Prou.1.* *Sec.70.*

pertranſiui hiſtoriam. Quod quidem & Eſaias de obſcuritate ſui voluminis loquitur: Et erunt ſermones libri iſtius, quaſi verba voluminis ſignati: quod ſi dederint homini neſcienti literas, dicentes ei, lege: Reſpondebit, neſcio literas. Sin autem dederint illud homini ſcienti literas & dixerint: Lege librum: Reſpondebit, non poſſum legere: ſignatus eſt eum. Et in Apocalypſi Ioannis liber videtur ſignatus ſigillis ſeptem intus & foris. Cumque nulla poſſent ſignacula illius ſoluere, ait Ioannes: Flebam nimis. Et venit ad me vox dicens: Ne plores: Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum & ſoluere ſignacula eius. Librum autem illum poteſt ſoluere, qui ſcripturarum ſacramenta cognouit, & intellexit ænigmata & verba tenebroſa propter myſteriorum magnitudinem, & interpretatur parabolas: & occidentem literam transfert in ſpiritum viuificantem. *Tom.4.lib.1.Comment.in ca.12. Danielis.*

*Daniel inuolutus multis difficultatib.* *Sap.1.*

SI autẽ propheta audiuit, non intellexit, quid facient hi quĩ ſignatũ librũ, & ad tẽpus conſummationis multis obſcuritatibus inuolutum, præſumptione mentis ediſſerunt? Cum autem, inquit, finis aduenerit, impij non intelligẽt, & qui docti fuerint diſciplina Dei, ipſi intelligere poterunt. In peruerſam enim animam non introibit ſapientia: nec poteſt ſe infundere corpori, ꝙ peccatis ſubditum eſt. *To.4.lib.1.Co.in cap.12.Dan. Fol.527.*

*Pro.30.* *1.Cor.13.* *Otioſis non prouenit notitia ſcripturarum.*

OMNES ſermones, &c.] Non ſolum de phyſicis, ſed de Ethicis quoque ſcire difficile eſt. Nec ſermo valet, explicare cauſas naturaſque rerum: nec oculus, vt rei poſsit dignitas, intueri, nec auris inſtituẽte doctore ad ſummam ſciẽtiam peruenire. Si enim nunc per ſpeculum videmus in ænigmate, & ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus: conſequẽter nec ſermo poteſt explicare quod neſcit: nec oculus, in quo cæcus ſit aſpicere: nec auris, de quo dubitat impleri. Simul & hoc notandum, quod omnia verba ſunt grauia, & magno labore diſcantur: contra eos qui putant otioſis ſibi, & vota facientib. venire notitiam ſcripturarum. *Tom.5.Commentari.in cap.2. Eccleſiaſticis.*

VIR qui eruditus fuerit in ſcripturis: quanto plus ſcire cæperit: tanto ei in his quotidie oritur maior obſcuritas. *Tom.5. Commentario.in cap.7. Eccleſiaſtis.*

QVIS ita & ſapiens, vt quis nouit ſolutionem verbi, &c.] Supra docuerat difficile bonum hominem, inuenire, & venientem contra eliſerat quæſtionem: à Deo bonos homines conditos, ſed ſponte ſua ad peccatum delapſos: nunc quid boni homini dederit Deus quaſi gloriabundus enumerat: ſapientiam ſcilicet, atque rationem prouidentię, occulta Dei noſſe myſteria, & arcana eius ſenſu cordis intrare. Obliquè autem de ſe loquitur, quod nemo ita fuerit ſapiens vt ipſe, & nullus ſic fecerit problematum ſolutiões, & ſapientia eius à cuncto laudata ſit populo: quæ non ſolum intrinſecus latuerit, ſed in ſuperficie corporis & ſpeculo vultus eluxerit: vltraque omnes homines prudentiã mentis in facie ſua pinxerit. LXX. pro eo quod nos poſuimus. Quis ita vt ſapiens: tranſtulerunt: τὶς ἀναιδὴς προσώπου αὐτοῦ μισηθήσεται, id eſt, & imprudens vultu ſuo odietur. Et reuera cũ multi ſunt qui ſapientiã repromittãt, difficile inuenitur qui diſcernere queat verum ſapientem ab his qui videntur eſſe ſapientes. Et cum ſint plurimi qui ſcripturarum occulta dicantur poſſe ſoluere, rarus eſt qui verã inueniat ſolutionem. *Tom.5.Commentari. in cap.8. Eccleſiaſtis.*

*Rari qui verè nodos ſcripturarum ſoluant.*

ET amplius quia factus eſt Eccleſiaſtes ſapiẽs: adhuc docuit ſcientiam populum, & audire eos fecit, & ſcrutans compoſuit prouerbia, &c.] Sapientiam, qua præiuit Salomon omne hominum genus, nunc quoq; in fine opuſculi ſui profitetur, quod non fuerit veteris legis inſtitutione contentus, ſed in profundas ſe vltro demerſerit quæſtiones, & ad docendum populum, prouerbia, & parabolas compoſuerit, aliud in medulla habentes, aliud in ſuperficie pollicentes. Prouerbia quippe non hoc ſonare quod ſcriptũ eſt, etiam in euangelijs docemur: quod Dominus populo in parabolis & prouerbijs ſit locutꝰ: ſecreto autem Apoſtolis diſſoluerit ea. Ex quo manifeſtum eſt prouerbiorum librum, non vt ſimplices arbitrantur, patentia habere præcepta: ſed quaſi in terra, aurum: in nuce, nucleus: in hirſutis caſtanearum operculis, abſconditus fructus inquiritur: ita in eis diuinum ſenſum altius perſcrutandum. *T.5.Co.in c.12.Eccle.Fol.32.fac.2.*

*Obſcuritas Prouerbiorũ Salomonis.* *Matt.13.*

*Eſai.29.* *Apocal 5.* *Ioan.6.* *Obſcuritas Oſeæ prophetæ.* *Matt.13.* *Ibid.24.* *Exod.4.* *Hier.1.* *Ezech.4.* *Oſee.1.* *1.Corint.6.*

SI in explicationibus omnium Prophetarum, ſancti ſpiritus indigemus aduentu, vt cuius inſtinctu ſcripti ſunt, illius reuelatione pandãtur. Et in Eſaia, ſignatum librum legimus, quẽ ſcribæ & Phariſæi, q legis literas noſſe ſe iactant, nõ poſſunt legere, quia ſignatus eſt: nullusq; inueniri potuit, niſi leo de tribu Iuda, quem ſignauit Deus pater, q eius poſsit reſerare myſteria, quanto magis in explicatione Oſee Prophetę orandus eſt Dominus, & cum Petro dicendũ ediſſere nobis parabolã iuſtam: Pręſertim cum obſcuritatẽ voluminis in fine teſtetur ipſe qui ſcripſit: Quis ſapiẽs & intelliget iſta, intelligẽs & cognoſcet ea? Quod non pro impoſsibili, ſed pro difficili debemus acccipere, iuxta illud Euangelij: Quis putas eſt ſeruus fidelis & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam? Quis enim non ſtatim in fronte libri ſcandalizetur, & dicat: Oſee primus omnium prophetarum meretricem accipere iubetur vxorem, & non contradicit? nõ ſaltem nolle ſe ſimulat, vt rem turpem facere videatur inuitus: ſed exequitur lætus imperium, quaſi optauerit, quaſi multo tempore eum pudicitiæ vacaſſe pœniteat: cum honeſtiora & abſque peccato ſanctos viros renuiſſe Domino, legerimus. Moyſes mittitur ad Pharaonem, & dux Iſraelitici populi conſtituitur, & tamen non imbecillitate ſed humilitate reſpondet: Prouide alium quem mittas. Hieremias puerum eſſe ſe dicit, ne peccantem arguat Hieruſalem. Ezechiel de omni genere leguminis ac ſementis vnũ ſubcinericium panem facere, & coquere illum in humano ſtercore iubetur, & ait: Nequaquã Domine, quia nunquã immundum introiuit in os meum. Et Oſee audiens à Domino: Accipe vxorẽ fonicariã, non frontem rugat, nõ mœrorem pallore teſtatur, non verecundiã mutato genarum rubore demõſtrat: ſed pergit ad lupanar, & ſcortum ducit ad lectulum. Et nõ initiat illã pudicitiæ matronali, ſed ſe luxurioſum ac nepotẽ probat. Qui enim adhæret meretrici, vnum cum ea corpus efficitur. Hæc igitur audientes, quid poſſumus



*Oſee.14.* *Pſal 118.* *2.Cor.3.* *Matt.27.* *Ezech.47.* *4.Reg.2.* *Legis amaritudo dulcorata ſuauitate crucis.*

ſumus reſpondere niſi illud propheticum: Quis ſapiens & intelliget iſta, intelligens & cognoſcet ea? Vnde & nobis dicendum eſt cum Dauid. Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia, de lege tua; vt introducat nos rex in cubiculum ſuum, et velamen quod ante oculos Moyſi poſitũ fuit in lectione veteris teſtamenti, tollat à nobis. Statim enim vt locutus eſt Dominus: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum, & hæc dicens expirauit, velum templi ſciſſum eſt, & omnia Iudæorum ſecreta patuerunt. Et fons qui egrediebatur de domo Dauid, ingreſſus eſt mare ſolitudinis: & verus Heliſæus aquas ſteriles atque mortiferas ſapientiæ ſuæ condiuit ſale, & fecit eſſe vitales. Marah aqua legis, quæ interpretatur amaritudo, ligno patibuli dulcorata eſt. *Tom.5.in Proœm.in Oſeam.*

*Obſcuritas gignitur tribus modis.*

IGNOSCE obſcuritati, q̃ tribus naſcitur modis: aut rerum difficultate: aut magiſtri imperitia: aut diſcentis nimia tarditate. Neque enim hebræum prophetam ediſſerens, oratorijs debeo declamatiunculis ludere, & narrationibus atque epilogis Aſiatico more cantare: ſed auxilio orationum tuarum, & incredibili diſcendi ſtudio, aperire quæ clauſa ſunt. *Tom.5.lib.1. Commentar.in cap.2.Oſeæ.*

*Obſcuritas prophetæ Oſeæ exemplis propoſitis cõfirmatur.* *Rom.11.*

QVIS Sapiens, &c.] Quando dicit: Quis ſapiẽs & intelliget hæc, intelligẽs & cognoſcet ea? obſcuritatem voluminis, & difficultatem explanationis oſtendit. Si autem ipſe qui ſcripſit, vel difficile, vel impoſsibile confitetur, quid nos facere poſſumus, qui lippientibus oculis, & peccatorũ ſordibus obſcuratis, clariſsimum iubar ſolis non poſſumus intueri? niſi dicere illud quod ſcriptũ eſt: O profundum diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Quis enim poteſt abſque Chriſto docente cognoſcere quid ſignificet Iezrahel: quid ſoror eius, non miſericordiam conſecuta: quid tertius frater, nõ populus meus: quæ ſit adultera, quæ ſine lege Dei multo ſeſſura ſit tẽpore ꝙ ſit pactum cum beſtijs terræ, & cum volatilibus cæli: qui ſit Dauid ad quẽ populus reuerſurus ſit, cuiꝰ ſit die tertio reſurrectio, & egreſſus eius diluculo cõparetur: q̃ ſit pluuia prima & nouiſsima: qui ſit quem propheta dicit eſſe venturum, qui nobis monſtret iuſtitiam, aut in eius typo Iſrahel educatur ex Aegypto, & portetur in brachijs, & ducatur in funiculis charitatis: qui ſit qui interficiat mortem, & ſiccet venas eius, & fõtes areſaciat, & diripiat vaſa, quæ in theſauro cõdita tenebantur, & cætera quæ longum eſt retexere? Vnde quicunque ſanctus & iuſtus eſt, rectas vias Domini eſſe cognoſcet. *Tom.5.lib.2. Co.in ca. 14.Oſeæ.*

*Pſal.118.* *Iudæi & hæretici vero intellectu ſacræ ſcripturæ carent.* *Luc.2.*

VIAS autem Domini eſſe cognoſcimus lectionem veteris & noui teſtamenti, & ſanctarum intelligentiam ſcripturarum. In his vijs qui ambulat niſi cõuertatur ad Dominum, & ablatũ ab eo fuerit velamen, quod erat ante oculos Moyſi, rectum iter inuenire non poterit. Sin autem dixerit cum Dauid: Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua, ambulabit in eis, & Chriſtũ inueniet, & Iudæos atq; hæreticos (quos vt præuaricatores vel impios ſcriptura nunc nominat) offendere in eis, & infamari atque corruere ſentiet, iuxta illud ꝙ ſcriptum eſt. Ecce iſte poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionẽ multorum in Iſrael. *To.5.lib.2.Co.in cap.14.Oſeæ in fine.*

*Scripturæ profunditas.*

SCIO appoſitionem coniunctionis, per quam dicitur, cohæredes & concorporales, & cõparticipes indecorã facere in latino ſermone ſententiã. Sed qa ita habetur in gręco, & ſinguli ſermones, ſyllabę, apices, puncta, in diuinis ſcripturis, plena ſunt ſenſibꝰ, propterea magis volumus in cõpoſitione ſtructuraque verborum, quã in intelligentia periclitari. *Tom.6.lib.2. Commentario. in cap.3.ad Epheſios.*

*Obſcuritas Epiſtolæ ad Epheſios.*

NON vobis moleſtum ſit, ſi diu in obſcurioribus immoremur: cauſati enim in principio ſumus, inter omnes Pauli Epiſtolas, hanc vel maximè & verbis & ſenſibus inuolutam. *To.6.lib.2.Co. in ca.4.ad Epheſ.*

NOX profunditas ſcripturarum in prophetis, nuntiat profunditatẽ veteris teſtamẽti. *To.7.Co. in Pſal.18.Fol.21.fac.2.*

PROPTER profunditatem intelligentiæ, dicuntur abyſſus. *Tom.7.Com. in Pſalmum 41. Fol.54.*

*Mutatio perſonarum reddit difficiles pſalmos.*

OBSCVRI ſunt Pſalmi, & ſemper perſonas mutant: & propterea obſcuri ſunt, & nimiæ difficultatis eſt ſcire in ſingulis verſiculis, quis loquatur. *To.7.Com.in Pſal.93.*

*Magna myſteria Epiſtolæ ad Epheſios.*

VERE ſi quis ſuperiora huius Epiſtolæ contempletur, videbit ei reuelata myſteria, quorum partem quandam modicam ſuo ſermone, perſtrinxit, non tam totum quod nouerat proferẽs, quam oſtendens ex modico quid taceret. Prout poteſtis, inquit, legentes intelligere ſenſum meum, ſiue ſapientiam in myſterio Chriſti: Hoc eſt illud quod in præfatione diximus, nullam Epiſtolarum Pauli tanta habere myſteria tam reconditis ſenſibus inuolutam, quos & Apoſtolus noſſe ſe gloriatur, & nobis indicatos breuiter oſtendit, vt attentius quæ ſunt ſcripta relegamus. *Tom.6.libro.2.Com.in caput.3.ad Epheſios.*

*Scripturæ prophetarũ obſcuræ.*

NVBES prophetæ ſunt: & aqua, doctrina eorum, quia obſcurę ſunt, ſcripturę prophetarum. Quia ſicut nubes pluuiam portant & terram aridam irrigant, ſic & ꝓphetæ per eorum doctrinã irrigant corda arida. *Tomo ſeptimo Com.in Pſal.17.*

*Luc.24.*

ET reuelabit condenſa &c.] Obſcura diuinarum ſcripturarum ſiue myſteriorum cæleſtium, per ſpiritum ſanctum patefecit. Vnde in Euangelio illi duo quibus ipſe apparuit dicebant. Nõne cor noſtrum ardens erat in nobis cum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas? *To.7.Co. in Pſal.28.*

*Mal.1.*

ET iudicia tua velut abyſſus multa &c.] Abyſſus multa, iudicia Dei occulta: quia vnum reprobat, & alium aſſumit; ſicut dixit: Iacob dilexi. Eſau odio habui. Vel iudicia ſunt, quibus vel iuſtis beatitudo, impijs: pœna infertur. Quæ ideo abyſſo comparantur: quia in noui veteriſq; teſtamenti profunditatibus cõtemplantur. *To.7. Com.in Pſal.35.Fol.45.fac.1.*

*Maxima difficultas Ezechielis in fine.*

VNDECIMVS in Ezechielem explanationũ liber, in extrema ſui parte contra Gog & Magog vaticinium continebit, & vſque ad exordium ciuitatis in monte poſitæ, & templi in ea ſiti veniet. Quem ſi adiuuante Domino, & ſua myſteria differente, potuero ad calcem vſque perducere, diu mihi erit multumque dubitandum, vtrum ad ſpiritale templum debeam mittere manus, an apertè ignorantiam confiteri: præſertim cum & apud Iudæos, & apud nos, ſuper interpretatione eius grande ſilentium ſit: alijs in

futuro tempore extruendum eſſe cenſentibus: alijs bono quidem animo, ſed imperito, ſcientibus ſpiritualia eſſe, quæ dicuntur, & tamen ipſa ſpiritualia, quo modo diſſeri debeant, neſcientibus. Et interim vt præſentis operis cura, nos teneat, ſcias ô virgo Chriſti Euſtochium, orandum tibi eſſe pro nobis. In prophetia difficillima, illud breuiter admoneo, quod vir noſtræ ætatis haud ignobilis, ad Imperatorem ſcribens ſuper hac natione dixerit. Gog iſte, Gothus eſt: cui qua ratione poſſunt omnia, quæ in ea ſcripta ſunt, coaptari non eſt meum, ſed eorum qui hoc putãt, diſſerere. *Tom. 4. in Præm. lib. 11. Com. in Ezechielem.*

*Gog an Gothus ſit.*

NON intelligunt Iudaizantes totum volumẽ Ioannis, quod reuelationis titulo prænotatur, eſſe myſticũ: & reuelatione nos indigere, vt poſſimus cum propheta dicere: Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Alij vero terrenum ſenſum relinquentes, & Iudaicas atque aniles fabulas, quæ noxiæ ſunt, & acquieſcentes ſibi detrahunt in profundum, nimium ad alta conſcendunt, & multo peiores fingunt næniás: vt in cæleſti Hieruſalem, diaboli & omnis exercitus eius bella deſcribant: & ſub *ρο πολογίαις*, gẽtium ſingularum interpretantur ſpiritualia nequitiæ in Cæleſtibus. *Tomo quarto libro vndecimo Com. in caput 38. Ezech. Fol. 448. fac. 2.*

*Apocalypſeos Ioannis obſcuritas.*
*Pſal. 118.*
*1. Tim. 4.*

HAEC non friuola videantur eſſe lectori, licet & mihi ipſi, qui dico, diſpliceant, ſentiens mè clauſam pulſare ianuam, ſed legenda cum venia ſunt: alioquin potui ſimpliciter ignorantiam confiteri, & omne ſtudioſorum amputare deſiderium. Sicut enim à perfecta ſcientia procul ſumus, leuioris culpæ arbitramur, ſaltem parum quàm omnino nihil dicere. *Tom. 4. lib. 12. Com. in cap. 40. Ezech.*

*Excuſatio Hieronymi ob difficultatem.*

POSTQVAM venit dies Domini magnus & horribilis, & ſaluus effectus eſt, quicunque poſt Domini reſurrectioné nomen illius inuocauit: omnis qui fuit in mõte Sion, & in Hieruſalẽ, ſaluatus eſt: de Sion enim egreſſa eſt lex, & verbum Domini de Hieruſalem: de qua ſcriptum eſt: Nõ capit prophetam perire extra Hieruſalem. Principium ergo eorum qui ſaluati ſunt, fuit in Sion & Hieruſalem: in ſpecula & viſione pacis, & in his reſidui fuerunt, quos vocauit Dominus. Reſiduos eos debemus intelligere, qui de Iudæorum populo crediderunt: de quibus Eſaias loquitur: Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Gomorrha ſimiles fuiſſemus. Hos reſiduos Dominus vocauit: ſic enim ſeptuaginta interpretati ſunt. Locus hic difficillimus eſt, & multiplicem recipiens explanationem: vt ſub tropologia omnia quæ dicta ſunt ad illa tempora referam⁹, ad quę Petrus & Paulus Apoſtoli retulerunt; hoc eſt, quando paſſus eſt Dominus & reſurrexit. Neque enim fieri poteſt, vt ſuperiora in tempore paſſionis, & quæ ſequuntur, intelligamus in die iudicij: maximè cum ſequatur. Quia ecce in diebus illis, & in tempore illo. Et iſte verſiculus prę cedentibus inferiora connectens, vno dicat cuncta tempore perpetrata. *Tom. 5. Co. in cap. 2. Ioëlis.*

*Eſaiæ. 2.*
*Luc. 13.*
*Eſaiæ. 1.*
*Difficillimus modus ſcripturæ.*

HAEC dicit Dominus Deus ad Edom.] Paruus propheta, verſuum ſupputatione, nõ ſenſuum. Alioquin vt in tribus voluminibus Salomonis, Canticum Canticorum quanto breuius eſt, tanto difficilius. Et Epiſtola ad Philemonem, quem ſenſum haberet expreſsimus: Euangelicus quoque ſermo breuiatus, lacinioſis legis operib. anguſtior eſt. Ita hic quoque propheta, quaſi ſeruus Domini iuxta Abrahã, Iſaac & Iacob & Moyſen famulum Dei, & Apoſtolorum ſeruũ Chriſti, ea videt, ea audit, quæ prophetali digna ſunt ſeruitute. *Tom. 5. Com. in cap. 1. Abdiæ.*

*Abdiæ & librorum trium Salomonis difficultas.*

IN Geth nolite annunciare, lachrymis ne ploretis: in domo pulueris, puluere vos conſpergite. Tranſite vobis habitatio Saphir confuſa ignominia: non eſt egreſſa quæ habitat Sennan. Planctum domus Aſel accipiet ex vobis, quæ ſteterit ſibimet, &c.] Multum hebraicum à LXX. interpretatione diſcordat, & tantis tam mea quam illorum translatio difficultatibus inuoluta eſt: vt ſi quando indigeamus ſpiritu Dei (ſemper autẽ in exponendis ſcripturis ſanctis illius indigemus aduentu) nunc vel maximè eum adeſſe cupiam⁹, & quæ in prophetis locutus eſt, pandere: vt de nobis quoque poſsit intelligi, quod ipſe alibi polliceri dignatur: Aperi os tuum, & implebo illud. *Tomo quinto libro ſecundo Commentario. in cap. primum Micheæ.*

*Spiritus ſanctus neceſſarius ad ſacras ſcripturas intelligendas.*
*Pſal 80.*
*1. Reg. 6.*

HINC vel maximè obſcuri ſunt Prophetæ: quod repentè dum aliud agitur, ad alios perſona mutatur. *Tom. 5. Com. in cap. 2. Nahum.*

*Cauſa obſcuritatis in prophetis quænam ſit.*

ET dicemus ideo ſcripturam ſanctam his difficultatibus eſſe contextam, & maximè Prophetas, qui ænigmatibus pleni ſunt, vt difficultatem ſenſuum, difficultas quoque ſermonis inuoluit: vt non facilè, pateat ſanctum canibus, & margaritæ porcis, & prophanis Sancta Sanctorum. *Tom. 5. Comment in cap. 3. Nahum.*

*Matt. 8.*
*Gen. 19.*

ET dicimus verba diuina, quæ manifeſtiora ſunt, & quaſi potum ſitientibus præbent, hæc dici flumina. Ea autem quæ plena ſunt ſacramẽtis, & in profundo poſita (de quib⁹ dicit Apoſtolus: O profundum ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Et Propheta conſonat: De profundis clamaui ad te Domine) mare in ſcripturis appellari. *Tom. 5. Com. in cap. 3. Habac. Fol. 199. fac. 2.*

*Scriptura ob profunditatẽ mare dicitur.*
*Rom. 11.*
*Pſal. 129.*

CVM tibi cuperem ingenioli mei aliquod offerre munuſculum, vt cœpta in duodecim Prophetas explanatio perueniret ad calcẽ ſuſceptum opus deſerere nolui: ſed quod & abſque te dicturus eram, tuo potiſsimum nomini conſecraui & gaudeo quod obſcuriſsimus liber Zachariæ Prophetæ, & inter duodecim longiſsimus, eo tempore diſſerendus eſt, quo ob feſtinationem eius, qui reuerſurus eſt, nullam moram patitur interpretatio: ſed velim nolim ſaltem lucratiuis per noctem horis, atque furtiuis dictare cõpellor, quod tibi dirigam. *Tom. 5. Proœ in Zachariam.*

*Zachariæ obſcuritas.*

CAETERVM Eccleſiarum magiſtri, noctem in qua cernitur viſio, obſcuritatem myſticæ viſionis intelligunt. Poſuit enim Dominus tenebras latibulum ſuum & iuxta 70. interpretes de eo dicitur: Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius. Vir autem qui aſcendebat ſuper equum rufum, Dominus atque Saluator eſt: qui diſpenſationem noſtræ carnis aſſumẽs, audit in Eſaia: Quare rubra ſunt veſtimenta tua? Hic qui nunc captiuo populo rufus oſtenditur in Apocalypſi Ioannis in candidis veſtibus, & in candido equo ſedere deſcribitur. Quod autem ſtare dicitur inter duos montes vmbroſos (licet in Hebræo non habeatur, duos) nouum & vetus inſtrumentum: quod denſiſsimus tenebris & nemore, & vmbroſis ſiluis dicitur eſſe coopertũ: quia multis obſcuritatibus inuolutum. *Tom. 5. lib. 1. Commenta. in cap. 1. Zahariæ.*

*Pſal. 17.*
*Pſal 103.*
*Eſaiæ. 63.*
*Apoc. 3. et. 6.*
*Nouum & vetus teſtamentũ multis obſcuritatibus inuolutum.*



AB obſcuris ad obſcuriora tranſimus, & cum Moyſe ingredimur nubem & caliginem. Abyſſus abyſſum inuocat in voce Cataractarum Dei: & Gyrans gyrando vadit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur: Labyrintheos patimur errores, & Chriſti cæca regimus filo veſtigia. Ad hãc difficultatem vrget pataſatus libri portitor: dimidium facti, qui bene cępit, habet: quanto magis nos, qui tertiam, partem iam confecimus viæ, eodem debemus in reliquis labore ſudare, ne perdam⁹ præterita, & inperfectum opus arguat lectoris deſideriũ? Itaq; mi Exuperi papa venerabilis adeſto præſens orationibus, qui corpore abſens es: & impetra à Domino, vt auferatur à facie mea velamen Zachariæ, quod ante oculos appẽdebatur Moyſi: quia fulgorem vultus eius, vulgus ignobile ferre non poterat: vt ego quoque cum Dauid queam dicere: Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa. *Tomò 5. in Prologo ſecundi libri. Com. in Zac.*

*Ad difficultatem Zachariæ remouendam poſtulat preces Epiſcopi Exuperij.*

TRANSIMVS ad Libanum, & ad duas virgas, treſq; paſtores, qui in vno menſe ſucciſi ſunt & ad triginta argenteos, de quibus emptus eſt ager figuli in ſepulturam peregrinorum & ad ſtultis vaſa paſtoris, & cætera vſque ad finem voluminis: quæ tantis ſunt contexta myſterijs, vt miſericordia Dei, & tuis indigeamus oratiõibus: ne curſus noſter aliquo præpediatur errore, & maleuolis iuſta ſit occaſio detrahendi: qui ad hoc ſolum linguas habere ſe putant, vt proximos lacerent, & duritiam frontis attritæ, verborum rabie conſolentur. *Tom. quinto Proœmio lib. 3. Commen. in Zachariam.*

*Matth. 27.*
*Tantis cõtextus myſterijs Zacharias vt ſine ſingulari Dei ope non poſsit intelligi.*

NOS equorum profundum & *περίπατον σύσκιον*, ideſt, inceſſum vmbroſum ſiue tenebroſum referamus ad ſcientiam myſticam: quam & Dauid quaſi equus optimus ſe habere iactabat, dicens. Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. Et Apoſtolus O profundum diuitiarũ ſapientiæ & ſciẽtiæ Dei: quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius: De hoc profundo propheta clamauit ad Dominum, & exaudiuit eum. In his profundis & tenebris poſuit Deus latibulum ſuum: has tenebras & ſacramenta diuina ingreſſus eſt Moyſes in Sina montis caligine, vt videret Deum, de quibus & Dauid in Pſalmo alio loquebatur: Iudicia Domini abyſſus multa. Hęc arcana, & myſteria facta ſunt Domino, quæ nouerat Euangeliſta Ioannes, qui auſus eſt dicere, quod angeli forſitan neſciebant In principio erat verbum & verbũ erat apud Deũ & Deus erat verbũ. Et iccirco amatur à Domino quia optimum habebat profundum, & recubuerat ſuper pectus Ieſu: vnde & hauſerat ſapientiam: *Tomo quinto lib. 3. Commentariorum in cap. 14 Zachariæ.*

*Pſal. 50.*
*Rom. 11.*
*Pſal. 129.*
*Pſal. 17.*
*Exod. 19.*
*Pſal. 35.*
*Ioan. 1.*
*Ioan. 19.*

ET ſi vultis recipere &c.] Hoc quod dictum eſt: ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias: myſticum eſſe & egere intelligentia, ſequens ſermo Domini demonſtrat, dicens: Qui habet aures audiendi audiat: Si enim planus eſſet ſenſus, & manifeſta ſententia, quid neceſſe fuit nos ad illius intelligentiam præpararj. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 11. Matthæi. Cano 19.*

ETIAM quæ plana videntur in ſcripturis, plena ſunt quæſtionibus. *Tomo ſexto libro ſecundo Commentariorum in cap. decimum quintum Matthæi Cano 30. fac. 2.*

VAE vobis ſcribæ & phariſæi hypocritæ &c.] Multa in lege præcepta ſunt, quæ typos præferãt futurorum. Alia vero aperta ſunt iuxta Pſalmiſtam dicentem. Mandatum Domini lucidum illuminans oculos: quæ ſtatim opera deſiderant. Verbi gratia. Non adulterabis: non furtum facies: non teſtimonium falſum dices. *Tomo ſexto libro quarto Commentariorum in caput vigeſimum tertium Mat. Cano. 50. fac. 2.*

*Quædam facilia, quædã difficilia in ſcripturis.*

ET quia iam ad Galatas orantibus vobis, ante paucos dies quod nobis videretur expreſsimus: nunc ad Epheſios tranſcundum eſt, mediam Apoſtoli Epiſtolam, vt ordine ita & ſenſibus. Mediam autem dico non quo primas ſequẽs extremis maior ſit, ſed quomodo cor animalis in medio eſt, vt ex hoc intelligatis quantis difficultatibus, & quam profundis quæſtionibus inuoluta ſit. *Tom. 6. Proœm. ad Epheſios.*

HAEC idcirco vniuerſa replicauimus, vt oſtenderemus quare Apoſtolus in hac vel potiſſimum Epiſtola obſcuros ſenſus, & ignota ſæculis ſacramenta congeſſerit, & de ſanctarum contrariarumq; virtutum docuerit poteſtate, qui ſint dæmones, quid valeant, quid ante fuerint, & quomodo poſt aduentum Chriſti ſunt diruti & deſtructi. *Infra in eodem Proœm.*

## VI. *Ex peruerſa ſcripturaaum intelligentia hæreſes gigni.*

TE autem frater, liberet Deus, & ſanctum populum Chriſti, qui tibi creditus eſt, & omnes fratres, qui tecum ſunt, & maximè Ruffinum presbyterum ab hæreſi Origenis, & ab alijs hæreſibus, & perditione earum. Si enim propter vnum verbum, aut duo, quæ contraria fidei ſunt, multæ hæreſes abiectę ſunt ab eccleſia: quãto magis hic inter hæreticos habebitur, qui tantas peruerſitates, & tam multa dogmata contra fidem adinuenit, Deique & Eccleſiæ hoſtis extitit? Inter multa enim mala etiam illud auſus eſt dicere, perdidiſſe imaginem Dei Adam: cum hoc in nullo penitus loco ſcriptura ſignificet. Si enim ita eſſet, nunquam omnia, quæ in mundo ſunt ſeruirent ſemini Adam, id eſt vniuerſo generi hominum: ſicut & Iacobus Apoſtolus loquitur: Omnia domantur, & ſubiecta ſunt humanæ naturæ. Numquã enim vniuerſa ſubiecta eſſent hominibus, ſi non haberent homines iuxta id, quod vniuerſis imperarent imaginem Dei. Coniungens autem atque conſociãs ſcriptura diuina gratiam benedictionis, quam Adam donauerat, & generationibus, quæ ex eo erant, ne qui forſan maligna interpretatione auderent dicere, vni datam gratiam Dei, & illum ſolum factum eſſe ad imaginem Dei: quia plaſmatus eſſet ex humo, & vxorem eius, quam creaſſet de coſta viri: eos verò, qui conciperentur in vtero, & non ita naſcerentur vt Adam, Dei non habere imaginem, ſtatim per ordiné, iungit, & dicit: Et vixit Adam ducentos triginta annos & cognouit Euã vxorem ſuam, & peperit ei filium iuxta ſpeciem & iuxta imaginem eius, & vocauit nomen eius Seth. Rurſumque in decima generatione poſt annos bis mille ducentenos quadraginta duos, vin

*Propter vnũ aut duo verba fidei contraria multæ hæreſes abiectæ.*
*Iacob. 3.*
*Maligna interpretatio ſcripturæ gignit hæreſin.*

dicans Deus imaginem ſuam,& oſtendens, quod gratia, quam dediſſet hominibus perſeueraret in eis, ait: Ne comederitis carnem cum ſanguine: ego enim vlciſcar ſanguinem veſtrum de manū omnis hominis effundentis illum: quia ad imaginē Dei feci hominem *To.2.Epiſt.60.ad Io. Hier.c.4.*

SI iuxta Paulum Apoſtolum, quod ſentimus Orare nō poſſumus ac propriæ mentis cogitationem ſermo non explicat. quanto magis periculoſū eſt de alterius animo iudicare, & ſingulorū dictorum, atq; verborum inueſtigare atq; proferre rationem. *Tom.2.Epiſt.61.ad Pam.cap.1.*

DICIS animam non eſſe de Dei ſubſtantia. Pulchrè: damnas enim impijſſimum Manichęū, quem nominare pollutio eſt. Dicis ex angelis animas non fieri. Acquieſco pauliſper licet nouerim quo ſenſu dixeris. Quia ergo dicimus, quid neges, volumus ſcire, quid credas. Accepto, inquis, de terra limo plaſmauit Deus hominem, & per gratiam propriæ inſufflationis animam donauit rationalem, & liberi arbitrij, non partem aliquam ſuæ naturæ (iuxta quoſdam, qui hoc impiè prædicant) ſed propriam conditionē. Videte, quanto circuitu, quod non quærimus eloquatur. Scimus, quod de terra Deꝰ plaſmauit hominem: nouimus, quod inſufflauit in faciē eius, & factus eſt in animam viuentē: non ignoramus, quod anima ratiōalis ſit, & proprij arbitrij & ſcimus, quod Dei illa cōditio ſit. Nemo dubitat errare Manichæum, qui dicit eam eſſe Dei ſubſtantiam, hoc nunc interrogo: Anima iſta, Dei conditio, liberi arbitrij, rationalis, neq; de ſubſtantia creatoris, quando facta ſit, vtrū eo tempore, quo de limo factus eſt homo, & inſufflatum eſt ſpiraculum vitæ in faciē eius, an quæ prius fuerat, & inter rationabiles creaturas & incorporeas erat atq; viuebat, Dei poſtea inſufflatione donata ſit? Hic taces: hic ſimplicem ac ruſticum te ſimulas, & ſub verbis ſcripturæ, ea quæ ſcriptura non ſentit abſcondis. *Tom.2.Epiſt.61.ad Pam.cap.6.*

*Gen.2.*

*Hæretici ſub verbis ſcripturæ ea quæ ſcriptura nō ſentit abſcondunt.*

*Pſal.90.*
*Pſal.10.*
*Hæretici in falſa intelligentia ſcripturarum vulnerant quaſi ſagitta rectos corde.*

A ſagitta volante per diem, à negotio perambulante in tenebris, quis noſtrum poterit liberari? Ecce enim peccatores intenderunt arcum, vt ſagittent in obſcuro rectos corde. Nolūt prauos vulnerare, ſed rectos corde. Sagitta per diem volitat, per hæreticos in ſanctarū intelligentia ſcripturarum. Negotium in tenebris & nocte perambulat, per philoſophos, qui obſcuritate ſermonum inuoluere cupiunt veritatem *To.2.lib.2.Dia. aduerſus Pelagianos cap.7.*

*Danie.2.*

*Exemplum hæretici & peruerſæ interpretationis inſigne.*

INTER cæteras quippe blaſphemias, quas ore ſacrilego protuliſti, auſus es dicere: montē de quo abſciſſus eſt in Daniele lapis ſine manib. eſſe diabolū, & lapidem Chriſtum: qui quia aſſumpſit corpus ex Adā, qui Diabolo ante per vitia cohæſerat, natum eſſe de virgine: vt à mōte, hoc eſt à Diabolo hominem ſepararet. O præcidendam linguam ac per partes, & fruſta lacerandam. Quiſquam ne Chriſtianus Deum patrem Omnipotentem in perſonam Diaboli interpretatur & tanto piaculo totius orbis aures maculat? Si interpretationem tuam quiſquam, non dicam Catholicorum, ſed hæreticorum ſiue gentilium vnquam recepit, pium ſit, quod locutus es: Sin autē tantum nefas nunquam audiuit Chriſti Eccleſia & per tuum primum os ipſe ſe mōtem interpretatus eſt, qui dixerat: ero ſimilis altiſſimo, reijciatur *Tom.2.Epiſt.75.ad Vigilantium.*

*Eſaiæ.14.*

*Illuſores & magiſtri mēdaces peruerſè ſcripturas ſanctas interpretantur.*

POSSVMVS illuſores dicere, & magiſtros populi Iſrael, qui deuorant populum Dei ſicut eſcam panis, & peruerſè ſcripturas ſanctas interpretantur, illuduntque ſtultitię diſcipulorum. *Tom.4.Com.lib.2.in cap.3. Eſaiæ.*

*Pſal.33.*
*Hæretici non intelligentes rectè ſcripturas vuam acerbam comedunt.*

ET obſeruandum quod vitia & peccata, vua acerba dicātur: vt commedentium dentes obſtupeſcant, & non poſuit eius ſuauitatem ſentire, de quo dicitur: Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus. Quicunq; ſcripturas non ita intelligit vt rei veritas habet, vuam acerbam comedit. Vnde omnes hæretici peruerſa credentes, panem de Cœlo deſcendentem comedere non poſſunt: ſed obſtupeſcunt dentes eorum non ciborum auſteritate, ſed vitio dentium. *To.4.lib.6. Com. in cap. 31. Hieremiæ.*

*Hæretici melle ſcripturarum circūlinunt ſua venena.*
*Pſal.54.*

HAERESIS ipſa non moritur, hæreditariis cōtra nos odiorum ſuorum catulis derelictis: qui noſtra ſimulantes, genetricis antiquæ, & pellicis Vlyſſis venena non deſerunt, labiaque tantum melle circumlinūt, iuxta eloquia ſcripturarum, mollierunt verba ſua ſuper oleum: ipſi autē ſunt iacula, & iacula ignita, quæ ſcuto fidei repellenda ſimul & extinguenda ſunt. *To.4.li.6.in Proœm. Com. in Ezechielem.*

ET multo nunc eos dicit maiora peccaſſe, eligendo Hieroboam & adorando idola, quam eo tempore quo elegerunt Saul: hic enim ſchiſmati etiā idololatria copulata eſt: ibi verus Dei cultus permanſit in populo: ideo recordabitur iniquitatis eorum, qui nunc per patientiam putatur oblitus: & viſitabit peccata eorum, & vulnera quę longo tempore computruerunt Veteres ſcrutans hiſtorias, inuenire non poſſū ſcidiſſe Eccleſiam, & de domo Domini populos ſeduxiſſe, præter eos qui ſacerdotes à Deo poſiti fuerant & prophetæ, id eſt ſpeculatores: Iſti ergo vertūtur in laqueum tortuoſum in omnib. locis ponentes ſcandalū: vt quicunq; per vias illorum ingreſſus fuerit corruat, & in Chriſto ſtare nō poſſit: varijſq; abducatur erroribus, & ſemitis tortuoſis ad præcipitia deferatur. Hi ſunt ſpeculatores Ephraim, qui inſaniam in domo Domini finxerūt: hoc eſt in Eccleſia ſiue in ſcripturis ſanctis, peruerſè eas interpretantes: vel certè in vnoquoq; credentiū, qui domus dei rectiſſimè nominatur. Propterea corrupti ſunt, & interierunt iuxta dies collis quā do iniquitatem in excelſo locuti ſunt, & aſcenderūt in tecta vana. Recordabitur Deus iniquitatis eorum, per quam iniquè geſſerunt in proximū, educentes eum de Eccleſia, & viſitabit peccata eorum, quibus in ſuas animas peccauerunt. Hoc eſt quod in Pſalmo legimus: Iuxta ſemitā ſcandalū poſuerunt mihi. Niſi enim quis Dei viderit ſemitam, id eſt, Chriſti nomen audierit, nō ingredietur per eam. Idcirco & hæretici ſub nomine Chriſti iuxta ſemitā ponunt laqueos, vt qui Chriſtō calcare ſe credit (de quo legimus, quod ipſe ſit via) calcet & in eorum laqueis, qui inſaniam in domo Dei cōfixerunt. *T.5.li.2.C.in c.9.Oſeæ fol.60.*

*Hæretici peruerſè interpretantur ſcripturas.*
*Eſaiæ.22.*
*Sec.70.*

*Pſal.139.*
*Ioan.14.*

*Hæretici ſub nomine Chriſti ponunt laqueos.*

*1.9.1.Marc.*

MARCION & Baſilides, & cæteræ hæreticorum peſtes, nō habent Dei Euangeliū: quia non habent ſpiritum ſanctum ſine quo humanum fit Euangelium: Non enim conſiſtit Euangelium in litera, ſed in ſenſu. Non in ſuperficie, ſed in medulla. Non in ſermonum folijs, ſed in radice rationis. Dicitur in propheta de Deo: Sermones eius boni ſunt cum eo. Tunc ſcriptura-



tura vtilis eſt audientibus, cum abſque Chriſto non dicitur: Cum abſque patre non profertur: cum ſine ſpiritu non eam inſinuat, ille qui prædicat. Alioquin & Diabolus, qui loquitur de ſcripturis, & omnes hæreſes, ſecundum Ezechielem, inde ſibi conſuunt ceruicalia, quæ ponant ſub cubito vniuerſæ ætatis. Ego quoq; ipſe qui loquor: ſi Chriſtum in me habeo, non habeo Euangelium hominis: ſi autem peccator ſum, dicitur mihi: Peccatori dixit Deus: quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis in labijs tuis teſtamentum meum? Tu autem odiſti diſciplinam & proieciſti verba mea poſt te, & cætera quæ ſequuntur. Grande periculum eſt in Eccleſia loqui, ne fortè interpretatione peruerſa de Euangelio Chriſti, hominis fiat Euangelium, aut quod peius Diaboli. *Tomo ſexto libro primo Commentariorum in cap.1.ad Galat.*

*Mich.2.*
*Aurea et diuina maxime notanda verba.*
*Ezech.13.*
*Pſal.49.*

## *VII. Litera Iudæos, Hæreticos, & carnales homines occidit, qui non ſpiritui & ſenſui, Sed literæ, verbis, ſono adhærent.*

*Pſal.118.*
*Pſal.1.*
*Aliter Phariſ. i aliter Principia ſcripturas intellexit.*

DIVINARVM ſcripturarum ardor erat incredibilis: ſemperq; cātabat: In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Et illud de perfecto viro: Et in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Meditationem legis non in replicando, quæ ſcripta ſunt, vt Iudæorum exiſtimant phariſæi, ſed in opere intelligens, iuxta illud Apoſtolicū: Siue comeditis, ſiue bibitis, ſiue quid agitis, omnia in gloriam Domini facientes. Et prophetæ verba, dicentis: A mandatis tuis intellexi, vt poſt quam mandata compleſſet, tunc ſe ſciret mereri intelligentiam, ſcripturarum. Quod & alibi legimus: Quia cæpit Ieſus facere, & docere. Erubeſcit enim quamuis præclara doctrina, quam repræhendit conſcientia. Fruſtraq; eius lingua prædicat paupertatem, & docet eleemoſynas, qui Cræſi diuitijs tumet, viliq; opertus pallio, pugnat contra tineas veſtium ſericarum. *Tom.1. Epiſt. 16.ad Principiam.*

*1.Cor.12.*
*Pſal.118.*
*Act.1.*

*Pſal 35.*
*Rom.11.*

PORRO ſi quæris, cur infans à Dæmone corripiatur, qui peccata non habuit, aut in qua ætate reſurrecturi ſimus, cum diuerſa ætate moriamur, ingratis ſuſcipies, Iudicia Dei abyſſus multa. Et: O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini, & aut quis conſiliarius eius fuit *Tomo primo Epiſtola vigeſimaſeptima ad Euſtochium capite duodecimo.*

SED quæſo vt mihi omnem cauſam, quare ab Arianis venientes Eccleſia recipiat, non quaſi aduerſario, ſed quaſi diſcipulo explices: nam cū tibi verbo reſpondere non poſſim, animō tamē necdum aſſentior. ORTHOD. d. Sub rege Conſtantino, Euſebio & Hippatio conſulibus, nomine vnitatis & fidei infidelitas ſcripta eſt, vt nunc agnoſcitur: nam illo tempore nihil tam pium, nihil tam conueniens ſeruo Dei videbatur, quam vnitatem ſequi & à totius mundi communione non ſcindi, præſertim cum ſuperficies expoſitionis nihil iam ſacrilegum præferret. Credimus aiebant, in vnum verum Deum patrem omnipotentē, hoc etiam nos confitemur. Credimus in vnigenitum Dei filium, qui ante omnia ſecula, & ante omne principiū natus eſt ex Deo: natum autem vnigenitum ſolum ex ſolo patre, Deum ex Deo ſimilē genitori ſuo patri ſecundū ſcripturas, cuius natiuitatem nullus nouit, niſi qui ſolus eum genuit pater. Nunquid hic inſertum eſt, Erat tempus quando non erat? vel de nullis extantibus creatura eſt filius Dei? Perfecta fides eſt, Deum de Deo credere. Et natum aiebāt vnigenitum ſolum ex ſolo patre. Quid eſt natum? certè non factum: natiuitas ſuſpicionem auferebat creaturæ. Addebant præterea, Qui de cælo deſcendit, conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine, crucifixus à Pontio Pilato, tertia die reſurrexit à mortuis: aſcēdit in cęlum ſedet ad dexteram Dei Patris, venturus iudicare viuos & mortuos. Sonabant verba pietatem, & inter tanta illa pręconia nemo venenum inſertum putabat. *Tom 2. in Dialoga contra Luciferianos cap.7.*

*Hæreticorū verba ſonāt pietatem cū tamen venenum inſeratur.*

*Putida ruſticorum interpretatio eſt aſſidere literæ dormitanti.*

DIES me deficiet, ſi omnium, qui ad ſenſum interpretati ſunt, teſtimonia explicauero. Sufficit in pręſenti nominaſſe Hilarium confeſſorem qui Homilias in Iob, & in Pſalmos tractatus plurimos in Latinum vertit è Gręco, nec aſſedit literæ dormitanti, & putida ruſticorum interpretatione ſe torſit, ſed quaſi captiuos ſenſus in ſuā linguam victoris iure tranſpoſuit. Nec hoc mirum in cęteris ſeculi videlicet, aut Eccleſię viris cum Septuaginta interpretes, & Euangeliſtæ, atque Apoſtoli idem in ſacris voluminibus fecerunt. Legimus in Marco dicentem Dominum: Talicha cumi: ſtatimque ſubiectum eſt, quod interpretatur, puella (tibi dico) ſurge. Arguatur Euangeliſta mendacij, quare addiderit, tibi dico, cum in Hebræo tantum ſit puella ſurge. Sed vt ἐμφατικώτερον faceret, & ſenſum vocantis atque imperantis exprimeret, addidit, tibi dico. Rursū in Matthæo redditis à proditore Iuda triginta argenteis, & empto ex eis agro figuli ſcribitur: Tunc impletū eſt quod ſcriptū eſt per Hieremiā Prophetā, dicentē: Et acceperunt triginta argenteos pretiū appretiati, quod appretiauerunt à filijs Iſrael & dederunt eos, in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus. Hoc in Hieremia penitus non inuenitur, ſed in Zacharia, alijs multo verbis, ac toto ordine diſcrepante. Vulgata quippe editio ita ſe habet: Et dicam ad eos: ſi bonum eſt coram vobis, date mercedem mihi, aut renuite mercedē meā & appenderūt triginta argenteos, dixitq; Dn̄s ad me: Pone illos in cōflatoriū & conſidera, ſi probatum ſit, ſicut probatus ſū ab eis. Et tuli triginta argenteos, & miſi eos in domo Domini in cōflatorium. Quantum diſtet ab Euangeliſtæ teſtimonio Septuaginta translatio, perſpicuum eſt. Sed & in hebræo, cum ſenſus idem ſit verba præpoſtera ſunt, & penè diuerſa. Et dixi inquit ad eos: Si bonum eſt in oculis veſtris afferte mercedem meam: & ſi non, quieſcite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me Proijce illud ad ſtatuarium, decorū pretium, quo appretiatus ſum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & proieci eos in domo Domini ad ſtatuarium. Accuſent Apoſtolum falſitatis, quod nec cum hebraico, nec cū Septuaginta congruat translatoribus, & quod

*Marc.5.*

*Matt.27.*

*Zach.11.*

*Multis oſtenditur exemplis in allegationibus teſtimoniorum, ſacræ ſcripturæ non literam et verba ſed ſenſum ſpectandum.*

dicans Deus imaginem ſuam, & oſtendens, quod gratia, quam dediſſet hominibus perſeueraret in eis, ait: Ne comederitis carnem cum ſanguine: ego enim vlciſcar ſanguinem veſtrum de manu omnis hominis effundentis illum: quia ad imaginẽ Dei feci hominem *To. 2. Epiſt. 60. ad Io. Hier. c. 4.*

Si iuxta Paulum Apoſtolum, quod ſentimus Orare nõ poſſumus ac propriæ mentis cogitationem ſermo non explicat. quanto magis periculoſũ eſt de alterius animo iudicare, & ſingulorũ dictorum, atq; verborum inueſtigare atq; proferre rationem. *Tom. 2. Epiſt. 61. ad Pam. cap. 1.*

*Gen. 2.*

Dicis animam non eſſe de Dei ſubſtantia. Pulchrè: damnas enim impijſsimum Manichęũ, quem nominare pollutio eſt. Dicis ex angelis animas non fieri. Acquieſco pauliſper licet nouerim quo ſenſu dixeris. Quia ergo dicimus, quid neges, volumus ſcire, quid credas. Accepto, inquis, de terra limo plaſmauit Deus hominem, & per gratiam propriæ inſufflationis animam donauit rationalem, & liberi arbitrij, non partem aliquam ſuæ naturæ (iuxta quoſdam, qui hoc impiè prædicant) ſed propriam conditionẽ. Videte, quanto circuitu, quod non quærimus eloquatur. Scimus, quod de terra Deus plaſmauit hominem: nouimus, quod inſufflauit in faciẽ eius, & factus eſt in animam viuentẽ: non ignoramus, quod anima ratiõalis ſit, & proprij arbitrij & ſcimus, quod Dei illa cõditio ſit. Nemo dubitat errare Manichæum, qui dicit eam eſſe Dei ſubſtantiam, hoc nunc interrogo: Anima iſta, Dei conditio, liberi arbitrij, rationalis, neq; de ſubſtantia creatoris, quando facta ſit, vtrũ eo tempore, quo de limo factus eſt homo, & inſufflatum eſt ſpiraculum vitæ in faciẽ eius, an quæ prius fuerat, & inter rationabiles creaturas & incorporeas erat atq; viuebat, Dei poſtea inſufflatione donata ſit? Hic taces: hic ſimplicem ac ruſticum te ſimulas, & ſub verbis ſcripturæ, ea quæ ſcriptura non ſentit abſcondis. *Tom. 2. Epiſt. 61. ad Pam. cap. 6.*

*Hæretici ſub verbis ſcripturæ ea quæ ſcriptura nõ ſentit abſcondunt.*

*Pſal. 90.*
*Pſal. 10.*
*Hæretici in falſa intelligentia ſcripturarum vulnerant quaſi ſagitta rectos corde.*

A ſagitta volante per diem, à negotio perambulante in tenebris, quis noſtrum poterit liberari? Ecce enim peccatores intenderunt arcum, vt ſagittent in obſcuro rectos corde. Nolũt prauos vulnerare, ſed rectos corde. Sagitta per diem volitat, per hæreticos in ſanctarũ intelligentia ſcripturarum. Negotium in tenebris & nocte perambulat, per philoſophos, qui obſcuritate ſermonum inuoluere cupiunt veritatem *To. 2. lib. 2. Dia. aduerſus Pelagianos cap. 7.*

*Danie. 2.*

*Exemplum hæretici & peruerſæ interpretationis inſigne.*

Inter cæteras quippe blaſphemias, quas ore ſacrilego protuliſti, auſus es dicere: montẽ de quo abſciſſus eſt in Daniele lapis ſine manib. eſſe diabolũ, & lapidem Chriſtum: qui quia aſſumpſit corpus ex Adã, qui Diabolo ante per vitia cohæſerat, natum eſſe de virgine: vt à mõte, hoc eſt à Diabolo hominem ſepararet. O præcidendam linguam ac per partes, & fruſta lacerandam. Quiſquam ne Chriſtianus Deum patrem Omnipotentem in perſonam Diaboli interpretatur & tanto piaculo totius orbis aures maculat? Si interpretationem tuam quiſquam, non dicam Catholicorum, ſed hæreticorum ſiue gentilium vnquam recepit, pium ſit, quod locutus es: Sin autẽ tantum nefas nunquam audiuit Chriſti Eccleſia & per tuum primum os ipſe ſe mõtem interpretatus eſt, qui dixerat: ero ſimilis altiſsimo, reijciatur *Tom. 2. Epiſt. 75. ad Vigilantium.*

*Eſaiæ. 14.*

*Illuſores & magiſtri mẽdaces peruerſè ſcripturas ſanctas interpretantur.*

Poſſumus illuſores dicere, & magiſtros populi Iſrael, qui deuorant populum Dei ſicut eſcam panis, & peruersè ſcripturas ſanctas interpretantur, illuduntque ſtultitię diſcipulorum. *Tom. 4. Com. lib. 2. in cap. 3. Eſaiæ.*

*Pſal. 33.*
*Hæretici non intelligentes rectè ſcripturas vuam acerbam comedunt.*

Et obſeruandum quod vitia & peccata, vua acerba dicãtur: vt commedentium dentes obſtupeſcant, & non poſuit eius ſuauitatem ſentire, de quo dicitur: Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus. Quicunq; ſcripturas non ita intelligit vt rei veritas habet, vuam acerbam comedit. Vnde omnes hæretici peruerſa credentes, panem de Cœlo deſcendentem comedere non poſſunt: ſed obſtupeſcunt dentes eorum non ciborum auſteritate, ſed vitio dentium. *To. 4. lib. 6. Com. in cap. 31. Hieremiæ.*

*Hæretici melle ſcripturarum circũlinunt ſua venena.*
*Pſal. 54.*

Haereſis ipſa non moritur, hæreditariis cõtra noſodiorum ſuorum catulis derelictis: qui noſtra ſimulantes, genetricis antiquæ, & pellicis Vlyſsis venena non deſerunt, labiaque tantum melle circumlinũt, iuxta eloquia ſcripturarum, mollierunt verba ſua ſuper oleum: ipſi autẽ ſunt iacula, & iacula ignita, quæ ſcuto fidei repellenda ſimul & extinguenda ſunt. *To. 4. li. 6. in Proœm. Com. in Ezechielem.*

Et multo nunc eos dicit maiora peccaſſe, eligendo Hieroboam & adorando idola, quam eo tempore quo elegerunt Saul: hic enim ſchiſmati etiã idololatria copulata eſt: ibi verus Dei cultus permanſit in populo: ideo recordabitur iniquitatis eorum, qui nunc per patientiam putatur oblitus: & viſitabit peccata eorum, & vulnera quę longo tempore computruerunt Veteres ſcrutans hiſtorias, inuenire non poſsũ ſcidiſſe Eccleſiam, & de domo Domini populos ſeduxiſſe, præter eos qui ſacerdotes à Deo poſiti fuerant & prophetæ, id eſt ſpeculatores: Iſti ergo vertũtur in laqueum tortuoſum in omnib. locis ponentes ſcandalũ: vt quicunq; per vias illorum ingreſſus fuerit corruat, & in Chriſto ſtare nõ poſsit: varijſq; abducatur erroribus, & ſemitis tortuoſis ad præcipitia deferatur. Hi ſunt ſpeculatores Ephraim, qui inſaniam in domo Domini finxerũt: hoc eſt in Eccleſia ſiue in ſcripturis ſanctis, peruersè eas interpretantes: vel certè in vnoquoq; credentiũ, qui domus dei rectiſsimè nominatur. Propterea corrupti ſunt, & interierunt iuxta dies collis quãdo iniquitatem in excelſo locuti ſunt, & aſcenderũt in tecta vana. Recordabitur Deus iniquitatis eorum, per quam iniquè geſſerunt in proximũ, educentes eum de Eccleſia, & viſitabit peccata eorum, quibus in ſuas animas peccauerunt. Hoc eſt quod in Pſalmo legimus: Iuxta ſemitã ſcandalũ poſuerunt mihi. Niſi enim quis Dei viderit ſemitam, id eſt, Chriſti nomen audierit, nõ ingredictur per eam. Idcirco & hæretici ſub nomine Chriſti iuxta ſemitã ponunt laqueos, vt qui Chriſtõ calcare ſe credit (de quo legimus, quod ipſe ſit via) calcet & in eorum laqueis, qui inſaniam in domo Dei cõfixerunt. *T. 5. li. 2. C. in c. 9. Oſeæ fol. 60.*

*Hæretici peruersè interpretantur ſcripturas.*
*Eſaiæ. 22.*
*Sec. 70.*

*Pſal. 139.*
*Ioan. 14.*

*Hæretici ſub nomine Chriſti ponunt laqueos.*

*1. 9. 1. Marc.*

Marcion & Baſilides, & cæteræ hæreticorum peſtes, nõ habent Dei Euangeliũ: quia non habent ſpiritum ſanctum ſine quo humanum fit Euangelium: Non enim conſiſtit Euangelium in litera, ſed in ſenſu. Non in ſuperficie, ſed in medulla. Non in ſermonum folijs, ſed in radice rationis. Dicitur in propheta de Deo: Sermones eius boni ſunt cum eo. Tunc ſcriptura



tura vtilis eſt audientibus, cum abſque Chriſto non dicitur: Cum abſque patre non profertur: cum ſine ſpiritu non eam inſinuat, ille qui prædicat. Alioquin & Diabolus, qui loquitur de ſcripturis, & omnes hæreſes, ſecundum Ezechielem, inde ſibi conſuunt ceruicalia, quæ ponant ſub cubito vniuerſæ ætatis. Ego quoq; ipſe qui loquor: ſi Chriſtum in me habeo, non habeo Euangelium hominis: ſi autem peccator ſum, dicitur mihi: Peccatori dixit Deus: quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis in labijs tuis teſtamentum meum? Tu autem odiſti diſciplinam & proieciſti verba mea poſt te, & cætera quæ ſequuntur. Grande periculum eſt in Eccleſia loqui, ne fortè interpretatione peruerſa de Euangelio Chriſti, hominis fiat Euangelium, aut quod peius Diaboli. *Tomo ſexto libro primo Commentariorum in cap. 1. ad Galat.*

*Mich. 2.*
*Aurea et diuina maxime notanda verba.*
*Ezech. 13.*

*Pſal. 49.*

## *VII. Litera Iudæos, Hæreticos, & carnales homines occidit, qui non ſpiritui & ſenſui, Sed literæ, verbis, ſono adhærent.*

*Pſal. 118.*
*Pſal. 1.*
*Aliter Phariſæi aliter Principia ſcripturas intellexit.*

Diuinarum ſcripturarum ardor erat incredibilis: ſemperq; cãtabat: In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Et illud de perfecto viro: Et in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Meditationem legis non in replicando, quæ ſcripta ſunt, vt Iudæorum exiſtimant phariſæi, ſed in opere intelligens, iuxta illud Apoſtolicũ: Siue comeditis, ſiue bibitis, ſiue quid agitis, omnia in gloriam Domini facientes. Et prophetæ verba, dicentis: A mandatis tuis intellexi, vt poſtquam mandata compleſſet, tunc ſe ſciret mereri intelligentiam, ſcripturarum. Quod & alibi legimus: Quia cæpit Ieſus facere, & docere. Erubeſcit enim quamuis præclara doctrina, quam repræhendit conſcientia. Fruſtraq; eius lingua prædicat paupertatem, & docet eleemoſynas, qui Cræſi diuitijs tumet, viliq; opertus pallio, pugnat contra tineas veſtium ſericarum. *Tom. 1. Epiſt. 16. ad Principiam.*

*1. Cor. 12.*
*Pſal. 118.*
*Act. 1.*

*Pſal 35.*
*Rom. 11.*

Porro ſi quæris, cur infans à Dæmone corripiatur, qui peccata non habuit, aut in qua ætate reſurrecturi ſimus, cum diuerſa ætate moriamur, ingratis ſuſcipies, Iudicia Dei abyſus multa. Et: O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini, & aut quis conſiliarius eius fuit *Tomo primo Epiſtola vigeſimaſeptima ad Euſtochium capite duodecimo.*

Sed quæſo vt mihi omnem cauſam, quare ab Arianis venientes Eccleſia recipiat, non quaſi aduerſario, ſed quaſi diſcipulo explices: nam cũ tibi verbo reſpondere non poſsim, animo tamẽ necdum aſſentior. Orthod. d. Sub rege Conſtantino, Euſebio & Hippatio conſulibus, nomine vnitatis & fidei infidelitas ſcripta eſt, vt nunc agnoſcitur: nam illo tempore nihil tam pium, nihil tam conueniens ſeruo Dei videbatur, quam vnitatem ſequi & à totius mundi communione non ſcindi, præſertim cum ſuperficies expoſitionis nihil iam ſacrilegum præferret. Credimus aiebant, in vnum verum Deum patrem omnipotentẽ, hoc etiam nos confitemur. Credimus in vnigenitum Dei filium, qui ante omnia ſecula, & ante omne principiũ natus eſt ex Deo: natum autem vnigenitum ſolum ex ſolo patre, Deum ex Deo ſimilẽ genitori ſuo patri ſecundũ ſcripturas, cuius natiuitatem nullus nouit, niſi qui ſolus eum genuit pater. Nunquid hic inſertum eſt, Erat tempus quando non erat? vel de nullis extantibus creatura eſt filius Dei? Perfecta fides eſt, Deum de Deo credere. Et natum aiebãt vnigenitum ſolum ex ſolo patre. Quid eſt natum? certè non factum: natiuitas ſuſpicionem auferebat creaturæ. Addebant præterea, Qui de cælo deſcendit, conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine, crucifixus à Pontio Pilato, tertia die reſurrexit à mortuis: aſcẽdit in cęlum ſedet ad dexteram Dei Patris, venturus iudicare viuos & mortuos. Sonabant verba pietatem, & inter tanta illa pręconia nemo venenum inſertum putabat. *Tom 2. in Dialoga contra Luciferianos cap. 7.*

*Hæreticorũ verba ſonãt pietatem cũ tamen venenum inſeratur.*

*Putida ruſticorum interpretatio eſt aſsidere literæ dormitanti.*

Dies me deficiet, ſi omnium, qui ad ſenſum interpretati ſunt, teſtimonia explicauero. Sufficit in prę́ſenti nominaſſe Hilarium confeſsorem qui Homilias in Iob, & in Pſalmos tractatus plurimos in Latinum vertit è Gręco, nec aſſedit literæ dormitanti, & putida ruſticorum interpretatione ſe torſit, ſed quaſi captiuos ſenſus in ſuã linguam victoris iure tranſpoſuit. Nec hoc mirum in cęteris ſeculi videlicet, aut Eccleſię viris cum Septuaginta interpretes, & Euangeliſtæ, atque Apoſtoli idem in ſacris voluminibus fecerunt. Legimus in Marco dicentem Dominum: Talicha cumi: ſtatimque ſubiectum eſt, quod interpretatur, puella (tibi dico) ſurge. Arguatur Euangeliſta mendacij, quare addiderit, tibi dico, cum in Hebræo tantum ſit puella ſurge. Sed vt ἐμφατικώτερον faceret, & ſenſum vocantis atque imperantis exprimeret, addidit, tibi dico. Rurſũ in Matthæo redditis à proditore Iuda triginta argenteis, & empto ex eis agro figuli ſcribitur: Tunc impletũ eſt quod ſcriptũ eſt per Hieremiã Prophetã, dicentẽ: Et acceperunt triginta argenteos pretiũ appretiati, quod appretiauerunt à filijs Iſrael & dederunt eos, in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus. Hoc in Hieremia penitus non inuenitur, ſed in Zacharia, alijs multo verbis, ac toto ordine diſcrepante. Vulgata quippe editio ita ſe habet: Et dicam ad eos: ſi bonum eſt coram vobis, date mercedem mihi, aut renuite mercedẽ meã & appenderũt triginta argenteos, dixitq; Dñs ad me: Pone illos in cõflatoriũ & conſidera, ſi probatum ſit, ſicut probatus ſũ ab eis. Et tuli triginta argenteos, & miſi eos in domo Domini in cõflatorium. Quantum diſtet ab Euangeliſtæ teſtimonio Septuaginta translatio, perſpicuum eſt. Sed & in hebræo, cum ſenſus idem ſit verba præpoſtera ſunt, & penè diuerſa. Et dixi inquit ad eos: Si bonum eſt in oculis veſtris afferte mercedem meam: & ſi non, quieſcite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me Proijce illud ad ſtatuarium, decorũ pretium, quo appretiatus ſum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & proieci eos in domo Domini ad ſtatuarium. Accuſent Apoſtolum falſitatis, quod nec cum hebraico, nec cũ Septuaginta congruat translatoribus, & quod

*Marc. 5.*

*Matt. 27.*

*Zach. 11.*

*Multis oſtendit exemplis in allegationibus teſtimoniorum, ſacræ ſcripturæ non literam et verba ſed ſenſum ſpectandum.*

&c, q; his maius eſt, erret in nomine: pro Zacharia quippe Hieremiam poſuit. Sed abſit hoc de pediſſequo Chriſti dicere: cui curæ fuit non verba & ſyllabas aucupari, ſed ſentẽtias dogmatum ponere. *Ioan.19. Zach.12.* Veniamus ad aliud eiuſdem Zachariæ teſtimonium quod Iohannes Euangeliſta aſſumit iuxta hebraicam veritatem. Videbunt in quem compunxerunt. pro quo in Septuaginta legimus καὶ ἐπιβλέψονται πρός με, ἀνθ᾽ ὧν ὑνωρχήσαντο. quod interpretati ſunt latini: Et aſpicient ad me, pro ijs quæ illuſerunt, ſiue inſultauerũt. Diſcrepat Euangeliſtę, Septuaginta interpretum, noſtraque translatio: & tamen ſermonum varietas, *Matt.26. Zach.13.* ſpiritus vnitate concordat. In Matthæo quoque legimus Dominum prædicantem Apoſtolis fugam, & hoc ipſum Zachariæ teſtimonio confirmantem. Scriptum eſt, ait, Percutiam paſtorem & diſpergentur oues. At in ſeptuaginta & in hebræo multo aliter eſt, non enim ex perſona Dei dicitur, vt Euangeliſta vult, ſed ex prophetę Deum patrem rogantis. Percute paſtorem, & diſpergentur oues: In hoc, vt arbitror loco, iuxta quorundam prudentiam, Euangeliſta piaculi reus eſt, quod auſus ſit prophetę verba ad Dei referre *Mat.2.* perſonam. Scribit ſupradictus Euangeliſta ad angeli monitum tuliſſe Ioſeph paruulum & matrẽ eius, & intraſſe in Aegyptum, ibiq; manſiſſe vſque ad obitum Herodis: vt impleretur quod dictum eſt à Domino per prophetam: Ex Aegypto *Oſee.11.* vocaui filium meum. Hoc noſtri codices non habent. Sed in Oſee propheta iuxta Hebraicam ſcribitur veritatẽ. Quia puer Iſrael eſt, & dilexi eum, & ex Aegypto vocaui eum filium meum. Pro quo & in eodem loco Septuaginta tranſtulerunt: Quia paruulus eſt Iſrael, & dilexi eum, ex Aegypto vocaui filios eius. Num omnino repudiandi ſunt, quia iſtũ locum, qui ad Chriſti maximè pertinet Sacramentum, aliter tranſtulerũt? an danda potius venia, vt hominib. iuxta Iacobi ſententiam, dicentis: Multa peccamus omnes, & ſi quis in verbo non offendit, iſte perfectus eſt *Iacob.3.* vir, poteſt refrenare omne corpus? Illud vero, quod in eodem Euangeliſta ſcribitur: Et veniẽs habitauit in ciuitate, quæ dicitur Nazareth: vt *Matt.2.* impleretur, quod dictũ eſt per prophetas, Quia Nazaręus vocabitur: Reſpondeant λογοδαίδαλοι, *Eſaia.11.* & faſtidioſi æſtimatores omnium tractatorum, vbi legerunt, diſcantq; in Eſaia poſitum. Nam in eo loco, vbi nos legimus, atque tranſtulimus: Exiet virga de radice Ieſſe, & flos de radice ei' aſcẽdet: in Hebræo, iuxta linguæ illius ἰδίωμα, ita ſcriptum eſt: Exiet virga de radice Ieſſe, & Nazaręus de radice eius creſcet. Cur hoc omiſerunt Septuaginta ſi non licet transferre verbum pro verbo? Sacrilegũ eſt, vel celaſſe, vel ignoraſſe myſte*Matt.2.*riũ. Tranſeamus ad cætera, neq;.n. epiſtolæ breuitas patitur diutius ſingulis immorari. Idẽ Mattheus loquitur: Hoc autem totum factum eſt, vt *Eſaia.7.* cõpleretur quod dictum eſt à Domino per prophetam dicentem: Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel. Quod Septuaginta tranſtulerunt: Ecce virgo in vtero accipiet & pariet filium, & vocabitis nomine eius Emanuel. Si verba calumniamur: vtique non eſt idem habebit & accipiet, neq; vocabunt, & vocabitis. Porro in hebræo legimus ita ſcriptum: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabit nomen eius Emanuel. Non Achaz, qui arguebatur infidelitatis, non Iudæi, qui erãt Dñm negaturi, ſed vocabit, ipſa, inqt, quæ concipiet, ipſa virgo, quæ pariet. In eodem Euange*Mat.2.*liſta legimus, Herodem ad aduentum Magorũ fuiſſe turbatum, ſcribiſque & ſacerdotibus congregatis, ſciſcitatum ab eis, vbi Chriſtus naſcere*Mich.5.*tur, illoſque reſpondiſſe, in Bethlehem Iudæ, ſic enim ſcriptum eſt in propheta: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in ducibus Iuda: ex te enim egredietur dux, qui regat populũ meum Iſrahel. Hoc exemplum in vulgata editione ſic fertur. Et tu Bethlehem domus Ephrata modicus es, vt ſis in millib' Iuda: de te mihi egredietur vt ſit princeps in Iſrael. Quanta ſit inter Mattheum & Septuaginta verborum ordiniſq; diſcordia, magis hoc admiraberis ſi Hebraicum videas, in quo ita ſcriptum eſt: Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael. Cõſidera gradatim, quæ ab Euangeliſta ſint poſita. Et tu Bethlehem terra Iuda: Pro terra Iuda, in hebraico habetur Ephrata, in Septuaginta, domus Ephrata. Et pro ne quamquam minima es in ducibus Iuda, in Septuaginta legitur, Modicus es, vt ſis in millibus Iuda Senſuſque contrarius eſt, Septuaginta ſibi in hoc duntaxat loco & Hebraico cõcordante. Euangeliſta enim dixit, quod non ſit paruulus in ducibus Iuda, cum è regione *1.Cor.1.* ſit poſitum paruulus quidem es, & modicus, ſed tamen de te mihi paruulo & modico egredietur dux in Iſrael, ſecundum illud Apoſtoli: Elegit infirma mundi Deus, vt confundat fortia. Porrò, quod ſequitur: Qui regat, vel qui placat populum Iſrael: aliter in propheta eſſe perſpicuum eſt. Hæc replico, non vt Euangeliſtas arguã falſitatis (hoc quippe impiorum eſt Celſi, Porphirij Iuliani) ſed vt repræhenſores meos arguam imperitiæ, & impetrem ab eis veniam, vt concedant mihi in ſimplici Epiſtola, quod in ſcripturis ſanctis velint nolint Apoſtolis conceſſuri ſunt. Marcus diſcipulus Petri, ita ſuum orditur Euangelium: Principium Euangelij Ieſu Chriſti: ſi*Marc.1.*cut ſcriptum eſt in Eſaia propheta: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te: in Malachiæ fine ſcriptum. Sequens autem quod infertur: Vox clamantis in deſerto, &c. & in Eſaia legim'. Et quomodo Marcus ſtatim in pincipio voluminis ſui poſuit, ſicut ſcriptum eſt in Eſaia propheta: Ecce ego mittò *Mala.3.* angelum meum: quod non ſcribitur in Eſaia, vt *Eſa.40.* diximus, ſed in Malachia nouiſſimo duocedim prophetarum? Soluat hanc quæſtiunculam imperita præſumptio: & ego erroris veniam depre*Marc.2.*cabor. Idem Marcus inducit ad Phariſæos Saluatorẽ loquentem: Numquam legiſtis, quid fecerit Dauid, quando neceſſitatem habuit, & eſuriuit ipſe & ſocij eius, quo modo ingreſſus domum *1.Reg.21.* Dei ſub Abiathar pontifice, & panes propoſitionis comedit, quibus non licebat veſci, niſi ſolis ſacerdotibus? Legamus Samuelem, ſiue, vt in cõ*1.Reg.22.*muni titulo habetur, Regnorum libros: ibique reperiemus, non Abiathar ſcriptum eſſe, Sed Abimelech pontificem, qui poſtea à Doec cum cæteris Sacerdotibus Saul iubente, percuſſus eſt. *To.2. Epiſt.101. ad Pam. de Opt. genere interp. cap.3. toto.* *1.Cor.2.*

PERGAMVS ad Apoſtolum Paulum, ſcribit ad Corinthios: Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Sed ſicut



audiuit, ſcriptum eſt. Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Solent in hoc loco Apocryphorum quidam deliramenta ſectari, & dicere, quod de Apocalypſi Heliæ teſtimonium *Eſai.64.* ſumptum ſit: cum in Eſaia iuxta Hebraicum ita legatur: à ſæculo non audierunt, nec auribus perceperunt. Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus. Hoc ſeptuaginta multo aliter tranſtulerunt. A ſæculo non audiuimis neque oculi noſtri viderunt Deum abſque te: & opera tua vera, & facies expectantibus tuam miſericordiam. Intelligimus vnde ſumptum ſit teſtimonium: & tamen Apoſtolus nõ verbum expreſſit è verbo, ſed παραφραστικῶς eundem ſenſũ alijs ſermonibus indicauit. In Epiſtola ad Romanos *Rom.9. Eſa.8.* idem Apoſtolus Paulus, exemplum de Eſaia ſumens. Ecce, inquit, ponam in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali: diſcordat à tranſlatione veteri, & tamen cum Hebraica veritate cõcordat. in Septuaginta enim cõtrarius ſenſus eſt. Non vt lapidi offenſionis occurretis, neq; vt pe*1.Pet.2.*træ ruinæ: cum Apoſtolus quoque Petrus Hebræis Pauloq; cõſentiens ita poſuerit: Incredulis autem lapis offenſionis, & petra ſcandali. Ex quib. *In ſcripturarum interpretatione ſenſus quærendus non verba. id latè probat exemplis.* vniuerſis perſpicuum eſt, Apoſtolos, & Euangeliſtas, interpretatione veterum ſcripturarum, ſenſum quæſiſſe, non verba, nec magnoperè de ordine ſermonibuſque curaſſe, dum intellectui res pateret. Lucas vir Apoſtolicus, & Euangeliſta, ſcribit, Stephanum primum Chriſti martyrem, in Iudaica concione, narrantem: in ſeptuaginta quinque animabus deſcendit Iacob in Aegyptum: & defunctus eſt ipſe: & patres noſtri trã*Actor.7.*ſlati ſunt in Sychem, & poſiti ſunt in ſepulchro, quõd emit Abraham pretio argẽti, à filijs Emor *Gen.23.* patris Sychem. Hic locus in Geneſi multo aliter inuenitur, quod ſcilicet Abraham emerit ab Ephron Etheo filio Seor, iuxta Hebron quadringentis drachmis argenti ſpeluncam duplicem, & agrum circa eum, ſepelieritque in ea Saran vxorẽ *Gen.33.* ſuam. Atque in eodem legimus libro, poſtea reuertentem de Meſopotamia Iacob cum vxorib. & filijs ſuis poſuiſſe tabernaculum ante Salẽ vrbem Sychimorum, quæ eſt in terra Chanaan, & habitaſſe ibi, & emiſſe partem agri, in quo habebat tentoria, ab Emor patre Sychem centum agnis, & ſtatuiſſe ibi altare, & inuocaſſe ibi Deum Iſrahel. Abraham non emit ſpecum ab Emor pa*Gen.25.*tre Sychem, ſed ab Ephron filio Seor, nec ſepultus eſt in Sychem, ſed in Hebron, quæ corruptè dicitur Arboch. Duodecim autem Patriarchæ, non ſunt ſepulti in Arboch, ſed in Sychem, qui ager non eſt emptus ab Abraham, ſed à Iacob. Differo ſolutionem & iſtius quæſtiunculæ: vt obtrectatores mei quærant, & intelligant, non *Non verba in ſcripturis conſiderãda ſed ſenſus.* verba in ſcripturis conſideranda, ſed ſenſus. Viceſimi primi Pſalmi iuxta Hebræos id ipſum exordium eſt, quod Dominus locutus eſt in cruce אלי אלי למה עזבתני Eli Eli lamma Zabachani: quod interpretatur Deus meus Deus meus, quare me dereliquiſti? Reddant rationem, cur Septuaginta translatores interpoſuerint. Reſpice in me, ita enim verterunt. Deus Deus meus, reſpice in me, quare me dereliquiſti? Reſpondebunt vtique, nihil damni in ſenſu eſſe, ſi duo verba ſint addita, audiant & à me non periclitaturum Eccleſiarum ſtatum, ſi celeritate dictandi, aliqua verba dimiſerunt. Longum eſt nunc euoluere, quanta Septuaginta de ſuo addiderint, quanta dimiſerint, quæ in exemplaribus Eccle*Eſa.31. Amos.6.*ſiæ, obelis aſteriſciſq; diſtincta ſunt. Illud enim, quod legimus in Eſaia: Beatus qui habet ſemen in Sion, & domeſticos in Hieruſalem: ſolent hebræi deridere, cum audierint. Nec non & in Amos poſt deſcriptionem luxuriæ: Stantia putauerunt hæc, & non fugientia. Reuera ſenſus rhetoricus, & declamatio Tulliana. Sed quid faciemus ad auctenticos libros, in quibus hæc nõ fuerunt adſcripta, & cætera his ſimilia, quæ ſi proferre nitamur, infinitis libris opus eſt. Porrò quãta dimiſerint, vel aſteriſci teſtes, vt dixi, ſunt, vel noſtra interpretatio, ſi à diligenti lectore trans*Septuaginta editio vires in eccleſiis obtinuit, quia ab Apoſtolis fuit vſurpata.*lationi veteri cõferatur, & tamẽ vires Septuaginta editio obtinuit in Eccleſijs, vel quia ab Apoſtolis, in quibus tamen ab Hebraico non diſcrepat vſurpata. Aquila, autem proſelytus & contẽtioſus interpres, qui non ſolum verba, ſed etymologias quoque verborum transferre conatus eſt; iure proijcitur à nobis. Quis enim pro frumẽto & vino & oleo poſſit vel legere, vel intelligere, χεῦμα ὀπωρισμὸν, στιλβότητα, q; nos poſſumus dicere fuſionem; pomotionemq;, & ſplendentitiam. Atqui non ſolum Hebræi habent ἄρθρα, ſed & ille κακόζηλος, qui ſyllabas interpretatur, & literas, vt dicat σὺν τὸν οὐρανὸν καὶ σὺν τὴν γῆν: quod latina lingua omnino non recipit. cuius rei exemplum nos ex noſtro ſermone capere poſſumus: quanta enim apud Græcos benè dicuntur, quæ ſi ad verbum transferamus, in latino non reſonant: & è regione, quæ apud nos placent, ſi vertantur iuxta ordinem, apud illos diſplicebunt. *Tom.2. Epiſt.101. cap.4. ad Pammachium de Opt. gen. Interpretandi.*

DVO lapides in ſuperhumerali vel Chriſtũ ſignificant, & Eccleſiam duodecim Apoſtolorũ, qui ad prædicationem miſſi ſunt, nomina conti*Literalis ſenſus eſt gradus ad ſpiritualem.*nentes, vel literam, & ſpiritum, in quibus continẽtur legis vniuerſa myſteria. In dextra ſpiritus, in læua litera eſt, per literas ad verba deſcendim', per verba venimus ad ſenſum. *Tom.3. Epiſt.128. ad Fabiol. Fol.368.*

NEC hoc dico in ſugillationẽ terrę Iudææ, vt *Hiſtoricus ſenſus fundamentum intelligentiæ ſpiritualis.* hæreticus ſycophanta mẽtitur; aut quo auferã hiſtoriæ veritatem, quæ fundamentũ eſt intelligentię ſpiritalis; ſed vt decutiam ſupercilium Iudæorũ, qui ſynagogę anguſtias, Eccleſię latitudini p̃*2 Corint.3. Exod.13.*ferunt. Si.n. occidentem tantum ſequuntur literam, & non ſpiritum viuificantem: oſtendãt terram repromiſſionis lacte & melle manantem. Sin autem per tropologiam dictum putant, pro rerum omnium abundantia, & nos terram confeſſionis terramque viuentium terræ veprium præferemus, dicente Domino ad Moyſen de abiectione Iſraelis, & aſſumptione gentium: Dimit*Exod.32.*te me, vt deleam populum iſtum, & faciam te in gentem magnam. Et eodem patre ad filium: Po*Pſal.2.*ſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuã, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Et apertius per Eſaiam: Parum tibi eſt, vt ſis puer meus ad *Eſai.49.* ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces, vel reliquias Iſrael congregandas. Dedi te in lucem cunctis gẽtibus, vt ſis ſaluator vniuerſæ terræ. *Tom.3. Epiſtola.129. ad Dardanum Fol.371.*

CAETERVM Apoſtolus interminabiles Ge*Tit.1.*nealogias & Iudaicas fabulas prohibens, & de iſtiuſ-

ſtiuſmodi mihi videtur interdicere quæſtionibus, quid .n. prodeſt hærere in litera, & vel ſcriptoris errorem, vel annorum ſeriem calumniari, cum manifeſtiſsimè legatur: Littera occidit, ſpiritus viuificat. *To.3. Epiſt.132. Fol.376.*

*Non hærendum in litera ſed in ſpiritu, 2. Corint. 3.*

*Apoc.11.*

De Enoch autem, & Elia, quos venturos Apocalypſis refert, & eſſe morituros, non eſt iſtius temporis diſputatio: cũ omnis ille liber aut ſpiritualiter intelligendus ſit, vt nos exiſtimamus, aut, ſi carnalem interpretationem ſequimur, Iudaicis fabulis acquieſcendum ſit, vt rurſum ædificetur Hieruſalem, & hoſtiæ offerantur in templo, & ſpirituali cultu imminuto, carnales obtineant cæremoniæ. *Tom.3. Epi.148. ad Mar. Fol.413.*

*Liber Apocalypſeos ſpiritualiter eſt intelligẽdus.*

Qui poſt aduentum Domini Saluatoris Euangelicæ interpretationis ſpiritum derelinqẽs, in Iudaicæ literæ morte requieſcit, iſtius cuncta opera vulnerantur. *To.3. Epiſt.151. ad Algaſiã q̃ſt.2.*

*Pſal 84.*

Post hiſtoriæ veritatem, ſpiritualiter accipienda ſunt omnia, & ſic Iudæa & Hieruſalem, Babylon & Philiſtijm, Moab & Damaſcus, Aegyptus & deſertum mare, Idumæa & Arabia, ac vallis Sion, vel vallis viſionis & ad extremũ Tyrus, & viſio quadrupedum, intelligenda ſunt, vt cuncta quæramus in ſenſu: & in omnibus his, quaſi ſapiens Architectus Paulus Apoſtolus iaciat fundamentum, quod non eſt aliud præter Chriſtum Ieſum. *Tom.4. Proœm. in Eſaiam fac.2.*

*1. Cor. 3.*

Beatvs eſt autem qui ſeminat in eloquijs ſcripturarum tam veteris, quam noui teſtamenti: & calcat aquas occidentis litteræ, vt metat fructũ ſpiritus viuificantis. *T.4. inc.1. Eſa. Fol.2. fac.1.*

Ervnt quaſi terebinthus defluentibus folijs; & velut hortus (ſiue paradiſus) ſine aqua. Vſque hodie Iudęi, legentes ſcripturas ſanctas, terebinthus ſunt: ſiue quercus, vt interpretatus eſt Symmachus. Et iuxta Euangelium: Ficus quæ aruit: in qua cum Dominus poma quæſiſſet, & nõ inueniſſet, æterna ei ariditate maledixit. Sed & ipſa folia & poma verborum nunc apud eas eſſe ceſſarunt: hortus quoque irriguus, id eſt, ſcientia ſcripturarum, ſiue paradiſus diuerſarum arborũ qui abſq; gratia ſpirituali eſt, ne holera quidem affert. *Ibid. Fol.6. fac.2.*

*Iudæi legentes ſcripturas in ſenſu literali aridi ſunt et ſteriles.*

Habent Iudæi panem, ſed abſque fortitudine: habent aquas, ſed abſque robore, legunt enim ſcripturas, ſed non intelligunt: Tenent mẽbranas, & Chriſtum qui in membranis ſcriptus eſt perdiderunt: Lacte enim aluntur, quaſi paruuli & non ſolido cibo. Et quia fortitudinẽ perdiderunt, & infirmi ſunt, propterea olera comedunt. Athletarum autem ſolidus cibus eſt, qui & vitam ſuſtentat humanam, & viuentibus præbet fortitudinem. De iſtiuſmodi pane & aqua ꝗ auferantur à Iudæis, etiam alius propheta teſtatur, dicens: Ecce dies venient, dicit Dominus, & emittam famem ſuper terram: Non famẽ panis, neque ſitim aquę, ſed famem audiendi ſermonis Domini. *Tom.4. lib.1. Co. in ca.3. Eſaiæ. Fol.2. fac.1.*

*Iudæi legũt ſcripturas et non intelligunt.*

*Rom.14.*

*Amos.8.*

In multis teſtimonijs quæ Euangeliſtæ vel Apoſtoli de libris veteribus aſſumpſerunt, curioſius attendendum eſt, non eos verborum ordinẽ ſecutos eſſe, ſed ſenſum. Vnde & in præſẽti loco, pro concipiet in vtero: Matthæus poſuit, in vtero habebit: & pro vocabis, vocabunt. *Tom.4. lib.3. Com. in ca.7 Fol. 8. fac.2.*

*Non verborum ordo ſed ſenſus in ſcripturis ſequendus. Matt 2.*

Liga teſtimonium &c. ] Vox Domini loquentis ad prophetam: Quia (inquit) factus eſt Dñs in lapidẽ offenſionis, & in petrã ſcandali duab. domib. Iſrael, & emiſſum ad ſe Emanuelem ſuſcipere noluerunt. Liga teſtimonia veteris inſtrumenti: & trade illa diſcipulis meis qui euangelium ſuſceperunt: Apoſtolis videlicet ſiue Apoſtolicis viris. Vel certè lex & prophetia vſque ad Ioannem legetur apud eos, & clauſa ſit atque ſignata: vt quod legunt, non intelligant: Pro diſcipulis enim iuxta Hebraici ſermonis ambiguitatẽ poſſumus, & doctrinas interpretari. Vnde ꝓpheta reſpondit: Quia euangelio ſuccedẽte lex apud Iudęos clauſa eſt atq; ſignata: & iubes eã nequaquam Iudæis, ſed gentibus aſsignari: Idcirco ergo expecto Emmanuelem quem ꝓmittis eſſe venturum: de quo ſupra dixit, quod ipſe ſit pauor noſter, & ipſe terror noſter: & nobis ſit in ſãctificationem: & præſtolabor Dñm, qui abſcõdit faciem ſuam à domo Iacob, hoc eſt à Iudæis: quia eum recipere noluerunt. *T.4. l.3. C. in c.8. Eſa.*

*Matt.11.*

*Euangelio ſuccedente lex Iudæis clauſa & gẽtibus aperta.*

Leo quoque non carnes comedet, ſed paleas: quo. ſc. veſcatur cibo ſimplici. Et hic obſeruandum, ꝙ non bos carnes, ſed leo paleas comedat. Paleas puto in ſcripturis ſanctis verba ſimplicia intelligi: triticũ autem, & interiorem medullã, ſenſum qui inuenitur in littera: & frequenter euenit, vt homines ſęculi, myſtica neſcientes, ſimplici ſcripturarum lectione paſcantur. *To.4. li.4. Com. in cap.11. Eſaiæ Fol.42.*

Prvdens & Chriſtianus lector hanc habeat repromiſsionum prophetalium regulã: vt quæ Iudęi & noſtri, immo nõ noſtri, Iudaizantes, carnaliter futura contendunt, nos ſpiritualiter iam tranſacta doceamus: ne per occaſionem iſtiuſmodi fabularum, & inextricabilium, iuxta Apoſtolum quæſtionum, Iudaizare cogamur. *Tom.4. lib. 4. cap.11. Com. Eſaiæ. Fol.43.*

*Inſignis regula repromiſsionum prophetaliũ.*

Corripit ſe propheta, imo ſub pſona ſua aliorum confitetur errorem, qui ſequentes occidentem litteram, contemnunt ſpiritum viuificantem, & iniquè feciſſe ſe dicit, vt non audiret legem ſpiritualiter, ſed econtrario feſtinaret Dei ſacramenta non cernere: nec diceret cum Dauid: Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Iccirco errat cor eius & Iudaica ſuperſtitione completum, nõ in charitate Dei, ſed in timore conſiſtit, vt habeat ſpiritum ſeruitutis in timore: & nequaquã ſpiritum adoptionis, in quo clamamus, abba pater. Vnde præcipitur ei, vt accedat ad menſam ciborum ſpiritualium, comedantq; omnes in ea qui illius ſequuntur exemplum, & bibant: & veteri errore contempto, cõſurgant in ſpiritu, qui iacebant in littera, & fiant principes dicantque cum propheta: Domine, vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos. *Tom.4. lib.7. Com. in cap.21. Eſaiæ. Fol.82.*

*Pſal.118.*

*Rom.8.*

*Pſal.5.*

Scitote ergo ô ſcribæ & phariſæi, qui eſtis principes Iudæorum, quod reddat vobis Dominus viciſsitudinem veſtram. Vos enim audientes Dominum Saluatorem, intelligere noluiſtis, & clauſiſtis oculos veſtros, ne cum videretis: & aures aggrauaſtis, ne audiretis. Ideo & ille claudet oculos veſtros, qui ſunt prophetæ, per quos Dei ſcientiã videbatis. Siue veſtros oculos claudet, & prophetarum, qui ſunt principes veſtri. Lex enim & prophetæ vſque ad Ioannem Baptiſtam: vt vobis non videntibus, illi videant, de quibus inferior ſermo teſtatur: Et audiẽt in die illo ſurdi verba libri ſignati: & oculi cæcorum videbũt.

*Luc.16. Ioan 9.*





In iudicium enim venit Dominus, vt videntes Iudæi non videant: & qui cæci erant, populus. ſ. nationum, videant & Dominum contemplentur. Vnde ſignificanter non dixit, quod viſio omnium prophetarum ſignata ſit cunctis legentibus, ſed vobis, inquit, erit ſignata, quibus nunc loquor, quibus hæc futura prænuncio: ſiue oculos principum veſtrorum, qui ſe iuxta LXX. abſcondita & arcana videre iactabant, claudet in perpetuum: eritque, ait, vobis omnis ſcriptura ſancta clauſa, atque ſignata, vt vos qui legitis litteras, & prophetarum vaticinia noſſe vos exiſtimatis, & diebus ac noctibus volumina ſcripturarum indefeſſo ore meditamini, non intelligatis quod legitis, ſicut in Apocalypſi Ioannis ſcribitur: Quis eſt dignus aperire librum & ſoluere ſignacula eius? Cumq; nullus fuiſſet inuentus qui aperiret ſignacula, fleſſe ſe dicit: & Dei tandem ad ſe meruiſſe ſermonem. Noli flere, ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid, vt aperiat librũ, & ſoluat ſignacula eius. Leo autẽ de tribu Iuda, Dominus Ieſus Chriſtus eſt, qui ſoluit ſignacula libri, nõ propriè vnius, vt multi putant, pſalmorum Dauid: ſed omnium ſcripturarum, quæ vno ſcriptæ ſunt ſpiritu ſancto: & propterea vnus liber appellatur. De quo Ezechiel myſtico ſermone teſtatur, quod ſcriptus fuerit intꝰ & foris, in ſenſu & in litera. De quo & Saluator loquitur in Pſalmis. In capitulo libri ſcriptum eſt de me: non Hieremiæ, non Eſaiæ. ſed in omni ſcriptura ſancta, quæ vnus liber apppellatur. Magiſtris igitur Iudæorum vſque in præſentem diem nequeuntibus legere, & aperire ſignacula, & myſteria pandere ſcripturarum; ſi dederis eum librũ indocto populo, qui à ſuis præceptoribus deuoratur, fatebuntur neſcire ſe litteras; & iccirco legere non poſſe. Atque è duobus malis multo leuius eſt legis imperitiam confiteri, quam iactare prudentiã, & non poſſe ſcire quod dicitur. *T.4. l. 9. Com. in cap. 29. Eſaiæ.*

*Prophetarũ libri clauſi et ſignati ſũt Iudæis, & gentibus reſerati.*

*Apoc.5.*

*Tota ſcriptura vnus liber quia vno ſpiritu edita. Ezech.2. Pſal 39.*

Nonne adhuc in modico & in breui, &cæt.] Reſpondeant Iudæi & amici ſimplicis tantũ hiſtoriæ; qui fructus non quærunt in arbore, ſed folia tantum vmbramque verborum, quæ cito areſcit & deperit: quomodo in aduentu Domini Saluatoris (quia à temporibus Eſaię vſque ad diſpenſationem carnis aſſumptæ, pro comparatione æternitatis breue & modicum temporis ſpacium eſt: Libanus mons Phænices verſus ſit, atque tranſlatus in montem Carmelum, qui Hebraicè Charmel כרמל dicitur. Et eſt in confinio Paleſtinæ atque Phænices Ptolemaidi imminens, licet & alius in ſcripturis ſanctis mons Carmelus appelletur, in quo fuit Nabal Carmelius, homo ſtultus & iniquus, qui vxorem habuit Abigail, q̃ mortuo viro nupſit Dauid: illo enim viuente, virum Dauid accipere non poterat: ne vocaretur adultera, ſi foret altri viro ſociata: & quòmodo Charmel in ſaltum & in fructuoſa ligna reputetur; Quod cum dicere non potuerint: audiant Libanum qui interpretatur dealbatio, referri ad populum gentium, qui lotus in Domino & purgatus ſordibus priſtinis totus aſcendẽs, ſub Eccleſiæ perſona innititur Saluatori. *To.4. lib.9. C. in cap.29. Eſaiæ Fol.108. fac.2.*

*Qui literam tantũ ſequuntur, fructꝰ nõ quærunt in arbore ſed folia tantum vmbramque verborum.*

*1. Reg 25. Ioan.6.*

*Matt.15.*

*Per paleas literæ ad hordeum ſpiritꝰ tranſire & proficere debemus.*

Salvator quoque quinque millia virorũ, qui adhuc ſenſibus corporis ſeruiebant, & legem ſequebantur Moyſi, hordeacijs panibus ſaturauerat: Qui in alio loco frangens ſeptem legis panes, & in fruſta comminuens: quattuor millia viros repleuit triticeis panibus: qui euangelicum numerum ſequebantur. Iſtiuſmodi populi comedunt, ex partem palearum, dum in quibuſdã ſequuntur litteram: & tamen per paleas & hordeum paulatim proficiunt, vt tranſeant ad frumentum. *To.4. lib.9 Co. in cap 30. Eſaiæ. Fol.113. fac.2.*

Omnia quoque ligna agri plaudent manũ, ſiue ramis, quæ plãtata ſunt ſecus decurſus aquarum: quę fructum ſuum dabunt in tempore, ſuo: & folium eorum non defluet. De quibus vnum lignum loquebatur in Pſalmo: Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Domini. Interrogemꝰ eos qui ſimplicem tantum ſequuntur hiſtoriam, & elixas carnes, agni comedunt. Vtrũ ligna plaudant ramis, & concrepent manu, & illud quod de fluminibus dicitur: Flumina plaudent manu, quo ſenſu accipiendum ſit. *Tom.4. lib.15. Com. in cap.55. Eſaiæ. Fol.181.*

*Pſal.1. Hyperbole.*

*Pſal.51.*

*Exod.12.*

*Pſal.97.*

Me etenim de die in diem quærunt &c.] Hoc propriè Iudęis cõuenit, qui per ſingulos dies currunt ad ſynagogas, & Dei legẽ meditantur, ſcire cupientes, quid Abraham, Iſaac & Iacob, quid & cæteri ſanctorum fecerint: & libros prophetarũ, ac Moyſi memoriter reuoluentes decantãt mandata: quibus rectiſsimè illud aptabitur: Quęrent me mali, & nõ inuenient. Sic enim ſcriptum eſt: Omnis qui quærit inuenit: quicunque non inuenit, malè quæſiſſe conuincitur. Dominus .n. inuenitur ab his qui eum quærunt in bonitate, & oſtenditur illis, qui non ſunt ei increduli. Cum igitur iuſtitiam, iudiciumque reliquerint Dei, quibus nominibus Chriſtus oſtenditur, dicente Pſalmographo: Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam filio regis: Chriſtus enim factus eſt nobis redemptio, ſanctitas, & iuſtitia: fruſtra legis iactant ſcientiã, cum ſanctus non in notitia ſcripturarum, ſed in operibus glorietur dicens: Viã mandatorum tuorum cucurri, quando dilataſti cor meum. *To.4. l.16. Co. in c.58. Eſaiæ. Fol.190 fac.1.*

*Iudæi qui Chriſtum relinquũt, quærũt in ſcripturis multa, et nihil inueniunt.*

*Hier.29. Matt.7.*

*Sap.1.*

*Pſal.71. 1. Cor.1.*

Elongatvm eſt iudicium à Iudæis, quod gentibus nunciatum eſt. Et non apprehendit eos iuſtitia, quæ à nationibus comprẹhenſa eſt. Expectauerunt lucem, dicentes: Emitte lucem tuam & veritatem tuam: quæ eis per prophetas fuerat repromiſſa, & erroris tenebris occupati ſunt. Suſtinebant ſplendorem, & ambulauerunt in tenebris: Ita ſcripturas ſanctas, quaſi cæci palpantes parietem: verba tantum in eis & folia, nõ ſenſum fructumque quærentes, quæ tenetur in litteris. Denique iungit & dicit: Impegimus ſiue cademꝰ meridie, quaſi in tenebris; in caliginoſis, quaſi mortui. In toto enim orbe, ſole iuſtitiæ ſplendore rutilante, illi morantur in tenebris: videlicet vt peccato mortui. Rugemus, ait, quaſi vrſi omnes, & quaſi columbę meditantes gememus: vt & crudeles ſint pariter & miſeri: feri & immanes ad humiles atque ſubiectos: pauidi atq; trepidãtes, ad eos q fortiores ſunt: quos quaſi accipitres perhorreſcunt. Legimus & in alio loco: Quaſi vrſa raptis catulis. Et in Daniele, regnum cruẽtum in cuius ore tres ſunt ordines dentium, vrſæ ferociſsimæ comparatum. Et quaſi columbæ meditantes gememus, abſque ſenſu & intelligentia ſcripturarum, tantum verba meditantes, quæ decantãt memoriter. *Tom.4. lib.16. Comme. in cap.69. Eſaiæ. Fol.196. fac.1.*

*Pſal 42.*

*Iudæi vt cæci legunt ſcripturas verba in eis & folia tantum non ſenſum & fructum quærentes.*

*2. Reg.17. Dan.7.*

*1. Cor. 2.*

A SECVLO non, &c. ] Paraphraſin huius teſtimonij, quaſi Hebræus ex hebræis, aſſumit Apoſtolus Paulus de authenticis libris in epiſtola quam ſcribit ad Corinthios: non verbum ex verbo reddens ꝙ facere omnino contēnit: ſed ſenſuum exprimens veritatem, quibus vtitur ad id ꝙ voluerit roborandum. *Tom. 4. lib. 17. Com. in ca. 64. Eſai. Fol. 212. fac. 1.*

INTERROGEMVS in hoc loco Iudæos, & oēs qui ſub nomine Chriſtiano adhuc paleas comedunt ſcripturarum, quæ vētilabro Domini à tritico ſeparatæ, vento tradentur & flammis, quæ beatitudo ſit exiſtimanda, vt in mille annorum regno in Sion monte ciuitate Chriſti præſentis Hieruſalem, & in templo auguſtiſsimo, lupi & agni, leones & boues, ſerpentes & homines ſimul comedant, pariterque commorentur? & hi tantū innoxij ſint, qui in monte ſancto Domini habitauerint. *T. 4. lib. 18. C. in cap. 65. Eſaiæ. Fol. 221 fac. 1.*

IPSI autem confundentur: ſubauditur qui loquuntur talia, qui non intelligunt myſteria ſcripturarum; maliſque ſuis ſentient eius potentiam quæ pro humilitate contempſerant. *Tom. 4. lib. 18. Com. in ca. 66. Eſaiæ Fol. 223. fac. 1.*

QVODQVE ſequitur: Circuncidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum, nulli alij præcipitur niſi viro Iuda, & habitatoribus Hieruſalem, vt deſerant occidentem litteram, & ſequantur ſpiritū viuificantē. *To. 4. li. 1. C. in cap. 4. Eſaiæ. Fol. 239. fac. 1.*

*Matt. 27.*

FILII patrum ſequūtur blaſphemias, & quotidie recipiunt illam imprecationē: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros: & non ſolum ipſi, ſed & vicini & proximi eorum, omnes qui legem & prophetas ſequuntur iuxta occidentem litteram, & non iuxta ſpiritum viuificantem: & omnes pariter peribunt; qui oēs pariter peccauerunt. *Tom. 4. lib. 2. Co. in cap. 6. Eſaiæ. Fol. 246 fac. 2.*

DICAMVS Iudæis & noſtris Iudaizantibus, qui ſimplicem tantum, & occidentem ſequuntur hiſtoriam: niſi audieritis abſcondite, hoc eſt, in myſterio, ſiue in tenebris, quas poſuit Deus latibulum ſuum; & iuxta Salomonem, vt intelligant parabolam & tenebroſum ſermonem, plorabit anima prophetæ, ſiue ipſorum à facie ſuperbiæ: dum per contumaciam reſiſtunt Deo, vnde & fletus erit iugis lacrymæq; perpetuæ: eo quod à vero Nabuchodonoſor captus ſit grex Dñi, atque corruptus. *To. 4. l. 3. C. in c. 13. Hie. Fol. 306 fac. 1.*

*Pſal. 17. Prouerb. 1. Sec. 70.*

*1. Cor. 10. Quicquid populo Iſraël carnaliter repromittitur id in Chriſtianis ſpiritualiter completum eſt.*

NOS autem ſequentes auctoritatem Apoſtolorum & Euangeliſtarum, & maximè Apoſtoli Pauli: quidquid populo Iſrael carnaliter repromittitur, in nobis ſpiritualiter completum eſſe, monſtramus hodieque compleri; nec inter Iudæos & Chriſtianos vllam aliud eſſe certamen, niſi hoc, vt cum illi noſque credamus Chriſtum Dei filium repromiſſum, & ea quæ ſunt futura ſub Chriſto, à nobis expleta, ab illis explenda dicantur. Qui igitur Chriſtū veniſſe iam credimus: neceſſe eſt vt ea quę ſub Chriſti futura dicuntur, expleta doceamus: Noſq; eſſe filios Abraham, de quibus ſcriptum eſt: Potens eſt Deus de lapidib. iſtis ſuſcitare filios Abrahā, ad quē facta eſt repromiſſio: Et in ſemine tuo benedicētur oēs gentes. Quā benedictionem vas electionis in Chriſto expletam docens: non dixit, inquit, in ſeminibus, ſed in ſemine, qui eſt Chriſtus. *T. 4 l. 6. C. in Proœ. Hier.*

*Matt. 3. Gen 22.*

*Pſal. 18.*

PLENVS eſt præceptorum & iuſtificationum cēteſimus octauus decimus Pſalm. & ex parte octauus decimus, in quo ſcriptum eſt. Iuſtitię Domini rectæ, lætificantes corda: & præceptū Domini lucidum, illuminanſque oculos. In quo q̄ritur, quomodo in hoc eodem propheta dixerit Deus: Dedi eis iuſtificationes non bonas in quibus non viuant in eis. Faciliſque reſponſio eſt, & plenior in conſequentibus: nō viuere Iudæos ſequentes occidentem litteram, & viuere Chriſtianos intelligentes ſpiritum viuificantē. *To. 4. l. 6. Com. in cap. 18. Ezech. Fol. 384. fac. 2.*

*Chriſtiani viuunt & Iudæi mortui ſunt male intelligentes ſcripturas.*

ET facite vobis cor nouum & ſpiritū nouum, &c. ] Vt vetuſtatem litteræ deſerentes viuatis in nouitate ſpiritus. *T. 4 l. 6. C. in c. 18. Eze. fol. 387. fa. 1.*

HIS numeris oſtenditur, quod de mūdo hæc & de terrenis ſenſibus & de duarum decadarum numero, qui refertur ad viginti, non ſolū in ſancta ſanctorū, ſed & in cœnacula eorū mereamur aſcendere: & ſemper habere in memoria, quod per ſex dies conditionis noſtræ, & per quinq; ſēſus, & per viginti cubita latitudinis aſcenderimus ad cœnaculum templi, & terrenam humilitatē, ſenſumq; litteræ relinquētes, tranſierimus ad ſūmitatem Eccleſiæ, ſpirituſque ſancti conſortio gaudeamus. *T. 4. li. 13. C. in c. 41. Eze. Fol. 463 fac. 2.*

NE in conſecratione ſpiritalis altaris, & propriè ad Eccleſiā pertinentis, lex & prophetæ viderentur excluſi: propterea cōſecrato altari, vitulus immaculatus aſſumitur & aries, & offertur in conſpectu Domini: & filij Sadoch, hoc eſt, iuſtorum ſacerdotes aſpergūt ſuper capita eorum ſal, vt & lex & prophetę ſapore Euangelij condiantur. Nec vllum eſt ſacrificium iuxta legis imperium, & interpretationē Apoſtoli, qui ait: Sermo veſter ſit ſale conditus, quod ſale careat. Vtrumq; autem offertur holocauſtum Domino, vt corpus pinguis litterę (quod ſignificatur in lege: & prophetiæ nubilum, igne Domini, hoc eſt, ſpiritu ſancto, de quo dicit Paulus: Spiritu ſeruētes) in ſpiritualem & tenuem ſubſtantiam conuertantur *T. 4. l. 13. C. in ca. 43. Ezec. Fol. 472 fac. 2.*

*Lex & prophetæ ſapore Euangelij condiendi. Leui. 2. Col. 4.*

ISTA eſt aqua de qua dicit Oſee. Cōtempſit me Galaad ciuitas, quæ operatur vnitates, conturbās aquam: & fortitudo eius viri piratæ. Quæ aqua alio nomine vocatur Marah, hoc eſt, amaritudo: in qua lignū crucis mittitur: & amara vertuntur in dulcia. Conſidera legem Moyſi ſi intelligatur iuxta ſenſū carneum Iudæorum, quomodo amara ſit, effodiens oculum pro oculo, dentem pro dente: Iudæ in Thamar fornicationem, & Oſee iunctum fornicariæ. Hier. περίζωμα, Moyſi vxorem Aethiopiſſam, & interfectionē Aegyptij, & mille alia: quæ ſi intelligamus iuxta occidentem litteram, & non iuxta ſpiritum viuificantem, amara ſunt, & lectorem ſuum non tam ædificant, quam deſtruunt. *Tom. 4. lib. 14. Com. in c. 47. Ezech. Fol. 478 fac. 1.*

*Oſee. 6. Sec. 70. Lignum crucis miſſum in aquam literalis ſenſus vertit amara in dulcia. Exod. 15.*

*Gene. 38. Oſee. 1. Hier. 13. Num 12. Exod. 2.*

ISTE eſt Deus qui etiam diem vertit in tenebras: eorum diem qui dixerunt: crucifige, crucifige eum: auſer de terra talem: quando ab hora ſexta, in typum Iudaicæ cæcitatis, dies in noctē verſus eſt. Et non ſolum ſecundum litteram, ſed etiam ſecundum altiorem intelligentiam, lux quę eis oriebatur in lege & prophetas, verſa eſt in tenebras, ignorantibus quid legant, quid audiant, vt impleatur de illis ꝙ ſcriptū eſt. Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorū ſemper incurua. *To. 5. lib. 2. Com. in c. 5. Amos. Fol. 108. fac. 2.*

*Ioan. 19. Cæcitas Iudæorum in ſcripturis.*





*Diſsimilitudo philoſophiæ, Oratoriæ & ſcripturæ diuinæ.*

DOCET breuitati ſtudendum, & ſenſum magis ſectandum eſſe quam verba, aduerſus philoſophos & ſæculi huius doctores, qui ſuorum dogmatum falſitates conantur aſſerere varietate ac multitudine ſermonum. Econtra ſcriptura diuina, breui circulo coarctata eſt, & quantum dilatatur in ſenſibus, tantum in ſermone conſtringitur. Quia conſumatum breuiatumq; ſermonem fecit Deus ſuper terram: & verbum eius iuxta eſt in ore noſtro & in corde noſtro. *To. 5. Com. in cap. 12. Eccleſiaſtis. Fol. 33. fac. 1.*

*Rom. 9.*

VIAS Domini eſſe cognoſcimus lectionē veteris & noui teſtamenti, & ſanctarum intelligētiam ſcripturarum. In his vijs qui ambulat, niſi conuertatur ad Dominum, & ablatum ab eo fuerit velamen, quod erat ante oculos Moyſi, rectū iter inuenire non poterit. Sin autem dixerit cum Dauid: Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua, ambulabit in eis, & Chriſtum inueniet, & Iudæos atque hæreticos (quos vel præuaricatores vel impios ſcriptura nunc nominat) offendere in eis, & infirmari atque corruere ſentiet, iuxta illud quod ſcriptum eſt. Ecce iſte poſitus eſt in ruinam, & reſurrectionem multorum in Iſrael. *To. 5. lib. 2. Com. in cap. 14. Oſeæ.*

*Pſal. 118. Iudæi & hæretici in vijs Domini. i. ſcripturis corruunt. Luc. 2.*

ET hoc in omnibus ſcripturis ſanctis obſeruādum eſt Apoſtolos & Apoſtolicos viros in ponēdis teſtimonijs de veteri teſtamento, non verba conſiderare, ſed ſenſum: nec eadē ſermonum calcare veſtigia, dūmodo à ſententijs non recedāt. *Tom 5. lib. 2. Co. in ca. 5. Amos. Fol. 112 fac. 2.*

ET in omni loco proiectum eſt ſilentium, habentibus Iudæis Moyſen & prophetas & non habentibus verbū Dei: legentibus litteram & perdentibus ſpiritum, quando facta eſt menſa eorū in laqueū, & in retributionem & ruinam: & excæcati ſunt oculi eorum, vt non viderent, & obduratæ ſunt aures eorū vt non audirēt, & incuruatū eſt dorſum eorum ne cælum ſuſpicerent: ſed cū euangelica illa muliere, quæ habebat ſpiritū infirmitatis, ſemper terræ incumberēt, & effuſa eſt ſuper eos ira Dei, & furor iræ eius comprehendit illos, ita vt fieret habitatio eorū deſerta, & in tabernaculis eorum non eſſet habitator: quando completū eſt: Ecce dies veniunt dicit Dominus, & emittam famem ſuper terrā: non famem panis neque ſitim aquæ, ſed famem audiendi verbum Domini, de quo in poſterioribus, ſi peruenerimus ad calcem, plenius differendum eſt. Nos ergo cernentes, quia Deus naturalibus ramis non pepercit, timeamus eadem perpeti, & aucupis laqueos declinemus, dicamuſq; ad Dominum: Ne taceas, neque compeſcaris Deus, ne ſileas à me & aſsimilabor deſcendētibus in lacū. In toto orbe terrarum proiectum ſit ſilentium Iudæorum: vbicunque fuerint, muſſitant potius quam loquūtur, & cum blaſphemia eorum contra Dominū ſaluatorem ad cælum vſque perueniat, omnis interpretatio ſcripturarum muta eſt & ſilens & aures non penetrat audientium. *To. 5. lib. 3. Com. in ca. 7. Amos. Fol 120. fac. 2.*

*Eſaiæ. 6.*

*Matt. 7.*

*Pſal. 68.*

*Rom. 11. Pſal. 27.*

*Interpretatio ſcripturarū Iudaica eſt muta. Spiritualis fames & ſitis quoad animas Iudæorum.*

VETVS narrat hiſtoria, tam latina quam græca, & omnium gentium barbararum, nihil fame durius, quæ ſæpe compellit obſeſſos humanis veſci carnibus, & in ſuam ſęuire naturam: ita vt nec parentes paruulis parcant liberis, & maritalis affectus dudum amatæ vxoris, membra dilaceret. Si hoc fecit fames corporum, quid de fame dicendum eſt animarū? quæ in die reſurrectionis Domini oppreſſit populum Iudæorum, & iuncta fami ardentiſſima ſitis, non habentium panem qui de cælo deſcendit, & eas aquas quæ de Ieſu ventre manarunt. Ablata eſt ab eis lex, & prophetæ æterno conticuere ſilentio: mouentur à mari vſque ad mare, & ab Oceano Britannico, vſque ad Oceanum Atlanticum, id eſt, ab occidente ad meridiem, & ab Aquilone vſque ad Orientem, toto orbe peregrini, verbum Dei non valēt inuenire. In quo loco interrogabimus Iudæos, quam illam diem ſignificari putent, in qua ſuſtineant famem audiendi verbum: præſertim cū legant ſcripturas, & humilitatem ſequantur litteræ? Quibus ingerimus, famem eſſe prędictam intelligentiæ ſpiritualis, in qua Chriſtus cernitur, paſsio Domini & reſurrectio reperitur: *To. 5. lib. 3. Com. in cap 8. Amos. Fol. 121. fac. 2.*

*Ioan. 1.*

ET tu Bethleem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, &cæt. ] In Euangelio ſecundum Matthæum, cum Magi de Oriente veniſſent, & Herodes à ſcribis quæreret, vbi nam Chriſtus Dominus naſceretur, reſpondiſſe, narrantur: In Bethleem terra Iuda: qui prophetæ teſtimoniū addentes, dixerūt: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in ducibus Iuda, ex te enim egredietur dux, qui regat populum meum Iſrael. Quod teſtimonium, nec Hebraico, nec Septuaginta interpretibus conuenire, me quoque tacente perſpicuum eſt: & arbitror Matthæum, volētem arguere ſcribarū & ſacerdotum, erga diuinæ ſcripturæ lectionem, negligentiam, ſic etiam poſuiſſe, vt ab eis dictum eſt. Sunt autem qui afferant in omnibus penè teſtimonijs, quæ de veteri teſtamento ſumuntur, iſtiuſmodi eſſe errorem, vt aut ordo mutetur, aut verba, & interdū ſenſus quoque ipſe diuerſus ſit, vel Apoſtolis, vel euangeliſtis non ex libro carpētibus teſtimonia, ſed memoriæ credentibus, quæ nonnunquam fallitur. *Tom. 6. Com. in cap. 5. Micheæ. Fol. 159 fac. 1.*

*Matt. 2.*

CONSIDERA populos Eccleſiæ, quæ habitat ſuper omnes prophetas, & habet doctores in circuitu ſuo: quorum de ventre manāt flumina, cuius initiū eſt mare: A lectione quippè legis, quæ ſine ligno Chriſti amara eſt, in ſimilitudinem myrrhæ ad eius myſterium peruenitur, quæ habet Aethiopiam in fortitudine: Aetiopia quippe præueniet manus eius Deo; & Aegyptum in quā Dñs venit in nube leui: & Libyes qui ante habitabāt in arentibus, & poſtea facti ſunt in auxilio eius. Et hæc ergo, ſi non ſe attenderit, & omni diligentia cuſtodierit cor ſuum, captiua ducetur, & plāget filios ſuos. *To. 5. Co. in ca. 3. Nah. Fol. 181. fac. 1.*

*Lectio legis ſine ligno crucis Chriſti amara eſt.*

*Pſal. 67. Eſaiæ 19.*

*Leui. 11.*

CERTE orientale mare, & mare nouiſsimum intelligamus vetus teſtamētum & nouum, quod niſi flumine Saluatoris, & ſpirituali eius intelligentia fuerit dulcoratum, amariſsimum eſt, occidente littera & ſpiritu viuificante. *Tom. 5. lib. 3. Co. in cap. 14. Zachariæ Fol. 279 fac. 2.*

RECTIVS autem camelus dici poteſt populus Iudæorum, qui & ipſe legem Dei meditatur, & eam ruminat, & voluit in pectore, ſed non diuidat vngulā, vt credat in patrem & in filium, & in eo immundus eſt, quod nequaquā ſeparat litteram à ſpiritu, vmbram à veritate, & portat legis onera, *Tom. 5. lib. 3. Co. in cap. 14. Zachariæ. Fol. 272. fac. 1.*

*Populus Iudæorum cur Camelo comparetur.*

Et veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth &cæt. ]Si fixum de ſcripturis poſuiſſet exemplum, nunquam diceret, quod dictũ eſt per prophetas, ſed ſimpliciter quod dictum eſt ꝑ prophetã: nunc autem pluraliter prophetas vocans, oſtendit ſe non verba de ſcripturis ſumpſiſſe, ſed ſenſum. Nazaræus ſanctus interpretatur. Sanctum autem Dominum futurum, omnis ſcriptura commemorat. Poſſumus & aliter dicere, quod etiam eiſdem verbis iuxta Hebraicam veritatem in Eſaia ſcriptum eſt: Exiet virga de radice Ieſſæ & Nazaræus de radice eius conſcendet. *Tom.6.Com.in cap.2. Matt.*

*Num.6.*

Qvi recipit prophetam in nomine prophetę, &c.] Qui prophetã recipit vt prophetam, & intelligit eum de futuris loquentem, hic mercedẽ prophetæ accipiet. Igitur Iudæi carnaliter prophetas intelligentes, mercedem prophetarum nõ accipient. *To.6.lib.11.Comment. in cap.10.Matthæi. Can.18.fac.1.*

*Iudæi carnaliter non ſpiritualiter intelligunt prophetas.*

Dvo vbera habere dicuntur, quia litteram & ſenſum habent: Sed ipſi, id eſt, Iudæi, vna vbera ſuſceperunt, hoc eſt, quia litteram legis tantũmodo obſeruant. *Tom.7 Co.in Pſal.21.Fol. 5.fac.1.*

Post diapſalma, iterat ſententiam, quia inimici famem patientur vt canes: dum legis literã cum circunciſione carnali, & ſacrificia de nece pecudum proſequuntur. Sed quia in peregrinatione hæc celebrant, nec ab his reficiuntur ſpiritualiter, murmurant contra Deum. *To.7.Com.in Pſal. 58.Fol.72.fac.1.*

Et reuelata ſunt fundamenta orbis terræ.] Prophetę atque Apoſtoli, ſuper quos omniũ Eccleſiarum fundamenta locantur. Reuelata ſunt fundamenta orbis terræ ſecundum hiſtoriam: quando in paſsione velum templi ſciſſum eſt deſurſum vſque deorſum & illa quæ in templo erant, apparuerunt. Et ad ſenſum de litera ſenſus ſpiritualis: quia quod ibidem latebat in figura, omnibus patuit per myſteria. *To.7.Co.in Pſal.17.*

*Quod in veteri teſtamento latebat in figura, omnibus in nouo patet per myſteria.*

Et exiens vidit turbam magnã.] In Euangelicis ſermonibus ſemper iunctus eſt literæ ſpiritus, & quicquid primo frigere videtur aſpectu, ſi tetigeris, calet. *To.6.lib. . .Com in cap.14.Matthæi. Canone.28.*

Acceptis quinque panibus.] Quinque panes & duos piſciculos ſumpſit in manus & fregit eos, tradiditque diſcipulis. frangente Domino ſeminarium fit ciborum. Si enim fuiſſent integri & non in fruſta diſcerpti nec diuiſi in multiplicem ſegetem, turbas, & pueros, & fęminas, & tantam multitudinem alere non poterant. frangitur ergo lex cum prophetis, & in fuſta diſcerpitur, & eius in medium myſteria proferũtur: vt quod integrum & permanens in ſtatu priſtino non alebat, diuiſum in partes alat gentium multitudinem. *Tom 6.lib.2.Com.in cap.14. Matthæi. vt ſup. ibid.*

*Lex frangitur & in fruſta diſcerpitur per ſenſum myſticũ*

Exinde cœpit Ieſus oſtendere diſcipulis. ] Nunc Ieſus multa patitur ab his qui rurſum crucifigunt ſibi filium Dei, & cum ſeniores putẽtur in Eccleſia, & principes ſacerdotum, ſimplicem ſequentes literam, occidunt filium Dei; qui totus ſentitur in ſpiritu. *Tom.6.lib.3.Com.in ca, ut.16. Matt.cano.33.*

*Qui neglecto ſpiritu ſequũtur literam occidunt filium Dei.*

Ideo dico vobis quia auferetur à vobis verbum Dei.] Aliquoties dixi regnum Dei ſcripturas ſanctas intelligi, quas Dominus abſtulit à Iudæis, & nobis tradidit, vt faciamus fructus earũ Iſta eſt vinea, quæ traditur agricolis & vinitoribus: in qua qui operati non fuerint, nomen tantum habẽtes ſcripturarum, fructus vineæ perdituri ſunt. *Tom.6.lib.3.Com.in cap.21.Matt.Cano.46.*

*Iudæi nomẽ tantum ſcripturæ ſacræ habent non rem ipſam.*

Tvnc duo erunt in agro ] In duobus, qui in agro commorãtur, & in duabus quę pariter molunt: vel ſynagogam intellige vel Eccleſiã: quod ſimul molere videantur in lege, & de eiſdẽ ſcripturis farinam terere præceptorum Dei: vel cæteras hæreſes, quæ de vtroque teſtamento vel altero videntur molere farinam doctrinarum ſuarum: & cum vnum propoſitum nominis Chriſtiani habeant, non eandem mercedem recipiẽt, alijs aſſumptis & alijs derelictis. *To.6. lib.4. Com. in cap.24.Matthæi.Cano.54.*

*Synagoga et Eccleſia de eiſdem ſcripturis & hæretici & catholici farinam terunt præceptorum Dei ſed diuerſimodè.*

Tvnc ſimile erit regnum cœlorum decem virginibus. ] Sicut duo in agro & duæ molentes duos ſignificant populos, Chriſtianorum & Iudæorum ſiue ſanctorum & peccatorum, qui in Eccleſia conſtituti videntur quidem et ipſi arare & molere, ſed cuncta in hypocryſi faciunt: ſic & nunc decem virgines omnes homines complectuntur, qui videntur Deo credere, & ſibi in ſcripturis ſanctis applaudunt, tam Eccleſiaſticos Iudæos quam hæreticos. *Tom.6.lib.4.Com.in cap. 25. Matt.Canone.55.*

*Omnes ſibi in ſcripturis applaudunt.*

Et fecerunt diſcipuli.] Videtur mihi cœnaculum lex ſpiritualis intelligi, quæ de anguſtijs literæ egrediens in ſublimi loco recipit Saluatorem: Paulo idipſum loquente, ꝙ ea quę ante pro lucro reputabat, quaſi purgamenta quiſquiliaſq; contempſerit vt dignum Domino hoſpitiũ præpararet. *Tomo 6.lib.4 .Commentar.in cap.26.Matthæi. Canone.58.*

*Philip 3.e. Lex veterum cerimonialis quiſquilijs comparatur.*

Tvnc impletum quod dictum per Hieremiam prophetam. ]Mihi videtur hoc teſtimonium de Zacharia ſumptum, Euangeliſtarum & Apoſtolorum more vulgato: qui verborum ordine prætermiſſo, ſenſus tantum de vteri teſtamento poſuerunt in exemplum. *Tom.6.libr.4.Co. in cap.27.Matt.Cano.62.*

*Zach.1.ca. Apoſtoli & Euangeliſtæ allegant vetus teſtamentum iuxta ſenſum non iuxta literã & verba.*

Miror quòd ſic tam citò transferimini. ] Tranſlati, inquit, eſtis in aliud Euangelium: quod non eſt aliud: quia omne quod falſum eſt non ſubſiſtit, & quod veritati contrarium eſt, non eſt: vt illud: Ne tradas Domine ſceptrum tuum, his qui non ſunt. Et ea quæ non erant, vocauit Deus, vt faceret eſſe quod non erat. Si autem hoc de his, qui in eundem credebant Deum, & eaſdem ſcripturas habebant, dicitur quod ſint translati in aliud Euangelium, quod non eſt Euangelium: quid de Marcione & cæteris hæreticis, qui conditorem reſpuunt, & alterius Dei Chriſtum ſimulant, æſtimare debemus? Qui non in interpretatione legis & literæ pugna vel ſpiritus labuntur & corruunt: ſed de toto Eccleſiæ iure diſcordant. Pulchrè autem ait: Niſi ſi ſunt aliqui qui vos conturbant & volunt conuertere Euangelium Chriſti Volunt, inquit, Euangelium Chriſti mutare, conuertere, turbare: ſed non valent. Quia huius naturæ eſt quod non poſsit aliud eſſe, quàm verum eſt. Omnis qui Euangelium alio interpretatur ſpiritu & mente quam ſcriptum eſt, credentes turbat & conuertit Euangelium Chriſti: vt id quod in facie eſt poſt tergum faciat, & ea quæ poſt tergum ſunt, vertat in faciẽ: Si quis tantũ literam ſequitur, poſteriora ponit in faciẽ. Si quis Iudæorũ interptationibus

*Heſter.14.c.*

*Qui eaſdem ſcripturas habent tranſferuntur in aliud Euangelium ob diuerſitatem ſenſus.*

*Aurea γνώμη Theologica.*



nibus acquieſcit, poſt tergum mittit ea, quæ ex natura ſua in faciem conſtituta ſunt. *Tomo ſexto li.1.Comment.in cap.1.ad Galatas.*

Notvm vobis facio fratres ]Marcion & Baſilides & cæteræ hæreticorum peſtes, non habent Dei euangelium: quia non habent ſpiritum ſanctum, ſine quo humanum ſit euangelium, quod docetur. Nec putemus in verbis ſcripturarum eſſe euangelium ſed ſenſu. Non in ſuperficie ſed in medulla. Non in ſermonum folijs ſed radice rationis. Dicitur in Propheta de Deo: Sermones eius boni ſunt cum eo. Tunc ſcriptura vtilis eſt audientibus, cum abſque Chriſto non dicitur: cum abſque patre non profertur: cum ſine ſpiritu non eam inſinuat ille qui prædicat. Alioquin & diabolus, qui loquitur de ſcripturis, & omnes hæreſes, ſecundum Ezechielem, inde ſibi conſuunt ceruicalia, quæ ponant ſub cubito vniuerſæ ætatis. Ego quoque ipſe qui loquor: ſi Chriſtum in me habeo, non habeo Euangelium hominis. ſi autem peccator ſum dicitur mihi: Peccatori dixit Deꝰ, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis in labijs tuis teſtamentum meum? &c. Grande periculum eſt in Eccleſia loqui, ne forte interpretatione peruerſa, de Euangelio Chriſti hominis fiat Euangelium, aut quod peius eſt, diaboli. *Tomo ſexto libro primo Commentariorum in caput primũ ad Galatas.*

*Sine vero intellectu ſpiritus ſancti Dei Euangelium fit humanum. Vera forma & eſſentia diuini verbi & euangelij per diuinam & memoria dignã ſententiam expreſſa.*

*cap 13.*

*Pſal.49.*

Vsqve hodie qui Iudaico ſenſu ſcripturam intelligunt, & perſequuntur Eccleſiam Chriſti, & populantur illam: nõ ſtudio legis Dei, ſed traditionibus hominum deprauati. *Tomo ſexto libro.1.Com.in cap.1.ad Galat.*

*Qui Iudaico ſenſu ſcripturam intelligunt perſequuntur Dei Eccleſiam.*

Sic ſtulti eſtis vt cum ſpiritu cœperitis.] Diligenter attendite, quod qui ſcripturas iuxta literam ſequitur, conſummari carne dicatur. Quam obrem illud quod ad Corinthios ſcriptum eſt: In carne viuentes, non iuxta carnem militamus, melius ſic poteſt intelligi; vt hi dicantur militare in carne qui vetus teſtamentum humiliter ediſſerunt. Qui verò ſequuntur intelligentiam ſpiritualem, ſunt quidem in carne, quia eandem habeant literam quam Iudæi, ſed non iuxta carnem militent, à carne ad ſpiritum tranſcendentes. Quãdo videritis eum, qui primum credit ex gentibus, & ad Chriſti aratrum mittit manum, præuio aliquo Doctore prudente, ſic per legis iter ad Euangelium pergere, vt omnia illa quæ ibi ſcripta ſunt, de ſabbatho, de azymis, circunciſione, victimis Deo dignè intelligant, & deinceps poſt Euangelij lectionem à Iudæo aliquo, aut Iudæorum ſocio perſuaderi, vt vmbras & allegoriæ nubila derelinquens, ſic ſcripturas interpretetur, vt ſcriptæ ſunt, de hoc poteſtis dicere. Sic ſtultus es, vt cum ſpiritu cœperis, nunc carne conſummaris? *Tom.6.lib.1. Commentarior. in cap.3. ad Galatas.*

*2.Cor.10.*

Exemplvm quod de Geneſi ſumptum eſt, ita in proprio volumine continetur. Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ. Quod Apoſtolus ſuper Chriſtum interpretans ait. Nõ eſt ſcriptum ex ſeminib. quaſi in multis, ſed quaſi in vno, & ſemine tuo qui eſt Chriſtus: Hoc autem in omnibus penè teſtimonijs, quæ de veteribus libris in nouo aſſumpta ſunt teſtamento, obſeruare debemus, quod memoriæ crediderint Euangeliſtæ & Apoſtoli, & tantum ſenſu explicato ſępe ordinem commutauerint, nonnunquã vel detraxerint verba vel addiderint. *Tom.6.lib.1. Com.in cap.3.ad Galatas.*

*Gen.12.et 26.*

*Pulchra obſeruatio generalis.*

Hvnc morem habeo, vt quotieſcunque ab Apoſtolis de veteri teſtamento aliquid ſumitur, recurram ad originales libros, & diligenter inſpiciam, quomodo in ſuis locis ſcripta ſint. Inueni itaque in Deuteronomio ipſum apud 70. Interpretes ita poſitum. Maledictus omnis homo qui non permanſerit in omnibus ſermonibus legis huius, vt faciat illos, & dicet omnis populus, fiat. apud Aquilã verò ſic. Maledictus qui non ſtatuerit verba legis huius vt faciat ea, & dicet omnis populus verè. Symmachus. Maledictus qui non firmauerit ſermones legis huius, vt faciat eos, & dicet omnis populus Amen. Porrò Theodotio ſic tranſtulit. Maledictus qui nõ ſuſcitauerit ſermones legis huius facere eos, & dicet omnis populus Amen. Ex quo intelligimus Apoſtolum vt in cæteris, ſenſum magis teſtimonij poſuiſſe, quam verba, & incertum habemus vtrum 70. interpretes addiderint, omnis homo & in omnibus, an in veteri Hebraico ita fuerit, & poſtea à Iudęis deletum ſit. In hanc autem ſuſpicionem illa me res ſtimulat, quod verbum omnis & in omnibus, quaſi ſenſui ſuo neceſſariũ ad probandum illud, quod quicunque ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſint, Apoſtolus vir Hebrææ peritiæ & in lege doctiſsimus nunquam protuliſſet, niſi in Hebræis voluminibus haberetur: quam ob cauſam Samaritanorum Hebræa volumina relegens, inueni כל. Col. quod interpretatur, omnis, ſiue in omnibus, ſcriptum eſſe, & cum 70. interpretibus concordare. fruſtra igitur illud tulerunt Iudæi, ne viderentur eſſe ſub maledicto, ſi non poſſent omnia cõplere, quæ ſcripta ſunt: cum antiquiores alterius quoque gentis literæ id poſitum fuiſſe teſtentur. *Tom.6.lib.2.Comment.in cap.3.ad Galat.*

*In noui teſtamenti interpretatione ad originales libros veteris teſtamenti recurrendum*

*Deut.27.*

*Iudæi ſicuti & hæretici truncarunt ſcripturas.*

Infirma & egena elementa, Iudæorum traditiones, & ſecundum literam vilem intelligentiam confirmabimus: quæ ſunt iuſtificationes non bonæ, & præcepta non bona. Robuſta quippe & diues eſt intelligentia legis ſpiritualis: ita vt aut penitus elementum non debeat appellari: aut elementum quidem ſit ratione futuri ſæculi & vitæ in Chriſto Ieſu, qua nunc viuunt angeli ſupernæq; virtutes ſenſui vero Iudaico cõparata, non tam elementum hoc eſt initium, quã perfectio nuncupetur. *Tom.6.lib.2.Com.in cap.4. ad Galatas.*

Illvd conſiderandum quod hodie quoque quandiu paruulis atque lactẽtibus, & his in quorum cordibus Chriſtus nunquam adoleuit, nec profecit ætate & ſapientia & gratia apud Deum & homines, iuxta literam ſcripturas explanamꝰ: laudamur, ſuſpicimur, admirationi habemur. Cum autem paulum cœperimus eos prouocare, vt tranſeant ad maiora: de præconibus noſtris inimici fiunt, & malunt Iudæos potius quam Apoſtolos ſequi. Et cum à Phariſæorum doctrina & traditionibus recedentes, ad ipſum Chriſtum propitiatorium & perfectionem legis ingreſsi ſunt: nec diuinum ſermonem accipere dignentur: qui eccleſiæ magiſtros iubet ad altiora dogmata ſcandere, & totis viribus ſublimare vocem: nec circum latrantium ſtrepitum pertimeſcere paruulorum, dicens. Super montem excelſum aſcende, qui Euangelizas Sion. Exalta in

*Eccleſiæ magiſtri ſcandunt ad altiora dogmata ſpiritualia neglecta litera.*

virtute vocem tuam, qui euangeliza Hieruſalē. Exalta noli timere. *Tom.6.lib.2.Com.in caput. 4 ad Galatas.*

*Non cortex ſed medulla legis inſpicienda.*

AVDIT legem, qui iuxta Paulum non ſuperficiem, ſed medullam eius introſpicit. Non audit legem, qui ſimilis Galatarum exteriorem tantum corticem ſequitur. *T.6 lib.2.C.in ca.4.ad Gala.*

*Repromiſſionis filij ſpiritualiter intelligunt ſcripturas.*

DICAMVS vnumquemq́ue noſtrum nō iuxta repromiſsionem primum naſci, quamdiu verbis ſcripturarum ſimplicibus inſtruitur, & Iudaicis adhuc expoſitionibus delectatur: quādo vero ad ſublimiora tranſcenderit, & legem intellexerit ſpiritualem, tunc eundē repromiſſione generari. *Tom.6.lib.2. Com.in cap.4. ad Galat.*

*Scriptura aut ancilla eſt aut libera pro ſenſus diuerſitate.*

SVNT qui duo teſtamenta & aliter intelligāt: vt ſcripturam diuinam tam veterem quam nouam iuxta diuerſitatem ſenſus, eorumq́ue ſententiam qui legunt, aut ancillam interpretentur aut liberam, & eos qui adhuc literæ ſeruiant, & ſpiritum timoris habēt in ſeruitute, de Agar Aegyptia velint eſſe generatos: Eos autem qui ad ſuperiora conſcendant, & allegoricè velint ſentire q̄ ſcripta ſunt, filios eſſe Saræ: & hoc ob illam neceſsitatem ſe aſſerāt vſurpare: quia iniquum ſit Moyſen & omnes prophetas de ancilla: quoslibet vero gentilium de libera intelligere procreatos. Vnde melius eſſe, vt non ſolum de his quæ in Eccleſia ſunt, pro diuerſitate (vt ſupra diximus) intellectuum, alios ſeruos; alios liberos arbitremur, ſed etiam de vno eodemq́ue homine quandiu ſequatur hiſtoriam ancillæ eum eſſe filium: cum autem aperiente Ieſu ſcripturas, incēſum fuerit cor eius, & in fractione panis inſpexerit eum, quem antea non videbat, tunc & ipſum Saræ filium nominari. *Tom.6.lib.2. Com.in caput.4. ad Galatas.*

*Luc.24.c.*

*Chriſtus ſuſtulit velamen de cordibus noſtris*

QVI conciſionem & interfectricem ſequatur literam, cum non legis eſſe factorem, ſed veræ legis inimicum, maximè poſt Saluatoris aduentū, qui ad ſe conuertentibus tollat velamen de corde, vt omnes reuelata facie gloriam Domini cōtemplantes, trāsfiguremur de vetuſtate literæ in nouitatem ſpiritus. *Tom.6.lib.2. Comment.in caput. 5.ad Galatas.*

MODICVM fermentum totam conſperſionem fermentat.] Per hanc ſententiam docet panem Eccleſiæ ſpiritualem qui de cęlo deſcendit, non debere Iudaica interpretatione violari, & Dominus idipſum diſcipulis præcepit, vt caueant à fermento phariſæorum. Quod euangeliſta manifeſtius faciēs addidit. Dixerat autem eis de doctrina phariſæorum. Porrò quę eſt alia doctrina Phariſæorum, niſi legis ſecundum carnem obſeruatio? *Tom.6.libro.3. Com.in cap.5. ad Galatas.*

*Matt.16.c.*

VOS in libertatem vocati eſtis fratres.] Hunc locum quia valde obſcurus eſt, de decimo Stromatum libro transferri placuit ad verbum: Non quo ſingula non poſsint, ſuis locis & ſenſibus explanari, ſed quo à ſuperiori negotio ſeperata, vnum difficilè corpus efficiant, & ſi ſic intelligantur vt reſonant, inconſequenter & abruptè repugnare inter ſe & ſcatere videantur. Origenis itaque hæc verba ſunt. Difficilis locus eſt & ita nobis differendus videtur. Qui liber eſt & altiori ſenſu ſpiritum & veritatem ſequitur præcedentes, & typos contemnit & literam, nō idcirco debet minores deſpicere, & occaſionem dare his, q̄ non poſſunt ſentire ſublimius, de ſe penitus deſperandi. Licet enim infirmi ſint & caro comparatione ſpiritus appellētur, caro tamē ſunt Chriſti. Si enim intelligit myſterium charitatis infirmioribus ſeruientis, faciat aliquid propter infirmos: ne in ſcientia ſua frater pereat, ꝓ quo Chriſtus eſt mortuus. Diligenter itaque attende, an ex conſequentibus ſenſus iſte texatur. Vos, inquit, fratres, in libertatem vocati eſtis: forſitan ideo: quia non omnes capere poterant vocationem libertatis: propter quod nunc auditis: tantum ne libertatem detis in occaſionem carni. Per dilectionem enim oportet minorib. ſeruire maiores: quia qui vult eſſe omnium maior erit omnium ſeruus. Neq; ergo ſpiritualis laceret Chriſti carnes, neque occaſionem illis tribuat, vt ſe remordeant prouocantem: ne ab inuicem conſumantur. Oportet ergo ſpiritu ambulantem & ſpiritu ſcripturarum verba ſectantem, non perficere deſiderium carnis earum. Si autē hoc quod dicitur. Spiritu ambulate & deſideria carnis nō perficietis, ſimpliciter intelligimus, vt pleriq́ue arbitrantur: contra argumentum & hypotheſin totiꝰ Epiſtolę in hæc ſubito Paulus erūpet: ſtatim quippe ſequitur: Si autē ſpiritu ducimini nō eſtis ſub lege. Et cum hucuſq; aliqua ex parte ſibi ſermo cohæreat: rurſum ſi ſimplicem intelligentiam ſequamur ad inordinata repentè præcepta nos transfert, de carne & ſpiritu differens: id eſt: Manifeſta ſunt opera carnis, illa & illa. & ecōtrario. fructus autem ſpiritus eſt charitas & reliqua. Sed neque in his conſequentiam deſperare debemus: quia opera carnis diuinorum voluminum hiſtoria continet: non valde eos iuuans, qui ſic eam intelligunt vt ſcripta eſt. Quis enim non docebitur ſeruire luxuriæ, & fornicationem habere pro nihilo: cum Iudam ad meretricem legerit ingredientem, & patriarchas habuiſſe multas pariter vxores. Quomodo non ad idolatriam prouocabitur, qui ſanguinem taurorum, & cæteras Leuitici victimas, non pluſquam quod in litera ſonat, putat indicare? Quod autē, inimicitias in aperto poſitus ſcripturæ ſermo doceat & ex hoc ꝓbatur loco: filia Babilonis miſera: beatus q̄ retribuet tibi. retributionē quā retribuiſti nobis. Beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petrā. & ex illo: In matutino interficiebam oēs peccatores terrę & cętera his ſimilia de contentione, emulatiōe, ira, rixa, diſſenſionibus. Ad quę (ſi nō altius aliquid ſentiamus) prouocāt nos magis hiſtoriæ exempla q̄ prohibent. Hæreſes quoq; magis de carnali ſcripturæ intelligentia, quam de opere carnis noſtræ, vt plurimi ęſtimant, ſubſtiterunt. Nec non inuidiam & ebrietates per legis literam diſcimus. Inebriatur Nohe poſt diluuium, & patriarchæ apud fratrem Ioſeph in Aegypto. Sed & comeſſationes in Regnorū libro ſcriptæ ſunt: ſaltante Dauid & concrepante tympanis coram arca teſtamenti Dei & his ſimilia. Quęritur quomodo ad veneficia & maleficas artes, ſimplex ſcripturæ diuinæ ſermo, qui dicitur caro, nos prouocet: niſi ad eiuſdem ſcripturæ ſpiritum tranſcendamus. Puto hoc ſignificare deciꝭ Danielem & tres pueros magis incantatoribus & Gazarenis atque Chaldæis ſapientiores repertos, & Moyſen omni ſapientia & doctrina AEgyptiorum eruditum. Multorum ergo malorum occaſio eſt, ſi quis in ſcripturæ carne permaneat. Quæ qui fecerint regnum DEI non conſequentur. Quamobrem ſpiritum ſcripturæ fructuſque quæramus qui non dicuntur eſſe manifeſti. Multo quippe labore & ſudore, & digno cultu in ſcripturis fructus ſpiritus inuenitur. Vnde arbitror Paulum diligenter & cautè de ſcripturæ ſenſibus dixiſſe carnalibus. Manifeſta autem ſunt opera carnis. De ſpiritualibus autem non vt ibi poſuiſſe, manifeſtus eſt fructus ſpiritus, ſed ita: fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax & reliqua. Quod ſi relictis typis ad veritatem ſcripturæ tranſeamus & ſpiritum, ſtatim nobis prima charitas panditur, & ad gaudium inde gradientes, peruenimus ad pacem, per quam conſequimur patientiam. Quis autem non ad miſerationem & bonitatem erudiatur, cum etiam ea quæ quibuſdam triſtitia videntur in lege, ſupplicia dico & prælia, & euerſiones gentium & cōminationes ad populos per prophetas: magis remedia intellexerit eſſe quam pœnas? Non enim in æternum iraſcetur dominꝰ. Cum hæc ergo nobis aperta fuerint, rationabiliorem habebimus fidem, & correctos mores temperantia comitabitur: quam continentiam ſequetur & caſtitas, & poſt hæc omnia incipiet eſſe lex pro nobis. Hucuſq; Origenes. *Tom.6.lib.3. Com.in cap.5.ad Galatas.*

*Origenis ſententia de duplici ſcripturæ intellectu.*

*Geneſ.38.*

*Pſal.136.*

*Pſal.100.*

*Gen.9.c.et 43.*

*2.Reg.6.c.*

*Daniel.1.c.*

*Act.7.*



*Fructus intelligentiæ ſpiritualis metendus*

QVIA lex ſpiritualis eſt, & non qui in manifeſto Iudæus, ſed qui in occulto, & circunciſio cordis in ſpiritu, non litera: eos ambulare ſpiritu, & carnis deſiderium non perficere dicimus, qui ſpiritualiter egrediuntur Aegyptum & ſpiritualem eſcam potumq́; de ſpirituali hauriunt petra: qui non iudicantur in cibo aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ & ſabbathi: ſed ambulant in omnibus ſpiritualiter, non perficientes carneę legis literęúe deſiderium, ſed fructus metentes intelligentiæ ſpiritualis. *Tom. ſexto libro tertio Commentariorum in caput quintum ad Galatas.*

*Impoſsibile eſt ſemper ſequi literam.*

CARO concupiſcit aduerſus ſpiritum id eſt, hiſtoria & ſcripturæ carneus intellectus contra allegoriam & ſpiritualem intelligentiam repugnat. Spiritus aduerſus carnem, id eſt ſublimiora deiectis, æterna breuibus, vmbræ veritas refragatur: & carneus ſcripturæ ſenſus, quia impleri non poteſt, oſtendit nos non in noſtra poſitos poteſtate legis explendæ, cum etiamſi velimus literam ſequi, impoſsibilitas non admittat. *Tom.6.li. 3.Com.in cap.5.ad Gal.*

*Spiritus allegoriæ præuius ſequendus.*

IN quibus eſt charitas, gaudium, pax, hi corpoream ſcripturæ intelligentiam, quæ nunc caro Chriſti appellatur, crucifixerunt cum paſsionibus eius & deſiderijs, quę generant paruulis atque lactentibus fomenta vitiorum. Crucifixit Chriſti carnem, qui non iuxta carnem hiſtoriæ militat, ſed ſpiritum allegoriæ ſequitur præuiantem.

SI ſpiritu viuimus ſpiritui obtemperemus] Vtamur hoc teſtimonio aduerſum eos, qui nolūt ſcripturas ſpiritualiter intelligere *Tom.6.lib.3.Co. in cap.5.ad Galatas.*

SI quis infirmus eſt in fide & adhuc lacte nutritur infantię, nec poteſt tam citò à legali obſeruatione ad ſpiritualia ſacramenta tranſire, vos qui robuſtiores eſtis, eius onera portate, ne per ſcientiam veſtram frater pereat, pro quo Chriſtus eſt mortuus *Tomo 6.libro 3.Commen. in cap.6. ad Galatas.*

*De ſpirituali intelligentia metemus vitam æternam.*

QVI legem carnaliter intelligit, repromiſsiones quoq; carnales, & quæ in præſenti ſeculo corrumpuntur, expectat. Qui autem ſpiritualis auditor eſt, ſeminat in ſpiritu, & de ſpiritu metet vitam æternam. *Tomo ſexto lib.3.Commentariorum in cap.6.ad Galatas.*

*Spiritualiter vniuerſa cōuerſatio legalis expletur in nobis.*

ILLVD eſt attendendum, quod nos, quos ſine Chriſto alienatos quondam à conuerſatione Iſrael eſſe memorauit, & peregrinos à promiſſionibus & teſtamento Dei, nunc poſtquam in Chriſtum credimus: ſicut repromiſsiones & teſtamenta eius accepimus: ita conuerſationem quoque habere dicamur Iſrael, quod vniuerſa conuerſatio legalis expletur in nobis: Quia videlicet lex ſpiritualis eſt, & magis circuncidamur & ſabbathiſemus in ſpiritu, ſpirituales victimas offerentes: illorum templo altariq́ue deſtructis, nos Deo fructuum noſtrorū decimas offeramus nos immolemus agnum immaculatum, & accincti lumbos, expediti paſcha comedamus. Sicut enim Circunſio dicitur in carne manufacta: ita ad diſtinctionem eius intelligitur alia eſſe circunſicio: quæ, non ſit manu facta, ſed ſpiritu. *Tomo ſexto libro primo. Commentatiorum in caput ſecundū ad Epheſios.*

*Recedendū ab occidente litera & viuificans ſpiritus ſequendus*

LEX mandatorum ſubuerſa eſt in dogmatibus: poſtquam Circunciſio & ſabbathiſmus, qui relictus eſt populo Dei, & Paſcha & Pentecoſte, & non apparere in conſpectu Dei vacuum, ſunt altius intellecta, quam reſonant, & ab occidente litera recedentes, cœpimus viuificantem ſpiritum ſequi. *Tomo 6. lib. 1. Commentariorum in cap. 2. ad Epheſios.*

ININVESTIGABILES antea erant diuitiæ Dei, quæ nunc Domini apertæ ſunt paſsione *To. 6.lib.2.Com.in cap.3.ad Epheſios.*

*Regula aurea ſæpius repetita.*

*Gen.2 cap.*

PROPTER hoc relinquet homo patrē] Quod frequenter annotauimus, Apoſtolos & Euangeliſtas non eiſdem verbis vſos eſſe teſtimonijs veteris teſtamenti & exemplis quibus in proprijs voluminibus continentur, hoc & hic probamus. ſi quidem teſtimonium iſtud ita in Geneſi eſt ſcriptum. Propter hoc relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erūt duo in carne vna: nunc autem Apoſtolus pro eo quod ibi habetur ἕνεκεν τούτου, id eſt propter hoc poſuit ἀντὶ τούτου quod latinè alijs verbis dici nō poteſt. deinde patre ſuo & matre ſua pronomina abſtulit, & patrē tantū poſuit & matrē, & quod in medio dicitur, & adhærebit vxori ſuæ, hic penitus prætermiſit, tantum quod ſequebatur hoc dictum ſuperioribus copulauit & poſuit: & erunt duo in carne vna. Hoc autem totum nūc idcirco obſeruauimus, vt etiam in cæteris locis, ſicubi teſtimonia quaſi de prophetis & de veteri teſtamento ab Apoſtolis ſunt vſurpata, & in noſtris codicibus non habentur, nequaquam ſtatim ad Apocryphorum ineptias & delyramenta curramus, ſed ſciamus ſcripta quidem eſſe ea in veteri teſtamento, ſed non ita ab Apoſtolis edita & ſenſum magis vſurpatum, nec facilè poſſe niſi à ſtudioſis vbi ſcripta ſunt, inueniri. *Tom.6.lib.3. Com.in cap.5.ad Galat.*

*Iudic.6. et 7.*

SICVT Oreb & Seb] Legiſſe vos puto hiſtoriam in Iudicum libro: quoniam Gedeon, qui vocatur alio nomine Hieroboal, pro populo dei pugnans, hos quatuor reges vicerit & interfecerit eos. Videte quales ſunt Principes Madianitarum

*Clauis ſcientiæ & intellectus ſcripturæ in ſola Eccleſia.*

rum, qui reliquerunt iudicium Dei Oreb & Seb Zebee & Salmana. Quis putet in iſtis verbis eſſe myſteria ſaluatoris? Legunt hoc philoſophi & irrident. Legunt Rhetores & putant eſſe delyramenta. Non ſolum autem Rhetores, ſed & Iudæi non habent clauem ſcientiæ, quoniam velamen eſt poſitum ante oculos eorum *Tom. ſeptimo Com. in Pſal. 82.*

## *Articulus VIII. In rebus fidei & morum ſacram ſcripturam ad proprios hominum ſenſus torquendam non eſſe.*

*Hæretici cum non poſſunt detorquere ſcripturas vel falſas vel corruptas eſſe contendunt.*

MANICHAEI plurima diuinarum ſcripturarum, quibus eorum nefarius error, clariſsima ſententiarum perſpicuitate cõuincitur, quia in alium ſenſum detorquere non poſſunt, falſa eſſe contendunt, ita tamen vt eandem falſitatem non ſcribentibus Apoſtolis tribuant ſed neſcio quibus codicum corruptoribus. quod tamen quia nec pluribus ſiue antiquioribus exemplaribus, nec præcedentis linguæ authoritate, vnde latini libri interpretati ſunt, probare aliquando potuerunt: notiſsima omnibus veritate ſuperati confuſique diſcedunt. *Tom. 2. Epiſt. 97. quæ eſt Auguſtini ad Hieronymum.*

*Vitioſiſsimũ docendi gen⁹ ad voluntatem ſuã trahere ſcripturam repugnãtem.*

TACEO de mei ſimilibus: qui ſi forte ad ſcripturas ſanctas, poſt ſeculares literas venerint: & ſermone compoſito aurem populi mulſerint, quicquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec ſcire dignantur quid prophetæ quid Apoſtoli ſenſerint: ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia: quaſi grande ſit & non vitioſiſsimum docendi genus deprauare ſententias, & ad volũtatem ſuam ſcripturam trahere repugnantem: quaſi non legerimus Homerocentonas & Virgiliocentonas: ac non ſic etiam Maronem ſine Chriſto poſsimus dicere Chriſtianum: quia ſcripſerit. Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna: Iam noua progenies cœlo demittitur alto. & patrem loquentem ad filium: Nate, meæ vires, mea magna potẽtia ſolus, & poſt verba Saluatoris in cruce. Talia perſtabat memorans, fixuſq; manebat. Puerilia ſunt hæc & circulatorum ludo ſimilia docere quod ignores, imo vt cum ſtomacho loquar, ne hoc quidem ſcire quod neſcias: *Tom. 3. Epiſt. 103. ad Paulinum ca. 6.*

*Hæretici furantur verba ſaluatoris Pſal. 75.*

QVOMODO in veteri populo mentiebantur prophetæ, atque dicebant. Hæc dicit Dominus: & vidi Dominum, & verbum Domini, quod factum eſt, ad illum ſiue illum: Sic hæretici aſſumunt teſtimonia ſcripturarum de veteri & nouo teſtamento: & furantur verba Saluatoris, vnuſquiſq; à proximo ſuo, prophetis & Apoſtolis & Euangeliſtis, & aſſumunt linguas ſuas, vt cordis venena ore pronunciet, & dormitant dormitationem de quibus verè dictum eſt. Dormitauerunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt. Comminatur itaque Dominus ſeipſum contra huiuſcemodi magiſtros venturum, qui eius populum ſeducunt in ſuis mendacijs & in ſtupo ibus atq; miraculis. Magna enim & incredibilia & ingentia repromittunt, vt ſeducant miſeros, qui nihil profuerunt populo Dei, & illud implent Apoſtolicum: docentes quæ non oportet turpis lucri gratia, qui ſolent malis proſpera, & bonis cõtraria nunciare. *Tomo quarto libro quarto Commentari. in cap 23. Hieremiæ.*

VAE tibi diabole ſiue Antichriſte, vel hæreticorum dogma peruerſum: qui doctrinis tuis, & potione turbida inebrias populos deceptorũ, & ſubuertis, priorem fidem: dans eis potionem, non de Siloa, non de Iordane, non de fontibus Iſrael: ſed de torrente Cedron, & de flumine Aegypti de quo Hieremias dicit. Quid tibi & viæ Aegypti, vt bibas aquam Geon: id eſt turbidam atque coenoſam? Quamuis enim de paradiſo ſcripturarum flumina Aegypti exire credantur: tamen quia conculcãtur pedibus Pharaonis, perdiderunt ſplẽdorem ſuum, & violata luto Aegyptio, ſunt verſa in torrentes, de quibus ſanctus quod euaſerit, gratulatur, dicens. Torrentẽ pertranſiuit anima noſtra. *Tomo quinto Commentariorum in cap. 2. Habacuc.*

*Hiere. c. 2. Flumina ſcripturarum conculcãtur ab hæreticis Pſal. 123.*

MENSAM Domini contaminatam quidam ad ſanctas ſcripturas referunt, ſi aliter quàm ſcriptæ ſunt intelligantur. *Tom. 5. Commentariorum in cap. 1. Malac.*

*Hæretici diabolum ſequũtur in torquẽdis ſcripturis*

ANGELIS ſuis mandauit de te] Hoc in nonageſimo Pſalmo legimus: verum ibi non de Chriſto, ſed de viro ſancto prophetia eſt. Male ergo interpretatur ſcripturas diabolus. Certè ſi verè de Saluatore ſcriptum nouerat, debuerat & illud dicere, quod in eodem Pſalmo cõtra ſe ſequitur. Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. De Angelorum auxilio quaſi ad infirmum loquitur, de ſua conculcatione quaſi tergiuerſator tacet. *Tom. 6. Com. cap. 4. Matthæi.*

AIT illi Ieſus ſcriptum eſt. Non tentabis Dominum Deum tuum] falſas de ſcripturis diaboli ſagittas veris ſcripturarum frangit clypeis. Et notandum quod teſtimonia neceſſaria de Deuteronomio tantum protulerit, vt ſecundæ legis ſacramentum monſtraret. *Tom. 6. Commentariorum in cap. 4. Matthæi.*

*Quæ ſuperſtitioſa intelligentia.*

NONNE duo paſſeres, aſſe veniunt] Hæret ſibi ſermo Dominicus, & ſequentia pendent ex ſuperiorib. Prudens lector caue ſemper ſuperſtitioſam intelligentiam: vt non tuo ſenſui attemperes ſcripturas: ſed ſcripturis iungas ſenſum tuum, & intelliges quid ſequatur. *Tom. 6 lib. 7. Com. in cap. 10. Matthæi Canone. 17.*

*Antecedentia, conſequẽtia & media nectenda in ſcripturis exponendis.*

VIGILATE itaque quia neſcitis neque diem neq; horam] Prudentem ſemper admoneo lectorem, vt non ſuperſtitioſis acquieſcat interpretationibus, & quæ commaticè pro fingentium dicũtur arbitrio: ſed conſideret priora, media & ſequentia: & nectat ſibi vniuerſa quę ſcripta sũt: *Tomo ſexto libro 4. Commentariorum in caput. 25. Matthæi Canone. 55.*

*Heſter. 14. c.*

TRANSLATI eſtis in aliud Euangelium: quod non eſt aliud: quia omne quod falſum eſt non ſubſiſtit, & quod veritati contrariũ eſt, non eſt, vt illud: Ne tradas Domine ſceptrum tuum his qui non ſunt: Et ea quæ non erant vocauit Deus, vt faceret eſſe quod nõ erat. Si autẽ hoc de his qui in eundem credebant Deũ, & eaſdem ſcripturas habebant dicitur, quod tranſlati ſint in aliud Euangelium, quod non eſt Euangelium, quid de Marcione & cœteris hæreticis, qui conditorem reſpuunt alterius Dei Chriſtum ſimulant, æſtimare debemus? Qui non in interpretatione legis & literæ pugna vel ſpiritus labuntur & corruunt, ſed de toto Eccleſiæ iure diſcordãt. Pulchrè autẽ ait: Niſi ſunt aliqui qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Chriſti. Volunt, inquit, Euangelium Chriſti mutare, cõuertere, turbare, ſed non valent. Quia huius naturę eſt vt non poſsit aliud eſſe quam verum eſt.



*Iudæorũ interpretationi non acquieſcendum.*

Omnis qui Euangelium alio interpretatur ſenſu & mente quam ſcriptum eſt, credentes turbat, & conuertit Euangelium Chriſti: vt id quod in facie eſt poſt tergum faciat, & ea quæ poſt tergũ ſunt, in faciem vertat. Si quis tantum literam ſequitur, poſteriora ponit in faciem. Si quis Iudæorum interpretationibus acquieſcit, poſt tergũ mittit ea quæ ex natura ſua in faciem conſtituta ſunt. *Tomo ſexto libro primo Commentariorum in cap. 1. ad Galatas.*

*Scriptura nõ eſt accipienda pro voluntate legentis ſed pro ſcribẽtis authoritate.*

HAEC ſunt duo teſtamenta. Marcion & Manichæus hunc locum in quo dixit Apoſtolus: Quæ quidem ſunt allegorica, & cętera quæ ſequuntur, de codice ſuo tollere noluerunt: putãtes aduerſum nos relinqui: quod ſcilicet lex aliter ſit intelligenda quam ſcripta eſt: cum vtique etiamſi alligoricè (vt nos quoque fatemur & Paulus docet) accipienda ſit, non pro voluntate legentis, ſed pro ſcribentis auctoritate ſic condita ſit, & eo ipſo quod contra nos ſeruare viſi ſunt, conterantur: quod Moyſes creatoris Dei ſeruus ſpiritualia ſcripſerit, Apoſtolo quoque ipſorum idem docente, quem ipſi alterius Chriſti, & melioris Dei aſſerunt prædicatorem: *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 4. ad Galat.*

## *Articulus IX. Multos eſſe poſſe & eos veros ſcripturæ ſenſus, & quid hic prudenti viro faciendum, quantuſue delectus hic ſit adhibendus ſiue de vera arte interpretandi ſacras literas.*

*Mos Cõmentariorum & explanantiũ regula.*

NOS in Commentarijs noſtram & aliorum ſententiã explicauimus: apertè confitentes quæ ſint hæretica & quæ Catholica. hic eſt enim Commentariorum mos & explanãtium regula, vt opiniones in expoſitione varias perſequantur, & quid ſibi vel alijs videatur, ediſſerãt, & hoc non ſolum ſanctarum interpretes ſcripturarum, ſed ſecularum quoque literarum explanatores faciunt, tam Latinæ linguæ quam græcę *Tom. lib. 3. Apolog. aduerſ. Ruf. cap. 3.*

*Vnus ſcripturæ locus plures admittit ſenſus ſalua fidei cõpage.*

LIBRVM quoq; tuum cuius mentionem feciſti, de Optimo genere Interpretandi cupio legere: & adhuc noſſe quomodo coæquanda ſit in interprete peritia linguarum, coniecturis eorum qui ſcripturas ediſſerendo pertractant: quos neceſſe eſt etiamſi rectæ atq; vnius fidei fuerint, varias parere in multorũ locorum obſcuritate ſententias, quamuis nequaquam ipſa varietas ab eiuſdem fidei vnitate diſcordet, ſicut etiam vnus tractator, ſecundum eandem fidem, aliter atque aliter eundem locum poteſt ex ponere, quia hoc eius obſcuritas patitur. *Tom. 2. Epiſt. 97. quæ eſt Auguſtini ad Hieronymum.*

OPTIME nouit prudentia tua, non eaſdem eſſe regulas in tropologiæ vmbris, quæ in hiſtoriæ veritate. *Tom. 3. Epiſt. 131. ad Ruffinum.*

*Proue. 22.*

PRAECIPITVR nobis Salomone dicente. Tu autem deſcribe ea tripliciter in conſilio, & ſcientia vt reſpondeas verba veritatis ijs, qui proponunt tibi. Triplex in corde noſtro deſcriptio & regula ſcripturarum eſt: prima vt intelligamus eas iuxta hiſtoriam: ſecunda, iuxta tropologiam: tertia, iuxta intelligentiam ſpiritualem. In hiſtoria, eorum quæ ſcripta ſunt, ordo ſeruatur. In tropologia de litera ad maiora conſurgimus: & quicquid in priori populo carnaliter factum eſt, iuxta moralem interpretamur locum, & ad animæ noſtrę emolumenta conuertimus In ſpirituali θεωρία ad ſublimiora tranſimus: terrena dimittimus, de futurorum beatitudine & cæleſtibus diſputamus: vt præſentis vitæ meditatio, vmbra futuræ beatitudinis ſit. Quos Chriſt⁹ tales inuenerit, vt & corpore & animo & ſpiritu integri conſeruentur, & perfectam habeant in ſe triplicis ſcientiæ veritatem, hos ſua pace ſanctificabit & faciet eſſe perfectos: *Tom. 3. Epiſt. 150. ad Hedibiam quæſt. 12.*

*Triplex ſcripturæ intellectus.*

*Spiritualis interpretatio ſequitur poſt literalẽ & hiſtorialem ſenſum.*

SI quis cælum eſt & habet municipatum in cæleſtibus, audiat myſticè quæ dicuntur Si quis terrenus, ſimplicem ſequatur hiſtoriam. *Tom. 4. li. 1. Com. in cap. 1. Eſaiæ.*

HAEC dicimus non quod tropologicam intelligentiam condemnemus, ſed quod ſpiritualis interpretatio ſequi debeat ordinem hiſtoriæ: quod pleriq; ignorantes lymphatico in ſcripturis vagantur errore. *Tom. 4. lib. 5. Commentari. in ca. 13. Eſaiæ.*

*Proue. 22. c.*

LEGIMVS in Prouerbijs. Tu autem ſcribe ea tripliciter, vt reſpondeas ſermones veritatis qui proponuntur tibi. Et iubetur nobis vt eloquia veritatis, id eſt ſcripturas ſanctas intelligamus tripliciter, primo iuxta literã: ſecundo modo iuxta Tropologiam: tertio ſublimius vt myſtica quæq; cognoſcamus. ſecundum literam illud eſt, Neq; fornicemur, ſicuti quidam eorum fornicati ſunt, & ceciderunt vna die viginti tria millia, Media autem & iuxta tropologiam, quãdo recedimus à litera, & paululum ad altiora cõſcendimus, dicente Apoſtolo: ſcriptum eſt, Non alligabis os boui trituranti, ſtatimq; ſequitur: Nunquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos vtiq; loquutus eſt? Extrema autem id eſt, tertia & ſublimis ſacraque intelligentia, iuxta illud eiuſdem Apoſtoli, propterea relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori ſuæ. Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. *Tomo 4. libro quinto Commen. in cap. 16. Ezechielis.*

*1. Cor. 10.*

*1. Corin. 9.*

*Ad Eph. 3. c.*

*Vilior intellectus literalis & præſtãtior ſpiritualis.*

HOC tantum admonuiſſe ſufficiat, quod quęcunq; ibi ponuntur iuxta intelligentiam viliorem, hoc eſt iuxta literam, in meridiana porta intelligimus iuxta ſpiritualem ſenſum. Eiſdem enim lineis & hiſtoria currit, & tropologia: ſed illa humilior eſt, iſta ſublimior: illa hæret literæ, iſta ad cœleſtia ſubuolat. *Tomo 4. libro 12. Commen. in cap. 40. Ezechielis.*

*Proue. 22. c.*

FENESTRAE templi aperiebantur tripliciter iuxta 70. vt apertis eis, triplex in Dei templo intelligentia monſtraretur: iuxta illud quod alibi dicitur. Tu autem deſcribe ea tripliciter. Proſpicitur autem per e s, non ſolum interius, ſed & exterius: vt quæ interiora ſunt inuiſibilia: quæ exteriora viſibilia cognoſcamus: vt aliud mentem, aliud carnem, aliud ſpiritualem intelligentiam, aliud ſimplicem hiſtoriam monſtret, & per omnes parietes in circuitu tam intrinſecus, quã extrin-

extrinſecus erant menſuræ ſuæ. Nihil enim abſque ratione & menſura in templo Dei, & maximè in ſanctis ſanctorum à Deo factum eſt. *To. 4. lib. 12. Com. in cap. 41. Ezechielis.*

*Hiſtoria indiget ſpirituali ſenſu & contra.*

DVO oſtia erant in templo & in ipſo ſanctuario: per quæ vtriuſque inſtrumenti ſacramenta monſtrantur, & in duobus oſtijs ex vtraq; parte bina erant oſtiola, quę in ſe inuicem plicabantur vt & in hiſtoria ſpiritualem habeas intelligentiam, & in tropologia hiſtoriæ veritatem: quorũ vtrumq; altero indiget, & ſi vnum defuerit perfecta caret ſcientia *To. 4. li. 12. C. in ca. 1 Ezec. ibid.*

GAZOPHYLACIA auſtri vel Aquilonis puto eſſe quæ vel hiſtoriæ contineant ſimplicitatẽ, vel ſpiritualis intelligentiæ ſacramẽta: vt per Aquilonem veniamus ad meridiem. Neq; enim ſic legenda eſt litera & hiſtoriæ fundamenta iacenda, vt non veniamus ad culmina: nec ita pulcherrimo ædificio tecta ponenda, vt nequaquã fundamenta ſint ſolida. *Tom. 4. lib. 13. Commen. in cap. 42. Ezechielis.*

ET ſi quidem tantam habuerimus ſcientiam ſcripturarum, vt myſtica queq; pandamus, & doceamus homines, id eſt, rationale animal, demus primitias frumenti noſtri. Si autem poſt Anagogen puram tantum ſequamur hiſtoriam, quæ ſimplices nutrire poteſt, iuxta illud quod ſcriptum eſt Homines & iumenta ſaluabis Domine: damus primitias hordei noſtri: quod hordeum ſeuit Iſaac, ſed in terra alienigenarum: & ortum eſt ei centuplum. Qui hordei dat primitias poteſt dicere Dominus paſcit me & nihil mihi deerit, in loco paſcuę vbi me collocauit: ſuper aquas refectionis educauit me. Qui autem rationalia paſcit animantia: vertit ſententiam & dicit Præparaſti in cõſpectu meo menſam, aduerſus eos qui tribulant me *Tom. 4. libro. 14. Com. in cap. 45. Ezechielis.*

*Pſal. 35. Gen. 26. Pſal. 22.*

*Moralis ſenſus folijs ſpiritualis fructibus comparatur. Ioan. 6. ca.*

ILLVD quod dicitur: Et erunt fructus eius in cibũ, & folium eius ad medicinã, diuinorũ librorũ ſacramenta demonſtrat, quorũ alterũ pertinet ad literã: alterum ad ſpiritu, vt verba ſimplicia intelligamus in folijs, in fructib. verò ſenſum latentem. Sicut enim ſcientia ſcripturarum ducit ad regna cęlorum, & præbet nobis panem qui dicit: ego ſum panis viuus, qui de cęlo deſcendi: ſic folia eius moralem doctrinam continent & tribuunt ſanitatem vt peccantium curent vulnera. *Tom. 4. lib. 14. Com. in cap. 47. Ezechielis.*

*Conſuetudo ſcripturæ vt per tropologiam & metaphoram hiſtoriæ veritatẽ exprimat.*

LOCVS iſte, imo omnia quæ ſequuntur magnis difficultatibus inuoluta ſunt. Vnde & nos qui explanare conamur, & prudens lector ſimul attendat, vt ſi non veritatem (quod difficillimũ eſt) ſaltem ſuſpicionem veriſimilium inueſtigare valeamus. Hanc habet conſuetudinem ſermo diuinus, vt per Tropologiã & Metaphorã hiſtoriæ exprimat veritatẽ. *Tom. 5. lib. 2. Commentar. in cap. 10. Oſeæ.*

VSQVE hodie vir Eccleſiaſticus Iacob glebas hiſtorię & literæ duritiam confringit in partes, & ſpiritualiter diuidit, vt poſſint fruges reddere ſpirituales. Quod quidem & Dominum feciſſe legimus, vt quinq; legis panes, quos integros populus commedere non poterat, in fruſta concerperet: vt per Apoſtolorum manus veſcendos credentibus daret *Tom. 5. lib. 2. Com. in ca. 11. Oſeæ.*

GAZA quæ ſibi fortitudinem ſcientiæ ſuæ & imperium repromittit, accuſatur in eo quod captiuos de familia Salomonis concluſerit in Idumæa. Hos ego arbitror Iudæorum magiſtros, & omnes qui occidentem ſequuntur literam, nolũtque recipere ſpiritum viuificantem, ſed quæcunque interpretantur & ſapiunt, volunt eſſe terrena: nec audiunt cum diſcipulis parabolas Dominum differentem & dicentem eis Qui habet aures audiendi audiat, præſertim cum Apoſtolus manifeſtam hiſtoriam in duobus intelligat teſtamentis, Vnum ſuper montem Sina, quæ eſt Agar, & ſeruit cum filijs ſuis: alterum ſuper Hieruſalem libera, quæ eſt mater noſtra. Ignem igitur ſe in muros Gazæ & omnia eius dicit ſe argumenta miſſurum, quibus ſua mendacia circundare nititur & tueri. Cumq; ignem in muros miſerit, deuorabuntur ædes, ſiue fundamenta illius, quicquid firmum habere poterit, & dialectica arte cõſtructum. De Azoto quoq; quæ & ipſa alienigenarum eſt, aufert habitatorem: cuius quia literã ſequitur, vbera non lacte, ſed igne ſunt plena, & quæ mentitur ignem habere ſe patrui, eius vniuerſa generatio ignibus deputanda eſt. Et tollet ſceptrum ſiue tribum de Aſcalone: vbi ignis homicida eſt. Sicut enim ignis Domini ſaluos facit eos, quorum corda penetrauerit: ſic ignis iſte qui de cælo cecidit quaſi fulgur, qui ſuccendit diaboli ſagittas, quoſcunque afflauerit, interficiet. Transferet quoq; manu ſuam ſuper Accaron, vbi ſterilitas & eradicatio eſt. Quicunq; enim ſpiritualem nõ receperit intelligentiam audiet per Oſeæ: Da eis Domine: Quid dabis eis? da eis vuluam ſterilem & vbera arentia. *Tom. 5. libro 1. Com. in cap. 1. Amos.*

*Iud. eorũ magiſtri occidẽtem ſequuntur literam non ſpiritum.*

*Galat. 4.*

*Pœna non recipientium intelligentiã ſpiritualem.*

*Oſeæ 9. 16.*

OMNIS doctrina peruerſa capere nititur veritatem & concludere eam in terrenis ſenſibus: & nõ recordabatur fęderis fratrum ſuorum: quod de litera debeamus aſcendere ad ſpiritũm, de terrenis ad cœleſtia, præceptumq; nobis ſit deſcribere ſcripturam ſacram in corde noſtro tripliciter. *To. 5. lib. . Com. in ca. 1. Amos.*

*Prouе. 22. 6.*

*Spiritualis ſenſus eſt regius.*

IVDAEI transferunt intelligentiam ſpiritualem in carnes Idumæas: ſenſumq; regiu, qui verſatur in litera, & eſt ſolidiſſimus atq; firmiſſimus genealogijs quibuſdam & traditionibus ſuperſtuis eneruant atq; comminuunt & in puluerem redigunt: & non ſolum illi hoc faciunt, ſed omnes hæretici qui volunt in modum humanæ ſimilitudinis ſedere Deum in ſolio excelſo & eleuato, & pedes ponere ſuper terram, ne ſcilicet pẽdeant: habere naſum, quo odoretur odorem bonæ fragrantiæ, oculos quibus videat, manus per quas operetur, pedes per quos ambulet, aures quibus audiat, os quo loquatur, dentes quibus cibos conterat Qui legit introijſſe Iudam ad Thamar meretricem, & ex ea duos filios procreaſſe: ſi turpitudinem ſequatur literæ, & non aſcendat ad decorem intelligentię ſpiritualis, comburet oſſa regis Idumeæ. Qui putat Oſee vxorem accepiſſe fornicariam, & nihil plus ſentit in dicto quam verbis ſimplicibus continetur, oſſa comburet regis Idumeæ. *Tom. 5. lib. 1. Com. in cap. 2. Amos.*

*Multa abſurda ſequũtur ſolũ ſenſum literalem. Gen. 38.*

INGRESSI eſtis in Bethel id eſt, in domũ Dei quod ſentitur Eccleſia, & impiè egiſtis in Dominũ, illius pręcepta calcantes. In Galgala aũt quod interpretatur reuelatio ſiue volutabrũ, impietates multiplicaſtis, ſanctarum vobis ſcripturarũ ſcientiam vendicantes, & dũ erigimini in ſuperbiã, eſtis in cęni vltima deuoluti. Intuliſtis quoq;





mane hoſtias veſtras, die tertia decimas veſtras, transfigurati in angelum lucis, & triplicem intelligentiam ſcripturarum (de qua nobis præceptũ eſt vt deſcribamus eam tripliciter in cordibus noſtris) in vnius diei ſententiam coarctantes. Debẽmus enim ſcripturam ſanctam primum ſecundũ literam intelligere facientes in ethica quæcunq; præcepta ſunt. Secundò iuxta allegoriam, id eſt, intelligentiam ſpiritualem. Tertiò ſecundum futurorum beatitudinem. Vos autem, inquit, primam & ſecundam contemnentes diem, ſpiritualia vobis quædam figmenta componitis ſine fundamento & parietibus tectum deſuper imponẽtes. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 4. Amos. 5.*

*Prouer. 22. Literalis ſenſus eſt ethicus.*

*Literalis ſenſus eſt baſis intellectus ſpiritualis.*

PORRÒ iuxta. 70. τὸ τὴν ἐπαγγελίαν αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς θεμελιῶν, id eſt, repromiſſionem ſuam fundat ſuper terram: vt omnes illius, repromiſſiones quas ſancti prophetę ſuo ore occinerunt non inanem ſonum habeãt, & caſſa ſolius tropologiæ nomina, ſed fundentur in terra. Et cum hiſtoriæ habuerint fundamenta, tunc ſpiritualis intelligentiæ culmen accipiant: vt verè Chriſtus de virgine natus ſit, verè Lazarum mortuum ſuſcitarit verè ad tactum eius ἀιμοῤῥοῦσα ſanata ſit: verè in aduentu Domini cœci viderint, claudi cucurrerint, contractæ manus extenſæ ſint, lepra mundata ſit: licet ſecundum tropologiam quotidie de anima virginali naſcatur ſermo diuinus: quotide peccato mortui, & vitiorum funibus alligati, de ſepulchro ſcelerum ſuorum iubeantur exire quotidie ſanguinis opera conſtringantur cœci infidelitate Chriſti lumen aſpiciant: claudicantes prius fide, currant in via Domini, & aridæ manus auaritia, extendantur ad eleemoſynam, & Lepra Mariæ, quæ contaminat quicquid attigerit, recipiat priſtinam puritatem. *Tom. 5. lib. 3. Co. in cap. 9. Amos.*

*Verum tropologiæ fundamentum eſt ſubiectum ſenſus ſpiritualis.*

TRANSMIGRATIO filiorum Iſrael quãdo occidentem dimiſerint literam, & ad ſpiritũ venerint viuificantem, mouebit cuncta, quæ legis ſunt. Negotiabitur de multis margaritis vnã precioſiſſimam margaritam, & depoſita Iudæorum ſuperbia, humilitatem ſectabitur Chriſtianam, & illuc vſq; perueniet, vbi antea fuit tribulatio panis, & mulier vidua à ſuo conditore deſerta pupillum filium vix alebat, & vniuerſa illius peccata & vitia concrementur. *Tom. 5. Comment. in cap. 1. Abdiæ.*

*Non eſt idẽ ordo tropologiæ & hiſtoriæ quærendus. Galat. 4. ca.*

PRVDENS rogandus eſt Lector ne eundem velit ordinem tropologiæ, quem & hiſtorię quęrere. Nam & Apoſtolus Agar & Saram ad duo teſtamenta refert, & tamen non omnia, quæ in hiſtoria illa narrantur, tropologicè interpretari poſſumus. Et ad Epheſios de Adam & Eua diſputans, ait Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuę & erunt duo in carne vna: Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Nũquid totum Principium Geneſeos, & fabricam mundi & hominum conditionem ad Chriſtum & Eccleſiam referre poſſumus, quia hoc teſtimonio ſic abuſus eſt Apoſtolus? fac enim hoc quod ſcriptum eſt: Ideo relinquet homo patrem ſuum referamus ad Chriſtum: vt dicamus eum patrem reliquiſſe in cœlis Deum, vt gentium populus iungeretur Eccleſiæ: hoc quod ſequitur, matrem ſuam: quomodo poſſumus interpretari: niſi forte dicamus reliquiſſe eum cœleſtem Hieruſalem quæ eſt mater ſanctorum: & cętera multo his difficiliora. Illud etiam eſt quod ab eodem Apoſtolo ſcribitur. Bibebant autem de ſpirituali eos ſequẽte petra. Petra aũt erat Chriſtus: nequaquam nos artat, vt omnem Exodi librum referamus ad Chriſtum. Quid enim poſſumus dicere, quod hæc petra à Moyſe percuſſa ſit, non ſemel, ſed bis: quod aquæ fluxerint & torrentes repleti ſint? Num viuerſam huius loci hiſtoriam per hanc occaſionem cogemus ſub leges Allegoriæ? & non potius vnuſquiſq; locus ſecundum hiſtoriæ diuerſitatem, diuerſam recipiet intelligentiam ſpiritualem? Igitur ſicut hęc teſtimonia ſuas interpretationes habent, & nec præcedentia, nec conſequẽtia eandem deſiderant allegoriam: Sic & Ionas propheta, non abſq; periculo interpretantis totus referri ad Dominum poterit. Nec ex eo quod in Euangelio dicitur. Generatio peſſima & adultera ſignum quęrit, & ſignum nõ dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus ac noctibus: ſic erit filius hominis in corde terræ tribus dieb. & trib. noctibus: reliqua etiã quæ in propheta digeſta ſunt, eodem ordine referuntur ad Chriſtum. Certè vbicunq; abſq; diſcrimine hoc fieri poterit, nos quoque facere nitemur. *Tom. 5. Com. in cap. 1. Ionæ.*

*Galat. 4. 26.*

*1. Cor. 10.*

*Exod. 17.*

*Vnuſquiſq. locus iuxta hiſtoriæ diuerſitatẽ diuerſam recipit intelligentiam ſpiritualem. Mat. 12.*

*Hieronymi conſuetudo.*

IVXTA conſuetudinem meam, primum hiſtoriam & poſtea vulgatæ editionis ſententiam ventilabo. *Tom. 5. Com. in ca. 1. Nahum.*

*Hiſtoriæ & tropologiæ diſcrimen.*

HISTORIA ſtricta eſt, & euagandi non habet facultatem. Tropologia libera, & his tantum legibus circumſcripta, vt pietatem ſequatur intelligentiæ, ſermoniſq; contextum, nec in rebus multum inter ſe contrarijs violentia ſit copulandis. *Tom. 5. Com. in cap. 1. Habac.*

*Hiſtoria ſæpe metaphoricè texitur.*

QVOD ſi quis dixerit Ecce in hiſtoriæ expoſitione dum neſcis, allegoriæ clauſus es retibus, & tropologiam hiſtoriæ miſcuiſti. Audiat non ſemper metaphoram, hiſtoriæ allegoriam conſonare: quia frequenter hiſtoria ipſa metaphoricè texitur, & ſub imagine mulieris, vel vnius viri de toto populo prædicatur. *Tom. 5. Commentari. in cap. 3. Habac.*

*Super arenã ædificant qui non miſcent hiſtoriæ tropologiam. 1. Cor. 3.*

NOVA cum veteribus fratruelis meus ſeruaui tibi: hiſtoriæ Hebræorum tropologiam noſtrorum miſcui, vt ædificarem ſuper petram, & non ſuper arenam, ac ſtabile iacerem fundamentum, quod Paulus architectus poſuiſſe ſe ſcribit. *Tomo quinto In Procemio Commentariorum libri. 1. in Zachariam.*

IN præceptis & quæ ad vitam pertinent & ſunt perſpicua, non debemus quærere allegoriam: ne iuxta Comicum, nodum quæramus in ſcirpo. *Tom. 5. lib. . Com. in cap. 8. Zac.*

*Quid ſit allegoria.*

ALLEGORIA propriè de arte grammatica eſt, & quo à metaphora vel cœteris tropis differat, in ſcholis paruuli diſcimus. Aliud prætendit in verbis aliud ſignificat in ſenſu. Pleni ſunt Oratorum & poetarum libri. Scriptura quoq; diuina per hanc non modica ex parte contexta eſt. Quod intelligens Paulus Apoſtolus (quippe qui & ſęculares literas aliqua ex parte contigerat) ipſo verbo figuræ vſus eſt, vt allegoriam, ſicuti apud ſuos dicitur appellaret: quo ſcilicet ſenſu magis loci huius Gręci ſermonis abuſionem mõſtraret. Sciſſe autem Paulum ſæculares literas, licet non ad perfectum, ipſius verba teſtantur. Di

*Paulus ſæcularium literarum peritus.*

xit quidam ex eis proprius eorum propheta. Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ ventres pigri. Hic verſus heroicus Epimenidis poetę eſt cuius & Plato & cæteri ſcriptores veteres recordantur. Apud Athenienſes quoq; cum in Areopago ſatisfaceret, hæc addidit. Sicut & quidam de vobis poetæ dixerunt: Ipſius enim & genus ſumus. Hoc hemiſtichium fertur in Arato, qui de cælo, ſtelliſq; conſcripſit: Nec nō & illud. Corrumpūt bonos mores colloquia praua trimeter Iambicus de comedia ſumptum eſt Menādri. Ex quibus & alijs euidens eſt Paulum non ignoraſſe literas ſeculares, & quam hic allegoriam dixit, alibi appellaſſe intelligentiam ſpiritualem, vt ibi: Scimus enim quoniam lex ſpiritualis eſt, pro eo quod eſt allegorica, ſiue allegoricè figurata, & alibi: Omnes eandem eſcam ſpiritualem comederunt, & eundem ſpiritualem biberunt potum. Bibebant autem de ſpirituali ſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus. Manna hoc & ſubiti fontis eruptio, & petra ipſa quæ ſequitur quod allegoricè accipienda ſint, nemo eſt qui dubitet. *Tomo ſexto libro ſecundo Commentariorum in cap. 4. ad Galatas.*

*Ad Titu. 1. — Act. 17. — 1. Cor 15. — Rom. 7. — 1. Cor. 10.*

*Moralis ſenſus confertur alphabeto.*

Si volumus legere Epiſtolam, non poſſumus legere niſi prius ſciamus literas. Sic igitur & nos non poſſumus ſcripturas cognoſcere niſi primum alphabetum nouerimus. Centeſimus ergo decimus octauus Pſalmus alphabetites moralis eſt, & inſtruit vitam noſtram. *Tomo ſeptimo in 2. expoſ. Pſalm. 119.*

## *Articul. X. Sacram ſcripturam iuxta eum ſenſum interpretandam eſſe quem in communi Doctorum conſenſu tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia.*

PORRÒ ſi quæris cur infans à dœmone corripiatur, qui peccata non habuit, aut in qua ætate reſurrecturi ſumus cū diuerſa ætate moriamur, ingratis ſuſcipies Iudicia Dei abyſſus multa. Et: O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & iuueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? Aetatum autem diuerſitas non mutat corporum veritatem, cum enim quotidie corpora noſtra fluant, & aut creſcant aut decreſcant: ergo tot erimus homines quot quotidie cōmutamur: aut alius fui cum decem annorum eſſem, alius cū triginta: alius cum quinquaginta, alius cum toto cano capite ſum? Igitur iuxta Eccleſiarum traditiones & Apoſtolum Paulum, illud eſt reſpondendum: quod in virum perfectum, & in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti reſurrecturi ſumus, in qua & Iudæi Adam conditum autumant: & Dominum ſaluatorem legimus ſurrexiſſe. *To. primo Epiſtola vigeſima ſeptima. ad Euſtochium cap. 12.*

*Pſal. 35.*

*Iuxta Eccleſiarum traditiones dubiæ quæſtiones ſoluendæ.*

*Eccleſiaſticus ſenſus ſequendus.*

CERTE in iſta expoſitione nullum crimen eſt & Origene dicente contraria, nos Eccleſiaſticum ſenſum ſequuti ſumus. *Tom. 2. lib. 1. aduerſus Ruſſinum cap 2.*

SEPTVAGINTA interpretum editionem in libro Danielis ſi dixi multum à veritate diſtare, & recto Eccleſiaru m Chriſti iudicio reprobatam: non eſt meæ culpæ qui dixi, ſed eorum qui legunt. In promptu ſunt 4. editiones, Aquilæ, Symmachi, Septuaginta, & Theodotionis. Eccleſiæ iuxta Theodotionem legunt Danielem. ego quid peccaui ſi Eccleſiarum iudicium ſum ſequutus? *Tom. 2. lib. 2. aduerſus Ruſſinum cap. 9.*

*Eccleſiarum rectum iudicium ſequendum in approbādis vel reprobandis translationibus & interpretationibus ſcripturæ.*

HVIC ſententiæ magis acquieſcit Eccleſia: vt omnes communi morte moriamur & non omnes mutemur in gloriam. *Tom. 3. Epiſt. 152. ad Minerium & Alexandrum.*

*A fide Catholicæ Eccleſiæ non recedendum.*

Meum propoſitum eſt antiquos legere, probare ſingula, retinere quæ bona ſunt & à fide Catholicæ Eccleſiæ non recedere. *Tom. 3. Epiſt. 152. ibid. in fine.*

NON intelligunt Iudaizantes totum volumen Ioannis, quod reuelationis titulo prænotatur, eſſe myſticum: reuelatione nos indigere, vt poſsimus cū propheta dicere: Reuela oculos meos & conſiderabo mirabilia de lege tua. Alij vero terrenum ſenſum relinquentes, Iudaicas atq; aniles fabulas, quæ noxiæ ſunt, & acquieſcentes ſibi detrahunt in profundum, nimium ad alta conſcendunt, & multo peiores fingunt nocnias: vt in cœleſti Hieruſalem diaboli & omnis exercitus eius bella deſcribant: & ſub τροπολογίαις gentium ſingularum interpretantur ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. Quæ nos omnia Lectoris arbitrio relinquentes, non tam aliena damnare, quam Eccleſiaſticam explanationem aſſirmare conabimur. *Tomo 4. libro 11. Commentariorum caput 38. Ezechielis.*

*Pſal. 118. — 1. Timot. 4.*

*Eccleſiaſtica explanatio ſequenda.*

HAEC vt potuimus interpretati ſumus: obedientes illi præcepto: neq; ad dextram neque ad ſiniſtram declinabis, ſed via regia ingredieris. *Ibid. in fine cap. 38.*

*Deutero 5. Numer. 20.*

*Via regia Catholicæ explicatio.*

VERVM Dei verbum reperire non poterunt qui non recto pergunt itinere, ſed deuijs circumeunt callibus, viamq; regiam non tenentes curuis ducuntur anfractibus. *Tom. 5. lib. 3. Comment. in cap. 8. Amos.*

*Maiorum interpretatio ſequenda.*

NOBIS incumbit neceſsitas iuxta 70. interpretes dicere, quæ noſtri dixere maiores. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 6. Zacha.*

*Intellectus Eccleſiæ Catholicæ ſectandus.*

QVOMODO omnes in Protoplaſto Adam necdum nati moriuntur: ita & omnes etiam hi, qui ante Chriſti aduentum nati ſunt, in ſecundo Adam viuificantur. Atq; ita fit vt & nos legi ſerui erimus in patribus & illi gratia ſaluentur in filijs. Iſte intellectus Eccleſię Catholicę conuenit, quæ & veteris & noui teſtamenti vnā aſſerit prouidentiam, nec diſtinguit in tempore quos conditione ſociauit. *Tom. 6. libro 2. Commentariorum in cap. 4. ad Galatas.*

*Illa vera doctrina et explicatio quæ conſenſu omnium magiſtrorum profertur.*

VERBA ſapientum vt ſtimuli] Ne videretur poſt legem Dei, temerarius ſubito præceptor erumpere, & ſibi vendicare doctrinam quā Moyſes, non tam ſua ſponte quam Deo iraſcente primum, dehinc inſpirante ſuſceperat, dicit verba ſua eſſe ſapientium, quæ in ſimilitudinem ſtimulorum corrigāt delinquentes, & pigros mortalium greſſus aculeo pungente commoueant ſicq; ſint firma quaſi claui in altum ſolidumq; defixi: nec auctoritate vnius, ſed conſilio atq; conſenſu magiſtrorum omnium proferantur. Et ne contemneretur humana ſapientia, ait eam ab vno paſtore conceſſam: id eſt, licet plurimi doceant tamen doctrinæ auctor vnus eſt Dominus. *Tom. 5. Com in cap. 12. Eccleſiaſtis.*

SCIO



SCIO quoſdam iſtum qui debebat decem millia talenta, diabolum interpretari cuius vxorem & filios venundandos perſeuerante illo in malitia, inſipientiā & malas cogitationes intelligi volūt. ſicut enim iuſti vxor dicitur ſapientia: ſic vxorem iniuſti & peccatoris, appellari ſtultitiam. Sed quomodo dimittat ei Dominus Deus decē milia talenta, & ille nobis, ſeruis ſuis centum denarios non dimiſerit, nec Eccleſiaſticæ interpretationis eſt nec à prudentibus viris recipiendæ. *Tom. 6. lib. 3. Commentariorum in cap. 18. Matthæi. Cano. 38. fac. 2.*

*Quicquid eccleſiaſticæ interpretationi repugnat, nō eſt à prudentibus viris recipiendum.*

PROPHETAM omnem ordinem huius Pſalmi ex peccatoris perſona proſequutū fuiſſe anteriores noſtri docuerunt *Tom. 7. Com. in Pſa. 37:*

## *Articulus XI. Aduerſus αὐτοδιδάκτους Anabaptiſtas Euthuſiaſtas & Suenckfeldianos quædam Hieronymi teſtimonia.*

*Act 22.*

PAVLVS Apoſtolus ad pedes Gamalielis legem Moyſi & prophetas didiciſſe ſe gloriatur, vt armatus ſpiritualib. telis poſtea diceret confidenter. Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnē altitudinem extollentē ſe aduerſus ſcientiam Dei, & captiuantes omnē intellectum, ad obediendū Chriſto, & ſubiugare parati omnem inobedientiā. Ad Timotheum ſcribit ab infantia ſacris literis eruditum: & hortatur ad ſtudium lectionis ne, negligat gratiam, quæ data ſit ei per impoſitionē manus præsbyterij. Tito præcipit, vt inter cæteras virtutes Epiſcopi, quē breui ſermone depinxit, ſcientiam quoq; in eo eligat ſcripturarum. *To. 3. Epiſt. 103. ad Paulinum cap. 3.*

*1. Tim. 4. c.*

*2. Cor. 14. Gal. 4.*

PAVLVS poſt Damaſcum Arabiamq; luſtratam aſcendit Hieroſolymam vt videret Petrum & manſit apud eum diebus quindecim. Rurſus poſt annos quatuordecim, aſſumpto Barnaba, & Tito, expoſuit Apoſtolis Euangelium: ne forte in vacuum curreret, aut cucurriſſet habet enim neſcio quid latentis energiæ viua vox, & in aures diſcipuli de auctoris ore transfuſa fortius ſonat. *Tom. 3. Epiſt. 103. ad Paulinum cap. 2.*

*Spiritus ſanctus à prophetis nonnunquam recedit.*

SI ſemper in prophetis eſſet ſermo Dei & iugę in pectore eorum haberet hoſpitium, nunquā tam crebro Ezechiel poneret: Et factus eſt ſermo Domini ad me dicens. Sed quia ob humanam fragilitatem, & vitæ huius neceſsitates interdum recedebat ab eis, propterea Ioannes baptiſta loquitur. Qui miſit me baptizare ipſe dixit mihi. Super quem videris ſpiritum ſanctum in ſpecie columbæ deſcendentem, & manentem in eo ipſe eſt. Nunquam enim proprium eſſet in Chriſto quod additur, & manentē in eo, niſi ab alijs nonnunquam recederet. alioquin ad Moyſen loquitur Deus. Auferam de ſpiritu qui eſt in te: quem vtiq; non haberet, niſi ad eum à Domino deſcendiſſet. *Tomo quarto libro 11. Commentariorum in. cap. 35. Ezechie.*

*Ioan. 1. ca. — Num. 11. ca.*

Ex ſuperioribus diſcimus, quamuis ad ſummam ſcientiam venerimus, comparatione diuinæ ſcientiæ, nūc ex parte nos ſcire & ex parte cognoſcere quando aūt venerit, quod perfectū eſt, tūc quod ex parte eſt, deſtruetur. Vnde & in alio loco ipſe Apoſt. imperfectum ſe eſſe loquitur rurſumq; perfectum. Quod ſi interpretatiōe caret videtur contrarium. Dicit enim. Non quia iam accepi, aut quia iam perfectus ſum: ſequor autem ſi cōprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu. fratres ego me nō arbitror comprehendiſſe: Vnū vero poſteriora obliuiſcens, & ad priora me extendens, ſtatutum perſequor ad brauiū ſupernæ vocationis Dei? Cumq; putaremus eum ſecundum profeſsionem ſuam non eſſe perfectū iam, & magis quærere quam inueniſſe quod verum eſt, non ſolum ſe ſed & alos dicit eſſe perfectos. Quotquot ergo perfecti ſumus, hoc ſapiamus. eſt autem ſenſus huius loci. Ad comparationem hominum cæterorum, qui curam non habēt notitię ſcripturarum, nec myſteriorum Dei, perfectum eſſe me fateor: quantum autem ad ſcientiam diuinæ maieſtatis, nunc in ænigmate video, & per nubilum & per caliginem, & dico cū propheta. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: & non potero ad eam. *Tomo quarto libro decimo tertio Commentariorum in caput quadrageſimum quartum Ezechielis.*

*1. Cor. 13. — Philip 3 ca.*

*Paulus nondum habuit perfectam ſcientiam.*

*Paulus diuerſa comparatione perfectus & imperfectus.*

*Pſal. 138.*

CVM eſſem paruulus, vt paruulus loquebar, vt paruulus ſapiebam, vt paruulus cogitabam: poſtquam factus ſum vir quæ paruuli erant, depoſui. Si Apoſtolus perficit & quotidie præteritorū obliuiſcens, in priora ſe extendit: ac ſecundum præceptum Domini ſaluatoris, ſtiuam tenens, poſt tergum non reſpicit. Quanto magis ego, qui necdum ad ætatem perfecti viri & in menſuram Chriſti veni, mereri debeo veniam, quod in adoleſcentia mea, prouocatus ardore ſtudio ſcripturarum, allegoricè interpretatus ſim Abdiam prophetā, cuius hiſtoriam neſciebam. Ardebat animus cognitione myſtica & quia legerā omnia poſsibilia credentibus, ignorabam diuerſa eſſe chariſmata: literas ſeculi noueram, & ob id putabam me librum poſſe legere ſignatum. Stultus ego viginti quatuor ſeniores habentes in manibus phialas & cytharas & quatuor animalia plena oculis conſurgunt de throno ſuo, imperitiam confitentur, gloriam agno canunt, & virgæ de radice Ieſſe, & putabam poſſe me quod credebam. Cuius in manu non fiebat ſermo Dei, nec dicere poteram: A mandatis tuis intellexi: neque illius de Euangelio beatitudinis recordabar. Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbūt. necdum de altari carbo ſublatus labia mea purgauerat. Necdum error veteris ignorantiæ igne ſpiritus ſancti fuerat circūciſus, audacter loquebar ad Dominum. Ecce ego mitte me. Sperabam in ſcriniolis latere quod ſcripſeram, & ingenioli mei primam temeritatem ignibus vouerā, cum ſubito de Italia adfertur exemplū à quodā iuuene tot annis, quot ego quondam ſcripſeram laudare opuſculum meū fateor miratus ſum, quod quātumuis aliquis male ſcripſerit, inuenit ſimilem lectorem ſui. Ille prædicabat, ego erubeſcebam ille quaſi myſticos intellectus ferebat in cęlum, ego demiſſo capite confiteri meum, pudorem prohibebar. Quid igitur, condemnamus in quibus pueri luſimus? minime. Scimus enim in Dei tabernaculum & aurum & pilos caprarum ſimiliter oblatos. Legimus in Euan-

*1. Cor. 13. — Philip. 3. — Luc 3 ca. — Ephes. 4.*

*Marc. 9. — Apoc. 5.*

*Iuuenilis Hieronymi temeritas.*

*Pſal. 118. — Mat. 5. ca. — Eſa. 6. — Exod. 25. 35. — Marc. 12.*

in Euangelio viduę pauperis duo minuta, magis quam diuitum ſubſtantias approbata. Et tũc dedimus quod habuimus, & nunc, ſi tamen aliquid profecimus, Domino ſuum reddimus. Gratia enim eius ſum quod ſum. Nec diffiteor per hoſce triginta annos in eius opere me ac labore ſudaſſe:

*Luc.15.*

Clemens eſt pater, cito reuertentem filium ſuſcipit: nec expectat donec quis aperiat oſtium: ipſe egreditur obuiam: annulum & ſtolam parat: licet germanus inuideat, & ſcortatorem ac nepotem vocet: de ſalute illius ſymphonia angelicæ lætitiæ, cunctarumq; virtutum in cæleſtibus perſonat. Hoc eſt illud mi Pammachi, ac luce dulcior: quo egreſsi ſcholam rhetorum, diuerſo ſtudio ferebamur: quando ego & Heliodorus chariſsimus pariter habitare ſolitudinẽ Syriæ Chalcidis nitebamur: quod putabam latere, vulgatũ eſt. Per vetera veſtigia rurſum ingrediar, emendans, ſi fieri poteſt, curuos apices literarũ. Infans etiam necdũ ſcribere noueram: titubabat manus tremebant articuli. Nunc, vt nihil aliud profecerim, ſaltẽ Socraticum illud habeo: Scio ꝙ neſcio. Dicit & Tullius tuus, adoleſcentulo ſibi quædã inchoata & rudia excidiſſe. Si hoc ille tã de libris ad Herenniũ, quam de Rhetoricis (quos ego vel pfectiſsimos puto) ad comparationem ſenilis peritię dicere potuit: quanto magis ego libere profitebor, & illud fuiſſe puerilis ingenij, & hoc maturæ ſenectutis. In libris quoq; contra Marcionem Septimius Tertullianus hoc idem paſſus eſt & Origenes in Cantico Canticorũ & Quintilianus in 12. libris Oratorię Inſtitutionis. Ex quibus perſpicue oſtenditur vnamquamq; ætatem in ſuo eſſe perfectam, & ex annorum debere numero iudicari. *Tom.5. Prooem. in Abdiam*

*Vnaquæque ætas in ſuo eſt perfecta & ex annorum numero debet iudicari.*

QVI nolunt inter cæteras Epiſtolas Pauli recipere eam quæ ad Philemonem ſcribitur, aiunt non ſemper Apoſtolum, nec omnia, Chriſto in ſe loquente, dixiſſe: quia nec humana imbecillitas vnum tenorem ſancti ſpiritus ferre potuiſſet: nec huius corpuſculi neceſsitates ſub præſentia Domini ſemper complerentur veluti diſponere prandium, cibum capere, eſurire, ſaturari, ingeſta digerere, exhauſta complere: taceo de cæteris, quæ exquiſite & coacte replicant: vt affirmẽt fuiſſe aliquod tempus, in quo Paulus dicere non auderet: Viuo iam non ego ſed viuit in me Chriſtus. An experimẽtum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus? Quale, inquiunt, experimẽtum Chriſti eſt audire. Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens tecum adfer. Et illud ad Galatas. Vtinam excindantur qui vos conturbant. & in hac ipſa epiſtola: Simul autem & præpara mihi hoſpitium? Hoc autem non ſolùm Apoſtolis, ſed & prophetis ſimiliter accidiſſe. Vnde ſæpius ſcriptum feratur: factum eſt verbum Domini ad Ezechiel, ſiue ad quemlibet alium prophetarum: quia poſt expletum vaticinium, rurſum in ſemet reuertens, homo communis fieret è propheta: & excepto Domino Ieſu Chriſto, in nullo ſanctum ſpiritum permanſiſſe. *Tomo ſexto in Prooemio ad Philemonem.*

*In Apoſtolis & prophetis an ſemper permanſerit ſpiritus ſanctus.*

*Galat.2.*

*2.Cor.13.*

*2.Tim.4.*

*Gal.5.*

*Ex propheta & Apoſtolo rurſum fieri poteſt homo cõmunis.*

*Articulus XII. Scripturæ ſacræ explicationem & tractationem ad ſacerdotes propriè & non ad laicos pertinere, nec eam ſine interprete poſſe intelligi.*

SANCTA ruſticitas ſolũ ſibi prodeſt: & quantum ædificat ex vitæ merito Eccleſiam Chriſti, tantum nocet, ſi deſtruentibus non reſiſtat. Aggæus propheta imò per Aggæum Dominus. Interroga, ait, ſacerdotes legem. In tantum ſacerdotis officium eſt, interrogatum reſpõdere de lege. Et in Deuteronomio legimus. Interroga patrem tuum & annunciabit tibi, ſeniores tuos & dicent tibi. In Pſalmo quoq; centeſimo decimo octauo Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ & in deſcriptione iuſti viri, cum eum Dauid arbori vitæ, quæ eſt in paradiſo, cõpararet, inter cæteras virtutes & hoc intulit. In lege Dñi voluntas eiũs & in lege eiꝰ meditabitur die ac nocte. Daniel in fine ſacratiſsimæ viſionis, iuſtos, ait, fulgere ſicut ſtellas, & intelligentes hoc eſt doctos quaſi firmamentum. Vides quantum inter ſe diſtent iuſta ruſticitas & docta iuſticia? Alij ſtellis, alij cælo comparantur: quanquam, iuxta Hebraicam veritatem, vtrumque de eruditis poſsit intelligi: ita enim apud eos legimus. Qui autem docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiũt multos, quaſi ſtellę in perpetuas æternitates. Cur dicitur Paulus Apoſtolus vas electionis? nempe quia vas legis & ſanctarum ſcripturarum armarium eſt. Pharisæi ſtupent ad doctrinam Domini: & mirantur in Petro & Ioanne, quo modo legem ſciant, cum literas non didicerint. Quicquid enim alijs exercitatio & quotidiana in lege meditatio tribuere ſolet, illis ſpiritus ſanctus ſuggerebat. Et erant iuxta quod ſcriptum eſt θεοδίδακτοι. Duodecim annos Saluator impleuerat, & in templo ſenes de quæſtionibus legis interrogans, magis docet, dum prudenter interrogat. Niſi forte ruſticum Petrum, ruſticum dicemus Ioannem, quorum vterque dicere poterat: Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia, Ioannes ruſticus, piſcator indoctus? & vnde vox illa obſecro? In principio erat verbum & verbũ erat apud & Deũ Deus erat verbũ? λογος enim Græcè multa ſignificat. Nam & verbum eſt, & ratio & ſupputatiò & cauſa vniſcuiusq; rei per quam ſicut ſingula quæ ſubſiſtunt. *Tomo tertio Epiſtola 103. ad Paulinum cap.4.*

*Aggai.2.ca.*

*Deut.32.*

*Pſal.1.*

*Dani.12.*

*Act.9.ca.*

*Mar.1.ca.*

*Act.4.*

*Ioan.6.*

*2.Cor.11.*

VT intelligas te in ſcripturis ſanctis ſine præuio & monſtrante, ſemitam non poſſe ingredi. Taceo de grammaticis, rhetoribus, philoſophis, geometris, dialecticis, muſicis, aſtronomis, aſtrologis, medicis, quorum ſcientia mortalibus vel vtiliſsima eſt & in tres partes ſcinditur. τὸ δόγμα, τὴν μέθοδον, τὴν ἐμπειρίαν. Ad minores artes veniam, & quæ non tam lingua quam manu adminiſtrantur, Agricolæ, cementarij, fabri metallorum lignorumúe cœſores, lanarij quoque & fullones, & cæteri, qui variam ſuppellectilem & vilia opuſcula fabricantur, abſque doctore non poſſunt eſſe quod cupiunt. Quod medicorum

*Scripturã nõ poteſt ſine interprete intelligi.*



eſt promittunt medici: tractant fabrilia fabri. Scribimus indocti doctiq; poemata paſsim. Hãc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent antequam diſcant. Alijs adducto ſupercilio grandia verba trutinantes, inter mulierculas de ſacris literis philoſophantur. Alij diſcunt, prôpudor, à fœminis, quod viros doceant: & ne parum hoc ſit, quadam facilitate verborum, imo audacia ediſſerunt alijs quod ipſi non intelligunt. *Tomo tertio Epiſtola 103. ad Paulinum cap.6.*

POST feminalia & lineam tunicam induimur hiacynthino veſtimento, & incipimus de terrenis ad alta conſcendere. Hæc ipſa hiacynthina tunica à 70. ὑποδύτης, id eſt, ſubucula nominatur, & propriè eſt Pontificis, ſignificatque rationem ſublimium non patere omnib. ſed maioribus atq; perfectis. Hanc habuerunt Moyſes, Aarõ & prophetæ, & omnes, quib. dicitur: In mõtem excelſum aſcende tu, qui Euangelizas Sion *Tom.3. Epiſt.128. ad Fabiolam.*

*Ratio ſublimium nõ patet omnibus ſed maiorib. & perfectis.*

*Eſaiæ.40.*

VIDENTVR mihi tropologicè montes eſſe, qui ad perfectam ſcientiam peruenerunt. Colles qui paulo inferiores ſunt. Rupes, qui nullam habentes ſcientiam, & tantum in conuerſatione fidentes, aliqua ſibi de ſcripturarũ interpretatione præſumunt, habentes iuxta Apoſt. Zelũ Dei ſed non ſecundũ ſcientiã. Valles aũt appellari nouiſſimos in Eccleſia: qui & vita & ſcientia inferiores tamen de conuentu familiæ dominicæ non recedunt. Qui omnes verbum Dei iubẽtur audire: vt vnuſquiſq; pro ſuo modulo & ſenſu intelligat quid Dominus præcipiat. *Tom.4. lib.2. Com. in ca.16. Ezechielis.*

*Diuerſa diſſimilium mẽbrorũ Eccleſiæ officia.*

ET quærent viſionem de propheta. Propriè ſingula quæruntur à ſingulis. Vaticiniũ futurorum quæritur à propheta. Legis interpretatio ſacerdotis officium eſt. Prudens conſilium, ætas matura perquirit, iuxta illud quod ſcriptum eſt. In conſilio ſanctorum & congregatione, magna opera Domini. Hæc autem non ſolum eo tẽpore, quando Babylonius cõtra Hieruſalem veniebat exercitus, à prophetis, ſacerdotibus, ſenioribus quęrebantur, ſed quotidie in Eccleſijs requiruntur. Quę ſi viſionem, legem, conſiliumq; perdiderint, fruſtra ſe prophetas, ſacerdotes ſeniores habere iactant. *To.4. li.2. Co. in ca.7. Ezec.*

*Legis interpretatio ſacerdotis officium eſt.*

*Pſal.110.*

HAERESIS ipſa non moritur, hæreditarijs, cõtra nos odiorum ſuorum catulis derelictis: qui noſtra ſimulantes, genitricis antiquæ & pellacis Vlyſsis venena non deſerunt: labiaq; tantũ melle circumlinunt, & iuxta eloquia ſcripturarum: mollierunt verba ſua ſuper oleum: ipſa autem ſunt iacula, & iacula ignita, quæ ſcuto fidei repellenda ſimul & extinguenda ſunt. Hæc dixi filia Euſtochium, vt laborantem me in opere prophetali, & hæreticis reſiſtentem, orationibus iuues. Et ſextum volumen explanationũ in Ezechielẽ meo ore ſuo ſenſu Dominus explicet: eiuſdemq; ſpiritus gratia: quo prophetis reuelata ſunt, quæ ſcripta legimus, nobis quoq; diſſerentibus reuelentur: vt poſsimus dicere: Os meũm aperui & attraxi ſpiritum. *To.4. Prooem. Com. lib.6. in Ezec.*

*Hæreſis antiquæ et pellacis Vlyſsis venena non deſerit.*

*Pſal.118.*

HANC fuiſſe conſuetudinem populi Iſrael vt quicquid ſcire cupiebant, à Domino quærerent per prophetas, multa exẽpla teſtantur. Saul quærens aſinas pergit ad Samuelem, accepitq; cõ ſilium à puero, vt offerat prophetæ quartam partem ſicli. Aegrotante filio Hieroboam, mittitur in Silo ad Achiam prophetam vxor eius, deferens munuſcula, panes, & colliridas, vuas & lagũculam mellis, vt de filij infirmitate cognoſceret. Dauid quoq; propheta alium interrogat prophetam Nathan, vtrum templum domino, ædificare debeat. Et Achab ſciſcitatur, aſcẽdat an non in Ramoth Galaad. in Eſaia quoq; & in Regum volumine, quæ Sennacherib ventura ſunt, nunciantur. Nec mirum ſi in veteri teſtamento, ſingulis qu ventura ſunt prophetę annuncientę, cum Agabum legerimus, quæ Paulo ventura sũt prophetare. Scriptum eſt enim in Deuteronomio. Gentes quas perditurus eſt Dominus in cõſpectu tuo, iſtæ omnia & diuinationes audient: tibi autem non ſic dedit Dominus deus tuus. Gẽtium eſt enim adire Chaldęos, ariolos, aruſpices, diuinos, ſortilegos, oracula dęmonũ, quib. error earũ illuditur. Vnde et nunc ſeniores Iſrael prophetam adeunt, vt interrogent per eum Dominum: & tamen de interrogatione ſilent, ipſo qui interrogandus erat, ſciente, quid interrogarent, & vt in eo miraculum ſit ſcire cur venerint, & ad ea reſpondere quæ tacitus ſermo in animo continebat. *Tomo quarto libro.6 Comment. in. cap 20. Ezechielis.*

*Mos populi Iſrael à prophetis futura quærere.*

*1.Reg.9.*

*3.Reg.14.*

*2.Reg.7.*

*3.Reg.22.*

*Eſa 37.*

*4.Reg.19.*

*Act.21.*

*Deut.18.*

MVRVS diuidit inter ſanctuarium & vulgi locum. Ex quo intelligimus omnem ſupra templi deſcriptionem, ſacerdotum, qui ſunt filij Sadoch, fuiſſe miniſterijs delegatam. Hunc autem murum, qui tanto ſpacio dilatetur, & vniuerſa circumeat ſeparare ſanctuarium & vulgi locum. *Tom.4. lib.13. Com. in cap.43. Ezec.*

*Vulgi locus à ſacerdotibus diſtinctꝰ.*

SVNT & alij in familia Eccleſiaſtæ ad inſtar bouum & ouium, propter opera & ſimplicitatem, qui abſq; ratione & ſcientia ſcripturarum laborant quidem in Eccleſia, ſed necdum ad id peruenere, vt homines eſſe mereantur & redeant ad imaginem conditoris. Diligentius nota quod in ſeruis & ancillis & vernaculis multitudo non additur. In bobus verò & ouibus dicitur poſſeſſio armẽt. & ouium multa fuit mihi. Plura quippe in Eccleſia armenta quam homines, ſunt: plures oues quam ſerui, ancillæ atq; vernaculi. *Tom.5. Com. in cap.2. Eccleſiaſtis.*

*Diſtinctio membrorum Eccleſiæ.*

TEMPVS tacendi tempus loquendi] Pythagoricos reor, quorum diſciplina eſt tacere per quinquennium & poſtea eruditos loqui, hinc originem ſui traxiſſe decreti. Diſcamus itaque & nos prius nõ loqui, vt poſtea ad loquendum ora reſeremus. Sileamus certo tempore, & ad præceptoris eloquia pendeamus. Nihil nobis videatur rectum eſſe, niſi quod diſcimus, vt poſt multum ſilentium, de diſcipulis efficiamur magiſtri. Nũc verò pro ſeculorum quotidie in peius labentium vitio, docemus in Eccleſijs quod neſcimus. Et ſi compoſitione verborum vel inſtinctu diaboli, qui fautor errorum eſt, plauſus populi excitauerimus contra conſcientiam noſtram, ſcire nos arbitramur, de quo alijs potuimꝰ perſuadere. Omnes artes abſq; Doctore non diſcimus: ſola hæc tã vilis & facilis eſt, vt non indigeat præceptore? *Tom.5. Com. in cap.3. Eccleſiaſtis.*

*Contra prophanam eorũ temeritatem qui nullo iudicio prædit i facile in ſcripturas inuolant.*

QVIA datur locus pœnitentiæ poſt immunditiæ correptionem, viceſima quarta die ſermo fit ad Aggeum prophetam: vt quaſi ex perſona Domini quæſtionem ſacerdotibus ſuſci-

*Ex veteri et nouo teſtamento probat officium.*

*ſacerdotum eſſe vt interrogati de lege reſpondeant.*

tetur ex lege venientem, & dicitur ei. Interroga ſacerdos legem, dicens: Simulq́; conſidera ſacerdotum eſſe officij, de lege interroganti reſpondere. Si ſacerdos eſt, ſciat legem Domini: ſi ignorat legem, ipſe ſe arguit non eſſe Domini ſacerdotẽ. Sacerdotis enim eſt ſcire legem, & ad interrogationem reſpondere de lege. Quod quidem & in

*Deut. 17.*

Deuteronomio legimus: vt ſicubi in vrbibus Iſrael quæſtio fuerit exorta inter ſanguinem & ſanguinẽ, inter iudicium & iudiciũ, lepram & leprã contradictionẽ & contradictionẽ: eant ad ſacerdotes atq́; leuitas, & ad pontificem, qui in diebus illis fuerit conſtitutus, & quærant ab eo legẽ Domini: quibus reſpondentibus faciant quod iubentur. Quodſi non fecerint, exterminentur de populo. Et ne forſan in veteri ſolum inſtrumento hæc præcepta videantur, loquitur & Apoſtolus ad Timotheum. Epiſcopum non ſolum

*1. Tim. 3.*

irreprehenſibilem eſſe debere, & vnius vxoris virum, & ſapientem & pudicum, & ornatum & hoſpitalem, ſed etiam doctorem. Et ne caſu hoc dixiſſe videretur: Ad Titum quoq́ue ſuper

*Titum. 1.*

presbyteris (quos & Epiſcopos intelligi vult) ordinandis, eadem cautela ſeruatur. Propter hoc reliqui te Cretæ vt quæ reſidua erant, corrigeres, & ordinares per ciuitates presbyteros ſicut ego præcepi tibi: Si quis eſt irreprehenſibilis, vnius vxoris vir: filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ, vel non ſubiectos. Oportet enim Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: non procacem, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum: ſed hoſpitalem, pudicum, benignum, iuſtum, ſanctum, continentem, habentes in doctrina ſermonem fidelem, vt poſsit conſiliari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. Sunt enim multi & non ſubiecti, vaniloqui & ſeductores, & maximè qui de circunciſione ſunt, quibus oportet imponere ſilentium. Hæc prolixius poſui vt tam ex veteri quã nouo teſtamento ſacerdotũ eſſe nouerimus, ſcire legem Dei, & reſpondere ad quæ fuerint interrogati. *Tomo 5. Com. in cap. 2. Aggæi.*

APOSTOLVS, qui omnibus omnia factus eſt vt omnes lucrifaceret, debitor græcis ac barbaris, ſapientibus & inſipentibus, Galatis quoq́; quos antea ſtultos nominauerat, factus eſt ſtul-

*Captui auditorum Doctor ſeſe accommodabit*

tus. Non enim ad eos vſus eſt his argumentis, quibus ad Romanos, ſed ſimplicioribus, & quæ ſtulti poſſent intelligere, & pene de triuio. Quod ne videretur imperitia & non arte feciſſe prudenti, placat ante lectorem, & quæ dicturus eſt temperat præmiſſa præfactione: fratres ſecundũ hominem dico: Quod enim dicturus ſum, non dico ſecundum Deum, nõ dico ſecundum reconditam ſapientiam, & eos qui ſolido poſſunt veſci cibo, ſed ſecundum eos, qui ob teneritudinem ſtomachi lacteo rore paſcuntur, & nequaquam valent

*1. Cor. 5.*
*1. Cor. 7.*
*1. Cor. 11.*

audire, quæ grandia ſunt. Vnde & ad Corinthios, in quibus audiebatur fornicatio, & talis fornicatio, quæ ne inter gentes quidem, ait: Ego dico & nõ Dominus, & ad eoſdem in ſecunda: Quodloquor non ſecundum Dominum loquor, ſed quaſi in inſipientia. Putant aliqui quod de teſtamento hominis, & de teſtatoris morte: & cæt. humanæ ſimilitudinis diſputaturus exemplis, dixerit: & fratres ſecundum hominem dico. Mihi autem videtur & propter hoc quidem quod illi arbitrantur, ſed maximè propter illud quod ſequitur eſſe præmiſſum, id eſt: Non dicit & ſeminibus quaſi in multis, ſed quaſi in vno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Omnes ſcripturas ſenſu ac memoria peragrans, nunquam plurali numero ſemina ſcripturarum reperi, ſed ſiue in bonam ſiue in malam partem ſemper numero ſingulari. Nec non & illud quod infert. Hoc autem dico teſtamentũ confirmatũ a Deo, ſi quis diligẽter Hebræa volumina, & cæt. æditiones cũ 70 interpretum translatione contulerit, inueniet vbi teſtamentum ſcriptum eſt, non teſtamentum ſonare, ſed pactum, quod Hebræo ſermone dicitur Berit. Vnde manifeſtum eſt id feciſſe Apoſtolum quod promiſit, nec reconditis ad Galatas vſum eſſe ſenſibus, ſed quotidianis & vilibus, & quę poſſet, (niſi præmiſiſſet, ſecundum hominem dico) prudentibus diſplicere. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 3. ad Galatas.*

RECTE Epheſijs dicitur vt cautè ambulent, qui habebant exercitatos ſenſus ad diſcernendũ bonum & malum: & probantes oĩa, id quod ſtatuerant bonum eſſe retinebant. Qui autem videt quomodo ambulet, & quam cautè figat gradum (ne forte ad lapidem offendat pedem ſuũ) & dicit Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine:

*Pſ. 90 et 118*

vtiq́; ſapiens eſt. Non enim puto ἰδιώτην quempiam, & ſi velit ambulare cautè, poſſe hoc implere præceptum: quia ſapientib. & non inſipientibus imperatum eſt. Ex quo intelligimus & præcepta moralia (quę pleriq́; manifeſta arbitrantur, ex eo quod in Pſalmo cẽteſimo decimo octauo dicitur: Mandatum Domini lucidum illuminans oculos) indigere prudenti & circunſpecta expoſitione: quia lucidum illud præceptum, eorum illuminat oculos, qui inſipientia derelicta, ſapiẽtiæ ſtudijs ſe manciparint. *Tom. 6. lib. 3. Commenta. in cap. 5. ad Ephe.*

*Alia idiotarum ratio et alia doctorum.*

*Præcepta moralia indigent circunſpecta expoſitione.*

DOMINVS aut in lumine eſt aut in caligine In lumine incipientibus eſt. Incipientibus enim ſimpliciter loquitur, qui verò perfecti ſunt, illis myſticè loquitur. Deniq́; Apoſtolis non loquebatur quaſi turbis, ſed intrinſec⁹ loquebatur. Et quid dicit? Qui habet aures audiendi audiat. Ergo hoc quod dicit: & caligo in circuitu ei⁹, hoc eſt

*Exod. 19.*

& myſteria in circuitu ei⁹, propterea dicitur & in Exodo. Et oĩs, inq̃t, populus ſtabat deorsũ, Moyſes autẽ ſolus ingreſſus eſt in montum Sina in ca-

*Pſal. 17.*

ligine. Nõ enim poterat omnis populus Dei ſcire myſteria, q̃ ſol⁹ poterat noſſe Moyſes. dicitur de Deo poſuit tenebras latibulũ ſuũ. *T. 7. C. in Pſa. 96.*

CAELOS ſcripturas intelligimus ſanctas: quæ per Dei digitum, hoc eſt per ſpiritum ſanctum ſunt prolatæ. Quoniam videbo cælos opera digitorum tuorum. Qui ſe viſurum eſſe promittit: necdum in præſenti videt. Videbo inquit. Tunc

*Alia rudiũ alia doctorũ ratio.*

enim etiam rationẽ operis eius curſumq́; cognoſcam. Aliter videt gubernator nauim, aliter medicus ægrotantem, aliter picturam pictor, quã imperitorum rudes oculi. *To. 7. Com. in Pſal. 8.*

*Malac. 2. ca.*

SACERDOTVM eſſe officiũ legis habere notitiam, & in Malachia diſcimus, qui ait. Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirẽt ex ore eius, quia angelus domini exercituum eſt. *Tom. 4. lib. 13. Com. in cap. 44. Ezec.*

SACERDOTIS officiũ eſt docere populũ, quid inter ſanctũ, & pollutũ, inter mundũ & immundũ ſit: vt pri⁹ referamus ad dogmata, ſecundũ ad opera,



opera, quæ per carnem efficiuntur. *Ibid.*

*Vulgus ignobile neſcit quid in obſcuris locis dicatur.*

OMNIS prophetia in obſcuritate continet veritatem: vt diſcipuli intrinſecus audiant vulgus ignobile & foris poſitum, neſciat quid dicatur. *Tom. 4. lib. 14. Com. in cap. 45. Ezech.*

VIDEBAT Daniel viſionem per imaginem & picturam, & illius intelligentiam neſciebat. Non ergo omnis qui videt, intelligit: quomodo ſi ſcripturã ſanctam legamus oculis, & corde non intelligamus. *Tom. 4. li. 1. Com. in ca. 8. Daniel.*

PRAECEPTA vitæ dat & non vult offendere euntes ad Eccleſiam. Non enim ingredi in domũ Dei, ſed ſine offenſiõe ingredi laudis eſt. Et ſi eſſet omnium qui ſunt in Dei Eccleſia, Dei audire ſermonem, nunquã addidiſſet, appropinqua vt

*Exod. 19.*

audias. Deniq́; Moyſes ſolus prope accedebat ad audiendum Deum: cæteri non valebant accedere. *Tom. 5. Com. in cap. 4. Eccleſiaſtis.*

NON diſcipulis ſed turbis per parabolas loquitur, & vſq́; hodie turbæ in parabolis audiunt, diſcipuli domi interrogant ſaluatorem. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 13 Matthæi cano. 26.*

TVRBAE à Domino per Apoſtolos alimenta ſuſcipiunt. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 14. Mat.*

COMEDVNT quinq́ue millia virorum, qui in perfectum virum creuerant, ſequebantur eũ

*Zac. 6.*

de quo dicit Zacharias. Ecce vir Oriens nomen eius. Mulieres autem & paruuli ſexus fragilis, &

*Num. 1. 2. 3.*

ætas minor numero indigni ſunt. Vnde & in Numerorum libro, quotiens ſacerdotes & leuitæ atque exercitus, vel turbæ pugnantium deſcribuntur: ſerui & mulieres & paruuli, & vulgus ignobile abſq́; numero prætermittuntur. *Tom. 6. li. 2. Co. in cap. 14. Matthæi.*

SI fuiſſent cum eo diſcipuli Petrus, Iacobus & Ioannes, qui viderant gloriam transformari, forſitan aſcendiſſent in montem cum eo: ſed turba ad ſublimia ſequi non poſt: niſi docuerit eã iuxta mare in littore, & aluerit in deſerto, *ibid. vt ſup.*

SCIO equidem ardorem eius, ſcio fidem (quã flãmam, ſemper habeat in pectore ſuperare ſexũ obliuiſci hominis, & diuinorum voluminũ tympano cõcrepante, rubrũ huius ſeculi pelagus perfretare. Certè cum Romæ eſſem, nunquam tam feſtina me vidit vt non de ſcripturis aliquid interrogaret, Neque verò more Pythagorico quicquid reſponderam, rectum putabat: nec ſine ratione præiudicata apud eam valebat authoritas: ſed examinabat omnia, & ſagace mente vniuerſa penſabat, vt me ſentirem non tã diſcipulũ habere quam iudicem. Itaq́; quod & illi abſenti per gratum fore, & vobis quæ in præſentiarũ eſtis vtile exiſtimo, aggrediar opus intentatũ ante me la-

*Seculari doctrina occupati non poſſunt recte explicare ſacras literas.*

tinæ linguæ ſcriptoribus, vt à Græcis quoq́; ipſis vix paucis, vt rei poſcebat dignitas, vſurpatũ. Non quia ignorem Caium Marium Victorinũ, qui Romæ pueros Rhetoricam docuit, edidiſſe Commentarios in Apoſtolum: ſed quod occupatus ille eruditione ſeculariũ literarũ, ſcripturas omnino ſanctas ignorauerit, & nemo poſsit quãuis eloquens, de eo benè diſputare quod neſciat. *Tom. 6. Proœm. Com. in Epiſt. ad Gal.*

QVOMODO in coniugio ſæpe viris ſemen in cauſa eſt ne libri procreentur: nonunquã ſterilis vxor ſemina nõ tenet, & frequenter neuter ad generandũ aptus eſt, & econtrario vterq́; fœcund⁹: Ita & in his qui verbũ Dei ſeminant, quadrifaria hæc diuiſio cuſtoditur: vt impleat quidẽ doctor ſuum officium, ſed ſit ſterilis auditor: vel auditor bonæ indolis ſit, ſed per imperitiã Doctoris verbi ſemen intereat: aut certè tam vecors ſit qui docetur, quã ille eſt qui præcipit: raroq́; contingit vt magiſter & diſcipulus ſibi conſentiant, ſ. vt tantum iſte doceat quantũ ille poſsit haurire, vel tantum ſuſcipere doctus quantum doctor ingererẽ. At nũc omnes iudices ſumus. Neſcimus quo-

*Non omnes in Eccleſia iudices eſſe debent.*

tus Pſalmus ſit, quę pars prophetię, quod legis capitulum, & lõquendi facilitate interpretamur audacter, quod nequaquam intelligimus. Non ad nos pertinet vt Chriſtus formetur in populo, vt ad domum ſuã rediẽs habeat quiſq́; ſemen verbi Dei q́ cũ conceperit poſſet dicere cum propheta.

*Eſaia. 26.*

A timore tuo Domine cõcepimus, parturiuimus & peperimus, filios ſaluationis tuę fecimus ſuper terram. Tales in Apoſt. tranſeunt & à ſaluatore merentur audire. Quicunq́; fecerit voluntatẽ patris mei, ipſe eſt frater meus, & ſoror & mater, diuerſitate profectuum in diuerſis nominibus oſtendente. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap.. ad Gal.*

SI orantibus vobis, illũ poſsim in exponendis epiſtolis eorum habere ſpiritum, quẽ illi in dictãdo habuerũt, tunc videretis tantam maieſtatem & latitudinem in his veræ fuiſſe ſapientiæ, quanta in ſeculi literatis, arrogantia & vanitas fuit. Breuiter vobis mentis meæ fateor arcanum. Qui per me intellecturus eſt Apoſto. nolo, vt mea ſcripta difficulter intelligat, & ad interpretem cognoſcendum, alium quærat interpretem. *Tom. 6. Proœ. lib. 3. Com. ad Galat.*

SECVNDVM ſenſum myſticum cælum altius ſancti Apoſtoli: qui ab ipſo Chriſto audierũt

*Cæli doctores, ſimplices terra.*

prædicationem, & illuminationẽ ſpiritus ſancti acceperunt, & exinde fuerunt edocti. Cęlum iterum ſucceſſores Apoſtolorum: quibus illi prædicauerunt, & Dñs illos in anima illorum illuminauit. Terrã autem dedit filijs hominũ. Hi ſunt illi ſimpliciores, qui tantum incarnationem credũt: qui lac edunt & nutriuntur per prædicationẽ, & ipſi qui terreni erãt, cœli efficiũtur *T. 7. C. in Pſ. 113*

MONTES ſancti dicuntur in ſcripturis. Mons vocatur Abraham, mons Iſaac, montes ſancti prophetæ. Montes iſti habent & frumenta, habent & fœnum. Si homo es, accipis frumentum ab ipſis:

*Pſal. 35.*

ſi pecus & fœnum accipis. Homines & iumenta ſaluos facies Domine. Secundum fidem tuam ſaluaris. Qui producit in montibus fœnum, & dat iumentis eſcam ipſorum. *Tom. 7. Commentariorum in Pſal. 146.*

## *Articulus XIII. Linguarum peritiam, artium, eloquentiæ & philoſophiæ cognitionem vtilem eſſe ad ſcripturarum, cum intelligentiam, tum tractationem.*

CERTE, ſi rudes ſecularium literarum, de tractatibus diſertorum hominum quippiam legerint, verboſitatem ſolam diſcunt, abſq́; notitia ſcripturarum, & iuxta vetus elogium, cum loqui neſciant, tacere non poſſunt: docẽtq́; ſcripturas, quas non intelligunt: et cum alijs perſuaſerint, eruditorum ſibi aſſumunt ſupercilium, prius imperitorum magiſtri, quàm doctorum diſcipuli, *Tom. 1. Epiſtola 8. ad Demetriadem. cap. 9.*

*Rudes ſecularium literarum non ſunt apti tractandis ſcripturis.*

NEC tibi diſerta multũ velis videri, aut lyrici feſtiua

ſtiua carminis metro ludere. Non delumbem matronarum ſaliuam delicata ſecteris, quæ nunc ſtrictis dentibus, nunc labijs diſſolutis, balbutientem linguam in dimidiata verba moderantur, ruſticum putantes omne, quod naſcitur, adeo illis adulterium etiam linguæ placet. Quæ enim communicatio luci ad tenebras? qui conſenſus Chriſto cum Belial? quid facit cum pſalterio Horatius? cum Euangelijs Maro? cum Apoſtolis Cicero? Nónne ſcandalizaretur frater, ſi te viderit in idolio recumbentem? Et licet omnia munda mundis, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur: tamen ſimul bibere non debemus calicem Chriſti & calicem dæmoniorum. Referã tibi meę infælicitatis hiſtoriam. Cũ ante annos plurimos domo, parentibus, ſorore, cognatis, & quod his difficilius eſt, cõſuetudine lautioris cibi, propter regna cęlorũ me caſtraſſem; & Hieroſolymã militaturus pergerẽ; bibliotheca, quam mihi Romæ ſummo ſtudio ac labore confeceram, carere omnino non poteram, itáque miſer ego, lecturus Tullium, ieiunabam, poſt noctium crebras vigilias, poſt lachrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis viſceribus eruebat, Plautus ſumebatur in manus. ſi quando, in memetipſum reuerſus, prophetas legere cœpiſſem, ſermo horrebat incultus: & quia lumen cęcis oculis non videbam, non oculorum putabam eſſe culpam ſed ſolis: Dum ita me antiquus ſerpens illuderet, in media ferme quadrageſima medullis infuſa febris corpus inuaſit exhauſtum, & ſine vlla requie, quod dictu quoque incredibile ſit, ſic infęlicia membra depaſta eſt, vt oſsibus vix hærerẽ, interim parantur exequiæ; & vitalis animæ calor, toto frigeſcente iam corpore in ſolo tantum tepente pectuſculo palpitabat: cum ſubito raptus in ſpiritu, ad tribunal iudicis pertrahor: vbi tantum luminis, & tantum erat ex circunſtantiarum claritate fulgoris, vt proiectus in terrã ſurſum aſpicere non auderem. Interrogatus de cõditione, Chriſtianum me eſſe reſpondi: & ille qui pręſidebat, Mentiris, ait, Ciceronianus es, nõ Chriſtianus. Vbi enim theſaurus tuus ibi & cor tuum. Illico obmutui, & inter verbera (nam cœdi me iuſſerat) conſciẽtiæ magis igne torquebar, illum mecum verſiculum reputans: In inferno autem quis confitebitur tibi? Clamare autem cæpi & eiulans dicere: Miſerere mei Domine, miſereri mei. Hæc vox inter flagella reſonabat. Tandem ad præſidentis genua prouoluti, qui aſtabant precabantur vt veniam tribueret adoleſcentiæ, & errori locum pænitentiæ commodaret; exacturus deinde cruciatum, ſi gentilium literarum libros aliquando legiſſem. Ego qui in tanto conſtrictus articulo, vellem etiam maiora promittere, deierare cœpi & nomẽ eius obteſtãs dicere: Domine ſi vnquam habuero codices ſeculares, ſi legero, te negaui. In hęc ſacramenti verba dimiſſus, reuertor ad ſuperos, & mirantibus cunctis, oculos aperio tanto lachrymarum imbre perfuſos, vt etiam incredulis fidem facerem, ex dolore. Nec verò ſopor fuerat aut vana ſomnia, quibus ſæpe deludimur, teſtis eſt tribunal illud, ante quod iacui: teſtis iudiciũ triſte quod timui, ita mihi nunquam contingat in talem incidere quæſtionem: liuentes fateor me habuiſſe ſcapulas, plagas ſenſiſſe poſt ſomnum, & tãtò de hinc ſtudio diuina legiſſe, quanto non ante mortalia legeram. *To. 1. Epiſtola. 22. ad Euſtoch. cap. 13.*

*2. Cor. 6. 1. Cor. 8. Titum. 1.*

*Immoderatũ & nimium ſtudium ſecularium literarum reprehenditur in virgine ſacra et Theologo. vide diſtinctione 37. parte 1. Decretorum Gratiani.*

*Matt. 6.*

*Pſal. 6.*

*Hieronymus nõ ideo quod ſtylo Cyceronem eſſet aſſequutus ſed potius quod in eo legẽdo nimiam impenderet operam. plagis ſe ſcribit affectum.*

Si græcè loquentem Blæſillam filiam Paulæ audiſſes; latinè eam neſcire putares. Si in Romanum ſonum lingua ſe verterat, nihil omnino peregrini ſermo redolebat. Iam verò quod in Origene quoque illo græcia miratur, in paucis non dicam menſibus, ſed diebus ita Hebraicæ linguę vicerat difficultatem, vt in diſcendis canendiſq; pſalmis cum matre contenderet. *Tomo primo Epiſt. 25. ad Paulam.*

*Virgines ſacræ latinam & Hebræã linguam calluerunt.*

Si adamaueris captiuam mulierem, id eſt ſapientiam ſecularem, & eius pulchritudine captus fueris: decalua eam & illecebras crinium atque ornamenta verborum cum emortuis vnguibus ſeca. Laua eam prophetali nitro, & tunc requieſcens cum illa dicito: Siniſtra eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, & multos tibi fœtus captiua dabit, ac de Moabitide efficietur Iſraelitis. *Tom. 1. Epiſtola 26. ad Pammachium caput 4.*

*Quomodo ſapientia ſecularis in noſtros vſus vertenda.*

*Hier. 2. c.*

Hebraeam linguam, quam ego ab adoleſcentia multo labore ac ſudore ex parte didici, & infatigabili meditatione non deſero, ne ipſe ab ea deſerar, diſcere voluit, & conſequuta eſt; ita vt pſalmos Hebraicè caneret, & ſermonem abſque vlla latinæ linguæ proprietate perſonaret: quod quidem vſque hodie in ſancta filia eius Euſtochio cernimus: quæ ita ſemper adhæſit matri & eius obediuit imperijs, vt nũquam abſque ea cubaret. *To. 1. Epiſtola 27. ad Euſtoch. c. duodecimo.*

*Paula mater & filia Euſtochium latinæ & Hebraicæ linguæ peritæ.*

Clementis Alexandrini inſignia feruntur volumina plena eruditionis & eloquentiæ tam de diuinis ſcripturis, quàm de ſecularis literaturæ inſtrumento. è quibus illa ſunt &c. *To. 1. de Viris Illuſtri. in Catalogo.*

Origenes in diuinis ſcripturis tantum habuit ſtudij, vt etiam Hebræam linguam contrà ætatis gentiſque ſuæ naturam ediſceret: & exceptis 70. interpretibus, alias quoque editiones in vnum congregaret volumen, Aquilæ. ſ. Pontici proſelyti, & Theodotionis Hebionei, & Symmachi eiuſdem dogmatis. Illud quoque de immortali eius ingenio tacere non poſſum, quod Dialecticam quoque, & Geometriam & Arithmethicam, Muſicam, Grammaticam & Rhetoricam, omniumq; philoſophorum ſectas ita didicit, vt ſtudioſos quoque ſecularium literarum ſectatores haberet, & interpretaretur eis quotidie, concurſuſq; ad eum miri fierent, quos ille propterea recipiebat, vt ſub occaſione ſecularis literaturæ, in fide Chriſti eos inſtitueret. *Tom. 1. in Catalogo Virorum Illuſtri. in Origene.*

*Origenes artium liberalium & Hebreæ linguæ peritus.*

Scribis monachum, imo neſcio quem de triuio de compitis, de plateis circumforaneũ, rumigerulum, vafrum tantum ad detrahendum, qui per trabem oculi ſui, feſtucam alterius nitatur eruere, concionari aduerſũ me, & libros, quos contra Iouinianum ſcripſi canino dente rodere, lacerare, conuellere; hunc dialecticum vrbis veſtræ, & Plautinæ familiæ columen non legiſſe quidem Categorias Ariſtó. non περὶ ἑρμηνείας nõ τοπικὰ non ſaltem Ciceronis τόπους, ſed per imperitorum circulos, muliercularumque ſympoſia, ſyllogiſmos texere, & quaſi ſophiſmata noſtra callida argumentatione diſſoluere. Stultus ego quæ me putauerim hæc abſque philoſophis ſcire non poſſe, qui meliorem ſtyli partem eam legerim, quæ deleret, quam quæ ſcriberet. fruſtra ergo Alexandri verti Commentarios, nequicquam me doctus magiſter per εἰσαγωγὴ introducit ad Logicam: & vt humana contẽnam, ſine cauſa Gregorium Nazianzenum & Didymũ in ſcripturis ſanctis catechiſtas habui: nihil mihi profuit Hebræorum eruditio, & ab adoleſcentia vſq; in hanc ætatem quotidiana in lege, prophetis, Euangelijs, apoſtoliſq; meditatio. *To. 2. in apologetico ad Domnionem Epiſt. 51.*

*Luc. 6. c.*

*Hieronymi in ſacris & profanis diuinis & humanis indefeſſũ ſtudium.*



Dum eſſem iuuenis miro diſcendi ardore ferebar, nec, iuxta quorundam præſumptionem, ipſe me docui. Apollinarium Laodicenũ audiui Antiochiæ frequenter & colui: & cum me ſanctis ſcripturis erudiret, nunquam illius contentioſum ſuper ſenſu dogma ſuſcepi. Iã canis ſpargebatur caput, & magiſtrum potius quam diſcipulum decebat: perrexi tamen Alexandriam: audiui Didymum in multis ei gratias ago, quod neſciui, didici: quod ſciebam illo docente non perdidi. Putabant me homines finem feciſſe diſcendi: veni rurſum Hieroſolymam & Bethlehẽ: quo labore, quo pretio Barrabanum nocturnum habui præceptorẽ? timebat enim Iudæos, & mihi alterum exhibebat Nicodemum. horũ omnium in opuſculis meis frequenter facio mentionem *To. 2. Epiſt. 65. ad Pam. & Oceanum.*

*Præceptores B. Hieronymi in ſcripturis.*

*Præceptor Hebræus Hieronymi.*

Audio præterea, te quædam de Epiſtola mea philoſophicè carpere, & hominem rugoſæ frontis adductiq; ſupercilij, Plautino in me ſale ludere, eò quod Barrabam Iudæum dixerim pręceptorem meum. Nec mirum, ſi pro Barhanina, vbi eſt aliqua vocabulorum ſimilitudo, ſcripſeris Barrabam, cum tantam habeas licentiam nominum immutandorum, vt de Euſebio Pamphylum, de hæretico martyrem feceris; cauendus homo & mihi maximè declinandus, ne mẽ repentè, dum neſcio, de Hieronymo Sardanapalum nomines. Audi ergo ſapientiæ columen & norma Catonianæ ſeueritatis. Ego nõ illum magiſtrum dixi, ſed meum in ſcripturas ſanctas ſtudium volui comprobare: vt oſtenderem me ſic legiſſe Origenem, quo modo & illum audierã: neq; enim Hebræas literas à te diſcere debui. An iniuria tibi facta eſt, quod pro te Apollinarium, Didymumq; ſectatus ſim? Nunquid in illa Epiſtola Gregorium virum eloquentiſsimum non potui nominare, qui ſui apud Latinos impar eſt, quo ego magiſtro glorior, & exulto. Sed eos tm̃ poſui, qui in reprehenſione erant: vt ſimiliter me Origenem non ob fidei veritatem, ſed ob eruditionis meritum legiſſe teſtarer. Ipſe Origenes, Clemens & Euſebius atq; alij complures, quando de ſcripturis aliqua diſputant, & volunt approbare quod dicunt, ſic ſolent ſcribere. Referebat mihi Hebræus: & audiui ab Hebræo: Hebræorum iſta ſententia. eſt. Certè etiam Origenes patriarchen Huillum, qui temporibus eius fuit, nominat: & triceſimum nonum in Eſaiam, in cuius fine ediſſerit. Væ tibi ciuitas Ariel, quã expugnauit Dauid, illius expoſitione concludit, vt cum aliter prius ſenſiſſe ſe dicat, doctum ab illo, id quod eſt verius, confitetur. Octogeſimum quoque nonum Pſalmum qui ſcribitur: Oratio Moyſi, hominis Dei: & reliquos vndecim, qui non habent titulos, ſecundum Huilli expoſitionem, & eiuſdem Moyſi putat: ne dedignatur Hebræam ſcripturam interpretans, per ſingula loca, quid Hebræis videatur, inſerere. *Tom. 2. lib. 1. aduerſus Ruſſinum cap. 3.*

*Hebræorum opera neceſſaria ad ſcripturas intelligendas.*

*Huillus præceptor Origenis in Hebraeis.*

Puto quod puer legeris, Aſpri in Vergilium & Saluſtium commentarios, Vulcatij in orationes Ciceronis, Victorini in dialogos eius, & in Terentij comœdias præceptioris mei Donati, æquè in Virgilium, & aliorum in alios, Plautum videlicet Lucretium, Flaccum, Perſium atq; Lucanum, argue interpretes eorum, quare, non vnam interpretationem ſequuti ſunt, & in eadem re quid vel ſibi, vel alijs videatur, enumerent. Prætermitto græcos, quorum tu iactas ſcientiam & dum peregrina ſectaris, penè tui ſermonis oblitus es: ne veteri prouerbio Sus Mineruam docere videar, & in ſyluam ligna portare. Illud miror, quod Ariſtrachus noſtri temporis puerilia iſta neſcieris. Quanquam tu occupatus in ſenſibus, & ad ſtruendam mihi calumniam cernuus grammaticorum & oratorum præcepta contemſeris, parui pendens ὑπερβατὰ poſt anfractus reddere, aſperitatem euitare conſonantium, hiulcam fugere dictionẽ. Ridiculum eſt debilitati & fracti corporis totius vulnera pauca monſtrare. Non eligo, quod reprehendam: eligat ipſe quod vitio careat. Ne illud, quidem Socraticum noſſe debuerat: ſcio quod neſcio. Nauem agere ignarus nauis timet: Abrotanum ægro non audet, niſi qui didicit, dare, quod medicorum eſt. Promittunt medici: tractant fabrilia fabri. Scribimus indocti doctiq; poëmata paſsim. Niſi fortaſſe ſe literas non didiciſſe iurabit: quod nos illi & abſq; iuramento perfacile credimus, vel ad Apoſtolũ confugiet profitentem: Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia. Ille Hebræis literis eruditus, & ad pedes doctus Gamalielis, quem non erubeſcit iam Apoſtolicæ dignitatis magiſtrum dicere, græcam facundiam contemnebat, vel certè, quod erat humilitatis diſsimulabat: vt prædicatio eius non in perſuaſione verborum, ſed ſignorum virtute conſiſteret: ſpernens alienas operas, q in ſuis diues erat. quãquã ad imperitum, & per ſingulas inſtar tui ſententias corruentem, nunquam pro tribunali ſedens Feſtus diceret: inſanis Paule, inſanis: multæ te literæ ad inſaniam conuertunt. Tu, qui in latinis muſsitas, & teſtudineo gradu moueris potius quam incedis, vel græcè debes ſcribere, vt apud homines græci ſermonis ignaros aliena ſcire videaris, vel ſi latina tentaueris, ante audire grammaticum, ferulæ manum ſubtrahere, & inter paruulos ἀθηνογέρων artem loquendi diſcere. Quamuis Cræſos quis ſpiret & Darios, literæ marſupium non ſequuntur: Sudoris comites ſunt & laboris, ſociæ ieiuniorum, non ſaturitatis, continentiæ, nõ luxuriæ. Demoſthenes plus olei quam vini expẽdiſſe dicitur, & omnes opifices nocturnis ſemper vigilijs præueniſſe. Quod ille in vna litera fecit exprimenda, vt à cane rho diſceret, tu in me criminaris cur homo ab homine Hebræas literas dicerim? *Tomo ſecundo libro primo Apolo. aduerſus Ruſſinum cap. 4.*

*Sacræ literæ ſine interprete non poſſũt intelligi.*

*Literarum cognitio neceſſaria Theologo.*

*2. Cor. 11.*

*Act. 26.*

*Non eſt reprehendendus Hieronymus quod Hebræas literas didicerit.*

Illud carpere dicitur, quod ſecundum Pſalmum interpretans, pro eo quod legimus in latino, apprehendere diſciplinam vt in Hebraico volumine ſcriptum eſt, naſcubar dixerim in commentariolis meis Adorate filium. Et rurſum omne Pſalterium in Romanum verteris ſonum, quaſi immemor expoſitionis antiquæ po-

נשקובר



ſuea

*Interpreti ſcripturæ neceſſaria cognitio linguæ Hebrææ.*

fuerim, adorate purè: quod vtique ſibi eſſe contrarium omnibus patet. Et reuera ign oſcendum eſt ei, ſi ignoret linguæ Hebraicæ veritatem, qui interdum & in latinis hæſitat. naſcu vt verbum de verbo interpreter καταφιλήσατε, id eſt, deoſculamini dicitur: quod ego nolens transferre putidè, ſenſum magis ſequutus ſum, vt dicerem, adorate. quia enim qui adorant ſolēt deoſculari manum, & capita ſubmittere, quod ſe beatus Iob idolis & elementis feciſſe negat, dicens: Si vidi ſolem cum fulgeret & lunam incedentem clarè: & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo: quæ iniquitas maxima eſt, & negatio contra Deum altiſsimū: & Hebræi iuxta linguæ ſuæ proprietatem, deoſculationē pro veneratione ponunt: id tranſtuli quod ipſi intelligunt, quorum verbum eſt Bar. Bar autem apud illos diuerſa ſignificat, dicitur enim & filius. vt eſt illud, Bariona. filius columbæ, & Bartholomæus. filius Ptolomæi, & Barthimæus & Bariheu & Barrabas. Triticum quoque & ſpicarum faſciculus, & electus ac purus. Quid igitur peccaui, ſi verbum ambiguum diuerſa interpretatione conuerti? & qui in commentariolis, vbi libertas eſt differēdi, dixeram: adorate filium, in ipſo corpore; ne violentus viderer interpres, & Iudaicæ calumniæ locum darē, dixerim: adorate purè ſiue electè, quod Aquila quoque & Symmachus tranſtulerunt. Quid ergo Eccleſiaſticæ fidei nocet ſi doceatur lector, quot modis apud Hebræos vnus verſiculus explanetur? Origeni tuo licet tractare μετεμψύχωσιν innumerabiles mundos introducere & rationabiles creaturas alijs atque alijs veſtire corporibus; Chriſtumque dicere ſæpe paſſum, & ſępius paſſurum; vt quod ſemel profuit ſemper proſit, aſſumptum: tibi quoque ipſe tantam aſſumis authoritatem, vt de hæretico martyrem, de Origenis libris hæreticorum adulteria mentiaris: mihi non licebit diſputare de verbis, & in Commentariorum opere latinos docere, quod ab Hebręis didici? niſi enim prolixum eſſet & redoleret gloriolam: iam nūc tibi oſtenderem: quid vtilitatis habeat magiſtrorum limina terere, & artem ab artificibus diſcere: & videres, quanta ſit ſylua apud Hebræos ambiguorum nominum atque verborum. Quæ res diuerſæ interpretationi materiam præbuit; dum vnuſquiſque inter dubia, quod ſibi conuenientius videtur, hoc transfert. *To. 2. lib. 1. apolog. aduerſ. Ruffinum. cap. 5.*

*Iob 31.*

*Matt. 10. Marc. 10. Actor. 13. Ioan 18.*

*Vnus verſiculus apud Hebræos multis modis exponitur.*

*Magiſtrorū Hebræorum limina terere adfert magnam vtilitatem.*

OBIICIT mihi mixtum periurio ſacrilegiū, quod in libro quo ad cōſtituendam Chriſti virginem loquor, ante tribunal iudicis dormiēs pollicitus ſum; nunquam me literis ſecularibus daturum operam, & nihilominus damnatæ eruditionis interdum meminerim. Nimirum iſte eſt Saluſtianus Calpurnius: qui nobis per magnum oratorem non magnam mouerat quæſtionem: cui libello breui ſatisfecimus, nunc quod inſtat pro priuilegio & periurio ſomnij eſt reſpondendum. Dixi me ſeculares literas deinceps non lecturum: de futuro ſponſio eſt, non præteritæ memoriæ abolitio, & quo modo, inquies, tenes, quod tanto tempore non relegis? Rurſum ſi aliquid de veteribus libris reſpondero, & dixero: adeo in teneris conſueſcere multum eſt: dum renuo, crimē incurro; & pro me teſtimonium proferens hoc ipſo arguor, quo defendor. Scilicet nūc lōgo ſermone texendum eſt, quod probant conſcientiæ ſingulorum. Quis noſtrum non meminit infantiæ ſuæ? Ego certè vt tibi homini ſeueriſsimo riſum moueam; & imiteris aliquando Craſſum, quem ſemel in vita dicit riſiſſe Lucilius; memini me puerum curſitaſſe per cellulas ſeruulorū, diem feriarum duxiſſe luſibus, & ad Orbilium ſæuientem de auiæ ſinu tractum eſſe captiuum. Et quò magis ſtupeas, nunc cano & recaluo capite, ſæpe mihi videor in ſomnis comatulus; & sūpta toga ante Rhetorem controuerſiolam declamare. Cumque experrectus fuero, gratulor me dicendi periculo liberatum. Crede mihi multa ad purum recordatur infantia. Si literas didiciſſes; oleret teſta ingenioli tui, quo ſemel fuiſſet imbuta. Lanarum conchylia nullæ aquæ diluunt. Etiam aſini & bruta animalia, quamuis in longo itinere, nouerunt ſecūdò diuerticula. Miraris ſi ego literas latinas non ſum oblitus, cum tu græcas ſine magiſtro didiceris? Septem modos concluſionum, dialectica me elementa docuerūt, quid ſignificet ἀξίωμα, quod nos pronūciatum poſſumus dicere; quo modo abſque nomine & verbo nulla ſententia ſit, ſoritarū gradus pſeudomeni argutias, ſophiſmatum fraudes. Iurare poſſum, me, poſtquam egreſſus de ſchola ſū, hæc nunquam legiſſe. Bibendum igitur mihi erat de Lethæo gurgite, iuxta fabulas poëtarum: ne arguar ſcire, quod didici. En tu qui in me paruam criminaris ſcientiam, & videris tibi literatulus, atque Rabbi: reſponde, cur ſcribere aliqua auſus ſis, & virum diſertiſsimum Gregorium pari eloquij ſplendore transferre, vnde tibi tanta verborum copia, ſententiarum lumen translationum varietas, homini, qui oratoriam artē vix primis labris in adoleſcentia deguſtaſti? Aut ego fallor, aut tu Ciceron. occultè lectitas, & ideo tā diſertus es, mihique lectionis eius crimen intendis, vt ſolus inter Eccleſiaſticos tractatores eloquentiæ flumine glorieris: licet magis philoſophos ſequi videaris, ſpinas Cleantis & contorta Chryſippi non ex arte, quam neſcis, ſed de ingenij magnitudine. Et quoniam Stoici Logicam ſibi vendicant; & tu huius ſcientiæ delyramenta contemnis: in hac parte Epicureus es: nec quæris quo modo ſed quid loquaris. Sed tamen qui ſomnium criminatur, audiat prophetarum voces, ſōnijs non eſſe credendum, quia nec adulterij, ſomnium ducit me ad tartarum: nec corona martyrij, ad cælum leuat. Quoties vidi me eſſe mortuum & in ſepulchro poſitum? quoties volare ſuper terras, & montes ac maria natatu aëris transfretare? Cogat ergo me non viuere, vel pennas habere per latera: quia vagis imaginibus mens ſæpe deluſa eſt. Quanti in ſomnis diuites apertis oculis repentè mendici ſunt? ſitientes flumina bibunt & experrecti ſiccis faucibus æſtuant. Tu à me ſomnij exigis ſponſionem? *To. 2. lib 1. Apolog. aduerſ. Ruffinum cap. 7.*

*Reſpondet pro priuilegio & periurio ſomnij vide ſuprà tom. primo Epiſtola. 27. ad Euſtochiū cap. 13.*

*Somnium fuiſſe aſſerit quod ad Euſtochiū ſcripſit de plagis ob lectum Ciceronem.*

*Dialectices peritus Hieronymus.*

*Amarus Sarcaſmus in Ruffinum innuens eius ignorantiam*

*Epicurei contemnunt Dialecticam.*

*Redit ad ſomnium ſuum.*

CRIMINI ei dandum eſt, quare græcam, Syriam & Hebræam & AEgyptiacam linguam ex parte & latinam nouerit? ergo & Apoſtolus & Apoſtolici viri, qui linguis loquebantur, in crimine ſunt? & me trilinguem bilinguis ipſe ridebis? *Tomo ſecundo libro ſecundo Apologiæ aduerſus Ruffinum capite. 6.*

*Trilinguis Hieronymus*

EGO Philoſophus, Rhetor, Grammaticus, Dialecticus, Hebræus, græcus, latinus trilinguis, Hoc modo & tu bilinguis eris, qui tantam habes græci latinique ſermonis ſcientiam: vt & græci te latinum, & latini te græcum putent, & papa Epiphanius πεντάγλωττος, quia quinque linguis contra te, & amaſium tuum loquitur. ſimulque admiror qua temeritate contra tantarum artium virum audeas dicere: tu qui tot diſciplinarum oculis vigilas, quo modo venia donandus es, ſi erraueris, & non perpetuo pudoris ſilentio contegendus. *Tomo. 2. lib. 3. Apologiæ aduerſus Ruffinum. cap. 3.*



*Epiphanius πεντάγλωττος.*

MAGNI criminis reus ſum, ſi puellis & virginibus Chriſti dixi ſeculares libros non legendos, & me in ſomnis commonitum promiſiſſe ne legerem. Tua manus Romanæ vrbi reuelatione promiſſa, aliud pollicetur & aliud efficit. Mathematicorum venerat ſoluere quæſtiones & ſoluit fidem Chriſtianorum. quæ per Ionium & Aegæum Adriaticum, atque Tyrrhænum mare plenis cucurrerat velis, in Romano portu naufragium fecit. Nonne te pudet, iſtiuſmodi delyramenta conquirere, & mihi ſimilia obijciendi imponere neceſſitatem? Eſto alius de te ſomniū videratglorioſum: verecundiæ tuę fuerat & prudētiæ diſsimulare, quod audieras, & nō quaſi magno teſtimonio, alterius ſōnio gloriari. Vide quid inter tuū & meum interſit ſomniū ego me humiliter reprehēſum refero: tu iactāter laudatū te eſſe cōgeminas. Nec dicere potes: nihil mea refert, quod alius viderit: cum in luculētiſsimis libris tuis hac te ad interpretandum dicas ratione commotū, ne vir illuſtris de te ſomniū perderet. *T. 2. l. 3. apolog. aduerſ. Ruffinum. cap. 9.*

FAC me erraſſe in adoleſcentia & philoſophorum, id eſt, gentilium ſtudijs eruditū in principio fidei ignoraſſe dogmata Chriſtiana; & hoc putaſſe in Apoſtolis, quod in Platone, Pythagora, Empedocle legeram. De dogmatibus eorum, non de libris loquutus ſum, quæ potui in Cicerone, Bruto ac Seneca diſcere. Lege pro Vatinio oratiunculam & alias, vbi ſodalitiorum mentio ſit, reuolue dialogos Tullij, reſpice omnem oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur: & Pythagoricorum dogmatum inciſa publicis literis æra cognoſces, cuius enim ſunt illa χρυσᾶ παραγγέλματα? nonne Pythagorę? in quibus omnia eius breuiter dogmata continentur, & in quę latiſsimo opere commentatus eſt Iamblichus, imitatus ex parte Moderatum virum eloquentiſsimum, & Archippum ac Lyſidem Pythagorę auditores, quorum Archippus ac Lyſides in græcia, id eſt, Thebis, ſcholas habuere: qui memoriter tenentes præcepta Doctoris ingenio pro libris vtebantur: à quibus illud eſt: φευκτέον πανταπασι καὶ ἐκκοπτέον, ἀστενείαν μεν τῦ σώματος, ἀπαιδευσίαν δὲ τῆς ψυχῆς, ἀκολασίαν δὲ τῆς γαστρός, στάσιν δὲ τῆς πόλεως, τὴν δὲ διαφωνίαν ἀπὸ τῆς οἰκείας, καὶ κοινῇ ἀπὸ πάντων τὸ ἀκρατές. quod in latinum ita poſſumus vertere: fugienda ſunt omnibus modis, & abſcindenda languor à corpore, imperitia ab animo, luxuria à ventre, à ciuitate ſeditio, à domo diſcordia, & in commune à cunctis rebus intemperantia &c. *To. 2. lib. 3. Apol. aduerſus Ruffi. cap. 10.*

*Hieronymus gentiliū ſtudijs eruditus in adoleſcentia.*

QVOD quæris in calce Epiſtolæ tuæ, cur in opuſculis noſtris, ſecularium literarum interdum ponamus exempla; & cādorem Eccleſiæ ethnicorum ſordibus polluamus: reſponſum breuiter habeto. Nunquā hoc quæreres niſi te totū Tullius poſsideret ſi ſcripturas ſanctas legeres, ſi earum interpretes, omiſſo Volcatio, euolueres. Quis enim neſciat & in Moyſe & prophetarum voluminibus quædam aſſumpta de gentilium libris, & Salomonem philoſopum Tyri & nonnulla propoſuiſſe, & aliqua reſpondiſſe? vnde in exordio Prouerbiorum commonet, vt intelligamus ſermones prudentiæ, verſutiaſque verborum parabolas & obſcurum ſermonem, dicta ſapientum, & ænigmata, quæ propriè dialecticorum & philoſophorum ſunt. Sed & Paulus Apoſtolus Epimenidis poëtæ abuſus verſiculo eſt ſcribens ad Titum, Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtię ventres pigri, cuius heroici hemiſtichium poſtea Callimachus vſurpauit. Nec mirū ſi apud latinos non ſeruet metrum ad verbum expreſſa tranſlatio; cum Homerus, eadem lingua verſus in proſam vix cohæreat. In alia quoque Epiſtola Menandri ponit ſenarium, corrumpūt bonos mores colloquia praua. & apud Atheniēſes in Martis curia diſputans, Aratum teſtem vocat. ipſius enim & genus ſumus. & eſt clauſula verſus Heroici. Ac ne parum hoc eſſet, ductor Chriſtiani exercitus & orator inuictus, pro Chriſto cauſam agens, etiam inſcriptionem fortuitā arte torquet in argumentum fidei: didicerat enim à verò Dauid extorquere de manibus hoſtium gladium & Goliæ ſuperbiſsimi caput proprio mucrone truncare. Legerat in Deuteronomio Domini voce præceptum, mulieris captiuæ radendum caput, ſupercilia, omnes pilos, & vngues corporis amputandos, & ſic eam habendam in coniugio. Quid ergo mirum, ſi & ego ſapientiā ſecularem propter eloquij venuſtatem & membrorum pulchritudinem, de ancilla atque captiua Iſraëlitidem facere cupio? & ſi quicquid in ea mortuum eſt idololatriæ voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido vel rado; & mixtos puriſsimo corpori vernaculos ex ea genero Domino Sabaoth? Labor meus in familiā Chriſti proficit, ſtuprum in alienam, auget numerum conſeruorum. Oſee accepit vxorem fornicariā Gomer, filiam Debelaim: & naſcitur ei de meretrice filius Iezraël, qui vocatur ſemē Dei. Eſai. nouacula acuta barbam & crura radit peccantium. Et Ezechiel in typo fornicantis Hieruſalem tondet cæſariem ſuam: vt quicquid in ea abſque ſenſu & vita eſt, auferatur: Cyprianus vir eloquentia pollens et martyrio, Firmiano narrante mordetur, cur aduerſus Demetrianum ſcribens teſtimonijs vſus ſit prophetarum & Apoſtolorum, quæ ille ficta & cōmentitia eſſe dicebat, & non potius philoſophorū & poëtarum, quorum auctoritati vt ethnicus contraire, non poterat. Scripſerunt contra nos ethnici Celſus atque Porphyrius: priori Origenes alteri Methodius, Euſebius & Apollinarius fortiſsimè reſponderunt. quorum Origenes octo ſcripſit libros: Methodius vſque ad decē millia procedit verſuum: Euſebius & Apollinarius viginti quinque & triginta volumina condiderunt. Lege eos & inuenies nos comparatione eorum, imperitiſsimos, & poſt tanti temporis otiū, vix quaſi per ſomnium, quod pueri didicimus recordari. Iulianus Auguſtus ſeptem libros in expeditione Parthica, aduerſum CHRISTVM euomuit; & iuxta fabulas poëtarum, ſuo ſe enſe lacerauit. Si contra hunc ſcribere tentauero; puto interdices mihi, ne rabidum canem, philoſophorum & Stoicorum doctrinis, id eſt, Hercu-

*Purgat ſe latè quod ſecularium literarum exempla ponat*

*in ſuis opuſculis.*

*Titum. 1. c.*

*1. Cor. 15.*

*Actor. 17. c.*

*1. Reg. 17. Deut. 21.*

*Oſee. 1. c.*

*Eſaie 7. Ezechie. 5. c.*

Herculis claua repercutiam: quanquam Nazaręnum noſtrum, & vt ipſe ſolebat dicere, Galilæum, ſtatim in prælio ſenſerit; & mercedẽ linguę putidiſsimę conto in ilijs perfoſſus acceperit. Ioſephus antiquitatem approbans Iudaici populi, duos libros ſcripſit contra Appionem Alexandrinum Grammaticum; & tanta ſecularium profert teſtimonia, vt miraculum ſubeat, quomodo vir Hebræus, & ab infantia ſacris literis eruditus, cunctam græcorum Bibliothecam euoluerit. Quid loquar de Philone, quem vel alterum vel ſecundum Iudæum Platonem critici nominant? Curram per ſingulos. & cæt. *ſtudioſus lector euoluat totam Epiſtolam 84. ad Magnum Oratorem Romanum To. 2.*

*Peritia linguarum neceſſaria Theologo.*

LIBRVM quoque tuum, cuius mentionem feciſti, de optimo genere interpretandi, cupio legere; & adhuc noſſe, quomodo coæquanda ſit in interprete peritia linguarum, cõiecturis eorum, qui ſcripturas ediſſerendo pertractant: quos neceſſe eſt etiam ſi rectæ & vnius fidei fuerint, varias parere in locorum multorũ obſcuritate ſententias: quanquam nequaquam ipſa varietas ab eiuſdem fidei vnitate diſcordet: ſicut etiam vnus tractator, ſecundum eandem fidem, aliter atque aliter eundem locum poteſt exponere quia hoc eius obſcuritas patitur. *Tomo ſecundo Epiſtola. 97. ad Hieronymum.*

*Topographiæ vtilitas ad ſcripturam intelligendã.*

QVOMODO græcorum hiſtorias magis intelligunt, qui Athenas viderint & tertium Virgilij librũ, qui à Troade per Leucaten, & Acroceraunia ad Siciliam, & inde ad oſtia Tyberis nauigauerint: ita ſanctam ſcripturam lucidius intuebitur, qui Iudæam oculis ſit contemplatus, & antiquarum vrbium memorias, locorumque vel eadem vocabula, vel mutata cognouerit. vnde & nobis curæ fuit, cum eruditiſsimis Hebræorum hunc laborem ſubire, vt circumiremus prouinciam, quam vniuerſæ Eccleſiæ ſonant. fateor enim mi Domnion & Rogatiane cariſsimi, nunquam me in diuinis ſcripturis proprijs viribus credidiſſe, nec habuiſſe opinionem meam, ſed ea etiam, de quibus ſcire me arbitrabar, interrogare me ſolitum, quanto magis de ijs, ſuper quibus anceps eram? *Tomo. 3. Epiſtola. 108. ad Domnionem & Gratianum.*

*Hieronymi ſtudium in Hebraica et Chaldaica lingua.*

SCIENDVM eſt Danielem maximè & Eſdrã Hebraicis quidem literis, ſed Chaldæo ſermone conſcriptos, & vnam Hieremiæ pericopen, Iob quoque cum Arabica lingua plurimam habere ſocietatem. Denique et ego adoleſcentulus poſt Quintiliani & Tullij lectionem, ac flores rhetoricos, cum me in linguæ huius piſtrinum recluſiſſem; & multo ſudore multoque tempore vix cœpiſſem anhelantia ſtridentiaq; verba reſonare; & quaſi per cryptam ambulans, rarum deſuper lumen aſpicerem, impegi nouiſsime in Danielem: & tanto tœdio affectus ſum, vt deſperatione ſubita, omnem laborem veterem voluerim contemnere. Verum, adhortante me quodã Hebræo, & illud mihi crebrius in ſua lingua ingerẽte, labor improbus omnia vincit: & qui mihi videbar ſciolus inter Hebræos, cæpi rurſus diſcipulus eſſe Chaldaicus: & vt verum fatear, vſque ad præſentem diem magis poſſum ſermonẽ Chaldaicum legere & intelligere, quam ſonare. *Tomo tertio Epiſtola 120. Præfatione in Danielem.*

DOCEMVR nos omnes qui ſapientiam dimiſimus ſecularem, et Aegyptias ollas contempſimus, non debere murmurare contra cæleſtem ſcripturarum panem, nec hic virulentias Aegyptiorum, quæ ſunt poetarum carmina, ſed ſimplicem mannæ cibum quærere, alioqui ſi eas rurſũ voluerimus appetere, vorabimus vſque ad nauſeam: & ſtatim Domini igne torquebimur: deſideriumque noſtrum vertetur in tumulos, vt ſimus ſepulchra dealbata, quæ foris apparent hominibus ſpecioſa, intus autem plena ſunt oſsib. mortuorũ, & omni ſpurcitia. T. 3. *Epiſt. 127. ad Fabiolam Manſione 13.*

*Simplicitas ſacræ ſcripturæ non eſt contemnẽda ab arrogãtibus ſeculi ſapientibus.*

*Matt 23.*

*Laus Hebraicæ linguæ ab antiquitate.*

INITIVM oris & communis eloquij, & hoc omne quod loquimur. Hebræam eſſe linguam, qua vetus teſtamentum ſcriptum eſt, vniuerſa antiquitas tradidit. Poſtquam verò in fabricatione turris per offenſam Dei, linguarum diuerſitas attributa eſt, tunc ſermonis varietas, in omnes diſperſa eſt nationes. Igitur & incendium & initium oris, in duobus animaduertimus teſtamentis: quæ circa Deum ſtare non mirum eſt, cũ per ea Dominus ipſe diſcatur. *Tom. 3. Epiſtol. 142. ad Damaſum.*

*Praxis & methodus qua ratione Theologus vti debeat ſecularibus libris.*

POSSVMVS & ſiliquas aliter interpretari: Dæmonum cibus eſt carmina poetarum ſæcularis ſapientia, rhetoricorum pompa verborum. Hæc ſua omnes ſuauitate delectant: & dum aures verſibus ſua modulatione dulci currentibus capiunt, animam quoque penetrant, & pectoris interna deuinciũt: verũ vbi cum ſummo ſtudio fuerint ac labore perlecta, nil aliud niſi inanem ſonum & ſermonum ſtrepitum, ſuis lectoribus tribuunt: nulla ibi ſaturitas veritatis, nulla refectio iuſtitiæ reperitur. ſtudioſi earum in fame veri, & virtutum penuria, perſeuerant. Huius ſapientiæ typus, & in Deuteronomio ſub mulieris captiuæ figura deſcribitur: de qua diuina vox præcepit; vt ſi Iſraelites eam habere voluerit vxorem, caluitium ei faciat, vngues præſecet, & pilos auferat, & cum munda fuerit effecta, tunc trãſeat in victoris amplexus. Hæc ſi ſecundum literam intelligamus nonne ridicula ſunt? Itaque & nos facere ſolemus, quando philoſophos legimᵘ, quando in manus noſtras veniunt libri ſapiẽtiæ ſecularis: ſi quid in eis vtile reperimus ad noſtrum dogma cõuertimus: ſi quid verò ſuperfluum, de idolis, de amore, de cura ſecularium rerum, hæc radimus, his caluitium inducimus, hæc, in virginum morem, ferro acutiſsimo deſecamus. Vnde & Apoſtolus prohibet ne in idolio quis recumbat dicens: Videte autem ne hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis. ſi enim quis viderit eum qui habet ſcientiam, in idolio recumbentem, nonne conſcientia eius, cũm ſit infirma, ædificabitur ad manducandũ idolothyta & peribit qui infirmus eſt in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt? Nonne tibi videtur ſub alijs verbis dicere, ne legas philoſophos, Oratores, poetas, nec in eãrũ lectione requieſcas? Nec nobis blandiamur ſi in eis, quæ ſunt ſcripta, non credimus; cum aliorum conſcientia vulneretur, & putemur probare, quę dum legimus, non reprobamus. Alioqui quale erit vt exiſtimemus Apoſtolum eius, qui veſcebatur in idolio, conſcientiam comprobaſſe; & eum dixiſſe perfectum, quem ſciret de idolothytis mãducare? Abſit vt de ore Chriſtiano ſonet Iupiter Omnipotens, me Hercule, & me Caſtor & cætera

*Deutero. cap. 21.*

*Quicquid vtile reperitur in libris ſapientiæ ſecularis, ad Chriſtianum dogma id conuertendum.*

*1. Cor. 8.*



cætera magis portenta, quam numina. At nunc etiam ſacerdotes Dei omiſsis Euangelijs & prophetis, videmus comędias legere, amatoria Bucolicorum verſuum verba canere, tenere Virgiliũ, & id, quod in pueris neceſsitatis eſt, crimen in ſe facere voluptatis. Cauendum igitur, ſi captiuam velimus habere vxorem, ne in idolio recumbamus: aut ſi certe eius amore fuerimus decepti, mundemus eam, & omni ſordium errore purgemus, ne ſcandalum patiatur frater, pro quo Chriſtus eſt mortuus, cum in ore Chriſtiano carmina in idolorum laudem compoſita, audierit perſonare. *To. 3. Epiſt. 146. ad Damaſ.*

*Quo tempore & à quibus tractanda profana ſtudia.*

QVIDAM omni oratione conantur de Chriſto cõuertere prophetias, & ad peruerſam intelligentiam praua interpretatione torquere: quaſi & ſi hæc de Eſaia ſcripta ſint poſsint alia ſuper Chriſto auferre teſtimonia: quæ ita perſpicua ſunt, vt clarum ſui cunctorum oculis lumen infundant. Ad perſonam igitur Domini, in qua & ſuperior finitus eſt liber, etiam iſta referenda ſũt, quod iuxta diſpenſationem aſſumpti corporis traditus ſit & linguã acceperit diſciplinæ, vt ſciret quando deberet loqui quando reticere. Denique qui in paſsione tacuit, per Apoſt. & apoſt. viros in cũcto orbe nunc loquitur. Magnęq; ſciẽtię eſt, dare in tẽpore conſeruis cibaria, & audientiũ conſiderare perſonas. Vnde & apoſtolus Paulus: his qui prophetarum fidem non recipiebant, auctorum ſuorum loquitur teſtimonijs: Sicut quidam de veſtris poëtis dixerunt, huius & genus ſumus: Aratum ſignificans. Rurſumq; de Comico: Corrumpunt bonos mores confabulationes malæ. Et Epimenidis verſum hexametrũ: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri. *Tom. 4. lib. 14. Co. in cap. 50. Eſaiæ.*

*Matt. 24.*

*Actor. 17.*

*1. Cor. 15.*

*Chronologia Theologo neceſſaria.*

*Gen. 22.*

*Gen. 15.*

SVPPVTANDI in hoc loco ab eo tempore, quo Dominus ad Abraham loquutus eſt dicens. Et in ſemine tuo benedicẽtur omnes gentes vſq; ad Legiſlatorem Moyſen; vtrum quadringenti triginta ſint: vel quomodo in Geneſi ipſi Abrahæ Dominus polliceatur, quod poſt quadringẽtos annos de terra ſeruitutis filij eiᵘ exituri ſint: Non eſt enim parua res & à multis quæſita, neſcio an ab aliquo ſit inuenta. *Tom. 6. lib. 2. Com. in ca. 3. ad Galatas.*

*Scripturã plena eſt allegorijs.*

ALLEGORIA propriè de arte grammatica eſt, & quo à metaphora vel cæteris tropis differat, in ſcholis paruuli diſcimus. Aliud prætendit in verbis, aliud ſignificat in ſenſu. Pleni ſunt oratorum & poetarum libri. Scriptura quoque diuina per hanc non modica ex parte contexta eſt. *Tomo ſexto libro ſecundo Commentariorum in cap. quartum ad Galatas.*

*Eloquentiæ ſtudium nimium in Cõcionatoribus ſui temporis reprehendit.*

*Ezech. 33.*

IAM in Eccleſijs iſta quæruntur, omiſſaq; Apoſtolicorum ſimplicitate & puritate verborũ quaſi ad Athenæum, & ad auditoria conuenitur vt plauſus circumſtãtium ſuſcitentur, vt oratio Rhetoricæ artis ſucata mendacio, quaſi quædam meretricula procedat in publicum; non tam eruditura populos, quam fauorem populi quæſitura; & in modum pſalterij & tibię dulce canentis, ſenſus demulceat audientium: vt verè illud prophetæ Ezechielis noſtris temporibus poſſet aptari, dicẽte Domino ad eum: Et factus es eis quaſi vox cytharæ ſuaue canentis, & bene compoſitæ, & audiunt verba tua, & non faciunt ea. Verum quid agam? taceam ne? Sed ſcriptum eſt: Non apparebis in conſpectu Domini tui vacuus. Et Eſaias (ſicut in Hebræis habetur voluminibus) ingemiſcit: Væ mihi miſero, quia tacui. Loquar ſed omnem ſermonis elegantiam, & latini eloquij venuſtatem ſtridor lectionis Hebraicæ ſordidauit. Noſtis enim & ipſe, quod plus quam quindecim anni ſunt, ex quo in manᵘ meas nunquam Tullius, nunquam Maro, nunquam gentilium literarum quilibet auctor aſcendit: & ſi quid forte inde, dum loquimur, obrepit, quaſi antiqui per nebulã ſomnij recordamur. Quid autem profecerim ex linguæ illius infatigabili ſtudio, aliorum iudicio derelinquo, ego quid in mea amiſerim ſcio. Si quis eloquentiam quærit vel declamationibus delectatur, habet in vtraq; lingua Demoſthenem & Tullium Polemonem & Quintilianum. Eccleſia Chriſti non de Academia & Lycæo; ſed de vili plebecula congregata eſt. *Tomo ſexto in Proœmio libri tertij Comment. ari. ad Galatas.*

*Exod. 23.*

*Quindecim annos à prophanis ſtudijs abſtinuit.*

*Infatigabile ſtudium Hebraicæ linguæ.*

SICVT elegit nos in ipſo ante conſtitutionẽ mundi.] Pro conſtitutione mundi in gręco ſcriptum habet καταβολῆς τοῦ κόσμου non idipſum autem καταβολὴ quod conſtitutio ſonat. Vnde & nos propter paupertatem linguæ & rerum nouitatem, & ſicut quidam ait: quod ſit gręcorum ſermo & latior & lingua fœlicior: conabimur non tam verbum de verbo transferre quam vim verbi quodã circuitu explicare. *To. 6. lib. 1. Com. in cap. 1. ad Epheſios.*

*Græcorum ſermo latior et lingua fœlicior.*

SI quis poteſt etiam iuxta ſermonis, & eloquij contextum docere Apoſtolum fuiſſe perfectum: & in artis grammaticæ vitia non incurriſſe, ille potius auſcultandus eſt: Nos quotieſcunq; ſolæciſmos aut tale quid annotamus, non Apoſtolum pulſamus, vt maleuoli criminãtur: ſed magis Apoſtoli aſſertores ſumus: quod Hebræus ex Hebræis, abſque rhetorici nitore ſermonis, & verborum compoſitione & eloquij venuſtate, nunquam ad fidem Chriſti mũdum transducere valuiſſet, niſi euangelizaſſet eum, non in ſapientia verbi ſed in virtute Dei. Nam & ipſe ad Corinthios ait. Et ego cum veniſſem ad vos fratres, veni nõ in eminentia verbi, aut ſapientiæ, annũcians vobis teſtimonium Dei. & rurſum. Et verbum meum & prædicatio mea, non in ſuaſorijs ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, vt fides veſtra non ſit in oſtenſione hominum, ſed in virtute Dei. Iſte igitur, qui ſolæciſmos verbis facit, qui non poteſt hyperbaton reddere, ſententiamque concludere, audacter ſibi vendicat ſapientiam, & dicit. Quoniam ſecundum reuelationem cognitum eſt mihi myſterium, ſicut præſcripſi in modico. *Tom. 6. lib. 2. Com in cap. 3. ad Epheſios.*

*An Paulus Apoſtolus in grammaticæ artis vitia incurrerit.*

*1. Cor. 2.*

*Ibidem.*

QVOD autem Eliakim & Sobna, & Ioahe humiliter deprecantur: Loquere ad ſeruos tuos Syra lingua. intelligimus enim, & non loquaris ad nos Iudaicę in auribus populi, qui eſt ſuper murum: hunc ſenſum habet: Quid neceſſe eſt populum falſis terroribus commoueri, & vanam iactare virtutem: loquere linguam quam populus non intelligit. Siquidem nos habemus linguæ tuæ ſcientiam, nouimuſq; ſermonem Syrũ, qui vtriſque communis eſt. *Tom. 4. lib. 11. Commen. in ca. 36. Eſaiæ.*

*Syra lingua vtriſq; communis eſt.*

SVNT qui hunc locum ſecundum Tropologiam ſic ediſſerunt: melius eſſe ſecularibus ſe trade-

tradere diſciplinis & maxime philoſophiæ, quã in illa permanet Eccleſia, in qua fames ſit ſermonis Dei, & cunctus populus hæreticorum gladio, doctrinæque penuria, & hæretica peſte moriatur. *Tom. 4. li. 4. Commen. in cap. 21. Hieremiæ.*

*1. Cor. 1.* *Amos. 2.*

AD approbandum autem quod Moab, in præſenti loco ſuper philoſophorum intelligatur ſuperbia, de quibus dicitur. Perdam ſapientiam ſapientum & intelligentiam intelligentium reprobabo. pauca de Prophetis exempla replicanda ſunt. Amos loquitur. Hæc dicit Dominus. ſuper tribus impietatibus Moab, & ſuper quatuor non auerſabor eum, pro eo quod combuſsit, oſſa regis Idumeæ in cineres. Verè enim quicquid in ſeculo dogmatum peruerſorum eſt, quicquid ad terrenam ſcientiam pertinet, & putatur eſſe robuſtum, hoc dialectica arte ſubuertitur, & inſtar incendij in cineres fauillaſque diſſoluitur, vt probetur nihili quod putabatur eſſe fortiſsimum. *Tom. 4. lib. 8. Com. in cap. 25. Ezechialis.*

*Laus artis Dialecticæ.*

*Geometria eſt neceſſaria Theologo*

NON parui operis eſt, quod oculis carnis vel mente conſpexeris, audientibus demonſtrare: vt & ipſi tecum vidiſſe videantur. Quamobrem ſcribit & Ioſephus, eos qui ad deſcribendam terrã miſsi ſunt ab Ieſu filio Naue, fuiſſe γεωμέτρας, & artem quæ nunc philoſophorum eſt propria, habuiſſe geometriæ. *To. 4. l. 13. C. in cap. 43. Ezech.*

*lib. 5. Antiqui cap. 1.*

*Hiſtoriæ græcæ & Romanæ cognitio eſt Theologo neceſſaria.*

AD intelligendas extremas partes Danielis multiplex græcorum hiſtoria neceſſaria eſt Suctorij videlicet, Callinici, Diodori, Hieronimi, Polybij, Podononij, Claudij, Theoni, & Andronici cognomento Alipij: quos & Porphyrius ſequutum ſe eſſe dicit: Ioſephi quoque & eorum quos ponit Ioſephus, præcipueq; noſtri Liuij, & Pompeij Trogi atq; Iuſtini: qui omnem extremæ viſionis narrant hiſtoriam, & poſt Alexandrum vſque ad Cæſarem Auguſtum, Syriæ & AEgypti id eſt Seleuci & Antiochi & Ptolomæorum bella deſcribunt. Et ſi quando cogimur literarũ ſecularium recordari, & aliqua ex his dicere, quæ olim omiſimus, non noſtræ eſt volũtatis, ſed, vt ita dicã, grauiſsimæ neceſsitatis: vt probemus ea quę à ſanctis Prophetis ante ſecula multa prędicta ſunt, tam græcorũ, quã latinorũ, & aliarum gentiũ literis contineri. *T. 4. in Præm. in Dan.*

*Philoſophi miſcent vera falſis.*

ANIMADVERTENDVM ſecundũ Anagogen quod rex Babylonis non potuerit vniuerſa Dei vaſa transferre, & in idolio ꝙ ſibi finxerat collocare, ſed partem vaſorum domus Dei, quæ intelligenda ſunt dogmata veritatis. Si enim cũctos philoſophorum reuoluas libros, neceſſe eſt vt in eis reperias aliquam partem vaſorũ Dei. Vt apud Platonem fabricatorem mundi Deum: vt apud Zenonẽ Stoicorum principẽ, inferos & immortales animas, & vnum bonum honeſtatẽ: ſed quia iungunt mendaciũ veritati, & naturæ bonũ multis perdunt malis, ideo partẽ vaſorũ Dei domus, & non oĩa vaſa integra atq; perfecta cœpiſſe memorantur. *To. 4. l. 1. Co. in cap. 1. Danielis.*

*An lingua Hebraica et Chaldaica ſit eadem.*

PHILO arbitratur linguam Hebræorum ipſam eſſe Chaldaicam, quiá Abraham de Chaldæis fuerit. Quodſi recipimus quærendũ eſt quo modo nunc Hebræi pueri linguam, quam nouerant, doceri iubeantur: niſi forte iuxta quorundam opinionem duas Abrahã linguas & Hebręorum & Chaldaicam ſciſſe dicamus. *Tom. 4. lib. 1. Co. in cap. 1. Danielis.*

*Quo ſcopo et intentione diſcenda profana ſtudia.*

QVI de menſa regis & vino potus eius nõ vult comedere ne polluatur, vtiq; ſi ſciret ipſam ſapientiam atq; doctrinam Babyloniorum eſſe peccatum, nunquã acquieſceret diſcere quod non licebat diſcunt autem non vt ſequantur, ſed vt iudicent atque conuincant. Quomodo ſi quiſpiam aduerſus Mathematicos velit ſcribere imperitus μαθήματος riſui pateat, & aduerſum philoſophos diſputans, ſi ignoret dogmata philoſophorum. Diſcunt ergo ea mente doctrinam Chaldæorũ, qua & Moyſes omnem ſapientiam AEgyptiorũ didicerat. *To. 4. lib. 1. Com. in cap. 1. Danielis.*

*Moyſes omnem ſapientiam Aegyptiorum nouerat. Actor. 7.*

NOTA quod Deus dederit ſanctis pueris ſcientiam & diſciplinam ſeculariũ literarum in omni libro & ſapientia. Pro quo Symmachus interpretatus eſt artem grammaticã: vt cuncta quę legebant intelligerẽt, & ſpiritu Dei de Chaldæorum ſciẽtia iudicarent. Daniel autem hoc extra tres pueros habebat inſigne, quod viſiones & sõnia, quibus per ſymbola quædam & ænigmata futura monſtrantur, ſagaci mente cernebat: vt quod alij videbant in phantaſmate, oculis cordis aſpiceret. *Tom. 4. lib. 1 Com. in cap. 1. Danielis.*

*Artis grammaticæ peritia in Dan.*

*Duplex philoſophandi ratio.*

PRO ariolis & Magis vulgata editio tranſtulit ſophiſtas & philoſophos: non iuxta hanc philoſophiam & ſophiſticã diſciplinam, quam gręcorum eruditio pollicetur, ſed iuxta doctrinã gentis barbaræ, qua vſque hodie Chaldæi philoſophantur. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 1. Danielis.*

*Pſal. 2.*

REGVM ſubſtantias & prouinciarũ ſiue regionum, in credentium congregauit Eccleſiam, illorum regum, de quibus Pſalmiſta canit. Aſtiterunt reges terræ & principes, conuenerũt in vnũ. Illarum quoq; regionum in quas oculos leuare Saluator iubet: quia iam candeant ad metẽdum. Poſſunt regum ſubſtantiæ & philoſophorum dici dogmata, & ſcientiæ ſeculares; quas eccleſiaſticus vir diligenter intelligens, apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & perdit ſapientiã ſapientium, & prudentiam prudentium reprobat. *Tom. 5. Com. in cap. 2. Eccleſiaſtis.*

*Ioan. 4.* *Eccleſiaſtic⁹ vir quomodo vtatur philoſophorũ dogmatibus.* *2. Cor. 1.*

NATVRALE eſt vt oẽs artifices ſuæ artis loquãtur exemplis, & vnuſquiſq; in quo ſtudio triuit ætatem, illius ſimilitudinem proferat: verbi gratia, qui nauta & gubernator eſt triſtitiam ſuã comparat tempeſtati: damnum naufragium vocat, inimicos ſuos ventos contrarios vocat. Rurſum proſperitatem & lætitiam auram placidiſſimam, & ſecundos nominat ventos, tranquilla maria & æquora, campi ſimilia. è regione miles quicquid dixerit ſcutum, gladium, loricam, galeam lanceam, arcum, ſagittam, mortem, vulnus & victoriam ſonat. In ore philoſophorum ſemper Socrates & Plato, Xenophon Theophraſtus, Zeno & Ariſtoteles, Stoici verſantur & Peripatetici. Oratores Lyſiam & Hyperidem, Periclẽ & Demoſthenem, Gracchos & Catones, Tullios & Hortenſios, in cælum laudibus ferunt. Poëtæ ſi epici ſunt: Homerum atque Virgilium: ſi lyrici Pindarum & Flaccum crebro ſermone cõcelebrant. Cur hęc dicta ſunt? vt ſcilicet oſtendamus etiam Amos prophetam, qui paſtor de paſtorib. fuit & paſtor non in locis cultis & arboribus ac vineis conſitis, aut certè inter ſyluas & prata virentia, ſed in lata eremi vaſtitate, in qua verſatur leonum feritas & interfectio pecorum artis ſuæ vſum eſſe ſermonibus: vt vocem Dñi terribilem atque metuendam rugitum leonum et fremitũ appellaret. *Tom. 5 lib. 1. Com. in ca. 1. Amos.*

*Omnes artifices & profeſſores artis ſuæ vtuntur ſermonibus.*

*Vide plura To. 5. lib. 1. Com. in cap. 1. Zachariæ. & lib. 2. Co. in cap. 6. Zachar. & in cap. 8. Zach.*





*Prophetæ ſeruant idiomata prouinciarum.*

CONSVETVDINIS prophetarum eſt, quando loquuntur contra Babylonem, Amonitas, Moabitas, Philiſtim, & cæteras nationes multis ſermonib. linguæ eorum abuti, & ſeruare idiomata prouinciarum. *Tomo. 5. Commentariorum in cap. 1. Abdiæ.*

*In hiſtoria et litera explicanda ſequitur maxime Hebræos.*

DOCTI ab Hebræis volumus eorum quoq; traditionem ſequi, & noſtris, id eſt, Chriſtianis explanationem hiſtoriæ demonſtrare. *To. 5. Com. in cap. 1. Nahum.*

NEQVE nunc nobis propoſitum eſt hiſtoriæ texere veritatem, ſed ea intimare noſtris, quæ accepimus ab Hebræis. *Tom. 5. Commentarior. in cap. 2. Sophoniæ.*

*Lingua Hebræa omniũ linguarum matrix.*

LAVDA filia Sion: Iubila Iſrael, lætare & exulta in omni corde filia Hieruſalem & cæter. ] Id quod diximus, nugas, ſciamus in Hebræo ipſum eſſe latinum ſermonem nouge, & propterea à nobis ita vt in Hebræo erat poſitũ, vt noſſe poſsimus linguam Hebraicam omnium linguarum eſſe matricem: quod non eſt huius temporis diſſerere. *Tom. 5. Commentariorum in caput. 3. Sophoniæ.*

*Pſal. 67.*

OBSECRO te lector, vt ignoſcas celeri ſermone dictanti, nec requiras eloquij venuſtatẽ, quã multo tempore Hebreæ linguæ ſtudio perdidi: quanquam me Alecto ſemper infantem ac mutum fuiſſe autumet. Cui ego dicam: Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. *To. 5. Com. in cap. 2. Aggæi.*

*Omnes editiones veterum ſcripturarum ipſaq; Hebræorum volumina diligenter euoluit Hieronymus.*

EGO certè ſecundum paupertatulam meam omnes editiones veterum ſcripturarum ipſaque Hebræorum volumina diligenter euentilãs nũquam hoc ſcriptum reperi. Surge qui dormis & exurge à mortuis. *Tom: 6. lib. 3. Commentar. in cap. 5. ad Epheſios.*

*Teſtimonia Paulus inducit ex ſcriptoribus profanis.*

SVNT multi & non ſubditi vaniloqui & mẽtium deceptores: maximè autem qui de circunciſione ſunt, quos oportet refrenari qui vniuerſas domos ſubuertunt: docentes q̃ nõ oportet turpis lucri gratia: dixit quidam ex illis proprius illorum propheta non ſpecialiter ad Iudęos, & eos maximè qui de circunciſione ſunt, ſed ad multos referatur, qui non ſubditi ſunt & vaniloqui & mentium deceptores, qui vtique qui in Creta erant, Cretenſes fuiſſe credendi ſunt. Dicitur autem iſte verſiculus in poëtæ Cretenſis Epimenidis oraculis reperiri: quem in præſentiarum, ſiue illudens prophetam vocauit (quod ſcilicet tales Chriſtiani, tales habere mereantur prophetas: quomodo & prophetæ erant Baal, & prophetæ confuſionis & alij offenſionum, & quoſcunque vitioſos prophetas ſcriptura commemorat) Siue vero, quia de oraculis ſcripſerit atque reſponſis, quæ & ipſa futura prænuncient, & ea quæ ventura ſunt, multò ante prædicant. Denique ipſe liber oraculorum titulo prænotatur: quem quia videbatur diuinum aliquid, repromittere: propterea apoſtolum arbitror inſpexiſſe, vt videret quid gentilium diuinatio polliceretur, & in tempore abuſum eſſe verſiculo, ſcribentem ad Titum, qui erat Cretæ, falſos vt Cretenſium Doctores, proprio inſulæ Doctore conuincerẽt. Hoc autem Paulus non ſolum in hoc loco, ſed etiam in alijs feciſſe deprehenditur. In actibus quippe Apoſtolorum, cum concionaretur ad populum, & in Ariopago, quæ eſt curia Athenienſium, diſputaret, inter cæte. ait. Sicut & quidam de veſtris poëtis dixerunt. Ipſius enim & genus ſumus: quod Hemiſtichium in Phænomenis Arati legitur, quem Cicero in latinum ſermonem tranſtulit & Germanicus Cæſar, & nuper Auienus, & multi, quos enumerare perlongum eſt. Ad Corinthios quoque qui & ipſi Attica facundia expoliti, & propter locorum viciniam Athenienſium ſapore conditi ſunt: de Menandri comædia verſum ſumpſit Iambicum. Corrumpũt bonos mores colloquia mala. Nec mirum ſi pro oportunitate temporis, gentilium poëtarum verſibus abutatur: cum etiam de inſcriptione aræ aliqua cõmutans, ad Athenienſes loquutus ſit. Pertranſiens enim (inquit) & contemplans culturas veſtras, inueni & arã, in qua ſuperſcriptum eſt: Ignoto Deo. Quod itaque ignorantes colitis, ego annuncio vobis. Inſcriptio autem aræ non ita erat vt Paulus aſſeruit, ignoto Deo: ſed ita: Dijs Aſię & Africę & Europę, dijs ignotis & peregrinis. Verum quia Paulus non pluribus dijs indigebat ignotis, ſed vno tantum ignoto Deo, ſingulari verbo vſus eſt: vt doceret illum ſuum eſſe Deum, quem Athenienſes in aræ titulo prænotaſſent, & rectè eum ſcientes, colere deberẽt, quẽ ignorantes venerabantur, & neſcire non poterãt. Hoc autem Paulus faciebat raro, & vt loci potius, quam oſtentationis oportunitas exigebat, in morem apium, quæ de diuerſis floribus ſolent mella componere, et fauorum cellulas coaptare. *Ibidem legantur plura. Tom. 6. lib. 1. Comme. in cap. 1. ad Titum.*

*Actor. 17.* *1. Cor. 15.*

*Vera & antiqua inſcriptio aræ apud Athenienſes.*

*Quatenus Paulus vſus gentilium teſtimonijs.*

ITA frater ego te fruar in DOMINO & cætera ] Proprietatem græcam latinus ſermo non explicat. Quod enim ait ναὶ ἀδελφὲ ναὶ quoddam quaſi aduerbium blandientis eſt. Nos autẽ interpretantes, ita frater aquatius & dilutius neſcio quid magis aliud, quam id quod eſt ſcriptum ſonamus. Sicut enim Ana illud Hebræum (pro quo frequenter 70. interpretes ὦ δὴ tranſtulerunt) in lingua ſua ſignificat deprecantis affectum: vnde nonnunquam Symmachus pro Ana δέομαι hoc eſt obſecro, tranſtulit: Ita & nos eandem in græca lingua vim patimur quam Græci ſuſtinẽt in Hebræa. *To. 6. lib. 1. Co. in cap. 1. ad Philemonem.*

*Vt proprietatem græcam latinus ſermo non exprimit: ſic nec proprietatem Hebræam ſermo græcus.*

## *Articulus decimus quartus Eccleſiam ſacræ ſcripturæ teſtimonium præbere, eam diſcernere genuinam à non genuina eam interpretari, & viciſſim ſcripturam Eccleſiam veram demonſtrare & denotare, ita vt mutuas operas præbeant: Siue de mutuo miniſterio ſcripturæ, et eccleſiæ atque pulchra inter ſe comparatione.*

ALEPH, Beth, Gimel, Daleth prima connexio eſt, doctrina domus, plenitudo tabularum: quod videlicet doctrina Eccleſiæ, quæ domus Dei eſt, in librorum reperiatur plenitudine diuinorum. Secunda connexio eſt, He, Vau, Zain, Heth, iſta & hæc vita. quæ enim

*Per ſcripturas cognoſcitur Chriſtus & Eccleſia.*

poteſt alia eſſe vita ſine ſcientia ſcripturarum? per quam etiam ipſe Chriſtus agnoſcitur, qui eſt vita credentium. *Tomo tertio Epiſtola centeſima quinquageſima quinta ad Paulam.*

*Per Eccleſiã venimus in cognitionem ſcripturæ & viarum Domini.*
*Matt. 5 cap.*

DOMVS Dñi dicitur domus Dei Iacob, vt recipiamus vetus inſtrumentum & non ſecundum Manichæum aliam, extra domũ Dei Iacob quæramus domum Dei. Cum autem fuerimus in domo Dei Iacob: tũc docebit nos vias ſuas, per quas gradiamur ad eum: & ambulabimus in ſemitis eius, quas triuerunt & alij: Denique & Ieſus aſcẽdens in montem docebat diſcipulos ſuos octo beatitudines: & cætera quæ euangelicus ſermo complectitur. Prius ergo diſcendę ſunt viæ Domini: & poſtea ambulandum in ſemitis eius. *To. 4. lib. 1. Com. in cap. 2. Eſaiæ.*

*Eccleſia ſcripturis contexitur & intexitur.*

MVRENVLAE quæ auri atque argenti texuntur virgulis ſignificãt ciuitatem Dei Eccleſiam ſenſu & ſermonibus ſcripturarum contexi atque intexi. *Tom. quarto lib. primo Com. in cap. 3. Eſaiæ.*

*Verbum Dei fons eccleſiæ*

FONTES ſaluatoris doctrinam intelligamus euangelicam, de qua in ſexageſimo ſeptimo Pſalmo legimus. In Eccleſijs benedicite Deo Domino de fontibus Iſraël. *Tom. 4. lib. 4. Co. in cap. 12. Eſa.*

ECCLESIA ſiue populus Chriſtianus erit quaſi corona decoris in manu Domini, & quaſi diadema regni in manu Dei ſui, quando eam coronauerit turba credentium: & diadema imperij, quod martyres gemmarum ſuarum varietate diſtinxerint, fuerit in manu Dei, vt filium ſuum eorum coronet victorijs. Vnde & Apoſtolus Paulus loquebatur ad ſanctos. Gaudium & corona mea. *Tom. quarto libro 17. Co. in caput 62. Eſaiæ.*

*Philip 5.*

*Deus præbet eccleſiæ duo vbera veteris & noui teſtamenti.*
*1. Pet 1.*
*Cantic. 1.*

APOSTOLI & Apoſtolici viri totaq; Eccleſia noui teſtamenti replebitur vberibus conſolationis, & ſuget, & præbebit Deus eccleſiæ duo vbera non fracta & iacentia, ſed integra & virginali decore ſtantia veteris ac noui inſtrumenti ad præbendum lac rationale. De quibus ſponſus ad eam loquitur. Bona vbera tua ſuper vinũ. *Tom. 4. lib. 18. Com. in cap. 66. Eſaiæ.*

*Apoſt. 21.*

INTROITVS glorioſus Eccleſiæ ille intelligendus eſt, de quo ſcribit Ioannes Apoſtolus: Et in duodecim portis erant duodecim margaritæ, & plateæ ciuitatis auro mundo, ſicut vitrum perſpicuum. Iſtas margaritas prohibet Dñs mitti ante porcos, quas negotiator bonus cum in prophetis inuenerit & Apoſtolis, pergit ad vnum pretioſiſsimum margaritum, non priores abijciẽs, ſed per illas quærens pretioſius. *Tom. 4. lib. 18. Com. in cap. 66. Eſaiæ.*

*Per ſcripta Apoſtolorum & prophetarum ad Chriſtum & ad eccleſiã peruenitur.*

AIVNT phyſici & quorũ cura eſt de cæleſtib. diſputare: lunã non habere propriũ lumen, ſed ſolis radijs illuſtrari. Ab ea enim ſẽper orbis parte completur & fulget, à qua ſoli vicinior eſt, nec vmbra terræ obſcuratur: quod & poeta vno verſiculo demonſtrauit: Nec fratris radijs obnoxia ſurgere luna. Si hoc verum eſt & nos tropologicè poſſumus dicere: eccleſiam quæ pace & perſequutionibus creſcit & decreſcit, & oppreſſa tentationum tenebris rurſum priſtinum lumẽ aſſumit. habere ſplendorem à ſole iuſtitiæ & hoc eſſe qđ dicitur: Splendebit luna quaſi ſol, habitatoreſq; eius iuſtos fulgere quaſi ſolem in regno patris ſui. *To. 4. lib. 18. Com. in cap. 66. Eſaiæ.*

*Simili oſtenditur eccleſiam à Chriſto & ſcripturis lumen ſuũ mutuari.*

CHRISTVS ſponſus eccleſię ſuę virginis quæ non habet maculam nec rugam. Si autem ipſe eſt ſponſus, ipſius verba ſunt, de quo loquitur Ioannes Baptiſta. Qui habet ſponſam ſponſus eſt. Ornamentum ergo ſuum perdit, qui recedit à Domino, & amittit intelligentiam doctrinarum, q̃ ſignificatur in pectore. Vnde & Ioannes euangeliſta recumbit ſuper pectus Dñi, & ſacerdotib⁹, inter cętera ſeparatur pectuſculum victimarum. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 2. Hieremiæ.*

*Ioan. 3.*

QVID verò dicunt cuſtodes Samariæ, imo qđ clamant in monte Ephraim? Surgite qui iacetis, humilia relinquite, victimarum hoſtias ſpernite. Sacrificium Domino ſpiritus contribulatus: Aſcendamus in Sion hoc eſt in eccleſiam, vbi eſt ſpeculatio & intuitus Dei. Cũq; fuerimus in Siõ, imo aſcenderimus ad eam, aſcendamus pariter ad Dñm Deũ noſtrũ. *Tom. 4. lib. 6. Co. in c. 3. Hiere.*

*Per Eccleſiã venitur in cognitionem Dei & ſcripturæ.*

ALIQVANDO per arcum etiam ſacra ſcriptura deſignatur. Ipſa quippe arcus eccleſiæ, ipſa arcus Domini: de quo ad corda hominum, ſicut ferientes ſagittæ, ſic terrentes ſententiæ veniunt. vnde rectè per pſalmiſtã dicitur. Arcum ſuũ tẽdit, & parauit illum: & in eo parauit vaſa mortis, ſagittas, ſuas ardentibus effecit. Arcum nanq; ſuum Dñs tetendit: quia cunctis peccatoribus per ſcripturam ſacram minas exhibuit. In quo arcu vaſa mortis. ſ. præparat: quia ſecundum eloquij ſui ſententiam, eos qui nunc corrigi negligunt, reprobos damnat. Et poſuit me, inquit, quaſi ſignum ad ſagittam. Fidelis itaque populus in ſignum eſt hoſti ſuo poſitus, quia eum ſemper ſuis ictib. impetit, cum ſuis perſequutionib. affligit. Qui enim in hac vita aſsiduè mala tolerat, quaſi in ſigno poſitus ictus ſuſcipit ferientis. Vnde & prędicator egregius, cum perſequutionum mala toleraret, atque ſub perſequutione aduerſariorũ gemeret: teneram diſcipulorum mentem de ſuis afflictionibus cõſolans ait. Ipſi enim ſcitis quod in hoc poſiti ſumus, ac ſi eis apertè dicat: Quid in hoc tempore vulnera noſtra miramini: qui ſi æterna gaudia quærimus, huc ad hoc venimus vt feriamur. *To. 4. lib. 3. Co. in cap. 3. Lamentat. Hier.*

*Scripturæ arcus & ſagitta eccleſiæ.*
*Pſal. 7.*
*1. Thre. 3.*

POTEST autem porta liminis, in quo ſacratus eſt numerus veteris & noui teſtamenti, vel ipſe Dñs intelligi, qui dicit: ego ſum oſtium: vel certè oẽs ſancti: ꝑ quos ingredimur ad notitiã Dei, quorum Apoſt. Paulus loquebatur. Os noſtrum patet ad vos ô Corinthij & dilatamini & vos. *To. 4. lib. 2. Com. in cap. [illegible]. Ezech.*

*Per Eccleſiã & ſanctos venitur in Dei notitiã et ſcripturæ.*
*2. Cor. 6.*

NECESSE eſt vt talis ciuitas decẽ & octo millium per circuitum teneat calamorum: ſub quo numero & in 19. Pſalmo lex naturalis eſt ſcripta, gratiaq; euangelij deſcribitur: quibus eccleſia .i. vrbs ſaluatoris extructa eſt. *Tom. 4. lib. 14. Com. in cap. 48. Ezechielis.*

*Eccleſia vrbs ſaluatoris eſt extructa ex Dei verbo.*
*Zach 9. c.*

VOLVVNTVR & in Zach. ſancti lapides ſuper terrã. Non enim firma in ea ſtatione cõſiſtũt, ſed pręttereũt & ſemper ad altiora nitentes, hinc abire feſtinant. De his viuis Lapidibus & in Apocalypſi vrbs Saluatoris extruitur, & eccleſiã ædificari Apoſt. nõ tacet. *To. 5. Com. in c. 10. Eccleſiaſtis.*

*Apoc. 21.*
*1. Petri. 2.*

VIAS Dñi eſſe cognoſcimus lectionem noui & veteris teſtamenti, & ſanctarum intelligentiam ſcripturarum. In his vijs qui ambulat, niſi conuertatur ad DOMINVM & ablatum ab eo fuerit velamen, quod erat ante oculos Moyſi, rectum iter inuenire non poterit. Sin autem dixerit cum Dauid. Reuela oculos meos & conſiderabo mirabilia de lege tua, ambulabit in eis & CHRISTVM inueniet, & Iudæos atque hæreticos offendere in eis & infirmari atq; corruere ſentiet, iuxta illud quod ſcriptum eſt. Ecce ille poſitus eſt in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael. *T. 5. lib. 2. C. in c. 14. Oſeæ.*

*Per viam noui et veteris teſtamenti peruenitur ad eccleſiam*
*Pſal. 118.*



*De⁹ per ſcripturam vet. & noui inſtrumentũ dat vocem in Eccleſia.*

CVM Dominus de Sion & Hieruſalem id eſt, de ſpecula Eccleſiæ dederit per vetus & nouum inſtrumentũ & per doctores Eccleſiaſticos vocẽ ſuam, & quaſi clara buccina inſonuerit: tunc omnia ſpecioſa paſtorum: id eſt, doctrina hæreticorum ſiccabitur, & populorum millia, quæ propter ſimplicitatem vocantur greges, ſubita ariditate marceſcent. *Tom. 5. lib. 1. Com. in cap. 1. Amos.*

*Deus et ſcriptura de Eccleſia teſtificatur.*

DOMINVS Deus non aliunde teſtificatur niſi de domo ſua quæ eſt Eccleſia: aut certè in filio Domino noſtro Ieſu Chriſto, de cuius ore loquitur pater. *To. 5. lib. 1. Com. in cap. 1. Ionæ.*

*1. Tim. 3.*

ASCENSIONE opus eſt vt quis ad Chriſtum valeat peruenire, & ad domum Dei Iacob Eccleſiam, quę eſt domus Dei, columna & firmamentum veritatis. Porrò quod Iacob ſaluatorem ſignificet, & ſuprà diximus. Sed & hoc dicent ad eos, quibus loquuti fuerant: Venite aſcẽdamus in montem Domini & in domum Dei Iacob, & addent. Vt oſtendat nobis viam ſuam in ſcripturis ſanctis, quę viam Domini ꝑoſtendunt, & eum qui dicit. Ego ſum via & ambulemus in ſemitis eius; in Apoſt. ſ. per quos in Chriſtũ credidimus Deo. De Siõ. n. lex egreſſa eſt ſpiritualis, & ad gẽtes Dei ſermo tranſibit de Hieruſalem, qui iudicabit inter populos multos: pater enim omne iudicium dedit filio. *To. 5. lib. 1. C. in cap. 4. Michea.*

*Eſaiæ. 2.*
*Eccleſia oſtẽdit nobis viã Domini in ſcripturis.*

CONSIDERA populos eccleſiæ, q̃ habitat ſuper amnes, ꝓphetas, & habet doctores in circuitu ſuo: quorũ de vẽtre manant flumina, cuius initiũ eſt mare. A lectione quippe legis, quæ ſine ligno Chriſti amara eſt, in ſimilitudinem mirrhæ, ad eius myſterium peruenitur, quæ habet Aethiopiam in fortitudine &c. *Tom. 5. Co. in ca. 3. Nahum.*

*Eccleſia fundata eſt ſuper ſcripturas & per lectionem ſcripturæ ad myſterium Eccleſiæ peruenitur.*

IVDAS omnis confitens & fidelis non aduerſum Hieruſalem pugnet, ſed præparet ſe in Hieruſalem, vt contra aduerſarios dimicet. Et congregabit ipſe Iudas diuitias omnium gentium in circuitu: aurum & argentum & veſtes multas nimis. Aurum & argentum in ſenſu & ſermone intelligi ſæpè diximus: vnde & veſtes æquè debemus accipere, quibus Chriſti decoratur Eccleſia: de qua ſcriptum eſt. Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate. Quib. veſtibus indutam ſe credentium turba lætatur, & dicit. Exultabo in Domino quia induit me veſtimentis ſalutis, & tunica lætitiæ. Has veſtes eccleſia congregat, vt habeat quibus induat populum ſuum: cui à vero concionatore præceptum eſt. In omni tempore ſint veſtimenta tua candida. *To. 5. lib. 3. Com. in cap. 14. Zachariæ.*

*Scriptura ſacra eſt veſtis Eccleſiæ.*

IN aduentu Chriſti & ſermonis Dei & doctrinæ Eccleſiaſticæ & conſummatione Niniue ſpecioſiſsimæ quõdam meretricis, eleuabitur & ꝓperabit popul⁹, qui ſub magiſtris ante fuerat cõſopitus, & ibit ad montes ſcripturarũ, ibiq; inueniet mõtes Moyſen & Ieſum filiũ Naue: montes prophetas noui teſtamenti Apoſto. & Euangeliſtas: & cum ad tales montes confugerit, & in huiuſcemodi montiũ fuerit lectione verſatus, ſi nõ inuenerit, qui eũ doceat, tũc & illius ſtudium cõprobabitur; quia confugerit ad mõtes, & magiſtrorũ deſidia coarguetur. *To. 5. C. in cap. 3. Nahum.*

*Scriptura monti comparatur.*

VIDE Petrum & Paulum & de puteis Chriſti fluuijſq; non ambiges. Cerne omnes Apoſt. & iã non quatuor flumina, ſed duodecim fluuios intelliges exire de paradiſo ſcripturarũ. Iſti fluuij antequam terra commoueretur latebant: & cum eſſent in terræ venis, ſitientibus pocula non præbebant. Poſtquam vero ad aduentum Chriſti, orbis & omnis terra concuſſa eſt, ſubito proruperunt, & tunc completũ eſt: Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim, terrã fructiferam in ſalſuginem, à malitia habitãtium in ea. Poſtquam Dominus venit in mundum, tunc terra Iſrael, de qua fluuij antea manabant, & irrigabant vniuerſum Iudeæ populum, aruit, & fontes illius obturati ſunt. Vniuerſus autem orbis qui erat deſertus & ſterilis, & aquas prædicationis dominicæ non habebat, verſus eſt in paludes aquarum, & quot doctores emiſit, tot habuit & fontes. Nec ſufficit eis fontib. atque fluminib. irrigare orbis populos: ſed in vnaquaq; prouincia, eos qui eſuriebant & patiebantur famem ſermonis Dei in vnum populum congregantes extruxerũt Eccleſiam, quæ dicitur ciuitas ad inhabitãdum, & q̃ lætificat fluminis impetus. *T. 5. in ca. 3. Habac.*

*Eccleſia, prõfluit ex fluminibus ſcripturæ.*
*Pſal. 106.*
*Eccleſia tot habet fontes quot doctores.*
*Ex Doctoribus fontibus & ſcripturis extruitur eccleſia.*

HORTVS atque paradiſus in quem ſponſus deſcendit ad ſponſam, ſanctarum lectio ſcripturarum eſt: de quib. lilia & violas & roſas & varia decerpit aromata: vt impleat phialas animarũ credentium, & Dño ex eis liba defundat. Iſtiuſmodi lebetes, cum verſi fuerint in phialas Dñi, & dicere potuerint: Chriſti bonus odor ſumus, & pro virulentia carniũ, varios cœperint flores geſtare virtutum: tunc erunt in Hieruſalẽ & in Iuda ſanctificati Dño omnipotẽti: de quib. frequẽtius diximus ꝙ Hieruſalem viſionẽ pacis & Iudas exprimit confitentem. *To. 5. lib. 3. Co. in c. 14. Zach.*

*Lectio ſcripturarum paradiſus Chriſti & Eccleſiæ.*

QVOD ſi bona ſunt flumina, & bonum mare: lauatur in illis Ieſus, & Eccleſiam ſuam ſuper huiuſmodi mare collocat *Tom. 5. Com. in c. 3. Habacuc.*

ARGENTVM, quò domus Dei ornatur, exiſtimo eloquia ſcripturarum, de quibus dicitur. Eloquia Domini eloquia caſta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum. Et aurum, quod in occulto, ſanctorũ ſenſu, & in cordis verſatur arcano, & ſplendet vero lumine Dei, quod & Apoſtolum de ſanctis, qui ſuper fundamentum Chriſti ædificant, ſenſiſſe perſpicuum eſt. Aurum, argentũ & lapides precioſos: vt in auro ſenſus occultus ſit: in argento ſermo decens: in lapide precioſo opera Deo placentia. His metallis illuſtrior fit Eccleſia ſaluatoris, quam quondam ſynagoga fuerat: his lapidibus viuis ędificatur domus Chriſti, & pax ei prębetur æterna. *Tom. 5. Com. in ca. 2. Aggæi.*

*Eccleſia locata ſuper ſcripturas.*
*Scripturis ornatur Eccleſia.*
*1. Cor. 3.*

VINEA id eſt ſermo Dei, cuius in vnoquoq; pater agricola eſt: & ficus ſpirit⁹ ſancti dona dulciſsima, & malogranatum, Eccleſiaſtica dogmata & ſcientia ſcripturarum, quæ ſponſæ genis in Cantico Canticorũ cõparatur, & ligna oliuæ dabunt refectionem & illuminationem cordis, ei q̃ cœperit ędificare templũ Dei *To. 5. C. in c. 2. Aggæi.*

HIC fons de domo Dei egrediens refertur ad Eccleſiã & ad ſcientiã ſcripturarum: vt oẽs renaſcãtur in Chriſto & in aqua baptiſmatis noſtra nobis peccata donentur. *Tom. 5. lib. 3. Co. in c. 13. Zach.*

NOS ſi acceperimus fermentum Euangelicum ſanctarum ſcripturarum, tres humanæ animæ paſsiones in vnum redigentur: vt in ratione poſſideamus prudentiam; in ira odium contra vitia:

*Scientia ſcripturæ de fonte eccleſiæ egreditur.*

in deſiderio cupiditatem virtutum: & hoc totum fiet per doctrinam euangelicam, quã nobis mater Eccleſia præſtitit. *Tom.6.lib.2. Com.in cap. 13.Matt.Canone.25.*

*Mater eccleſia præſtitit nobis doctrinam euangelicam.*

*Quando verbum Dei accipit authoritatem ab eccleſia, non ab hominibus, ſed à dijs accipit authoritatẽ.*

QVAERITVR vtrũ totius orbis eccleſiæ Dei acceperint Euangelium, an hominis? Quotus enim quiſque noſtrum per reuelationem Chriſti didicit & non homine prædicante cognouit? Ad quod reſpondebimus: Eos qui poſsint dicere. An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus. Et viuo autem iam non ego ſed viuit in me Chriſtus: non tam ipſos docere, quam in ipſis Chriſtum Deum, qui ad ſanctos loquatur. Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes, et ſtatim de peccatoribus: Vos autem vt homines moriemini, & tanquam vnus de principib. cadetis. Cũ igitur Paulus loquitur & Petrus, qui non moriuntur vt homines, neque vt vnus de principibus corruunt: Deos eſſe manifeſtum eſt. Qui autem dij ſunt tradunt Dei euangelium & nõ hominis. *Tom.6.lib. primo Commentariorum in caput primum ad Galatas.*

*Verbum Dei eccleſiæ iudicio debet approbari.*

TOTVM quod ait illud eſt: vt doceat ſe nunquam de perſequutore apud eos ipſos, quos priꝰ perſequutus fuerat, potuiſſe exiſtere glorioſum: niſi prædicatio eius, eorum quoque, qui ante eũ male nouerant, eſſet iudicio comprobata. *Tom.6. lib.1.Com.in cap.1.ad Galatas.*

ASCENDIT Paulus poſt 14. annos Hieroſolymam: & qui prius tantum ad videndum perrexerat Petrũ, & diebus quindecim manſerat apud eum: nunc ſe dicit ideo perrexiſſe, vt conferret cum Apoſt. euangelium, aſſumpto Barnaba circunciſo, ad Tito ex gentibus habente præputiũ: vt ſub ore duorum aut trium teſtium ſtaret omne verbum. Poſt annos decem & 7 plenè cũ alijs apoſt. loquitur, & ſe humiliat, & ne forte aut in vacuum curreret, aut cucurriſſet, inquirit. Duplicẽ ob cauſam, quò & humilitas oſtenderetur Pauli, qui doctor toto orbe iam gentium, ad præceſſores apoſt. cucurriſſet, & Galatæ diſcerent non reprobaſſe euangelium eius, eos quoq; qui in Iudęa eccleſijs prędidebant. Quidã poſt 14. annos eũ Hieroſolymam aſcendiſſe tunc dicunt, quando in Actibus apoſtolorum de quæſtionibus obſeruandæ vel prætermittendæ legis inter credentes Antiochię orta diſſenſio eſt, & ire placuit Hieroſolymã, & ſententiã maiorũ præſtolari, quando ipſe quoq; Paulus & Barnabas miſsi ſunt, & hoc eſſe quod in codicibus legatur latinis. Quibus ad horam ceſsimus ſubiectione, vt veritas euangelij perſeueraret apud vos. Quod .ſ. propterea Paulus & Barnabas de re manifeſta quaſi dubia ſe mitti paſsi ſunt Hieroſolymam, vt maiorũ quoque iudicio euangelij gratia cõfirmata, credentibus probaretur, & nulli reſideret vltra dubitatio circunciſionis omiſſæ, cum apoſtolorũ eſſet literis imperatum, iugũ legis ab his qui in Chriſtum crediderant ex gentibus, auferendum. *Tom. 6.lib.1.Com.in cap.2.ad Galatas.*

*Actorum cap 15. Maiorum iudicio Dei verbum confirmatum magis probatur credentibus.*

*Comparatio Chriſti ſiue ſcripturæ & eccleſiæ inſtar mariti & vxoris.*

QVOMODO Chriſto ſubiecta eſt eccleſia: ſic ſubiecta ſit vxor viro ſuo: Quẽ enim habet principatum & ſubiectionẽ Chriſtus & eccleſia: huic eidem ordini maritus & vxor aſtringitur. *Tom.6. lib.3.Com.in cap.5.ad Epheſios.*

QVONIAM propinquior atq; inferior eſt à ſubſtantia Chriſti natura eccleſiæ: propterea cã corpus Chriſti æſtimo nominatam, cuius corporis Saluator eſt Criſtus Ieſus *To.6.lib.3.Com.in cap. 5.ad Epheſios.*

*Per ſcripturas quaſi per ianuam ingredimur in eccleſiam.*

QVAE eſt via recta? Lectio ſcripturarum: hoc eſt ne in ſcripturis tuis, per quas cupio ingredi in Eccleſiã tuam, corruam. Omnis enim qui male intelligit ſcripturas, in via Dei corruit. *Tom.7. Com.in Pſal.5.*

*Eccleſia approbat ſcripturam per ſpiritum ſanctum.*

VTRIVSQVE teſtamẽti doctrina ſpiritu ſancto ꝓbatur. Nõ illi eloquia diuina ꝓbant: ſed ſpiritus ſanctus illos illuminat, qui ipſa prædicant: ſicut in Eſaia ille angelus, quãdo accepit calculũ ab altari, & tetigit labia eiꝰ, dicẽs: Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua: & peccatum tuũ mundabitur. Per argentũ vetus teſtamẽtum per aurũ, nouum. Sic eſt litera & ſpiritualis intellectus, quaſi ex argento ꝓducatur aurũ. Probatũ terræ] Hoc eſt Eccleſię. Illa eloqa diuina ꝓbata ſunt per ſpiritũ ſanctum, quẽ accepit Eccleſia. *To. 7.Comme in Pſal.11.*

*Eccleſia eloquia diuina approbat.*

*Verbum Dei protegit Eccleſiam à ſimili.*

SVB iſta vmbra protege me vt me nõ rapiat miluus. Et ſub duab. teſtamẽtorũ alis, id eſt ipſorum doctrinis, quibus tegitur ac cuſtoditur ſicut gallina. Sicut gallina ſub alis pullos ſuos abſcõdit ꝓpter miluos: ſic & ſapiẽtia diuina, & duę alæ, q̃ sũt duo teſtamẽta, protegũt Eccleſiã à miluo hoc eſt à diabolo. *Tom.7. in Pſal.16.*

TESTIMONIIS Prophetarũ & Apoſtolorũ eſt Eccleſia congregata. *Tom 7. Com.in Pſal.24.*

QVI in Eccleſia habitãt paſcẽtur in diuitijs eiꝰ id eſt in ſacris voluminibus *T.7.Com.in Pſal.36.*

PORTAS Sion diximus Prophetas: videamus q̃ ſint ſeræ portarũ. Verè enim Eccleſię portæ Prophetæ ſunt. Sine Prophetis Eccleſiã ingredi non poſſumꝰ. Manichęus intrare voluit ſine portis & nõ intrauit; Marcion non recipit vetus teſtamentum, & ſine portis veteris teſtamẽti in Euangeliũ intrare nõ potuit. Nos ergo recipimus portas Prophetas, & per portas ingredimur. Sũt & ſeræ portarum viri Eccleſiaſtici qui hæreticos prohibent *Tom.7.Com.in Pſal.147.*

*Sine portis id eſt prophetis non poſſumus ingredi Eccleſiam.*

ALAE duæ duo teſtamenta ſunt quibus protegitur Eccleſia *Tom.7.Com.in Pſal.60.*

NON debetis exiſtimare plures eſſe Eccleſias q̃ habeant vbera doctrinarũ, & poſsint credẽtes ſcientiæ lacte nutrire. Vna eſt Eccleſia & vnus ſponſus eccleſiæ Chriſtus *To.7.Com.in Pſal.67.*

*Pſal.120. Ciuitas Dei eccleſia poſita eſt in montibus prophetis & apoſt.*

DVPLICITER interpretamur montes. In veteri teſtamẽto Prophetas: in nouo Apoſtolos. De iſtis montibus dicit. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. In iſtis mõtibus & ciuitas Dei poſita eſt. Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita. Nos omnes ſedebamus in tenebris & in vmbra mortis: & illuxit nobis Dominus de montibus æternis: hoc eſt de Prophetis & Apoſtolis *Tom.7. Com.in Pſalm.75.*

*Eccleſia ancilla eſt, Chriſtus domina.*

NOS ſerui ſumus & ancillæ, Deus Dominus & domina eſt. Non mirum ſi ſerui ſumus & ille Dominus eſt; ſed mirum ſi ancillæ ſumus, & ille domina eſt. Sed neque hoc mirum, quia ancillæ ſumus, Eccleſia enim ſumus: nec illud mirũ quia & ipſe domina eſt: quia virtus & ſapientia Dei eſt *Tom.7. Com.in Pſal.122.*

*Duæ partes ſcripturæ.*

## *Artic. decimus quintus. De ſumma ſacræ ſcripturæ & Chriſto totius ſacræ ſcripturæ ſubiecto.*

VNIVERSAE viæ Dñi miſericordia & veritas.] Miſericordia, quia nos redemit: & veritas quia impios iudicabit. Illis facit miſericordiam qui requirunt teſtamentum nouum qui nos ſuo ſanguine reconciliauit Deo patri. *To.7. Comme.in Pſalmum.24.*



*Roma 10. Chriſtus eſt ſubiectum ſcripturæ.*

FINIS legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Omnis ſcriptura ſancta de illo eſt. *To.7.Co. in Pſal.54. vide lib.4.Com.in cap.10.Eſaiæ.*

## *Articulus decimus ſextus. Duplex methodus ſcripturæ & Theologiæ tractandæ.*

*Primi modi exemplum in epiſtolis Hieronymi.*

PRIMVS modus eſt proprios libros componere, verbi gratia de auaritia, de fide, de virginitate, de viduis, & ſuper vnaquaque materia teſtimonijs ſcripturarum hinc inde quæſitis eloquentiam iungere ſecularem, & pene in cõmunibus locis pompaticum iactare ſermonem: Alter modus eſt in ſenſum prophetæ & apoſtoli ingredi, intelligere cur ſcripſerint qua ſententiam ſuam ratione firmauerint &c. *To.6.Proœmio Com.in Epiſtol.ad Epheſios.*

*Secundi modi eſt exemplum in commentarijs in prophetas.*

## *Articulus decimus ſeptimus. De temporis & annorum ordine in ſcripturis.*

*Quis ordo ſeruatus in ſingulis libris veteris teſtamenti.*

IN Pſalmis carmen lyricum eſt & in huiuſmodi opere nõ quæritur ordo hiſtorię ſed factorum carmina ſingulorum. In hiſtoria vero illud dicendum eſt, ea quæ de vna re diuerſis ſunt dicta temporibus, non debere oratione diuidi, ſed vnius loci narratione concludi. In prophetis non in omnibus ſed tantum in quibuſdam locis ordo hiſtoriæ ſeruatur, neque enim narrant præterita, ſed futura prænunciant, prout voluntas ſpiritus ſancti fuerit. In hiſtoria vero vt ſunt Moyſi quinq; libri, & Ieſu, & Iudicum volumina, Ruth quoq; & Heſter, Samuel & Malachim, Paralipomenon liber, & Eſdræ iuncto ſibi pariter Neemia, præpoſteram narrationem nequaquam reperiri. Hæc de annorum ordine dixiſſe ſufficiat. *Tom.4.lib.9.Commentariorum.in caput.30. Ezechielis.*

*In pſalmis nõ eſt ſeruatus ordo temporis.*

NEQVE vero vbi de laudibus Dei dicitur hiſtorię ordo ſeruandus eſt: ſed frequenter euenit, vt quæ primo loco facta ſunt extremo loco dicantur, & quæ nouiſsima referantur ad prima. Quod ſeptuageſimus ſeptimus Pſalmus & centeſimus quartus, vbi ſignorum potentia, non ordo, deſcribitur, docere nos poterũt, & tituli pſalmorum, de quibus duo tantum ponamus exempla: Tertij Pſalmi & quinquageſimi primi, vbi quæ prius facta ſunt, narrantur extrema, & quæ extrema legimus referuntur in principio. Ante enim de Doech Idumæo ſcriptũ legimus in Regum volumine (qui titulus eſt pſalmi quinquageſimi primi) quam Abſalon contra patrem ſurgeret: quod in tertij Pſalmi titulo prænotatur. Itaque & Amorræus nouiſsimus exterminatus eſt ſiue deletus, quod nunc primum refertur: & quod aſcendere eos fecit de terra Aegypti, & reduxit in eremũ per quadraginta annos, in principio factum legimus: quę hic dicuntur ordine commutato. *To.5.lib.1.Com.in cap. ſecundum Amos.*

*1.Reg.21.& 22.*

*2.Reg.15.*

## *Articulus decimus octauus. Diuiſio ſcripturæ in tres partes.*

AB Hebræis omnis ſcriptura in tres partes diuiditur, in legem, in prophetas, & in hagiographa, id eſt, in quinque & octo & in vndecim libros, de quo non eſt huius temporis diſſerere. *Tom.3. Epiſt.120.præfatione in Danielem.*

*Diuiditur ſacra ſcriptura inſtar philoſophiæ.*

NVDIVSTERTIVS cum centeſimum decimum octauum pſalmum tibi inſinuare conarer, dixi omnem moralem locum in eo eſſe comprehenſum, & quomodo philoſophi ſolent diſputationes ſuas in ethicam, phyſicam logicamque partiri, ita & eloquia diuina aut de natura diſputare, vt in Geneſi & Eccleſiaſte, aut de Moribus vt in Prouerbijs & in omnib. ſparſim libris, aut de Logica, pro qua noſtri Rhetoricen ſibi vindicant, vt in Cantico Canticorum & in Euangelijs: licet Apoſtolus ſępe proponat, confirmet cõcludat, quæ propriè artis dialecticæ ſunt. *Tomo.3. Epiſt.155.ad Paulam.*

*Eadem habet in Proœ. Com.in Lament. Hier.*

QVOMODO autẽ in his noſtris literis nõ poteſt quis ad legenda verba texendaque procedere, niſi prius ab elementis cœperit, ita & in ſcripturis diuinis non valemus ea, quæ ſunt maiora, noſſe, niſi ab ethica habuerimus exordium, ſecũdum illud quod propheta dicit. A mandatis tuis intellexi, quod videlicet poſt opera cœperit habere ſcientiã ſecretorum. *To.3. Epiſt.155.ad Paulã.*

SCINDITVR ſermo diuinꝰ & in multas partes diuiditur, vt quem totum ſuſcipere non poſſimus, ſumamus in partibus. *Tom.4.lib.13. Com.in cap.48. Eſaiæ.*

SALOMON iuxta numerum trium vocabulorum quibus nominatus fuit, tria volumina edidit, Prouerbia, Eccleſiaſten & Cantica Canticorum. In prouerbijs paruulum docens & quaſi de officijs per ſententias erudiens. Vnde & ad filium eius ſermo crebro repetitur. In Eccleſiaſte naturæ ætatis virum inſtituens: ne quidquam in mundi rebus putet eſſe perpetuum, ſed caduca & breuia vniuerſa quæ cernimus. Ad extremum iam cõſummatum virum & calcato ſeculo præparatum in Cantico Canticorum ſponſi iungit amplexibus. Niſi enim prius reliquerimus vitia, & pompis ſeculi renunciantes, expeditos nos ad aduẽtum Chriſti parauerimus, nõ poſſumus dicere. Oſculetur me oſculo oris ſui. Haud procul ab hoc ordine doctrinarũ & philoſophię ſectatores ſuos erudiunt: vt primum ethicam doceant, deinde phyſicam interpretentur: & quem in his profeciſſe proſpexerint, ad Theologiam vſque perducant. *To.5.Com.in cap.1. Eccleſiaſtis.*

## *Articulus decimus nonus. Quod ſacra ſcriptura etſi non in omnibus, in pleriſque tamen locis ſit ſui ipſius fideliſsima interpres.*

QVIA dixerat reliquias ſaluandas eſſe, tranſit ad poſteriora tempora: & plenam ſaluationem futurã eſſe dicit ſub Chriſto: Quod & Apoſtolus Paulus intelligẽs ſcribit ad Romanos. Eſaias autem clamat pro Iſrael: Si fuerit numerus filiorum Iſrael tanquam arena maris, reliquię ſaluæ fient. &c. *Tom.4.lib.4.Commentario.in cap.10. Eſaiæ.*

*Rom.9.&.*

*2. Cor. 6.*

HAEC dicit Dominus. In tempore beneplacito exaudiui te.] Hoc teſtimonio Paulus Apoſtolus in ſecunda epiſtola ad Corinthios vſus eſt dicẽs: Tẽpore oportuno exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui. Ecce nunc tẽpus acceptabile, ecce nũc dies ſalutis. *T. 4. l. 13. C. in c. 49. Eſaiæ.*

SPECIOSI magis pedes Chriſti, vel Apoſtolorum accipiendi: quod præter 70. omnes ſimiliter tranſtulerũt, Paulo eorum interpretationẽ probante. *To. 4. lib. 14. Com. in cap. 52. Eſaiæ.*

*Suprà. 3.*

RVRSVM ad prophetam ſermo fit Domini, qui aliquanto ſiluerat tẽpore (eò quod non poſſit propheta, nec humana fragilitas iuge ad ſe atque continuũ ſuſtinere vaticinium) & loquitur eadem quæ in ſuperioribus continentur. Fili hominis ſpeculatorem te dedi Domui Iſrael, & audies ex ore meo verbum, & comminaberis eis ex me: in eo quod dicam iniquo, morte morieris, & non annunciaſti ei, nec loquutus es, vt annuncia res iniquo, & cõuerteretur à vijs ſuis, & viueret; iniquus ille in iniquitate ſua morietur, & ſanguinem eius de manu tua requiram. Et tu ſi annũciaueris iniquo, & non conuerſus fuerit ab iniquitate ſua & à via ſua, iniquus ille in iniquitate ſua morietur & tu animam tuã liberaſti. Quæ ſi diligenter inſpicias, intelliges ſimilia quidẽ eſſe, ſed non eadem, dum in pleriſque diſcordant. Et hoc in omnibus ſcripturis ſanctis obſeruare debemus: vbi videtur aliqua ſimilitudo eſſe ſentẽtiæ, non in omnibus eadem dici, ſed vel ſubtrahi pleraq; vel addi, & ſingula inter ſe verba diſcrepantiũ habere rationẽ. *T. 4. l. 10. C. in c. 33. Ezech.*

*Diuina regula.*

NVLLVS melior typi ſui interpres erit, quã qui inſpirauit prophetas ipſe, & futuræ veritatis in ſeruis ſuis lineas ante ſignauit. Loquitur ergo ad Iudęos ſui temporis incredulos, & Chriſtũ Dei filium neſcientes: Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plus quam Ionas hic. Condemnatur ergo generatio Iudæorum, credente mundo & Niniue agente pœnitẽtiam, Iſrael incredulus perit. *Tom. 5. Proœm. in Ionam.*

*Matt. 12. c.*

PORRÒ quia propheta Zacharias ad ſimilem lætitiam cohortatur Sion & Hieruſalem, & hãc ipſam prophetiam Matthæus dicit in primo aduentu Chriſti eſſe completam: neceſsitate compellimur, imo ordine ipſo ducimur veritatis, ꝙ in Sophonia dicitur, non futurum ſperare, ſed factum. Scriptum eſt enim in Zacharia: Gaude vehementer filia Sion: prædica filia Hieruſalem ecce rex tuus venit tibi iuſtus & Saluator: ipſe humilis & aſcendens ſuper iugalẽ & pullum nouũ. *To. 5. Com. in cap. 3. Sophon.*

*Conſonantia Malachiæ et Eſdræ.*

MALACHI autem Hebræi: Eſdrã exiſtimant ſacerdotem: quia omnia, quæ in libro illius cõtinentur, etiam hic propheta commemorat dicẽs: Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Dñi exercituum eſt. Tempus quoq; tituluſq; conueniunt: quod & in Pſalmis diximus qui titulos non habent, eorũ eſſe credendos, quorum priores Pſal. nominibus prænotati ſunt. Igitur & Malachi id eſt Eſdras poſt Aggæum & Zachar. qui ſub Dario prophetarũt, fuiſſe credẽdus eſt. *To. 5. Proœ. in Malachiam.*

AVDIVIMVS Eſdræ hiſtoriam, nunc prophetæ verba repetamus diligentius: intuentes an prophetia hiſtoriaq; concordẽt. *T. 5. C. in c. 3. Mal.*

*Appendix ad Titulum. 7. de ſacris ſcripturis coniungitur ob materiæ affinitatem.*

## *De Hieronymiana ſacræ ſcripturæ Tranſlatione vulgata, & veteri qua eccleſia ex decreto Concilij Tridentini vtitur, eiuſq; ſumma authoritate & laude eximia deque alijs ante Hieronymum ſacræ ſcripturæ verſionibus & tranſlationibus.*

*Studiũ Hieronymi in Hebraica lingua ſub præceptore Hebræo Chriſtiano facta.*

DVM eſſem iuuenis, & ſolitudinis me deſerta vallarent; incentiua vitiorum, ardoremque naturę ferre non poteram: quem cum crebris ieiunijs frangerem, mens tamẽ cogitationib. æſtuabat, ad quã edomandã, cuidam fratri; qui ex Hebræis crediderat, me in diſciplinã dedi; vt poſt Quintiliani acumina, Ciceronis fluuios, grauitatemq; Frontonis, & lenitatẽ Plinij, alphabetum diſcerem, & ſtridẽtia anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris inſumpſerim, quid ſuſtinuerim difficultatis, quoties deſperauerim, quotieſq; ceſſauerim, & contentione diſcendi rurſus incęperim; teſtis eſt conſcientia tam mea, qui paſſus ſum, quam eorum, qui mecũ duxerunt vitam, & gratias ago Dño, quod de amaro ſemine literarum dulces fructus carpo. *Tom. 1. Epiſtol. 4. ad Ruſticum cap. 6.*

*70. interpretationem emendauit Hieronymus.*

CANONEM Hebraicæ veritatis, excepto Hebtateucho, quem nunc in manibus habeo, pueris tuis & notarijs dedi ſcribẽdum. Septuaginta interpretum editionem, & te habere non dubito, & ante annos plurimos diligentiſsimè emendatam, ſtudioſis tradidi: nouum teſtamentum gręcæ reddidi authoritati. vt enim veterum librorũ fides de Hebræis, voluminibus examinanda eſt, ita nouorum græci ſermonis normam deſiderat. *Tom. 1. Epiſtola 28. ad Lucinium.*

*Laus Origenis.*

QVIS ignorat Origenem tantum in ſcripturis diuinis habuiſſe ſtudij, vt etiã Hebræam linguam contra ætatis gentiſq; ſuæ naturam ediſceret: & exceptis 70. Interpretibus, alias quoque editiones in vnum congregaret volumen, Aquilæ ſcilicet Põtici Proſelyti, & Theodotionis Hebionei, & Symmachi eiuſdẽ dogmatis, pręterea quintam, ſextam & ſeptimam editionem, quas etiam nos de eius Bibliotheca habuimus, miro labore reperit, & cum cæteris editionibus comparauit. *Tom. 1. in Catalogo viro. Illuſtri. in Origene.*

HIERONYMVS ſcripſi quæſtionum Hebraicarũ in Geneſin librum vnũ; Hebraicorum nominum librum vnum, de locis librum vnũ. Nouum teſtamentũ græcæ fidei reddidi; vetus iuxta Hebraicã tranſtuli. *T. 1. Cat. V. ro illuſt. in. Hier.*

PORRÒ eloquentiam, ꝙ pro Chriſto in Cicerone contẽnis, in paruulis ne requiras. Eccleſiaſtica interpretatio, etiam ſi habet eloquij venuſtatẽ, diſsimulare eam debet, & fugere; vt non otioſis philoſophorum ſcholis, pauciſq; diſcipulis, ſed vniuerſo loquatur hominum generi. *T. 2. Epiſt. 52. ad Pammachium.*

*Purgat ſe à calumnia.*

ILLE qui Epiſtolam ſub nomine meo pœnitentiæ finxerat, ꝙ male Hebræa volumina tranſtuliſsem, obijcere dicitur, me in ſeptuaginta cõdemnationem ſcripturas ſanctas interpretatum: vt ſiue falſa ſunt, ſiue vera, quæ tranſtuli, in crimine maneam, dum aut in nouo opere fateor me erraſſe, aut recens editio veteris cõdemnatio fit.

Egóne



*Hieronymus in conuentu fratrum explicauit Pſalmos.*

Egóne contra Septuaginta interpretes aliquid ſum loquutus, quos ante annos plurimos diligentiſsime emendatos, meæ linguæ ſtudioſis dedi, quos quotidie in conuentu fratrum ediſſero, quorum Pſalmos iugi meditatione decanto? tam ſtultus eram vt quod in pueritia didici ſenex obliuiſci vellem? vniuerſi tractatus mei horum teſtimonijs texti ſunt commentarij in duodecim prophetas, & meam & ſeptuaginta editionem ediſſerunt. O Labores hominum ſemper incerti: ô mortalium ſtudia contrarios interdũ fines habentia, vnde me putabam bene mereri de latinis meis, & noſtrorum ad diſcendum animos concitare: quod etiam græci verſum de latino poſt tantos interpretes nõ faſtidiunt: inde in culpam vocor, & nauſeante ſtomacho cibos ingero. Ecquid in homine tutum ſit, ſi innocentia criminoſa eſt? Dormiẽte patrefamilias, inimicus homo zizania ſuperſeminauit. Exterminauit vineam aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Ego taceo & literæ non meæ loquuntur contra me. Ignoro crimen & crimen in toto orbe confiteor. Heu mihi mater mea vt quid me genuiſti, virum, qui iudicer & qui diſcernar omni terræ. Omnes præfatiunculæ veteris teſtamenti, quarum ex parte exempla ſubieci, huic rei teſtes ſunt. Et ſuperfluum eſt quod in illis dictum eſt, aliter quam ibi dictum eſt ſcribere. Incipiam igitur à Geneſi; cuius prologus talis eſt: Deſiderij mei deſideratas accepi Epiſtolas, qui quodam præſagio futurorum, cum Daniele ſortitus eſt nomen, obſecrantis vt translatum in linguam latinam de Hebræo ſermone Pentateuchum noſtrorum, auribus traderem. Periculoſum opus certe, & obtrectatorum latratibus patens qui me aſſerunt in 70. interpretum ſugillationem noua pro veteribus condere ita ingenium quaſi vinum probantes: cum ego ſæpiſsimè teſtatus ſim, me pro viriliportione in taberculo Dei offerre, quæ poſsim, nec opes alterius aliorum paupertate fædari quod vt auderem Origẽis me ſtudiũ prouocauit, qui editioni antiquæ translationem Theodotionis miſcuit, aſteriſco, & obeliſco, id eſt, ſtella & veru, opus omne diſtinguens, dum aut illuſtria facit quę minus ante fuerant, aut ſuperflua quæq; iugulat, & confodit, maximeq; quæ Euangeliſtarum & Apoſtolorum authoritas promulgauit. In quib. multa de veteri teſtamẽto legimus, quæ in noſtris Codicibus non habentur vt eſt, illud. Ex Aegypto vocaui filium meum. &. Quoniam Nazaręus vocabitur. &. videbunt in quem compunxerunt. &. Flumina de ventre eius fluent aquæ viuę. &. Quę nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligẽtibus ſe, & multa alia, quæ proprium σύνταγμα deſiderant. Interrogemus ergo eos vbi hæc ſcripta ſint: & cum dicere non potuerint, de libris Hebræis proferamus. Primum teſtimonium eſt in Oſee, ſecundum in Eſaia, tertium in Zacharia, quartum in Prouerbijs, quintum æquè in Eſaia quod multi ignorantes, apocryphorum delyramenta ſectantur, & Hiberas nænias libris authenticis præferunt. Cauſas erroris nõ eſt meum exponere. Iudęi prudenti factũ eſſe dicunt conſilio, ne Ptolomęus vnus Dei cultor apud Hebręos etiam duplicẽ diuinitatẽ deprehenderet: ꝙ maximè idcirco faciebãt, quia in Platonis dogma cadere videbatur. Deniq;, vbicunq; ſacratum aliquid ſcriptura teſtatur de patre, filio & ſpiritu ſancto, aut aliter interpretati ſunt, aut omnino tacuerunt, vt & regi ſatisfacerent & arcanum fidei non diuulgarent. Et neſcio quis primus auctor ſeptuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo extruxerit, quibus diuiſi eadem ſcriptitarint; cum Ariſteas, eiuſdem Ptolomæi ὑπερασπιστής. & multò poſt tempore Ioſephus, nihil tale retulerint, ſed in vna baſilica congregatos contuliſſe ſcribant, non prophetaſſe aliud eſt enim vatem aliud interpretem eſſe, ibi ſpiritus ventura prædicit: hic eruditio & verborũ copia ea, quæ intelligit, transfert. Niſi forte putandus eſt Tullius Oeconomicum Xenophontis, & Platonis Protagoram, & Demoſthenis pro Cteſiphonte orationem afflatus Rhetorico ſpiritu tranſtuliſſe: vt aliter de eiuſdem libris per ſeptuaginta interpretes, aliter per Apoſtolos ſpiritus ſanctus teſtimonia texuerit vt quod illi tacuerint, hi ſcriptum eſſe ſint mentiti. Quid igitur? damnamus veteres? minime: ſed poſt priorum ſtudia, in domo Domini, quod poſſumus, laboramus. Illi interpretati sũt ante Chriſti aduentum; & quod neſciebant, dubijs protulere ſententijs, nos poſt paſsionem & reſurrectionem eius, nõ tam prophetiam, quàm Hiſtoriam ſcribimus. aliter enim audita, aliter viſa narrantur. Quod melius intelligimus, melius & proferimus. Audi igitur æmule, obtrectator auſculta, non damno, non reprehendo ſeptuaginta, ſed confidenter cunctis illis Apoſtolos pręfero, per iſtorum os mihi Chriſtus ſonat quos ante prophetat inter ſpiritualia chariſmata poſitos lego: in quibus vltimum pene gradum interpretes tenent. Quid liuore torqueris? quid imperitorum animos contra me concitas? Sicubi tibi in tranlatione errare videor interroga Hebræos, diuerſarum vrbium magiſtros conſule: quod illi habent de Chriſto, tui codices non habent. Aliud eſt ſi contra ſe poſtea ab Apoſtolis vſurpata teſtimonia probauerunt, & emendatiora ſunt exemplaria latina quam Græca, Græca quam Hebræa. In libris quoq; Samuelis & Malachim, quos nos regnorum quatuor nominamus, poſt catalogum diuinæ ſcripturæ hæc intuli. Quæ cum ita ſe habeant obſecro te lector, ne laborem meum reprehenſionem exiſtimes antiquorum. In tabernaculo Dei offert vnuſquiſq; quod poteſt. Alij aurum & argentum & lapides precioſos, alij byſſum & purpuram, & coccum offerunt, & hyacintum. nobiſcum benè agitur ſi obtulerimus pelles & capratum pilos. Et tamen Apoſt. cõtemptibiliora noſtra magis neceſſaria iudicat. Vnde tota illa tabernaculi pulchritudo, & perſingulas ſpecies præſentis Eccleſiæ futuræque diſtinctio, pellibus tegitur & cilicijs, ardoremq; ſolis & iniuriam imbrium ea, quæ viliora ſunt, prohibent vide quanto contra Septuaginta interpretes tumeam ſupercilio, vt illos aurum & precioſos lapides, & purpuram, me pelles in tabernaculo Dei obtuliſſe profitear. *To. 2. li. 6. Apolog. aduerſus Ruffinum. cap. 7.*

*Sub nomine Hieronymi falſæ literæ confictæ. Hieremiæ. 16.*

*Præfatio in Geneſin. vide tom. 3. Epiſtola 104. ad Deſiderium præfatione in Pentateuchum Moyſi.*

*Matt. 2. ca. Ioan. 19. Ioan. 7.*

*Oſee. 11. ca. Eſaiæ. 11. Zac. 12. Prouer. 18. Eſaiæ. 64. Rationẽ reddit cur poſt 70. Interpretes tranſtulerit.*

*Fabula de 70. cellulis exploditur vide in Prolegomenis Ariſteæ cã. 8. latè de loco varias veterum ſententias.*

*De laude quæ tribuitur Hieronymo in Tranſlationib. & Auguſtino in dogmatib. vide gloſſam cap. vt veterũ diſ. 9.*

*Epheſ. 4. cã.*

*Ex præfatione in libros Samuelis & Malachim vide to. 3. præfatio. 106 Exod. 25.*

*1. Cor. 12. Exod. 25.*

*Ex præfatione in libros Paralipomenωn vide to. 3. Epiſtola. 107.*

PONAM & aliud teſtimonium: ne nunc me rerum neceſsitate compulſum dicas mutaſſe ſententiam. In Libro temporum, id eſt, Paralipomenon, qui Hebraice dicitur Dibrehaiamin, ad ſanctum Chromatium præfatiuncula vſus ſum. Si ſeptuaginta interpretum pura, & vt ab eis in

Græcum verſa eſt, editio permaneret: ſuperflue me, mi Chromati Epiſcoporum ſanctiſsime atque doctiſsime impelleres. vt tibi Hebræa volumina latino ſermone transferrem. quod enim ſemel aures hominum occupauerat, & naſcentis Eccleſiæ roborauerat fidem, iuſtum erat etiam noſtro ſilentio comprobari nunc vero cũ pro varietate regionum diuerſa ferantur exemplaria, & germana illa antiquaque translatio ſit corrupta atque violata, noſtri arbitrij putas, aut ex pluribus iudicare quid verum ſit, aut nouum opus in veteri opere cudere, illudentibusq; Iudęis cornicũ, vt dicitur, oculos configere. Alexãdria & Aegyptus in Septuaginta ſuis Heſychium laudat auctorem. Conſtantinopolis vſq; ad Antiochiam Lucani martyris exẽplaria probat Mediæ inter has prouinciæ, Palæſtinos codices

*Obtrectatoribus reſpõdet.*

legunt. quos ab Origene elaboratos Euſebius & Pamphilus vulgauerunt, totusq; orbis hæc inter ſe varietate compugnat. Et certè Origenes non ſolum exempla compoſuit quatuor editionum, è regione ſingula verba deſcribens, vt vnus diſſentiens, ſtatim, cæteris inter ſe conſentientibus arguatur: ſed quod maioris audaciæ eſt, in editione Septuaginta. Theodotionis editionem miſcuit, aſteriſcis vidilicet deſignans, quæ minus fuerant, & virgulis quę ex ſuperfluo videbantur appoſita. Si igitur alijs licuit non tenere, quod ſemel ſuſceperant: & poſt Septuaginta cellulas, quæ vulgò ſine autore iactantur, ſingulas cellas aperuere, hocq; in Eccleſijs legitur, quod Septuaginta neſcierunt: cur me nõ ſuſcipiant latini mei qui inuiolata editione veteri ita nouam condidi vt laborẽ meum Hebræis, & quod his maius eſt, Apoſtolis auctoribus probem? Scripſi nuper librum de Optimo genere Interpretandi oſtendens

*Ex libro de Opti. genere interpretãdi.*

illa de Euangelio: Ex Aegypto vocaui filium meum: & Quoniam Nazaræus vocabitur: &: videbunt in quem compũxerunt: & illud Apoſtoli: Quæ oculus non vidit nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Dominus diligentibus ſe: cæteraq; his ſimilia, in Hebræorum libris inueniri. Certè Apoſtolus & Euangeliſtæ Septuaginta interpretes nouerant, & vnde eis hoc dicere quod in Septuaginta non

*Ioan. 7.*

habetur? Et Chriſtus Dominus noſter vtriuſque teſtamenti conditor, in euangelio ſecundum Ioannem. Qui credit, in me, flumina fluent de ventre eius aquæ viuæ. Vtiq; ſcriptum eſt, quod ſaluator ſcriptum eſſe teſtatur. vbi ſcriptum eſt? Septuaginta nón habent, apocrypha neſcit Eccleſia. Ad Hebræos igitur reuertẽdum, vnde & Dominus loquitur, & diſcipuli, exempla deſumũt. Hæc pace veterum loquor, & obtrectatoribus meis tantum reſpondeo, qui canino dente me rodunt, in publico detrahentes, legentes in angulis, ijdem & accuſatores & defenſores, cum in alijs probent, quod in me reprobant: quaſi virtus & vitium non in reb. ſit ſed cum autore. Cęterum memini editionem ſeptuaginta translatorum olim de Græco emendatam tribuiſſe me noſtris, nec inimicum debere exiſtimari eorum, quos in conuentu fratrum ſemper ediſſero. Et quod nũc Dibrehaiamin, id eſt, verba dierum interpretatus ſum, idcirco feci, vt inextricabiles moras & ſyluas nominum, quę ſcriptorum confuſa ſunt vitio, ſenſuumq; labyrinthos apertius, & per verſuum cola digererem mihimetipſi, & meis iuxta Hiſmeniam canens, ſi aures ſunt ſurdæ cæterorum.

*Ex præfatione in Eſdrã vide tom. 3. Epiſtola ſeu præfatione 109.*

In Eſdræ quoque volumine ſimilia ſum præfatus: & poſt multa hæc addidi. Quod illaturus ſum, æquiſsimum eſt. Edidi aliquid quod non habetur in Græco: vel aliter habetur, quam à me verſum eſt. Quid interpretem laniãt? interrogent Hebræos ipſis auctoribus, translationi meæ vel arrogent vel derogent fidem. Porrò aliud eſt, ſi clauſis, quod dicitur, oculis, mihi volunt maledicere: & nõ imitantur Gręcorum ſtudium & beneuolentiã: qui poſt Septuaginta trãslatores, iam Chriſti Euangelio coruſcante, Iudæos & Hebionitas, legis veteris interpretes, Aquilam videlicet Symmachum & Theodotionem, curioſe legunt, & per Origenis laborem ἐν ἑξαπλοῖς Eccleſijs dedicarunt: quanto magis latini mei grati eſſe deberent, quod exultantẽ Gręciam cernerent aliquid à ſe mutuari. Primum enim magnorum ſumptuum eſt & infinitæ difficultatis, exemplaria habere omnia. deniq; & qui habuerint, & Hebræi ſermonis ignari ſunt, magis errabunt, ignorantes quis è multis verius dixerit, quod etiam ſapientiſsimo cuidam nuper apud Græcos accidit: vt interdum ſcripturæ ſenſum, relinquens, vniuſcuiuslibet interpretis ſequeretur errorem. Nos autem qui Hebreæ linguæ ſaltem paruam habemus ſcientiam: & latinus ſermo nobis vtcunque non deeſt: & de alijs magis poſſumus iudicare, & ea quæ ipſi intelligimus, in noſtra lingua exprimere.

*Ex præfatione in Iob vide tom. 3. præfatione 113.*

Trãſibo ad librum Iob, quem, poſt Septuaginta interpretum editionẽ, quem Origenes obelis aſteriſciſque diſtinxit, ante annos plurimos latino ſermoni datum, cum rurſum iuxta ipſum Hebraicum verterem, ſic loquutus ſum. Cogor per ſingulos diuinæ ſcripturæ, libros aduerſariorum reſpondere maledictis, qui interpretationem meam, reprehenſionem ſeptuaginta interpretum criminantur: quaſi non & apud Græcos Aquila, Symmachus, & Theodotion, vel verbum è verbo vel ſenſum è ſenſu, vel ex vtroque comixtum, & mediæ temperatum genus translationis expreſſerint: & omnia veteris inſtrumenti volumina Origenes obelis aſteriſciſque diſtinxerit, quos vel additos, vel de Theodotione ſumptos translationi antiquæ inſeruit, probans defuiſſe quod additum eſt. Diſcant igitur obtrectatores mei recipere in toto, quod in partibus ſuſceperunt, aut interpretationem meam cum aſteriſcis ſuis radere: neq; enim fieri poteſt, vt quos plura intermiſiſſe perſpexerint, non eoſdem etiam in quibuſdam erraſſe fateantur, præcipue in Iob: cui ſi ea, quæ ſub aſteriſcis addita ſunt, ſubtraxeris, pars maxima detruncabitur. Et hoc duntaxat apud Græcos. Cæterum apud latinos, ante eã translationem, quam ſub aſteriſcis, & obelis nuper edidimus, ſeptingenti ferme aut octingenti verſus deſunt, vt decurtatus & laceratus, corroſuſq; liber fœditatem ſui publice legentibus præbeat. Et poſt multa, quæ ſtudio breuitatis prætereo, hęc in fine ſubiunxi. Audiant quapropter canes mei, iccirco me in hoc volumine laboraſſe, non vt interpretationem antiquam reprehenderem, ſed vt ea quæ in illa aut obſcura ſunt, aut omiſſa, aut certe vitio ſcriptorum deprauata, manifeſtiora noſtra interpretatione fierent: qui & Hebręũ ſermonẽ ex parte didicimus, & in latino penè ab ipſis incunabulis inter grãmaticos, rhetores



tores & philoſophos detriti ſumus. Quod ſi apud græcos poſt Septuaginta editionem, iam Chriſti Euangelio coruſcante, Iudæus Aquila & Sym-

*Ex præfatione in Pſalterium iuxta Hebraicam veritatẽ ad Sophronium.*

machus ac Theodotion Iudaizantes hæretici sũt recepti, qui multa myſteria ſaluatoris ſubdola interpretatione celarunt, & tamen in ἑξαπλοῖς habentur apud Eccleſias & explanantur ab Eccleſiaſticis viris: quanto magis ego Chriſtianus de parẽtib. Chriſtianis natus, & vexillũ crucis in mea fronte portans, cuius ſtudium fuit omiſſa repetere, deprauata corrigere, & ſacramẽta Eccleſię puro & fideli aperire ſermone, vel, à faſtidioſis vel malignis lectoribus non debeo reprobari? Pſalterium quoq; quod emendatiſsimum certè iuxta Septuaginta interpretes noſtro labore dudum Roma ſuſcepit, rurſum iuxta Hebraicũ, vertens præfatione muniui, & ſic in parte prologi sũ loquutus. Quia igitur nuper cũ Hebræo diſputans, quædã pro Domino ſaluatore de Pſalterio teſtimonia protuliſti, voléſq; ille te illudere, per ſermones penè ſingulos aſſerebat, non ita haberi in Hebræo, vt tu de Septuaginta interpretib. opponebas, ſtudioſiſsimè poſtulaſti, vt poſt Aquilam Symmachũ & Teodotionẽ nouã editionẽ latino ſermone transferrem. aiebas. n. te magis interpretũ varietate turbari & ꝓ amore, quo laberis, vel translatione, vel iudicio meo eſſe cõtentum. Vnde impulſus à te, cui & quæ non poſſum negare non debeo. rurſum me obtrectatorum latratib. tradidi, maluiq; te vires potius meas quam volũtatem in amicitia quærere. Certè confidenter dicam & multos huius operis teſtes citabo, me nihil duntaxat ſcientem de veritate Hebraica mutaſſe. Sicubi ergo editio mea à veterib. diſcrepat, interroga quẽlibet Hebræorum: & liquido peruidebis, me ab æmulis fruſtra lacerari; qui malũt contemnere videri præclara, quam diſcere, peruerſiſsimi homines: nã cum nouas sẽper expetãt volũtates, & gulæ eorũ vicina maria nõ ſufficiãt, cur in ſolo ſtudio ſcripturarũ veteri ſapore contenti ſunt? nec hoc dico, quod præceſſores meos mordeã, aut quicquam de his arbitrer detrahendum, quorũ translationem diligentiſsimè emendatam, olim linguæ meæ hominibus dedi, ſed ꝙ aliud ſit in Eccleſijs Chriſti credentium Pſalmos legere, aliud Iudæis ſingula verba calumniantibus reſpõdere. Salomonis etiam libros, quos olim iuxta *70.* additis obelis & aſteriſcis in latinum verteram, ex Hebraico transferens, & dedicans ſanctis Epiſcopis Chromatio & Heliodoro, hæc in præfatiunculæ meæ fine ſubieci. Si cui Septuaginta interpretũ magis editio placet, habeat eam à nobis olim emendatam, neq; enim ſic noua cudimus, vt vetera deſtruamus *Tom. 2. lib. 2. Apolog. aduerſ. Ruf. cap. 8.*

*Ex præfatione in Eſaiam vide tom. 3. præfatione 117. ad Paulam & Euſtochium.*

VENIAM & ad Eſaiã: & partem prologi eius ſuper Septuaginta interpretatione ſubiungam. Quem cũ magis euangeliſtam, quam prophetam dicerem, eo quod vniuerſa Eccleſię Chriſti myſteria ſic ad liquidum perſequutus eſſet, vt non de futuro vaticinari, ſed de præteritis hiſtoriam texere crederetur, etiam hoc addidi. Vnde conijcio noluiſſe tunc temporis ſeptuaginta interpretes fidei ſuæ ſacramẽta perſpicuæ ethnicis prodere, ne ſanctum canibus & margaritas porcis darent. Quę cũ hanc editionem legeritis, ab illis animaduertitis abſcondita. Nec ignoro, quanti laboris ſit, prophetas intelligere, nec facile quenquam poſſe iudicare de interpretatione, niſi intellexerit ante, quæ legerit. Nos quoque patere morſibus plurimorum, qui ſtimulante inuidia quod conſequi non valent, deſpiciunt. Sciens ergo & prudens in flammam mitto manum: & nihilominus à faſtidioſis lectoribus hoc precor, vt quomodo gręci poſt Septuaginta translatores Aquilã vt Symmachum, & Theodotionẽ legũt, vel ob ſtudium doctrinæ ſuæ, vel vt ſeptuaginta magis ex collatione eorum intelligant: ſic & iſti ſaltem vnũ poſt priores habere dignentur interpretem. Legant prius, & poſtea deſpiciant: ne videantur non ex iudicio, ſed ex odij præſumptione ignorata damnare. De Daniele autem breui-

*Ex præfatione in Danielem.*

ter reſpondebo, me non negaſſe eum prophetam quem ſtatim in fronte prologi prophetã eſſe confeſſus ſum; ſed quid Hebræi dicerent, & quibus argumentis ſuam niterentur probare ſententiã, voluiſſe monſtrare, & docuiſſe lectorem Eccleſias Chriſti hũc prophetam iuxta Theodotionem legere, & non iuxta 70. Translatores. Quorum ſi in iſto libro edionem dixi multum à veritate diſtare, & recto Eccleſiarum Chriſti iudicio reprobatam: non eſt meæ culpæ qui dixi: ſed eorum qui legunt. In promptu ſunt quatuor editiones, Aquilæ, Symmachi, Septuaginta, & Theodotionis: Eccleſiæ iuxta Teodotionem legunt Danielem, ego quid peccaui, ſi Eccleſiarum iudicium ſequutus ſum? Quod autem refero, quid aduerſum Suſannæ hiſtoriam, & hymnum trium puerorum, & Belis Draconis fabulas, quæ in volumine Hebræo non habentur, Hebræi ſoleant dicere: qui me criminatur ſtultum, ſe ſycophantam probat. non enim quid ipſe ſentirem, ſed quid illi contra nos dicere ſoleant, explicaui: quorum opnioni ſi non reſpondi in prologo breuitati ſtudens ne non præfationem, ſed librum viderer ſcribere, puto quod ſtatim ſubiecerim: dixi enim: De quo non eſt huius temporis diſſerere. alioquin & ex eo, quod aſſerui, Porphyrium contra hunc prophetam multa dixiſſe, vocauiq; huius rei teſtes Methodium & Euſebium & Apollinarium, qui multis verſuum millibus, illius veſaniæ reſponderunt, me accuſare poterit: quare non in præfatiuncula cõtra libros Porphyrij ſcripſerim? Qui iſtiuſmodi nænias conſectatur, & ſcripturæ Hebraicæ veritatem non vult recipere, audiat liberè proclamantem Nemo enim cogitur legere, quod non vult. Ego petentibus ſcripſi, non faſtidioſis, gratis non inuidis, ſtudioſis non oſcitantibus. Et tamen miror, quomodo Theodotionem hæreticum, & Iudaizantem legit & qualiſcunque peccatoris Chriſtiani translationem faſtidit. Quæſo te amice dulciſsime, qui tam curioſus es, vt etiam ſomnia mea noueris; omniaque quæ per tot annos abſq; metu futuræ ſcripſi calumniæ, in accuſationem vocas, vt reſpondeas, quomodo eorum librorum præfationes neſcias, quos accuſas: quę quodam vaticinio, futuræ calumniæ reſponderunt, implentes prouerbium: Prius antidotum quam venenũ. Quid nocet Eccleſijs noſtra translatio? Magnis, vt ſcio, ſumptibus redemiſti Aquilæ, & Symmachi & Theodotionis, quintæq; & ſextæ editionũ. Iudaicos translatores Origenes tuus, & (ne forte queraris figurata te laude percuſſum) Origenes noſter (noſtrum voco ob eruditionem ingenij, non ob dogmatũ veri-

tatem) in omnibus libris ſuis poſt Septuaginta Interpretes, Iudæorum translationes explanat & ediſſerit. Euſebius quoque & Dydymus idem faciunt. prætermitto Apollinarium, & qui bono quidem ſtudio, ſed non ſecundum ſcientiam de omnium translationibus in vnum veſtimentum pannos aſſuere conatus eſt, & conſequẽtiam ſcripturę non ex regula veritatis, ſed ex ſuo iudicio, texere: Apoſtolici viri ſcripturis vtuntur Hebraicis: ipſos Apoſtolos & Euangeliſtas id feciſſe perſpicuum eſt: Dominus atque ſaluator vbicunq; veteris ſcripturæ meminit de Hebraicis voluminibus ponit exempla: vt eſt illud. Qui credit in me ſicut ſcriptura dicit, flumina de
Ioan.7. ventre eius fluent aquæ viuæ, & in ipſa cruce Eli Eli lammazautani, quod interpretatur Deus me
Matt.27. us Deus meus, quare me dereliquiſti? & multa his ſimilia. Nec hoc dicimus quod Septuaginta interpretes ſugillemus, ſed quod Apoſtolorum & Chriſti maior ſit authoritas: & vbicunq; Septuaginta ab Hebręo non diſcordant, ibi Apoſtolos de interpretatione eorum exempla ſumpſiſſe: vbi verò diſcrepant, id poſuiſſe in Græco, quod apud Hebræos didicerant. Sicut ergo ego oſtendo multa in nouo teſtamento poſita de veteribus libris, quæ in 70. non habentur: & hæc ſcripta in Hebraico doceo: ſic accuſator oſtendat aliquid ſcriptum eſſe in nouo teſtamento de Septuaginta interpretibus, quod in Hebraico nõ habeatur: & finita contentio eſt. Ex quibus omnibus approbatur: & ſeptuaginta interpretum editionem, quæ legentium vetuſtate firmata eſt, vtilem eſſe eccleſijs, dũ ante gentes audiunt Chriſtum venturum eſſe, quam veniat: & cæteros interpretes non reprobandos: quia non ſua, ſed diuina volumina tranſtulerũt: & familiarem meum id à Chriſtiano & amico debere ſuſcipere, quod magno ſumptu ſibi à Iudæis deſcribere feſtinauit. *Tomo ſecundo libro ſecundo Apologiæ aduerſus Ruffinum cap. 9.*

TIBI ſoli licet hæreticorum venena transferre, & de calice Babylonis cunctis gentib. propinare. Tu latinas ſcripturas de Græco emendabis, & aliud Eccleſijs trades legendum, quam quod ſemel ab Apoſtolis ſuſceperunt: mihi non licebit poſt Septuaginta editionem, quam diligentiſsimè emẽdatam ante annos plurimos meæ linguæ hominib. dedi, ad confutandos Iudęos etiã ipſa exemplaria vertere, quæ ipſi veriſsima cõfitentur, vt ſi quando aduerſum eos Chriſtianis diſputatio eſt, non habeant ſubterſugiendi diuerticula, ſed ſuomet potiſsimum mucrone feriatur? *Tomo 2. lib. 2. Apologiæ aduerſus Ruffi. cap. 7.*

QVAERIS quidnam illud ſit, tam grande, tam neceſſarium, quò Epiſtolicæ confabulationis munus excluſum ſit. Iam pridem cum voluminibus Hebræorum editionem Aquilæ confero; ne quid forte propter odium Chriſti, ſynagoga mutauerit: & vt amicę menti fatear, quę ad noſtram fidem pertineant roborandam, plura reperio. Nũc prophetis, Salmone Pſalterio Regnorumq; libris ex amuſsim recenſitis Exodum teneo, quem illi Elle ſemoth vocant, ad Leuiti-
אלה שמות cum tranſiturus. Vides igitur quod nullum officium huic operi præponendum eſt. *Tom. 2. Epiſt. 74. ad Marcellam.*

IN hac Epſtola hoc addo ex Hebræo Iob à te ... iam quandam haberemus interpretationem tuam, eiuſdem prophetæ, ex Græco eloquio verſam in latinum, vbi tamẽ aſteriſcis notaſti, quæ in Hebræo ſunt & in græco deſunt, obeliſcis autem, quæ in Græco inueniũtur, & in Hebræo non ſunt, tam mirabili diligentia, vt quibuſdam in locis ad ſingula verba ſingulas ſtellas videamus, ſignificantes eadem verba eſſe in Hebræo, in Gręco autem non eſſe. *Tom. 2. Epiſt. 88. ad Hieronymum.*

NON paruas Deo gratias agimus de opere tuo, quod euangelium ex gręco es interpretatus: quia penè in omnibus nulla offenſio eſt, cum ſcripturam Græcam contulerimus. Vnde, ſi quiſquam veteri falſitati contentioſus fauerit, prolatis collatiſq; codicibus, vel docetur facilime vel refellitur. Etſi quædam rariſsima merito mouẽt, quis tam durus eſt, qui labori tam vtili non facile ignoſcat, cui vicem laudis referre non ſufficit. *Tom. 2. Epiſt. 88. ad Hieronymum.*

QVOD autem in alijs quæris Epiſtolis, cur prior mea in libris canonicis interpretatio aſteriſcos habeat, & virgulas prænotatas: & poſtea aliam translationem abſque ijs ſignis ediderim: pace tua dixerim, videris mihi non intelligere quod quæſiſti. Illa n. interpretatio 70. interpretum eſt: & vbicunq; virgulæ, id eſt obeli ſunt, ſignificatur quòd 70. plus dixerint, quam habetur in Hebræo: vbi autẽ aſteriſci, id eſt, ſtellulæ prælucentes, ex Theodotionis editione ab Origene additum eſt: & ibi græca tranſtulimus, hic de ipſo Hebraico, quod intelligebamus, expreſsimus ſenſuũ potius veritatẽ q̃ verborũ ordinem interdum cõſeruantes. Et miror quomodo 70. interpretũ libros legas non puros, vt ab eis ſunt, ſed ab Origene emendatos, ſiue correctos per obelos & aſteriſcos, & Chriſtiani hominis interpretatiunculã non ſequaris: præſertim cum ea q̃ addita ſunt, ex hominis Iudæi atq; blaſphemi, poſt paſſionẽ Chriſti, editione trãſtulerit. Porrò ꝙ dicis me nõ debuiſſe poſt 70. interpretari: & nouo vteris ſyllogiſmo: aut obſcura fuerunt q̃ interpretati ſunt Septuaginta, aut manifeſta: ſi obſcura, te quoq; in illis falli potuiſſe credendum: ſin manifeſta, illos in eis non falli potuiſſe perſpicuũ eſt: tuo tibi ſermone reſpondeo. Omnes veteres tractatores, qui nos in Domino præceſſerunt, & qui ſcripturas ſanctas interpretati ſunt, aut obſcura interpretati ſunt, aut manifeſta: ſi obſcura, tu quomodo auſus es poſt eos diſſerere, quod illi explanare non potuerunt? ſi manifeſta, ſuperfluum eſt te voluiſſe diſſerere, quod illos latere non potuit, maximè in explanatione Pſalmorum, quos apud Græcos interpretati ſunt multis voluminibus, primus Origenes, ſecundus Eſebius Cæſarienſis, tertius Theodorus Heracleotes, quartus Aſterius Scytopolitanus, quintus Apollinarius Laodicenus, ſextus Didymus Alexandrinus. feruntur & diuerſorum in paucos Pſalmos opuſcula: ſed nunc de integro Pſamorum corpore dicimus. apud latinos autem Hilarius Pictauienſis & Euſebius Vercellenſis Epiſcopus Origenem & Euſebium tranſtulerunt: quorum priorem & noſter Ambroſius in quibuſdam eſt ſequutus. Reſpondeat mihi prudentia tua, quare tu poſt tantos & tales interpretes in explicatione Pſalmorũ diuerſa ſenſeris? ſi enim ſunt obſcuri Pſalmi, te quoq; in ijs falli potuiſſe credendum eſt: ſi manifeſti eos in ijs potuiſſe falli nõ creditur: ac per



hoc vtroq; modo ſuperflua erit interpretatio tua & hac lege poſt priores nullus loqui audebit: & quodcunque alius occupauerit, alius de eo licentiam ſcribendi non habebit. Quin potius humanitatis tuæ eſt, in quo veniam tibi tribuis, indulgere & cæteris. ego enim non tam vetera abolere conatus ſum, quæ linguæ meæ hominibus emendata de Græco in latinum tranſtuli, quã ea teſtimonia, quæ à Iudęis prætermiſſa ſunt vel corrupta proferre in medium: vt ſcirent noſtri quid Hebraica veritas contineret. Si cui legere non placet nemo compellit inuitum. Bibat vinum vetus cum ſuauitate, & noſtra muſta contemnat, quæ in explanatione priorum edita ſunt vt ſicubi illa non intelliguntur, ex noſtris manifeſtiora fiant. Et ſi me, vti dicis, in noui teſtamenti emendatione ſuſcipis, exponiſq; cauſã cur ſuſcipias, quia plurimi linguæ Græcæ habentes ſcientiam, de meo poſsint opere iudicare: eandem integritatem debueras etiam credere in veteri teſtamento, quod nõ noſtra confinximus, ſed quæ apud Hebræos inuenimus, diuina trãſtulimus. Sicubi dubitas, Hebræos interroga. Sed dices: qd ſi Hebræi aut reſpondere noluerint, aut mentiri voluerint? Tota frequentia Iudæorum in mea interpretatione reticebit? nulluſq; inueniri poterit, qui Hebreæ linguæ habeat notitiam? aut omnes imitabuntur: illos Iudæos, quos dicis in Africæ repertos oppidulo, in meam conſpiraſſe calumniam. texis enim in Epiſtola tua mirabilem fabulã. Dicis me in Ionam prophetã male quiddam interpretatum, & ſeditione populi conclamante, propter vnius verbi diſſonantiam Epiſcopum penè ſacerdotium perdidiſſe: & quid ſit illud, quod male interpretatus ſum, ſubtrahis, auferens mihi occaſionem defenſionis meæ: ne, quicquid dixeris, me reſpondente ſoluatur niſi forte, vt ante annos plurimos cucurbita venit in mediũ, aſſerente illis temporibus Cornelio Aſi-
Iona.4. nio Pollione, me hederam pro cucurbita tranſtuliſſe. ſuper qua re in commentario Ionæ prophetæ plenius reſpondimus, hoc tantum nunc dixiſſe contenti, quod in eo loco vbi Septuaginta interpretes cucurbitam, & Aquila cum reliquis hederam tranſtulerunt, id eſt κισσόν, in Hebręo volumine Cicaion ſcriptum eſt, quam vulgo Syri elceroa vocant: eſt autem genus virgulti, lata habens folia, in modum pampini, cumq; plantatũ fuerit, cito conſurgit in arbuſculam abſq; vllis calamorum & baſtilium adminiculis, quibus & cucurbitæ & hederæ indigent, ſuo trunco ſe ſuſtinens. Hoc ergo verbum de verbo transferens, ſi cicaion transferre voluiſſem, nullus intelligeret: ſi cucurbitam, id dicerem quod in Hebraico non habetur, hederam poſui, vt ceteris interpretibus conſentirem. Sin autem Iudęi veſtri, vt ipſe aſſeris, malicia vel imperita hoc dixerunt eſſe in voluminibus Hebræorum, quod in Græcis & latinis codicibus continetur, manifeſtum eſt eos aut Hebraicas literas ignorare, aut ad irridendos cucurbitarios voluiſſe mentiri. *Tomo. 2. Epiſtola 89 Cap. 6. ad Auguſtinũ.*

DE interpretatione tua iam mihi per ſuaſiſti, qua vtilitate ſcripturas volueris tranferre, de Hebræis: vt ſcilicet ea quæ à Iudæis ſunt prætermiſſa vel corrupta, proferres in medium. Sed inſinuare digneris peto, à quibus Iudæis, vtrum ab eis ipſis, qui ante aduentum Chriſti interpretati ſunt: & ſi ita eſt, quibus vel quo nam eorum? an ab iſtis poſterius, qui propterea putari poſſunt aliqua de Codicibus græcis vel ſubtraxiſſe, vel in eis corrupiſſe, ne illis teſtimonijs de Chriſtiana fide conuincerentur. illi autem anteriores cur hoc facere voluerint, non inuenio. Deinde nobis mittas obſecro interpretationẽ tuam de Septuaginta, quam te edidiſſe neſciebam. Ideo deſidero tuam interpretationem de ſeptuaginta, vt & tanta latinorum interpretum, qui qualeſcunque hoc auſi ſunt, quantum poſſumus imperitia careamus: & ij, qui me inuidere putant vtilibus laboribus tuis. tandem aliquando, ſi fieri poteſt, intelligant, propterea me nolle tuam ex Hebræo interpretationem legi, ne contra 70. authoritatẽ, tanquam, nouum aliquid proferentes, magno ſcandalo perturbemus plebes Chriſti, quarum aures & corda illam interpretationem audire conſueuerunt, quæ etiam
ab Apoſtolis approbata eſt. Vnde illud apud Io- Iona.4.
nam virgultum, ſi in Hebræo nec hedera eſt, nec cucurbita, ſed neſcio quid aliud, quod trunco ſuo nixum, nullis ſuſtentandum adminiculis erigatur, mallem iam in omnibus latinis cucurbitam legi, non enim fruſtra hoc puto ſeptuaginta poſuiſſe: niſi quia & huic ſimile ſciebant. *Tom. 2. Epiſt. 97. ad Hieronymum.*

POST priorem Epiſtolam in qua de Hebræis verbis pauca perſtinxeram, ad me repentè perlatum eſt, quoſdam homunculos mihi ſtudioſe detrahere, cur aduerſum auctoritatem veterum & totius mundi opinionem, aliqua in Euangelijs emendare tentauerim. Quos ego cum poſſem meo iure contemnere (aſino quippe lyra ſuperfluè canit) tamen ne nos ſuperbiæ, vt facere ſolent, arguant: ita reſponſum habeant, non adeo me hebetis fuiſſe cordis, & tam craſſæ ruſticitatis, (quam illi ſolam pro ſanctitate habent, piſcatorum ſe diſcipulos aſſerentes: quaſi idcirco ſancti ſint, ſi nihil ſcierint) vt aliquid de Dominicis verbis aũt corrigendum putauerimus, aut nõ diuinitus inſpiratum: ſed latinorum Codicum vitioſitatem, quæ ex diuerſitate librorum omnium comprobatur, ad græcam originem, vnde & ipſi translata non denegant, voluiſſe reuocare. Quibus ſi diſplicet fontis vnda puriſsimi cænoſos riuulos bibant, & diligentiam, qua auium ſyluas & concharum gurgites norunt, in ſcripturis legẽdis abijciant: ſintq; in hac re tantũ ſimplices, vt Chriſti verba exiſtimẽt ruſticana, in q̃bus per tanta iã ſecula tantorum ingenia ſudauerunt, vt rationem verbi vnuſquiſq; magis opinati ſint quam expreſſerint. Apoſtolum arguãt imperitiæ, qui ob multas literas inſanire dicatur *Tom. 2. Epiſt. 92. ad Marcellam.*

TANDEM finito Pentateucho Moyſi, velut grandi fœnore liberati ad Ieſum filiũ Naue manum mittamus, quem Hebræi Ioſue Bẽ Nun, id eſt, Ioſue filium Nun vocant: & ad Iudicum librum, quem Sophtim appellant, ad Rut quoque & Heſter, quos eiſdem nominibus efferunt. Monemuſque lectorem, vt ſyluam Hebraicorum nominum, & diſtinctiones per membra diuiſas ſcriptor conſeruet: ne & noſter labor & illius ſtudium pereat. Et vt in primis quod ſæpe teſtatus ſum, ſciat me non in reprehenſionem veterum noua cudere, ſicuti amici mei criminantur, ſed pro virili portione, offerre lingue

meæ hominibus, quos tamen noſtra delectant: vt pro Græcorum ἐξαπλοῖς, quæ & ſumptu & labore maximo indigent, editionem noſtram habeant: & ſicubi in antiquiorum voluminum lectione dubitarint, hæc illis, conferentes inueniant quod requirunt: maximè cum apud latinos tot ſint exemplaria, quot codices, & vnuſquiſq; pro arbitrio ſuo vel addiderit vel ſubtraxerit quod ei viſum eſt: & vtiq; non poſsit verum eſſe, quod diſſonat. Vnde ceſſet acuto vulnere contra nos inſurgere ſcorpius, & ſanctum opus venenata carpere lingua, vel ſuſcipiens ſi placet, vel contemnens, ſi diſplicet: memineritq́; illorum verſuum. Os tuum abũdauit malicia &c. Quæ enim audientis vel legentis vtilitas eſt, nos laborando ſudare, & alios detrahendo laborare, dolere Iudæos quod calumiandi eis & irridendi Chriſtianos ſit ablata occaſio, & Eccleſiæ homines id deſpicere imo lacerare, vnde aduerſarij torqueantur? Quòd ſi vetus eis interpretatio tantum placet, quæ & mihi non diſplicet, & nihil extra recipiendum putant: cur ea, quæ ſub aſteriſcis, & obelis vel addita ſunt vel amputata legunt, & negligunt? Quare Danielẽ iuxta Theodotionis traditionem Eccleſiæ ſuſceperunt? Cur Originem mirantur, & Euſebium Pamphili cunctas editiones ſimiliter differentes? Aut quæ fuit ſtultitia, poſtquam vera dixerint proferrè quę falſa ſunt? Vnde autem in nouo teſtamento probare potuerunt aſſumpta teſtimonia, quæ in libris veterib. non habentur? Hæc dicimus: ne omnino calumniantibus tacere videamur. *Tom. 3. præfatione. 105. in Ioſue. vide latius Epiſtola ſiue præfatione 108. ad Domnionem & Rogatianum in librum Paralipomenon tom. 3. rurſus tom. 3. præfatione. 112. in librum Heſter, & tom. 3. præfatione 115. in Prouerbia, Eccleſiaſten, & Cantica Canticorum.*

NOVVM opus me facere cogis ex veteri, vt poſt exemplaria ſcripturarũ toto orbe diſperſa, quaſi quidam arbiter ſedeam: & quia inter ſe variãt, quæ ſint illa quæ cum græca conſentiant veritate decernam. Pius labor, ſed periculoſa præſumptio, iudicare de cæteris, ipſum ab omnibus iudicandum, ſenis mutare linguam, & caneſcentẽ iam mundum ad initia retrahere paruulorum. Quis enim doctus pariter vel indoctus, cum in manus volumen aſſumpſerit, & à ſaliua, quam ſemel imbibit viderit diſcrepare quod lectitat non ſtatim erumpat in vocem, me falſarium, me clamitans eſſe ſacrilegum, qui audeam aliquid in veteribus libris addere, mutare, corrigere? Aduerſus quam inuidiam duplex cauſa me conſolatur: quod & tu, qui ſũmus ſacerdos es fieri iubes: & verum non eſſe quod variat, etiam maledicorum teſtimonio comprobatur. Si enim latinis exemplarib. fides eſt adhibenda, reſpondeant quibus: tot enim ſunt exemplaria penè quot codices. Sin autem veritas eſt quærenda de pluribus: cur non ad Græcam originem reuertẽtes, ea quæ vel à vitioſis interpretibus male reddita, vel à prę́ſumptoribus imperitis emendata peruerſius vel à librarijs dormitantib. addita ſunt, vel mutata corrigimus. Neque verò ego de veteri diſputo inſtrumento, quod à 70. ſenioribus in Gręcam linguam verſum, tertio gradu ad nos vſque peruenit. Non quæro quid Aquila, quid Symmachus ſapiant; quare Theodotion inter veteres & nouos medius incedat. Sit illa vera interpretatio, quam Apoſt. probauerunt. De nouo nunc loquor inſtrumento, quod Græcum eſſe non dubium eſt, excepto Apoſtolo Matthæo, qui primus in Iudæa Euangelium Chriſti Hebraicis literis edidit Hoc certè cũ in noſtro ſermone diſcordat, & in diuerſos riuulorum tramites ducit, vno de fonte querendũ eſt. Prætermitto eos codices quos à Luciano & Heſychio nũcupatos, paucorũ hominũ aſſerit peruerſa contentio: quib. vtiq́; nec in toto veteri inſtrumẽto poſt ſeptuaginta interpretes emendare quid licuit, nec in nouo profuit emendaſſe: cum multarum gentium linguis ſcriptura antea translata doceat falſa quę addita ſunt. Igitur hæc præſens præfatiuncula pollicetur quatuor tantum Euangeliſtas, quorum ordo eſt iſte, Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes, codicum Græcorum emendata collatione ſed & veterum, quæ ne multum à latinæ lectionis conſuetudine diſcreparent, ita calamo temperauimus, vt ijs tantum, quæ ſenſum videbantur mutare, correctis, reliqua manere putarentur vt fuerant. *Tom. 3. præfatione 123. in quatuor Euangelia ad Damaſum.*

NOS, vtſcis Hebræorum lectione detenti, in latina lingua rubiginem obduximus, in tantum vt loquentib. quoq; nobis ſtridor quidã non latinus interſtrepat, vnde ignoſce ariditati & ſi imperitus ſum ſermone, inquit Apoſtolus, ſed non ſcientia. Illi vtrunq; non deerat, & vnum humiliter renuebat, nobis vtrunq́; deeſt: quia & quod pueri plauſibile habueramus, amiſimus, nec ſcientiam, quam volebamus, cõſecuti ſumus, iuxta Aeſopici canis fabulam, dum magna ſectamur etiam minora perdentes. *Tom. tertio Epiſtola 130. ad Marcellam. vide quoqúe, Tomo tertio Epiſtola ad Sophronium.*

*Vide tom. 6. ab initio prima præfatione ad Damaſum.*

*1. Cor. 11.*

QVAERITIS à me rem magni operis, & maioris inuidię, in qua ſcribentis non ingenium ſed eruditio comprobetur: vt dum ipſe cupio de cæteris iudicare, iudicandum me omnibus præbeã: & in opere Pſalterij, iuxta diſtinctionem ſchedulæ veſtræ, vbicunq; inter latinos græcoſq́; contentio eſt, quid magis Hebræis conueniat ſignificem. In quo breuiter illud admoneo, vt ſciatis aliam eſſe editionem, quam Origenes & Cæſarienſis Euſebius, omneſque Græciæ tractatores κοινὴν, id eſt, communem appellant atque vulgatam, & à pleriſq́; nunc Λουκιανὸς dicitur: aliam ſeptuaginta interpretum, quæ & in ἐξαπλοῖς codicibus reperitur: & à nobis in latinum ſermonem fideliter verſa eſt & Hieroſolimæ atq; in orientis Eccleſijs decantatur, ſuper qua re & ſanctus filius meus Auitus ſœpè quæſierat. Et quia ſe occaſio fratris noſtri Firmi præsbyteri ſe dedit, qui mihi Epiſtolam veſtram reddidit à vobis; ſcribens in commune reſpondeo, & me magno amicitiæ libero fænore, quod quanto magis ſoluimus plus debemus. Sicut autem in nouo teſtamẽto, ſi quando apud latinos quæſtio exoritur, & eſt inter emplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci ſermonis, quo nouum eſt ſcriptum inſtrumentum: ita in veteri inſtrumento, ſi quando inter latinos Græcoſq́; diuerſitas eſt, ad Hebraicam recurrimus veritatem; vt quicquid de fonte proficiſcitur, quæramus in riuulis κοινὴ autem iſta, id eſt communis editio, ipſa eſt quę & 70 Sed hoc intereſt inter vtranque, quod κοινὴ pro locis, temporibus & voluntate ſcriptorum ve-



terum corrupta editio eſt. Ea autem quę habetur in ἐξαπλοῖς, & quã nos vertimus, ipſa eſt, quæ in eruditorum libris incorrupta & immaculata, Septuaginta interpretũ translatio reſeruatur Quicquid ergo ab hac diſcrepat, nulli dubium eſt, quin ita & ab Hebræorum, autoritate diſcedat. *To. 3. Epiſt. 135. ad Sunam & Fretelam.*

EST vir quidam, à quo ego plura didiciſſe me gaudeo, & qui Hebræũ ſermonẽ ita elimarit, vt inter ſcribas eorum Chaldęus exiſtimetur. is longè alia via ingreſſus eſt &c. *To. 3. Epi. 142. ad Dam.*

OMISSIS opinionum riuulis ad ipſum fontẽ, vnde ab ipſis Euangeliſtis ſumptus eſt recurramus. Multa enim allegãtur in nouo teſtamẽto ex veteri, quæ neq; in Græcis neq; in latinis codicibus poſſumus inuenire. quare ex Hebræis codicibus veritas eſt exprimenda. Vide plura. *Tom. 3. Epiſt. 145. ad Damaſ.*

APPARET Matthęum Euangeliſtam non veteris interpretationis auctoritate cõſtrictũ, dimiſiſſe Hebraicam veritatem, ſed quaſi Hebræũ ex Hebræis, & in lege domini doctiſsimum ea gentibus protuliſſe, quæ in Hebræo legerat. Et hoc ſolum in præſenti loco, ſed vbicunq; de veteri inſtrumento Euangeliſtę & Apoſt. teſtimonia protulerunt, diligentius obſeruandum eſt, non eos verba ſequutos eſſe, ſed ſensũ, & vbi Septuaginta ab Hebraico diſcrepant Hebræũ ſenſum ſuis expreſsiſſe ſermonib. *To. 3. Epi. 151. ad Algaſ. quæſt. 2.*

QVIESCITE ab homine] Intelligentes Iudęi prophetiam eſſe de Chriſto, verbum ambiguum in deteriorem partem interpretati ſunt, vt viderentur non laudare Chriſtum, ſed nihili pendere. Tacita mecum mente pertractás, non poſſum inuenire rationem quare 70. tam perſpicuam de Chriſto prophetiam in grecum noluerunt vertere. Ceteri enim, qui verterũt quidem, ſed ſermonem ambiguũ ad impietatis traxere ſenſum, non mirum, cur male ſint interpretati, nec voluerint de Chriſto glorioſum quid dicere, in quem non credebant, videlicet vt Iudæi, aut ſemi Iudæi, id eſt, Hebionitæ *Tom. 4. lib. 1. Co. in ca. 2. Eſaiæ.*

AC primũ illa nobis ſoluenda quæſtio eſt, quæ nobis obijci poteſt: quare Apoſtolus Paulus cum Hebræis diſputans, non iuxta Hebraicum, quod rectum eſſe cognouerat, ſed iuxta 70. ſit loqutus. Euangeliſtam Lucam tradunt veteres Eccleſiæ tractatores medicinæ artis fuiſſe ſcientiſsimum, & magis Græcas literas ſciſſe, quam Hebræas. Vnde & ſermo eius tã in Euangelio, quam in Actibus Apoſtolorum, id eſt, in vtroq; volumine, comptior eſt, & ſecularem redolet eloquẽtiam: magiſq́; teſtimonijs Græcis vtitur quam Hebræis. Matthæus autem & Ioannes, quorum alter Hebræo, alter Græco ſermone Euangelia exuerunt, teſtimonium de Hebræo proferunt: vt eſt illud, Ex Aegypto vocaui filium meum: &: Quoniam Nazaręus vocabitur: &: Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: &: Videbunt in quem compunxerunt, & cætera his ſimilia. Pauli quoq; Epiſtolæ ad Hebræos iccirco contradicitur, quod ad Hebræos ſcribens vtatur teſtimonijs, quæ in Hebræis voluminib. non habentur. quod ſi aliquis dixerit, Hebræos libros poſtea à Iudæis eſſe falſatos: audiat Origenem, quid in octauo volumine explanationum Eſaiæ huic reſpondeat quæſtiunculæ: quod nunquam Dominus & Apoſtoli, qui cetera crimina arguũt in ſcribis & phariſæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuiſſent. Sin autem dixerint poſt aduentũ Dñi ſaluatoris, & prędicationẽ Apoſ. libros Hebræos fuiſſe falſatos: cachinnũ tenere nõ potero: vt ſaluator Apoſt. & Euangeliſtę ita teſtimonia protulerint, vt Iudęi poſtea falſaturi erãt. De præſenti autem loco hoc dicendum erit, fruſtra nos ad Lxx. translationẽ confugere: ne blaſphemum eſſe videatur, quod iuxta Hebraicũ dicitur: auditu audite & nolite intelligere, & videte viſionẽ & nolite cognoſcere: cum huiuſmodi teſtimonia etiam in 70. interpretibus inueniantur: vt eſt illud in Exodo quod ad Pharaonẽ dicitur. propterea ſuſcitaui te, vt oſtendam in te virtutẽ meam. Si autem ipſe ſuſcitauit & indurauit cor. Pharaonis ne crederet: & de alijs dicitur. Dedit eis Deus ſpiritum compunctionis: oculos vt non videant, aures vt nõ audiant. & in Pſalmis fiat mẽſa eorum in laqueũ, & in captionem & in ſcandalum, & in retributionem: obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſa eorum ſemper incurua non ſunt illi in culpa, qui non vident, ſed ille qui dedit oculos ad non vidẽdum. Ergo & abſq; hoc teſtimonio, quod nunc conamur exponere, manet eadem quæſtio in eccleſijs: & aut cum iſta ſoluentur & cæterę: aut cum cæteris & hęc indiſſolubilis erit. *Tom. 4. lib. 3 Com. in cap. 6. Eſaiæ.*

*Matt 2.*
*Ioan. 7.*
*Ioan. 19.*

*Exodi 9. ca.*

*Rom. 11.*
*Pſal 68.*

HOC in veteri obſeruauimus teſtamento abſq; paucis teſtimonijs, quibus Lucas ſolus abutitur, qui magis græcæ linguæ habuit ſcientiam: vbicunq; de veteri inſtrumento quid dicitur, nõ eos iuxta 70. ſed iuxta Hebraicũ ponere, nulli9 ſequentes interpretationem, ſed ſenſum Hebraicũ ſuo ſermone vertentes. *Tom. 4. li. 9. Commen. in cap. 28. Eſaiæ.*

FRVSTRA autem colunt me docentes doctrinas & præcepta hominum. In quo notare debemus illud quod plerunq; admonuimus: Euangeliſtas & Apoſt. non verbum eſſe interpretatos de verbo, nec Lxx. interpretum autoritatem ſecutos, quorum editio illo iam tempore legebatur, ſed quaſi Hebræos & inſtructos in lege abſq; dãno ſenſuum ſuis vſos eſſe ſermonibus. *Tom. 4. li. 9. Com. in cap. 29. Eſaiæ.*

ECCE ſeruus meus] Iacob & Iſrael in præſenti capitulo non habetur: quod nec Matthæus Euãgeliſta poſuit, ſecutus Hebraicã veritatem. Hoc dicimus in ſugillationem eorum qui noſtra contemnũt. De quo plenius in Matthei commentariolis, & in libro quem ad Algaſiam nuper ſcripſimus, diſputatum eſt. *Tom. 4. lib. 12. Com. in cap. 42. Eſaiæ.*

*Epiſtola 151. quæſ. 2. 10. 3.*

EGREGIA diſertiſsimi oratoris ſententia eſt: fœlices eſſe artes ſi de illis ſoli artifices iudicarent. Ac ne à prophanis ſolum videar ſumere exemplum, nimirum hoc illud eſt, quod alijs verbis propheta demonſtrat: Beatus qui in aures loquitur audientis. Qua fœlicitate tu, filia Euſtochium, me compotem eſſe feciſti. Nam cum anterioris libri præfatiunculam legeres, in quã aſſerui Apoſtolos & Euangeliſtas, ea tantum de Septuaginta interpretibus, vel ſuis, vel eorũ ponere verbis teſtimonia, quæ cum Hebraico conſonarent: ſi qua autem ab alijs ſunt addita, omnino negligere: illico mihi non paruulam quæſtiunculam detuliſti, quod ſcilicet octo verſus, qui leguntur in Eccleſijs, & in Hebraico non habeatur tertij decimi Pſalmi, Apoſtolus vſurpa-

*Rom. 3.*

rit,ſcribens ad Romanos.Sepulchrum patens eſt guttur eorum.Linguis ſuis doloſè agebant: Venenum aſpidum ſub labijs eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt.Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Contritio & infœlicitas in vijs eorum:& viam pacis non cognouerunt: Non eſt timor Dei ante oculos eorum.Quod cum audiſſem: quaſi à fortiſsimo pugile percuſſus eſſem,cępi tacitus æſtuare, & ſtuporem mentis, vultus pallore ſignare. Hebræus,inquam,ex Hebręis, ſecundum legem phariſæus, eruditusq́; ad pedes Gamalielis, aut ignorauit hæc, aut eorum qui lecturi erant abuſus eſt ignorantia.Quorum alterum ineruditè, alterum callidè eſt,ad maliciam,nec eius qui di-
2. Cor. 11. xerit.Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcien-
2. Cor. 1. tia, & iterum, in ſimplicitate & ſynceritate annunciaui vobis verbum. Tandem in memet reuerſus, vnius diei ſpacium poſtulaui: vt reſponſio mea nequaquam argumentum humani eſſet ingenij, ſed fructus aſsiduæ lectionis,Itaque omnem ſcripturam mente perluſtrans, animaduerti,ſicuti omnis penè ad Romanos Epiſtola de veteri ſtructa eſt inſtrumento,ſic & hoc teſtimonium de Pſalmis & de Eſaia eſſe contextum. Nam duo primi verſus.Sepulchrum patens guttur eorum:Linguis ſuis doloſè agebant: quinti Pſalmi ſunt.Illud autem quod ſequitur. Venenum aſpidum ſub labijs eorum : centeſimi triceſimi noni pſalmi eſt.Rurſumq́; quod dicitur: Quorũ os amaritudine & maledictione plenũ eſt . de nono pſalmo ſumptum eſt.Tres autem verſiculos qui ſequuntur (veloces pedes eorum ad effundẽdum ſanguinem: Contritio & infœlicitas in vijs eorũ: & viam pacis nõ cognouerunt.)in Iſaia Propheta reperi, quos in decimo ſexto explanationis eius libro, quem nunc dictare cupio, expoſiturus ſum. Vltimus autem verſus,id eſt,octauus: Non eſt timor Dei ante oculos eorum: in triceſimi quinti Pſalmi principio eſt. Nec in hoc cuique videatur eſſe diuerſum, ſi quod in ſuis locis numero dicitur ſingulari, ab Apoſtolo pluraliter dicatur: qui ſcribat ad plurimos,& in vnum ſenſum,multa cogebat exempla. Arbitror ſolutam quæſtionem tuam , & noſtram regulam ſuper translatione veteris inſtrumenti concuſſam magis eſſe quam motam:& non tam Apoſtolum de Pſalmo decimo tertio ſumpſiſſe, quod in Hebraico non habetur, quam eos qui artem contexendarum inter ſe ſcripturarũ Apoſtoli neſciebant, quæſiſſe aptum locum,vbi aſſumptum ab eo ponerent teſtimonium, quod abſque auctoritate ſcripturæ poſitum non putabant. Deniq́ue omnes Græciæ tractatores, qui nobis eruditionis ſuæ in Pſalmos commentarios reliquerunt: hos verſiculos veru annotant atque prætereunt: liquidò confitentes, in Hebraico non haberi,nec eſſe in 70.interpretibus ſed in editione vulgata, quæ Græcè κοινὴ dicitur, & in toto orbe diuerſa eſt. *Tom.quarto in proœ.16.lib.Co.Eſa.*

PVDET me contentionis noſtrorum, qui Hebraicam arguunt veritatem. Iudæi contrà ſe legunt,&quid pro ſe ſit neſcit Eccleſia.*Tom.4.lib.5. Com.in cap.17.Hieremiæ.*

PERSPICVVM eſt Euangeliſtas & Apoſtolos nequaquam ex Hebræo interpretationem alicuius ſequutos,ſed quaſi Hebræos ex Hebræis, [illegible] ſiſſe. *Tom.4.lib.6.Commentar in cap.31.Hiere.*

LEGIMVS iuxta 70. duntaxat interpretes in Ieſu Naue,vbi tribus Iudæ vrbes & oppida deſ- *Ioſue 15 ca.*
cribuntur,inter cætera etiã hoc ſcriptum Theco & Ephrata,hæc eſt Bethlehem, & Phagor & Aetham,& Culon,& Tatami, & Solis, & Carem & Gallim,& Bæther, & Manocho ciuitates vndecim,& viculi earum: quod nec in Hebraico, nec apud alium interperetem, & ſiue de veteribus libris eraſum ſit malicia Iudęorum,ne Chriſtus de tribu Iuda ortus videretur,ſiue à 70.additum nequaquam liquidò cognoſcentes,certum quid nouimus.*Tom.5.lib.2.Com.in cap.5.Mic.*

IGNOSCITE prolixitati non enim poſſum & hiſtoriam & tropologiam ſequens,breuiter vtrũq́ue comprehendere:maximè cum & interpretationis varietate torquear,& aduerſus conſcientiã meam cogar interdum vulgatæ editionis conſequentiam texere. *To.5.li.1.Co.in cap.1.Nahum.*

EGRESSVS]Rem incredibilem dicturus ſum ſed tamen veram .Iſte Hebionitæ ſemichriſtiani Iudaicè tranſtulerũt.Et Iudæus Aquila interpretatus eſt vt Chriſtianus.Sexta editio prodens maniſeſtiſsimè ſacramentum:ita vertit ex Hebræo. Egreſſus es vt ſaluares populum tuum per Ieſum Chriſtum tuum.*To.5.Com.in cap.3.Hab.*

MIHI propoſitũ eſt ſemel,& ipſum Hebraicum,&vulgatas in toto orbe ſcripturas interpretari .*Tom.5.in.cap 3. Habac.*

IOANNES Euãgeliſta,qui de pectore Domini hauſit ſapientiam,Hebręus ex Hebręis,quem ſaluator amabat plurimum,non magnoperè curauit,quid græcæ literæ continerent:ſed verbũ interpretatus eſt è verbo, vt in Hebræo legerat, & tempore paſsionis Dominicæ dixit eſſet completum.Quod ſi quis non recipit,det teſtimonium, de quo ſanctarũ ſcripturarũ loco Ioãnes iſta protulerit,&cũ non repererit,cogetur,ingratis ſuſcipere veritatem.*To.5.lib.3.Co.in.ca.21.Zacha.*

PERSPICVVM eſt Apoſtolos & Euangeliſtas & ipſum Dominũ ſaluatorem,nõ LXX interpretum autoritatem ſequi,qua Hebręę linguæ habẽtes ſcientiam, non indigent, ſed ex Hebręo trans- *Tom. 2. Epiſtola.101.*
ferre quod legerint:nõ curantes de ſyllabis punctiſq; verborũ dummodo ſententiarum veritas tranferatur.Quod quidẽ &in pluri b.locis eos feciſſe docuim⁹,& maximè in eo libro, qui à nobis inſcriptus eſt : de optimo genere interpretandi, multis ſimul teſtimonijs approbatum eſt. *To.5. Com.in cap.3.Malac.Vide to.6.lib.1. Com.in ca.2.Mat. in illa verba: Ex Aegypto vocaui filium meum.*

ILLVD dicam quod vel apud iniquiſsimum iudicem obtineam,placere mihi otium meum & ſolitudinem omni celebritate iucundiorẽ videri. Et quomodo ego non reprehendo,non damno,quod faciunt,ita illos ineptias meas mihi debere concedere.Parum eloquens ſum quid ad te? diſertiorem lege.Non dignè Græca in Latinum transfero.Græcos lege, ſi eiuſdem linguæ habes ſcientiam, aut ſi tantum latinus es,noli de gratuito munere iudicare, & vt vulgare prouerbium eſt, Equi dentes inſpicere donati. *Tom.6. Proœm. in Epiſto.ad Ephe.*

QVOD autem ait: contentiones,genealogias: & rixas, quæ veniũt ex lege deuita: propriè pulſat Iudæos, qui in eo ſe iactant, & putant legis habere notitiã,ſi nomina teneant ſingulorũ,quæ quia barbara ſunt, & etymologias eorũ nõ nouimus, pleruḿque corruptè proferuntur à nobis Et ſi forte errauerimus in accentu , in extenſione & breuitate ſyllabæ vel breuia producentes, vel producta breuiantes, ſolent irridere nos imperitiæ, maximè in aſpirationibus& quibusdam cũ raſura gulæ literis proferendis.Hoc autem euenit quod LXX.interpretes,per quos in gręcum ſermonẽ lex diuina translata eſt ſpecialiter heth literam & ain, & ceteras iſtiuſmodi(quia cum duplici aſpiratione in græcam linguã tranferre nõ poterant)alijs literis additis expreſſerunt. verbi cauſa vt Rahel,Rachel dicerent,& hieriho, hiericho,& hebron chebron, vt ſeor, ſegor.In alijs vero eos iſte conatus defecit. Nam & nos Græci vnam tantum literam S.habemus, illi vero tres, ſamech, ſade, & ſin, quæ diuerſos ſonos poſsidẽt. Iſaac& Siõ per ſade ſcribuntur, Iſrael per ſin, &tñ nõ ſonat hoc quod ſcribitur. Seon rex Amorrhæorum per Samech literã & ꝓnunciatur & ſcribitur Si igitur à nobis hæc nominũ & linguæ idiomata, vt videlicet barbara, nõ ita fuerint expreſſa, vt exprimuntur ab Hebræis, ſolent cachinnũ attollere,& iurare ſe penitus neſcire quod dicimus.Vnde & nobis curæ fuit omnes veteris legis libros,quos vir doctus Adamantinus in exempla digeſſerat,de Cęſarienſi bibliotheca deſcriptos, ex ipſis authenticis emendare, in quibus & ipſa Hebręa verba proprijs ſunt characteribus deſcrpta,& græcis literis tramite expreſſa vicino. Aquila etiam & Symmachus, LXX.quoq; & Theodotio ſuum ordinem tenent. Nõnulli vero libri & maximè hi qui apud Hebræos verſu compoſiti ſunt, tres alias editiones additas habent, quam quintam, ſextam & ſeptimam translationem vocant,auctoritatem ſine nominibus interpretum conſequutas . Hæc immortale illud ingenium ſuo nobis labore donauit, vt nõ magnopere pertimeſcamus ſupercilium Iudæorum , ſolutis labijs,& obtorta lingua , & ſtridente ſaliua, & raſa fauce gaudentium.eſt et illis alia occaſio ſuperbiæ: quoniã ſicut nos qui latini ſumus latina nomina & origines de lingua noſtra habentia, facilius memoriæ tradimus: ita illi à parua ætate, vernacula ſui ſermonis vocabula penitiſsimis ſenſibus imbiberunt & ab exordio Adam vſq; ad extremum Zorobabel, omniũ generationes ita memoriter velociterq́ue percurrerunt, vt eos ſuum putes referre nomen. Hoc nos, qui aut alias literas didicimus; aut certè ſero in Chriſtum credidimus; aut etiam ſi infantes ſumus Eccleſiæ mancipati, magis ſcripturarum ſenſum quam verba ſectamur: ſi forte non ita nouimus, putant ſe in nominibus referẽdis, & in ſupputatione annorũ, & in nepotibus & abnepotibus in auis & proauis & atauis doctiores. Audiui ego quendam de Hebræis, qui ſe Romæ in Chriſtum crediſiſſe ſimulabat, de genealogijs Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ ſunt ſcripta in Matthæo & Luca facere quæſtionem, quod videlicet à Salomone vſq; ad Ioſeph nec numero ſibi nec vocabulorum æqualitate conſentiant, qui cum corda ſimpliciũ peruertiſſet , quaſi ex aditis & oraculo deferebat quaſdam, vt ſibi videbatur, ſolutiones: cum magis debuerit iuſtitiam & miſericordiam & dilectionem Dei quærere, & poſt illa, ſi forte occurriſſet, de nominibus & numeris diſputare.



## *De Hieronymiana veteris teſtamenti ex Hebraica veritate in latinam linguam translatione, vt cæteris præſtantiore ab omni latinorum Eccleſia ſuſcepta, & per vetuſtorum patrum & recentiorum authoritate comprobata, nonnulla teſtimonia ad ipſius Hieronymianæ Tranſlationis maiorem fidem grauius pondus & corroborationem ſubiecta.*

AVGVSTINVS li.*18.c.43.*de ciuitate Dei ſic ſcribit: Non defuit noſtris temporibus Hiero. presbyter, homo doctiſsimus, & triũ linguarũ peritiſsimus, q non ex græco, ſed ex Hebræo in Latinum diuinas literas conuertit. cuius tantum literarum laborem etiam Hebræi fatentur eſſe veracem. Idem lib. *4.*de Doctrina Chriſtiana ait Hiero. Trãslationem maximè Hebraicæ literæ eſſe conſentaneam.

AVGVSTINO ſubſcribit Gregorius libro vndecimo Moralium, vbi ſic loquitur: Noua Hieronymi translatio ex hebræo nobis eloquio cũcta verius transfudiſſe perhibetur : propterea credendum eſt , quicquid in ea dicitur , & oportet, vt verba illius noſtra expoſitio ſubtilius rimetur.

Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus libro *6.* etymologiarum c. 5. hæc addit: Hieronymus, trium linguarum peritiſsimus, ex Hebræo in latinum eloquium diuinas ſcripturas conuertit, eloquenterq́; transfudit. cuius interpretatio merito cæteris antefertur: nam eſt verborum tenacior, & perſpicuitate ſententiæ clarior, atq; vtpote Chriſtiana interpretatio verior.

MELCHIOR Canus libro 2.Locorum Theologicorum cap. *13.* In translatione ſacræ ſcripturæ noſtra ſecula ſunt fæliciora quam antiqua. Nam olim tot penè vulgabantur exemplaria, quot codices. At vero nunc, ſancti ſpiritus ſine dubio peculiari prouidẽtia, Damaſi ſollicitudine, Hieronymi ſummis laborib. Eccleſia ſancta concordem ſcripturarum vnitatem accepit, omniſq́; ſublata de medio varietas eſt, vnica latina editione omnium conſenſione recepta. Quapropter qui ad græca exemplaria nos reuocant eandem varietatem inferre volunt, à qua olim Hieronymus libros noſtros aſſeruit: imo eandem falſitatem à qua ille codices noſtros expurgauit. & quæ ſequuntur. Venerabilis Beda in libro, qui de ratione temporum inſcribitur , author eſt, ſeptuaginta translationem vel parum ſolicitè primo æditam, vel poſt corruptam fuiſſe. per Beatum vero Hieronymum ex puro Hebraicæ veritatis fonte (ipſis etiam Iudæis teſtibus) nos potari.

HIERONYMO credendum eſt, in Translationibus, Auguſtino verò in dogmatibus gloſſa cap. vt veterum, diſt. 9.

PLATINA in vita Damaſi: Damaſus primus ſcriptis Beati Hieronymi & Translationi Bibliorum authoritatis pondus addidit.

IOANNES Driedo l. 2. de ſcripturis & dogmatib. Eccleſiaſticis de translatione ſacræ ſcripturæ vbi

tractat. Affirmamus, quod etſi Eccleſia ſub Apoſtolorum temporibus haberet ſeptuaginta interpretum editionem tanquam authenticam, diuinoq́; ſpiritu editã, qua & Chriſtus, ſuiq́; Apoſt. ſunt vſi ad demonſtranda fidei primordia, iuſta tñ ratione Hieronymus, poſt illorum ac aliorum interpretum æditionem, totum vetus teſtamentum immeditatè ex hebræo in latinum tranſtulit, ſuamq́; editionem Eccleſiæ legendã ſuaſit ac tradidit. Huius ſui laboris cauſas quinq́; rationabiles ipſemet b. Hieronymus aſsignat: Quarũ prima eſt, Ne Iudæi Eccleſijs Chriſti diutius inſultarẽt, exprobrãtes, in Hebræo nõ ita haberi queadmodũ eedẽ Eccleſię Chriſti, ex LXX. Interpretib. legunt. Deinde ne Iudęi amplius haberẽt ſubterfugiendi diuerticula, ſi quãdo Chriſtianis eſt aduerſus eos diſceptatio, ſed ipſi proprijs armis feriantur. Tertia vt ea quæ apud LXX. Interpretes, aut obſcura aut omiſſa fuerant, fierẽt ex noua interpretatione manifeſtiora. Quarta vt ea quæ in LXX. Interpretũ codicib. fuerant ſcriptorũ vitio deprauata fierent pura & caſtigata, q̃ Hieronymi ſeculis fuerant multis mendis vitiata. Quinta ratio, vt compeſceretur tumor ſuperbus græcorũ, qui ſe Latinis pręferebant, exprobrãtes eis, quod nihil diuinarũ litteram haberent, niſi per eorum linguam & codices ad ſe deriuatum. Porrò quod ſtandum ſit huic noſtræ latinæ Hieronymianæ editioni, & non amplius iam ſit recurrendum ad exemplaria præcedentia vel Græca vel Hebræa Ioannes Driedo Profeſſor Theologię Louanienſis octo argumentis, in libris de Eccleſiaſticis, ſcripturis & dogmatibus, libro ſecũdo de translatione ſcripturæ, validiſsimè conſtabiliuit, atque octo contra argumenta attulit & refutauit. Quod argumentum longè omnium accuratiſsimè pro vtraq́; parte Melchior Canus Epiſcopus Canarienſis lib. *2*. Locorum Theologicorum capite duodecimo decimo tertio & *14*. pertractauit, & Hieronymianę vulgatę trãslationis authoritatẽ, diſſolutis contrarijs obiectionibus, firmiſsimè aſſeruit, quæ omnia cum nimis prolixum foret hoc loco inſerere, beneuolum Lectorem ad ipſos fontes remitto: quibus tam Ioannis Driedonis, quã Melchioris Cani locis inſpectis, non erit Lector difficile ea conuellere, quibus Leo Iudas Tigurinus hęreticus in præfatione ſuæ Bibliorũ Trãslationis, Eccleſiã Chriſti nullæ vnq̃ certæ trãslationi alligatã fuiſſe, nec eſſe debere, probare nititur.

SVNT autem qui affirment, ait Driedo, tranſlationem hanc latinam, qua Eccleſia latina communiter vtitur, neque eſſe D. Hieronymi, neq; in omnibus conſonam ſcripturæ ſacrę originali, quippe quam Abroſius & ipſe etiã Hieronymus quibuſdam in locis & Nicolaus Lyranus & cæteri huius temporis viri vtriuſq́; linguę periti, arguunt, emendant, & ex hebraica vel gręca lingua caſtigant, corrigunt; docentes & in hebræo codice veteris teſtamenti & in gręco codice noui teſtamẽti, aliter haberi, quã nos habemus adducentes in ſuę ſentẽtiæ corroborationẽ Auguſt. & ipſum etiã D. Hieronymũ, cæteroſq́; patres qui docent ad originales linguas eſſe recurrendum, ſi quando varietas in latinis codicib. reperitur. Alij verò contra ſentiunt, & quidem melius, certo certius translationem latinam, qua nunc abhinc annis mille latinorum Eccleſia eſt vſa. eſſe D. Hieronymi editionẽ ab ipſo docente ſpiritu ſancto decentiſsimè factã vſu & authoritate Eccleſię probatã, nullo prorſus in loco à ſuo fonte deuiã, & propterea nos oportere ſtare huic editioni latinę, tanquam ſcripturæ diuinæ in ſuo fonte, ſuaq́; origine, præſertim cum iam ab annis mille & vltra, totus Chriſtianorum cętus, & vniuerſalis Eccleſiæ ſynhodi hac ſint vſi, tanquam probata & authentica, confirmantes & demonſtrantes, ex ipſa contra hęreticos ſententias fidei, non habentes recurſum ad originalem linguam, in qua ſcriptura eſt edita. Nã ſi quid falſitatis, inquiunt, eſſet in noſtra editione latina titubaret profectò fides noſtra. Titubat enim fides, ſi diuinarum ſcripturarum à nobis receptarum titubet autoritas. Ex quibus inferunt eos, qui editionem noſtram latinã, aut non rectè factã eſſe, aut in aliqua ſui parte falſam aut deuinam, demoliri fundamentum Chriſtianiſmi, & temerarios eſſe atq; peruerſos, & hæreticos, ſi adſit animi pertinacia. Cæterũ ex ſententijs Hieronymi, coarguentis latinũ interpretem ſeu vulgatã editionem, præſertim in nouo teſtamento: conſequens videtur geminam olim fuiſſe editionẽ, latinam vnam priorem, quã Hieronymus vocat vulgatam editionem ſeu latinam, quam corrigit & emẽdat: Aliã iam ab Hieronymo emendatam & correctã. Obſeruet ſtudioſus Lector quinq́; has propoſitiones Driedonis de vulgata Hieronymi translatione, quas late à Driedone explicatas, hic breuiter tantum per indicem attingo. Prima propoſitio. Interpretatio latina ſeu communis editio vulgata, qua ecclesia nũc vtitur, tam noui quã veteris teſtamenti, videtur neq; penitus eſſe alia ab interpretatio Hieronymi, & prior illa neq; penitus eſſe eadem cũ illa. Propoſitio ſecunda. Quanquã probabile eſt vulgatam editionem, qua in nouo teſtamento Eccleſia nunc vtitur, non eſſe purè Hieronymianam, ac caſtigatam ad veritatem græcę fidei, ſed quadam partim ex illa, partim ex editione quadam olim vulgata, non ſunt tamen vlla Euangelica præcepta, neq; fidei myſteria in hac editione noſtra, vel prętermiſſa, vel obſcurè deſignata, quæ non in eadem ſint apertiſsimis locis declarata, quare nõ oportet editionem noſtram latinam ex veris ſuis exemplaribus latinis benè caſtigatam, aut contemnere, aut paſsim reijciendo, aut improbando cõtemptibilem in Eccleſia facere: ſed honorare antiquitatẽ, & ſimplicitatẽ illius inueteratæ iam atq; receptæ verſionis, ex, cuius ſentẽtijs nulla fouetur hæreſis, in qua fidei noſtræ myſteria ſufficienter declarantur, in qua deniq; nihil quicquam eſt quod pręſtet occaſionem perniciosè errandi. Propoſitio tertia. Quemadmodum LXX. interpretum editio in multis ab Hebraico fuerat deuia, quã tamen, & olim Chriſtus & Apoſtoli eius, ſic honorauerunt, vt non ſolũ non contemnerent, ſed & vterentur illa, corroborantes ex eadem noſtrę fidei primordia, nihil minus ex Hebraico fonte, vbi opus erat, citãtes etiam ea, quæ apud LXX. non reperiebantur. Sic & hanc noſtram editionem Latinam honorauit Eccleſia latina, quanuis ſecundum cenſuram ſanctorum Patrũ Ambroſij, Hieronymi, & aliorum etiam anteceſſorum, quibuſdam in locis non ignorauerit, forſitan nonnulla eſſe deuia à vetuſtiſsimorum græcorum & hebræoum exemplaribus, ſciens aliud eſſe eum, qui ſcripturã edidit, hallucinatũ eſſe, aliud verò eum, qui eandem ſcripturam in aliam linguam tranſtulit, nõ rectè eſſe interpretatum Propoſitio quarta, Hieronymus noluit Eccleſię dare translationẽ ſuam tanquam diuinam, & in omnibus authenticam & conſonam ſcripturæ in ſuo fonte editæ. Nã & ipſe diuerſis in locis Lectoris arbitrio reliq̃t, aut probare aut improbare, ſi ſic vel aliter trãsferatur, recitans multorũ tranferentium ſententias, & alios hunc vel illum locum ſcripturæ ſic tranſtuliſſe, alios autem non ſic, ſed aliter, ſibi autem ſic viſum, dimittens tamen ſtudioſum Lectorẽ liberi arbitrij, ſi vel ſic vel aliter velit interpretari. Quĩta propoſitio. Ipſa Eccleſia Apoſtolica nõ mox acceptauit editam Hieronymi translationem nouã, dimiſſa veteri, licet Damaſus approbarit, ſed annis multis etiam poſt obitũ eiuſdem Hieronymi vtraq; editione vtebatur, vſq; ad tempus Gregorij Papæ, qui in principio Moralium, nouam, inquit translationem ediſſero. Sed cum probationis cauſa exigit, nunc nouam, nũc veterem per teſtimonia aſſumo, vt quia ſedes Apoſtolica, cui authore Deo præſideo, vtraq́; vtitur, mei quoq́; labor ſtudij ex vtraq́; fulciatur. Notet beneuolus Lector & illam Driedonis lib. *2*. de Translatione ſcripturæ concluſionem. Apoſtolica ſedes editionem Hieronymi vel approbauit vel acceptauit, non tanquam penitus ſic conſonã ſcripturis editionem in ſuo fonte, & in omnibus ſic integram, puram ac reſtitutam, vt non liceat vlli vel examinare illam, collatione facta ad ſuũ fontem, vel in locis quibuſdam dubitare, ſi forſitan Hieronymus ſit aſſequutus verum ſcripturæ ſenſum, ſed tanquam omnibus editionibus tunc factis præferendam & in regulis fidei ac morum nuſquam deuiam, & tanquam talẽ, quæ publicè legatur, & recipiatur in vsũ, quæ & ad ſcripturas in ſuo fonte diligenter collata, excuſſa & & examinata, nihil contineat ſubdolè vel adiectum vel immutatum.

*Immanuel Tremellius et Franciſc⁹ Iunius in Præfatione ſuæ verſionis ante Pentateuchum.*

QVARE cũ tanti antiquitas fecerit D. Hiero. translationem vt ſatis ſuperq́; ſupra demonſtratum eſt, mirari ſane ſatis non poſſum, duorũ nouorum ex officina Theodori Bezæ & ſchola Ioannis Caluini, interpretum arrogans iudicium & temerariam cenſuram, dum in præfatione Translationis Pentateuchi ita loquuntur. Vnus Hieronymus magis præmonſtrauit viam, quã aliquid dignum tanto hiatu præſtitit.

PLVRA de authoritate vulgatæ & Hieronymianæ Translationis & nouarum hodiernarum interpretationum ab hæreticis editarum confutatione in vtranq; partem copiosè & fusè diſputata, deq; omni verſionum varietate, ſi beneuol⁹ Lector requirat, adeat Sixtum Senenſem to. *2*. Bibliothecæ ſanctæ lib. 8. hæreſi *13*. & Vvilhelmũ Damaſ. Lindanum Epiſ. Ruræmundenſem in *3*. libris de optimo genere interpretãdi ſacras ſcripturas, præſertim lib. *1*. ca. *7. 8. 9. 11. 12. 13*. lib. *2*. ca. *5. 8. 10*. lib. *3*. ca. *7. 9. 1. 3. 4*.

## *De authoritate Translationis L X X. interpretum.*

DE vertendis in latinam linguam ſanctis literis canonicis laborare te nollem, niſi eo modo quo Iob interpretatus es: vt ſignis adhibitis, quid inter hanc tuam & ſeptuaginta, quorum eſt grauiſsima autoritas, interpretationẽ diſtet, appareat. Satis autem nequeo mirari, ſi aliquid adhuc in Hebraicis literis & exemplaribus inuenitur, q̃ tot interpretes, illius linguæ peritiſsimos, fugerit. Omitto. n. LXX. de quorũ vel cõſilijs vel maiore ſpiritus cõcordia, quaſi vnus homo eſſet, non audeo in aliquam partem certam ferre ſentẽtiam, niſi quod eis præeminentem authoritoritatem in hoc munere, ſine controuerſia, tribuendã exiſtimo. Illi me plus mouent, qui cum poſteriores interpretarentur, & verborum locutionumq́; hebræarũ viã atq; regulas mordicus, vt fertur, tenerent, non ſolum inter ſe non conſenſerunt, ſed etiam reliquerunt multa, quæ tanto poſt labore eruẽda & prodenda remanerent. *Tom. 2. Epiſtola. 86. Auguſtini ad Hieronymum.*

QVIN tibi videatur, cur in multis aliter ſe habeat Hebręorũ codicum auctoritas, aliter gręcorum, quæ dicitur LXX. vellem dignareris aperire. neq; enim paruum põdus habet illa, quæ ſic meruit diffamari, & qua vſos Apoſtolos non ſolum res ipſa indicat, ſed etiam te atteſtatum eſſe memini, ac per hoc plurimum profueris, ſi eam ſcripturam græcam quam LXX. ſunt interpretati, latinæ veritati reddideris: quæ in diuerſis Codicibus ita varia eſt, vt tolerari vix poſsit: & ita ſuſpecta, ne in Græco aliud inueniatur, vt inde aliquid proferri vel probari dubitetur. *To. 2. Epiſtola 88. quæ eſt Auguſt. ad Hierony.*

LONGVM eſt nunc euoluere, quanta LXX. de ſuo addiderint, quanta dimiſerint: quæ in exemplarib. Eccleſiæ obelis aſteriſciſq; diſtincta ſunt Illud enim quod legimus in Eſaia. Beatus qui habet ſemen in Sion & domeſticos in Hieruſalem: *Eſaiæ 31.* ſolent Hebræi deridere, cum audierint. Nec non & in Amos poſt deſcriptionem luxuriæ: Stantia *Amos. 6.* putauerunt hæc, & non fugientia. Reuera ſenſus rhetoricus, & declamatio Tulliana. Sed quid faciemus ad authenticos libros, in quibus hæc non fuerunt aſcripta, & cętera his ſimilia, quæ ſi proferre nitamur infinitis libris opus eſt? Porrò quãta dimiſerint, vel aſteriſci teſtes, vt dixi, ſunt, vel noſtra interpretatio, ſi à diligenti lectore translationi veteri conferatur, & tamen vires LXX. editio obtinuit in Eccleſijs, vel quia prima eſt & ante Chriſti facta aduentum, vel quia ab Apoſtolis, in quibus tamen ab Hebraico non diſcrepat, vſurpata. Aquila autem proſelytus & contentioſus interpres, qui non ſolum verba, ſed etymologias quoq; verborum transferre conatus eſt, iure proijcitur à nobis *Tom. 2. Epiſtola. 101. ad Pammachium de Optimo genere interpretandi cap. 4.*

*Eadem reperies in Proœmio in Eccleſiaſten.*

HOC breuiter admoneo, quod nullius authoritatem ſequutus ſum, ſed de Hebræo transferẽs, maximè Septuaginta interpretum conſuetudini me coaptaui in ijs duntaxat, quæ non multum ab Hebraicis diſcrepabant. Interdum Aquilæ quoq; & Symmachi & Theodotionis recordatus ſum: vt nec nouitate nimia lectoris ſtudium deterrerem, nec rurſus contra cõſcientiam meam, fonte veritatis omiſſo, opinionum riuulos conſectarer. *Tomo tertio Epiſtola 116. ad Paulam & Euſtochium.*

NEQVE Septuaginta interpretum, vt inuidi latrant, errores arguimus: nec noſtrum laborem illoru reprehenſionem putamus, cũ illi Ptolomæo regi Alexandriæ, myſtica quæq; in ſcripturis ſanctis prodere noluerint, & maximè ea q̃ Chriſti aduentum pollicebantur, ne viderentur

Iudæi &alterum Deum colere: quos ille ſectator Platonis magni iccirco faciebat, quia vnum Deũ colere dicerentur. Sed & Euangeliſtæ & Dominus quoque noſter atq; ſaluator, nec non & Paulus Apoſtolus multa quaſi de veteri teſtamento proferunt, quæ in noſtris codicibus non habentur, ſuper quibus in ſuis locis plenius diſſeremus. Ex quo eſt perſpicuum illa magis vera eſſe exemplaria, quæ cum noui teſtamenti authoritate concordant. Accedit ad hoc, quod Ioſephus, qui ſeptuaginta interpretum proponit hiſtoriam, quinq; tantum ab eis libros Moyſi translatos refert quos nos quoq; fatemur plus quã cæteros cum Hebraicis concordare. *Tom. 3. in Proœm. Traditionum ſeu quæſtionum Hebraicarum.*

IN obſcuris locis vtranque editionem ponimus vt quantum à cæteris editionibus, & ab Hebraica veritate diſtet vulgata translatio, diligens lector agnoſcat *Tom. 4. li. 3. Com. in ca. 8. Eſaiæ.*

*Ioſephus lib. 12. Antiqui cap. 2.*

LXX interpretibus vetuſtas autoritatem dedit, ſed per multa ſecula ſcriptorum atq; lectorum, vitio illa translatio deprauata eſt. Quanquam & Ariſteus & Ioſephus & omnis ſchola Iudæorum quinque tantum libros Moyſi à LXX. translatos aſſerant. *Tom. 4. lib. 2. Commen. in cap. 5. Ezechielis.*

ET profeciſti &c.] Hæc in 70. non habentur: qui forſan Alexandriæ in Græcum ſermonem ſcripturas ex Hebraica veritate vertentes timuerunt hoc edere, ne regem AEgypti viderentur offendere dum à Deo Hieruſalem debitum regnum eſſe aſſeuerarent: quanquam eruditi ſolos quinq; libros Moyſi ab eis interpretatos probent. *Tom. 4. lib 4. Com. in ca. Ezechi.*

LAODICENVS Symmachi interpretationẽ ſequutus, nec Iudæis placere poteſt, nec Chriſtianis: dũ & ab Hebræis procul eſt, & ſequi 70. interpretes dedignatur. *Tom. 5. Com. in cap. 12. Eccle.*

IOSEPHVS ſcribit & Hebræi tradunt, quinque tantum libros legis Moyſi ab eis trãslatos & Ptolomæo regi contraditos. Interpretatio ſeptuaginta tantum diſcordat in præſenti loco ab Hebraica veritate, vt nec capita poſsimus ex æquo ponere, nec eorum ſimul ſententias explicare. quamobrem noſtra primum translatio diſſeratur, & poſtea ad eaſdem veniemus. *Tom. 5. lib. 1. Com. in cap. 2. Micheæ.*

PORRÒ quod Apoſtolus 70. magis teſtimonio eſt abuſus ad Romanos ſcribens, Iuſtus autẽ ex fide mea viuet, & non eo quod habetur in Hebraico, cauſas perſpicua eſt. Scribebat enim Romanis, qui ſcripturas Hebraicas neſciebant: nec erat ei cura de verbis cum ſẽſus eſſet in tuto, & dãnum ex eo præſens diſputatio non haberet. Alioquin vbicunq; diuerſus eſt ſenſus, & aliter ſcriptus eſt in Hebraico, aliter in LXX. nota eum vti teſtimonijs, quę à Gamaliele doctore legis didicerat. *Tom. 5. Com. in cap. 2. Habac.*

NEQVE ego de veteri diſputo inſtrumento, quod à 70. ſenioribus in græcam linguam verſum, tertio gradu ad nos vſq; peruenit. Nõ quæro quid Aquila, quid Symmachus ſapiant, quare Theodotio inter nouos & veteres, medius incedat. Sic illa vera interpretatio quam Apoſtoli probauerunt. *Tom. 6. præfa. in 4. Euang. ad Damaſ.*

VERBVM ipſum ἀποκαλύψεως, id eſt, reuelationis propriè ſcripturarum eſt, à nullo ſapientiũ ſeculi apud græcos vſurpatum Vnde mihi videtur quemadmodũ in alijs verbis, quæ de Hebręo in græcum 70. interpretes tranſtulerunt. Ita & in hoc magnopere eſſe cõatos, vt proprietatem peregrini ſermonis exprimerent, nouis noua rebus verba fingentes: & ſonare, cum quid tectum & velatum ablato deſuper operimento oſtenditur & profertur in lucem. Hoc vt manifeſtius fiat accipite exemplum. Moyſes cum Deo aperta & reuelata facie loquebatur: id eſt abſq; velamine: ad populum autem loquens, quia vultum eius attendere non valebant, velamen ponebat in facie. Ante arcam quoq; teſtamenti velum oppãſum erat: quod cum fuiſſet reductum, ea quæ ante abſcondita erant, prodebantur & vt ipſo verbo vtar, reuelabantur. Si itaq; hi qui diſertos ſæculi legere, conſueuerunt: cæperint nobis de nouitate & vilitate ſermonis illudere: mittamus eos ad Ciceronis libros, qui de quæſtionibus philoſophiæ prænotantur, & videant quanta ibi neceſsitate compulſus ſit, tanta verborum portenta proferre, quæ nũquam latini hominis auris audiuit & hoc cum de gręco, quæ lingua vicina eſt, tranſferret in noſtram. Quid patiuntur illi qui de Hebræis difficultatibus proprietates exprimere conantur: & tamen multo pauciora ſunt in tantis voluminibus ſcripturarum, quæ nouitatẽ ſonent, quàm ea quæ ille in paruo opere congeſsit. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 1. ad Gal.*

*Exod. 33. 34*

*Num. 4. ca.*

LXX interpretes Chriſti paſsionem & reſurrectionem, quę ignota prius fuit mundo, per verbum abſconſionis cęlare voluerunt: ne à gentilibus illo tempore facile noſceretur. *Tom. 7. in proœmio pſal. 9.*

*Hæc ſequentia pertinent ad laudem Trãslationis Hieronymi c. præcedent*

NON ignoro faſtidioſam fore delicato lectori tantam inter duas editiones diſcrepãtiam. Sed quid faciã calumniatoribus meis: qui, ſi aliquid de 70. interpretum translatione ſubtraxero, me ſacrilegum & abſque timore Domini vociferantur: maximè qui cum in fidei veritate diſcordẽt, & Manichæorum ſequantur errores, in eo imperitorum animas commouent, ſi de veteri quippiam mõſtrare potuerint mutatum conſuetudine: libentius errare cupientes: quam aliquid ab æmulo verum diſcere. *Tom. 4. lib. 10. Com. in cap. 33. Ezechielis.*

PRIMVM ſciendum quod octo plus vel minus verſus ab eo loco quẽ poſuimus: Qui in ſanguine comeditis, & oculos veſtros leuatis ad immunditias veſtras: vſq; ad eum locum, vbi ſcriptum eſt: Hæc dices ad eos: ſic dicit Dominus Deus: in 70. non habentur: qui cum multis alijs & hæc prætermiſerunt: ſiue interpretata ab eis, ſcriptorum paulatim ſublata ſunt vitio. Et latini noſtri imo inuidi Chriſtiani, & vt apertius dicam Grunnianæ factionis hæredes aduerſum nos latrant, cur iuxta Hebraicũ diſſeramus: quaſi nolentibus ingerendi ſint cibi, & non his epulæ præparentur, qui eas cum gratiarũ actione ſuſcipiunt. Certè ſi nobis non habent fidem legant alias editiones. Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis: interrogent Hebręos non vnius loci (ne eos à me redemptos iactitet) ſed diuerſarum prouinciarum, & cum errori meo vel imperitiæ cũctos viderint conſonare: tunc ſe intelligant nimium eſſe prudentes, & magis cupere dormire, quam diſcere: habitentq; in 70. cellulis Alexandrini Phari ne vela perdant de nauibus, & funium detrimenta ſuſpirent. Hæc contra inuidos. nunc quod propoſuimus, diſſeramus. *To. 4. lib. 10. Com. in cap. 33. Ezech.*



VOLVI breuiter oſtendere, quantum temporis longitudine, imo ſcriptorũ vitio, & vt apertius loquar, imperitia ab Hebraica, veritate diſcrepet antiqua translatio: præcipueq; in Hebraicis nominibus, quæ nobis de aliorum editionibus in latinum ſermonem expreſsimus: non tam explanationem dictionum, quam ſuſpicionem noſtrã ſimpliciter indicantes. *Tom. 4. lib. 12. Comm. in cap. 40. Ezechielis.*

ILLVD lectorem admoneo, Danielem nõ iuxta LXX. interpretes, ſed iuxta Theodotionẽ eccleſias legere: qui vtique poſt aduentum Chriſti incredulus fuit: licet eum quidam dicant Hebionitam, qui altero genere Iudæus eſt. Sed & Origenes de Theodotionis opere in editione vulgatã aſteriſcos poſuit: docens defuiſſe quæ addita ſũt, & rurſum quoſdam verſus obelis pręnotauit, ſuperflua queque deſignans. Cumque omnes Chriſti eccleſiæ, tam græcorum, quàm latinorum, Syrorumque & Aegyptiorum hanc ſub aſteriſcis & obelis editionem legant, ignoſcant inuidi labori meo: qui volui habere noſtros, quod græci in Aquilę ac Theodotionis & Symmachi editionibus lectitant. Et ſi illi in tantis diuitijs doctrinarum non contemnunt ſtudia hominum Iudæorũ, cur latina paupertas deſpiciat hominem Chriſtianũ? Cuius ſi opus diſpliceat, certè voluntas recipiẽda eſt. *Tom. 4. in Proœm. Danie.*

DONEC collega.] Exceptis LXX. tranſlatoribus qui hæc omnia neſcio qua ratione prætierierunt, tres reliqui, collegam interpretati ſunt. Vnde iudicio magiſtrorum eccleſiæ editio eorum in hoc volumine repudiata eſt & Theodotionis vulgo legitur; quæ & Hebræo & cæteris translatoribus congruit. Vnde & Origenes in nono Stromatum volumine aſſerit ſe, quæ ſequuntur ab hoc loco in propheta Daniele, non iuxta LXX. interpretes, qui multum ab Hebraica veritate diſcordant, ſed iuxta Theodotionis editionem diſſerere. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 4. Danie.*

*Matt. 2. e.*

PRO eo quod nos diximus. Ex Aegypto vocaui filium meum, LXX. tranſtulerunt. ex Aegypto vocaui filios eius, quod in Hebraico non habetur, nullique dubium eſt Matthæum de hoc loco ſumpſiſſe teſtimonium iuxta Hebraicam veritatem. Ergo qui detrahunt noſtræ translationi, videant ſcripturam, de qua euangeliſta hoc teſtimoniũ ſumſerit, & in Domino ſaluatore eſt interpretatus: quando de Aegypto in terram Iſrael reductus eſt: & cum inuenire non quiuerint, deſinant rugare frõtem, adducere ſupercilium, criſpare nares, digitis concrepare. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 11. Oſeæ.*

ET præparauit Deus hederam.] In hoc loco quidam Canthelius de antiquiſsimo genere ſiue, vt ipſe iactat, de ſtirpe Aſinij Pollionis, dudum Romæ dicitur me accuſaſſe ſacrilegij, ꝙ pro cucurbita hederam tranſtulerim: timuit videlicet ne ſi pro cucurbitis hederæ naſcerentur, vnde occultè & tenebroſè biberet, non haberet. Et reuera in ipſis cucurbitis vaſculorum (quas vulgo, Saucomarias vocant) ſolent apoſto. imagines adumbrari è quibus & ille non ſuum ſibi nomẽ aſſumſit. Quod ſi tam facilè vocabula commutantur: vt pro Cornelijs ſeditioſis tribunis, Aemilij conſules appellentur: miror cur mihi nõ liceat hederam transferre pro cucurbita. *Tom. 5. Commentarior. in cap. 4. Ionæ.*

## *Quod ex varietate Interpretationum & translationum ſacræ ſcripturæ turbæ & ſeditiones in Eccleſijs oriantur, ideoq; referre plurimum vt vna certa vera trãſlatio habeatur.*

*Ionæ. 4.*

QVIDAM frater noſter Epiſcopus, cum lectitari inſtituiſſet in Eccleſia, cui pręeſt, interpretationem tuam, mouit quiddam longè aliter abs te poſitum apud Ionam Prophetam, quàm erat omnium ſenſibus memoriæq; inueteratũ, & tot ætatum ſucceſsionibus decantatum: factusq; eſt tantus tumultus in plebe, maximè græcis arguẽtibus, & inclamantibus calumniam falſitatis, vt cogeretur Epiſcopus (ea quippe ciuitas erat) Iudæorum teſtimonium, flagitare, vtrum autẽ illi imperitia, an malicia hoc eſſe in Hebræis codicibus reſponderunt, quod græci & latini habebãt. quid plura? coactus eſt homo veluti mẽdoſitatẽ corrigere, volens poſt magnum periculum, non remanere ſine plebe: *Tom. 2. Epiſtola 88. quæ eſt Auguſtini ad Hieronymum.*

SI LXX. interpretum pura, & vt ab eis in gręcum verſa eſt, editio permaneret, ſuperfluè me Chromati Epiſcoporum ſanctiſsime atque doctiſsime impelleres, vt Hebræa volumina latino ſermone transferrem. Quod enim ſemel aures hominum occupauerat, & naſcentis Eccleſiæ roborauerat fidem; iuſtum erat etiam noſtro ſilentio comprobari. nunc verò cum pro varietate regionum, diuerſa ferantur exemplaria; & germana illa antiquaq; translatio corrupta ſit atq; violata: noſtri arbitrij putas, aut è pluribus iudicare quid verum ſit; aut nouum opus in veteri opere cudere, illudentibuſq; Iudæis cornicum, vt dicitur, oculos cõfigere: Alexandria, & Aegyptus in Septuaginta ſuis Heſychium laudat auctorem; Conſtantinopolis vſq; Antiochiã Luciani martyris exemplaria probat. Mediæ inter has prouinciæ Paleſtinos codices legunt, quos ab Origine elaboratos, Euſebius & Pamphilus vulgauerunt. Totuſq; orbis hoc inter ſe trifaria varietate cõpugnat. Et certè Origenes non ſolum exemplaria compoſuit quatuor editionum, è regione ſingula verba deſcribens; vt vnus diſſentiẽs, ſtatim, cæteris inter ſe cõſentiẽtibus, arguatur: ſed quod maioris audaciæ eſt, in editione LXX. Theodotionis editionem miſcuit, aſteriſcis videlicet deſignans, quæ minus fuerant, & virgulis quæ videbantur ex ſuperfluò appoſita. Si igitur alijs licuit non tenere, quod ſemel ſuſceperant, & poſt Septuaginta cellulas, quæ vulgo ſine auctore iactantur, ſingulas cellulas aperuere; hocque in Eccleſijs legitur, quod Septuaginta neſcierunt: cur me nõ ſuſcipiant latini mei, qui inuolata editione veteri, ita nouam condidi, vt laborem meum Hebręis, quod his maius eſt, apoſtolis auctoribus comprobem. *Tom. 3. Epiſt. 107. ad Chromatium.*

ET præparauit Dominus Deus hederam.] In hoc loco quidam Canthelius de antiquiſsimo genere Corneliorum, ſiue, vt ipſe iactat, de ſtirpe Aſinij Pollionis, dudum Romę dicitur me accuſaſſe ſacrilegij, quod pro cucurbita hederam tranſtulerim: timuit videlicet ne ſi pro cucurbi-

Iudæi & alterum Deum colere: quos ille ſectator Platonis magni icc irco faciebat, quia vnum Deũ colere dicerentur. Sed & Euangeliſtæ & Dominus quoque noſter atq; ſaluator, nec non & Paulus Apoſtolus multa quaſi de veteri teſtamento proferunt, quæ in noſtris codicibus non habentur, ſuper quibus in ſuis locis plenius diſſeremus. Ex quo eſt perſpicuum illa magis vera eſſe exemplaria, quæ cum noui teſtamenti authoritate concordant. Accedit ad hoc, quod Ioſephus, qui ſeptuaginta interpretum proponit hiſtoriam, quinq; tantum ab eis libros Moyſi translatos refert quos nos quoq; fatemur plus quã cæteros cum Hebraicis concordare. *Tom. 3. in Proœm. Traditionum ſeu quæſtionum Hebraicarum.*

IN obſcuris locis vtranque editionem ponimus vt quantum à cæteris editionibus, & ab Hebraica veritate diſtet vulgata translatio, diligens lector agnoſcat *Tom. 4. li. 3. Com. in ca. 8. Eſaiæ.*

*Ioſephus lib. 12. Antiquit. cap. 2.*

LXX interpretibus vetuſtas autoritatem dedit, ſed per multa ſecula ſcriptorum atq; lectorum, vitio illa translatio deprauata eſt. Quanquam & Ariſteus & Ioſephus & omnis ſchola Iudæorum quinque tantum libros Moyſi à LXX. translatos aſſerant. *Tom. 4. lib. 2. Commen. in cap. 5. Ezechielis.*

ET profeciſti &c.] Hæc in 70. non habentur: qui forſan Alexandriæ in Græcum ſermonem ſcripturas ex Hebraica veritate vertentes timuerunt hoc edere, ne regem AEgypti viderentur offendere dum à Deo Hieruſalem debitum regnum eſſe aſſeuerarent: quanquam eruditi ſolos quinq; libros Moyſi ab eis interpretatos probent. *Tom. 4. lib. 4. Com. in ca. Ezechi.*

LAODICENVS Symmachi interpretationẽ ſequutus, nec Iudæis placere poteſt, nec Chriſtianis: dũ & ab Hebræis procul eſt, & ſequi 70. interpretes dedignatur. *Tom. 5. Com. in cap. 12. Eccle.*

IOSEPHVS ſcribit & Hebræi tradunt, quinque tantum libros legis Moyſi ab eis trãſlatos & Ptolomæo regi contraditos. Interpretatio ſeptuaginta tantum diſcordat in præſenti loco ab Hebraica veritate, vt nec capita poſsimus ex æquo ponere, nec eorum ſimul ſententias explicare. quamobrem noſtra primum translatio diſſeratur, & poſtea ad eaſdem veniemus. *Tom. 5. lib. 1. Com. in cap. 2. Michea.*

PORRO quod Apoſtolus 70. magis teſtimonio eſt abuſus ad Romanos ſcribens, Iuſtus autẽ ex fide mea viuet, & non eo quod habetur in Hebraico, cauſas perſpicua eſt. Scribebat enim Romanis, qui ſcripturas Hebraicas neſciebant: nec erat ei cura de verbis cum ſẽſus eſſet in tuto, & dãnum ex eo præſens diſputatio non haberet. Alioquin vbicunq; diuerſus eſt ſenſus, & aliter ſcriptus eſt in Hebraico, aliter in LXX. nota eum vti teſtimonijs, quę à Gamaliele doctore legis didicerat. *Tom. 5. Com. in cap. 2. Habac.*

NEQVE ego de veteri diſputo inſtrumento, quod à 70. ſenioribus in græcam linguam verſum, tertio gradu ad nos vſq; peruenit. Nõ quæro quid Aquila, quid Symmachus ſapiant, quare Theodotio inter nouos & veteres, medius incedat. Sic illa vera interpretatio quam Apoſtoli probauerunt. *Tom. 6. præfa. in 4. Euang. ad Damaſ.*

VERBVM ipſum ἀποκαλύψεως, id eſt, reuelationis propriè ſcripturarum eſt, à nullo ſapientiũ ſeculi apud græcos vſurpatum Vnde mihi videtur quemadmodũ in alijs verbis, quæ de Hebręo in græcum 70. interpretes tranſtulerunt. Ita & in hoc magnopere eſſe cõatos, vt proprietatem peregrini ſermonis exprimerent, nouis noua rebus verba fingentes: & ſonare, cum quid tectum & velatum ablato deſuper operimento oſtenditur & profertur in lucem. Hoc vt manifeſtius fiat accipite exemplum. Moyſes cum Deo aperta & reuelata facie loquebatur: id eſt abſq; velamine: ad populum autem loquens, quia vultum eius attendere non valebant, velamen ponebat in facie. Ante arcam quoq; teſtamenti velum oppãſum erat: quod cum fuiſſet reductum, ea quæ ante abſcondita erant, prodebantur & vt ipſo verbo vtar, reuelabantur. Si itaq; hi qui diſertos ſæculi legere, conſueuerunt: cæperint nobis de nouitate & vilitate ſermonis illudere: mittamus eos ad Ciceronis libros, qui de quæſtionibus philoſophiæ prænotantur, & videant quanta ibi neceſsitate compulſus ſit, tanta verborum portenta proferre, quæ nũquam latini hominis auris audiuit & hoc cum de gręco, quæ lingua vicina eſt, tranſferret in noſtram. Quid patiuntur illi qui de Hebræis difficultatibus proprietates exprimere conantur: & tamen multo pauciora ſunt in tantis voluminibus ſcripturarum, quæ nouitatẽ ſonent, quam ea quæ ille in paruo opere congeſsit. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 1. ad Gal.*

*Exod. 33. 34. Num. 4. cã.*

LXX interpretes Chriſti paſsionem & reſurrectionem, quę ignota prius fuit mundo, per verbum abſconſionis cęlare voluerunt: ne à gentilibus illo tempore facile noſceretur. *Tom. 7. in proœmio pſal. 9.*

*Hæc sequentia pertinent ad laudem Trãslationis Hieronymi c. præcedens*

NON ignoro faſtidioſam fore delicato lectori tantam inter duas editiones diſcrepãtiam. Sed quid faciã calumniatoribus meis: qui, ſi aliquid de 70. interpretum translatione ſubtraxero, me ſacrilegum & abſque timore Domini vociferantur: maximè qui cum in fidei veritate diſcordẽt, & Manichæorum ſequantur errores, in eo imperitorum animas commouent, ſi de veteri quippiam mõſtrare potuerint mutatum conſuetudine: libentius errare cupientes: quam aliquid ab æmulo verum diſcere. *Tom. 4. lib. 10. Com. in cap. 33. Ezechielis.*

PRIMVM ſciendum quod octo plus vel minus verſus ab eo loco quẽ poſuimus: Qui in ſanguine comeditis, & oculos veſtros leuatis ad immunditias veſtras: vſq; ad eum locum, vbi ſcriptum eſt: Hæc dices ad eos: ſic dicit Dominus Deus: in 70. non habentur: qui cum multis alijs & hæc prætermiſerunt: ſiue interpretata ab eis, ſcriptorum paulatim ſublata ſunt vitio. Et latini noſtri imo inuidi Chriſtiani, & vt apertius dicam Grunnianæ factionis hæredes aduerſum nos latrant, cur iuxta Hebraicũ diſſeramus: quaſi nolentibus ingerendi ſint cibi, & non his epulæ præparentur, qui eas cum gratiarũ actione ſuſcipiunt. Certè ſi nobis non habent fidem legant alias editiones. Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis: interrogent Hebręos non vnius loci (ne eos à me redemptos iactitet) ſed diuerſarum prouinciarum, & cum errori meo vel imperitiæ cũctos viderint conſonare: tunc ſe intelligant nimium eſſe prudentes, & magis cupere dormire, quam diſcere: habitentq; in 70. cellulis Alexandrini Phari ne vela perdant de nauibus, & funium detrimenta ſuſpirent. Hæc contra inuidos. nunc quod propoſuimus, diſſeramus. *To. 4. lib. 10. Com. in cap. 33. Ezech.*



VOLVI breuiter oſtendere, quantum temporis longitudine, imo ſcriptorũ vitio, & vt apertius loquar, imperitia ab Hebraica, veritate diſcrepet antiqua translatio: præcipueq; in Hebraicis nominibus, quæ nobis de aliorum editionibus in latinum ſermonem expreſsimus: non tam explanationem dictionum, quam ſuſpicionem noſtrã ſimpliciter indicantes. *Tom. 4. lib. 12. Comm. in cap. 40. Ezechielis.*

ILLVD lectorem admoneo, Danielem nõ iuxta LXX. interpretes, ſed iuxta Theodotionẽ eccleſias legere: qui vtique poſt aduentum Chriſti incredulus fuit: licet eum quidam dicant Hebionitam, qui altero genere Iudæus eſt. Sed & Origenes de Theodotionis opere in editione vulgatã aſteriſcos poſuit: docens defuiſſe quæ addita ſũt, & rurſum quoſdam verſus obelis prenotauit, ſuperflua queque deſignans. Cumque omnes Chriſti eccleſiæ, tam græcorum, quam latinorum, Syrorumque & Aegyptiorum hanc ſub aſteriſcis & obelis editionem legant, ignoſcant inuidi labori meo: qui volui habere noſtros, quod græci in Aquilę ac Theodotionis & Symmachi editionibus lectitant. Et ſi illi in tantis diuitijs doctrinarum non contemnunt ſtudia hominum Iudæorũ, cur latina paupertas deſpiciat hominem Chriſtianũ? Cuius ſi opus diſpliceat, certè voluntas recipiẽda eſt. *Tom. 4. in Proœm. Danie.*

DONEC collega.] Exceptis LXX. tranſlatoribus qui hæc omnia neſcio qua ratione prætererunt, tres reliqui, collegam interpretati ſunt. Vnde iudicio magiſtrorum eccleſiæ editio eorum in hoc volumine repudiata eſt & Theodotionis vulgo legitur; quæ & Hebræo & cæteris translatoribus congruit. Vnde & Origenes in nono Stromatum volumine aſſerit ſe, quæ ſequuntur ab hoc loco in propheta Daniele, non iuxta LXX. interpretes, qui multum ab Hebraica veritate diſcordant, ſed iuxta Theodotionis editionem diſſerere. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 4. Danie.*

PRO eo quod nos diximus. Ex Aegypto vocaui filium meum, LXX. tranſtulerunt. ex Aegypto vocaui filios eius, quod in Hebraico non habetur, nulliq́ue dubium eſt Matthæum de hoc loco ſumpſiſſe teſtimonium iuxta Hebraicam veritatem. Ergo qui detrahunt noſtræ translationi, videant ſcripturam, de qua euangeliſta hoc teſtimoniũ ſumſerit, & in Domino ſaluatore eſt interpretatus: quando de Aegypto in terram Iſrael reductus eſt: & cum inuenire non quiuerint, deſinant rugare frõtem, adducere ſupercilium, criſpare nares, digitis concrepare. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 11. Oſeæ.*

*Matt. 2. c.*

ET præparauit Deus hederam.] In hoc loco quidam Canthelius de antiquiſsimo genere ſiue, vt ipſe iactat, de ſtirpe Aſinij Pollionis, dudum Romæ dicitur me accuſaſſe ſacrilegij, ꝙ pro cucurbita hederam tranſtulerim: timuit videlicet ne ſi pro cucurbitis hederæ naſcerentur, vnde occultè & tenebroſè biberet, non haberet. Et reuera in ipſis cucurbitis vaſculorum (quas vulgo, Saucomarias vocant) ſolent apoſto. imagines adumbrari è quibus & ille non ſuum ſibi nomẽ aſſumſit. Quod ſi tam facilè vocabula commutantur: vt pro Cornelijs ſeditioſis tribunis, Aemilij conſules appellentur: miror cur mihi nõ liceat hederam transferre pro cucurbita. *Tom. 5. Commentarior. in cap. 4. Ionæ.*

## *Quod ex varietate Interpretationum & translationum ſacræ ſcripturæ turbæ & ſeditiones in Eccleſijs oriantur, ideoq́; referre plurimum vt vna certa vera trãſlatio habeatur.*

QVIDAM frater noſter Epiſcopus, cum lectitari inſtituiſſet in Eccleſia, cui pręeſt, interpretationem tuam, mouit quiddam longè aliter abs te poſitum apud Ionam Prophetam, quàm erat omnium ſenſibus memoriæq; inueteratũ, & tot ætatum ſucceſsionibus decantatum: factusq; eſt tantus tumultus in plebe, maximè græcis arguẽtibus, & inclamantibus calumniam falſitatis, vt cogeretur Epiſcopus (ea quippe ciuitas erat) Iudæorum teſtimonium, flagitare, vtrum autẽ illi imperitia, an malicia hoc eſſe in Hebræis codicibus reſponderunt, quod græci & latini habebãt. quid plura? coactus eſt homo veluti mẽdoſitatẽ corrigere, volens poſt magnum periculum, non remanere ſine plebe: *Tom. 2. Epiſtola 88. quæ eſt Auguſtini ad Hieronymum.*

*Ionæ. 4.*

SI LXX. interpretum pura, & vt ab eis in gręcum verſa eſt, editio permaneret, ſuperfluè me Chromati Epiſcoporum ſanctiſsime atque doctiſsime impelleres, vt Hebræa volumina latino ſermone transferrem. Quod enim ſemel aures hominum occupauerat, & naſcentis Eccleſiæ roborauerat fidem, iuſtum erat etiam noſtro ſilentio comprobari. nunc verò cum pro varietate regionum, diuerſa ferantur exemplaria; & germana illa antiquaq; translatio corrupta ſit atq; violata: noſtri arbitrij putas, aut è pluribus iudicare quid verum ſit; aut nouum opus in veteri opere cudere, illudentibuſq; Iudæis cornicum, vt dicitur, oculos cõfigere: Alexandria, & Aegyptus in Septuaginta ſuis Heſychium laudat auctorem. Conſtantinopolis vſq; Antiochiã Luciani martyris exemplaria probat. Mediæ inter has prouinciæ Paleſtinos codices legunt, quos ab Origine elaboratos, Euſebius & Pamphilus vulgauerunt. Totuſq; orbis hoc inter ſe trifaria varietate cõpugnat. Et certè Origenes non ſolum exemplaria compoſuit quatuor editionum, è regione ſingula verba deſcribens; vt vnus diſſentiẽs, ſtatim, cæteris inter ſe cõſentientibus, arguatur: ſed quod maioris audaciæ eſt, in editione LXX. Theodotionis editionem miſcuit, aſteriſcis videlicet deſignans, quæ minus fuerant, & virgulis quæ videbantur ex ſuperfluò appoſita Si igitur alijs licuit non tenere, quod ſemel ſuſceperant, & poſt Septuaginta cellulas, quæ vulgo ſine auctore iactantur, ſingulas cellulas aperuere; hocq́ue in Eccleſijs legitur, quod Septuaginta neſcierunt: cur me nõ ſuſcipiant latini mei, qui inuiolata editione veteri, ita nouam condidi, vt laborem meum Hebręis, quod his maius eſt, apoſtolis auctoribus comprobem. *Tom. 3. Epiſt. 107. ad Chromatium.*

ET præparauit Dominus Deus hederam.] In hoc loco quidam Canthelius de antiquiſsimo genere Corneliorum, ſiue, vt ipſe iactat, de ſtirpe Aſinij Pollionis, dudum Romę dicitur me accuſaſſe ſacrilegij, quod pro cucurbita hederam tranſtulerim: timuit videlicet ne ſi pro cucurbi-

tis, hederæ naſcerentur, vnde occultæ & tenebroſè biberet, non haberet. Et reuera in ipſis cucurbitis vaſculorum (quas vulgo Saucomarias vocant) ſolent apoſtolorum imagines adumbrari: è quibus & ille non ſuum ſibi nomen aſſumpſit. Quodſi tam facile vocabula commutantur: vt pro Cornelijs ſeditioſis tribunis, Aemilij conſules appellentur: miror cur mihi non liceat hederam transferre pro cucurbita. Sed veniamus ad ſeria. Pro cucurbita ſiue hedera in hebræo κικαιων: quæ etiam lingua Syra & Punica Elκeroa dicitur: Eſt autem genus virgulti vel arbuſculæ, lata habens folia in modum pampini, & vmbram denſiſsimam, ſuo trunco ſe ſuſtinens: quæ in Palæſtina creberrimè naſcitur, & maximè in locis arenoſis: mirumque in modum ſi ſementem in terram ieceris, citò confota conſurgit in arborē, & intra paucos dies, quam herbam videras, arbuſculam ſuſpicis. Vnde & nos eodem tēpore, quo interpretabamur prophetas, voluimus idipſum Hebreæ linguæ nomen exprimere: quia ſermo latinus hanc ſpeciem arboris non habebat, ſed metuimus grammaticos, ne inuenirent licentiam cōmentandi, & vel beſtias Indiæ, vel Beotiæ, aut iſtiuſmodi quædā portenta confingerent: ſecutiq; ſumus veteres translatores, qui & ipſi hederā interp̄tati ſunt: quæ græcè appellatur κιττὸς, aliud enim quid dicerent, non habebāt. *To. 5. Co. in cap. 4. Ionæ.*

## *Notæ ad cap. de authoritate Lxx. Interpretum.*

QVOD ſi quis miretur, quid ſit quod cū ſub apoſt. temporibus tota Chriſti eccleſia habuerit editionem ſeptuaginta interpretum tanquam authenticam, & tanq̄ ſcripturam editā in ſuo fonte, ſuaq; origine, qua ratione nihilominus D. Hieronymus poſt horum editionem tentauerit vetus teſtamētum immediatè ex Hebræo in latinam linguam transferre, & dimiſſa eadem ſeptuaginta interpretum editione ſuam nouā eccleſiæ legendam tradere, inſpiciat Driedonem li. 2. de Translatione ſcripturæ: Authenticam autem ſeptuaginta interpretum editionem principio ſemper habitam, tanquā ſcripturam ſacrā in ſuo fonte & origine trib. argumentis Driedo cōfirmat. Quinque autem ex cauſis editio ſeptuaginta interpretum, quæ prima eſt tempore, prima etiam dignitate, cæteris omnibus editionibus ante Hieronymum factis pręferenda eſt, quas vide apud Driedonem loco ſupra adducto. quemadmodum & alias quinque obiectiones contra authoritatem ſeptuaginta interpretum prolatas & diſſolutas, apud eundem repcrires. Cur autem Dn̄s Deus ſcripturam ſacram ante filij ſui Ieſu Chriſti incarnationem per Iudæos in græcam linguam transferri voluerit, exponit Tertullianus in apologetico cap. 19. Lactantius lib. 4. Diuinarum Inſtitutionum cap. 2. Euſebius lib. 8. Præparationis euangelicæ ca. 1. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, & Ioannes Chryſoſtomus homilia. 4. in Geneſin, videlicet vt notitia Chriſti & veræ religionis, non tantum apud Iudæos hæreret, ſed etiā ad gentes propagaretur ac diffunderetur. Quamobrem autē ſeptuaginta duos interpretes Eleazarus Ptolomæo miſerit, & quales illi fuerint, explicat Auguſtinus lib. 18. de Ciuitate Dei ca. 42. & Epiphanius in lib. de ponderibus & Menſuris, electi enim fuerūt de ſingulis. 12. tribubus, ſex homines vtriuſque linguę Hebrææ & græcę doctiſsimi. Qua via ac ratione in interpretādo vſi fuerint latè deductum lege ca. 5. in Prolegomenis in hiſtoriā Ariſtæę. Summæ vero authoritatis ſemper fuiſſe interpretationē LXX. non modo ex ſuperiorib. B. Hier. grauiſſimis teſtimonijs liquidò cōſtat, ſed etiam idē locupletiſsimè Tertul. in Apol. c. 19. Iuſtinus martyr in apologetico ſuo, Clemens Alexan. lib. 1. Stromatum, D. Ambro. in Pſal. 118. ſermone 9. to. 4. B. Aug. li. 15. de Ciuitate Dei cap. 13. & lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 42. & 43. & lib. 2. de doctrina Chriſtiana ca. 15. Euſebius lib. 5. hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap. 8. cōfirmant. Hanc quoque olim præ cæteris vſurpatam & alijs omnibus interpretationibus prælatam ab eccleſia fuiſſe ante Hieronymianæ tranſlationis tempora, teſtes ſunt Epiphanius libro de Ponderibus & menſuris, Auguſtinus quæſtione 169. ſuper Geneſin, Chryſoſtomus homilia 5. in Matthæum, Hilarius in Pſal. 118. Quod verò attinet ad locum vbi Lxx. interpretes conuenerint tempore interpretationis, plurimum inter ſe ſancti Patres diſcrepant. D. Hieronymus noſter, vt ex allegatis ſupra eius pronunciatis euidenter patet, ſuę interpretationi cōtra nimis pertinaces ſeptuaginta translationis (certa ratione gentibus traditæ, & tunc corruptę) propugnatores, authoritatem conciliaturus, omnia quæ de ſeparatis domunculis vel cellulis ab alijs patrib. conſtanter & concorditer adferuntur, penitus irridere videtur vt Ludouicus Viues ad ca. 43. l. 18. Auguſtini de ciuitate Dei de Hieronymo loquēs in ſanctiſsimis quoque viris humanos aliquando affectus dominari aſſerat. Sanè Iuſtinus Martyr in apologetico contra gētiles, pari cum interpretibus numero ſeparatas domunculas à Ptolomæo extructas ſe vidiſſe, & in Aegyptiorum Annalibus (quos certiſsimos teſtes vocat Ariſtæas Ptolomæi ad Eleazarum legatus) contineri, atque ab alijs certiſsimæ fidei ſcriptoribus referri affirmat. Auguſtinus quoq; c. 42. l. 18. de Ciuitate Dei & lib. 2. cap 15. de doctrina Chriſtiana ſingulos ſeparatim ſediſſe narrat, vt eorum fidem rex melius explorare poſſet. Irenæus etiam Lugdunenſis & Euſebius lib. 5. cap. 8. Nicephorus l. 4. hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap. 14. auctores ſunt, Ptolomęum regem, eos ſeparaſſe, ne ſi coniungerentur veritatem ſacræ ſcripturæ forte celarent, vt eandem ſinguli interpretationem ſcriberent, & ſeiuncti, vt Nicephorus legit, eundem librum omnes verterent. Ipſemet quinetiam D. Hieronymus ſuo tēpore hanc opinionem de Lxx. cellulis vulgo receptā fuiſſe in prologo Paralipomenōn fatetur. Et Galatinus. lib. 1. de arcanis Catholicæ veritatis, ait. Ptolomęus volens de editionis eorū puritate periculū facere, per duas & ſeptuaginta eos ſegregauit cellulas, ipſi tamen adeo in ſcribendo concordes fuerunt, vt nec in verbo q̄dem diſcreparint, ſed vna ſcribēdi ſerie, vno verborum literarumq; contextu, eodemq; temporis momento; vniuerſum diuinum lumen illud, in græcum ſermonem cōmutarent: quod vtiq; non humanæ, ſed diuinæ aſſcribēdum eſt virtuti. Eandem de ſeparatis cellulis ſententiā Volaterranus li. 19. Antropologiæ, & Sixtus Senenſis lib. 4. Bibliothecæ ſanctę tuetur. Singularis verò Epiphanij opinio eſt, qui 36. domunculas fuiſſe ait, vbi bini & bini ſingulos libros interpretarentur, ſic enim in libro de Ponderibus & Menſuris loquitur: Admirari quidem hoc licet, cum plus homo intelligit ex DEI conſilio ſic

factum



factum eſſe: nam cum ſeptuaginta duo numerò eſſent, & in Pharia inſula, ſuperna terra appellata, è regione Alexandriæ in triginta & ſex domūculis à matutino vſque ad veſperam concluſi, & veſperi in triginta ſex nauiculis in Ptolomæi Philadelphi palatium tranſeuntes, & cum ipſo cibū capientes, & par ac par in cubiculis triginta ſex dormientes, vt ne quid inter ſe conſerrent, ſed incorruptè interpretarentur, ſic vitam degebant. Prædictas enim triginta ſex domunculas nominatus Ptolomæus conſtruxit in vlteriore parte, in inſula, ipſaſque duplices fecit, & duos ac duos, veluti dixi, incluſit, & pueros duos miniſtros ſimul cum ipſis incluſit, obſonij parandi ac miniſtrandi cauſa, vna cum velociter ſcribēdi peritis. Neq; feneſtras domūculis illis ex parietib. fecit, ſed ſupernè ex domibus lucem introduxit. Illi verò ſic degentes à matutino vſque ad veſperam clauſtris concluſi, hoc modo interpretati ſunt, ſingulis autem paribus vnus liber tradebatur: vt liber creationis mundi binis, exitus filiorum Iſrael alijs binis, Leuiticus alijs binis, & ſic deinceps alius liber alijs. Atque ſic viginti ſeptem libri electi receptique ac genuini, verum viginti duo iuxta alphabeti apud Hebræos ordinem numerati conuerſi ſunt. Quanquam autem tota Iudæorum ſchola, vt author eſt Hieronymus, defendat, quod ſolū Pentateuchum, ſiue quinq; libros Moyſis ſeptuaginta interpretes tranſtulerint: & D. Hieronym⁹ in cap. 5. & 16. Ezechielis, & in cap. 2. Micheæ, & in procœmio traditionum in Geneſin id approbare videatur: Orthodoxi tamen Patres ante inducti vniuerſum eos ſacræ ſcripturæ veteris teſtamēti corpus conuertiſſe, vnanimi ſententia conſtanter aſſeuerant. quod, quanquam ex aliorum opinione aliter nonnunquam loquatur, ne ipſe quidem Hieronymus inficiatur, ſicut Sixto Senenſi libro 4. Bibliothecæ ſanctæ contraria Hieron. loca reconcilianti, video placuiſſe. conſule Euſebium lib. 13. cap. 7. Præparationis euangelicæ, & Galatinum lib. 1. de arcanis Catholicæ Veritatis.

PORRO prolixè admodum, copioſè atque eruditè defenditur vulgata editio D. Hieronymi aduerſus ingruentes noſtra tēpeſtate magno impetu Iudaizantium phalanges, qui nouas quaſdā ad præſcriptum Iudæorum translationes excudère typis, quique coronam fideliſsimi interpretis veritatis Hebraicæ D. Hieronymo detrahere conantur, à doctiſsimo ingenuarum artiū & Theologiæ Doctore Leone Caſtro in Prolegomenis Commentariorum in Eſaiam oſtenditur, ab eodem quod translatio Lxx. & Hieronymi vulgata editio ſemper conſentiant cum veritate Hebraica, & quod hoc tantum inter vtranque interſit, quod translatio vulgata D. Hieronymi ad verbū reddat veritatem Hebraicam, Lxx. virorum interpretatio paraphraſis quædam Euangelica ſit in pleriſq;, quæ verè exprimat ſenſa lectionis hebrææ, quod Lxx. verbum verbo non curent reddere fidi interpretes, quæ cauſa eſt vt à veritate hebraica diſcrepare ſint crediti. Quoniam autem nihil doctius, neq; exquiſitius, neque copioſius, neque huic propoſito accommodatius quicquā magiſque appoſitum pro defenſione Hieronymianæ verſionis Bibliorum adferri poteſt, quam quæ à Leone Caſtrenſi in Prolegomenis Commentariorum in Eſaiam ſunt vberrimè diſputata, eaque ſunt fuſiora quàm vt huic confeſsioni inſeri poſsint ac debeant, operæprecium me facturum exiſtimaui, ſi in gratiam ſtudioſi Lectoris ſtrictim ſumma capita iſtius prolixæ diſputationis, quæ totius iuſti libri inſtar eſt, attingerem breuiterque perſtringerem: vt ſi alicui viſum ſit ipſa cauſæ fundamenta latius cognoſcere eò poſſit recurrere, & ſitim ſuam largè explere atque reſtringuere. Docet itaque primo capite Prolegomenōn à Iudæis non eſſe petendam ſacræ ſcripturę explicationem, ſed ab eccleſiaſticis Doctorib. in ſecundo capite proſequitur translationis Lxx. virorum, quæ cum Hieronymiana conſētit, vtilitatem. In tertio, quod non ſi lumen fulgētiſsimum ſit Catholicæ eccleſię D. Hieronymus, continuò reliqua eccleſiæ minora lumina ſint extinguenda. & de vtilitate translationis Lxx. virorum, & quorūdā impudētia. Capite quarto ſoluuntur ea quæ obſtare videntur, ipſius ſententiæ de concordia vtriuſq; translationis Lxx. & Hieronymianæ, quod fulgentiſsimum eccleſiæ ſyd⁹ D. Hieronymus Lxx. viros millies arguat erroris, quod Lxx. ſolum quinque libros Moyſis verterint, quod cellulas ſeparatas Lxx. cachinno p̄ſequutus ſit, ingens illud miraculum quod celebrat omnis veterum patrum chorus in Aegypto. Capite quinto perſtringit ingens certamen inter D. Auguſtinum & Hieronymum de translatione Lxx. virorum, cum Auguſtinus exiſtimet aliā à Catholica eccleſia non eſſe recipiendam: Hieronymus contra ſuam quoque translationem à Catholica eccleſia admittendam contēdit. Capite ſexto Auguſtini diſputatio aduerſus D. Hieronymum de translatione Lxx. virorum proponitur, Lxx. cellulę & miracula confirmantur, Lxx. inſtinctu ſpiritus ſancti non tantum Pentateuchum, ſed omnes ſacræ ſcripturæ veteris teſtamenti libros vertiſſe demonſtrat. Capite ſeptimo de Concordia D. Hieronymi & Auguſtini, & ſententiarum & rationum vtriuſque comparatione agitur. Capite octauo de ſcopo ſui operis & cynoſura, quomodo vtranq; translationem Lxx. & D. Hieronymi tanquam concordem cōiunxerit. Capite nono, quibus in rebus in hac cōtrouerſia inter Auguſtinū & Hieronymum ſententia D. Hieronymi fuerit ſuperior. Capite decimo, Quod vulgata editio facta ſit à D. Hieronymo & quod translatio Lxx. virorum vulgata quoque editio ſit appellata. Capite vndecimo tradit quid ſentiant veteres patres de translatione Lxx. virorum. Capite duodecimo, de authoritate translationis Lxx. virorum, atque translationem Lxx. virorum traditam eccleſijs ab ipſis Apoſtol. Capite decimo tertio rurſus de authoritate translationis Lxx. virorum. Capite decimo quarto proponit quæ contra ſcholam Iudæorum ſunt refellenda. Capite decimoquinto demonſtrat quod vniuerſa ſcriptura à Lxx. viris græcè ſit reddita contra ſcholam Iudæorum. Capite decimo ſexto, Cur Iudæi Lxx. virorum translationem tantoperè oderint. Capite decimo ſeptimo de Iudæorum dolis, & quod authore D. Hieronymo ex translatione Lxx. virorum poſsint deprehendi. Capite decimo octauo, Quod prophetæ cohærentia inter ſe dicant, contra Iudæos, qui putāt dicta p̄phetarum inter ſe nō cohęrere, & quod antecedentia reſpondeant conſequentibus. Capite decimo nono, de Iudæorum dolis, qui authore D. Hieronymo, deprehenduntur

tranſ-

tranſlatione L x x virorum. Capite vigeſimo, ex Rabinis aperit Iudæorũ fraudes, & ex Ioſepho, & alijs. Capite vigeſimo primo, ex D. Hieronymo & Rabinis latius detegit Iudæorũ vt & hæreticorum fraudes. Capite vigeſimo ſecundo, Imagine & quadam ſimilitudine ponit ab oculos dolos Iudæorum, & veritatẽ Trãſlationis L x x. virorum. Capite vigeſimo tertio, idem facit teſtimonijs Rabinorum, & probat apud Hebræos mutari literas, & duplicem eſſe lectionem, frequétiſsimè. Capite vigeſimo quarto, quod quãuis duplex ſit lectio hebraicè, & quamuis ſcriptura mutetur vitio librariorũ, cauit ſpiritus ſanctus, vt ſemper verus ſit ſenſus, & quod forte propheta duplicem data opera reliquerit lectionem. Capite vigeſimo quinto refellit teſtimonia Iudæorum ex Ioſepho & Ariſtæa. Capite vigeſimo ſexto, probat libros ſacros oẽs eſſe verſos à 70. viris græcè ex Ioſepho, & Ariſtæa, quos pro ſe citant Iudæi. Capite vigeſimo ſeptimo refutat teſtimonium Iudæorum ex Philone. Capite vigeſimo octauo. Quod Iudęi multa vaticinia de Chriſto hebraicè vitiarint, præſertim quoties leui literarum flexu hoc fieri potuit. Capite vigeſimo nono Doctiſsimos & ſapientiſsimos fuiſſe L x x. viros contra Iudæos & Iudaizantes. Capite trigeſimo, L x x. viros primos viam aperuiſſe ad diſpungendam ſcripturam. Capite trigeſimo primo. L x x. viros primos viam aperuiſſe ad addenda ſcripturæ puncta, quia veluti notis quibuſdam quas cifras vocant, erat ſcripta ſine vocalibus, & ſine apicibus. Capite 32. Quod interpretatio 70. virorum ſit lecta in ſynagogis per annos octingentos, & cur inde ſit pulſa. Capite 33. Quod vtraq; tranſlatio ſit ſequenda. Capite 34. Cur potiſsimum ſequamur trãslationem D. Hieronymi Capite 35. De L x x. cellulis, quo reſpondetur D. Hieronymo poſt enumeratas ſententias veterum Patrum. Capite 36. Probat veriſſima eſſe, quæ ſupra prodita ſunt à ſanctis Patribus de L x x. cellulis & de miraculis ibi editis. Capite 37. Cur Ioſephus reticuerit hiſtoriã Lxx. cellarum, & miracula edita in Aegypto. Capite 38. Diluit argumenta D. Hieronymi aduerſus L x x. cellulas. Capite 39. Refellit eos qui authoritatem D. Hieronymi anteferant authoritati totius conſenſus omnium veterum Patrum. Capite 40. Argumentis & rationibus probat veriſſima eſſe quæ de L x x. cellis, & de miraculis ſunt prodita ab eccleſijs. Capite 41. Miracula edita in tranſlatione L x x. virorum. Cap. 42. De authoritate tranſlationis L x x. virorum. Cap. 43. Vbi legatur quod Eſdræ diuinitus ſint ſuggeſtę ſcripturę. Capite 44. Continet recapitulationem de L x x. cellis & miraculis. Capite 45. Quod neceſsè ſit ita quenque gręca & hebręa vertere, vt mẽte concipit, ſi Iudaice, Iudaice, ſi euangelicè, euãgelicè. Capite 46. Quod impia ſit & falſa ipſa Iudæorum interpretatio ſcripturæ, ex veterum patrum decretis. Capite 47. Quod diabolus per noſtros nos oppugnet, perq; viros magni nominis qui ſenſum Iudæorum ſenſum literalem eſſe affirmant. Capite 48. De Iudaizantium aduerſum nos technis. Capite 49. Quoſdam ex noſtris non intelligere technas Iudaizantium, & ideo Iudaizantibus non aduerſari, cum rem Chriſtianã prorſus ſubuertant. Cap. quinquageſimo Quod Iudaizantes putent ſe nobis verba dare. Capite quinquageſimo 1. Refelluntur Iudaizantes, q nẽgãt noſtros literaliter explanare ſcripturam. Ca. 52. Refelluntur Iudaizantes & hæretici, qui Catholicos idiotas & imperitos vocant. Capite. 53. Quomodo Catholici & quomodo hæretici Doctores ſacros citent. Cap. 54. Quomodo prodeſſe poſsit ſtudioſis ſacræ ſcripturæ linguarum peritia & quomodo obſit. Cap. 55. Quod finis ſcripturæ ſit Chriſtus nõ Dauid, Salomon, Aſſyrius, aut aliquid huiuſmodi, vt putant Iudęi & Iudaizantes.

## *CAPVT Octauum. De ſacris traditionibus.*

### *Articulus .I. Traditiones Apoſtolorum & Eccleſiæ, præſertim continua ad nos vſque ſucceſsione deriuatas, diligenter cognoſcendas & retinendas eſſe.*

*Quod ſemel ab Apoſtolis ſuſceptum id eccleſijs tradendum, & Chriſti iura ſeruanda & patrum termini non transferendi*

TV latinas ſcripturas de Græco emẽdabis, & aliud Eccleſijs trades legendum, quam quod ſemel ab Apoſtolis ſuſceperunt. *Tomo ſecundo lib. 3. aduerſus Ruffinum cap. 7.*

SED tu ſcito nobis nihil eſſe antiquius, quam Chriſti iura ſeruare, nec patrũ transferre terminos. *Tom. 2. Epiſtola 68. ad Theophilum. Fol. 299.*

*Leuit. 8. Num. 3. 1. Par. 9. Traditiones apoſtolicæ ex veteri teſtamento ſumptæ.*

ET vt ſciamus traditiones Apoſtolicas ſumptas de veteri teſtamento, quod Aaron, & filij eius, atque Leuitę in templo fuerũt, hoc ſibi epiſcopi, & presbyteri, & diaconi vindicent in Eccleſia. *Tom. 2. Epiſt. 85. ad Euagrium in fine.*

*Ezech. 3. Doctrina Apoſtolorum tradita audienda. Eſaiæ. 40.*

HAEC dicit Dominus: State ſuper vias, &c.] Et conſtitui ſuper vos ſpeculatores: Haud dubium quin Apoſtolorum indicetur chorus, iuxta Ezechielem: Fili hominis ſpeculatorem te dedi domui Iſrael: & præcepit vt audiretis vocem tubæ vel mandata euangelij, vel doctrinam Apoſtolorum, iuxta illud Eſaiæ: in montem excelſum aſcende, qui Euangelizas Sion: exalta ſicut tuba vocem tuam, qui annuncias Hieruſalem. *Tom. 4. libro ſecundo Commentariorum in caput 6. Hieremiæ.*

*Ioan. 14. Antiquæ ſempiternaque via & ſemitæ non relinquendæ quæ omnium ſanctorum tritæ veſtigijs.*

QVIA oblitus eſt mei, &c.] Qui obliuiſcitur Dei & relinquit illum, qui dicit: Ego ſum via: libatque dijs alienis, impingit in vijs ſuis, nequaquam Dei, ſed ſuis, & antiquas ſempiternaſque ſemitas derelinquit, quæ omnium ſanctorũ ſunt tritæ veſtigijs colẽtium Deum. *Tom. 4. lib. 4. Com. in cap. 18. Hier.*

*Horæ Canonicæ deſcendunt ex traditione Apoſtolorum. Acto. 3.*

QVOD cum Daniel comperiſſet, id eſt, &c.] Tria ſunt tempora, quibus Deo flectenda ſunt genua: tertiam horam, ſextam & nonam, eccleſiaſtica traditio intelligit. Denique tertia hora deſcendit ſpiritus ſanctus ſuper Apoſtolos. Sexta volens Petrus comedere, ad orationem aſcendit in cęnaculum. Nona, Petrus & Ioannes pergebant ad templum. *Tom. 4 lib. 1. Com. in cap. 6. Daniel. Fol. 508.*

*Iuuenes qui à veteri auctoritate deſciſcunt & cana præcepta parentũ cõtemnunt. Eſaiæ. 8.*

VAE tibi terra, &cæt.] Verum mihi ſacratius quid latere videtur in litera: q iuuenes dicantur in ſcriptura, qui à veteri auctoritate deſciſcũt, & cana præcepta parentũ cõtemnunt: qui neglecto Dei mandato, cupiunt ſtatuere traditiones



*Eſaiæ. 3.*

hominum. De quibus & in Eſaia Iſraeli Dominus comminatur: eo quod noluerit aquam Siloe, quæ vadit cum ſilentio, & veterem piſcinã auerterit, eligens ſibi fluenta Samariæ, & gurgites Damaſci. Et dabo, inquit, iuuenes principes eorum: & illuſores dominabuntur eis. Lege Danielem: vetuſtum dierum inuenies Deum. Lege Apocalypſim Ioannis: Et caput Saluatoris candidum vt niuem, & quaſi lanam albam reperies. Hieremias quoque, quia ſapiens erat, & cani eius in ſapientia reputabantur, prohibetur iuuenem eſſe ſe dicere. Væ ergo terræ cuius eſt Diabolus rex, qui ſemper nouarum rerum cupidus, etiam in Abeſſalon aduerſus parentem rebellat: quæ iudices & principes eos habet, qui amant huius ſeculi voluptates: Qui antequam dies mortis aduenia, dicunt: Manducamus & bibamus, cras enim moriemur. Econtra beatæ terræ eccleſiæ, cuius rex eſt Chriſtus filius ingenuorum: de Abraham, Iſaac, & Iacob, prophetarum quoque & ſanctorum omnium ſtirpe deſcendens: quibus peccatum non fuit dominatum, & ob id verè fuerunt liberi: ex quibus nata eſt virgo liberior ſancta Maria: nullum habens fruticem, nullum germen ex latere, ſed totus fructus eius erupit in florem, loquentem in Cantico Canticorum: Ego flos campi & lilium conuallium. Principes quoque eius ſunt Apoſtoli, & omnes ſancti, qui regem habent filium ingenuorum, filium liberæ: non de ancilla Agar, ſed de Saræ libertate generatum. *Tom. 5. Commentarior. in cap. 10. Eccleſiaſtis.*

*Dan. 7. Apoc. 1. Hier. 1. 2. Reg. 15. Diabolus ſẽper nouarũ rerum cupidus eſt. Eſai. 22. Cant. 2.*

*Maiorum ſequenda veſtigia, & ab eorum auctoritate non diſcedendũ.*

ET amplius ab ipſis fili mi caue, &c.] Exceptis verbis quæ ab vno paſtore ſunt data, & à cõcilio atque conſenſu prolata ſapientum: nihil facias, nihil tibi vendices: maiorum ſequens veſtigia, ab eorum auctoritate non diſcrepes. *To. 5. Co. in ca. 12. Eccleſiaſtis.*

*Transferũt terminos Patrum qui aliud docent quam ab Apoſtolis acceperunt.*

FACTI ſunt principes Iuda, &c.] Transferũt principes Iuda terminos quos poſuerunt patres eorum, quando commutant mendacio veritatẽ, aliud prædicant quam ab Apoſtolis acceperunt. *Tom. 5. lib. 2. Co. in cap. 1. Oſee.*

*Hæretici transferunt terminos Patrum. Deut. 19. Inconſtantia hæreticorũ.*

PERCVSSVS eſt Ephraim: radix eorum, &c.] Hęreticos fructus facere non poſſe virtutum, qa Dominum perdiderunt (in quo iuxta Apoſtolũ radicati eſſe debuerãt & fundati) nemo dubitet: quod & ſi fecerint, & aliquos vteri ſui fœcunditate generarint, Domino aduerſante moriẽtur. Siue quia fructus eorum, vniuerſa quæ fingunt, & de ſuo corde generant, areſient & peribunt & erit cunctis perſpicuum, ſiccã radicem fruges afferre non poſſe. Iſti abijcientur, imo abiecti ſũt à Deo: quia non audierunt eum dicentem: Ne transferas terminos, quos poſuerunt patres tui. Et iccirco vagi erunt in nationibus, nunc ad has, nunc ad illas ſententias tranſeuntes: dum non eis placet, quod ſemel repererint, ſed ſemper vetera mutant nouis, & ethnicorum imitantur errores. *Tõ. 5. lib. ſecundo Commentariorum in cap. 9. Oſeæ in fine.*

*Succeſsiò traditionis Eccleſiaſticæ, de manu in manum.*

AVDITE, &c.] Patres, auos, atauoſque cognoſce, & filios filiorum, omnem deinceps ſobolem iuxta illud Vergilianum: Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Et ſenes ergo & habitatores terræ, filijs veſtris poſteriſque narrate: qui ſenex eſt, liberos ſuos doceat ſacramenta: qui habitator terræ, ſimplicem narret hiſtoriam. Vnde vſque hodie nos qui in Chriſto credimus (quorum cum Moyſe ablatum eſt velamen ab oculis, & de quibus dicitur: Cani hominis ſapientia eius) filijs noſtris ſecreta mira narramus: Iudæi autem qui habitant in terra, loquuntur terrena, & humi cohærentia, de quib. ſcriptum eſt: Qui de terra eſt, de terra loquitur: qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt. *Tom. 5. Commentariorum in caput 1. Ioelis.*

*Sap. 4. Ioan. 3.*

*Scientia traditionum apoſtolicarũ præter ſcripturam neceſſaria ſacerdoti.*

HAERETICI primis vnguntur vnguentis: qui non habentes artem vnguentariam, abſque vlla ſcientia ſcripturarum, & traditionibus, atque doctrina Apoſtolorum, vendicant ſibi ſacerdotij dignitatem, & vnctos Domini dicunt ſe eſſe: oleumque puriſsimum ſenſus ſui fece contaminant. Cumque hæc faciant in interfectione eorum quos deceperunt, nullo dolore cruciantur: ſed gaudent in alienis mortibus, & miſerorũ ſanguine delectantur. *Tom. 5. lib. 3. Commentario. in cap. 6. Amos.*

*Hæreſes de paterna hæreditate nituntur Catholicos expellere.*

HAEC dicit Dominus Deus ad Edom.] Quia dicimus terram Idumæorum aduerſariam eſſe terræ repromiſsionis, & Eſau inimicum legimus Iacob, & populum eſſe, cui iratus eſt Dominus in ſempiternum: noſſe debemus ſecundum leges tropologiæ, aut contra Iudæos factũ eſſe ſermonem (qui ſunt æmuli Chriſtianis, & perſequũtur fratrem ſuum Iacob, ſupplantatorem: qui illis primogenita pręripuit.) Aut certè aduerſus omnes hęreſes, & contraria dogmata veritati: quæ videntur quidem nobis eſſe vicina, ſed magis aduerſaria ſunt, & de paterna hæreditate ſimplicẽ & habitatorem domus Iacob nituntur expellere. *Tom. 5. Co. in ca. 1. Abdiæ.*

*Hier. 6. Semitæ anti quæ et æternæ inueſtigãdæ. Ioan. 14.*

CONTEMPLARE viam, tene lumbum, &c.] Tria præcipiuntur Iudæ. Primum, vt cõtempletur viam, & iter per quod ambulaturus eſt, diligenter aſpiciat: iuxta illud quod in Hiere. ſcriptum eſt: State in vijs, & interrogate ſemitas æternas, & videte quæ ſit via bona, & ambulate in ea: vt cum ſteterimus in vijs multis, veniamus ad eã viam, quæ dicit: Ego ſum via. *To. 5. Co. in c. 2. Nah.*

*Gen. 19. Ibidem. Poſſeſsionis antiquitatẽ præripere Catholicis nituntur hæretici. Pro. 22. Sec. 70.*

QVI doctus vir eſt & ſpiritualibus ſpiritualia comparat, & non quærit quæ deorſum ſunt, ſed ea q ſurſum, & cum Chriſto reſurgit ab inferis, & veterem hominem deponẽs induitur nouo, & opprobria Moab, & blaſphemias filiorum Ammon ad magiſtros contrariorum eccleſię dogmatum refert: qui & ipſi videntur de genere eſſe Abraham, & effugiſſe incendium Sodomæ & Gomorrę, & habitare in Segor parua. Sed quia generatio eorum in tenebris eſt, & lumen veritatis nõ poſſunt aſpicere (declinauerunt enim à Deo patre, quod interpretatur ex nominib. Lot & Moab) & Dei eſſe filij ceſſauerunt (quod dicitur populus meus) & in tenebroſa ſpelunca concepti de inceſtis nuptijs ſubſtiterũt: propterea vſque hodie ſimplicitati filiorum Iudæ inſultantes, magnificare cupiunt ſuper terminos eius poſſeſsionẽ ſuam, de quibus in Prouerbijs dicitur: Non transferas terminos ſempiternos, quos poſuerunt patres tui. *Tomo quinto Commentariorum in caput ſecundum Sophoniæ.*

ET vocaui ſiccitatem ſuper terrã, &c.] Infertur gladius ſuper montes eleuãtes ſe aduerſus ſcientiam Dei, & ſuper frumentum, & vinum, & oleũ: quibus quaſi cibis & potu & refectione, hæreticorũ conciliabula deceptis populis blandiũtur.

Congruè

*Oſee. 9. Deut. 32.*

Congruè quis dixerit panem illorum eſſe panẽ luctus,& furorem draconum eſſe vinum eorum, & furorem aſpidum inſanabilem: Oleum quoq; repromiſsionem de cœleſtibus,quo quaſi vngũt diſcipulos,& laborum prẹmia pollicentur, quæ deteſtatur propheta dicens: Oleum autem peccatoris nõ impinguet caput meum.Sed & alia,quæ abſque auctoritate & teſtimonijs ſcripturarum, quaſi traditione apoſtolica ſponte reperiunt atque confingunt,percutit gladius Dei. *Tom.5.Co. in cap.1. Aggæi.*

*Pſal. 104. Tanta fuit traditionis apoſtolicæ authoritas vt ea abutentes hæretici ad ſuos errores aſtruendos*

*Rom.11.*

RESPICITE volatilia cæli, &c.] Apoſtolus præcipit,ne plus ſapiamus,quam oportet ſapere. Iſtud teſtimonium & in præſenti capitulo cõſeruandum eſt.Sunt enim quidam, qui volunt terminos patrum excedere,& ad alta volitare, in ima merguntur: volatilia dicẽtes cæli angelos eſſe,cæteraſq; in Dei miniſterio fortitudines, quæ abſque cura ſui, Dei alantur prouidentia. Si hoc ita eſt, vt intelligi volũt,quo modo ſequitur dictum ad homines: Nonne vos magis pluris eſtis illis?Simpliciter ergo accipiendum: quod ſi volatilia abſque cura & ærumnis, Dei aluntur prouidentia:quæ hodie ſunt,& cras non erunt: quorũ anima mortalis eſt, & cum eſſe ceſſauerint, sẽper non erunt: quanto magis homines quibus æternitas promittitur,Dei reguntur arbitrio? *To.6.li.1.Com in cap.6.Matt Canon.9.*

*Terminos patrum non debemus excedere.*

OMNIS plantatio quam non plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur. ] Etiam quæ plana videntur in ſcripturis, plena ſunt quæſtionibus. Omnis,inquit,plantatio,quam nõ plantauit pater meus cœleſtis,eradicabitur. Ergo eradicabitur & illa plantatio,de qua Apoſt. ait:Ego plantaui,Apollo rigauit.Sed ſoluitur quẹſtio ex eo ꝙ ſequitur.Deus autem incrementum dedit.Dicit & ipſe:Dei agricultura,Dei ẹdificatio eſtis.Et in eodem loco:Cooperatores Dei ſumus. Si autem cooperatores, igitur plantante Paulo, & rigante Apollo, Deus cum operatoribus ſuis plantat & rigat.*Tom.6.lib.2.Com.in cap.15.Matthæi. Cano.30.*

*1.Cor.9.*

*Quæcunque plantarunt Apoſtoli & eorũ ſucceſſores eadem plantauit & Deus.*

IEIVNIVM totius anni æquale eſt, excepta quadrageſima,in qua ſola conceditur diſtrictius viuere: à paſcha ad pentecoſten cœnẹ mutantur in prandia;quo & traditioni eccleſiaſticæ ſatisfiat,& ventrem non onerent cibo duplicato. Tales Philo,Platonici ſermonis imitator,tales Ioſeph⁹, Græcus Liuius, in ſecunda Iudaicẹ captiuitatis hiſtoria eſſe nos refert.*Tom.1.Epiſt.22.ad Euſtochiũ cap.15.in fine.*

*Vt traditioni eccleſiaſticæ ſatiſfiat à paſcha ad Pentecoſten cœnæ mutantur prandia.*

PORRO ſi quæris,cur infans à dæmone corripiatur, qui peccata non habuit; aut in qua ætate reſurrecturi ſimus, cũ diuerſa ætate moriamur, ingratis ſuſcipies,Iudicia DEI & abyſſus multa. Et ô altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei,quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius,& inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Dñi?aut quis conſiliarius eius fuit? Aetatũ autem diuerſitas nõ mutat corporũ veritatẽ:cum.n.corpora quotidie noſtra fluant, & aut creſcant: aut decreſcant,ergo tot erimus homines,quot quotidie commutamur:aut alius fui,cum decem annorum eſſem;alius cum triginta; alius cũ quinquaginta;alius,cum iam toto cano capite ſum?Igitur iuxta eccleſiarum traditiones,& Apoſtolum Paulum, illud eſt reſpondendum : quod in virũ perfectum,& in menſuram ẹtatis plenitudinis Chriſti reſurrecturi ſumus,in qua & Adam Iudæi cõditum autumant:& Dñm ſaluatorẽ legimus ſurrexiſſe:& multa, quæ de vtroque teſtamento in ſuffocationẽ hæretici protuli.*To.1.Epiſt.27.ad Euſtochium.cap 13.*

*Pſal 35. Rom.11.*

*Eccleſiarum traditio. Eph.4.*

DE ſabbatho quod quæris, vtrum ieiunandũ ſit;& de Euchariſtia,an accipiẽda quotidie,quod Romanæ eccleſiæ & Hiſpaniæ obſeruare perhibentur:ſcripſit quidem & Hippolytus,vir diſertiſsimus,& carptim diuerſi ſcriptores è varijs auctoribus edidere:ſed ego illud te breuiter admonendum puto,traditiones eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiant,ita obſeruandas,vt à maioribus traditæ ſunt;nec aliorum cõſuetudinem aliorum contrario more ſubuerti, atque vtinam omni tempore ieiunare poſſemus: quod in Actibus Apoſt. diebus Pentecoſtes & die Dominico, Apoſtolum Paulum,& cum eo credentes feciſſe legimus.Nec tamen Manichææ hæreſeos accuſandi ſunt,cũ carnalis cibus præferri non debuerit ſpirituali. Euchariſtiam quoque abſq; condemnatione noſtri,& pungente conſcientia, ſemper accipere, & Pſalmiſtam audire, dicentẽ: Guſtate,& videte,quoniam ſuauis eſt Dominus, & cum eo canere:Eructauit cor meum verbũ bonum.Nec hoc dico,quod Dominicis diebus ieiunandum putem, & contextas quinquaginta diebus ferias auferam:ſed vnaqueq; prouincia abũdet in ſenſu ſuo, & præcepta maiorũ leges apoſt. arbitretur.*To.1.Epiſt.28.ad Licinium.*

*Summa authoritas traditionum eccleſiaſticarum in tempore ieiunij obſeruando.*

*Act. 3.20. 27.*

*Conſuetudines & traditiones particulares.*

*Pſal 33. Pſal. 44. Dominicis diebus non eſt ieiunãdũ. Item quinquaginta dierum.*

PAPIAS Ioannis auditor, Hierapolitanus epiſcopus in Aſia,quinque tantum ſcripſit volumina quæ prænotauit,explanatio ſermonũ Domini,in quibus cum ſe in præfatione aſſerat,non varias opiniones ſeq, ſed apoſt.auctores habere ait:Conſiderabã, quid Andreas,quid Petrus dixiſſẽt,quid Philippus quid Thomas,quid Iacob⁹, quid Ioannes, quid Matthæus, vel alius quilibet diſcipulorum Dñi:quid etiam Ariſtion, & ſenior Ioannes,diſcipuli Domini loquebantur.Non enim tantum mihi libri ad legendum proſunt, quantum viua vox,vſq; hodie in ſuis auctoribus perſonans.*Tom 1.de Viris Illuſt in Papia.*

*Præcepta maiorum habenda pro legib. apoſtolicis.*

*Quinque libri Papiæ de traditionib⁹ apoſtolicis.*

*Viua vox traditionis præſtãtior ſacra ſcriptura.*

NVNC, prô dolor,poſt Nicẹnam fidẽ,poſt Alexandrinum iuncto pariter occidente decretũ, trium hypoſtaſeon ab Arianorum prẹſule & Cãpenſibus,nouellum à me,homine Romano, nomen exigitur.Qui quæſo,iſta Apoſtoli prodidere?quis nouus magiſter gentium Paulus hæc docuit?*To.2.Epiſt.57.ad Damaſum in medio ferè.*

*Quæ apoſtoli non tradiderunt ſunt repudianda.*

QVI dormientes ſitiũt, auidè fauces fluminib. ingurgitant:& quanto plus hauſerint,tanto plus ſitiunt. ita mihi & videris aduerſus quæſtiũculã quã propoſui, hinc atque illinc argumenta quæſiſſe,& nihilominus in eadẽ quæſtionũ ſiti perſeuerare. An neſcis, etiam eccleſiarũ hunc eſſe morem, vt baptizatis poſtea manus imponantur, & ita inuocetur Spiritus ſanctus. exigis vbi ſcriptũ ſit?in Actibus Apoſt.Etiam ſi ſcripturæ auctoritas nõ ſubeſſet,totius orbis in hanc partẽ conſenſus inſtar præcepti obtineret, nam & multa alia, quæ per traditionem in Eccleſijs obſeruãtur,auctoritatẽ ſibi ſcriptæ legis vſurpauerũt, velut in lauacro ter caput mergitare; deinde egreſſos, lactis & mellis prægustare cõcordiam, ad infantiẹ ſignificationem;die Dominico,& per omnẽ pentecoſten,nec de geniculis adorare, & ieiuniũ ſoluere:multaq; alia,quæ ſcripta non ſunt,rationabilis ſibi obſeruatio vindicauit, ex quo animaduertis,

*Traditio apoſtolica eſt imponere manus baptizatis.*

*Act 8.19. Traditio Eccleſiaſtica authoritatẽ ſcripturæ ſibi vſurpat*

*Quatuor inſignia ex pla traditionis eccleſiaſticæ.*



uertis,nos eccleſiæ conſuetudinem ſequi;licet ante aduocationem ſpiritus conſtet aliquem baptizatum.*To.2.in Dial.contra Lucifer.cap.4.*

CONATVS eſt beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena: & iccirco hæreticorum baptiſma reprobans, ad Stephanũ, tunc Romanæ vrbis epiſcopum, qui à beato Petro vigeſimus ſextus fuit, ſuper hac re Africanã ſynodum direxit: ſed conatus eius fruſtra fuit? Denique illi ipſi epiſcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo ſtatuerant, ad antiquam conſuetudinem reuoluti,nouũ emiſere decretum.Quid facimus? ita & nobis maiores noſtri, & illis ſui tradidere maiores. *Ibid.cap.8.*

*Ad antiquas conſuetudines et traditiones apoſtolicas recurrẽdum.*

## *Articul.2.Euangeliſtas in ſcribendo Euãgelio,magna ex parte traditionem ſecutos eſſe.*

*Luc.1.*

LVCAS non ſolum ab Apoſtolo Paulo didicit euangelium, qui cum Domino in carne non fuerat,ſed à cæteris Apoſtolis, quod ipſe quoque in principio ſui voluminis declarat, dicens: Sicut tradiderunt nobis, qui à principio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis. Igitur euangelium, ſicut audierat,ſcripſit. Acta Apoſtolorum, ſicut viderat ipſe,compoſuit.*Tom.1. in vita Lucæ. De viris Illuſt.*

*Lucas ex traditione Pauli et aliorum Apoſtolorum ſcripſit euangelium.*

MARCVS diſcipulus & interpres Petri,iuxta quod Petrum referentem audierat,rogatus Romæ à fratribus,breue ſcripſit Euãgelium. Quod cum Petrus audiſſet,probauit, & eccleſiæ legendum ſua auctoritate dedit,ſicut ſcribunt Clemẽs in ſexto ὑποτυπώσεων libro,& Papias, Hierapolitanus epiſcopus meminit huius Marci;& Petrus in Epiſtola prima ſub nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificans:Salutat vos Eccleſia, q̃ eſt in Babylone collecta, & Marcus filius meus. *Tom.1.de Viris Illuſt.in Marco.*

*Marcus ex traditione Petri ſcripſit euangelium.*

*Scriptura ſacra accipit authoritatẽ ab homine Petro contra Caluinum in li.1.Inſtitut.*

*1.Pet.5.*

ALIQVOTIES diximus, Apoſtolum Paulũ virum fuiſſe doctiſsimum,& eruditum ad pedes Gamalielis,qui in Apoſtolorum Actibus concionatur,& dicit:Et nunc quid habetis cum hominibus iſtis?Si.n.à Deo eſt,ſtabit, ſi ex hominibus deſtruetur.Cumque haberet ſcientiam ſanctarũ ſcripturarum,& ſermonis,diuerſarumq; linguarum gratiam poſsideret, vnde ipſe gloriatur in Domino & dicit: Gratias ago Deo quod omniũ veſtrum linguis magis loquor: diuinorum ſenſuum maieſtatem digno non poterat Græci eloquij explicare ſermone.Habebat ergo Titũ interpretẽ,ſicut & beatus Petrus Marcũ cuius euãgeliũ Petro narrante,& illo ſcribente,compoſitum eſt. Denique & duæ epiſtolæ,quæ feruntur Petri,ſtylo inter ſe & charactere diſcrepant, ſtructuraq; verborum.Ex quo intelligimus, pro neceſsitate rerum diuerſis eum vſum interpretibus. *Tom.3. Epiſt.150.ad Hedib.quæſt.11.*

*Actor.22. Actor.5.*

*1.Cor.13.*

*Titus Pauli interpres.*

*Marci euangelium Petro narrante & tradente compoſitum.*

ET dicent duces Iuda in corde ſuo,&c.] Iuxta tropologiam:duces ac tribuni, Apoſtoli ſunt, & omnes apoſtolici viri atque doctores,qui Chriſti exercitui præfuerunt:qui nollent ſibi alios inuenire,niſi eos qui habitent in Hieruſalem, viſione pacis, & qui habitent in DOMINO omnipotente Deo ſuo. De his ducibus Paulus Apoſtolus fuit: qui inuenit Titum & Timotheum. Lucam atque Siluanum: Petrus quoque qui Marcum ſcriptorem erudiuit Euangelij, & cæteri Apoſtoli qui omnem mundum ſua doctrina & eruditione compleuerunt, vt haberent diſcipulos habitatores Hieruſalem. *Tom.5.lib.3.Com.in cap. 12.Zachariæ.*

*Apoſtolici viri duces ac tribuni qui Chriſti exercitui præfuerunt.*

*Ex traditione Petri Marcus ſcripſit euangelium.*

*Luc.1.*

PLVRES fuiſſe qui Euangelia ſcripſerunt & Lucas Euangeliſta teſtatur,dicens: Quoniã quidem multi conati ſunt ordinare narrationem rerum, quæ in nobis cõpletẹ ſunt, ſicut tradiderũt nobis, qui ab initio ipſi viderunt ſermonem, & miniſtrauerunt ei:& perſeuerantia vſque in prẹſens tempus monimenta declarant, quæ à diuerſis auctoribus edita, diuerſarum hæreſeon fuere principia: vt eſt illud iuxta Aegyptios, & Thomam,& Mathiam, & Bartholomæũ, duodecimque Apoſtolorum, & Baſilidis atque Apellis, ac reliquorum, quos enumerare longiſsimum eſt: cum tantum in præſentiarum hoc neceſſe ſit dicere,extitiſſe quoſdam, qui ſine ſpiritu & gratia DEI conati ſunt magis ordinare narrationem, quam hiſtoriẹ texere veritatem. *Tom.6. Proœm.2. ad Euſebium ſuper Matthæum.*

*Ex traditione ſcripta Euangelia.*

*Apocrypha euangelia [illegible] principia.*

SECVNDVS Marcus, interpres Apoſtoli Petri, & Alexandrinæ Eccleſiæ primus Epiſcopus qui Dominum quidem Saluatorem ipſe non vidit, ſed ea quæ magiſtrum audierat prædicantẽ, iuxta fidem magis geſtorum narrauit quàm ordinẽ. Tertius Lucas medicus,natione Syrus Antiochenſis, cuius laus in Euangelio, qui & ipſe diſcipulus Apoſtoli Pauli,in Achaiẹ Bœotiæque partibus volumen condidit,quẹdam altius repetens:& vt ipſe in proœmio confitetur,audita magis quàm viſa deſcribens.*Ibid.*

*Marcus & Lucas ex traditione ſcripſerunt euangelia.*

*2.Cor 8.*

## *Articulus.III.Ex traditione haberi hanc eſſe ſcripturam canonicam, illam vero non.*

*Luc.1.*

PLVRES fuiſſe qui Euangelia ſcripſerunt, & Lucas Euangeliſta teſtatur, dicens:Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem rerum,quẹ in nobis cõpletæ ſunt, ſicut tradiderunt nobis,qui ab initio ipſi viderũt ſermonem,& miniſtrauerunt ei:& perſeuerantia vſque in præſens tempus monimenta declarant, quæ à diuerſis auctoribus edita, diuerſarum hæreſeon fuere principia: vt eſt illud iuxta Aegyptios, & Thomam,& Mathiam,& Bartholomæum, duodecimq; Apoſtolorum, & Baſilidis atque Apellis,ac reliquorum, quos enumerare lõgiſsimum eſt: cum tantum in præſentiarum hoc neceſſe ſit dicere,extitiſſe quoſdam,qui ſine ſpiritu & gratia Dei conati ſunt magis ordinare narrationem, quam hiſtoriẹ texere veritatem.Quibus iure poteſt illud propheticum coaptari: Væ qui prophetant de corde ſuo: qui ambulant poſt ſpiritũ ſuum:qui dicunt, dicit Dominus:& Dominus nõ miſit eos. De quibus & Saluator in Euãgelio Ioannis loquitur:Omnes qui ante me venerunt, fures & latrones fuerunt. Qui venerunt, non qui miſsi ſunt. Ipſe enim ait; Veniebant & ego non mittebam eos.In venientibus enim præſumptio temeritatis: in miſsis obſequium ſeruitutis eſt.Eccleſia autem, quæ ſupra Petrã, Domini voce fundata eſt,quam introduxit rex in cubiculum ſuũ: & ad quam per foramen deſcẽſionis occultæ miſit manũ ſuam, ſimilis damulæ hinnuloq; ceruorum, quatuor flumina paradiſi inſtar eructans, quatuor angulos & anulos habet, per quos quaſi arca teſtamẽti & cuſtos legis Dñi, lignis immobilib. vehitur.*Tom.6.Proœ.ſuper Matt.ad Euſebium.*

*Apocryphorum euangeliorum execratio.*

*Ezech.13.*

*Ioan.10.*

*Hier.23. Matt 16. Cant.1.et 5. 6.& 2.6. Gen.2. Exod.25.*

*Eccleſia approbat tantũ 4.euangelia.*

*Quando ſcriptura Canonica approbatur ab hominibus pijs et ſanctis, approbatur etiam à Deo.*

NOTVM enim vobis facio fratres euangelium, & cætera.] Quæritur, vtrum totius orbis eccleſiæ Dei acceperint euãgelium, an hominis? Quotus enim quiſque noſtrum per reuelationẽ Chriſti didicit: & non homine prædicante cognouit? Ad quod reſpondebimus: Eos qui poſsint dicere. An experimentum eius quæritis, qui in me loquitur Chriſtus. Et viuo autem iam non ego, viuit autem in me Chriſtus: non tam ipſos docere quam in ipſis Deũ, qui ad ſanctos loquatur: Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes, & ſtatim de peccatoribus: Vos autem vt homines moriemini, & tanquam vnus de principibus cadetis. Cũ igitur Paulus loquitur & Petrus, qui non moriuntur vt homines, neque vt vnus de principibus corruunt: Deos eos eſſe manifeſtum eſt. Qui autem dij ſunt, tradunt Dei euangelium, & nõ hominis. *To. 6. lib. 1. Com. in cap. 1. ad Galat.*

*2. Cor. 13. Infra. 2. Pſal. 81.*

*Sancti Dij ſunt & tradunt Dei euangelium & non hominis.*

DEINDE poſt annos quatuordecim, &c.] Quidam poſt quatuordecim annos cum Hieroſolymam aſcendiſſe tunc dicunt, quando in Actibus Apoſtolor. de quæſtionibus obſeruãdæ, vel prætermittendæ legis, inter credẽtes Antiochiæ orta diſſenſio eſt, & placuit ire Hieroſolymã, & ſentẽtiam maiorum præſtolari, quando ipſe quoque Paulus & Barnabas miſsi sũt, & hoc eſſe quod in codicibus legatur latinis, quibus ad horam ceſsimus ſubiectioni, vt veritas euangelij perſeueraret apud vos. Quod .ſ. propterea Paulus & Barnabas de re manifeſta, quaſi dubia ſe mitti paſsi sũt Hieroſolymã, vt, maiorum quoq; iudicio euangelij gratia confirmata, credentibus probaretur, & nulli reſideret vltra dubitatio circuncisionis omiſſę, cum Apoſtol. eſſet literis imperatum, iugũ legis ab his qui in Chriſtũ crediderant ex gẽtibus auferendum. *To. 6. lib. 1. Commentario. in cap. 2. ad Galatas.*

*Act. 13.*

*In approbando euangelio Paulus maiorum ſententiam præſtolabatur.*

*Maiorum iudicio euangelij gratiam confirmari voluit Paul⁹ vt credentibus magis probaretur.*

## *Artic. IIII. Multa quæ ab ipſis Apoſtolis, quaſi per manus tradita, ad nos vſque peruenerunt, licet in ſacris literis expreſsè ſcripta non ſint, Chriſtianis eſſe credenda.*

*Clementis Romani Cõſtitutiones, ordinationes & Traditiones apoſtolorum hic approbantur.*

EPISTOLA quæ fertur ad Hebræos, nõ eius creditur propter ſtyli ſermoniſque diſſonãtiam: ſed vel Barnabę, iuxta Tertullianũ; vel Lucæ euangeliſtæ, iuxta quoſdam; vel Clementis, Romanæ poſtea eccleſiæ epiſcopi, quem aiũt ſententias Pauli proprio ordinaſſe, & ornaſſe ſermone. *Tom. 1. in Vita Pauli de Viris Illuſt.*

*Irenæi libri de diſciplina et apoſtolica prædicatiõe.*

IRENAEVS ſcripſit quinque aduerſus hæreſes libros, & contra gentes volumen breue, & de diſciplina aliud, & ad Marcianum fratrem de Apoſtolica prædicatione, & librum variorum tractatuum, & ad Bleſtum de ſchiſmate, & ad Florinũ de monarchia, ſiue quod Deus non ſit conditor malorum. *Tom. 1. de Viris Illuſt. in Irenæo.*

*Bartholomæus in India habuit Mat. euangelium.*

*Pantænus magis viua voce quam ſcriptis eccleſiæ profuit.*

PANTAENVS, Stoicæ ſectæ philoſophus, iuxta quandam veterem in Alexandrina cõſuetudinem, vbi à Marco euangeliſta ſemper eccleſiaſtici fuere doctores, tantæ prudentiæ & eruditionis, tam in ſcripturis diuinis, quam in ſæculari literatura fuit, vt in Indiam quoq; rogatus ab illius gentis legatis, à Demetrio Alexandrinæ epiſcopo mitteretur: vbi reperit, Bartholomæũ de duodecim Apoſt. aduentum Domini Ieſu, iuxta Matthæi euangelium prædicaſſe, quod Hebraicis literis ſcriptum, reuertens Alexandriam, ſecũ retulit. Huius multi quidem in ſanctam ſcripturam extant commentarij, ſed magis viua voce eccleſijs profuit. *Tomo primo in de Viris Illuſtribus Panthæo.*

*Arriani ſola ſcripturas recipiebant.*

DE vſiæ nomine abijciendo, veriſimilis ratio præbebatur. Quia in ſcripturis, aiebant, non inuenitur, & multos ſimpliciores nouitate ſua ſcãdalizat; placuit auferri. nõ erat curæ epiſcopis de vocabulo, cum ſenſus eſſet in tuto. *Tom. 2. in Dial. contra Luciferianos. cap. 7.*

*In Concilio Niceno Vſiæ vocabulum ſtatutum ex traditione. Symbolum apoſtolorum ex traditione habemus.*

IN ſymbolo fidei & ſpei noſtræ, quod ab Apoſtolis traditum non ſcribitur in charta, & atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus, poſt confeſsionem Trinitatis & vnitatẽ Eccleſiæ, omne Chriſtiani dogmatis ſacramentum, carnis reſurrectione concluditur. *Tom. 2. Epiſt. 61. ad Pamchium cap. 9. in fine.*

*Infantium baptiſma ex traditione apoſtolorum.*

HOC vnum dicam, & tandem finiatur oratio: aut nouum vos debere ſymbolũ tradere, vt poſt Patrem & filium & ſpiritum ſanctum, baptizetis, infantes in regnum cælorum: aut ſi vnum & in paruulis & in magnis habetis baptiſma, etiã infantes in remiſsionem peccatorum baptizãdos in ſimilitudinem præuaricationis Adam credatis. *Tomo ſecundo lib. tertio Dialog. aduerſus Pelagianos cap. 6.*

*Ieiuniũ ſabbathi, traditio Romanæ eccleſiæ particularis, ſed non omnium toti⁹ orbis eccleſiarum.*

VELLEM me doceret, benigna ſinceritas tua, vtrum familiarium quiſquam ſanctus orientalis, cum Romam venerit, ieiunet ſabbatho, excepto illo die paſchalis vigiliæ. Quod ſi malum eſſe dixerimus, non ſolum Romanam eccleſiam, ſed etiã multas ei vicinas, & aliquanto remotiores damnabimus, vbi mos idẽ tenetur & manet. Si autem, non ieiunare ſabbatho, malum putauerimus: tot Eccleſias orientis, & multo maiorem orbis Chriſtiani partẽ qua temeritate criminabimur? Placet ne tibi, vt medium quiddam eſſe dicamus, quod tamen acceptabile ſit ei, qui hoc non ſimulatè, ſed congruenti ſocietate atque obſeruantia fecerit? & tamen nihil inde legimus in canonicis libris, pręceptum eſſe Chriſtianis: quãto magis illud malum dicere non audeo, quod Deum præcepiſſe ipſa Chriſtiana fide negare nõ poſſum: quia didici nõ eo me iuſtificari, ſed gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrũ? *Tomo ſecundo. Epiſtola nonageſima ſeptima ad Hieronymum. Fol. 327.*

*Multæ traditiones obſeruandæ quæ in Canonicis libris non ſunt præceptæ.*

ITERVM leuaui manum meam, &c.] Vbi in veteri teſtamento contra filios eorum, qui in ſolitudine corruerũt, Dominus leuauerit manum ſuam, volens eos diſpergere in nationes, ſcriptura nõ dicit: ſed ex eo quod hic refert, factum eſſe credendum eſt. *Tom. 4. lib. 6. Comentariorum in caput 20. Ezechielis.*

*Quædam credenda quæ non exſtant in ſcripturis.*

VICTIMAM & pro peccato & pro delicto, &c.] Et conſiderandũ quod omnia, quę nunc per pro- prophetam Dñs loquitur, per Moyſen ante iam dixerit. Quęrendumq́ue cur eadem quę dicta sũt repetat. Vt videlicet quæ in mentibus hominum ſunt vel legendi negligentia, vel audiendi contẽptu & obliuione deleta, viua voce innouentur: quæ non ſit ſcripta calamo & atramento, ſed ſpiritu & verbo Dei. Vnde & Saluator nullum volumen doctrinæ ſuę, proprium dereliquit (quod in pleriſque Apocryphorum delyramenta confingunt) ſed patris & ſuo ſpiritu quotidie loquitur in corde credentium. Et hæc erit reſpõſio aduerſum eos, qui calumniãtur prophetas, cur quæ in pentateucho continentur, in ſuis voluminib. replicent. *Tom. 4. lib. 13. Commentariorum in cap. 44. Ezechielis.*

*Leuit. 7. 21. Quæ in Pentateucho cõtinentur ex ijs prophetæ in ſuis voluminibus multa replicant.*

*Chriſtus nullum volumẽ ſuæ doctrinæ ſcripſit.*





*Qui traditiones apoſtolicas & propheticas negligit mordetur à ſerpente. Amos. 9.*

QVI fodit foueam, &cæt.] Sepis maceriæq́ue euulſio, Eccleſiaſtica dogmata ſunt, & inſtitutio ab Apoſtolis prophetiſq́ue fundata: quę qui diſſoluerit & voluerit præterire, in eo ipſo quod negligit, à ſerpente percutitur. De quo ſerpente & in Amos ſcriptum eſt. Si deſcenderint in infernũ, mandabo ſerpenti, & mordebit eos. *Tom. 5. Com. in cap. 10. Eccleſiaſtis.*

*Poſt legem Moyſes ſunt additæ multa à prophetis Doctoribus &c.*

VERBA ſapientum vt ſtimuli, &c.] Ne videretur poſt legem Dei, temerarius ſubitò præceptor erumpere, & ſibi vendicare doctrinam, quã Moyſes, non tam ſua ſponte quam Deo iraſcente primũ, dehinc inſpirante ſuſceperat: dicit verba ſua verba eſſe ſapientiũ, quæ in ſimilitudinem ſtimulorum corrigant delinquentes, & pigros mortalium greſſus aculeo pungente commoueant: ſicq́ue ſint firma quaſi claui in altum ſolidũ que infixi: nec auctoritate vnius, ſed conſilio atque conſenſu magiſtrorum omnium proferantur. Et ne contemneretur humana ſapientia, ait eam ab vno paſtore conceſſam: id eſt, licet plurimi doceant, tamen doctrinæ auctor vnus eſt Dominus. *Tom. 5. Com. in cap. 12. Eccleſiaſtis.*

*Auctoritas Patrum & Doctorum eccleſiæ.*

*Eccleſiaſtica dogmata malogranatum. Cant. 8.*

PONITE corda veſtra ex die iſta &c.] Vinea quoq́;, id eſt, ſermo Dei, cuius in vnoquoq́ue pater Agricola eſt: & ficus ſpiritus ſancti dona dulciſsima, & malogranatum, eccleſiaſtica dogmata, & ſcientia ſcripturarum, quæ ſponſæ genis in cantico canticorum comparatur, & lingua oliuę dabunt refectionem & illuminationem cordis, ei qui cœperit ædificare templum Dei. *Tom. 5. Co. in cap. 2. Aggæi.*

EVNTES autem diſcipuli, &c.] Pullus iſte & Aſina, quibus Apoſtoli ſternunt veſtimenta ſua, vt Ieſus mollius ſedeat, ante aduentum Saluatoris nudi erant: multiſq́ue ſibi in eos dominatum vendicantibus, abſque operimento frigebant. Poſtquam verò ſuſcepere Apoſtolicas veſtes, pulchriores effecti, Dominum habuere ſeſſorẽ. Veſtis autem Apoſtolica, vel doctrina virtutũ, vel ediſſertio ſcripturarum intelligi poteſt: ſiue eccleſiaſticorum dogmatum varietates: quib. niſi anima inſtructa fuerit & ornata, ſeſſorem habere Dominum non meretur. *Tom. 6. Com. in cap. 21. Matthæi Cano. 43*

*Veſtis apoſtolica varietas eccleſiaſticorum dogmatum.*

*Lucas in Actis multa prætermiſit.*

CVM autem veniſſet Petrus Antiochiam, &c.] Nec mirum ſi Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa quę Paulus ſuſtinuiſſe ſe replicat, hiſtoriographi licentia prætermiſerit, & non ſtatim eſſe cõtrarium, ſi quod alius ob cauſam dignum putauit relatu, alius inter cætera dereliquit. Deniq́ue primum Antiochenæ epiſcopum eccleſiæ Petrum fuiſſe accepimus, & Romam exinde trãſlatum, quod Lucas penitus omiſit. *Tom. 6. lib. 1. C. in cap. 2. ad Galat. u.*

*Petrus Epiſcopus ex Antiochena eccleſia Romã tranſlatus contra Sebaſtianum Franck & Veleuum.*

ET ſedere eum faciens ad dextram &c.] Nunc quærendum vbi Apoſtolus hæc quatuor nomina, principatum loquor, & poteſtatem, virtutem & dominationem, ſcripta repererit, & in mediũ vnde protulerit. Neque enim fas eſt eum, qui diuina lectione fuerat inſtructus aliquid locutum putare, quod in ſanctis voluminibus non habetur. Arbitror itaq; illum aut de traditionib. Hebræorũ ea quæ ſecreta ſunt, in mediũ protuliſſe: aut certè, quę quaſi iuxta hiſtoriam ſcripta ſunt, cum intelligeret legem eſſe ſpiritualem, ſenſiſſe ſublimius: & quod de regibus atque principibus, ducibus quoq́;, tribunis & centurionibus, in Numeris, & in Regnorum libris refertur: imaginem aliorum principũ regumq́ue cognouiſſe: Quod ſcilicet in cœleſtibus ſint principatus, ſint poteſtates, ſint dominationes atq; virtutes, & cætera miniſteriorum vocabula quæ nec nos poſſumus nominare: nec ipſum Paulum puto, vt in graui corpuſculo conſtitutum, enumerare valuiſſe. *To. 6. Com. in cap. 1. ad Epheſ.*

*Paulus ex traditionib⁹ Hebræorum, nonnulla deſumpſit.*

SCHOLIA.

*Obiectio prima.*

EXCEPTIS apoſtolis quodcunque aliud poſtea dicetur, abſcindatur, non habeat poſtea authoritatem. Quamuis ergo ſanctus ſit aliquis poſt apoſtolos: quamuis diſertus ſit, non habet auctoritatem. Quoniam Dominus narrat in ſcriptura populorum & principum horum qui fuerũt in ea. *Tom. 7. Com in Pſal. 86.*

*Obiectio. 2.*

OMNE quod loquimur debemus affirmare de ſcripturis ſanctis. In ore duorum & trium teſtiũ, ſtabit omne verbum. Non habet tantam auctoritatem ſermo dicentis, quantum Domini præceptum. *Tom. 7. Com. in Pſal. 98.*

*Obiectio 3. Apologia Anglicanæ ex Com. in ca. 1. Aggæi.*

OMNIA quæ abſq; teſtimonio ſcripturarũ, quaſi tradita ab Apoſtolis aſſeruntur, verbo Dei percutiuntur. *To. 5. Co. in cap. 1. Aggæi.*

*Obiectio. 4.*

ET quidem ſine ſcripturarũ auctoritate garrulitas non haberet fidem, niſi videretur peruerſam doctrinam etiam diuinis teſtimonijs roborare. *Tom. 6. Com. in cap. 1. ad Titum.*

*Obiectio. 5.*

QVIDAM Zachariam patrem Ioãnis Baptiſtæ intelligi volunt: ex quibuſdam Apocryphorum ſomnijs approbãtes, quod propterea occiſus ſit, quia ſaluatoris prædicauit aduentum. Hoc quia de ſcripturis non habet authoritatem, eadem facilitate contemnitur qua probatur. *Tom. 6. Com. in cap. 23. Matthæi.*

*Ad primam.*

RESPONSIONES.

INGENVE *fateor non eſſe nunc nouas reuelationes expectandas, vel à concilio, vel à ſummo Pontifice, vel ab eccleſia tota, ſed maiorum documenta inueſtiganda ac sãctorum Patrum ſcripta & apoſtolicas traditiones & ſacras literas etiam conſulendas, atque per eiuſmodi vias conquiſitas de fide propoſitam quæſtionem decernendam vt Actorum 15. cap. præſtitum. Hieronymus verò in ſubiectis teſtimonijs aduerſus eos loquitur qui vel humana cõmenta ſacris etiam literis è diametro repugnantia, vel hiſtorias quaſdam apocryphas, tanquam res diuinas & certas poſteritati venditabant. Scriptura diuina non ſolum de ijs inſtruit, quæ ſcripta ſunt, ſed de ijs etiam quæ ſcripta non ſunt. Tenete, inquit, Paulus, traditiones, quas accepiſtis ſiue per epiſtolas, ſiue per ſermones. Scriptura enim ſacra generatim non ſingulatim omnia comprehendit. Etenim ſi ſpecialiter ſcripta ſint omnia, quorſum illud: Cætera cum venero diſponam? Quorſum rurſus illud, plura habens vobis ſcibere nolui per chartam & atramentum: ſpero enim me futurum apud vos & ore ad vos loqui? Quod autem nomine ſacræ ſcripturæ etiam traditiones complectatur conſtat ex 3. capite poſterioris epiſtolæ ad Timotheum, vbi cum aſſirmaſſet Apoſtolus, tu autem aſſequutus es meam doctrinam & inſtitutionem, iſtis verbis vtrumque genus diſciplinæ comprehendit, & quod ſcripto & inſtituto continetur mox adijcit. Tu verò permane in his quæ didiciſti & credita ſunt tibi: didicerat vero diuinas literas Timotheus, vt eodem loco explicat Apoſtolus, & præterea myſteria Euangelicæ doctrinæ concredita acceperat vt*

*Ad ſecundã.*

*2. Theſſa. 2.*

*1. Cor 11. Ioan in 2. epiſt.*

*prius cap. 2. dixerat & cap. 6. prioris ad eundem Epiſtolæ. Itaq; Apoſtolus vt & hoc loco Hieronymus traditiones nõ excludit, ſed potius commendat & ſcripturis includit.*

*Ad tertiam.*

*VT ſolidè tertia obiectio diſſoluatur ponẽda ſunt authentica verba D. Hieronymi, quæ in Apologia Anglicana teſte Alano Copo dialogo 5. contra Magdeburgenſes, miſerè ſunt corrupta: verba hæc ſunt ex Tom. 5. Com. in cap. 1. Aggæi. Alia quæ abſq; authoritate & teſtimonio ſcripturarum, quaſi traditione Apoſtolica ſponte reperiunt atque confingunt, percutit gladius Dei. Agit hic contra Tatianos & Eucratitas hæreticos, qui negabant licere Chriſtiano vxorem ducere, aut vino vti, idq; quaſi ex Traditione Apoſtolorum, hanc ſolutionem confirmant ſequẽtia ſtatim verba, in quibus expreſsè Montanorum, qui tres quadrageſimas ieiunabant & in Xerophragijs animas ſuas humiliabant, & Tatianorum, qui matrimonium interdicebant, mentionem facit. Propterea Apologetici vocem illam (omnia) de ſuo adiecerunt, & propoſitionem ſpecialem in generalem mendaciter commutarunt.*

*Alainus Copus Dial. 5.*

*Ad quartam*

HIERONYMVS *in Com. cap. 1. ad Titum agit de futuro eccleſiæ principe, quem vult habere eloquentiam cum vitæ integritate ſociatam, ne opera abſque ſermone ſint tacita, et dicta factis deficientibus erubeſcant: agit etiam contra mẽtium deceptores, quos vocat φρεναπατάς, Iudaizantes Hebionitas, qui tunc temporis naſcentem Chriſti eccleſiam ſua garrulitate ſubuertere nitebantur, & introducere præcepta legalia, de quibus & ad Romanos & ad Galatas plenius Paulus exequitur. Poſtrema obiectio valet aduerſus eos qui ex Apocryphis ſcripturis, aut libris occultis & extra canonem conſtitutis dogmata ſua conſtabilire conantur, nihil autem minus quam aduerſus traditiones adductus locus quicquam facit.*

*Ad quintam*

## *Articulus V. In Eccleſia præter ſcripturas ſacras, eſſe conſuetudines & canones pergrauis authoritatis.*

E LIBRIS Clementis Alexandrini illa ſunt ςρωματεῖς libri octo: ὑποτυπώσεων libri octo, aduerſus gentes liber vnus, pædagogi libri tres: de Paſcha liber vnus: de ieiunio diſceptatio: & alius qui inſcribitur, Quiſnã diues ille ſit, qui ſaluetur. De obtrectatione liber vnus: de canonibus eccleſiaſticis, & aduerſum eos, qui Iudęorum ſequuntur errorem. *Tom. 1. de Viris Illuſt. in Clemente Alexandrino.*

*Liber Clemẽtis Alexandrini de Canonibus eccleſiaſticis.*

POLYCRATES, Epheſiorum epiſcopus, cum cæteris epiſcopis Aſiæ, qui iuxta quandam veterem conſuetudinem cum Iudæis decima quarta luna Paſcha celebrabant, ſcripſit aduerſus Victorem epiſcopum Romanum epiſtolam Synodicã, in qua docet ſe, Apoſtoli Ioannis & veterum auctoritatem ſequi, de qua hęc pauca decerpſimus: Nos igitur inuiolabilem celebramus diem, neq; addentes aliquid, neque dementes. Etenim in Aſia elementa maxima dormierunt, quæ reſurgẽt in die Domini, quando venturus eſt de cælis in maieſtate ſua, & ſuſcitaturus omnes ſanctos. Philippum loquor de duodecim Apoſtolis, qui dormiuit Hierapoli, & duas filias eius, quæ virgines ſenuerunt, & aliam eius filiam, quæ ſpiritu ſancto plena, in Epheſo occubuit. Sed & Ioãnes, qui ſuper pectus Domini recubuit, & pontifex eius fuit, auream laminam in frõte portans, martyr, & doctor in Epheſo dormiuit, & Polycarpus epiſcopus, & martyr Smyrnæ cubat. Thraſeas quoque epiſcopus, & martyr de Eumenia in eadem Smyrna requeſcit. Quid neceſſe eſt Sagaris epiſcopi, & martyris recordari, qui in Laodicęa ſoporatur: & Papirij beati, & Melitonis in ſancto ſpiritu eunuchi, qui ſemper Domino ſeruiẽs, poſitus eſt in Sardis, & expectat in aduentu eius reſurrectionem? Hi omnes obſeruarunt Paſchę diem decimaquarta luna, ab Euãgelica traditione in nullam partem declinantes, & eccleſiaſticum ſequẽtes canonẽ. Ego quoq; minimus omnium veſtrũ Polycrates, ſecundum doctrinam propinquorũ meorum, quos & ſecutus ſum (ſeptem ſiquidem fuerunt propinqui mei epiſcopi, & ego octauus) ſemper Paſcha celebraui, quando populus Iudæorum azima faciebat. Itaque fratres, ſexaginta quinque annos ætatis meæ natus in Domino, & à multis ex toto orbe fratribus eruditus, peragrata omni ſcriptura, non formidabo eos, qui nobis minantur. Dixerunt enim maiores mei: Obedire Deo magis oportet, quã hominibus. Hæc propterea poſui, vt ingenium, & auctoritatẽ viri ex paruo opuſculo demonſtrarem. *Tom. 1. de Viris Illuſt. in Polycrate.*

*Vetus eccleſiæ conſuetudo Ieiunare 14. luna.*

*Act. 21. Ioan. 21.*

*Ab euangelica traditiõne non declinandum et eccleſiaſtici canones ſequẽdus.*

SED & illud vehemẽter admiratus ſum, quod meis locutus es clericis, aſſerens te per ſanctum presbyterum & abbatem monachorum Gregorium mandaſſe mihi, ne quemquam ordinarem & ego hoc pollicitus ſim, dicens: Nunquid iuuenis ſum, aut canones ignoro? *Tom. 2. Epiſt. 60. ad Ioannem Hieroſolimi. cap. 2.*

*Epiſcopus debet ſcire Canones eccleſiaſticos.*

TV qui regulas quæris eccleſiaſticas; & Niceni concilij canonibus vteris; & alienos clericos, & cum ſuis epiſcopis commorãtes tibi niteris vſurpare; reſponde mihi, ad Alexandrinum epiſcopum Palæſtina quid pertinet? ni fallor, hoc ibi decernitur, vt Palæſtinæ metropolis Cæſarea ſit, & totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæſarienſem epiſcopum referre debueras; cui, ſpreta cõmunione tua, communicare nos noueras, aut ſi procul expetendum iudicium erat, Antiochiam potius literæ dirigendæ. *To. 2. Epiſt. 61. ad Pammachium. cap. 15.*

*Regulæ eccleſiaſticæ et Canones Conciliorum ſẽquendi.*

QVANDO cœptum eſt de ordinatione Pauliniani, & aliorum, qui cum eo ſunt, ventilari; videntes ſe reprehendi; cum propter caritatem atq; concordiam cõcederentur eis omnia; hoc autem ſolum expediretur, vt licet ab alijs contra regulas ordinati eſſent, tamen ſubijcerentur Eccleſiæ Dei; & non ſcinderent eam, neque proprium ſibi facerent principatum: in hoc non acquieſcentes, cœperunt proponere de fide, & omnibus notum facere, quod ſi non arguerentur ij, qui cum Hieronymo presbytero erant, nil culparẽt in nobis, ſin autem arguerentur erroris & culpæ, cum penitus non queant de iſtiuſmodi quæſtionib. diſputare, ſatisfactionem errati proprij non inuenientes ad iſta confugerent: non quo ſperarent nos poſſe conuinci; ſed famam noſtram lædere niterentur. *Ibidem in fine.*

*Contra regulas eccleſiaſticas nemo ordinandus.*

NOVIMVS canones eccleſiaſticos: non ignoramus ordines ſingulorum: & lectione, & quotidianis exemplis vſque ad hanc ętatem multa didicimus, multa experti ſumus. *Tomo ſecundo Epiſtola 62. ad Theophilum cap. 1. in fine ferè.*

*Canonum eccleſiaſticorũ ſcientia in b. Hieronymo.*

AT ſubſcriptionẽ tergiuerſantur, quæruntq; ſuffugia. Alius, non poſſum, inquit, damnare quod nemo damnauit. Alius: nihil ſuper hoc à patrib. ſtatutum eſt, vt dum totius orbis prouocatur auctoritas, ſubſcribẽdi neceſsitas differatur. Quidã cõſtantius, quo modo inquit, damnabimus, quos ſynhodus Nicena non tetigit? quæ enim damnauit

*Cum ſanctorum Patrum ſtatuta allegantur toti' orbis prouocatur auctoritas.*



uit Arium, damnaſſet vtiq; & Origenẽ, ſi illius dogmata reprobaſſet. Scilicet vno medicamine omnes ſimul morbos debere curari. *Tom. 2. Epiſt. 65. ad Pammach. & Oceanum. cap. 1.*

*Eccleſiæ regulæ cuſtodiendæ.*

QVOD de canonibus eccleſiaſticis mones, gratias agimus. *To. 2. Epiſt. 68. ad Theoph.*

OPTAMVS, ſi ferre poteſt, in diebus noſtris catholicam fidem, & Eccleſiæ regulas cum ſubiectis nobis populis cuſtodire, & oẽs nouas ſopire doctrinas. *To. 2. Epiſt. 69. ad Hier.*

*In ordinandis ſacerdotibus canones obſeruãdi.*

HAEC fili Oceane, ſollicito timore perquire: hæc magiſtri eccleſię cuſtodire debebunt, hos in ſacerdotibus eligendis canones obſeruare, non iuxta propria odia, & priuatas ſimultates, carpentemque ſemper auctorem ſuum inuidiam, legem Chriſti interpretari. *To. 2. Epiſt. 83. ad Oceanum: in fine.*

NVPER cum pariter eſſemus, non per Epiſtolam, vt ante cõſueueras, ſed pręſens ipſa quæſiſti, quid ea verba, quæ ex Hebræo in Latinum non habemus expreſſè apud ſuos ſonarent, curque ſine interpretatione ſint poſita: vt eſt illud Alleluia, Amen, Maran atha, Ephod, & cætera, quæ in ſcripturis reſperſa memoraſti. Ad quos nos, quia dictandi anguſtia coartamur, breuiter reſpondemus, ſiue Septuaginta interpretes, ſiue Apoſtolos id curaſſe, vt quoniã prima eccleſia ex Iudæis fuerat cõgregata, nihil ad credendũ ſcandalum innouarent, ſed ita vt à paruo imbiberẽt traderent; poſtea verò quam in vniuerſas gentes euangelij dilatatus eſt ſermo, nõ potuiſſe ſemel ſuſcepta mutari: licet & illud in libris ſuis, quos ἐξηγητικὰς, vocant, Origenes aſſerat propter vernaculũ linguæ vniuſcuiuſq; idioma, nõ poſſe ita apud alios ſonare, vt apud ſuos dicta ſũt, & multo melius eſſe non interpretata ponere, quã vim eorum interpretatione tenuare. *Tom. 3. Epiſt. 137. ad Marcellam.*

*Apoſtoli nihil ad credẽtium ſcandalum innouarunt ob fideles primos Iudæos, ſed quæ imbiberant tradiderunt.*

*Semel ſuſcepta nõ potuerunt mutari.*

*Salomon veteris legis inſtitutione nõ fuit contẽt'.*

ET amplius quia factus eſt &c.] Sapientiã, qua præiuit Salomon omne hominum genus, nunc quoque in fine opuſculi ſui profitetur, quod nõ fuerit veteris legis inſtitutione contentus, ſed in profundas ſe vltro demerſerit quæſtiones, & ad docẽdum populum, prouerbia, & parabolas cõpoſuerit, aliud in medulla habentes, aliud in ſuperficie pollicentes. Prouerbia quippè non hoc ſonare quod ſcriptum eſt, etiam in euangelijs edocemur: quod Dñs populo in parabolis & prouerbijs ſit locutus: ſecretò autem Apoſtolis diſſoluerit ea. *To. 5. Com. in cap. 12. Eccleſiaſtis.*

## *Art. VI. Multa ab Apoſt. facta, multa etiam eſſe Chriſtiano obſeruanda, quæ tamen ſcripta non ſunt.*

SOL eſt verſus in tenebras, quando pendentẽ Dominum ſuum videre non auſus eſt, & luna in ſanguinem. Quod aut iuxta hiſtoriam factum eſſe credamus, & ab Euangeliſtis ſilẽtio prætermiſſum (Neq; enim omnia quæ fecit Ieſus ſcripta referuntur: quę ſi ſcriberentur per ſingula, ne ipſum quidem arbitror mundum capere eos, qui ſcribendi ſunt, libros.) Aut certè quo modo, ſol verſus in tenebras eſt: non quod ipſe ſit mutatus in tenebras, ſed tenebras mũdo induxerit. Sic & luna non eſt verſa in ſanguinem: ſed Iudæos blaſphemiarũ & negationis in Chriſtum horrore coopertos, æterno teſtimonij ſui ſanguine condemnauit, dicentes: Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros. *To. 5. Co. in c. 2. Ioel.*

*Ioan. 21. Non omnia quæ fecit Ieſus ſunt ſcripta.*

*Matt. 27.*

ET tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos.] Vnuſquiſque apoſtolorum de reliquijs Saluatoris implet cophinum ſuum: vt vel habeat vnde poſtea gentibus cibos præbeat: vel ex reliquijs doceat, veros fuiſſe panes, qui poſtea multiplicati ſunt. Et ſimul quære quomodo in eremo & in tam vaſta ſolitudine panes non inueniãtur, niſi quinque tantum, & duo piſciculi: & tam facilè duodecim cophini repleãtur. *Tom. 6. Com. in cap. 14. Matt. loci 29.*

*Apoſtoli multiplicarunt panes Euangelicos.*

AT illis: Quoniam Moyſes ad duritiam &c.] Quod dicit iſtiuſmodi eſt: Nũquid poteſt Deus ſibi eſſe contrarius, vt aliud ante iuſſerit, & ſentẽtiam ſuam nouo frangat imperio: Non ita ſentiendum eſt: ſed Moyſes cum videret, propter deſiderium ſecundarum coniugum (quæ vel ditiores, vel iuniores, vel pulchriores eſſent) primas vxores interfici, aut malam vitam ducere, maluit indulgere diſcordiam, quam odia & homicidia perſeuerare. Simulque conſidera, quod non dixit: Propter duritiã cordis veſtri permiſit vobis Deus, ſed Moyſes: vt iuxta Apoſtolum, conſilium ſit hominis, non imperium Dei. *To. 6. lib. 3. Com. in cap. 19. Matthæi.*

*Multa permittuntur ex conſilio hominum nõ imperio Dei quæ non ſunt ſcripta.*

RESPONDENS autem Ieſus, ait eis: Amen dico vobis, &c.] Latrant contra nos gentilium canes in ſuis voluminibus, quæ in impietatis proprię memoriam reliquerunt, aſſerentes apoſtolos non habuiſſe fidem: quia montes transferre non potuerint. Quibus nos reſpõdebimus, multa facta eſſe ſigna à Domino, iuxta Ioãnis Euangeliſtæ teſtimonium, quæ ſi ſcripta eſſent, mundus capere nõ poſſet. Non quo mũdus volumina capere non potuerit, quæ poteſt (quãuis multiplicia ſint) vnum armariolum, vel vnum capere ſcrinium: ſed quod magnitudinem ſignorum, præ miraculis & incredulitate ferre non poſsit. Igitur & hæc credimus feciſſe apoſtolos, ſed ideo ſcripta non eſſe, ne infidelibus contradicẽdi maior darẽtur occaſio. Alioquin interrogemus eos, vtrum credant his ſignis, quæ ſcripta narrantur, an nõ. Et cum incredulos viderimus, conſequẽter probabimus, nec maioribus eos credituros fuiſſe, qui minoribus non crediderint. *Tom. 6. lib. 3. Com. in c. 21. Matthæi Canone 45.*

*Ioan. 20.*

*Multa miracula nõ ſunt ſcripta in euangeliſtis.*

VELLEM eſſe apud vos modo, & mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis.] Scriptura diuina ędificat & lecta: ſed multo plus prodeſt, ſi de literis vertatur in vocem: vt qui per epiſtolam docuerat, præſens inſtruat audientes. Magnam ſiquidem vim habet vox viua, vox de auctoris ſui ore reſonans: quę ea pronunciatione profertur atque diſtinguitur, qua in hominis ſui corde degenerata eſt. Sciens itaq; Apoſtolus maiorem vim habere ſermonem, qui ad præſentes fiat, cupit vocem Apoſtolicam literis cõprehenſam in præſentiam commutare, & quia hoc magis expediebat his, qui in errorem fuerant deprauati, viuo eos ad veritatem retrahere ſermone. *To. 6. lib. 2. Com in cap. 4. ad Galatas.*

*Maior vis viuæ vocis quã literæ ſcriptæ.*

HVIVS rei gratia reliqui te, &c.] Paulus vt ſapiens architectus (& hoc omni labore contendẽs, ne in præparatis glorìaretur, ſed vbi necdum CHRISTVS fuerat enunciatus) poſtquam dura Cretenſium ad fidem CHRISTI corda mollierat, & tam ſermone quàm ſignis edomuerat, & edocuerat eos, non in vernaculum Iouem,

*Rom. 15.*

ſed in Deum patrem,& in Chriſtum credere,re-
liquit Titum diſcipulum Cretę, vt rudimenta
naſcentis eccleſiæ confirmaret,& ſi quid videba-
tur deeſſe,corrigeret.ipſe pergens ad alias natio-
nes,vt rurſum in eis Chriſti iaceret fundamentũ.

*Correctione & additione indigebat doctrina Pauli.*

Quod autem ait: vt ea quæ deerant, corrigeres:
oſtendit necdum eos ad plenam veniſſe ſcientiã
veritatis: & licet ab Apoſtolo correcti fuerint,
tamẽ adhuc indigere correctione. Omne autem
quod corrigitur, imperfectum eſt. Nã & in Græ-
co præpoſitionis adiectio, qua ſcribitur ἐπιδιο-
ρθώσῃ,nõ idipſum ſonat quod διορθώσῃ, id eſt, cor
riges: ſed vt ita dicam ſuper corrigeres: vt ſcilicet
ea quæ à me correcta ſunt, necdum ad plenam
veri lineam ſunt retracta, à te corrigantur,& nor
mam æqualitatis accipiant. *Tom.6.lib. Com. in ca.1. ad Titum.*

CVM miſero ad te Arteman aut &c. ] Legi-
mus in exordio iſti⁹ epiſtolæ: huius rei gratia re-
liqui te Cretæ, vt ea quæ deerant corrigas,& con
ſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut ego tibi
diſpoſui: vt quia Cretenſes nuper crediderant,
recedente Paulo, & ad alias eccleſias tranſeunte,
non dimitterentur orphani, ſed haberent Apo-
ſtolicum virum, qui ea quæ videbantur deeſ-
ſe,corrigeret. Quia ergo poſt fundamentum ali-
arum eccleſiarũ neceſſarius erat Tytus,qui ędifi-
cium ſuper ſtrueret, ſcribit ei, vt cum Arteman,
vel Tychicum (vnum ſcilicet è duobus qui ſecũ
fuerant) Cretam miſiſſet, impleturus locum eius
ipſe Nicopolim veniret, ibi ſe hyematurum eſſe
conteſtans, ex quo paternos Pauli in Cretenſes
probemus affectus. Neceſſarium habet Titum
in euangelij miniſterium, tamen non eum ante
ſe vult venire, niſi in locũ eius Artemas, vel Ty-
chicus ſucceſſor aduenerit. *Tom.6.lib.1. Com. in cap.3. ad Titum.*

## *Obiectio contraria.*

VNDE & in conſequentibus præcipitur: nè
vltra quã de eo nobis ſcriptum eſt, requi-
ramus; ne velit homo plus ſcire quam ſcri-

*Eadẽ ratio ſoluendæ huius obiectionis, quæ fuit & ſuperiorum.*

ptura teſtata eſt. Cum enim de ſtatu noſtro ig-
noremus,& vita noſtra quaſi vmbra tranſeat, &
futura incerta ſint: non nobis expedit vt maiora,
quam poſſumus, inquiramus. *Tom.5. Comment. in cap.6. Eccleſiaſtis.*

## *Articulus. VII. Traditiones & conſuetudines particulares, quæ neque cum fide neque bonis moribus pugnant, piè in Eccleſijs retineri & obſeruari.*

DE ſabbato quod quæris, vtrum ieiunandũ
ſit; et de euchariſtia, an accipiẽda quotidie,
quod Romanę eccleſię, & Hiſpaniæ obſer-

*Duæ traditiones particulares obſeruandæ proponũtur.*

uare prohibentur: ſcripſit quidam & Hippoly-
tus, vir diſertiſsimus, & carptim diuerſi ſcripto-
res è varijs auctorib. edidere: ſed ego illud te bre
uiter admonendũ puto, traditiones eccleſiaſticas
præſertim quæ fidei non efficiant, ita obſeruan-
das, vt à maioribus traditæ ſunt, nec aliorum cõ-
ſuetudinem aliorum contrario more ſubuerti:
atq; vtinam omni tempore ieiunare poſsimus: qꝫ

*Act. 13.20. 27.*

in Actib. Apoſt. diebus Pentecoſtes & in die Do-
minico. Apoſtolum Paulum & cum eo credentes
feciſſe legimus. Nec tamen Manichææ hæreſeos
accuſandi ſunt, cum carnalis cibus præferri non
debuerit ſpirituali. Euchariſtiam quoque abſq;
condemnatione nõſtri, & pungente conſcientia,
ſemper accipere & Pſalmiſtam audire, dicẽtem:

*Pſal.33.*

Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus,

*Pſal. 44.*

& cum eo canere: Eructauit cor meum verbum
bonum. Nec hoc dico, quod Dominicis dieb. ie-

*Præcepta maiorum leges apoſtolicæ.*

iunãdum putem, & contextas quinquaginta die-
bus ferias auferam: ſed vnaquæque prouincia a-
bundet in ſenſu ſuo, & præcepta maiorum leges
Apoſtolicas arbitretur. *Tom.1. Epiſtol.28. ad Lucinium in medio.*

VELLEM me doceret benigna ſinceritas tua,
vtrum ſimulatè quiſquam ſanctus orientalis,
cum Romam venerit, ieiunet ſabbatho, excep-
to illo die paſchalis vigiliæ. Quod ſi malum eſſe

*Quædã traditiones nec abſolutè bonæ nec abſolutè malæ ſed adiaphora.*

dixerimus, non ſolum Romanam eccleſiam, ſed
etiam multas ei vicinas, & aliquanto remotiores
damnabimus, vbi mos idem tenetur & manet.
Si autem, non ieiunare ſabbatho, malum puta-
uerimus: tot eccleſias orientis, & multo maiorẽ
orbis Chriſtiani partem qua temeritate crimina
bimur? Placet ne tibi, vt medium quiddam eſſe
dicamus, quod tamen acceptabile ſit ei, qui hoc
non ſimulatè, ſed congruente ſocietate atque ob
ſeruantia fecerit? & tamen nihil inde legimus in
canonicis libris, pręceptum eſſe: Chriſtianis quã-
to magis illud malum dicere non audeo, quod
Deum præcepiſſe ipſa Chriſtiana fide negare nõ
poſſum: quia didici nõ eo me iuſtificari, ſed gra-
tia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrũ?
*Tom.2. Epiſt.97. ad Hieronymum.*

## *Articul. VIII. Quod Paulus ad Coloſſenſes 2. capite in fine, & paſſim ſcriptura ſacra non reijciat conſuetudines & traditiones eccleſiaſticas, ſed Iudaicas, aduerſus Caluinum.*

*Coloſ.2.*

QVID velit intelligi; quod idem Apoſtolus
ſcribit ad Coloſſenſes: Nemo vos ſuperet
volens in humilitate mẽtis & religione an-
gelorum, quæ non vidit, ambulans fruſtra infla-
tus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput, ex quo
totum corpus per nexus, & coniunctiones ſub-
miniſtratum & coniunctum creſcit in augmen-

*2.Cor.11.*

tum Dei, & reliqua. Illud quod crebro diximus:
Et ſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia: ne-

*De conſciẽtiæ veritate loquitur Paulus.*

quaquam Paulum de humilitate, ſed de conſci-
entiæ veritate dixiſſe, etiam nunc approbamus.
Profundos enim & reconditos ſenſus lingua non
explicat, & cum ipſe ſentiat quid loquatur; in a-
lienas aures puro non poteſt transferre ſermone.
Quem cum in vernacula lingua habeat diſertiſ-
ſimum, quippe Hebræus ex Hebræis, & erudit⁹

*Actor.22.*

ad pedes Gamalielis, viri in lege doctiſsimi, ſe i-
pſum interpretari cupiens inuoluitur, ſi autem
in Græca lingua hoc ei accidit, quam nutritus in
Tharſo Ciliciæ à parua ætate imbiberat; quid
de latinis dicendum eſt, qui verbum de ver-
bo exprimere conantes, obſcuriores faciunt ei-
us ſententias, & veluti herbis creſcentibus fru-

*Paraphraſis obſcuri loci Paulini.*

gum ſtrangulant vbertatem? Conabimur ita-
que παραφραστικῶς ſenſus eius euoluere, & tri-
cas implicati eloquij ſuo ordini reddere, at-
que iuncturæ: vt ſimplici ſtamine verborum fi-



lia decurrant, puroq; ſub tegmine, Apoſtolici ſer
monis textura ſuccreſcat. Nemo vos ſuperet, id

*Phraſes Paulinæ patriæ. 1. Cor. 4. Rom.6.*

eſt, nemo aduerſum vos brauium accipiat: hoc e-
nim Gręco dicitur, καταβραβευέτω, quando quis
in certamine poſitus iniquitate agonothetæ, vel
inſidijs magiſtrorum βραβεῖον, & palmam ſibi
debitam perdit. Multaq; ſunt verba, quibus iux-

*2.Cor.12.*

ta morem vrbis & prouinciæ ſuæ familiarius A-
poſtolus vtitur: è quibus, exempli gratia, pauca
ponenda ſunt. Mihi autem parum eſt iudicari ab
humana die, hoc eſt, ἀπ' ἀνθρωπίνης ἡμέρας. Et hu
manum dico, hoc eſt, ἀνθρώπινον λέγω. Et οὐ κατεν-
άρκησα ὑμᾶς, hoc eſt, nõ grauaui vos, & quod nũc
dicitur μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω, id eſt, nullus
brauium accipiat aduerſum vos. Quibus, & alijs
multis verbis vſq; hodie vtũtur Cilices. Nec hoc

*Act.2.*

miremur in Apoſtolo, ſi vtatur eius linguæ con-
ſuetudine. in qua natus eſt, & nutritus, cum Vir-
gilius, alter Homerus apud nos, patriæ ſuæ ſe-
quens conſuetudinem, ſceleratum frigus appel-
let. Nemo ergo vos ſuperet, ac deuincat, volens

*Humilitas literæ non ſequenda ſed ſpiritualis intelligentia & exempla futurorum relinquenda*

humilitatem litterę ſequi, & angelorum religio-
nem, atq; culturam: vt nõ ſeruiatis ſpirituali in-
telligentiæ, ſed exemplaribus futurorum, quæ
nec ipſe vidit qui vos ſuperare deſiderat, ſiue vi-
det, (vtrumque enim habetur in Græco) præſer-
tim cum tumens ambulet, incedat in ſtatus, men-
tiſq; ſuperbiam geſtu corporis præſerat: hoc e-
nim ſignificat ἐμβατεύων. Fruſtra autem inflatur
& tumet ſenſu carnis ſuæ carnaliter cuncta intel-

*Traditionũ Iudaicarum delyramenta reprehendit Paulus. 1.Cor.11. Ephe.4.*

ligens, & traditionum Iudaicarum deliramenta
perquirens, & nõ tenens caput omnium ſcriptu-
rarum illud de quo ſcriptũ eſt: Caput viri Chri-
ſtus eſt. Caput autẽ ac principium totius corpo-
ris, eorumq; qui credunt, & omnis intelligentiæ
ſpiritualis. Ex quo capite corpus eccleſię per ſuas
compages, atq; iuncturas, vitalem doctrinæ cœ-
leſtis accipit ſuccum: vt omnia paulatim mem-
bra vegetẽtur, & per occultos venarum meatus,
fundatur defæcatus ſanguis ciborum, & mini-
ſtretur, atq; ſuccreſcat, immò teneatur tempe-
rantia corporis: vt de fonte capitis rigati artus,
creſcant in perfectionem Dei, & impleatur Sal-

*Ioan 17. 1.Cor.15.*

uatoris oratio: Pater volo, vt ſicut ego, & tu v-
num ſumus, ſic & iſti in nobis vnum ſint, vt poſt-
quam nos Chriſtus tradiderit patri, ſit Deus om
nia in omnibus. Tale quid & in verbis & in ſen-
ſibus, & in genere locutionis obſcuriſsimè ſcri-

*Ephe.4.*

bit ad Epheſios: Veritatem autem loquentes in
caritate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt ca-
put Chriſtus ex quo totum corpus compactum
et connexum per omnem iuncturã ſubminiſtra-
tionis, ſecundum operationem in menſuram v-
niuſcuiuſq; membri augmentũ corporis facit in
ædificationem ſui in caritate. Super quo & in cõ-

*Contra Iudaicas cerimonias agit Paulus non contra Traditiones Eccleſiaſticas. Acto.15.*

mentarijs eiuſdẽ Epiſtolæ plenius diximus. Lo-
quitur autem vniuerſa contra eos, qui credentes
ex Iudæis in Dominum Saluatorem, Iudaicas cæ
rimonias obſeruare cupiebant. Super qua re &
in actis Apoſtolorũ non parua quæſtio concitata
eſt. Vnde & ſupra Paulus ait, de ijs, qui magiſtros
legis eſſe ſe iactant: Nemo vos iudicet in cibo, &

*Colo.2.*

potu, quaſi alia munda ſint, alia immunda, aut
in parte diei feſti, vt alios dies feſtos putent, alios
non feſtos: nobis enim, qui in Chriſtum credi-
mus reſurgentẽ, iugis & æterna feſtiuitas eſt: aut
in parte neomeniæ, hoc eſt Kalendarum, & men-
ſis noui; quando decreſcens luna finitur, & noctis
vmbris tegitur: Chriſtianorũ enim lumen æter-
num eſt, & ſemper ſolis iuſtitiæ radijs illuſtra-
tur: aut in parte ſabbathorum, vt non faciant ſer-
uile opus, & onera non portent: quia nos ſumus
Chriſti libertate donati, & onera peccatorũ por-
tare deſiuimus. Hæc, inquit, omnia vmbra ſunt
futurorum, & imagines vẽturæ fœlicitatis: vt in

*In quibus Iudæi hæſitant iuxta literã nos iuxta ſpiritum tranſibimus ad Chriſtum.*

quibus Iudæi hæſitant iuxta literam, & tenentur
in terra, nos iuxta ſpiritum tranſeamus ad Chri-
ſtum: qui, ad diſtinctionem vmbrarum, nũc cor-
pus appellatur. quomodo enim in corpore veri-
tas eſt, & in corporis vmbra mendaciũ: ſic in ſpi-
rituali intelligentia mundus omnis cibus & po-
tus, & tota feſtiuitas, & perpetuæ Kalendæ, & æ-
terna requies expectanda eſt. Quærimus, quid di-

*Ioan.14.*

cere voluerit, in humilitate & religione angelo-
rum, aut quem ſenſum habeat. Ex quo Dominus

*Matt. 23.*

locutus eſt ad diſcipulos: Surgite eamus hinc: &
relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Et lo-

*Apoc. 11.*

cus, in quo Dominus crucifixus eſt, ſpiritualiter
AEgyptus vocatur, & Sodoma: omnis Iudai-

*Poſt paſſionẽ Domini omnis Iudaicarum obſeruationum cultura eſt deſtructa*

carum obſeruationum cultura deſtructa eſt:
& quaſcumque offerunt victimas, non Deo offe-
runt, ſed angelis refugis, & ſpiritibus immun-
dis. Nec mirum ſi hoc poſt paſsionẽ Domini fa-
ciant: cum per Amos quoq; Prophetam dicatur

*Amos.5.*

ad eos: Nũquid hoſtias & victimas obtuliſtis mi-
hi quadraginta annis in deſerto domus Iſraël: &
aſſumſiſtis tabernaculum molach, & ſidus Dei

*Acto.7.*

veſtri rempha, figuras quas feciſtis, vt adoretis
eas? Quod plenius in concione Iudaica Stephanus
martyr exponens, & reuoluens hiſtoriam vete-
rem, ſic locutus eſt: Et vitulum fecerũt in diebus

*Militia cæli quæ. Eſaiæ.24. Soph.1.*

illis, & obtulerunt hoſtias idolo, & lętabantur in
operibus manuum ſuarum. Conuerſus autẽ De-
us; tradidit eos, vt colerent militiam cæli: ſicut
ſcriptum eſt in libro Prophetarum. Militia autẽ
cæli, non tantum ſol appellatur, & luna, & aſtra
rutilantia, ſed omnis angelica multitudo, eorũ-
que exercitus, qui Hebraicè appellãtur Sabaoth,
id eſt virtutum, ſiue exercituum. Vnde & in E-

*Luc. 2.*

uangelio iuxta Lucam legimus: Et ſubito facta
eſt cum angelo multitudo militiæ cœleſtis, lau-
dantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſsi-
mis Deo, & in terra pax hominibus bonæ volun-

*Pſal.103.*

tatis. Facit enim Deus angelos ſuos ſpirit⁹, & mi-
niſtros ſuos ignem vrẽtem. Et vt ſciamus ſemper
eos, qui colebãt idola, licet in templo hoſtias vi-
derentur offerre, non Deo eas obtuliſſe, ſed an-

*Ezec. 29.*

gelis, per Ezechielem plenius diſcimus: dedi eis
iuſtificationes non bonas, & præcepta non bona.
Non enim ſanguinem hircorum, aut taurorum
quærit Deus, ſed ſacrificium Deo eſt ſpiritus cõ-
tribulatus: cor contritum & humiliatum Deus

*Pſal.50. Quænã ſit in Apoſtolo religio angelorum.*

non deſpicit. Et propterea qui vitulum fecerant
in Horeb, & coluerant ſydus Dei rempha, de quo
in Propheta Amos plenius diſſeruim⁹; adoraue-
runt figuras, quas ipſi fecerũt; & tradidit eos De-
us, vt ſeruirent militiæ cęli: quę nunc ab Apoſto-
lo dicitur religio angelorum. Pro humilitate in
Græco ταπεινοφροσύνη legitur, id eſt humilitas
mentis ſiue ſenſus, vere enim humilis ſenſus, &
miſeranda ſuperſtitio, Deum credere hircorum

*Colo.2.*

atque taurorũ ſanguine delectari, & nidore thy-
miamatis, quẽ ſæpe homines declinamus. Quod
autem ſequitur: Si mortui eſtis cum Chriſto, ab
elementis mundi: quid adhuc tamquam viuen-
te in mundo decreuitis ne tetigeris, neque guſta-

ueritis, neq; contrectaueritis, quæ ſunt omnia in intentum ipſo vſu, ſecundum præcepta doctrinas hominum, quę ſunt rationem quidem habẽtia ſapientiæ in ſuperſtitione & hũmilitate, & ad non parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis: hunc nobis habere ſenſum videtur. Curramus per ſingula, & obſcuritatem ſenſuum atq; verborum, Chriſto reſerante, pandamus. Si baptizati eſtis in Chriſto, & cum Chriſto in baptiſmate conſepulti, mortui autem ab elementis mundi, pro eo quod eſt, elementis: cur mecum non dicitis? Mihi autẽ abſit gloriari, niſi

*Gal.6.*

in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo? nec audiſtis Dominum dicentem ad patrem: de mũdo non ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo:

*Ioan.15.17.*

& mundus odit eos, quoniam non ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mundo: ſed è contrariò quaſi viuentes in mundo decernitis, ne tetigeritis corpus hominis mortui, nec veſtimentum, nec ſcabellum in quo ſederit mulier mẽſtruata:

*Leuit.11.*

neq; guſtaueritis carnem ſuillam, & leporem, & ſepiarum, & loliginum, murenæ, & anguillæ, & vniuerſorum piſciũ, qui ſquamas & pennulas nõ habent: quæ omnia in corruptionem & interitũ ſunt ipſo vſu, & ſtercore digeruntur, Eſca enim

*Deut.14.*
*1.Cor.6.*

ventri, & venter eſcis: & omne quod intrat per os non coinquinat hominem, ſed ea quæ de nobis exeunt. Secundum præcepta inquit, & doctrinas hominum: ſecundum illud quo Eſaias lo-

*Mat.15.*
*Eſaiæ.26.*

quitur: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me: Fruſtra autem colunt me docentes doctrinas hominũ & pręcepta.

*Mat.15.*
*Exod.20.21*

Vnde & Dominus corripit phariſęos, dicens. Irritum feciſtis mandatum Dei, vt traditiones veſtras ſtatueretis. Deus enim dixit: Honora patrem & matrem: & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, quicunq;

*Leuit.20.*

dixerit, patri vel matri: munus quodcunq; eſt ex me, tibi proderit: & non honorificauit patrem ſuum aut matrem: & reliqua. Quibus infert: Et irritum feciſtis mandatum Dei propter traditio-

*Aniles fabulæ Iudæorum.*

nes veſtras. Quantæ traditiones phariſæorũ ſint, quas hodie vocant δευτερώσεις, & quam aniles fabulæ euoluere, nequeo, neq; enim libri patitur magnitudo: & pleraque tam turpia ſunt, erubeſcam dicere, dicam tamen vnum in ignominiam gentis inimicæ.

*Exemplum anilis fabubulæ Iudaicæ.*
*Exod.16.*

PRAEPOSITOS habent ſynagogis, ſapientiſſimos quoſq; fœdo operi delegatos, vt ſanguinẽ virginis ſiue menſtruatæ mundum vel immundũ, ſi oculis diſcernere non potuerint, guſtũ prælibẽt. Præterea quia iuſſum eſt, vt diebus ſabbathorum ſedeat vnuſquiſq; in domo ſua, & non egrediatur, neque ambulet de loco, in quo habitat: ſi quando eos iuxta litteram cœperimus artare, vt non iaceant, non ambulent, non ſtent, ſed tantum ſedeant, ſi velint præcepta ſeruare ſolent reſpondere, & dicere: Rab akiba, & Symeon, & Hillel magiſtri noſtri tradiderũt nobis, vt bis mille pedes ambulemus in ſabbatho, & cætera iſtiuſmodi doctrinas hominum præferentes doctrinæ Dei: non quod dicamus ſedendum ſemper eſſe in ſabbatho, & de loco, in quo quis fuerit occupatus, non recedendũ, ſed quod id, quod impoſsibile legis eſt, in quo infirmatur per carnem, ſpirituali obſeruatione complendum ſit.

SEQVITVR: Quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ: Hoc loco, quidem, coniunctio ſuperflua eſt: quod in pleriſque locis propter imperitiam artis Grammaticæ Apoſtolum feciſſe reperimus. neq; enim ſequitur, ſed vel alia coniunctio, quæ ſolet ei præpoſitioni, vbi quidem poſitum fuerit, reſpondere. Videntur igitur obſeruationes Iudaicæ apud imperitos, & vilẽ plebeculam, imaginem habere rationis, humanæq; ſapientiæ, vnde & doctorẹs eorum σοφοὶ hoc eſt ſapientes vocantur, & ſi quando certis diebus traditiones ſuas exponunt, diſcipulis ſuis ſolent dicere, οἱ σοφοὶ δευτερῶσιν, id eſt ſapientes docent traditiones. Pro ſuperſtitione in græco ἐθελοθρησκεία poſitum eſt, hoc eſt falſa religio, & pro humilitate ταπεινοφροσύνη, quæ magis virtutem ſolet ſonare, quã vitium. Sed hic ταπεινοφρονεῖν, ſic eſt intelligendum, quod humilia ſentiant atq; terrena ἀφειδία autem σώματος, cuius nomen Latinus ſermo non explicat apud nos dicitur, ad non parcendum corpori: Non parcunt Iudæi corporibus ſuis in aſſumptione ciborum, contemnentes interdum quæ habent & quærentes quæ non habent, ex qua neceſsitate debilitates interdum & morbos contrahunt. Nec honorant ſemetipſos cum omnia munda ſint mundis, nihilq; poſſit eſſe pollutum, quod cum gratiarum actione percipitur, & iccirco à Domino ſit creatum vt ſaturitate & adimpletione carnis humanos artus vegetet, atque ſuſtentet. *Tomo tertio Epiſtola 151. ad Algaſiam.*

*ἐθελοθρησκεία, id eſt, falſa religio & voluntarius cultus Iudæorum.*

*Rom 14.*
*Tit.1.*

HAEC ad me locutus eſt Dominus.] Duas domus. Nazaræi (qui ita Chriſtum recipiunt, vt obſeruationes legis veteris non amittant) duas familias interpretantur. Sammai & hillel: ex quib. orti ſunt ſcribæ & phariſæi quorum ſuſcepit ſcolam Allibas, quem magiſtrum Aquilæ proſelyti autumant: & poſt eum Meir: cui ſucceſsit Iohannan filius Zachæi: & poſt eum Eliezer, & per ordinem Delphon: & rurſum Ioſeph Galilæus: & vſq; ad captiuitatem Hieruſalem Ioſue. Sammai igitur & Hillel non multo prius, quam Dominus naſceretur, orti ſunt in Iudæa, quorum prior diſsipator interpretatur, ſequens prophanus: eo quod per traditiones & δευτερώσεις ſuas legis præcepta diſsipauerint atq; maculauerint. Et has eſſe duas domus, quę Saluatorem non receperint, qui factus ſit eis in ruinam, & in ſcandalum. *To. 4. lib. 3. Com. in cap. 8. Eſaiæ.*

*Nazaræi miſcent & confundunt cũ noua lege veterem.*
*Familiæ Iudæorum per quas traditiones acceperunt.*

VAE qui condunt leges iniquas, &c. Nobis videtur contra iudices tribus Iudæ & Hieruſalem, ſcribas videlicet & δευτερώτας, ſermo propheticus conclamare, quod aduerſum legem Dei iniquas ſcripſerint leges, & traditionibus ſuis ſubuerterint iudicij veritatem. Deo enim dicente: Honora patrem tuum & matrem: Illi è contrariò monuerunt filios parentibus dicere: donum quodcunq; eſt ex me, tibi proderit, ne honorarent patrem & matrem: & cętera his ſimilia. *Tom. 4. lib. 4. Com. in cap. 10. Eſaiæ.*

MANVS enim veſtræ pollutæ ſunt ſanguine, &c.] Labia Iudæorum & lingua loquuntur iniquitatem, atq; mendacium cum pro Chriſto ſibi antichriſtum repromittant, nec ſit vllus in populo, qui inuocet iuſtitiam & iudicet veritatem. Siue vt in Hebræo habetur, fidem, quod ſcilicet credat in Chriſto: ſed confidunt in nihili, & loquuntur vanitates: Vnde Apoſtolus præcipit. ne

*Tit.1.*

attendamus Iudaicas fabulas, & mandata hominum



num aduerſantium ſe à veritate. Verè enim confidunt in nihili, & ſequũtur vanitates, in quo impletur Domini vaticinium. Ego veni in nomine patris mei; & non ſuſcepiſtis me, ſi alius venerit in nomine ſuo, illum ſuſcipietis.

*Fabulæ Iudaicæ negligendæ.*

*Sup.26.*

CONCEPERVNT laborem & pepererunt iniquitatem &c.] Qui antichriſti præſtolantur aduentum, nec poſſunt dicere, à timore tuo Domine concepimus, & parturiuimus, & peperimus, ſpiritum ſalutis tuæ fecimus ſuper terram: rectè concipiunt dolorem & parturiunt iniquitatem: vt quem multo labore perquirunt, in iniquitate ſuſcipiant: de quorum ſcriptum eſt parte: Con-

*Pſal.7.*

cepit dolorem & peperit iniquitatem. Iſti frangunt atque diſrumpunt oua aſpidum, vt earum venena in ſua mente ſuſcipiant: quibus in Euan-

*Matt.23.*

gelio dicitur. Serpentes, genimina viperarũ. Pulchreq; oua poſuit aſpidum atq; ſerpentum, quæ oua prius generare dicuntur. Et quia non ſolum malitiæ venena in cordibus ſuis retinent: ſed in lege Domini die ac nocte meditantur, aniles fabulas muſsitantes: propterea dicitur: Et telas araneæ texunt, quibus muſcas & culices & parua capiunt animantia, ad quas cum fortè quid venerit, quaſi per aerem vacuum tranſuolat.

*Aniles fabulas muſsitant Iudæi.*

Qui comederit, inquit de ouis eorũ, morietur: hoc eſt, qui conſilijs eorum acquieuerit: quomo-

*Gen.4.*

do Abel acquieuit Cain dicenti: Tranſeamus in campum: ſtatim interficietur: Siue vt LXX. tranſtulerunt: Qui voluerit de ouis eorum comedere, conterens inueniet putridium, & in ipſo regulum. Qui enim prima fronte deceptus, oua putauerit gallinarum & aliarum volucrum, quarum eſus innoxius eſt: ſi fregerit antequam comedat, ſtatim putorem teterrimum fętoremque cognoſcet, & quod conforum eſt; inueniet regulum. Siue iuxta Symmachum & Theodotionem aſpidem. Aquila autẽ viperam poſuit: Pro qua in Hebraico legitur ephe. Qui igitur audiẽs traditiones Iudaicas, ad eſcas ſe mille annorum voluerit præparare, & repromiſsionum delicijs irretitus, manum ad ouum extendere: Si antequam comdat, hoc eſt verbis mortiferis acquieſcat, voluerit prius conſiderare quod dicitur, & ſingulos ſermones diſcutere, eorumq; tractare rationem: ſtatim in ipſis reperiet antichriſtum pręparari. Ergo iuxta Hebraicum qui comederit de ouis eorum, morietur. Qui autem iuxta LXX. frãgere ante voluerit, & diligentius intueri ac videre quid latitet, reperiet fœtorem teterrimum, & principem omnium ſerpentum diabolum, in eorum latitare traditionibus. Et quia ſupra dixerat: Telas araneæ texunt: exponit quod telarum iſtarum textura non proficiat. Labor, inquit, eorum omniſq; doctrina non Chriſti efficit veſtimentum, nec pallium, quo nuditas animæ protegatur: ſed caſſo labore deſudant, dicente hoc eo-

*In tradionibus Iudaicis Antichriſto via præparatur.*
*Iudaicas traditiones qui ſequuntur texunt aranearũ telas.*

*Sup.15.*

dem propheta: Populus hic labijs me honorat: cor verò eorum lõgè eſt à me. Fruſtra autem me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominũ: quæ ſequentes, negligunt legem Dei. *Tom. 4. lib. 16. Com. in cap. 59. Eſaiæ.*

MVLTIPLICATAE ſunt iniquitates noſtrę coram te &c.] Et tranſgreſsionem quæ ſignificãtius Græcè dicitur ἀπόστασις: cum aliquis negat Deum & præuaricationis arguitur: concepimus, & locuti ſumus de corde verba mendacij, contẽnentes legem Dei & ſequentes traditiones hominum: quas illi δευτερώσεις vocant, & quas in noſtro corde ſimulauimus. Et cõuerſum eſt retrorſum iudicium, & iuſtitia longè ſtetit. Quæ enim

*2.Cor.6.*

pars iuſtitiæ & iniquitati? qui conſenſus Chriſti & Belial? Stetit iuſtitia in gentibus, & receſsit à nobis, quia corruit in platea veritas. Lata enim &

*Matt.7.*

ſpatioſa via quæ ducit ad mortem: quia anguſtam viam, in qua veritas commoratur, intrare nolebant. Et facta eſt veritas in obliuionem: de qua ſcriptum eſt: Veritas de terra orta eſt: & iu-

*Pſal.84.*

ſtitia de cælo proſpexit In quo animaduertendum, quod crebro veritas nominata ſit, vt Chriſti perſona monſtraretur quam deſerentes, ſecuti ſunt mendacium Et qui receſsit à malo, prædæ patuit. Quod quamquam videatur obſcurum, ſic ediſſeri poteſt: nobis mendaciũ de noſtro corde fingentibus, & deſerentibus legem Dei, iuſtitia longè ſtetit, & veritas corruit in plateis, & æquitas ad nos intrare non potuit, & filius Dei qui eſt veritas, factus eſt in obliuionem: intantum vt quicunque à traditionibus Iudæorum cupierit recedere, ſtatim pateret inſidijs & perſecutionibus: ita vt cæcũ à natiuitate, qui oculos receperat, expulerint de ſynagogis. Et poſt reſurrectionem Domini Saluatoris, omnes qui in eo credebant, perſecuti ſint atque nudauerint: quibus de toto orbe gentium Eccleſiæ miniſteria dirigebant, quæ per manus Apoſtolorum diſtribuerentur. *Ibidem fol. 196.*

*Quicunq; à traditionib. Iudaicis [illegible] [illegible] Iudæorum.*
*Ioan.9.*

QVI cuſtodiunt vanitates fruſtra, &c.] Poteſt hoc & ex perſona Domini de Iudæorum perfidia prophetari, qui dum ſe æſtimant præcepta hominum, & phariſæorũ mandata ſeruare (quæ vanitas atq; mendacium ſunt) Deum qui ſemper eorum miſertus fuerat, reliquerunt. *Tom. 5. Com. in cap. 2. Ionæ.*

VAE qui congregat auaritiam malam domui &c. Legi in cuiuſdam volumine, propterea can-

*Philip.3.*

tharum ſuper hæreticis intelligi, quia dogmata habeant ſtercori comparanda. Vnde & Apoſtolus doctrinę veteris errorem dicit ſe reputaſſe in in ſcybala, id eſt, in ſtercora Non quod lex vetus vt Manichæi arbitrantur ad comparationem Euangelij ſcybala computetur, (quod impium eſt dicere, cum vnius Dei vtrumq; ſit teſtamentũ) Sed quod doctrinæ phariſæorum, & pręcepta hominum & δευτερώσεις Iudæorũ ſtercora dicantur ab Apoſtolo. *Tomo quinto Commentariorum in caput quintum Habac.*

*Traditiones Iudæorum Paulo ſunt ſtercora.*

VAE qui potum dat amico ſuo mittẽs fel &c.] Audiui Liddæ quendam de Hebręis, qui ſapiens apud illos, & δευτερώτης vocabatur narrantem huiuſcemodi fabulam. Sedechias inquit, à Nabuchodonoſor rege cæcatus in Reblatha, hoc eſt, Antiochiæ, varijſq; irriſus modis, ductus eſt Babylonem. Vbi cum quadam die Nabuchodonoſor conuiuij feſta celebraret, iuſsit ei dare potionem: qua hauſta venter potantis ſolueretur in fluxum, ac ſubitò introductum ante ora epulantium, cõpulſumq; vi ventris pollutũ eſſe ſtercore, & hoc eſſe quod nunc hic ſcriptura dicat: Væ qui potũ dat amico ſuo: mittens fel ſuum & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius, & ignominiam pro gloria: quod ſcilicet ille qui rex potentiſsimus fuerat, ad tale dedecus per eum ſit deductus. Vnde & comminatur ei Deus, quod & ipſe bibiturus ſit huiuſmodi potionem, & paſſurus omnia quæ paſſus eſt Sedechias. Hoc quam ridiculum ſit, me

*Ridicula anilis & fabuloſa traditio Iudaica.*

ſit, me tacente cognoſcitis. Si enim quod ſequitur Bibe tu quoq; & conſopire & circundabit te calix dextræ Domini, & vomitus ignominæ ſuper gloriam tuam, non de calice intelligunt, ſed de malis quæ bibitur⁹ eſt Nabuchodonoſor: ergo & ille calix quo Sedechiæ propinatum eſt, mala sũt intelligenda: non vt illi volunt καθαρτικὸν. Sin autem dicunt verè factum, & temperatã huiuſmodi potionem, vt ſupra retuli: ergò & calix iſte quem bibiturus eſt Nabuchodonoſor καθαρτικῶ exiſtimandus eſt [plenus vt Deus ſabaoth & Dominus omnipotens pro vindicta magna Nabuchodonoſor propinet καθαρτικὸν, & faciat eum ſuo ſtercore pollui. Hoc aduerſus Iudaicam traditionem. *Ibidem.*

QVI ergo ſoluerit vnum, &c.] Sugillat phariſæos, qui contemptis mandatis Dei ſtatuebant proprias traditiones: quod non eis proſit doctrina in populis, ſi vel paruum quod in lege præceptum eſt, deſtruant. *Tom. 6. Comment. in ca. 5. Matthæi. Cano. 6.*

TVNC acceſſerunt ad eum ab Hieroſolymis ſcribæ &c.] Mira phariſæorum ſcribarumq; ſtultitia, Dei filium arguunt, quare hominum traditiones, & præcepta non ſeruet. Non enim lauant manus ſuas, cum panem manducant.] Manus, id eſt, opera, non corporis vtique, ſed animæ lauandæ ſunt, vt fiat illis verbum Dei.

IPSE autem reſpondens, ait illis: &c.] falſam calumniam vera reſponſione confutat: Cum inquit, vos propter tradionem hominum præcepta Domini negligatis, quare diſcipulos meos arguendos putatis, quod ſeniorum iuſſa paruipendant, vt Dei ſcita cuſtodiant.

*Honor pro eleemoſynis & munerũ oblatione capitur.*

*1 Tim. 5.*
*Deut. 25.*

NAM Deus dixit: Honora patrem & matrem &c.] Honor in ſcripturis non tantum in ſalutationibus & officijs deferendis, quantum in eclemoſynis ac munerum oblatione ſentitur: Honora, inquit, Apoſtolus, viduas, quæ verè viduę sũt: hic honor donũ intelligitur. Et in alio loco: Preſbyteri duplici honore honorandi ſunt: maximè qui laborãt in verbo & doctrina Dei. Et per hoc mandatum iubemur boui trituranti os non claudere. Et dignus ſit operarius mercede ſua. Præceperat Dñs vel imbecillitates, vel ætates vel penurias parentum conſiderãs, vt filij honorarent, etiã in vitæ neceſſarijs miniſtrandis, parentes ſuos Hanc prouidentiſsimam Dei legem volentes ſcribæ & phariſæi ſubuertere (vt impietatem ſub nomine pietatis inducerent) docuerunt peſsimos filios: vt ſi quis ea q̃ parentib. offerenda ſunt, Deo vouere voluerit, qui verus eſt pater, oblatio Domini præponatur parentum muneribus: vel certe ipſi parentes quæ Deo conſecrata cernebant, ne ſacrilegij crimen incurrerent, declinantes, egeſtate conficiebantur. Atque ita fiebat, vt oblatio liberorum ſub occaſione templi & Dei in ſacerdotum lucra cederet. Hæc peſsima phariſęorum traditio, de alia veniebat occaſione. Multi habentes obligatos ære alieno, & nolentes ſibi creditum reddere, delegabant ſacerdotibus, vt exacta pecunia, miniſterijs templi & eorum vſibus deſeruiret. Poteſt autem & hunc breuiter habere ſẽſum: Munus quod ex me eſt, tibi proderit. Compellitis, inquit, filios, vt dicant parentibus ſuis: quodcunq; donum oblaturus eram Deo, in tuos conſumo cibos: tibique prodeſt ô pater & mater: vt illi timentes accipere quod Deo mãcipatum videant, inopem magis velint vitã ducere, quam comedere de conſecratis. *Tom. 6. Com. in cap. 15. Matthæi.*

*Peßima Phariſæorum traditio impietatem ſub nomine pietatis inducebat*

QVI dixit illis: Intuemini &c.] Qui cauet à fermento phariſæorum & Sadducæorũ legis ac litteræ præcepta non ſeruat: traditiones hominũ negligit, vt faciat mandatum Dei. *Tom. 6. li. 2. Co. in cap. 16. Matthæi. Cano. 32.*

*Fermentum Phariſæorũ traditio perverſa & hæretica dogmata.*

SCIENS autem Ieſus, dixit: Quid & cæt.] Si fermentum phariſæorum & Sadducæorum non corporalem panem, ſed traditiones peruerſas, & hæretica ſignificat dogmata: quare & cibi quib. nutritus eſt populus Dei, non veram doctrinam integramq; ſignificent? *Ibidem.*

AVDISTIS enim conuerſationem &c.] Et prudenter, dum aliud narrat, interſerit non tam Dei ſe ſeruiſſe legi quã paternis, id eſt, phariſæorum traditionibus: qui docent doctrinas & mandata hominum, & reijciunt legem Dei, vt ſtatuant traditiones ſuas. *Tom. 6. lib. 1. Commentariorum in cap. 1. ad Galatas.*

*Nihil traditionis Iudaicæ admittendũ in ſacris literis.*

NOS ſpiritualem, quia omnia iudicet, & ipſe à nemine dijudicetur, eum virum dicimus, qui vniuerſa ſcripturarum ſacramẽta cognoſcẽs, ſublimiter ea intelligat, & Chriſtum in diuinis libris, vidẽs, nihil in eis Iudaicæ traditionis admittat. *Tomo ſexto libro ſecundo Commentariorum in cap. 4. ad Gal.*

NEQVE enim qui circunciſi ſunt, &c.] Propter infirmitatem, inquit carnis lex impleri non poteſt. Vnde & Iudæi præcepta magis hominum & doctrinas quam Dei mandata cuſtodiunt, neque corporalem facientes legẽ (impoſibile quippe eſt) neq; ſpiritualem, quam non intelligunt. Vnde hoc eſt omne quod ſtudent, quod agunt, quod nituntur, vt apud Iudæos de veſtræ carnis iniuria glorientur, & iactitent ſuo gentes magiſterio circunciſas. Hoc autem totum faciunt, vt Iudæis placeant, ex expugnatæ legis inuidia conquieſcat. *Tom. 6. lib. 3. Commentariorum in caput ſextum ap Galatas.*

*Sanitas doctrinæ & fidei.*
*1. Tim. 6.*
*2. Tim. 1.*

INCREPA illos acriter. Mendaces quippe ſunt & malæ beſtię, & ventres pigri, qui falſa perſuadent, qui ferarum ritu ſanguinem ſitiunt deceptorum, & non cum ſilentio operantes, ſuum panem manducant: quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione eorum, & increpa vt ſani ſint in fide. De qua fidei ſanitate & in conſequentibus loquitur: Senes ſobrios, eſſe honeſtos, pudicos, ſanos in fide, & charitate, & patientia: ad quã fidei ſimilitudinem, doctrinæ quoq; ſanitas appellatur. Erit (ait) tempus quando ſanæ doctrinæ non acquieſcẽt. Sunt & ſermones ſanitatis, de quibus ad Timotheum in prima Epiſtola loquitur: Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ. Et in ſecunda: Exemplum habens ſanorum verborum, quæ à me audiſti. Qui hãc habent fidei & doctrinæ ſanitatem atque verborum, non attendent Iudaicis fabulis, & mandatis hominum auerſantium ſe à veritate. Acquieſcamus pauliſper Iudæis, & eorum qui apud eos ſapientes vocantur, patienter ineptias audiamus, & tunc intelligemus quæ ſint Iudaicæ fabulæ ſine auctoritate ſcripturæ, ſine vlla aſſertione rationis, anilia quædam & fabuloſa fingentium, de quibus Eſaias prophetauit dicens: Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè eſt à me. Sine cauſa autem colunt me docentes doctrinas & mandata hominum. Quod teſtimonium Saluator in Euangelio comprobans arguit eos legi Dei mandata hominum prætuliſſe. Deus quippe ait: Honora patrẽ & matrem. Illi verò tradiderunt: quia quicunq; dixerit patri & matri: Munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit: non honorificauit patrem ſuum & matrem. Si quis poſt aduentum Chriſti conciditur, & non circunciditur, Iudaicis ſeruit fabulis, & mandatis hominum auerſantium veritatem. Non enim qui in manifeſto Iudæus eſt, ſed qui in occulto: & circunſio cordis in ſpiritu, non litera. Si quis paſcha agit non in azymis ſinceritatis & veritatis, vt exterminet ex anima ſuã omne vetus fermentum malitiæ & nequitiæ, iſte attendit fabulas, & vmbras ſequitur, veritate neglecta. Si quis non reſurgens cum Chriſto, nec quærens ea quæ ſurſum ſunt, ſed quæ deorſum dicit: Ne tetigeris ne guſtaueris, ne tractaueris, quæ ſunt in corruptione ipſo vſu ſecundum pręcepta & doctrinas hominum, iſte ſequitur iuſtitias non bonas, & præcepta non bona. Vbi autem eſt veritas & lex ſpiritualis, ibi iuſtificationes bonæ, & præcepta ſunt optima, quæ qui fecerit, viuet in eis. *Tomo ſexto libro primo Commentariorum in cap. 1. ad Titum.*

*Iudaicæ fabulæ aduerſantur ſanæ doctrinæ.*



*Eſaiæ. 29.*
*Mat. 15.*
*Col. 2.*

## CAPVT Nonum De Petro Apoſtolo, Romano pontifice, et Apoſtolica ſede & fide.

### Articulus I. Petrum primum fuiſſe & cap. Apoſtolorum.

NVLLI te vnquam de generis nobilitate præponas, neq; obſcuriores quaſq;, & humiliore loco natas, te inferiores putes. Neſcit religio noſtra perſonas accipere, nec conditiones hominũ, ſed animos inſpicit ſingulorum ſeruum & nobilem de moribus pronunciat. Sola apud Deum libertas eſt, non ſeruire peccatis. Summa apud Deum eſt nobilitas clarum eſſe virtutib. quid apud Deum in viris nobili⁹ Petro qui piſcator & paup fuit? quid in feminis beata Maria illuſtrius, quæ ſponſa fabri deſcribitur? ſed illi piſcatori & pauperi cœleſtis regni à Chriſto creduntur claues: hæc ſponſa fabri meruit eſſe mater illius, à quo ipſi claues datę ſunt, elegit enim Deus ignobilia, & contẽptibilia huius mundi vt potentes ac nobiles ad humilitatem facilius adduceret. *Tom. 1. Epiſt. 14. ad Celantiam cap. 6.*

*Petro in viris apud Deum nil nobilius.*
*Mat. 16.*
*1. Cor. 1.*

SVCCEDIT in pontificatum vir inſignis Anaſtaſius, quem diu Roma habere non meruit, ne orbis caput ſub tali Epiſcopo truncaretur: immo iccirco raptus, atq; translatus eſt, ne ſemel latam ſententiam precibus ſuis flectere conaretur: dicente Domino ad Hieremiam: Ne oraueris pro populo iſto, neq; depreceris in bonum, quia ſi ieiunauerint, non exaudiam preces eorum: & ſi holocauſta & victimas obſtulerint, non ſuſcipiam eos, in gladio enim, & fame, & peſtilentia ego cõſumam eos. *Tom. 1. Epiſt. 16. ad. Principiam. cap. 4.*

*Roma orbis caput ob ſedem Petri.*
*Hier. 14.*

QVOD ignotus ad ignotum audeo ſcribere, ſanctæ ancillæ Chriſti Hedibiæ, & filiæ meę, coniugis tuæ Artemiæ, immo ſororis ex coniuge atque conſeruæ, fecit deprecatio: quæ nequaquam propria ſalute contenta, tuam & ante quęſiuit in patria, & nunc in ſanctis locis quærit, imitari cupiens Andræ & Philippi Apoſtolorum beneuolentiam, quorum vterq; inuentus à Chriſto, fratrem Simonem, & amicum Nathanael inuenire deſiderat, vt alter eorum mereatur audire: Tu es Simon filius Iohanna, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Alter donũ Dei (hoc enim lingua noſtra ſonat Nathanael) Chriſti ad ſe loquentis teſtimonio ſubleuetur Ecce vere Iſraelita: in quo dolus non eſt. *To. 1. Epiſt. 46 ad Ruſt. c. 1.*

*Ioan. 1.*
*Magnũ meritum Petri quod vocatur Cephas id eſt ſaxum ſoliditatis fundamentum.*

CRITO. Hæc argumentatio tortuoſa eſt Eccleſiaſticam ſimplicitatem, inter philoſophorũ ſpineta concludens. Quid Ariſtoteli & Paulo? Quid Platoni & Petro? vt ille enim princeps philoſophorum, ita hic Apoſtolorum fuit, ſuper quẽ Eccleſia Domini ſtabili mole fundata eſt, quæ nec impetu fluminis, nec vlla tempeſtate concutitur. *Tomo ſecundo libro primo Dialogorum aduerſus Pelagianos cap. 4.*

*Vt plato ſuit princeps philoſophorum: ſic Petrus Apoſtolorum.*
*Mat. 16.*

TANTAE autoritatis Petrus fuit, vt Paulus in Epiſtola ſua ſcripſerit. Deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim. Ruſumque in conſequentibus. Poſt annos quatuordecim aſcendi iterum Hieroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito, aſcendi, autem ſecundum reuelationem, & contuli cum eis Euangelium, quod prædico in gentibus: oſtendens ſe non habuiſſe ſecuritatem prædicandi Euangelij, niſi Petri, & cæterorum Apoſtolorum, qui cum eo erant, fuiſſet ſententia roboratum. *Tom. 2. Epiſt. 89. ad Auguſt. cap. 2.*

*Gal. 1.*
*Gal. 2.*
*Summa Petri auctoritas ad Paulum Apoſtolum.*
*Euangelium Pauli Petri ſententia roboratum.*

IPSE verò Petrus, quod à Paulo fiebat vtiliter libertate caritatis, ſancta ac benigna pietate humilitatis accepit: atq; ita verius & ſanctius exemplum poſteris præbuit, quo non dedignarentur, ſicubi fortè recti tramitem reliquiſsent, etiam à poſterioribus corrigi, quam Paulus, quo confidenter auderent etiam minores maioribus, pro defendenda Euangelica veritate reſiſtere. *Tom. 2. Epiſt. 97. ad Hieronymum.*

*Paulus minor Petro.*

AGNI credendi ſunt omnes, qui in veſtibus candidis ſequuntur agnũ quocunq; vadit: Quos Dominus Petro tradidit ad paſcendum dicens: Paſce agnos meos. *Tom. 4. lib. 18. Commentario. in cap. 65. Eſaiæ.*

*Ioan. 21.*
*Agni Petro traditi.*

ET dixit ad me: Iniquitas domus Iſrael, &c.] Vias eorum & peccata reddat ſuper capita eorum: vel ſuper principale cordis, vel ſuper principes populi, iuxta Numerorum librum, in quo capita populorum principes eſſe dicuntur. *To. 4. lib. 3. Com. in cap. 9. Ezech.*

*Principes in ſcripturis capita populorũ dicuntur.*
*Amo. 6.*
*1. Reg. 15.*

ISTE erant columnæ duæ, de quibus & in Apocalypſi dicitur: Qui vicerrit, faciam eum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur. Et Petrus, ac Ioannes columnæ appellantur Eccleſiæ per quos ingredimur ad ſancta ſanctorum, & quorum doctrina, ad Chriſtum noſter introitus eſt. *Tom. 4. libro 12. Commentariorum in ca. 40. Ezech.*

*Apocal. 3.*
*Gal. 2.*
*Petrus et Iohannes columnæ Eccleſiæ.*

PRIMVS Simon, & cætera] Ordinem Apoſtolorum & meritum vniuſcuiuſque illius fuit diſtribuere, qui corde arcana rimatur. Primus ſcribitur

*Petrus in catalogo Apoſtolorum primus ponitur ob meritum ſingulare.*

*Ioan. 2.*

ſcribitur Simon, cognomento Petrus, ad diſtinctionem alterius Simonis, qui appellatu. Chananæus de vico Chana Galilæa, vbi aquam Dominus vertit in vinum. *Tom. 6. li. 1. Commentariorum in cap. 10. Matthæi.*

*Ardentiſsimæ fidei fuiſſe Petrus docetur exēplis. Infr. 16. Ibidem.*

RESPONDENS autem Petrus, dixit Domine, ſi tu es, iube me venire &c.] In omnibus locis ardentiſsimæ fidei inuenitur Petrus. Interrogatis diſcipulis quem homines dicerent Ieſum, Dei filium confitetur. Volentem ad paſsionem pergere, prohibet: & licet erret in ſenſu, tamen non errat in affectu, nolens eum mori, quem filium Dei fuerat paulò ante confeſsus. In montem cum Saluatore inter primos primus aſcendit, & in paſsione ſolus ſequitur. Peccatum negationis quod ex repentino timore deſcenderat, amaris ſtatim abluit lachrymis. Poſt paſsionem cum eſſent in lacu Genezareth, & piſcarentur, & Dominus ſtaret, in littore, alijs paulatim nauigantibus, ille non patitur moras ſed accinctus ependyte ſuo, ſtatim præcipitatur in fluctus. Eodem igitur fidei ardore quo ſemper, nunc quoq; ceteris tacentibus credit ſe poſſe facere per voluntatem magiſtri, quod ille poterat per naturam. Iube me venire ad te ſuper aquas. Tu præcipe, & ilico ſolidabuntur vndæ: leue fiet corpus, quod per ſe graue eſt. *Tom. 6. lib. 2. Commentariorum in cap. 14. Matthæi. Cano. 29.*

*Infr. 17. Infr. 26. Ibidem. Ioan. 21.*

*Petrus tanquam præſtantiſsimus dux verbi omniū Apoſt. nomine loquitur.*

VOS autem quem me eſſe dicitis, &c.] Petrus ex perſona omnium Apoſtolorum profitetur Tu es Chriſtus filius Dei viui. *Tom. 6. lib. 3. Com. in cap. 16. Mat. Cano. 33.*

*Vehementiſſimus amor Petri in Chriſtum.*

ET aſſumens eum Petrus, &c.] Sæpè diximus nimij ardoris amorisq; quàm maximi fuiſſe Petrum in Dominum Saluatorem. Quia ergo poſt confeſsionem ſuam, qua dixerat: Tu es Chriſtus filius Dei viui, & præmium Saluatoris quod audierat: Beatus es Simō Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cęlis eſt: repētè audit à Domino, oportere ſe ire Hieroſolymam, ibiq; multa pati à ſeniorib. & ſcribis, & principibus ſacerdotum, & occidi, & tertia die reſurgere: vult deſtrui confeſsionem ſuā nec putat fieri poſſe, vt filius Dei occidatur: aſſumitque eum in affectum ſuum, vel ſeparatim ducit, ne præſentibus cæteris condiſcipulus magiſtrum videatur arguere & cepit illum amantis affectu, & optantis dicere: Abſit à te Domine. Vel vt melius habetur in Græco: ἵλεώς σοι κύριε, οὐκ ἔϛαι σοι τοῦτο, hoc eſt, propitius ſis tibi Domine non erit tibi hoc: Non poteſt fieri, nec recipiunt aures meæ vt Dei filius occidendus ſit. Ad quē Dominus conuerſus ait. Vade retrò me ſatana, ſcandalum mihi es. Satanas interpretatur aduerſarius, ſiue contrarius. Quia contraria, inquit, loqueris voluntati meæ, debes aduerſarius appellari. Multi putant, quod non Petrus correptus ſit, ſed aduerſarius ſpiritus, qui hæc dicere Apoſtolum ſuggerebat. Sed mihi hic error Apoſtolicus, & de pietatis affectu veniens, nunquam incentiuum diaboli videbitur. Vade retrò me ſatana. Diabolo dicitur: Vadè retrò. Petrus audit: Vade retrò me: hoc eſt, ſequere ſententiam meā quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum. Meæ volūtatis eſt & patris (cuius veni facere voluntatem) vt pro hominum ſalute moriar: tu tuam tantum conſiderans voluntatem, non vis granum tritici in terram cadere, vt multos fructus afferat. *Ibidem.*

*Vade poſt me ſatana non ſapis ea quæ Dei ſunt hæc diuiſim legēda vt poſteriora tātum ad Petrum referantur. Sup. 4.*

*Princeps Apoſtolorum Petrus.*

FILIVS enim hominis venturus eſt in gloria & cæt.] Grandis terror audientium, & qui poſsit principe Apoſtolorū perterrito, etiam alijs metum inijcere: iccirco triſtibus læta ſuccedunt. *Ibidem.*

*Infr. 26. Mat. 13. Luc 8. Petrus priuilegia quædā habuit extra alios Apoſt.*

ET poſt dies ſex aſſumens Ieſus Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem eius.] Quare Petrus & Iacobus & Ioannes in quibuſdam Euangeliorum locis ſeparentur à cæteris: aut quid priuilegij habent extra alios Apoſtolos crebro diximus *Tomo 6. libro 3. Commentariorum in caput 17. Matthæi. Cano. 34.*

*Per Petrū docentur reliqui Apoſtoli.*

ADHVC eo loquente, Ecce nubes lucida &c.] Vox de cœlo patris loquentis auditur, quæ & teſtimonium perhibeat filio, & Petrū, errore ſublato, doceat veritatem: imò per Petrum cæteros Apoſtolos. Hic eſt, ait, filius meus dilectus: huic figendum eſt tabernaculum huic obtemperandum. Hic eſt filius, illi ſerui ſunt. Moyſes & Elias debent & ipſi vobiſcum in penetralibus cordis ſui Domino tabernaculum præparare. *Ibid.*

ET aperto ore eius inuenies ſtaterem: illum ſumens, da eis pro me, & te.] Quid primum mirer in hoc loco neſcio: vtrum præſcientiam, an magnitudinem Saluatoris. Præſcientiam, quod nouerat piſcem habere in ore ſtaterē, & quod primus ipſe capiendus eſſet. Magnitudinē atq; virtutē, ſi ad verbū eius, ſtatim ſtater in ore piſcis creatus eſt, & quod futurum erat, ipſe loquendo fecerit. Videtur autem mihi ſecundum myſticos intellectus, iſte eſſe piſcis qui primus captus eſt, qui in profundo maris erat, & in ſalſis amarisq; gurgitibus morabatur: vt per ſecundum Adam liberaretur primus Adam, & id quod in ore eius, hoc eſt, in confeſsione fuerat inuentum, pro Petro & Domino redderetur. Et pulchrè idipſum quidem datur pretium, ſed diuiſum eſt: quia pro Petro, quaſi pro peccatore pretium reddebatur. Dominus autem noſter peccatum nō fecerat: nec dolus inuentus eſt in ore eius. *Ibid. Can. 36.*

*Pro Domino & Petro idipſum ſoluitur pretium.*

*Petrus ſeorſim conuent.*

QVI didrachma exigebant, ſeorſum conuenerant Petrum. *Ibid.*

*Ex æqualitate pretij quod pro Domino & Petro ſoluitur Petrus alijs Apoſtolis præfertur.*

IN illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum & cæt.] Quia viderant pro Petro & Domino idem tributum redditum: ex æqualitate pretij arbitrati ſunt, Petrum omnibus Apoſtolis eſſe prælatū, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus: ideo interrogant quis maior ſit in regno cælorum. Vidensq; Ieſus cogitationes eorum, & cauſas erroris intelligens, vult deſiderium glorię humilitatis contentione ſanare. *Tom. 6. lib. 5. Com. in cap. 18. Matthæi. Can. 36.*

*Ardens affectus Petri erga Dominū.*

ET ſi omnes ſcandalizati fuerint in te ego nūquam ſcandalizabor.] Non eſt temeritas, nec mēdacium, ſed fides eſt Apoſtoli Petri & ardens affectus erga Dominum Saluatorem, de quo ſupra diximus. *Tom. 6. libro 4. Commentariorum in cap. 26. Mat. Cano. 59.*

ET ingreſſus intrò, ſedebat cū miniſtris, &c.] & in hoc diuerſitas decē Apoſtolorum & Petri. illi fugiunt, iſte, quanquam procul, ſequitur tamen Saluatorem. *Ibid. Can. 61.*

PAVLVS Apoſtolus, non ab hominibus, &c.] Quod ſi temerarium quibuſdam videtur eum contra Apoſtolos quamuis occultè locutum, qui Hieroſolymam iccirco perrexerit, vt cum eis cōferret Euangelium, ne forte in vacuum curreret, aut



aut cucurriſſet, illo intelligentiam trāsferamus: Vſque hodie à patriarchis Iudæorum Apoſtolos mitti, à quibus etiam tunc reor Galatas deprauatos legem obſeruare cœpiſſe: vel certè alios de Iudæis credentibus in Chriſtum perrexiſſe Galatiam, qui aſſererent Petrum quoque Apoſtolorum principem & Iacobum fratrem Domini, legis cęremonias cuſtodire. *Tom. 6 lib. 1. Com. in Epiſt. 2. ad Galatas. cap. 1.*

*Petrus apoſtolorū princeps.*

DEINDE poſt annos tres, veni Hieroſolymā videre Petrum.] Non vt oculos, genas, vultum eius aſpiceret, vtrum macilentus, an pinguis, adunco naſo eſſet, an recto: & vtrum frōte veſtiret comā: an (vt Clemens in Periodis eius refert) caluiciem haberet in capite. Nec puto Apoſtolicæ fuiſſe grauitatis, vt poſt tantam triennij præparationem, aliquid humanum in Petro voluerit aſpicere. Sed his oculis aſpexit eū, quibus & modo in epiſtolis ſuis videtur. His oculis Paulus vidit Cepham, quibus nunc à prudentibus quibuſque Paulus ipſe conſpicitur. Quod ſi cui non videtur, cum ſuperiori ſenſu iunget hæc omnia: ꝙ nihil ſibi apoſtoli contulerint. Nam & quod iuſſus ſit ire Hieroſolymam, ad hoc iſſe, vt videret Apoſtolum non diſcendi ſtudio, qui & ipſe eundem prædicationis haberet auctorem, ſed honoris priori Apoſtolo deferendi.

*Paulus Petro tanquam digniori apoſtolo honorē detulit.*

ET manſi apud eum diebus quindecim.] Nō grandi indiguit magiſterio, qui tanto ſe ad vidēdum Petrum tempore præparauit. Et licet quibuſdam ſuperfluum videatur, numeros quoque qui in ſcripturis ſanctis ſunt obſeruare: tamen non abſre arbitror quindecim dies, quibus apud Petrum Paulus habitauit, plenam ſignificare ſcientiam, conſummatamq; doctrinam. Siquidem quindecim ſunt carmina in Pſalterio, & quindecim gradus per quos ad canendum Deo, & in atrijs eius conſiſtendum iuſtus aſcendit. Ezechias quoque quindecim annorum ſpacio ſibi ad vitam dato, ſignum accipere meretur in gradibus: & Solennitates Dei à quinto decimo die incipiunt. *To. 6. lib. 1. Com. in cā. 1. ad Galatas.*

*Magiſterio Petri quindecim diebus Paulus plenā ſcientiam et conſummatā doctrinā eſt aſſequutus. Eſaiæ. 38.*

AB his autē qui videbantur eſſe aliquid, &c.] Licet, inquit, Petrum & Ioannem Dominus ſecum Apoſtolos habuerit, & transfiguratum eum in monte viderint, & ſuper ipſos eccleſiæ ſit poſitum fundamentum, mihi tamen nihil refert quia non aduerſum eos loquor, qui eo tempore Dominū ſequebantur: ſed aduerſum eos loquor qui nunc legem præponunt gratiæ: nec detraho præceſſoribus, nec in aliqua parte accuſo maiores, ſed hoc dico, quia Deus perſonam hominis non accipit. Non enim accepit Moyſi, non accepit Dauid, non accepit aliorum, nec eorum ergo accipiet, qui cedere quibuſdam videntur ad tempus, tametſi ipſi mecum ſentiant. *Tom. 6. lib. 1. Co. in cap. 2. ad Galatas.*

*Eccleſiæ fundamentum poſitum ſuper Petrum.*

*Petrus maior Paulo.*

SED contra cum vidiſſent quod &c.] Pulchrè præſtruxit, dicens: Qui enim operatus eſt Petro in apoſtolatum circunciſionis, ne quis eum putaret detrahere Petro, ſed vt laudib. eius ante præmiſsis, intelligeretur Petrus ideo circunciſionē aliqua ex parte ſuſcipere, vt eos qui ſibi ex Iudæis crediti fuerant lucri faceret, & in Chriſti fide & euangelio cuſtodiret. Subintelligit etiā, quod ſi ille abſq; culpa faceret, & ad tempus obſeruādo, quod non licet, ne ſibi creditos perderet, ſe magis pro euāgelij veritate facere debere quod ſibi creditū eſt in præputio, ne gentes legis onere & difficultate deterritæ, à Chriſti fide & credulitate diſcederent. Occulta hic oritur quæſtio. Quid igitur: Petrus ſi inueniſſet ex gentibus, nō eos adducebat ad fidem? Aut Paulus ſi ex circunciſione aliquos reperiſſet, non eos ad Chriſti baptiſmum prouocabat? Quæ ita ſoluitur, vt dicamus principale ſingulis in Iudæos & gentes fuiſſe mandatum, vt qui defendebant legem, haberent quem ſequerentur, qui legi gratiam præferebant, non deeſſet eis doctor & præuius. In commune verò hoc eos habuiſſe propoſiti, vt Chriſto ex cunctis gentibus Eccleſiam congregarent. Legimus enim & à S. Petro gentilem baptizatum fuiſſe Cornelium, & à Paulo in ſynagoga Iudeorum, Chriſtum ſæpiſsimè prædicatum. Petrus, & Ioannes, & Iacobus, qui videbantur columnæ eſſe, ter ſupradictum de Apoſtolis legimus: ſeorſum autem his qui videbantur, & ab his qui videbantur eſſe aliquid, & mihi. n. qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt. Solicitus itaque requirebam quid nam eſſet quod diceret, qui videbantur, ſed nunc me omni ſcrupulo liberauit adijciens, qui videbantur columnę eſſe. Columnæ igitur eccleſiæ ſunt Apoſtoli, & maximè Petrus, Iacobus, & Ioannes, ex quibus duo cum Domino aſcendere merentur in montem, quorum vnus in Apocalypſi Saluatorem introducit loquentem. Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei: docens oēs credentes qui aduerſarium vicerint, poſſe columnas eccleſiæ fieri. Ad Timotheum verò Paulus ſcribens ait: Vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt eccleſia Dei viui, columna autem & firmamentum veritatis. His & cæteris inſtruimur, tàm Apoſtolos omneſq; credentes, quā ipſam quoq; eccleſiam columnam in ſcripturis appellari, & nihil intereſſe de corpore ꝙd dicatur, an membris, cum & corpus diuidatur in mēbra, & membra ſint corporis. *Ibid. Fol. 127.*

*Paulus non detrahit Petro ſed eum laudibus extollit.*

*Acto. 10. Acto. 13. & 17.*

*Matt. 17. Omnes apoſtoli columnæ eccleſiæ ſed maximè Petrus. Apoc. 3.*

*1. Tim. 3.*

*Eccleſia dicitur columna.*

*Regula. Quæ in ſcripturis de toto corpore nempe eccleſia dicuntur, ea pertinent & ad ſingula membra.*

CVM autem veniſſet Petrus Anthiochiā &c.] Et quomodo cum etiam de minimis fratrib. hoc faciendū iuſſerit, auſus eſt Apoſtolorum maximum in publica facie tam procaciter, tam conſtanter arguere: niſi & Petro ſic placuiſſet argui, & Paulus non ei faceret iniuriam, de quo ante dixerat: Vadi Hieroſolymam videre Petrū, & mānſi apud eum diebus quindecim: alium autem Apoſtolorum vidi neminem. *Ibid. Fol. 128.*

*Petrus apoſtolorum maximus.*

SED cum vidiſſem quod non recto pede &c.] Quod ſi cui iſte non placet ſenſus, quo nec Petrus peccaſſe, nec Paulus procaciter oſtēditur arguiſſe maiorē: debet exponere qua cōſequentia hoc Paulus in altero reprehēdat, ꝙ ipſe cōmiſit. *Ibid.*

*Petr9 Paulo maior.*

QVI autem conturbat vos, portabit iudiciū, quicunque eſt ille.] Occultè, inquiunt, Petrum lacerat, cui ſupra in faciē reſtitiſſe ſeſcribit, quod non recto pede inceſſerit ad euangelij veritatē. Sed nec Paulus tā procaci maledicto de eccleſiæ principe loqueretur nec Petrus dignus, q cōturbatę eccleſię reus fieret. Ex quo arbitrandū eſt de alio quodā dici, q aut cū Apoſt. fuerat, aut de Iudæa venerat, aut ex phariſæis crediderat: aut certè magnus ſit apud Galatas æſtimatus, vt portet iudicium eccleſiæ cōturbatæ, quicumq; eſt ille. *Tom. 6. lib. 3. Co. in cap. 5. ad Galatas. Fol. 149.*

*Petrus Eccleſiæ princeps.*

NON eſt qui faciat, &c.] Hic apparet quod iſte Pſalmus ad paſsionem pertinet: quia nullus de diſci-

*Petrus caput eccleſiæ.*

diſcipulis, neq; Petrus, qui caput eccleſię eſt, quia & ipſe negauit: nullus de hominibus, quia totus mundus ad inferiorem partem declinauerat, pręter vnum hominem, qui eſt Chriſtus. *To.7. Com. in Pſalmum 13.*

*Creſcentibus meritis noua nomina imponuntur ſanctis: ſic et Petro.*

NEC memor ero nominum eorum per labia mea.] Vox Chriſti. Nec memor ero iſtorum Apoſtolorum nominum, quę prius ante fidẽ habuerunt. Illa non recordabor: quia creſcentibus meritis, nomina addita ſunt noua, ſicut Abraham, ſicut & Sara, ſicut Petro, & reliquis: qui antea ſerui peccati, ſed poſtea amici: ſicut Dominus dixit: Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos. Et ſanctus Paulus fuerat, quando dicebat: Fuimus aliquando & nos ſtulti & increduli, ſicut & cæteri: ſed miſericordiam Dei conſequuti ſumus. Et iterum: Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis. *To.7. Com. in Pſal.15.*

## *Articulus. II. Petrum eſſe fundamentum Eccleſiæ.*

*Matt 16. & 18.*
*Eccleſia ſuper Petrum fundata.*
*Petro capite conſtituto ſchiſmatis tollitur occaſio.*
*Cur Petrus & non Ioannes caput eccleſiæ ſtatuatur.*
*Ioan.14.*
*Luc.9.*

SI obnoxiè contenderit, Ioannem virginẽ non fuiſſe; & nos amoris præcipui cauſam virginitatem diximus. exponat ille; ſi virgo non fuit, cur cæteris apoſtolis plus amatus ſit? At dicis, ſuper Petrum fundatur Eccleſia: licet idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat; & cuncti claues regni cælorum accipiant; & ex æquo ſuper eos eccleſiæ fortitudo ſolidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur; vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio. Sed cur non Ioãnes electus eſt virgo? Aetati delatum eſt, quia Petrus ſenior erat: ne adhuc adoleſcens, ac pene puer, progreſſæ ætatis hominibus præferretur: & magiſter bonus, qui occaſionem iurgij debuerat auferre diſcipulis, & qui dixerat eis, Pacem meã do vobis, pacẽ meã relinquo vobis: Et. Qui voluerit inter vos maior eſſe, minimus omnium ſit: in adoleſcentem, quem dilexerat, cauſam prębere videretur inuidiæ. *Tom.2. lib.1. contra Iouinianum cap.14.*

*Matt.16.*
*Dominus eccleſiam ſuper Apoſtolũ Petrum fundauit.*

SI Apoſtolus Petrus, ſuper quem Dominus fundauit eccleſiam, & prophetiam, & promiſsionem Domini, illo tempore completam memorauit; quomodo poſſumus nobis aliud tẽpus vindicare? *To.2. Epiſt.54. ad Marcellam.*

*Matt.16.*
*Super principem apoſtolorum Petrum eccleſia ſtabili mole fundata.*

CRITO. Hæc autem argumentatio tortuoſa eſt, eccleſiaſticam ſimplicitatem inter philoſophorum ſpineta concludens. Quid Ariſtoteli, & Paulo? quid Platoni, & Petro? vt ille enim princeps philoſophorum, ita hic Apoſtolorum fuit; ſuper quem Eccleſia Domini ſtabili mole fundata eſt; quæ nec impetu fluminis, nec vlla tempeſtate concutitur. *Tom.2. lib.1. Dialogorum aduerſus Pelagianos. cap.4. in fine.*

*1. Cor.10.*
*Apoſtoli & prophetæ mutuantur nomen petræ à Chriſto.*

ET petræ ſciſſæ ſunt, id eſt, dura corda gentilium, ſiue petræ, vniuerſa vaticinia prophetarũ, qui & ipſi à petra Chriſto cum Apoſtolis petræ vocabulum acceperunt: vt quidquid in eis duro legis velamine claudebatur, ſciſſum pateret gẽtibus. *Tom.3. Epiſt.150. ad Hedibiam, quæſtione.8.*

*Pſal.26.*
*1.Tim.3.*

ET erit in nouiſsimis diebus præparatus, &c.] Hic mons in domo Domini eſt, quam propheta ſuſpirat, dicens: Vnum petij à Domino, hoc requiram: vt inhabitem in domo Domini, omnes dies vitæ meæ. Et de qua Paulus ſcribit ad Timotheum: Sin autem tardauero, vt ſcias quomodo oporteat te conuerſari in domo Dei: quæ eſt eccleſia Dei viuentis, columna & firmamentum veritatis. Hæc domus ædificata eſt ſuper fundamentum apoſtolorum, & prophetarum, qui & ipſi mõtes ſunt quaſi imitatores Chriſti. De hac domo & Hieruſalem pſalmiſta conclamat, dicens: Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion non commouebitur in æternum qui habitat in Hieruſalem. Montes in circuitu populi ſui. Vnde & ſuper vnum montium Chriſtus fundat Eccleſiam, & loquutus ad eum: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. *To.4. lib.1. Com. in cap.2. Eſaiæ.*

*Eph.2.*
*Apoſtoli & prophetæ mõtes ſunt.*
*Pſal.124.*
*Super vnum montium, id eſt, apoſtol. Chriſtus fundat eccleſiã.*
*Matt.19.*

ICCIRCO hæc dicit Dominus, &c.] Iccirco miſericors & miſerator Dominus, patiẽs & multum miſericors nolentibus vobis, in fundamenta Sion, lapidem electum, & probatũ, & pretioſum, & angularem, miſſurũ eſſe ſe dicit. De quo & Apoſtolus loquitur: Quaſi ſapiens architectus fundamentum poſui. Et iterum: Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Iſte lapis verè & ſecundo appellatur lapis, ſicut & in Leuitico, homo, homo bis dicitur: & angularis lapis, quia circuncisionis & gentium populos copulauit, de quo & in Pſalmo dicitur: Lapidem quem reprobauerunt ædificãtes, hic factus eſt in caput anguli. Iſti ſunt autem ædificantes & cementarij qui nunc appellantur viri illuſores & principes populi, qui eſt in Hieruſalem. De hoc lapide & in Daniele legimus, quod exciſus ſit de monte ſine manibus, & impleuerit vniuerſum orbem, eo quod diuini germinis diſpenſatio, humanum corpus aſſumpſerit, & habitauerit in eo plenitudo diuinitatis corporaliter. Super hũc lapidẽ qui alio nomine appellatur, petra, Chriſtus ædificauit eccleſiam, & firmo iuxta Hebraicum, fundauit fundamine, in quo q̃ crediderit, non confundetur, ſiue iuxta Hebraicum, non feſtinet, ne videlicet tardus in Chriſti videatur aduentus. Si enim tardauerit iuxta Habacuc, nemo deſperet, quia veniens veniet, & ſua promiſſa complebit. *Tomo quarto libro nono Commentariorum in caput vigeſimum octauum Eſaiæ.*

*1.Cor.3.*
*Ibidem.*
*Leuit.17.*
*Sec.70.*
*Pſal.117.*
*Dan.2.*
*Col.2.*
*Primarium fundamentũ eccleſiæ Chriſtus.*
*Habac.2.*

PAVPERCVLA, &c.] Exponant Iudęi quid ſit illud quod in Prouerbijs de ſapientia dicitur: pretioſior eſt cunctis lapidibus pretioſiſsimis. Si enim Chriſtus Dei virtus & Dei ſapiẽtia eſt, ſtultum eſt Chriſtum in ſenſibilibus lapidibus comparari. Rurſumque de iudicijs Dei legimus, Iudicia Domini recta iuſtificata in ſemetipſa: Deſiderabilia ſuper aurũ & lapidẽ pretioſum multum. Ex quo palam eſt illum lapidem cæteris lapidibus comparari, de quo ſupra in hoc eodem propheta ex perſona Dei dicitur: Ecce immittam in fundamenta Sion lapidem angularem, lapidem electum, pretioſum, & qui crediderit in eo, non confundetur. Hunc lapidem reprobauerunt ædificantes, ſcribæ videlicet & phariſæi, & principes Iudæorum: quia factus eſt in caput anguli. De quo & Apoſtolus Petrus diſputans ait: Nobis ergo honor qui credimus angulari & pretioſo lectoque lapidi. Incredulis autem eſt lapis offenſionis & petra ſcandali. Qui & in Actib. Apoſt. ad principes loquitur ſacerdotũ: Iſte eſt lapis elect⁹, p̃tioſus, quẽ vos deſpexiſtis reprobãtes: qui factus eſt in caput anguli, & duos populos continet, gentium & Iſrael: Qui ædificauit ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus eſt: de qua & Apoſtolus ſcribit Corinthijs: Dei ædificatio eſtis: & quaſi architectus ſapiens fundamentum poſui, alius ſuperædificat. Vnſquiſq; autem videat quomodo ædificet. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter eum qui poſitus eſt, Ieſum Chriſtum. Si quis autem ſuper fundamentum hoc ædificat aurum, argentum & lapides pretioſos, ligna, fęnum, ſtipulã: vniuſcuiuſq; opus manifeſtum erit. De hoc fundamento & in epiſtola altera loquitur: Aedificati ſuper fundamentum apoſtolorum & prophetarum, ipſo angulari lapide Ieſu Chriſto. Et iterum: In quibus omnes ædificamini, lapides viuentes in ſacerdotiũ ſanctum, offerre ſpirituales victimas. De his lapidibus myſticè dicitur. Lapides ſancti voluuntur ſuper terram. E quibus ædificat Chriſtus eccleſiam ſuper petram, dicens in euangelio: Super hãc petram ædificabo eccleſiam meam. Quã ciuitatem qui meruerit intrare, gaudens loquitur in Domino: Sicut audiuimus ita vidimus in ciuitate Domini virtutũ in ciuitate DEI noſtri: Deus fundauit eam in æternum. Super conditore huius ciuitatis, & in alio loco dicitur: Hic ædificabit ciuitatem meam, & reducet captiuitatem populi mei. *Tom.4. lib.15. Commentariorum in caput 54. Eſaiæ.*

*Pro.3. et 16.*
*1.Cor.1.*
*Pſal.18.*
*Sup.28.*
*Pſal 117.*
*Matt.21.*
*1.Petri.2.*
*Act.4.*
*Primarium fundamentũ eccleſiæ Chriſtus.*
*1.Cor.3.*
*Eph.2.*
*1.Pet.2.*
*Secundariũ fundamentũ eccleſiæ conſtituunt apoſtoli.*
*Zach.9.*
*Sec.70.*
*Matt.16.*
*Pſal.47.*
*Sup.45.*

*Ex euẽtu rebus vocabula imponunt Hebræi.*
*Gen.12.*
*Sup 8.*
*Marc.3.*
*Ioan.1.*
בני רעם
*Chriſtus non ſolum Petra ſed et Petrus*

NON vocaberis vltra derelicta, &c.] hoc eſt Hebraicæ conſuetudinis, vt ex euentu rebus vocabula ſemper imponant, ſicut Abram, qui prius dicebatur pater excelſus, quando audiuit repromiſsionem: Et in ſemine tuo benedicentur omnes gentes, apppellatus eſt pater multarum gentium, id eſt, Abraham. Et Domino Saluatori ſupra nomen imponitur: Cito ſpolia detrahe, velociter prædare. Filij quoque Zebedæi, quorum vnus vocem tonitrui emittere poterat: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, appellati ſunt Beneraam, quod interpretatur, filij tonitrui. *Tom.4. libro 17. Com. in cap.62. Eſaiæ.*

*Cor.10.*
*Matt.16.*

PROPTEREA ecce dies veniunt, dicit, &c.] Non ſolum Chriſtus petra, ſed & Apoſtolo Petro donauit, vt vocaretur petra. In cuius ſenſibus requieſcentes, rectè dicuntur tranſlati eſſe de petra. *Tom.4. lib. Com. in cap.16. Hieremiæ.*

*Vocabulorũ mutatio & interpretatio rerum mutationem deſignat.*
*Hier.20.*

ET peruertiſtis verba Dei viuentis, &c.] Ex verbis & interpretatione nominum, ſæpè res oſtenduntur, vt Abraham, Sara, & Petri, & filiorũ Zebedæi, vocabula commutata, ſignificãt rerum mutationem, & in hoc eodẽ propheta, Phaſhur, dicitur pauor, ſiue tranſlatio, & colonus, ſiue peregrinus. *Tom.4. lib.4. Commentariorum in caput.23. Hieremiæ.*

*Epheſ 3.*
*Ibidem.2.*
*1.Pet.2.*

APOSTOLVS Paulus volens Epheſios ſacratiora cognoſcere, imprecatur eis, vt repleantur ſapientia & charitate Domini: vt radicati atque fundati, ſcire valeant & comprehendere, quæ ſit latitudo, & lõgitudo & altitudo, & profundum diuitiarum eius: & ad eoſdem loquitur: Ergo nequaquam eſtis peregrini, ſed ciues ſanctorum, & domeſtici Dei: ædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & prophetarum ipſo angulari lapide Ieſu Chriſto: in quo omnis ædificatio compacta, creſcit in templum ſanctum in Domino: in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei, in ſpiritu ſancto. Petrus quoque Apoſtolus eiſdem penè verbis, quia eodem ſpiritu, in epiſtola loquitur: Siquidem credidiſtis quoniam bonus Dominus: ad quem accedentes, lapidem viuentem, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honoratum, & ipſi vt lapides viuentes ædificamini domus ſpiritualis in ſacerdotium ſanctum, offerẽtes ſpirituales victimas, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Ex quo perſpicuum eſt, Dominum Saluatorem, qui verus architectus eſt, probare lapides, qui poſsint poni in templi fundamentis, qui in medio, qui in ſuperioribus locis, & inferiores menſuræ: vel non tam ſolidæ firmitatis in muro, & extra templum in circuitu τῆ περιβόλῳ collocari. Non eſt enim parui roboris, nec minimę firmitatis, impoſitos deſuper lapides ſuſtinere. Vnde ſcribit Apoſtolus ad credentes: Inuicem onera veſtra portantes. Et in alio loco ſcriptum eſt: nõ debere nos pondus aſſumere, quod ferre non poſſumus. *Tom.4. lib.12. Com. in cap.40. Ezech.*

*Dominus verus architectus probat lapides qui poſſunt poni in eccleſiæ fundamẽtis.*

ET impoſuit eis præpoſitus eunuchorũ, &c.] Porrò Dominus in bonam partem nomina mutat antiqua, & ex rebus imponit virtutum vocabula: vt Abram appellaret Abraham, & Sarai Saram. In euangelio quoque, quondam Simon, Petri nomen accepit, & filij Zebedæi appellati ſunt filij tonitrui: quod non vt plerique putant, boanerges, ſed emendatius legitur, beneraham. *Tom.4. lib.1. Com. in cap.1. Danielis.*

*Antiqua nomina mutat Deus ex rebus imponit nomina virtutum.*
*Gen.17.*
*Marc.3.*
בני רעם

QVASI vulpes in deſertis prophetæ tui Iſrael, &c.] Hi prophetę qui vulpium ſimiles ſunt, non ſteterunt in firmamento: nec cum Petro audire meruerunt: Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ędificabo eccleſiam meam. Nec Moyſi ſimiles ſunt, cui dictum eſt: Tu verò hic ſta mecum: nec illius qui dicit: Statuit ſupra petrã pedes meos, ſed fluctuauerunt omni vento doctrinæ. Nec ſteterunt in firmamento: de quo in octuodecimo pſalmo legimus: Cæli enarrãt gloriam Dei, & opera manuum eius enunciat firmamentum. *Tomo 4. lib.4. Comment. in cap.13. Ezechielis.*

*Petrus firmamentum eccleſiæ.*

ET eduxit me ad atrium, &c.] Et pauimentum ſtratum erat lapide: ne luto & terra & puluere peccatorum habitantium pollucrentur veſtigia, ſed vt ſuper viuos incederent lapides, quibus ædificatur templum Dei: Siue intercolumnia erãt ante thalamorum fores, quæ impoſitum deſuper ædificium ſuſtentarent. Iſtæ ſunt columnæ, de quibus & Paulus Apoſtolus ſcribit. Dexteras dederunt mihi & Barnabæ, Petrus & Ioãnes, qui videbantur colunæ eſſe. Et in alio loco: Columna, & firmamentum veritatis. Et in Ioannis Apocalypſi legimus: Qui vicerit: faciam eum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius. *Tom.4. lib.12. Commentario in caput 40. Ezechielis.*

*Apoſt. colũnæ eccleſiæ.*
*Gal.2.*
*1.Tim.3.*
*Apoc.3.*

ET factus eſt ſermo Domini, &c.] Iſti ſunt viui lapides de quibus ędificatur eccleſia, & de quibus ſcribit Apoſtolus Petrus: Si credidiſtis, quia ſuauis eſt DOMINVS: ad quem accedentes lapidem viuentem, ab hominibus quidem reprobatum à Deo autem electum & honorabilem: & ipſi ſicut lapides viuentes ædificamini domus ſpirituales in ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales victimas, placentes DEO per Ieſum Chriſtum: quoniam dicit ſcriptura: Ecce ponam in Sion lapidem angularem, electum, & pretioſum, qui credit in eo, non confundetur.

Super quo & vas electionis pari voce conſentit, dicens: Superædificati in fundamento Apoſtolorum & prophetarum, ipſo angulari lapide Chriſto Ieſu Domino noſtro: in quo omnis ædificatio conſtructa, creſcit in templum ſanctum in Domino. Hi ſunt lapides, de quibus & in alio loco legimus: Lapides ſancti voluuntur ſuper terram: inſtar rotarum, paululum tangentes humum, & volubilitate ſua ad cæleſtia feſtinantes. *Tom.4.lib.9.Com.in cap. 8. Ezech.*

*Zach.9.*

*Act.10.*

*Dominus ſuper Petrum eccleſiæ fundamenta ſolidauit.*

ET vidi in domo altitudinem, &c.] Apoſtolus Petrus, ſuper quem Dominus Eccleſiæ fundamenta ſolidauit, tranſcendit cœnaculum, & venit ad tectum, quod ſignificantius Græcè δῶμα dicitur, id eſt, tecti ſolariũ, & incognita prius ſeculo Eccleſiæ ſacramenta cognouit. *To.4.lib.12. Com.in cap 41. Ezechielis.*

ET Sabbatha mea ſanctificabũt, &c.] Sanctificat autem ſabbathum Dei, qui non portat onus peccati in ſabbatho: nec dicit: Sicut onus graue grauata ſunt ſuper me. Qui talis eſt, non colligit ligna in ſabbatho: nec ſuperædificat fundamento Ieſu Chriſti, ligna, fœnum, ſtipulam: nec accendit ignem: qui inutilem conſumat materiam: & die ſabbathi in vno permanet loco, nec foras egreditur, ſed quaſi colũna in templo Dei poſitus permanet: ſuper quo Ioannes ſcribit in Apocalypſi: Qui vicerit, faciã illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius. *Tomo 4. libro 13. Commentariorum in cap. 44. Ezechielis*

*Hebr.12.*

ODIO habuerunt in porta corripientem, & cæt.] haud dubium quin eccleſiam ſignificet excelſus mons Sion, & ciuitatem Dei viuentis Hieruſalem cæleſtem, & multitudinem angelorum, & Eccleſiam primitiuorum, qui ſcripti ſunt in cælis. Qui in portis Sion fuerit exaltatus, portas mortis timere non poterit: de quibus Petro Dominus loquebatur: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualabunt aduerſus eam. *Tom.5.lib.2.Commen.in cap.5. Amos.*

*Matt.16.*

*1 Cor.10.*
*Matt. 6.*
*Chriſtus petra donauit Apoſtolis vt ipſi quoq; petra vocẽtur.*

QVIA ecce Dominus mandabit, &c.] Petra Chriſtus eſt: qui donauit Apoſtolis ſuis, vt ipſi quoque petræ vocentur: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Qui in iſtis petris fuerit, aduerſariæ poteſtates, quæ appellantur equi, de quibus ſupra diximus, perſequi eum non poterunt, curſibus præpeditis, & per ſingulas petras corruentibus. *To.5.lib.3. Com. in cap.6. Amos, fol.116.*

HAEC oſtendit mihi Dominus, &c.] Adamas ſui nominis lapis eſt, quem Latinè indomitum poſſumus appellare: eo quod nulli cedat materiæ, nec ferro quidem. Nam ſi ponatur ſuper incudem, & graui ictu feriatur mallei, ante incus & malleus vulnus accipiunt, quam adamas conteratur. Cumque ignis omnia domet, & vniuerſa metalla conſumat, reddit adamantem duriorem: vt ne paruulum quidem in eo angulum vis nimij odoris obtundat. Vidi & in auro adamantem magnitudine millij: cumque vicinum conſumatur aurum longo vſu ac nimia vetuſtate, ſolus adamas non atteritur, & nulla lima imminui poteſt: ſed econtrariò limam terit, & quid quid attigerit, lineis ſulcat. Hic lapis duriſſimus & indomabilis, ſolo hircorum cruore diſſoluitur: & miſſus in calidum ſanguinem, perdit fortitudinem ſuam. Eſt autem paruus & indecorus, ferrugineum habens colorem, & ſplendorẽ cryſtalli. Quatuorque adamantis genera deſcribuntur. Primus eſt Indicus: ſecundus Arabicus: tertius Macedonicus: quartus Cyprius: pro qualitate regionum plus vel minus duritiam poſſidẽtes. Dicitur quoque in electri ſimilitudinem venena depræhẽdere, & maleficis reſiſtere artibus.

*Adamantis & Chriſti pulchra comparatio.*
*Philip. 2.*

Talis & Dominus & Saluator: Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiẽs: in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuẽtus eſt vt homo humilians ſemetipſum, factus obediens vſque mortem, mortem autem crucis. De quo Eſaias ſcribit: Nõ eſt ſpecies illi, neq; decor: vidimus eum, & non erat pulchritudo, deſpectum & nouiſſimum hominum: virũ dolorum & ſcientẽ ferre infirmitatẽ.

*Eſaiæ:23.*

*Apoſtolis donauit Chriſtus vt et ipſi adamantes vocentur.*
*Rom. 8.*

Hic ſtat ſupra murum adamantinũ, id eſt, ſuper ſanctos & Apoſtolos ſuos: quibus donauit, vt & ipſi adamantes vocarentur, & à nullo ſuperati dicerẽt: Quis nos ſeperabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Et item: ſum certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quę eſt in Chriſto Dño noſtro.

*Petrus fortiſſimus adamas.*
*Matt.16.*

Petrus quoque qui erat fortiſſimus adamas, portæ inferorum nõ præualuerunt aduerſus eum. Hic vir & dominus qui ſtat ſuper murum adamantinum, habet in manu ſua adamãtem, qui niſi Dei teneatur manu, & illius valletur auxilio, omnem perdit fortitudinem, dicente Domino in euangelio: Nemo poteſt rapere de manu patris mei. Et intantum robuſtus eſt, vt dicatur ad eum: Si tranſieris per ignem flamma non comburet te: quantoque magis tentationibus cæditur, tanto fortior ſit: & pro nomine Saluatoris inter flagella lætatur. Cumque à nullo ſuperari queat, ſolo mortiferæ libidinis calore diſſoluitur. Hæc enim ſanguinis hircorum & ipſius hirci dicitur eſſe natura, vt ſit ad libidinẽ calidiſſimus, & quod ignis edomare nequeat, ſolus illius diſſoluat cruor. Ponit ergo Dominus huiuſcemodi adamantẽ in medio populi ſui Iſrael: & vltra nõ tranſit eum, nec dimittit vt diſſipentur aræ: quæ riſu & ſubſannatione ſunt dignæ, & omnia hæreticorum myſteria, domumque Hieroboam, qui primus Dei populum ſeparauit, percutiat gladio atq; ſubuertat. *Tom.5.lib. 3.Com.in cap.7. Amos.*

*Ioan.10.*

*Eſaiæ.43.*

*Petra ſoliditatem deſignat.*
*Pſal.39.*
*Matt.16.*

ECCE paruulum dedi te in gentibus, &c.] Petra quamquam frequenter vel in perſona Domini, vel in ſoliditate ponatur (vnde & propheta dicit: Statuit ſupra petram pedes meos, & ad Petrum dicitur: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo eccleſiam meam) tamen & in contrariã partem frequenter accipiunt. Auferam inquit, cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. Et Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. *Tom.5.Com.in cap.1. Abdiæ.*

*Ezech 36.*
*Matt.3.*

*Mat 5 et.16.*
*Chriſtus vocabula ſua cum Apoſtolis communicat, docet id exemplis.*

ET tranſmigratio exercitus, &c.] Quomodo lumen Dominus, lucem appellat Apoſtol. ſuos, & dicit: Vos eſtis lux mundi, & ipſa Petra, Petro donauit vt petra ſit: paſtor quoq; bonus illis paſtorũ largitus eſt nomina, & quodcunq; dicitur de eo



de eo ſeruis tribuit vt dicantur: ſic ipſe Saluator apoſtolos ſuos mundi eſſe voluit Saluatores: qui aſcendere ſpeculam montis Eccleſiæ, & deponẽtes ſuperbiam Iudaicam, vniuerſorumq; montium, qui aduerſum ſcientiam Dei erigebãtur, regnum Domino parauerunt. *Ibid. Fol.132.*

*Ob virtutis auſpicium Hebræi noua imponunt vocabula.*
*Appellatiua nomina vertuntur in propria.*

QVOMODO apud nos votiua, & quaſi ob virtutis auſpicium ponuntur vocabula: verbi gratia: Victoris, Caſti, Pij, Probi, & apud Græcos σώφρων vocatur, & εὐσεβὴς, & appellatiua nomina vertũtur in propria: Sic apud Hebræos, & Micheas, & Abdias, & Zacharias, cæteraq; his ſimilia, ex virtutũ vocabulo liberis à parentib. imponuntur. *To.5.in Proœm in Micheam.*

IN die illa erit Dominus tuus, &c.] A virtute incipimus, hoc quippe dextera ſignificat, & peruenimus vſque ad portam priorem, vt per eam ingrediamur ad cæteras: ſtatimque nobis occurrit porta angularum, vbi angularis lapis eſt, quẽ reprobauerunt ædificantes, & factus eſt in caput anguli, qui angularis lapis parietem vtrumque connectit, & duos populos in vnum redigit: de quo & Deus loquitur per Eſaiam: Ecce ponam in Sion lapidem angularem, electum, & pretioſum in fundamentis eius, & qui crediderit in eũ non confundetur. Hic lapis angularis & cæteros lapides angulares ſuperædificari ſibi voluit, vt Apoſtolus Paulus poſſet liberè dicere: Aedificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & prophetarũ, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu. *Tom.5.lib.3.Com.in cap.14. Zachar.*

*Pſal.167.*
*Eſaiæ. 28.*
*Ephe. 2.*

*Damaſus Põtifex ſummus ſacerdos.*

ADVERSVS inuidiam duplex cauſa me conſolatur, quod & tu, qui ſummus ſacerdos es, fieri iubes, & verum non eſſe quod variat, etiam maledicorum teſtimonio comprobatur. *To.6.Præfatione in 4.euangelia ad Damaſ.*

*Eccleſia ſuper petram fundata.*
*Gen. 2.*
*Exod.25.*

ECCLESIA, quæ ſupra petram, Domini voce fundata eſt, quam introduxit rex in cubiculũ ſuum: & ad q̃ per foramen deſcenſionis occultę miſit manum ſuam, ſimilis damulę hinnuloque ceruorum, quatuor flumina paradiſi inſtar eructans, quatuor angulos & anulos habet, per quos quaſi arca teſtamenti & cuſtos legis Domini, lignis immobilibus vehitur. *Tom.in altero Proœmio Co.ſuper Matthæum ad Euſebium.*

*Matt.16.*

FVNDATA enim erat ſupra petram, &c.] Super petram hanc Dominus fundauit eccleſiam: ab hac petra Apoſtolus Petrus ſortitus eſt nomẽ. Super huiuſcemodi petram non inueniũtur ſerpentis veſtigia. De hac & propheta loquitur confidenter: Statuit ſupra petram pedes meos. Et in alio loco: Petra refugiũ leporibus, ſiue erinacijs. Timidum enim animal in petræ cauernas ſe recipit: & curis aſpera & tota amara iaculus tali ſe protectione tutatur. Vnde & Moyſi dicitur, eo tempore quo de Aegypto fugerat, & lepuſculus Domini erat: Sta in foramine petræ, & poſteriora mea videbis. *Tomo. 6.lib.1. Commentarior.in cap. 7.Matthæi.Cano.11.*

*Pro.30.*
*Pſal.39.*
*Ibid. 103.*
*Exod.33.*

*Mercedem recipit Petri confeſſio.*

RESPONDENS autem Ieſus dixit ei: Beatus es Simon, &c.] Teſtimonio de ſe apoſtoli reddit vicem. Petrus dixerat: Tu es Chriſtus filius Dei viui: mercedem recepit vera confeſſio: Beatus es Simon Bariona. Quare? quia non reuelauit tibi caro & ſanguis, ſed reuelauit pater. Quod caro & ſanguis reuelare non potuit, Spiritus ſancti gratia reuelatum eſt. Ergo ex confeſſione ſortitur vocabulum, quod reuelationem ex ſpiritu ſancto habeat, cuius & filius appellandus ſit. Siquidem Bariona in noſtra lingua ſonat, filius colũbæ. *Tomo quinto libro tertio Commentariorum in caput 16. Matthæi.*

*Ex confeſſione ſortitur Petrus vocabulum.*

ET ego dico tibi.] Quid eſt quod ait: Et ego dico tibi? Quia tu mihi dixiſti: Tu es Chriſtus filius Dei viui: & ego dico tibi, non ſermone caſſo, & nullũ habente opus, ſed ego dico tibi quia meum dixiſſe, feciſſe eſt. *Ibid.*

*Metaphoricè dicitur Petrus petra.*

QVIA tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam.] Sicut ipſe lumen Apoſtolis donauit, vt lumen mundi appellarentur: cæteraq; ex Domino ſortiti ſunt vocabula: ita & Simoni, qui credebat in petram Chriſtum, Petri largitus eſt nomen. Ac ſecundum metaphoram petræ, rectè dicitur ei: Aedificabo eccleſiam meam ſuper te. *Ibid.*

*Magna benedictio, beatitudo & poteſtas Petro collata.*

PRVDENS lector inquirat quomodo poſt tãtam beatitudinem: Beatus es Simon Bariona. Et tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cælorũ. Et quod ligaueris vel ſolueris ſuper terram, erit ligatum vel ſolutum in cælo: nunc audiat: Vade retro me ſatana: ſcandalum mihi es. Aut quæ ſit tam repentina conuerſio, vt poſt tanta præmia, ſatanas appelletur? Sed ſi conſideret qui hoc quęrit, Petro illam benedictionem & beatitudinem ac poteſtatem, & ædificationem ſuper eum eccleſiæ, in futuro promiſſam, nõ in præſenti datam, intelliget. Aedificabo, inquit, ſuper te eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, & dabo tibi claues regni cælorum: omnia de futuro. Quæ ſi ſtatim dediſſet ei, nunquã in eo prauæ confeſsionis error inueniſſet locum. *Ibid. Cano.34.*

*Promiſſio Petro facta non fuit in præſenti data ſed in futuro exhibita.*

## *Articu. III. Petrum Romæ Epiſcopalem cathedram tenuiſſe, Simonem Magum ſuperaſſe, ibidemque martyrio eſſe coronatum.*

SIMON Petrus, filius Ioannis, prouinciæ Galilææ, vico Beth ſaida, frater Andreæ Apoſtoli, & princeps Apoſtolorum, poſt epiſcopatũ Antiochenſis eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eorum, qui de circunciſione crediderant, in Põto, Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bithynia, ſecundo Claudij anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit; ibiq; viginti quinque annis cathedram ſacerdotalem tenuit, vſq; ad vltimum annũ Neronis, id eſt, decimũ quartum, à quo & affixus cruci, martyrio coronatus eſt, capite ad terram verſo, & in ſublime pedib. eleuatis; aſſerens ſe indignum, quod ſic crucifigetur vt Dominus ſuus. *Tomo primo De Viris Illuſt. in Petro Fol.119.*

*Petrus 25. annis Romæ cathedram ſacerdotalẽ tenuit.*

MARCVS, diſcipulus & interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus, breue ſcripſit euangelium. Quod cum Petrus audiſſet, probauit, & eccleſiæ legendum ſua auctoritate dedit, ſicut ſcribũt Clemẽs in ſexto ὑποτυπώσεων libro, & Papias, Hierapolitanus epiſcopus, meminit huiꝰ Marci; & Petrus in epiſtola prima ſub nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificans: Salutat vos Eccleſia, q̃ eſt in Babylone collecta, & Marcus filius meus. *To.1 lib. de Viris. Illuſt. in Marco.*

*Petrus epiſtolam primam ſcripſit Romę.*
*1 Pet.5.*
*Roma appellatur Babylon à Petro Apoſtolo.*

AIVNT Philonẽ ſub Caio Caligula Romę pericli



tatum,

*Philo Romæ ſub Claudio cum Petro collocutus.*

tatum, quo legatus gentis ſuę miſſus fuerat. Cùm ſecunda vice veniſſet ad Claudium in eadem vrbe locutum eſſe cum Apoſtolo Petro, eiuſque habuiſſe amicitias, & ob hanc cauſam etiam Marci, diſcipuli Petri, apud Alexandriam ſectatores ornaſſe laudibus. *Ibidem in Philone.*

*Philip. 4.*
*Petrus Romanus epiſcopus.*
*Ordo ſucceſſionis poſt Petrum.*

CLEMENS, de quo Apoſtolus Paulus ad Philippenſes ſcribens, ait: Cum Clemente & cæteris cooperatoribus meis, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ, quartus poſt Petrum Romæ Epiſcopus, ſi quidem ſecundus Linus fuit, & tertius Cletus, tametſi plerique Latinorum, ſecundum poſt Petrum Apoſtolum putent fuiſſe Clementem. *Ibidem in Clemente.*

*Petrus Romanus epiſcopus.*

ASSERIT Hegeſippus ſe veniſſe ſub Aniceto Romam, qui decimus poſt Petrum epiſcopus fuit. *Ibi. in Hegeſippo.*

*Roma Babylon adhuc infidelis.*
*Apoc. 14.*
*1. Pet. 5.*

DESCENDE, ſede in puluere virgo filia, & cætera. ] Licet ex eo quo iuxta LXX. ſcriptum eſt, θύγατερ βαβυλονος, id eſt, filia Babylonis, non ipſam Babylonem quidam, ſed Romanam vrbem interpretentur: quæ in Apocalypſi Ioannis, & in Epiſtola Petri, Babylon ſpecialiter appellatur, & cuncta quæ nunc ad Babylonem dicuntur, illius ruinæ conuenire teſtantur: contra quam vocanda ſit auris. Deiq; iuſtitia: vt poſtquam Sion, id eſt, eccleſia ſaluata fuerit, illa pereat in ęternũ. *To. 4. lib. 13. Com. in cap. 47. Eſaiæ.*

*Petrus Antiochia Romam tranſlatus.*

CVM autem veniſſet Petrus Antiochiam, &c. ] Denique primum epiſcopum Antiochenæ eccleſiæ Petrum fuiſſe accepimus, & Romam deinde tranſlatum, quod Lucas penitus omiſit. *Tom. 6. lib. 1. Co. in cap. 2. ad Galat.*

## *Articul. IIII. A Petri temporibus continuatam Romanorum pontificum ſucceßionem, certißimum eſſe ſignum veræ atq; Catholicæ Eccleſiæ.*

*Propoſitum pium et ſanctum Hieronymi.*

SCRIBERE diſpoſui (ſi tamen vitam Dominus dederit, & ſi vituperatores mei ſaltem fugientem me, & incluſum perſequi deſierint) ab aduentu Saluatoris, vſq; ad noſtram ætatem, id eſt, ab Apoſtolis, vſque ad noſtri temporis fæcem, quo modo, & per quos Chriſti Eccleſia nata ſit, & adulta, perſecutionibus creuerit, martyrijs coronata ſit, & poſtq̃ ad Chriſtianos principes venit, potẽtia qidẽ & diuitijs maior, ſed virtutib. minor facta ſit. *To. 1. in vita Mala. captiui Mona.*

*Philip. 4.*
*Hæc ſucceſſio nota eſt eccleſiæ teſte Optato Mileuitano.*

CLEMENS, de quo Apoſtolus Paulus ad Philippenſes ſcribens, ait: Cum Clemente & cæteris cooperatorib. meis, quorum nomina ſcripta ſũt in libro vitæ, quartus poſt Petrum Romæ epiſcopus. ſiquidem ſecundus Linus fuit, & tertius Cletus, tametſi plerique Latinorum, ſecundum poſt Petrum Apoſtolum putent fuiſſe Clementem. *Tom. 1. de viris Illuſt. in Clemente.*

*Ioan. 19.*
*Cant. 2.*
*Hier. 2.*
*Cant. 4.*
*Rom. 1.*
*Quando omnia inuoluũtur hæreſib. aſylum tutißimum eccleſia Romana.*
*Luc. 17.*

QVONIAM vetuſto oriens inter ſe populorũ furore colliſus, indeſciſſam Domini tunicam, & deſuper textam, minutatim per fruſta diſcerpit: & Chriſti vineam exterminant vulpes; vt inter lacus contritos, qui Aquam non habent, difficile, vbi fons ſignatus, & hortus ille concluſus ſit, poſsit intelligi: ideo mihi cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam, cenſui conſulẽdam, inde nunc meæ animæ poſtulãs cibum, vnde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi. Neque verò tanta vaſtitas elementi loquentis: & interiacens longitudo terrarum, me à pretioſæ margaritæ potuit inquiſitione prohibere. Vbicunq; fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Profligato à ſobole mala patrimonio, apud vos ſolos incorrupta patrum ſeruatur hæreditas. Ibi ceſpite terra fecundo, Dominici ſeminis puritatẽ centeno fructu refert hic obruta ſulcis frumenta in lolium auenaſq; degenerant: Nunc in occidente ſol iuſtitiæ oritur: in oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat, ſupra ſidera poſuit thronum ſuũ. Vos eſtis lux mundi, vos ſal terræ, vos aurea vaſa & argẽtea: hic teſtacea vaſa, vel lingnea, virgã ferream, & æternum operiuntur incendium. *To. 2. Epiſt. 57. ad Damaſum à principio.*

*In ſola Romana eccleſia incorrupta patrum ſeruatur hæreditas.*
*Eſaiæ. 14*
*Matt. 5.*
*Puritas doctrinæ in Romana Eccleſia.*
*Nicenæ fidei ſumma authoritas.*
*Romanæ fidei ſucceßio & antiquitas.*

NVNC, prô dolor, poſt Nicenam fidem, poſt Alexandrinum iuncto pariter occidente decretum, trium hypoſtaſeon ab Arianorum prꝍſule & Campenſibus, nouellum à me, homine Romano, nomen exigitur. Qui quęſo, iſta Apoſtoli prodidere? quis nouus magiſter gentium Paulus hæc docuit? *Ibidem.*

*Antiquitas & ſucceßio veræ nota eccleſiæ.*
*Denominatio ab hæreticis ſumpta ſignum falſæ eccleſiæ.*

QVIA iam multũ ſermocinati ſumus & prolixitas concertationis audientiũ ſtudia laſſauit: breuem tibi apertamq; animi mei ſententiã proferam; in illa eſſe Eccleſia permanendum, quę ab Apoſtolis fundata, vſq; ad diem hanc durat. Sicubi audieris, eos qui dicuntur Chriſti, nõ à Domino Ieſu Chriſto, ſed à quoquam alio nuncupari, vt puta Marcionitas, Valentinianos, Montenſes ſiue Campitas: ſcito non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe ſynagogam, ex hoc enim ipſo, quod poſtea inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus pręnunciauit. *Tom. 2. in Dialog. contra Lucifer. cap. 9. in fine.*

*Hæreticorũ eccleſia eſt Antichriſti ſynagoga.*
*1. Tim. 4.*
*Romana fides Paulino laudata.*
*Rom. 1.*

QVISQVIS es aſſertor nouorum dogmatum quęſo te, vt parcas Romanis auribus, parcas fidei quæ Apoſt. voce laudata eſt. Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod ante neſciuimus? cur profers in mediũ, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? vſque ad hunc diẽ ſine doctrina iſta mundus Chriſtianus fuit. illam ſenex tenebo fidẽ, in qua puer natꝰ ſum. Peluſiotas nos appellãt & luteos animaleſq; & carneos, quod nõ recipiamus ea, quæ ſpiritus ſunt. Illi ſcilicet Hieroſolymitæ, quorum mater in cælo eſt. *To. 2. Epi. 65. ad Pammach. & Oceanum cap. 3.*

*Antiquitas eccleſiæ veræ ſignum.*
*Matt. 12.*
*Clemẽs poſt Petrum Romanam rexit eccleſiam.*
*Ioan. 18.*

ECCE intelliget ſeruus meus, &c. ] Chriſtus credentibus dixit: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde: de quo & Clemens vir Apoſtolicus, qui poſt Petrum Romanam rexit Eccleſiã, ſcribit ad Corinthios: Sceptrum Dei Dominus Ieſus Chriſtus, non venit in iactantia ſuperbiæ, cum poſsit omnia, ſed in humilitate, in tantum vt verberatus à miniſtro ſacerdotis, reſponderit: Si malè locutus ſum argue de peccato: ſin autem benè, quid me cædis? habens duodecim angelorum millia, quæ illius nutibus obedirent. *Tom. 4. lib. 14. Com. in cap. 52. Eſaiæ.*

## *Articulus. V. Penes Romanam ſedem eſſe primatũ, authoritatem ſummã, et vniuerſam curã totius Eccleſiæ.*

PENE præterij, quod vel præcipuum eſt. ] & cæt. Dum eſſes paruula, & ſanctæ ac beatæ memo-



*Anaſtaſius Romanus Epiſcopus condemnauit hæreſim.*

memoriæ Anaſtaſius Epiſcopus Romanam Eccleſiam regeret, de orientis partibus hæreticorũ ſæua tempeſtas ſimplicitatem fidei, quę Apoſtoli voce laudata eſt, polluere, & labe ſactare conata eſt, ſed vir ditiſsimæ paupertatis, & Apoſtolicę ſolicitudinis, ſtatim noxium perculit caput, & ſibilantia hydræ ora compeſcuit. Et quia vereor immo rumore cognoui, in quibuſdam adhuc viuere, & pullulare venenata plantaria, illud te pio caritatis affectu præmonendam puto, vt ſancti Innocentij, qui Apoſtolicæ cathedrę, & ſupradicti viri ſucceſſor & filius eſt, teneas fidem: nec peregrinam quamuis tibi prudens callidaq; videaris, doctrinam recipias. *Tomo primo Epiſtola 8. ad Demetriadem. cap. 9.*

*Romani Pontificis Innocẽtij fides ſequenda.*
*Romam quaſi ad tutißimum communionis portũ confugiendũ.*

HAEC ab Alexandrinis prius ſacerdotibus, papaq; Athanaſio, & poſtea Petro, qui perſecutionem Arianæ hæreſeos declinantes, quaſi ad tutiſsimum communionis ſiuę portum Romam confugerant, vitam beati Antonij, ad huc tum viuentis, monaſteriorumq; in Thebaide Pachumij, & virginum ac viduarum didicit diſciplinam: nec erubuit profiteri quod Chriſto placere cognouerant. *Tom. 1. Epiſtola 16. ad Principiam, capite tertio.*

*Mores ciuitatis Romanæ reprehenduntur.*
*Apoca. 17. & 18.*
*Hier. 18.*

ECCE in hoc paruo terræ foramine cælorum conditor natus eſt: Hic inuolutus pannis, hic viſus à paſtoribus, hic demõſtratus à ſtella hic adoratus à Magis. Et hic puto locus ſanctior eſt Tarpeia rupe, quæ de cœlo ſæpius fulminata oſtendit, quod Domino diſpliceret. Lege Apocalypſim Ioannis: &, quid de muliere purpurata, & ſcripta in eius fronte blaſphemia, ſeptem montibus, aquis multis, & Babylonis cantetur exitu, contuere. Exite, inquit Dominus, de illa populus meus: & ne particeps ſitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. Fugite de medio Babylonis, & ſaluate vnuſquiſq; animã ſuã. Cecidit. n. cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio dęmonũ, & cuſtodia oĩs ſpiritus immũdi. Eſt quidẽ ibi ſancta Eccleſia, ſunt trophæa Apoſtolorum, & martyrum: eſt Chriſti vera confeſsio, eſt ab Apoſtolo prædicata fides, & gentilitate calcata, in ſublime ſe quotidie erigens vocabulum Chriſtianum: ſed ipſa ambitio, potentia magnitudo vrbis, videri, & videre, ſalutari, & ſalutare, laudare, & detrahere, vel audire, vel proloqui & tantam frequentiam hominum ſaltem inuitum videre à propoſito monachorum & quiete aliena ſunt: aut enim videmus veniẽtes ad nos, & ſilentium perdimus: aut nos videmus, & ſuperbiæ arguimur, interdumq; vt viſitantibus reddamus vicem, ad ſuperbas fores pergimus & inter linguas rodentium miniſtrorum poſtes ingredimur auratos. *Tomo primo Epiſtola 17. ad Marcellum cap. 7.*

*Rom. 1.*
*Laus Eccleſiæ Romanæ quantum ad caſtitatem fidei.*

POLYCRATES, Epheſiorum epiſcopus: cum cæteris epiſcopis Aſiæ, qui iuxta quandam veterem conſuetudinem cum Iudæis decimaquarta Luna Paſcha celebrabant, ſcripſit, aduerſus Victorem Epiſcopum Romanum epiſtolam Synodicam, in qua docet ſe Apoſtoli Ioannis et veterum autoritatem ſequi. *Tom. 1. de Vi. Illuſtr. in Polycrate.*

*Victoris tamen Romani Pontificis ſententia obtinuit.*

AD te loquar, quæ ſcriptam in fronte blaſphemiam Chriſti confeſsione deleſti. Vrbs potens, vrbs orbis domina, vrbs apoſtoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum. Roma aut fortitudinis nomen eſt apud Græcos, aut ſublimitatis apud Hebræos, ſerua quod diceris: virtus te excelſam faciat, non voluptas humilem. Maledictionem, quam tibi Saluator in Apocalypſi comminatus eſt, potes effugere per pœnitentiam, habens exemplum Niniuitarum. Caue Iouiniani nomen, quod de idolo deriuatum eſt. Squalet Capitolium: templa Iouis & cærimoniæ conciderunt, cur vocabulum eius, & vitia apud te vigeant? Adhuc ſub regibus, & ſub Numa Pompilio facilius maiores tui Pythagoræ continentiam, quam ſub conſulibus Epicuri luxuriam ſuſceperunt. *Tomo ſecundo lib. ſecundo contra Iouinian cap. 19. in fine.*

*Roma Paulĩ voce laudata.*
*Rom. 1.*
*Etymologia Romæ.*
*Vitia Romanæ ciuitatis reprehendit.*

QVONIAM vetuſto oriens inter ſe populorum furore colliſus indiſciſſam Domini tunicã, & de ſuper textam, minutatim per fruſta diſcerpit: & Chriſti vineam exterminant vulpes, vt inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile, vbi fons ſignatus, & hortus ille concluſus ſit, poſsit intelligi: ideo mihi cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam, cenſui conſulendam, inde nunc meæ animæ poſtulans cibum vnde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi. Neq; verò tãta vaſtitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum me à pretioſæ margaritę potuit inquiſitione prohibere. Vbicunq; fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Profligato à ſobole mala patrimonio, apud vos ſolos incorrupta patrum ſeruatur hæreditas. Ibi ceſpite terra fecundo Dominici ſeminis puritatem centeno fructu refert: hic obruta ſulcis frumenta in lolium auenaſq; degenerant. Nunc in occidente ſol iuſtitiæ oritur: in oriente autem Lucifer ille qui ceciderat ſupra ſydera poſuit thronum ſuum. Vos eſtis lux mundi, vos ſal terræ, vos aurea vaſa & argentea: hic teſtacea vaſa, vel lignea, virgam ferream, & æternum operiuntur incendiũ. Quãquam igitur tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas, à ſacerdote victimam ſalutis, à paſtore præſidium ouis flagito. Faceſſat inuidia: Romani culminis recedat ambitio: cum ſucceſſore piſcatoris, & diſcipulo crucis loquor. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri, communione conſocius: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunq; extra hanc domum agnũ comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noé non fuerit, peribit regnãte diluuio. Et quia pro meis facinoribus ad eam ſolitudinem commigraui, quæ Syriam iuncto Barbariæ fine diſterminat, nec poſſum ſanctum Domini, tot interiacentibus ſpatijs, à ſanctimonia tua ſemper expetere: ideo hic collegas tuos Aegyptios confeſſores ſequor, & ſub onerarijs nauibus parua nauicula delitesco. Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicunq; tecum non colligit ſpargit: hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Nunc igitur pro dolor poſt Nicenam fidem, poſt Alexandrinum iuncto pariter occidente decretum, trium hypoſtaſeon ab Arianorum præſule & Campẽſibus, nouellum à me homine Romano, nomen exigitur. Qui quæſo, iſta Apoſtoli prodidere? quis nouus magiſter gentium Paulus hæc docuit? *Tom. 2. Epiſt. 57. ad Damaſum.*

*Ioan. 19.*
*Cant. 2.*
*Hier. 2.*
*Cant. 4.*
*Rom. 1.*
*Romana Eccleſia & Catholica eccleſia ταὐτὰ ſynonyma ſunt.*
*Luc. 17.*
*Puritas doctrinæ Romanæ Eccleſiæ.*
*Eſaiæ. 14.*
*Mat. 5.*
*Cathedræ Petri cõmunione conſociabimur.*
*Matt. 16.*
*Eccleſia ſuper petram Petrum extructa.*
*Exod. 12.*
*Extra Romanam Catholicam Eccleſiã nulla ſalus.*
*Quicunq; nõ colligit cum Romana Eccleſia ſpargit.*

IVNGATVR cum beatitudine tua Vrſicinus, cum Ambroſio ſocietur Auxentius. Abſit hoc à Romana fide: ſacrilegium tantum religioſa po-

*Romanæ ſidei integritas cum hæreticis nullam habet cõmunionem.*

pulorum corda non hauriant. Sufficiat nobis dicere, vnam ſubſtantiam, tres perſonas ſubſiſtentes, perfectas, æquales, coæternas. Taceantur tres hypoſtaſes: ſi placet, & vna teneatur. Non bonæ ſuſpicionis eſt, cum in eodem ſenſu verba diſſentiunt Sufficiat nobis memorata credulitas. Aut, ſi rectum putatis tres hypoſtaſes cum ſua interpretatione debere nos dicere, non negamus: ſed mihi credite, venenũ ſub melle latet, transfigurauit ſe angelus ſatanę in angelum lucis. Benè interpretantur hypoſtaſin, & cum id quod ipſi exponunt, habere me dicam, Hæreticus iudicor. Quid tam anxiè vnum verbum tenent? quid ſub ambiguo ſermone latitant? Si ſic credunt, vt interpretantur: non damno, quod retinent. Si ſic credo, vt ipſi ſentire ſe ſimulant, permittant & mihi, meis verbis ſuum ſenſum loqui. Quamobrem obteſtor beatitudinem tuam per crucifixum, mundi ſalutem, per homouſion trinitatem, vt mihi Epiſtolis tuis ſiue tacendarum, ſiue dicendarum hypoſtaſeon detur auctoritas. Et ne fortè obſcuritas loci, in quo dego, te fallat, per baiulos literarum ad Euagrium presbyterum, quem optimè noſti, dignare ſcripta tranſmittere, ſimul etiam, cui apud Antiochiam debeam cõmunicare, ſignifices: quia Campenſes cum Tharſenſibus hęreticis copulati, nihil aliud ambiunt, quam vt auctoritate communionis veſtræ fulti tres hypoſtaſes cum antiquo ſenſu prædicent *Ibid.*

*2. Cor. 11.*

*A Romano Pontifice in dubijs quæſtionibus ſidei veritas poſtulanda.*

*Hæretici etiam authoritatem cõmunionis Romanæ Eccleſiæ ſe fulcire nitebantur.*

IMPORTVNA in Euangelio mulier tandem meruit audiri: & clauſo cum ſeruis oſtio, media licet nocte ab amico panes amicus accepit. Deus ipſe, qui nullis contra ſe viribus ſuperari poteſt, publicani precibus vincitur. Niniue ciuitas, quæ peccato perijt, fletibus ſtetit. Quorſum iſta tam longo repetita principio videlicet, paruum magnis aſpicias vt diues paſtor morbidam non contemnas ouem, Chriſtus in paradiſum de cruce latronem intulit, & ne quis aliquando ſeram conuerſionem, putaret, fecit, homicidij pœnam martyrium. Chriſtus, inquam, prodigum filium reuertentem lætus amplectitur, & nonagintanouem pecudibus derelictis, vna ouicula, quæ remanſerat, humeris boni paſtoris aduehitur. Paulus ex perſecutore, oculis carnalibus excæcatur, vt mente plus videat: & q vinctos Chriſti famulos ducebat ad concilium Iudæorum, ipſe poſtea etiam de Chriſti vinculis gloriatur. Ego igitur, vt ante iam ſcripſi, Chriſti veſtẽ in Romana vrbe ſuſpiciens, nunc Barbaro Syrię limite teneor. Et ne putes alterius hãc de me fuiſſe ſententiam: quid mererer, ipſe conſtitui. Verum, vt ait gentilis poeta. Cœlum, non animum mutat, qui trans mare currit. Ita me inceſsabilis inimicus poſt tergum ſecutus eſt, vt maiora in ſolitudine bella nunc patiar. Hinc enim præſidijs fulta mundi Ariana rabies fremit. hinc in tres partes ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat, monachorum circa manentium antiqua in me ſurgit auctoritas. Ego interim clamito, ſi quis cathedræ Petri iungitur: meus eſt. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi, hærere ſe dicunt, poſſem credere, ſi hoc vnus aſſereret: nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Iccirco obteſtor beatitudinem tuam per Crucem Domini, per neceſſarium fidei noſtræ decus, per paſionem, Chriſti, vt qui Apoſtolos honore ſequeris, ſequaris & merito, ita in ſolio cum duodecim iudicaturus ſedeas. ita te alius ſenem cum Petro cingat, ita municitum cœli cum Paulo conſequaris: vt mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare, ſignifices. noli deſpicere animam pro qua Chriſtus mortuus eſt. *Tomo ſecundo Epiſtola 58. ad Damaſum. (Conſulit Romanum Pontificem præmiſſa vehemẽti obteſtatione, cui nam pare communicare debeat tanquam Catholicæ.)*

*Luc. 18. 11.*

*Luc. 18. Ion. 3.*

*Luc. 23.*

*Luc. 15. Acto 9.*

*2. Cor. 11.*

*Difficilia eccleſiæ tempora.*

*Qui Cathedræ Petri iungitur is verus Catholicus eſt.*

*Eccleſiæ ſalus pendet à Romano potifice ob vitãda ſchiſmata.*

ECCLESIAE ſalus in ſummi ſacerdotis dignitate pendet: cui ſi non exores quædam, & ab hominibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſijs efficientur ſchiſmata, quot ſacerdotes. *Tom. 2. in Dialogo contra Luciferianos cap. 4.*

*Eccleſiæ Romanæ nos ſubijcere debemus.*

QVANDO cœptum eſt de ordinatione Pauliniani, & aliorum, qui cum eo ſunt, ventilari: videntes ſe reprehendi, cum propter charitatem atque concordiam concederentur eisomnia, hoc autem ſolum expetebatur, vt licet ab alijs contra regulas ordinati eſſent, tamen ſubijcerentur Eccleſiæ Dei, & non ſcinderent eam, neque proprium ſibi facerent principatum. *Tomo ſecnndo Epiſtola ſexageſima prima ad Pammachium capite decimo quinto.*

DICIT nos omnino conuinci non poſſe, & venire ad prælium perhorreſcit. Si cauſa diſcordiæ non ex diſſenſione fidei eſt, ſed ex Pauliniani, vt dicit, ordinatione deſcendit: quæ tanta ſtultitia eſt, volentibus occaſionem dare nolle reſpondere? confitere fidem: ſed tamẽ reſponde q quęreris, vt omnibus luceat non de fide, ſed ordine eſſe certamen, quam diu enim interrogatus de fide tacueris, poteſt tibi aduerſarius dicere Non eſt ordinationis cauſa, ſed fidei, ſi ordinationis cauſa eſt, ſtultè facis de fide interrogatus, tacere: ſi fidei, ſtultè prætendis ordinationem. Porrò, quod dicis te petiſſe, vt ſubijcerentur Eccleſiæ Dei, & non ſcinderent eam, neque proprium ſibi facerent principatum: de quibus dicas, non ſatis intelligo. Si de me, & de prebytero Vincentio: ſatis multo dormiſti tempore, qui poſt annos tredecim, nunc excitatus hæc loqueris: ob id enim & ego Antiochiam, & ille Conſtantinopolim, vrbes celeberrimas, deſeruimus, non vt te in populis prædicantem laudaremus, ſed vt in agris, & in ſolitudine adoleſcentiæ peccata deflentes, Chriſti in nos miſericordiam deflecteremus. Sin autem de Pauliniano tibi ſermo eſt: vides eum Epiſcopo ſuo eſſe ſubiectum, verſari Cypri, ad viſitationem noſtram interdum venire, nõ vt ad tuum, ſed vt ad alienũ, eius videlicet à quo ordinatus eſt, quod ſi hic etiam eſſe voluerit, & in exilio noſtro quietus in ſolitudine viuere: quid tibi debet, niſi honorem, quem omnibus debemus Epiſcopis? *Ibidem capite decimo ſexto.*

*Non eſt ſcindenda Eccleſia neq; proprius principatus faciendus.*

*Epiſcopo ſubiectũ eſſe debemus.*

*Omnibus Epiſcopis honor deferendus.*

*Epiphanius ad Romanũ Pontificem ſcripſit in negotijs fidei.*

NOLO reſpondere & arguere acriter, ne periurij Epiſcopum conuincere videar. Præſto ſunt plures epiſtolæ Epiphanij, vna ad ipſum, aliæ ad Epiſcopos Palæſtinos & nuper ad Romanum Pontificem: in quibus dicit ſe eum, coram multis, de dogmatibus arguentem non meruiſſe reſponſum: totumq; noſtræ paruitatis eſt monaſterium. *Ibid. in fine.*

*Rom. 1.*

ATTAMEN ſcito, Romanam fidem, Apoſtolica voce laudatam, iſtiuſmodi præſtigias non recipere, etiam ſi angelus aliter annunciet, quam ſemel



*Gal. 1.*

*Romana ſimplicitas.*

ſemel prædicatum eſt, Pauli auctoritate munitam non poſse mutari. Ergo frater, ſiue à te falſatus eſt liber, vt multi putant, ſiue ab altero, vt forſitan tu perſuadere conaberis, & temerè credidiſti, hęretici hominis σύνταγμα, eſſe martyris; muta titulum, & Romanam ſimplicitatem, tanto periculo libera. *Tom. 2. lib. . aduerſus Ruffi. cap. 4.*

*Anaſtaſius magnæ vrbis ſacerdos innocenti nõ fecit iniuriã.*

SI Papæ Theophili ſententijs delectaris, & ne fas putas pontificum decreta conuelli: quid de cæteris dicis, quos ipſe damnauit? quid de Papa Anaſtaſio, de quo nulli, vt ais, verum videtur, vt tantæ vrbis ſacerdos vel innocenti tibi iniuriam facere potuerit, vel abſenti *Ibid. cap. 5.*

*Ironia.*

TE multo tempore Pharus docuit, quod Roma neſciuit, inſtruxit Aegyptus quod Italia huc uſq; non habuit? *Ibid. cap 8.*

*Cum Damaſo & Petro condemnari cupit vel abſolui.*

SABELLIANAE impietatis arguor, tres ſubſiſtentes, veras, integras, perfectaſq; perſonas indefeſſa voce pronuncians ſi ab Arianis, meritò: ſi ab orthodoxis qui huiuſmodi arguunt fidem, orthodoxi eſſe deſierunt, aut ſi eis placet, hæreticum me cum occidente, hæreticum cum Aegypto, hoc eſt, cum Damaſo Petroq; condemnent. Quid vnum hominem, exceptis ſocijs, criminantur? Si riuus tenuiter fluit, non eſt aluei culpa ſed fontis. *Tom. 2. Epiſt. 77. ad Marcum.*

*Romana Eccleſia fons aliæ Eccleſiæ riuuli.*

*Cathedra Romana alias cõfirmat*

PRAEDICATIONEM quoq; cathedræ Marci Euangeliſtæ, cathedra Petri Apoſtoli ſua prædicatione confirmet. *Tom. 2. Epiſt. 78. ad Pammachium & Marcellam.*

OBIECTIO.

*93. diſt cap. legimus.*

NON altera Romanæ vrbis Eccleſia, altera totius orbis exiſtimanda eſt. Et Galliæ & Britanniæ, & Africa, & Perſis, & Oriens, & India & omnes barbaræ nationes vnum Chriſtũ adorant, vnam obſeruant regulam veritatis, Si auctoritas, quęritur, orbis maior eſt vrbe. Vbicúque fuerit Epiſcopus ſiue Romæ ſiue Eugubij, ſiue Conſtantinopoli, ſiue Rhegij, ſiue Alexandriæ, ſiue, Tanis, eiuſdem meriti, eiuſdem eſt & ſacerdotij. Potentia diuitiarum & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem vel inferiórem Epiſcopum non facit. Cæterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt. Sed dicis, quó modo Romæ ad teſtimonium diaconi presbyter ordinatur? quid mihi profers vnius vrbis conſuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum eſt ſupercilium in leges Eccleſiæ, vindicas? Omne quod rarum eſt plus appetitur. Pulegium apud Indos pipere pretioſius eſt Diaconos paucitas honorabiles, presbyteros turba contemptibus facit. *Tom. 2. Epiſt. 85. ad Euagrium.*

DISSOLVTIO.

*Conſulatur Iacobus Latomus in opuſculo de Primatu Pontificis. 3.*

ROMANAE Eccleſiæ conſuetudines duplicis ſunt generis, priores ſunt generales Romæ cum vniuerſa Eccleſia communes, quas ex Apoſtolorum Petri & Pauli traditione accepiſſe creditur. de talibus Auguſtinus Epiſtola. *118.* ad Ianuariũ multa, ſed plura fuſius Innocentius primus in Epiſtola ad Decentium tradit. Poſteriores conſuetudines ſunt ſpeciales, quales, quas Romana Eccleſia vel à ſe habuit priuatim inſtituas, vel à Petro quidem Apoſtolo accepit, non tamen in vniuerſum orbem promulgandas. De hiſce expreſsè loquitur Auguſtinus in Epiſtola *86.* ad Caſulanum & in epiſtola *119.* ad Ianuarium. Priores illas conſuetudines quas non modo Romana Eccleſia ipſamet retinet, verum etiam à tota Eccleſia docet eſſe ſeruandas, omnino obſeruare debemus vt Iulius *11.* diſtinct. ca. nolite & Innocentius eadem diſtinct. c. quis neſciat, & Calixtus *12.* diſt. c. non decet, & Gregorius eadem diſtinct. cap. pręceptis, demonſtrarunt. Poſteriores vero priuatas Eccleſiæ Romanę conſuetudines, non neceſſe eſt ſingulas Eccleſias ſequi, vt D. Auguſtinus locis notatis tradidit, & Nicolaus *12.* diſtinct. ca. ſi it. & Gregorius eadem diſtinctione. cap nouit, idemq; planè traditur *31.* diſtinct. ca. quoniam & cap. aliter. In fidei enim vnitate nihil officit Eccleſiæ ſanctæ conſuetudo, diuerſa: vt dicitur de conſecratione diſtinctione quarta capite de trina. Atque de huiuſmodi particularibus conſuetudinibus Hieronymus intelligendus eſt in obiectione propoſita. Similẽ locum ex Ambroſio lib. *3.* de Sacramentis cap. *1.* productum & diſſolutum, vide apud Melchiorem Canum libro ſexto Locorum Theologicorũ capite primo & 8. & vltimo. Quare, beneuole Lector, ex hac reſpõſione ipſa luce clarius conſtat, quam turpiter Cẽturiatores Magdeburgẽſes hoc Hieronymi loco ad Pontificis & Eccleſiæ Romanæ authoritatem imminuendam abuſi ſint.

*Centuria 4. cap. 7. de eadem Eccle. ſiaſtica fol. 558.*

*Eadem de cauſa & Roma ſancta.*

ET multa corpora ſanctorum, qui &c.] Sancta appellabatur ciuitas Hieruſalem propter templum & ſancta ſanctorum, & ob diſtinctionem aliarum vrbium, in quibus idola colebantur. *Tomo ſexto libro quarto Comment. in cap. 27. Matthæi. Cano. 65.*

*Laus Eccleſiæ Romanæ & fidei præ alijs.*

ROMANAE plebis laudatur fides. Vbi alibi tanto ſtudio & frequentia, ad Eccleſias & ad martyrum ſepulcra cõcurritur: vbi ſic ad ſimilitudinem cœleſtis tontrui amen reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur? Non quod aliam habeant Romani fidem, niſi hanc quã omnes Chriſti Eccleſiæ, ſed quod deuotio in eis maior ſit, & ſimplicitas ad credendum. *Tom. 6. in Proœm. lib. 2. Com ad Galatas.*

*Roma Domina vrbium & arx Romani imperij*

VT autem ſciatis & vos quæ circa me ſint & cęt.] Grandis conſolatio erat, audire Paulum Romæ in domina vrbium, & in arce Romani imperij, de carcere de vinculis triumphantem. *Tom. 6. lib. 3. Com. in cap. 6. ad Epheſios.* *Scholia.*

CVM *aggreditur Hieronymus in principio Commentariorum Epiſtolæ ad Galatas titulum exponere, videtur ſentire quod Petrus dignitate & auctoritate non fuerit Paulo ſuperior, ita ſcribens: Paulus Apoſtolus non ab hominibus neq; per hominem &c. Poteſt obliquè in Petrum & in cæteros dictum accipi, quod non ab Apoſtolis ei ſit traditum Euangeliũ, ſed ab ipſo Ieſu Chriſto, qui & illos & Apoſt. elegerat. Hoc aut totum ideo præparat, Vt nemo ſibi cõtra legis onera pro Euangelij gratia diſputãti poſſit opponere, ſed Petrus hoc dixit, ſed Apoſtoli hoc ſtatuerunt, ſed præceſſores tui aliud decreuerunt, quod quidem in ſequentibus nunc quaſi occulto ſermone præludens, manifeſtius facit, dum ab eis qui videntur eſſe aliquid nihil in ſe collatum refert: & ipſi Petro in faciem ſe reſtitiſſe ſcribit, nulla ſe dicens neceſſitate compulſum, vt hypocriſi cederet Iudæorum. Et infra exponens illud, Euangelium ab homine non accepi neq; didici &c. idem repetit, inquiens: Poteſt autem ſicut in principio diximus, cum exponeremus Paulus Apoſtolus non ab hominibus, ita & in præſenti loco obliquè in Petrum accipi, & in cæteros præceſſores eius, quod nullius pro Lege authoritate moueatur, qui Chriſtum ſolum habeat Euangelij præceſſorem. & ſuper illud ex cap. in alijs Commentarijs eius nomini inſcriptis. Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatu &c. loquens ſub perſona*

*perſonam Pauli ait. Ego in nullo ſum Petro inferior, quia ab vno Deo ſumus ambo in miniſterio ordinati. Rurſus lib. 1. aduerſus Iouinianū indicare videtur Petrum non eſſe alijs Apoſtolis maiorem, ſed parem cum alijs habere poteſtatem, his verbis: Eccleſia licet fundetur ſuper omnes Apoſtolos, & cuncti claues regni cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio. Sed cur non Ioannes electus eſt virgo? ætati delatum eſt: quia Petrus ſenior erat: nec adhuc adoleſcens, ac pene puer progreſſæ ætatis hominibus præferretur & magiſter bonus, qui occaſionem iurgij debuerat auferre diſcipulis, in adoleſcentem, quem dilexerat, cauſam præbere videretur inuidiæ. His Hieronymi*

*Reſponſiones*

*pronunciatis abutuntur noſtrorum temporum hæretici aduerſus Petri primatum & Apoſtolicæ ſedis ac Romanæ Eccleſiæ primariam poteſtatem, repugnante œcumenici Concilij Florentini deciſione, cuius decretum vnanimi Græcorum & Latinorum omnium conſenſu receptum & in poſtrema ſeſsione promulgatum ſic habet. Definimus ſanctam Apoſtolicam ſedem & Roman. Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum, ſucceſſorem eſſe B. Petri principis Apoſtolorum, & verum Chriſti vicarium totiusq; Eccleſiæ caput. Quæ verò hac de re Hieronymi ſententia vera fuerit, ſuperiora & inferiora teſtimonia Locupletiſsimè adducta ſatis euidentur conuincunt. Quamobrem ne quis arbitretur D. Hieron. à ſe ipſo diſsidere atq; ſcripſiſſe pugnantia, intelligendum eſt, in Petro triplicem fuiſſe poteſtatem ordinis nempe, Apoſtolatus ac regni ſi Apoſtolatum reſpiciamus, id eſt, docendi prouinciam, & Euangelicæ prædicationis curam, rectè affirmauit Hieronymus in Comentarijs ad Galatas: Paulum non eſſe Petro inferiorem. Paulus enim ad docendi munus non à Petro, ſed ad æquè vt Petrus, electus eſt, vt ipſe annunciaret Euangelium in gentibus, ſicut ille in Iudæis. ſed ſi poteſtatem ſpectemus, quæ in ordinis ſacramento confertur, pulchrè aduerſus Iouinianum aſſeruit Hieronymus omnes Apoſtolos ex æquo claues accepiſſe, & & Eccleſiæ fundamenta ſolida ieciſſe. veriſsime etiam ad Euagrium ſcripſit omnes Epiſcopos pares eſſe: quia omnes Apoſtoli in eodem ſacerdotij ordine, & in eadem ſacramenti præſtantia pares erāt. & omnes Epiſcopi eorum ſucceſſores cuiuslibet etiam vilioris oppiduli æquales ſunt Romanæ vrbis Epiſcopo, ſacramenti videlicet ordine, & ſpiritali eiuſdem ordinis poteſtate. Poſtremo ſi de poteſtate regni ſiue Iuriſdictionis, deq; illa ſuprema ſuper omnes Epiſcopos & Eccleſias authoritate oratio inſtituatur optimo contra Iouinianū & contra Luciferianos & paſsim varijs in Locis ſcripſit B. Hieronymus vnum Petrum inter reliquos Apoſtolos electum caput verticem ac coryphæum omnium conſtitutum, vt ſumma eius auctoritate & eminentiori præ cæteris poteſtate contentiones Eccleſiæ componantur, & omnis ſchiſmatum occaſio tollatur. eodem ſenſu, Primaſius & Chryſoſtomus in hunc locum Pauli accipiendi ſunt. atque etiam ipſe Cyprianus à Caluino detortus.*

## *Articulus. VI. A Romana ſede de doctrina Catholica ferri iudicium, hæreſes damnari.*

*Anaſtaſius Pontifex dānat hæreſes.*

PENE præterij, quod vel præcipuum eſt. Dum eſſes paruula, ſanctæ ac beatæ memoriæ Anaſtaſius Epiſcopus Romanā regeret eccleſiā de orientis partib. hæreticorum ſæua tēpeſtas ſimplicitatem fidei, quæ Apoſtoli voce laudata eſt polluere & labefactare conata eſt ſed vir ditiſsimæ paupertatis, & Apoſtolicæ ſolicitudinis, ſtatim noxiū perculit caput, & ſibilantia hydræ ora compeſcuit. Et quia vereor, immo rumore cognoui, in quibuſdam adhuc viuere, & pullulare venenata plantaria; illud te pio charitatis affectu præmonendam puto, vt ſancti Innocentij, qui Apoſtolicæ cathedræ, & ſupradicti viri ſucceſſor & filius eſt, teneas fidem, nec peregrinam, quamuis tibi prudens callidaque videaris, doctrinam recipias. *Tom. 1. Epiſtola 8. ad Demetriadem cap. 9.*

CERNENTES hæretici de parua ſcintilla maxima incendia concitari, & ſuppoſitam dudum flammā iam ad culmina perueniſſe, nec poſſe latere, quod multos deceperat, petunt & impetrāt Eccleſiaſticas epiſtolas; vt communicantes eccleſiæ, diſceſsiſſe viderentur. Non multum tempus in medio, ſuccedit in pontificatum vir inſignis Anaſtaſius; quem diu Roma habere non meruit, ne orbis caput ſub tali epiſcopo truncaretur: imò iccirco raptus, atq; tranſlatus eſt, ne ſemel latam ſententiam precibus ſuis flectere conaretur: dicente Domino ad Hieremiam: Ne oraueris pro populo iſto, neque depreceris in bonum, quia, ſi ieiunauerint, non exaudiam preces eorum: &, ſi holocauſta & victimas obtulerint, nō ſuſcipiam eas: in gladio enim, & ſame, & peſtilētia ego conſumam eos. *Tom. 1. Epiſtola 16. ad Principiam. cap. 4. in fine.* *Hier. 14.*

BETHLEHEM ecce in hoc paruo terræ foramine cælorum conditor natus eſt, hic inuolutus pannis: hic viſus à paſtoribus: hic demonſtratus à ſtella: hic adoratus à Magis: & puto, ſanctior locus eſt rupe Tarpeia, quæ de cælo ſæpius fulminata, oſtendit quod Deo diſpliceat. Eſt quidem ibi ſancta Eccleſia; ſunt trophęa Apoſtolorum & martyrum; eſt Chriſti vera confeſsio, eſt Apoſtolorum prædicata fides; &, gentilitate calcata, in ſublimè quotidie erigitur vocabulum Chriſtianum: ſed ambitio, potentia, magnitudo vrbis, videri, & videre, ſalutari, & ſalutare, laudare, & detrahere, vel audire, vel proloqui, & tātam hominum frequentiam videre, à propoſito monachorum, & à quiete aliena ſunt. *Tom. 1. Epiſt. 18. ad Marcellam. cap. 1.*

*Laus Romanæ Eccleſiæ.*

IAM ad Euagrij noſtri nomen peruenimus.] &c. Huius pro Chriſto laborem ſi arbitrer à me dici poſſe, non ſapiam, ſi penitus tacere velim, voce in gaudium erumpente non poſsim, quis enim valet digno canere præconio, Auxentium, Mediolani incubātem, huius excubijs ſepultum paulo ante, quam mortuum Romanum Epiſcopum, iam pene factionis laqueis irretitum, & viciſſe aduerſarios, & non nocuiſſe ſuperatis? *Tom. 1. Epiſt. 49. ad Innocentium. in fine.*

*Romanus Epiſcopus vicit aduerſarios & non nocuit ſuperatis.*

MARCVS, diſcipulus & interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus, breue ſcripſit euangelium. Quod cum Petrus audiſſet, probauit, & Eccleſiæ legendum ſua auctoritate dedit, ſicut ſcribunt Clemēs in ſexto ὑποτυπώσεων libro, & Papias, Hierapolitanus epiſcopus. *Tomo primo de viris illuſtribus in Marco.*

*Petri authoritate approbatur Marci Euangelium*

IRENEVS, Pothini epiſcopi, qui Lugdunenſem in Gallia regebat eccleſiā, presbyter, à martyribus eiuſdem loci ob quaſdam Eccleſiæ quæſtiones legatus Romā miſſus, honorificas ſuper

*Legati Romam ablegabantur ob dubias quæſtiones Eccleſiæ ad ſummū Pontificem.*



nomine ſuo ad Eleutherum Epiſcopum perfert literas. *Ibid. in Irenæo.*

*Vnitas collegij non ſcindenda eſt.*

FERVNTVR eius & aliæ ad Victorē Epiſcopum Romanum, de quæſtione Paſchæ Epiſtolæ, in quibus cōmonet eum, non facile debere vnitatem collegij ſcindere Si quidem Victor multos Aſiæ & Orientis epiſcopos, qui à decimaquarta luna cum Iudęis Paſcha celebrabant, damnandos crediderat. In qua ſententia ij, qui diſcrepabant ab illis, Victori non dederunt manus. *Ibid.*

*Cornelius Pōtifex Anathemate percuſſit Nouatianos.*

CORNELIVS, Romanæ vrbis epiſcopus, ad quē octo Cypriani extant epiſtolæ ſcripſit Epiſtolam ad Flauianū, Antiochenę Eccleſiæ Epiſcopū de Synodo Romana, Italica, Africana: & aliā de Nouatiano, & de ijs, qui lapſi ſunt: tertiā de geſtis Synodi: quartā ad eundem Flauianum valde prolixā, & Nouatianæ hæreſeos cauſas, & anathema continentem. *Tom. 1. de viris Illuſt. in Corne.*

*Liberium cōtra Hieronymi ſententiā beatiſsimum prædicāt Baſilius Epiſt. 174. Ambroſius lib. 3. de Virginit. Epiphanius hæreſi 75.*

FORTVNATIANVS, natione Afer, Aquileienſis Epiſcopus, imperante Conſtantino in Euangelia titulis ordinatis breui & ruſtico ſermone ſcripſit commentarios: & in hoc habetur deteſtabilis, quod Liberiū Romanæ vrbis Epiſcopū, pro fide ad exiliū pergentē, primus ſollicitauit, ac fregit, & ad ſubſcriptionem hæreſeos compulit. *Ibi. in Fortunatiano. Athanaſius Apologia. 2. Socra. lib. 4. cap. 11. eum liberant ab Arriana labe.*

*Damaſus approbauit librū Hieronymi contra Heluidium.*

DVM adhuc viueret ſanctæ memoriæ Damaſus, librum contra Heluidium de B. Mariæ virginitate perpetua ſcripſimus: in quo neceſſe fuit nobis, ad virginitatis beatitudinem prædicandam, multa de moleſtijs dicere nuptiarū. Num vir egregius & eruditus in ſcripturis, & virgo, Eccleſię virginis doctor, aliquid in illo ſermōe reprehendit? In libro quoq; ad Euſtochium multo duriora de nuptijs diximus, & nemo ſuper hac re læſus eſt. Amator quippe caſtitatis, præconiū pudicitiæ intenta aure captabat. Lege Tertullianū, lege Cyprianum, lege Ambroſium, & cum illis me vel accuſa, vel libera. *Tom. 2. Epiſt. 50. in Apologia ad Pammachium. cap. 7.*

*Vigilantius Romanæ Eccleſiæ autoritate dānatus*

ILLE Romanæ Eccleſiæ auctoritate damnatus, inter phaſides aues, & carnes ſuillas non tam emiſsit ſpiritum, quam eructauit: iſte caupo Calagurritanus, & in peruerſum propter nomē vinculi Quintilianus mutus miſcet aquam vino: & de artificio priſtino ſuæ venena perfidię catholicæ fidei ſociare conatur, impugnare virginitatē, odiſſe pudicitiam, in conuiuio ſæculari contra ſanctorum ieiunia proclamare, dum inter phialas philoſophatur, & ad placentas liguriens, Pſalmorum modulatione mulcetur. *Tom. 2. aduerſus Vigilantium cap. 1.*

EGO, vt ante iam ſcripſi, Chriſti veſtem in Romana vrbe ſuſcipiens, nunc, Barbaro Syriæ limite teneor. Et ne putes alterius hanc de me fuiſſe ſententiam, quid mererer, ipſe conſtitui. Verū vt ait gentilis Poëta, Cœlum, non animum, mutat, qui trans mare currit. Ita me inceſsabilis inimicus poſt tergum ſecutus eſt, vt maiora in ſolitudine bella nunc patiar. Hinc enim præſidijs fulta mundi Ariana rabies fremit, hinc in tres partes ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat, monachorum circa manentium antiqua in me ſurgit auctoritas. Ego interim clamito, ſi quis cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis, atq; Paulinus tibi adhærere ſe dicunt, poſsem credere, ſi hoc vnus aſſereret: nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Iccirco obteſtor beatudinem tuam per Crucem Domini, per neceſſarium fidei noſtrę decus, per paſsionem Chriſti, vt qui Apoſtolos honore ſequeris, ſequaris & merito, ita in ſolio cum duodecim iudicaturus ſedeas: ita te alius ſenem cum Petro cingat, ita municipatum cœli cum Paulo conſequaris: vt mihi literis tuis apud quem in Syria debeam cōmunicare, ſignifices, noli deſpicere animam, pro qua Chriſtus mortuus eſt. *Tomo ſecundo Epiſtola 58. ad Damaſum.*

*Iudicium Romanæ Eccleſiæ exquirendum & ſequendum.*

VERVM, ſi voluerint ij, qui ab Hilario inſtituti ſunt, & oues ſine paſtore eſſe cœperunt, de ſcripturis ea proferre, quæ beatus Cyprianus ob hæreticos rebaptizandos in Epiſtolis ſuis reliquit: ſciant illum hæc non cum anathemate eorum, qui ſe ſequi noluerant edidiſſe, ſiquidem in communione eorū permanſit, qui ſententiæ ſuæ contraierant, ſed hortatum potius fuiſſe propter Nouatum, & alias tunc hæreſes multas enaſcentes, ne quiſquam ab eo ſine damnatione erroris ſui reciperetur Sermonē deniq; ſuum, quē hac de re ad Stephanum Romanum Pontificem, habuit tali, fine compleuit: hæc ad conſcientiam tuam, frater, cariſsime, & pro honore communi, & pro ſimplici dilectione protulimus, credentes etiam tibi pro religionis tuæ & fidei veritate placere, quæ & religioſa pariter, & vera ſunt. *Tom. 2. aduerſus Luciferianos. cap. 9.*

*Excuſatio Cypriani.*

*Cyprianus Stephano Romano Pontifici ſubijcit ſua ſcripta & ſententiam.*

QVAE ſequuntur poſt hoc capitulū hæc ſunt: Menſæ ſuæ & domus contubernium imputat Epiphanio, ſcribitq; cum nunquam eſſe ſecum de Origenis dogmatibus locutum, & ſub iuriſiurādi teſtificatione confirmat, dicens: ne ſuſpicionē quidem, ſicut Deus teſtis eſt, peruerſæ in nos fidei ſe habere monſtrauit. Nolo reſpondere & arguere acriter: ne periurij Epiſcopum conuincere videar. Præſto ſunt plures Epiſtolæ Epiphanij, vna ad ipſum, aliæ ad Epiſcopos Palęſtinos, & nuper ad Romanum Pontificem: in quib. dicit ſe cū coram multis, de dogmatibus arguentem nō meruiſſe reſponſum: totumq; noſtræ paruitatis eſt monaſterium. *Tom. 2. Epiſtola. 61. ad Pamma. cap. 16.*

*Epiphanius in negotio fidei ad Romanū Pontificē dedit Epiſtolas.*

NVNC ſola interpretationis meæ cauſa redditur, quæ cum pietatis habeat voluntatem, non debeo impietatis argui prodens impium, quod quaſi pium Eccleſijs tradebatur. Septuaginta libros eos, vt meus neceſſarius criminatur, in Latinum verteram, & multa de tomis, nunquam de opere meo fuit quæſtio, nunquam Roma commota eſt. Quid neceſſe erat Latinis auribus tradere, quod deteſtatur & Gręca? quod orbis accuſat? Ego per tot annos tam multa conuertens nunquam ſcandalo fui: tu ad primum & ſolum opus ignotus prius, temeritate factus es nobilis. Docet ipſa præfatio, & Pamphili martyris librum pro defenſione Origenis à te eſſe tranſlatum. Et hoc agis totis viribus, vt cuius fidem martyr probat, Eccleſia non refutet. Sex libros vt ante iam dixi, Euſebius, Cæſarienſis Epiſcopus, Arianæ quondā ſignifer factionis, pro Origene ſcripſit, latiſsimū & elaboratū opus: & multis teſtimonijs approbauit, Origenē iuxta ſe catholicū, id eſt iuxta nos Arianū eſſe. Horum tu primum librū vertis ſub nomine martyris. Et miramur, ſi me, homunculum parui pretij, Origenis laudatorem vellis, cum martyri calumniam feceris? Paucisq; teſtimonijs de Filio Dei & Spiritu ſancto cōmutatis; quæ

*Romæ Hieronymi tranſlatio approbata.*

*Eccleſiæ eſt diſcernere libros hæreticos à Catholicis.*

quæ ſciebas diſplicitura Romanis, cætera vſq; ad finem integra dimiſiſti, hoc idem faciens in apologia quaſi Panphili, quod & in Origenis περὶ ἀρχῶν tranſlatione feciſti. *Tom. 2. lib. 1. aduerſus Ruffinum cap. 2.*

*Quæ Romanis diſplicent nō ſcribenda*

IMPERATORVM ſcripta, quæ de Alexandria, & Aegypto Origeniſtas pelli iubēt, me ſuggerente dictata ſunt. Vt Romanę vrbis Pontifex miro eos odio deteſtetur, meum conſilium fuit, vt totus orbis poſt tranſlationem tuam in Origenis odia exarſerit, quem antea ſimpliciter lectitabat, meus operatus eſt ſtylus. *Ibi. cap. 3.*

*Origeniſtæ tanquam hæretici de Aegypto & Alexandria pulſi.*

*Romanæ vrbis Pontifex damnauit Origeniſtas.*

VENIAM ad Apologiam eius, qua ſancto Anaſtaſio, Romanę vrbis Epiſcopo, ſatisfacere nititur: & in defenſionem ſui mihi rurſum calumniam ſtruit: tantumq; me diligit, vt raptus turbine & in profunda demerſus, meum potiſsimū inuadat pedem, vt mecum aut liberetur, aut pereat. Dicit ſe primum reſpondere rumoribus, quibus illius Romæ carpatur fides, hominis probatiſsimi tam in fide quam in caritate Dei, & niſi poſt triginta annos parentibus redditus, nollet eos deſerere, quos tam tardè viderat, ne inhumanus puteretur, aut durus, & tam longi itineris labore fragilior ad iterãdos labores eſſet infirm' ipſum venire voluiſſe: quod quia non fecerit, cõtra latratores ſuos miſiſſe baculum litterarum, quem ille teneret in dextera, & ſæuientes contra ſe abigeret canes. Si probatus eſt cunctis, & maximè ipſi, cui ſcribit Epiſcopo in fide & caritate Dei: quo modo Romæ mordetur & capitur, & appetitæ æſtimationis eius fama crebreſcit? Deinde cuius eſt humilitatis probatum ſe dicere in fide & caritate Dei, cum Apoſtoli petant: Domine adauge nobis fidem: & audiant: Si habueritis fidem, vt granum ſinaphis: & ad ipſum dicatur Petrum: Modicæ fidei, quare dubitaſti? Quid loquar de caritate, quæ & fide, & ſpe maior eſt, & quam Paulus optat potius, quam præſumit: ſine qua & martyrio ſanguis effuſus, corpuſq; flammis traditum coronam non habet præmiorum? harum vtramq; iſte ſic ſibi vindicat, vt tamen cõtra ſe habeat latratores: qui niſi inuicti Pontificis baculo repellantur, latrare non ceſſant. *To. 2. lib. 2. Apologiæ aduerſus Ruf.*

*Ea fides non eſt ſana quæ Romæ carpitur.*

*Luc. 17.*

*Matt. 14.*

*1. Cor. 13.*

*Inuicti Pontificis baculo repellendi hæretici.*

TRES ſuper animarum ſtatu ponit ſententias, & in fine concludens, Singula, inquit me legiſſe non nego, & adhuc ignorare conſiteor. Arceſilaum, aut Carneadem putes, qui omnia incerta pronunciant: licet & illos ſuperet cautione: illi enim, omnium philoſophorum inuidiam non ferentes, quod vitam è vita tollerent, veriſimilia repererunt, vt ignorantiam rerum probabili aſſertione temperarent: iſte ſe dicit incertum, & è tribus omnino neſcire quid verum ſit. Si hoc erat reſponſurus: quæ eum ratio impulit, vt tantum pontificem inſcitiæ ſuæ teſtem faceret? Nimirum hæc illa eſt laſsitudo, quod triginta annorum itinere confectus Romam venire non potuit. *Ibidem cap. 2.*

*Ruffinus redarguitur quod ſuæ fidei approbationem à Romano Pontifice non impetrauerit.*

VIS Origenem in Latinum vertere? habes multas homilias eius, & tomos, in quibus moralis tractatur locus, & ſcripturarum panduntur obſcura: hæc interpretare, hæc rogantibus tribue, quid primus labor tuus incipit ab infamia? cur trãſlaturus hæretica, in defenſionem eorum pręmittis quaſi martyris librum: & id Romanis auribus ingeris, quod tranſlatum totus orbis expauit? aut certè, ſi ideo interpretaris, vt eum hæreticum arguas, nihil de Græco mutes, & hoc ipſum præfatione teſtare, quod prudentiſsimè Papa Anaſtaſius in Epiſtola, quam contra te ſcribit ad Epiſcopum Ioannem, ſuo ſermone complexus eſt, me liberans, qui id feci, & te arguens, qui facere noluiſti. Ac ne forſitan hoc quoq; neges, ſubieci exemplum eius, vt ſi non vis audire fratrem monentem audias Epiſcopum condemnantem. *Ibid. cap. 4.*

*Papa Anaſtaſius condemnauit. Ruf.*

ET tamen miror, quo modo probauerit Italia, quod Romana contempſit Epiſcopi ſuſceperint, quod Sedes Apoſtolica condemnauit. *To. 2. lib. 3. aduerſus Ruf. cap. 5.*

*Quod ſedes Apoſtolica condemnat alij Epiſcopi ſuſcipere non debent.*

IN Epiſtola ſancti Papę Anaſtaſij lubricus extitiſti, & turbatus: in quo figas gradum, non reperis. Modo enim dicis à me eſſe compoſitam, nūc ab eo ad te debuiſſe tranſmitti, cui miſſa eſt. Rurſum iniuſtitiam ſcribentis arguis: etiam ſi ſcripta ſit ab illo, ſiue non ſcripta, ad te nihil pertinere teſtaris, qui præceſſoris eius habeas teſtimonium, & rogantē Romam, vt, eam illuſtrares præſentia tua, oppiduli tui amore contempſeris. Si à me fictam Epiſtolam ſuſpicaris, cur eam in Romanæ Eccleſiæ chartario, non requiris? vt cum deprehenderis ab Epiſcopo non datam manifeſtiſsimè criminis reum teneas, & nequaquam aranearum mihi opponas caſsiculos, ſed fortiſsimo me & ſolidiſsimo conſtringas reti. Si autem Romani Epiſcopi eſt, ſtultè facis ab eo exemplar Epiſtolæ petere, cui miſſa non eſt & non ab illo, qui miſerit, de oriente exſpectare teſtimonum, cuius auctore & teſtem habeas in vicino. Vade potius Romam, & præſens apud eum expoſtula, cur tibi & abſenti, & innocenti fecerit contumeliam: primum, vt non reciperet expoſitionē fidei tuæ, quã omnis, vt ſcribis, Italia comprobauit: & baculo tuarum vti noluerit litterarum contra canes tuos: deinde vt Epiſtolas cõtra te ad orientem mitteret, & cauterium tibi hæreſeos, dũ neſcis inureret: diceretq; libros Origenis περὶ ἀρχῶν à te eſſe tranſlatos: & ſimplici Romanæ Eccleſiæ plebi traditos, vt fidei veritatem, quam ab Apoſtolo didicerant, per te perderent, & quo tibi maiorem faceret inuidiam, auſus ſit criminari hos ipſos, præfationis tuæ teſtimonio roboratos. Non eſt leue, quod tibi impingit tantæ vrbis Pontifex, vel ab alio obiectũ temere ſuſcepit. Vociferare, & clamita non eſt, nõ eſt me' liber, & ſi meus ſchedulas imẽdatas Euſebius furtò abſtulit. aliter ego edidi, imo nec edidi: nulli eas dedi, aut certè paucis: & tã ſcelera tus inimicus, tam negligentes amici fuerunt, vt omnium codices ab eo pariter falſarentur. Hæc frater chariſsimè facere debueras, & non illi tergum obuertens, in me tranſmarinas maledictorum tuorum ſagittas dirigere. Quid enim vulneribus tuis prodeſt, ſi ego fuero vulneratus, an ſolatium percuſsi eſt, amicum ſecum videre morientem? Syritij, iam in Dño dormientis profers Epiſtolam, & viuẽtis Anaſtaſij dicta contemnis? quid enim tibi, vt ais, officere poteſt quod te ignorante, alit ſcripſit, aut forte non ſcripſit? & ſi ſcripſit, ſufficit tibi totius orbis teſtimonium: quod nulli verum videtur, vt tantæ vrbis ſacerdos vel innocenti iniuriam facere potuerit, vel abſenti Innocentem te vocas, ad cuius interpretationem Roma contremuit, abſentem, qui accuſatus

*Romani Epiſcopi Epiſtola condemnatus Ruffi.*

*Põtifex cauterium hæreſeos inurit.*

*Tantæ vrbis Pontificis nõ eſt condẽnatio contemnenda.*

*Pontificis teſtimoniũ eſt totius orbis.*



cuſatus reſpondere non audes & tantum' Romanæ vrbis iudicium fugis, vt magis obſidionē barbaricam quam pacatæ velis ſententiam ſuſtinere. *Ibid. cap. 6. Fol. 257.*

*Romanæ vrbis iudicium fugiunt hæretici.*

VIDE quantum te timeam. ſi vel puram ſchedulam contra me Romani Epiſcopi, aut alterius Eccleſiæ protuleris, omnia quæ in te ſcripta ſunt mea crimina confitebor: *Ibidem capite ſeptimo.*

*Vide quanti faciat Romani Epiſcopi cenſuram.*

ET vt noſtram Epiſtolam non probes, Papæ quoq; Anaſtaſij ſimili dicis fraude ſubnixam, de qua tibi ante reſpondi: quam ſi ſuſpicaris ipſius non eſſe habes vbi apud eum nos arguas falſitatis. ſin autem eius eſt, vt huius quoq; anni contra te Epiſtolæ probant: fruſtra & falſo falſam arguere niteris, cum ex illius vera Epiſtola noſtram veram eſſe doceamus. *Ibid. cap. 10.*

NON erubeſcis, exploſam atq; damnatam Iouiniani ſententiam ſequi? Et ille enim his teſtimonijs tuiſq; nititur argumentis? immo tu illius inuenta ſectaris in oriente docere deſiderans, quæ olim Romæ & dudum in Africa condemnata ſunt. *Tomo 2. libro. 3. Dialog: aduerſus Pelagianos cap. 1.*

*Iouiniani hæreſis Romæ à Romano Pontifice condemnata*

SED tu ſcito nobis nihil eſſe antiquius quam Chriſti iura ſeruare, nec patrum transferre terminos, ſemperq; meminiſſe Romanam fidem Apoſtolico ore laudatam: cuius ſe eſſe participem Alexandrina Eccleſia gloriatur. *Tom. 2. Epiſtola. 65. ad Theophilum.*

*Rom. 1.*

*Romanæ ſidei participandum.*

PRAEDICATIONEM cathedræ Marci Euangeliſtæ, cathedra Petri Apoſtoli ſua prædicatione confirmet, quamquam celebri ſermone vulgatum ſit: beatum quoque Papam Anaſtaſium eodem feruore, quia eodem ſpiritu eſt, latitantes in foueis ſuis hæreticos perſecutum: eiuſq; literæ doceant, damnatum in occidente, quod in oriente, damnatum eſt, cui multos imprecamur annos: vt hęreſeos rediuiua plantaria per illius ſtudium longo tempore areſacta, moriantur. *To. 2. Epiſt. 78. ad Pam. in fine.*

*Romana ſedes cõfirmat alias ſedes.*

*Anaſtaſius cõdemnauit hæreticos.*

ET portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. ]Ego portas inferi reor vitia atq; peccata: vel certe hæreticorum doctrinas, per quas illecti homines ducuntur ad tartarum. Nemo itaq; putet de morte di[illegible]i, quod apoſtoli conditioni mortis ſubiecti non fuerint: quorũ martyria videat coruſcare. *Tom. 6. lib. 3. Com. in cap. 16. Matth. can. 33.*

*Hæreticorũ doctrina non præualet cõtra ſedē Romanam.*

## *Articulus VII. Romano Pontifici Hieronymum ſua ſcripta ſubieciſſe eiuſq; mandatis optemperaſſe.*

PRAETEREA quod ſcribit nos pergere tecum Romam, & eccleſiæ communicare ei, à qua videamur communione ſeparati: non neceſſe eſt ire tã longè: & hic in Palęſtina eodem modo ei iungimur. Et ne hoc quod procul ſit, in viculo Bethlehem presbyteris eius, quantum in nobis eſt, communione ſociamur. Ex quo perſpicuum eſt, dolorem proprium cauſam Eccleſiæ non putandum: nec ſtomachum vnius hominis, immo per illum aliorum, generali Eccleſiæ vocabulo nuncupandum. Quapropter, quod in principio Epiſtolæ dixi etiam nunc repeto, nos velle pacem Chriſti, optare concordiam: & te rogare, vt illos moneas, pacem non extorquere, ſed velle. Sit præteritarum noſtrarum contumeliarum dolore contentus, veterata vulnera, ſaltem noua obliteret caritate. Sit talis, qualis ante fuit, quando nos ſuo arbitrio diligebat. Verba ei de alieno ſtomacho non fluant. Faciat quod vult, & non quod velle compellitur. Aut, quaſi pontifex, cunctis æqualiter imperet: aut quaſi imitator Apoſtoli vniuerſorum ſaluti ex æquo ſeruiat. Si talem ſe præbuerit, vltro præbemus manus, extendimus brachia, amicos & parentes habeat: & ſentiat in Chriſto, ſicut omnibus ſanctis ita & ſibi nos eſſe ſubiectos. Caritas patiens eſt, caritas benigna eſt, caritas non æmulatur, non inflatur, omnia ſuſtinet, omnia credit. Cunctarum virtutum mater eſt caritas & quaſi ſpartum triplex Apoſtoli ſententia roboratur dicentis. Fides, Spes, Caritas. Credimus, ſperamus, atque ita per Fidem, & Spem delectionis vinculo copulamur. Iccirco enim & nos patrias noſtras dimiſimus, vt quieti abſq; vllis ſimultatib. in agris & in ſolitudine viueremus vt pontifices Chriſti: qui tamē rectam fidem prædicant, non Dominorum metu, ſed patrum honore veneremur: vt deferamus Epiſcopis, & non ſub nomine alterius, alijs, quibus nolumus, ſeruire cogamur. Non ſumus tam inflati cordis, vt ignoremus, quid debeatur ſacerdotibus Chriſti, qui enim eos recipit nõ tam eos recipit, quam illum, cuius Epiſcopi ſunt: ſed contenti ſint honore ſuo Patres ſe ſciant eſſe, non Dominos maximè apud eos, qui ſpretis ambitionibus ſæculi, nihil quieti & otio præferunt. Tribuat autem orationib. tuis p Chriſtum Deus omnipotens vt pacis non ficto nomine, ſed verò & fideli amore ſociemur: ne mordentes inuicem, conſumamur ab inuicem. *To. ſecundo Epiſtola. 6[illegible]. ad Theoph. cap. 4.*

*Hieronymus vbiq; locorũ Eccleſiæ Romanæ coniũgitur & ei ſua ſubijcit omnia.*

*1. Cor. 9.*

*1. Cor. 13. Omnibus ſanctis Hieronymus ſe ſubijcit.*

*Eccleſ. 4.*

*Mat. 10.*

*Gal. 5.*

## *Articulus VIII. Petrum Apoſtolum non erraſſe cum à Paulo ad Galatas 2. per diſpenſationem non verè reprehenditur.*

SECVNDO loco quæris, cur dixerim in commentarijs Epiſtolæ ad Galatas, Paulum id in Petro non potuiſſe reprehendere, quod ipſe fecerat: nec in alio arguere ſimulationē, cuius ipſe tenebatur reus: & aſſeris reprehenſionē Apoſtolicam non fuiſſe diſpenſatoriam, ſed veram, & me non docere mendacium, ſed vniuerſa, quæ ſcripta ſunt, ita ſonare, vt ſcripta ſunt. Ad quæ primum reſpondeo, debuiſſe prudentiam tuam præfatiunculæ commentariorum meorum meminiſſe, dicentis ex perſona mea: quid igitur ego ſtultus, aut temerarius, qui id pollicear, quod ille non potuit? Minimè: quin potius in eo mihi videor cautior atq; timidior quod imbecillitatem virium mearum ſentiens Origenis commẽtarios ſecutus ſum, ſcripſit enim ille vir in Epiſtolam Pauli ad Galatas quinq; propria volumina: & decimum Stromateõ ſuorum librũ, commatico ſuper explanatione eius ſermone compleuit tractatus quoque varios, & excerpta quæ vel ſola poſſent ſufficere, compoſuit. Prætermitto Didymum videntem meum & Laodicenum de Eccleſia nuper egreſſum, & Alexandrum veterem hæreticum; Euſebium quoque Emiſenum, & Theodorum Heracleotem: qui & ipſi nonnullos ſuper hac re commentarios

*Gal. 2.*

*In huius Pauli loci explicatione 4. Græcos interpretes eſt ſequutus Hieronymus*

reliquerunt è quibus ſi vel pauca decerperem: fieret aliquid quod penitus contemneretur. Itaq;, vt ſimpliciter fatear, legi hæc omnia, & in mente mea plurima coaceruans, accito notario, vel aliena dictaui nec ordinis, nec verborum interdũ, nec ſenſuum memor. Iam Domini miſericordię eſt, ne per imperitiam noſtram ab alijs bene dicta diſpereant: & non placeant inter extraneos, quæ placeant inter ſuos. Si quid igitur reprehenſione dignũ putaueras in explanatione noſtra eruditionis tuæ fuerat quærere, vtrũ ea, q̃ ſcripſimus haberẽtur in gręcis: vt ſi illi nõ dixiſſent, tũc meã ꝓpriè ſententiam condemnares: præſertim cum liberè in præfatione confeſſus ſim, Origenis cõmentarios me eſſe ſecutum, & vel mea, vel aliena dictaſſe: & in fine eiuſdem capituli, quod reprehendis, ſcripſerim: Si cui iſte non placet ſenſus, quo nec Petrus peccaſſe, nec Paulus, procaciter oſtenditur arguiſſe maiorem debet exponere, quia conſequentia Paulus in altero reprehendat, quod ipſe commiſit. Ex quo oſtendi, me non ex definito id defendere, quod in Græcis legeram, ſed ea expreſsiſſe, quæ legeram: vt lectoris arbitrio derelinquerem, vtrum probanda eſſent, an improbanda. Tu igitur, ne, quod ego petieram, faceres, nouum argumentum reperiſti: vt aſſereres, gentiles, qui in Chriſtum credidiſſent, legis onere liberos, eos autem, qui ex Iudæis crederent, legi eſſe ſubiectos: vt per vtrorumque perſonam Paulus rectè reprehenderet eos, qui legem ſeruarent, quaſi doctor gentium: & Petrus iure reprehenderetur, qui princeps circunciſionis id imperauerit gentibus, quod ſoli, qui ex Iudæis erant, debuerunt obſeruare. Hoc ſi placet, immo quia placet, vt quicumq; credunt ex Iudæis, debitores ſint legis faciendæ, tu vt Epiſcopus, in toto orbe notiſsimus, debes hanc promulgare ſententiam, & in aſſenſum tuum omnes coepiſcopos trahere: ego in paruo tuguriolo cum monachis, id eſt, cum compeccatoribus meis, de magnis ſtatuere non audeo, niſi hoc ingenuè confiteri, me maiorum ſcripta legere, & in commentarijs, ſecundum omnium conſuetudinem, varias ponere explanationes, vt è multis ſequatur vnuſquiſque, quod velit. quod quidem te puto & in ſeculari litteratura, & in diuinis libris legiſſe, & probaſſe. Hanc autem explanationem, quam primus Origenes in decimo Stromateon libro, vbi epiſtolã Pauli ad Galatas interpretatur, & cęteri deinceps interpretes ſunt ſecuti, illa vel maximè cauſa ſub introducunt: vt Prophyrio reſpondeant blaſphemanti, qui Pauli arguit procacitatẽ quod principem Apoſtolorum Petrũ auſus, eſt reprehendere, & arguere in faciem, ac ratione conſtringere, quod malè fecerit, id eſt, in eo errore fuerit, in quo fuit ipſe, qui aliũ arguit delinquẽtem. Quid dicam de Ioanne, qui dudum in pontificali gradu Conſtantinopolitanam rexit Eccleſiã, & propriè ſuper hoc capitulo latiſsimũ exarauit librũ, in quo Origenis & veterum ſententiam eſt ſecutus? Si igitur me reprehẽdis errantem: patere me quæſo errare cum talibus: & cum me erroris mei multos ſocios habere perſpexeris, tu veritatis tuę ſaltem vnum adſtipulatorem proferre debebis. hæc ne explanatione vnius capituli Epiſtolæ ad Galatas. *Tom. 2. Epiſt. 89. ad Auguſt. ca. 2.*

*Petrus non peccauit.*

*Quomodo in explicatione ſcripturæ verſetur D. Hieronymus*

*Porphyrius agnouit Petrum eſſe Apoſtolorum principem.*

*Quintus Græcus interpres ſuperioribus aſſtipulatur Ioãnes Chryſoſtomus.*

SICVT ergo oſtendimus, Petrum bene quidem ſenſiſſe de abolitione legis Moſaicæ, ſed ad ſimulationem obſeruandæ eius timore compulſum. *Idem in fine.*

IDEO diſpertiam ei plurimos, &cæt.] prædam fortium Apoſtolis ſuis tradidit, atque diuiſit, vt Petrus, Iacobus, & Ioãnes circuncisi populi principes fierent, & Paulus, & Barnabas mitterentur ad gentes, locis non animo ſeparati, & ſub vno Domino in diuerſa ſtarent acie, vt agminis vtriuſque victoria, triumphum erigerent Saluatori. Ex quo qui diſpenſatoriam inter Petrum, & Paulum contentionem, verè dicunt iurgium fuiſſe, atque certamen, vt blaſphemanti Porphyrio ſatis faciant, & veteris legis ceremonias in Eccleſia Chriſti, à ſtirpe credentis Iſrael aſſerunt eſſe ſeruandas, debẽt & auream in mille annis expectare Hieruſalem: vt victimas immolent, & circuncidantur: vt in ſabbatho ſedeant, dormiant, ſaturentur, inebrientur, & ſurgant ludere, qui ludus offendit Deum. *Tom. 4. libr. 14. Commentari. in cap. 53. Eſaiæ.*

*Gal. 2.*

*Concordia Apoſtolorũ.*

*Ibidem.*

*Incommodũ et abſurdum magnum infert ex opinione cõtrariã Auguſtini.*

*Exod. 32.*

EPISTOLA ad Galatas hoc proprium habet; quod non ſcribit ad eos, qui ex Iudæis in Chriſtum crediderant, & paternas putabant ceremonias: obſeruãdus ſed ad eos, qui ex gentib. fidẽ euangelij receperant, & rurſum retro lapſi, quorũdã fuerant auctoritate deterriti: aſſerentiũ Petrũ quoq; & Iacobum, & totas Iudææ Eccleſias, Euãgelium Chriſti cũ lege veteri miſcuiſſe. Ipſum etiam Paulũ aliud in Iudæa facere, aliud nationib. prædicare, & fruſtra eos, in crucifixum credere, ſi id negligendum putarent quo Apoſ. principes obſeruarent. Quamobrem ita cautè inter vtrumque & medius incedit, vt nec Euangelij prodat gratiam, preſſus pondere, & auctoritate maiorũ: nec præceſſoribus faciat iniuriam, dum aſſertor eſt gratiæ. obliquè verò, & quaſi per cuniculos latenter incedens, vt Petrum doceat pro cõmiſſa ſibi circunciſionis plebe facere, ne ab antiquo repente viuendi more deſciſcens, in crucẽ ſcandalizata non crederet, & ſibi prædicatione gentiũ credita, æquum eſſe id pro veritate defendere, q̃ alius pro diſpenſatione ſimularet. Quod nequaquã intelligens Bataneotes, & ſceleratus ille Porphyrius, in primo operis ſui aduerſum nos libro Petrum à Paulo obiecit eſſe reprehenſum: quod non recto pede incederet ad Euangelizandũ, volens & illi maculam erroris inurere, & huic procacitatis, & in commune ficti dogmatis accuſare mendacium, dum inter ſe eccleſiarum principes diſcrepent. *To. 6. Proæ. Co. in Epi. ad Gal. in fine ferè.*

*Porphyrius voluit inſultare vtriquẽ Apoſtolo.*

CVM autem veniſſet Petrus Antiochiã, &c.] Ex eo quod Petrus antequam, quidam de Hieroſolymis Antiochiam venirent edebat cũ gentib. oſtenditur non eum oblitũ fuiſſe pręcepti. nullũ hominem communẽ & immundum dicere. Sed quia, propter eos, qui adhuc legem obſeruandã putabãt, paululum ſe à conuictu ſubtraxerat gẽtium (ita vt etiam cæteri qui ex Iudæis erant, ſimiliter facerent, & Barnabas qui cum Paulo in gentibus Euãgelium pędicabat, hoc facere cogeretur) hi qui Antiochiæ crediderant ex gentibus, nec fuerant circunciſi, compellebantur ad legis onera tranſcendere, non intelligentes diſpenſationẽ Petri qua Iudæos ſaluari cuperet ſed putantes ita ſe euangelij habere rationem. Cum itaquè vidiſſet Apoſtolus periclitari gratiam Chriſti, noua bellator vetus vſus eſt arte pugnã-

*Act. 10.*

*Diſpenſatio Petri.*



di, vt diſpenſationem Petri, qua Iudæos ſaluari cupiebat, noua ipſe contradictionis diſpenſatione corrigeret, & reſiſteret ei in facie non arguens propoſitum, ſed quaſi in publico contradicens: vt ex eo quod Paulus eũ arguens reſiſtebat, hi qui crediderant ex gentibus ſeruarentur. Quod ſi putat aliquis verè Paulum Petro Apoſtolo reſtitiſſe, & pro veritate euãgelij intrepidè feciſſe iniuriam præceſſori, nõ ei ſtabit illud quod & ipſi Paulus Iudæis Iudæus factus eſt, vt Iudæos lucrifaceret, & eiuſdẽ ſimulationis tenebitur reus, quando caput totondit in Cenchris, & facto caluitio, oblationem obtulit in Hieruſalem, & Timotheum circuncidit, & nudipedalia exercuit, quæ vtique manifeſtiſsimè de ceræmonijs Iudæorum ſunt. Si itaq; ipſe qui ad prædicationem gentium miſſus erat, non putauit abs re dicere. Sine offendiculo eſtote Iudæis & Eccleſiæ Dei: quo modo & ego omnibus per omnia placeo, nõ quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſaluentur: & fecit aliqua quæ contraria eſſent Euangelij libertati, ne ſcandalizaret Iudæos: qua autoritate, qua fronte audet hoc in Petro reprehendere, qui circunciſionis Apoſtolus erat, quod ipſe Apoſtolus gentium arguitur commiſiſſe? Sed vt ante iam diximus, reſtitit ſecundum faciem publicam Petro & cæteris: vt hyprocriſis obſeruandæ legis, quæ nocebat eis qui ex gentibus crediderant, correptionis hypocriſi emendaretur, & vterq; populus ſaluus fieret, dum & qui circunciſionem laudant, Petrum ſequuntur, & qui circuncidi nolunt, Pauli prædicant libertatem. Quod autem ait, reprehenſibilis erat: propterea in medo temperauit, vt intelligamus non tam Paulo eũ fuiſſe reprehenſibilem, quam his fratrib. cum quibus ante edens ſe ab eis poſtea ſeparabat. Vtilem verò ſimulationem, & aſſumendam in tempore, Iehu regis Iſrael nos doceat exẽplum: qui cum non potuiſſet interficere ſacerdotes Baal, niſi ſe finxiſſet velle idolum colere, dicens: Congregate mihi omnes ſacerdotes Baal ſi enim Achab ſeruiuit Baal in paucis, ego ſeruiã in multis. Et Dauid quando mutauit faciem ſuam coram Abimelech, & dimiſit eum & abijt. Nec mirum, quamuis iuſtos homines, tamen aliqua ſimulare pro tempore ob ſuam & aliorum ſalutẽ: cum & ipſe Dñs noſter non habẽs peccatũ nec carnẽ, peccati ſimulationẽ peccatricis carnis aſſumpſerit, vt condemnans in carne peccatũ nos in ſe faceret iuſtitiã Dei. Legerat vtiq; Paulus in Euangelio Dominum præcipientem: Si autem peccauerit in te frater tuus vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit lucifeceris fratrem tuum. Et quomodo cum etiam de minimis fratribus hoc faciendum iuſſerit, auſus eſt apoſtolorum maximum in publica facie tam procaciter tam conſtanter arguere: niſi & Petro ſic placuiſſet argui & Paulus non ei faceret iniuriam, de quo ante dixerat: Veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim: alium autem Apoſtolorum vidi neminem, Et rurſum: Qui enim operatus eſt Petro, in Apoſtolatum circunciſionis: Et infra: Petrus & Iacobus & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe, & cætera quæ in eius laudes perorat. Aliquotiens cum Adoleſcentulus Romæ controuerſias declamarem, & ad vera certamina fictis me litibus exercerem, currebam ad tribunalia iudicũ, & diſertiſsimos oratorum tanta inter ſe videbã acerbitate cõtendere vt omiſsis ſępe negocijs in proprias cõtumelias verterentur, & ioculari ſe inuicem dente morderent. Si hoc illi faciunt, vt apud reos nullam ſuſpicionẽ præuaricationis incurrant, & fallunt populum circunſtãtem: quid putamus tantas Eccleſiæ columnas, Petrum & Paulum, tanta vaſa ſapientiæ inter diſsidentes Iudæos atq; Gentiles facere debuiſſe? niſi vt eorum ſimulata contentio, pax credentium fieret, & Eccleſiæ fides ſancto in eos iurgio concordaret. Sũt qui Cepham, cui hic in faciem Paulus reſtitiſſe ſe ſcribit, non putent Apoſtolũ Petrum, ſed alium de Septuaginta diſcipulis iſto vocabulo nuncupatum. Et dicunt nequaquam Petrum à cõuictu gentium ſe potuiſſe ſubtrahere, qui & Centurionem Cornelium batizarat. Et cũ aſcendiſſet Hieroſolymam, diſcrepantibus aduerſus ſe qui erant ex circunciſione, & dicentibus: Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis? Poſt narrationem viſionis, tali reſponſionem ſuam fine concluſerit: Si ergo eandẽ gratiam dedit illis Deus, ſicut & nobis, qui credimus in Dominum Ieſum Chriſtum: ego quis erã qui poſſem prohibere Deum? Quibus auditis, tacuerunt & glorificauerunt Deum, dicentes: Ergo & gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit: maximè cum Lucas ſcriptor hiſtoriæ nullam huius diſſenſionis faciat mentionem, nec dicat vnquã Petrum Antiochiæ fuiſſe cum Paulo, & locũ dari Prophyrio blaſphemanti, ſi aut Petrus erraſſe ac Paulus procaciter Apoſtolorum principem confutaſſe credatur. Quibus primum reſpondendum, alterius neſcio cuius Cephę neſcire nos nomen: niſi eius qui & in Euangelio & in alijs Pauli Epiſtolis, & in hac quoque ipſa, modo Cephas, modo Petrus ſcribitur. Nõ quo aliud ſignificet Petrus, aliud Cephas, ſed quod quam nos Latinè & Græcè Petram vocemus, hanc Hebræi & Syri propter linguæ interſe viciniam Cephen nuncupent. Deinde totum argumentũ Epiſtolæ quod obliquè de Petro, Iacobo & Ioanne dicitur huic intelligentiæ repugnare. Nec mirũ eſſe ſi Lucas hanc rem tacuerit cum & alia multa quę Paulus ſuſtinuiſſe ſe replicat hiſtoriographi licentia prætermiſerit, & nõ ſtatim eſſe cõtrariũ, ſi quod alius ob cauſam dignum putauit relatu, alius inter cætera dereliquit. Deniq; primum Epiſcopũ Antiochenæ Eccleſiæ Petrum fuiſſe accepimus, & Romam exinde translatum quod Lucas penitus omiſit. Ad extremum, ſi propter Porphyrij blaſphemiam, alius nobis fingendus eſt Cephas, ne Petrus putetur erraſſe infinita de ſcripturis erunt radenda diuinis, quæ ille, quia non intelligit criminatur. Sed aduerſum Porphyrium, in alio, ſi Chriſtus iuſſerit, opere pugnabimus, nũc reliqua proſequamur. *T. 6. li. 1. C. in c. 2. ad Gal.*

*Non vere Paulum reſtitiſſe Petro ipſius Pauli exemplis & factis docet.*

*1. Cor. 9.*

*Ac. 14. et 21*

*Ibi. 16. et 24*

*1. Cor. 10.*

*Non potuit honeſtè in Petro, Paul' id reprehendere quod ipſemet commiſit.*

*2. Reg. 10. Vtilis ſæpe ſimulatio.*

*1. Reg. 21.*

*Luc. 17. Paulus non egit contra præceptum Chriſti de fraterna admonitione.*

*Progymnaſmata eloquẽtiæ Hieronymianæ.*

*Simulata cõtentio duorũ Apoſtolorũ fiebat pax credentium.*

*Act. 10.*

*Act. 11. Reprehendit eorũ opinionem qui Cepham hunc putant non fuiſſe Apoſtolum Petrum ſed vnũ hoc nomine ex 70. diſcipulis*

*Ioan. 1. 1. Co. 9. & 15*

*Cephas et Petr' idẽ ſignificant ſed in diuerſis linguis.*

*Lucas in Actis multa prætermiſit.*

*Petrus prim' Antiochenus Epiſcopus Romam inde translatus.*

SED cum vidiſſem quod non recto pede incederẽt, &c.] Sicut hi qui ſanis greſsib. claudicare ſe ſimulant, non vitiũ habent in pedibus, ſed eſt aliqua cauſa cur claudicẽt, ita & Petrus ſciens circũciſionẽ & præputiũ nihil eſſe, ſed obſeruationem mandatorũ Dei, edebat quidem ante cũ gentibus ſed pro tempore ab eis ſe, ne Iudęos à fide Chriſti perderet, ſubtrahebat. Vnde & Paulus eadẽ arte, qua ille ſimulabat ei reſtitit in faciem, & loquitur coram omnibus non tam vt Petrum arguat, quam vt hi quorum cauſa . etrus ſimulauerat,

*Similitudine claudicantiũ illuſtratur ſimulatio.*

corrigantur. Quod ſi cui iſte nō placet ſenſus quo nec Petrus peccaſſe, nec Paulus procaciter oſtenditur arguiſſe maiorem, debet exponere qua conſequentia hoc Paulus in altero reprehēdat, quod ipſe commiſit. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 2. ad Gal.*

*Act 16.*

*Tribus exemplis probat Paulum idē feciſſe quod in Petro reprehendit atque ideo non veram ſed ſimulatam fuiſſe reprehenſionem.*

LEGIMVS in eodem libro Perābulabat autem Paulus Syriam, & Ciliciam, confirmans Eccleſias: perueni tq; in Derben, & Liſtram: & Ecce diſcipulus quidam erat ibi, nomine Timotheus filius mulieris viduæ fidelis, patre autem gentili: huic autem teſtimonium reddebant, qui Liſtris erant, & Iconio fratres: hunc voluit Paulus ſecū proficiſci, & aſſumens circuncidit eum propter Iudęos, qui erant in illis locis, ſciebant enim omnes quod pater eius gentilis eſſet. O beate Apoſtole Paule, qui in Petro reprehenderas ſimulationem, quare ſubtraxiſſet ſe à gentibus propter metum Iudæorum, qui ab Iacobo venerant, cur Timotheum, filium hominis gentilis, vtiq; & ipſum gentilem (neq; enim Iudæus erat, qui non fuerat circumciſus) contra ſententiam tuam circuncidi coegiſti? Reſpondebis mihi: Propter Iudæos, qui erāt in illis locis. Qui igitur tibi ignoſcis in circumciſione diſcipuli venientis ex gentibus, ignoſce & Petro præceſſori tuo, quod aliqua fecerit metu fidelium Iudæorum.

*Acto. 18.*

Rurſum ſcriptum eſt: Paulus verò, cum adhuc ſuſtinuiſſet dies multos, fratribus valedicens: nauigauit Syriam, & cum eo Priſcilla, & Aquila, & totondit ſibi in Cenchris caput: votum enim habuerat. Eſto ibi timore Iudæorum compulſus ſit facere quod nolebat: quare comam nutriuit ex voto, & poſtea eam in Cenchris totondit ex lege, quod Nazaræi, qui ſe Deo vouerint, iuxta præceptum Moyſi facere conſueuerunt?

*Num 6.*

Verum hæc ad comparationem eius rei, quæ ſequitur, parua ſunt. Refert Lucas, ſacrę ſcriptor hiſtoriæ: Cum veniſſemus Hieroſolymam, libenter ſuſceperūt nos fratres: & ſequenti die Iacobus & omnes ſeniores, qui cum eo erant, Euāngelio illius comprobato, dixerunt ei: Vides frater, quot millia ſunt in Iudæa, qui crediderunt in Chriſto: & hi omnes æmulatores ſunt legis, audierunt autem de te quod diſceſsionem doceas à Moyſe, eorum, qui per gentes ſunt, Iudæorum, dicens, non debere eos circuncidere filios ſuos, neq; ſecūdum conſuetudinem ingredi. Quid ergo eſt? vtiq; oportet cōuenire multitudinem, audierunt enim te ſuperueniſſe. hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor votum habentes ſuper ſe, his aſſumptis, ſanctifica te cum ipſis, & impende in eos vt radant capita: & ſcient, omnes, quia, quę de te audierunt, falſa ſunt: ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem. Tunc Paulus aſſumptis viris, poſtero die purificatus, intrauit cum illis in templum, annuncians expletionem dierum purificationis donec offerretur ꝓ vnoquoq; eorū oblatio.

*Acto. 21.*

O Paule, & in hoc te rurſus interrogo, cur caput raſeris, cur nudipedalia exercueris de cærimonijs Iudæorum: cur obtuleris ſacrificia, & ſecundum legem pro te hoſtiæ fuerint immolatæ: Vtique reſpondebis, ne ſcandalizarentur, qui ex Iudæis crediderunt. Simulaſti ergo Iudæum, vt Iudæos lucrifaceres: & hanc ipſam ſimulationē Iacobus, & cęteri te docuere presbyteri: ſed tamē euadere nōn potuiſti: Orta enim ſeditione, cum occidendus eſſes, raptus es à tribuno, & ab eo miſſus Cæſaream, ſub cuſtodia militum diligenti, ne, te Iudæi, quaſi ſimulatorem ac deſtructorem legis, occiderent, atq; inde Romam perueniens in hoſpitio, quod tibi conduxeras, Chriſtum & Iudęis & gentibus prædicaſti, & ſententia tua Neronis gladio confirmata eſt.

*Acto. 23.*

*Acto. 28.*

Didicimus, quod propter metum Iudæorum & Petrus & Paulus ęqualiter finxerint ſe legis præcepta ſeruare: qua igitur fronte, qua audacia Paulus in altero reprehendit quod ipſe commiſit? Ego, immo alij ante me expoſuerunt cauſam, quam putauerant, nō officioſum mendacium defendentes, ſicut tu ſcribis, ſed oſtendentes honeſtam diſpenſationem, vt & Apoſtolorum prudentiā demonſtrarent, & blaſphemantis Porphyrij impudentiam coercerent, qui Paulū & Petrum puerili dicit inter ſe pugnaſſe certamine, immo exarſiſſe Paulum in inuidiam virtutum Petri, & ea ſcripſiſſe iactanter quæ vel non fecerit, vel, ſi fecerit, procaciter fecerit, id in alio reprehendens quod ipſe commiſerit. Interpretati ſunt illi, vt potuerunt, tu quo modo iſtum locum ediſſeras, vtiq; meliora dicturus, qui veterum ſententiam reprobaſti? *Tom. 2. Epiſtola 89. ad Auguſt. cap. 3.*

*Non officioſū mendacium defenditur, ſed honeſta diſpenſatio oſtenditur ad demonſtrandā prudentiam apoſtolorum & ad occurrendum blaſphemiæ Porphyrij.*

## *Caput X. De ſacris concilijs.*

### *Articulus I. Quæſtiones obſcuras & arduas in Eccleſia, Conciliorum generalium definitione terminari.*

ORTHODOX: ſub rege Conſtantino, Euſebio, & Hippatio conſulibus, nomine vnitatis & fidei infidelitas ſcripta eſt, vt nunc agnoſcitur: Nā illo tempore, nihil tam pium, nihil tam conueniens ſeruo Dei videbatur, quam vnitatem ſequi, & à totius mundi cōmunione non ſcindi, præſertim cum ſuperficies expoſitionis nihil tā ſacrilegū præferret. Credimus aiebant, in vnū verū Deū, Patrē omnipotentem. Hoc etiā nos cōfitemur. Credimus in vnigenitum Dei filium, qui ante omnia ſæcula, & ante omne principium natus eſt ex Deo, natum aūt vnigenitum ſolum, ex ſolo patre, Deum ex Deo, ſimilem genitori ſuo Patri, ſecundum ſcripturas: cuius natiuitatem nullus nouit, niſi qui ſolus eum genuit Pater. Nunquid hic inſertum eſt. Erat tempus quando non erat? vel de nullis extantibus, creatura eſt, filius Dei? perfecta fides eſt, Deum de Deo credere. Et natum aiebant vnigenitum ſolum, ex ſolo patre. Quid eſt natum? certè non factum. Natiuitas ſuſpicionem offerebat craturę. Addebant pręterea, Qui de cælo deſcendit, conceptus eſt de ſpiritu ſancto, natus ex Maria virgine, crucifixus à Pontio Pilato, tertia die reſurrexit à mortuis, aſcendit in cęlum, ſedet ad dextrā Dei Patris, venturus iudicare viuos & mortuos. Sonabant verba pietatem, & inter tanta illa præconia nemo venenum inſertum putabat de vſię vero nomine abiciendo, veriſimilis ratio prębebatur. Quia in ſcripturis aiebāt, nō inuenitē & multos ſimpliciores nouitate ſua ſcandalizat, placuit auferri. Non erat curæ epiſcopis de vocabulo, cū ſenſus eſſet in tuto. Deniq; ipſo in tempore cum fraudem fuiſſe in expoſitione rumor populi ventilaret; Valens, Murſienſis epiſcopus, q eam conſcripſerat præſente Tauro, ꝓtorij præfecto, qui iuſſu Regis ſinodo adderat, profeſſus eſt, ſe Arrianum non eſſe, & penitus ab eorum blaſphemijs abhorrere.



*Fraus hæreticorum & Valentis Imperatoris in Concilio Ariminenſi qua irretiti et capti fuerant pleriq; etiam Catholici Epiſcopi.*

Res ſecretè geſta, opinionem vulgi non extinxerat. Itaq; alia die in eccleſia, quæ eſt apud Ariminum, & Epiſcoporum ſimul & laicorum turbis concurrentib. Muzoneus, Epiſcopus prouinciæ byzantinæ, cui propter ætatem primæ ab omnibus deferebantur, ita locutus eſt: Ea quæ ſunt iactata per publicum, & ad nos vſq; perlata, aliquē è nobis ſanctitati veſtræ legere præcipimus: vt quæ ſunt mala & ab aurib. & à corde noſtro abhorrere debēt, omniū vna voce damnentur. Reſponſum eſt ab vniuerſis Epiſcopis placet. Itaque cum Claudius Epiſcopus prouinciæ Piceni, ex præcepto omnium blaſphemias, quæ Valentis ferebantur, legere cæpiſſet, Valens ſuas eſſe negās exclamauit, & dixit: Si quis negat Chriſtum Deum Dei filium, antè ſæcula ex patre genitū anathema ſit. Si quis creaturam filium Dei vt ſunt cæteræ creaturæ, Anathema ſit. Similiter dictū eſt, anathema ſit. Si quis dixerit, de nullis extantibus filiū, & non de Deo patre, Anathema ſit. Omnes conclamauerunt, anathema ſit. Si quis dixerit erat tempus, quando non erat filius anathema ſit. In hoc vero cuncti Epiſcopi, & tota ſimul Eccleſia, plauſu quodam & tripudio Valentis vocem exceperunt. Quod ſi quis à nobis fictum putat ſcrinia publica ſcrutetur. Plenæ ſunt certè Eccleſiarum arcæ & recens adhuc rei memoria eſt. Superſunt homines, qui illi ſynhodo interſuerūt. Et quod veritatem firmet, ipſi Arrani hæc ita vt diximus geſta non denegant.

*Conciliorum acta in ſcrinijs publicis & arculis Eccleſiæ reponebantur.*

Cum ergo cuncti, Valentem ad cælum laudibus tollerent, & ſuam in eū ſuſpicionem, cū pœnitentia damnarent; Idem Claudius, qui ſupra legere cæperat, ait: Adhuc ſunt aliqua, quæ ſubterfugerunt Dominū, & fratrem meum Valentem: quæ ſi vobis videtur, ne quis ſcrupulus remaneat, in commune damnemus. Si quis dixerit filium Dei, eſſe quidem ante omnia ſęcula, ſed nō ante omne omnino tempus, vt ei aliquid anteferat, Anathema ſit. Dixerunt cuncti, Anathema ſit. Multaque alia, quæ ſuſpicioſa videbātur, ad pronunciationem Claudij Valens condemnauit. Quæ ſi quis plenius diſcere cupit, in Ariminēſis Synhodi actis reperiet, vnde & nos iſta libauimus his ita geſtis, conciliū ſoluitur, læti omnes ad prouincias reuertuntur. Idē enim regi & bonis omnibus curæ fuerat, vt Oriens atq; occidens communionis ſibi vinculo necterentur. *Tom. 2: in Dialogo contra Luciſe. cap. 7.*

ASSCRIPTVS *hic locus de pſeudoſynhodo Ariminenſi eò quod Arriani ſe veram Oecumenicam ſynhodum imitari ſimulabant & hæreſin tegebant vt antiquitas modus & forma celebrandorum Conciliorum cognoſcatur.*

*Synhodi Nicænæ authoritas.*

CVM in Synhodo Nicæna, quæ propter Arianam perfidiam congregata eſt, octo Epiſcopos Arianos ſuſceptos ſciamus. Et Epiſcopus iam in mundo nullus ſit niſi quos ſynhodus illa ordinauit: Quo modo potuerunt aduerſum eam facere propter quam exitium ſuſtinuerunt? *Ibid.*

QVO modo poſtea non declinarunt, propter quos ſynhodus congregata eſt? Et quorū Epiſtolę & libri impietatis ante ſynhodum æditi vſque ad præſentem diem durant? Igitur cum illo tempore, trecenti & eo amplius Epiſcopi, paucos homines quos ſine damno Eccleſiæ abijcere poterant, ſuſceperint: miror quoſdam & certè Nicenæ fidei ſectatores tantæ duritiæ exiſtere, vt tres confeſſores, de exilio reuertentes, non putent id ob totius orbis ſalutem neceſſario facere debuiſſe, quod tot & tales viri voluntate fecerunt. *Ibidem.*

*Nicæna Synhodus 318. Epiſcoporum.*

QVIDAM Conſtantius, quo modo inquit dānabimus, quos ſynhodus Nicęna nō tetigit? Quę enim damnauit Arium damnauit vtiq; Origenem, ſi illius dogmata reprobaſſet. Scilicet, vno medicamine omnes ſimul morbos debere curari. Et idcirco ſpiritus Sancti neganda maieſtas eſt quia in illa ſynhodo ſuper ſubſtantia eius ſilentium fuit. De Ario tunc, non de Origene quæſtio fuit, de filio, non de ſpiritu ſancto. Cōfeſsi, quod negabatur, tacuerunt, de quo nemo quærebat. Quanquam latenter Origenem, fontem Arij percuſſerunt. damnantes enim eos, qui filium de patris negant eſſe ſubſtantia, illum pariter Ariumque damnauerunt. Alioqui hoc argumento, nec Valentinus, nec Marcion, nec Cataphryges, nec Manichæus damnari debēt: quia ſynhodus Nicena eos non nominat: quos certè ante ſynhodū fuiſſe, nō dubium eſt. Quod ſi quando vrgeri cæperint, & aut ſubſcribendum eis fuerit, aut excundum de Eccleſia: miras ſtrophas videas, ſic verba temperant, ſic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, vt & noſtram, & aduerſariorum confeſsionem teneant: vt aliter hæreticus, aliter catholicus audiat: quaſi non eodē ſpiritu & Apollo Delphicus, atque Loxias oracula fuderit, Cræſo & Pyrro diuerſis temporibus, ſed pari illudens ſtropha. *To. 2. Epiſt. 65 ad Pam. & Ocean.*

*Summa authoritas Nicænæ ſynhodi.*

*Origenes fons Arrij.*

*Strophæ hæreticorum.*

QVOD ſequitur de animarum ſtatu excuſari omnino non poteſt, dicit enim audio & de anima quæſtiones eſſe commotas: dè qua re vtrum recipi debet querimonia an abijci vos probate. Si autem & de me quid ſentiam quæritur: fateor me de hac quæſtione apud quamplurimos tractatorum diuerſa legiſſe. Legi quoſdam dicentes, quod pariter cum corpore per humani corporis traducem etiam animæ diffundantur: & hæc quibus poterant aſſertionibus confirmabant: quod puto inter latinos Tertullianum ſenſiſſe, vel Lactātium, fortaſsis & nōnullos alios. Alij aſſerunt quod formatis in vtero corporibus, Deus quotidie faciat animas, & infundat. Alij factas iam olim, id eſt, tunc cum omnia creauit ex nihilo nūc eas iudicio ſuo naſci diſpenſet in corpore. Hoc ſentit & Origenes, & nonnulli alij Gręcorū. Ego vero cū hæc ſingula legerim (Deo teſte dico) qa vſq; ad præsēs certi & definiti aliquid de hac quęſtione non teneo, ſed Deo relinquo ſcire quid ſit in vtero, & ſi cui ipſe reuelare dignabitur, ego tñ hæc ſingula & legiſſe me non nego, & adhuc ignorare confiteor, præter hoc, quod manifeſtè tradit Eccleſia, Deum eſſe & animarū & corporum conditorē. Antequā de ſenſibus diſputē Theophraſti verba mirabor. Audio, inquit, de anima quæſtiones eſſe cōmotas, de qua re vtrum recipi debeat querimōia, aut abijci, vos probate. Si quęſtiones de animæ ſtatu in vrbe cōmotæ ſunt: quæ eſt iſta querimonia vel querela, quæ vtrū recipi debeat epiſcoporū iudicio derelinquitur? niſi forte quæſtionē, & querimoniā idipſum ſignificare putat quia in Capri cōmentarijs huiuſcemodi figurā reperit. *To. 2. li. 2. Apol. aduerſ. Ruf. cap. 2. in princi.*

*De origine animæ variæ Patrum ſententiæ.*

*Id tenendum de dubijs quæſtionibus quod manifeſtè tradit in Oecumenicis Concilijs Eccleſia.*

*Epiſcoporum iudicio derelinquitur ancipites quæſtiones in Cōcilijs decidere.*

NON ſufficit Græcos & antiquos calūniari, de qb. pro vetuſtate tēporū, & lōginquitate regionū

*In legitimis ſynhodis ſex obſeruanda.*

*Imperatores iubebant congregari ſynhodos ſed ad petitionē & poſtulationē, ſummi Pontificis.*

habet licentiam quicquid voluerit mentiēdi venit ad latinum & primum ponit Hilariū confeſſorem, quod poſt Ariminēſem, ſynhodum liber illius falſatus ab hæreticis ſit: & de hac cauſa cum in concilio Epiſcoporum ei quæſtio moueretur, proferri librum de domo ſua iuſſerit: qui neſciēte ſe, in ſcrinijs ſuis hæreticus tenebatur: cumque prolatus fuiſſet & ab omnibus hæreticis iudicatꝰ auctor libri excommunicatus, de concilij conuētione diſceſſerit. Et tantę authoritatis ſe putat, vt cum hoc familiarib. ſuis narrat ſomnium, nemo ei contra confeſſorem, iſta ſimulanti audeat contradicere. Reſponde quæſo: Synodus à qua excōmunicatus eſt, in qua vrbe fuit? dic epiſcoporum vocabula: profer ſententias ſubſcriptionum, vel diuerſitatem vel conſonantiam: doce qui eo anno conſules fuerint, quis Imperator hanc ſynodū iuſſerit congregari: Galliæni tātū epiſcopi fuerint, an & Italię & Hiſpaniæ: certe quam ob cauſam ſynoduscongregata ſit. nihil horum nominas: ſed virum eloquentiſſimum, & contra Arianos latini ſermonis tubam, vt Origenem defendas excommunicatum à ſynodo criminaris. Sed confeſſoris calumnia vtcunq; toleranda eſt. *To. 2. lib. 2. Apologiæ aduerſ. Ruf. cap. 5. Fol. 247. fac. 1.*

## *Articulus II. Conciliorum plenariorum magnam authoritatem eſſe, quibus & prouincialia cedant, & doctores etiam ſi qui illis ab diſcrepent.*

*Omnis tam orientis quā occidentis ſynhodus pari ſententia & ſpiritu Origenem denunciat hereticum*

ERGO beati Epiſcopi Anaſtaſius & Theophilus. & Venerius, & Chromatius, & omnes tā orientis quam occidentis catholicorū ſynhodus, qui pari ſententia, quia pari & ſpiritu illum hæreticum denunciant populis, fines librorum illius iudicandi ſunt, quando in Eccleſijs prædicant, non ſcripturarum myſteria, ſed Origenis furta commemorant? *Tom. 2. lib. 2. aduerſ. Ruffinum cap. 6. in medio.*]

*Multorum in vna re ſententia atq; conſenſus plurimum facit ad mores corrigendos.*

IN alijs Epiſtolis Soſthenes & Siluanus interdum & Timotheus in exordio præponuntur: in hac tantum, quia neceſſaria erat plurimorum authoritas, omnium fratrum nomen aſſumitur. Qui & ipſi forſitan ex circumciſione erant & à Galatis non contēptui, ducebātur. plurimū quippe facit ad populum corrigendum multorum in vna re ſententia atq; conſenſus. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 1. ad Galatas folio. 120. facie. 2.*

## *Articulus III. Ad communes prouinciæ vel regionis cauſas tractandas, concilia Epiſcoporum à Metropolitano, vel primate conuocanda eſſe.*

*Synhodica Epiſtola Theophli.*

THEOPHILVS, Cæſareæ paleſtinæ (quæ olim turris Stratonis vocabatur) Epiſcopus, ſub Seuero principe aduerſum eos, qui decima quarta luna cum Iudęis Paſcha faciebant, cū cæteris Epiſcopis Synodicam valde vtilē compoſuit Epiſtolam *To. 1. de viris Illuſ. in Theop. Cæſarenſi.*

LVCIFER Si potes oſtende poſt Synodū Nicęnā illos in perfidiā declinaſſe. orthodox: Rectè propoſuiſti. Solent. n. oculis clauſis denegare, q non credunt factū eſſe, quod nolunt. Sed quo modo poſtea non declinarunt, propter quos Synodꝰ congregata eſt? & quorū Epiſtolæ & libri impietatis ante ſynhodū editi, vſq; ad præſentem diē durant? Igitur cum illo tempore trecēti & eo amplius epiſcopi, paucos homines, quos ſine damno Eccleſię abijcere poterāt, ſuſceperint, miror quoſdā & certê Nicęnæ fidei ſectatores tantæ duritiæ exiſtere, vt tres confeſſores, de exilio reuertentes nō putent id ob totius orbis ſalutē neceſſario facere debuiſſe, q tot & tales viri voluntate fecerūt. Sed vt dicere cæperamus, poſt reditum confeſſorum in Alexādria poſtea ſynodo conſtitutū eſt, vt exceptis auctoribus hæreſeos, quos error excuſare non poterat, pænitentes Eccleſiæ ſocientur: non quod Epiſcopi poſsint eſſe, qui hæretici fuerant, ſed quod cōſtaret, eos qui reciperentur, hęreticos non fuiſſe, Aſſenſus eſt huic ſententiæ occidens: & per tam neceſſarium concilium Satanæ faucibus mundus ereptus eſt. *Tom. 2. in Dialogo contra Luciferianos cap. 7.*

*Per tam neceſſarium cōcilium Nicænum ſatanæ faucibus mūdus ereptus eſt.*

*Synhodus Africana Carthaginenſis Cypriani authoritate coacta reuocata authoritate Concilij generalis*

CONATVS eſt & Beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena: & idcirco hæreticorū baptiſma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ vrbis Epiſcopum. qui à beato Petro viceſimus ſextus fuit, ſuper hac re ſynhodum Africanam direxit: ſed conatus eius fruſtra fuit Denique illi ipſe Epiſcopi, qui rebaptizandos hæriticos cum illo ſtatuerant ad antiquā conſuetudinem reuoluti, nouum emiſere decretum. *Ibid. cap. 8. in medio.*

*Quod totus orbis accuſab in Concilijs Oecumenicis id damnādū.*

SEPTVAGINTA libros eius, vt meus neceſſarius criminatur, in Latinum verteram & multa de tomis. Nunquam de opere meo fuit quæſtio. Nunquam Roma commota eſt. Quid neceſſe erat Latinis auribus tradere, quod deteſtatur & Græcia quod orbis accuſat? Ego per tot annos tam multa conuertens nunquam ſcandalo fui: tu ad primum & ſolum opus, ignotus prius, temeritate factus es nobilis. *Tom. 2. lib. 1. aduerſus Ruffinium cap. 2. vltra medum.*

*Concilia Oecumenica cō congreganda ad damnandas hæreſes.*

DIGNATIONIS tuæ eſt, quæ in huiuſcemodi certaminibus ſæpe ante nos pugnauit, & poſitos in prælio conſolari, & congregare totius inſulæ Epiſcopos, ac ſynhodicas litteras tam ad nos, q̄ Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopū & ſi quos alios putaueris mittere: vt conſenſu omnium & ipſe Origenes nominatim, & hęreſis neſaria condemnetur. didici enim, quod Calumniatores veræ fidei Ammonius Euſebius, & Euthimiꝰ nouo pro hæreſi furore bacchantes, Cōſtantinopolim nauigarint. & vt nouos, ſi quos voluerint, decipiant: & veterib. ſuæ impietatis ſocijs coniungātur. Curæ igitur tuæ ſit, vt cunctis Epiſcopis per Iſauriam atq; Pamphiliam, & cęterarum prouinciarum, quæ in vicino ſunt, rei ordinem pandas, & noſtram, ſi dignum putas, epiſtolam ſubijcias vt omnes vno ſpiritu congregati, cum virtute Domini noſtris Ieſu Chriſti tradamus eos ſatanę in interitū impietatis, quę poſsidet eos. Et vt celerius noſtra Conſtantinopolim ſcripta perueniant, mitte induſtrium virum & aliquem de clericis ſicut & nos de ipſis Nitriæ monaſterijs patres monachorum, cum alijs ſanctis & continentiſsimus viris miſimus, qui poſsint cūctos in præſenti docere, q̄ geſta ſunt: & ſuper omnia quęſumus vt impēſas ad Dñm fundas preces, quo poſumus etiā in iſto certamine victoriā conſequi non etiam parua lætitia & in Alexandria & per totam Aegyptum populorum corda peruaſit ex quo pauci homines eiecti ſunt, vt purum corpus eccleſiæ permaneret. *T. 2. Epiſt. 67. ad Epiph. Fo. 298.*

*Damnatio hæreticorum*

*Hæretici eijciendi vt purum Eccleſiæ corpus permaneat*



*Mala germina hæreſeōn acuta falce ſuccidenda.*

ADIVTARE ergo Papa amantiſsime, atque beatiſsime, & per omnem occaſionem ad occidentales epiſcopos ſcribe, vt mala germina acuta, vt ipſe ſignificas, ſuccidere falce non ceſſent. *To. 2. Epiſt. 72. ad Theoph. in ſine.*

RVRSVM quia datur locus pœnitentiæ, poſt immunditiæ correptionem viceſima quarta die ſermo Dei fuit, ad Aggęum prophetam: vt quaſi ex perſona Domini quæſtionem à ſacerdotibus ſciſcitetur, ex lege venientem, & dicitur ei: interroga ſacerdotes legem, dicens: ſimulq; conſidera ſacerdotum eſſe officij de lege interroganti reſpondere. Si ſacerdos eſt, ſciat legem Domini. Si ignorat legem, ipſe ſe arguit non eſſe Domini ſacerdotem, ſacerdotis enim eſt ſcire legem, & ad interrogationem reſpondere de lege. Quod quidem & in Deuteronomio legimus: vt ſicubi in vrbibus Iſrael quæſtio fuerit exorta inter ſanguinem & ſanguinem, inter iudiciū & iudicium, lepram & lepram, contradictionem & contradictionē: eant ad ſacerdotes atq; leuitas, & ad pontificem, qui in diebus illis fuerit conſtitutus, & quærant ab eo legem Domini: quibus reſpondentibus, faciant quod iubentur. Quid ſi nō fecerint, extermin ētur de populo. Et ne forſitā in veteri ſolum inſtrumēto hæc præcepta videantur, loquitur & Apoſtolus ad Timotheum: Epiſcopum non ſolum irreprehenſibilem eſſe debere, & vnius vxoris virum, & ſapiētem, & pudicum, & ornatum & hoſpitalem, ſed etiam doctorem. E ne caſu hoc dixiſſe videretur: ad Titum quoque ſuper presbyteris, (quos & epiſcopos intelligi vult) ornandis, eadem cautela ſeruatur. Propter hoc reliqui te Cretæ, vt quæ reſidua erant, corrigeres, & ordinares, ꝑ ciuitates presbyteros, ſicut ego præcepi tibi: Si quis irreprehenſibilis, vnius vxoris vir: filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ, vel non ſubiectos. Oportet enim epiſcopum irreprehēſibilem eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: non procacem, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum: ſed hoſpitalem, pudicum, benignum, iuſtum ſanctum, continentem, habentem in doctrina ſermonem fidelem: vt poſsit conſiliari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. Sunt enim multi & non ſubiecti, vaniloqui, & ſeductores, & maximè q de circunciſione ſunt, quibus oportet imponere ſilentium. Hæc prolius poſui, vt tam ex veteri quam ex nouo teſtamento ſacerdotum eſſe officium nouerimus, ſcire legem Dei & reſpondere ad quę fuerint interrogati. *Tom. 5. Co. in cap. 2. Aggæi fol. 228. facie.*

*Deut 17.*

*Omnes quæſtiōes dubiæ ad Concilia Epiſcoporum & ſacerdotum referendæ.*

*1. Tim. 3.*

*Titum. 1.*

*Officium ſacerdotum.*

## *Articulus. IIII. Definitioni Concilij legitimi acquieſcendum eſſe.*

*Poſt Oecumenici Concilij Nicæni definitionem nil amplius requirendū in deciſa cōtrouerſia.*

NVNC pro dolor, poſt Nicęnam fidem, poſt Alexandrinum iuncto pariter occidente decretum, trium hypoſtaſeon ab Arrianorum præſule & Campenſibus, nouellum à me, homine Romano, nomen exigitur. Qui quæſo, iſta Apoſt. prodidere? quis nouus magiſter gētiū Paulus hæc docuit? *T. 2. epi 57. ad Damaſum in medio.*

TV qui regulas quæris eccleſiaſticas; & Nicęni concilij canonibus vteris; & alienos clericos, & cum ſuis epiſcopis commorātes tibi niteris vſurpare; reſponde mihi, ad Alexandrinum epiſcopum Paleſtina quid pertinet: ni fallor, hôc ibi decernitur, vt Paleſtinæ metropolis Cæſaria ſit, & totius orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæſarienſem epiſcopū referre debueras; cui, ſpreta cōmunione tua, communicare nos noueras, aut ſi procul expetendum iudicium erat, Antiochiam potius litteræ dirigēdæ. Sed noui, cur Cæſariam, cur Antichiam nolueris mittere, ſciebas quid fugeres, quid vitares, maluiſti occupatis auribus moleſtiam facere, quam debitum metropolitano tuo honorem reddere. *Tom. 2. epiſt. 61. ad Pam. cap. 15. in principio.*

*Nicæni Concilij Canon ſequendus.*

EXCEPTIS his verbis quæ ab vno paſtore ſūt data, & à concilio atque conſenſu prolata ſapiētium: nihil facias, niſi tibi vindices: maiorum ſequere veſtigia, ab eorum auctoritate non diſcrepes: alioqui quærēti malum, infinitus librorum numerus occurret: qui te protrahat ad errorem, & legentem multa, fruſtra faciet laborare. *Tom. 5. Com. in ca. 12. Eccleſiaſtis. Fol. 33. facie. 1.*

*Niſi Concilia Oecumenica et eccleſiam ſequamur ſemper erimus dubij et incerti.*

## *Articulus. V. Patres qui erāt in concilijs geſta ſua & decreta cum Romano Pontifice communicaſſe, eiuſque authoritate confirmari voluiſſe.*

*In controuerſijs arduis Romanus Pōtifex vocabat epiſcopos*

CVM me Romam cum ſanctis pontificibus, Paulino & Epiphanio, eccleſiaſtica traxiſſet neceſsitas; quorum alter Antiochenam Syriæ, alter Salaminiam Cypri rexit eccleſiā, & verecundè nobilium fœminarū oculos declinarē: ita egit, ſecundum Apoſtolum, importunè, opportunè, ne pudorem meum ſua ſuperaret induſtria. *Tom. 1. Epiſtol. 16. ad Principiam cap. 3. in medio.*

*Imperiales literæ cōuocabant cœtū epiſcoporum Romam vt cum Pontifice conferrēt.*

CVM orientis & occidētis epiſcopos ob quaſdam eccleſiarum diſſenſiones Romam imperiales litterę contraxiſſent, vidit admirabiles viros, Chriſtique Pontifices; Paulinum Antiochenæ vrbis epiſcopum; & Epiphanium Salaminæ Cypri quę nūc Conſtantia dicitur quorū Epiphaniū etiā hoſpitē habuit; aulinū, in aliena ma nentē domo, quaſi proprium humanitate poſſedit: quorū accēſa virtutibus, per momēta patriā deſerere cogitabat, non domus non liberorum, non familię, non poſſeſsionum, non alicuius rei, quæ ad ſeculum pertinet, memor, ſola, ſi dici poteſt, & incomitata ad eremum Antoniorum, atque Paulorū pergere geſtiebat, tandemq; exacta hieme, aperto mari, redeuntibus ad eccleſias ſuas epiſcopis, & ipſa voto cum eis ac deſiderio nauigauit. *Tom. 1. Epiſt. 27. ad Euſtochium cap. 2. in fine ferè.*

*Polycarpus Romam venit ad Pontificem Anicetum ob quæſtiones quaſdam ſuper die Paſchæ.*

POLYCARPVS, Ioannis Apoſtoli diſcipulus, & ab eo Smyrnæ epiſcopus ordinatus, totius Aſiæ princeps fuit. Quippe qui nonnullos Apoſtolorum, & eorum qui viderant Dominū, magiſtros habuerit & viderit. Hic propter quaſdam ſuper die Paſchæ quęſtiones, ſub Imperatore Antonino pio, eccleſiam in vrbe regente Aniceto, Romam venit, vbi plurimos credentium, Marcionis & Valentini perſuaſione deceptos reduxit ad fidem. *To. 1. de viris Illuſt. in Polycarpo.*

*Pontificis Damaſi decreto ſubmittit ſe Hieronymus.*

DISCERNITE ſi placet, obſecro: non timebo tres hypoſtaſes dicere: ſi iubetis condatur noua poſt Nicęnam fides: & ſimilibus verbis, cum Arianis confiteamur orthodoxi. *To. 2. Epiſt. 57. ad Damaſum in medio.*

Ex diſpenſatione Dei factum puto, vt eo in tempore tu quoque ad Anaſtaſium Papam ſcriberes,& noſtram dum ignoras ſententiam roborares. Verum à te nunc admoniti, magis ſtudium accommodabimus, vt hic & procul ſimplices ab errore reuocemus. Nec timeam' odia ſubire quorundam. Non enim debemus hominibus placere, ſed Deo: quamquam ardentius ab illis defẽdatur hæreſis, quam à nobis oppugnetur. Simulque obſecro, vt ſi qua ſynodica habes, ad me dirigas; quo poſſim, tanti põtificis auctoritate firmatus, liberius & confidentius pro Chriſto ora reſerare. *To. 2. Epiſt. 71. ad Theophilum.*

*Theophilus & Hieronymus Põtificis authoritate roborãt ſuã ſententiam.*

PRAEDICATIONEM quoq; Cathedræ Marci Euangeliſtæ Cathedra Petri Apoſtoli ſua prędicatione confirmet. Quanquam celebri ſermone vulgatum ſit, beatum quoque Papam Anaſtaſium eodem feruore, quia eodem ſpiritu eſt, latitantes in foueis ſuis hæreticos perſecutum: eiuſque litteræ doceant, damnatum in occidente, quod in oriente damnatum eſt. Cui multos imprecamur annos; vt hæreticorum rediuiua plantaria, per illius ſtudium longo tempore arefacta moriantur. *Tomo. 2. Epiſtola. 78. ad Pammachium & Marcellam.*

*Cathedra Petri confirmat Cathedram Marci.*

VVLT paſcere, quos curauit: prius aufert debilitates vt poſtea ſanis offerat cibos. Conuocat quoque diſcipulos ſuos, et quid facturus eſt loquitur: vt magiſtris exemplum tribuat, cum minoribus atque diſcipulis communicanda eſſe cõſilia. *Tom. 6. lib. 2. Comment. in cap. 16. Matthæi. Cano: 32. facie. 1.*

*Magiſtri eccleſiæ cum diſcipulis debent conſilia cõmunicare.*

IN alijs epiſtolis Soſthenes & Siluanus, interdum & Timotheus aſſumitur: in quattuor tamẽ Timotheus: quia vel eodem tẽpore, vel præſente Timotheo, cæteriſque dictatæ ſint. Quod ego duplici factum ex cauſa dico; vt & epiſtola maiorem haberet authoritatem, quæ non ab vno ſcribebatur, & quia nulla æmulatio erat inter Apoſtolos, ſi quid fortè Paulo dictante, alij ſpiritus ſuggeſsiſſet, abſque vlla triſtitia addebat Paulus in literis, quas dictabat. Secundum id quod ipſe Corinthijs præcepit, vt ſi alio prophetante, alij fuerit reuelatum, taceat ille, qui peius prophetabat: Ita ipſe quoque præceptum ſuum opere complebat: & propter pauca, quæ alio addiderat ſuggerẽte, vt ſuã, ita alternis quoq; epiſtolam præſcribebat. *Tom. 6. lib. 1. cap. 1. ad Philemonem fol. 213. facie. 1.*

*Maiorem habent authoritatẽ dogmata quæ à pluribus approbantur.*

## *Articulus VI. hæreticorum mores, fraus & infidelitas circa Concilia.*

SED quæſo te, vt mihi omnem cauſam, quare ab Arianis venientes Eccleſia recipiat, non quaſi aduerſario, ſed quaſi diſcipulo explices. Nam cum tibi verba reſpondere nõ poſſim, animo tamen necdum aſſentior. ORTH. *d.* ſub rege Conſtantino, Euſebio, Hippatio conſulibus, nomine vnitatis & fidei infidelitas ſcripta eſt, vt nunc agnoſcitur. Nam illo tempore nihil tam pium, nihil tam conueniens ſeruo Dei videbatur, quam vnitatẽ ſequi & à totius mundi cõmunione non ſcindi, præſertim cum ſuperficies expoſitionis nihil iam ſacrilegũ præferret. Credimus aiebant, in vnum verum Deum, patrem omnipotentem. Hoc etiam nos confitemur. Credimus in vnigenitum Dei filiũ, qui ante omnia ſæcula, & ante omne principiũ natus eſt ex Deo; natum autem vnigenitum ſolum ex ſolo patre, Deum de Deo, ſimilem genitori ſuo patri ſecũdum ſcripturas; cuius natiuitatem nullus nouit, niſi qui ſolus genuit pater. Nunquid hic inſertũ. Erat tempus quando non erat? vel de nullis extantibus creatura eſt filius Dei? perfecta fides eſt, Deum de Deo credere. Et natum aiebant vnigenitum ſolum, ex ſolo patre. Quid eſt natum? certe non factum. Natiuitas ſuſpicionem auferebat creaturæ addebat præterea qui de cælo deſcẽdit, conceptus eſt de ſpiritu Sancto, natus ex Maria virgine, crucifixus à Pontio Pilato, tertia die reſurrexit à mortuis aſcendit in Cælũ, ſedet ad dextrã Dei patris, venturus iudicare viuos & mortuos. Sonabant verba pietatem; & inter tanta illa præconia nemo venenum inſertum putabat. De vſiæ vero nomine abijciendo, veriſimilis ratio præbebatur. Quia in ſcripturis, aiebant, non inuenitur, & multos ſimpliciores nouitate ſua ſcãdalizat: placuit auferre non erat curæ epiſcopis de vocabulo, cum ſenſus eſſet in tuto. Denique ipſo in tempore cum fraudem fuiſſe in expoſitione rumor populi ventilaret, Valens Muccienſis epiſcopus, qui eam conſcripſerat præſente Tauro, prætorij præfecto, qui ex iuſſu Regis Synhodo aderat, profeſſus eſt ſe Arianum nõ eſſe & penitus ab eorum blaſphemijs abhorrere. Res ſecretò geſta opinionem vulgi non extinxerat. Itaque alia die in Eccleſia, quæ eſt apud Ariminũ & epiſcopis ſimul & laicorũ turbis concurrentibus, Muzonius epiſcopus, prouinciæ Byzantinæ cui propter ætatem primæ ab omnibus deferebantur, ita locutus eſt: Ea q̃ ſunt iactata per publicum, & ad nos vſque perlata, aliquem è nobis ſanctitati veſtræ legere præcipimus: vt quæ ſunt mala, & à corde noſtro abhorrere debent, omnium vna voce damnẽtur. Reſponſum eſt ab vniuerſis epiſcopis, placet. Itaq; cum Claudius, epiſcopus prouinciæ Piceni, ex præcepto omnium blaſphemias, quæ Valẽtis ferebantur, legere cæpiſſet Valens ſuas eſſe negans, exclamauit & dixit: Si quis negat, Chriſtum Deum, Dei filium, ante ſæcula ex patre genitum, anathema ſit. Ab vniuerſis conſonatum eſt, anathema ſit. Si quis negat filium ſimilem patri ſecũdum ſcripturas, anathema ſit. Omnes reſponderunt, Anathema ſit. Si quis filium Dei non dixerit æternum cum Patre, anathema ſit. Ab vniuerſis conclamatum eſt, anathema ſit. Si quis dixerit creaturam filiũ Dei, vt ſunt cæteræ creaturæ, anathema ſit. Similiter dictum eſt, anathema ſit. Si quis dixerit, de nullis extantibus filium, & non de Deo patre, Anathema ſit. Omnes conclamauerunt, anathema ſit. Si quis dixerit, erat tempus; quando non erat filius, anathema ſit. In hoc vero cuncti epiſcopi, & tota ſimul eccleſia plauſu quodam & tripudio Valẽtis vocẽ exceperunt. Quod ſi quis à nobis fictũ putat ſcrinia publica ſcrutetur. Plenæ ſũt certè eccleſiarũ arcæ, & recẽs adhuc rei memoria eſt. ſuperſunt homines, q illi ſynhodo interfuerũt; & quod veritatem firmet, ipſi Ariani hæc, ita, vt diximus, geſta non denegant. Cum ergo cuncti Valentem ad cælum, laudibus tollerent, & ſuam in eum ſuſpicionem cum pœnitentia damnarẽt, idem Claudius qui ſupra legere cæperat, ait: adhuc ſunt aliqua, quæ ſubterfugerunt Dominũ, & fratrem meum Valentem: quæ ſi vobis videtur,

*Nomine fidei infidelitas eſt ſcripta.*

*Fraudulẽta fidei Confeſſio in Concilio Ariminenſi.*

*Venenum latet ſub verbis pietatis.*

*Vſiæ vocem nõ recipiunt Ariani quia nõ eſt in ſcripturis.*



tur, ne quis ſcrupulus remaneat, in commune damnemus. Si quis dixerit filium Dei eſſe quidẽ ante omnia ſæcula ſed non ante omne omnino tempus, vt aliquid anteferat, anathema ſit. Dixerunt, anathema ſit. Multaque alia quæ ſuſpicioſa videbantur, ad pronunciationem Claudij Valens condemnauit: quę ſi quis plenius diſcere cupit, in Ariminenſis ſynhodi actis reperiet, vnde & nos iſta libauimus. His ita geſtis, concilium ſoluitur, læti omnes ad prouincias reuertuntur. Idem enim, Regi & bonis omnibus curæ fuerat vt oriens atque occidens communionis ſibi vinculo necterentur. Sed diu ſcelera non latent: & cicatrix malè obducta, incocto pure dirũpitur. Cœperunt poſtea Valens, & Vrſacius, cæterique nequitiæ eorũ ſocij, egregij videlicet Chriſti ſacerdotes, palmas ſuas iactitare, dicentes ſe filiũ nõ creaturam negaſſe, ſed ſimilem cęteris creaturis. tunc Vſiæ nomen abolitum eſt, tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata eſt. Ingemuit totus orbis, & Arianum ſe eſſe miratus eſt. Igitur alij intra ſuam communitionem remanere, alij ad eos confeſſores, qui ſub nomine Athanaſij exulabant, cęperunt litteras mittere: nonnulli initam ſocietatem meliorum deſperatione plãxerunt: pauci verò (vt ſe natura hominũ habet) errorem pro concilio defenſauere. Periclitabatur nauicula Apoſtolorum: vrgebant venti: fluctibus latera trudebantur: nihil iam ſupererat ſpei. Dominus excitatur, imperat tempeſtati beſtia moritur, tranquillitas redit. Manifeſtius dicam Omnes epiſcopi, qui de proprijs ſedibus fuerant exterminati, per indulgentiam noui principis redeunt. Tũc triumphatorem ſuum Athanaſium Aegyptus excepit: tunc Hilarium, de prælio reuertentem, Galliarũ eccleſia complexa eſt: tunc ad reditũ Euſebij lugubres veſtes Italia mutauit. Cõcurrebant Epiſcopi, qui Ariminenſib. dolis irretiti, ſine conſcientia hęretici ferebantur, conteſtantes corpus Domini, & quicquid in Eccleſia ſanctum eſt, ſe nihil mali in ſua fide ſuſpicatos. Putauimus, aiebant, ſenſum congruere cum verbis; nec in eccleſia Dei, vbi ſimplicitas, vbi pura confeſsio eſt, aliud in corde clauſum eſt, aliud in labijs proferri timuimus. Decepit nos bona de malis exiſtimatio. Non ſumus arbitrati ſacerdotes Chriſti aduerſus Chriſtum pugnare. Multaque alia, quæ breuitatis ſtudio prætereo, flentes aſſerebãt, & parati ad ſubſcriptionem priſtinam, & omnes Arianorum blaſphemias condemnare. Hoc loco interrogo iſtos nimiũ religioſos, quid de confeſſoribus agendum putauerint? Depoſitis, inquient, veteribus epiſcopis, nouos ordinaſſent. Tentatum eſt. Sed quotuſquiſque benè ſibi conſcius patitur ſe deponi? præſertim cum omnes populi, ſacerdotes ſuos diligentes, penè ad lapides & ad interemptionem deponentium eos conuolauerunt? Manſiſſent, aiunt, intra ſuã communionem. Hoc eſt dicere irrationabili crudelitate orbem totum diabolo condonaſſent. Cur damnaſſent eos, qui Ariani non erant? cur Eccleſiam ſcinderent, in concordia fidei permanentẽ? cum deniq; credentes bene, obſtinatione ſua facerent Arianos. Nam cum in Synhodo Nicena, quæ ꝓpter Arianã perfidiam cõgregata eſt, octo epiſcopos ſuſceptos ſciam' & epiſcop' iã in mũdo nullus ſit, niſi quos ſynhodus illã ordinauit: quo modo potuerunt aduerſum eam facere, propter quam exilium ſuſtinuerunt? LVCIF. *d.* An tandem, & tunc recepti ſunt Ariani? quinam, quęſo? ORTHODOX. *d.* Euſebius, epiſcopus Nicomedienſis; Theogonus, Epiſcopus Nicenus, Saras, tunc presbyter Libyæ; Euſebius Epiſcopus Cæſareæ Paleſtinæ; & reliqui, quos enumerare longum eſt; ipſe quoque caput horum & cauſa malorum, Arius, presbyter & Euzonius diaconus, qui poſt Eudoxium Antiochen' epiſcopus fuit, & Achilles. Hi quippe tres, Alexandrinę eccleſię clerici auctores huius hæreſeos extiterunt. LVC. Si quiſpiam neget eos fuiſſe ſuſceptos, quo modo reuincetur? ORTHODOX. *d.* ſuperſunt adhuc homines, qui illi ſynhodo interfuerunt, & ſi hoc parum eſt, quia propter temporis antiquitatem rari admodum ſunt, & in omni loco teſtes adeſſe non poſſunt. legamus acta & nomina epiſcoporum ſynhodi Nicenæ: & hos quos ſupra diximus fuiſſe ſuſceptos, ſubſcripſiſſe homuſiõ, inter cæteros reperiemus. LVCIF. *d.* Si potes, oſtende poſt ſynhodum Nicenam illos in perfidiam declinaſſe. ORTHOD. *d.* Rectè propoſuiſti. ſolent enim oculis clauſis denegare, qui non credunt factum eſſe quod nolunt. Sed quomodo poſtea non declinarunt propter quos ſynhodus congregata eſt? & quorum epiſtolæ & libri impietatis ante ſynhodum editi, vſque ad præſentem diem durant? Igitur cum illo tempore trecenti & eo amplius Epiſcopi, paucos homines, quos ſine damno eccleſiæ abijcere poterant, ſuſceperint, miror quoſdam & certè Nicenæ fidei ſectatores, tantæ duritiæ exiſtere vt tres confeſſores, de exilio reuertentes, nõ putent id ob totius orbis ſalutem neceſſario facere debuiſſe, quod tot & tales viri voluntate fecerunt. Sed vt dicere cęperamus poſt reditum confeſſorum in Alexãdriam poſtea ſynhodo conſtitutum eſt, vt exceptis auctoribus hæreſeos, quos error excuſare nõ poterat, pœnitentes Eccleſiæ ſociarentur non quo epiſcopi poſsint eſſe, qui hæretici fuerãt: ſed quod conſtaret, eos qui reciperentur, hęreticos non fuiſſe. Aſſenſus eſt huic ſententiæ occidens; & per tam neceſſarium conciliũ, Satanæ faucibus mundus ereptus eſt. Ventum eſt ad aſperrimũ locum, in quo aduerſum voluntatem & propoſitum meum cogor de beato Lucifero ſecus, quicquam quam & illius meritum & mea humanitas poſſit exiſtimare. Sed quid faciam veritas os reſerat & inuitam linguam conſcium ad eloquendum pectus impellit. In tali articulo eccleſiæ, in tanta rabie luporum, ſegregatis paucis ouibus, reliquũ gregem deſeruit, bonus quidem ipſe paſtor, ſed multam prædam beſtijs relinquens. Prætereo illa, quæ quidam ex maledicis, quaſi ſatis firma, defendunt; hoc illum amore gloriæ, & nominis in poſteros tranſmittendi feciſſe; nec non & pro ſimultate, quam aduerſus Euſebiũ propter Antiochenam diſſenſionẽ ſuſceperat, nihil iſtorum de tali viro credo: vnum eſt, quod etiam in præſenti conſtanter loquar, verbis eum à nobis diſſentire, non rebus; ſiquidem eos recipiat, qui ab Arianis baptiſma conſecuti ſunt.

*Fraus detecta.*

*Quæ conſequuta poſt apertum dolum.*

*Matt. 8. cap.*

## *Articul. VII. In concilijs epiſcopi repræſentant totam eccleſiam.*

VOBIS dicitur populis, &c.] Non quo omnes populi vniuerſarum nationũ in campo Dura potuerint congregare, & adorare ſta-

*In capitibus & principib.*

*& epiſcopis colientis continetur & populus.*

tuam auream: ſed quo in principibus cunctarū gentium, omnes gentes & populi adoraſſe credantur. *To. lib. Co. in cap. 3. Dan. Fol. 500. facie. 2.*

EODEM ſenſu accipiendum quo ſuprà: vt oēs populos intelligamus in principib'. Neq;.n. adeſſe vniuerſæ ſimul poterant nationes. *Ibidem.*

## *Ar. VIII. De pſeudoſynhodis.*

*In Ariminenſi Synhodo ſub nomine fidei infidelitas ſcripta eſt.*

ORTHODOXE, ſub rege Conſtantino, Euſebio, & Hippatio conſulibus, nomine vnitatis & fidei infidelitas, ſcripta eſt, vt nūc agnoſcitur: nam illo tempore nihil tam pium, nihil tā conueniens ſeruo Dei videbatur, quam vnitatem ſequi, & totius mundi communione non ſcindi; præſertim cum ſuperficies expoſitionis nihil iam ſacrilegum præferret. *Tom. 2. in Dialog. contra Lucif. in medio.*

*Africana Carthaginēſis pſeudo ſynhodus.*

CONATVS eſt & B. Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena; & iccirco hæreticorum baptiſma reprobans, ad Stephanū, tunc Romanæ vrbis epiſcopum, qui à Beato Petro viceſimusſextus fuit, ſuper hac re Africanam ſynhodum direxit: ſed conatus eius fruſtra fuit. Deniq; illi epiſcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo ſtatuerant, ad antiq; conſuetudinem reuoluti, nouū emiſere decretum. *Ibi. c. 8. in medio.*

*Pſeudoſynhodus Dioſpolitana.*

QVICQVID in illa miſerabili ſynhodo Dioſpolitana dixiſſe ſe denegat in hoc ope cōfitetur. *To. 2. epiſt. 79. ad Alipium & Auguſt. Fol. 304.*

# *Cap. XI. De authoritate patrum Doctorumq; Eccleſiæ.*

## *Art. I. Neminum patrum habere parem cū ſcripturis authoritatem.*

*Apoſtoli ſēper vera dicunt reliqui tractatores, ſi non omnes ſaltem ſinguli poſſunt errare.*

SCIO me aliter habere Apoſt. aliter reliquos tractatores: illos ſēp vera dicere, iſtos in quibusdā vt homines aberrare. Nouū defenſionis genus, ſic Origenis vitia nō negare, vt cum illo cæteros crimineris, videlicet quem apertè defendere non audeas, multorū ſimili errore tuearis. Sex millia Origenis tomos non poterat quiſquam legere, quos ille nō ſcripſit: faciliuſq; credo teſtem huius ſermonis, quā auctorem eſſe mentitū. *To. 2. epiſt. 62. ad Theop. c. 2.*

CONFITEMINI & vos in quibuſdam errare Origenem, & vim vltra non faciā: Dicite eum male ſenſiſſe de filio, peius de ſpiritu ſancto: animarum de cælo ruinas impiè protuliſſe; reſurrectionem carnis verbo tantum confiteri, cæterū aſſertione deſtruere, et poſt multa ſæcula, atque vnam omnium reſtitutionē, idipſum fore Gabrielem, quod diabolū, Paulum, quod Caiphā, virgines quod proſtibulas. Cum hęc reieceritis, & quaſi cenſoria virgula ſeparaueritis à fide Eccleſiæ: tuto legam cætera: nec venena iam timebo, cum antidotum præbibero. non mihi nocebit, ſi dixero Origenes cum in cæteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipſe ſe vicit, nec formidabo ſententiam, qua illum doctorem Eccleſiarum quondā adoleſcentulus nominaui: niſi fortè accuſare debui, cuius rogatus opuſcula transferebam & dicere in prologo: Hic cuius interp̄tor libros, hæreticus eſt, caue lector ne legas: fuge viperam, aut ſi legere volueris, ſcito à malis hoībus & hæreticis corrupta eſſe, quæ tranſtuli.

*Singulorum priuatorum Patrum ſcripta ad normā eccleſiæ examinanda.*

nō debeas: ego n. omnia, quæ vitiata fuerant, correxi, hoc eſt alijs verbis dicere: ego qui interpretor catholicus ſum, hic quem interpretor, hæreticus eſt. *To. 2. epiſt. 65. cap. 2.*

*Origenes nō eſt ... dus ... lo vel ... lis. Gal. 1.*

ERRAVERVNT in fide, alij tam Græci, quā Latini: quorū non neceſſe eſt proferre nomina, ne videamus eum non ſui merito, ſed aliorū errore defendere. Hoc nō eſt, inquies, excuſari Origenem, ſed accuſare cæteros. Pulchrè ſi eū erraſſe non dicerē, ſi in fidei prauitate ſaltē Apoſt. Paul. vel angelū de cælo audiendū crederē, nunc verò, cū ſimpliciter errorē eius fatear, ſic legē vt cæteros, quia ſic errauit, vt cęteri. Sed dicas: ſi multorū cōmunis eſt error, cur ſolū perſeq̃mini? Quia vos ſolū laudatis, vt apoſtolū. Tolle amoris ὑπερβολὴν, & nos tollimus odij magnitudinē; cæterorum vitia de libris ſuis ad hoc tātum excerpitis, vt huius defendatis errorē: Originē ſic fertis in cælū; vt nihil eum erraſſe dicatis. *To. 2. epi. 65. ca. 3.*

*Diſcrimen inter libros Canonicos Prophetarū apoſtolorum & inter tractatorum Patrum ſcripta.*

EGO enim fateor charitati tuæ; ſolis eis ſcripturarū libris, qui iā canonici appellātur, didici hūc timorē honoremq; deferre, vt nullū eorum auctorē ſcribendo aliquid erraſſe firmiſsimè credā; at ſi aliquid in eis offendero, quod videatur contrarium veritati: nihil aliud, quā vel mendoſum eſſe codicē, vel interpretē non aſſecutū eſſe quod dictū eſt, vel me minimè intellexiſſe, non ambigam. alios aūt ita lego vt quātalibet ſanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideò verū putem, quia ipſi ita ſenſerūt, ſed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, q̄ à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt. Nec te, mi frater, ſentire aliquid aliter exiſtimo: prorſus, inquam, non te arbitror ſic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum & Apoſtolorum: de quorum ſcriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium eſt: abſit hoc à pia humilitate tua, & veraci de temetipſo cogitatione. *To. 2. epiſt. 97. Fol. 325.*

*Solæ ſcripturæ non errant.*

QVANQVAM, ſicut paulò ante dixi, tantummodo ſcripturis canonicis hanc ingenuam debeam ſeruitutem; qua eas ſolas ita ſequar, vt cōſcriptores earū nihil in eis omnino erraſſe, nihil fallaciter poſuiſſe non dubitem. *Ibid. Fol. 239.*

*Paulus nullius pro legē authoritate mouetur qui ſolum Chriſtum habet euangelij præceptorem.*

NOTVM enim vobis facio fratres euangeliū.] Poteſt autem: ſicut in principio diximus, cū exponeremus: Paulus Apoſt. non ab hominib. neq; per hominē: ita & in pręſenti loco obliquè in Petrum accipi, & in cæteros præceſſores eius, quod nullius pro lege authoritate moueatur, qui Chriſtum ſolum Euangelij habeat præceptorem. *Fol. 123. pag. 1.*

*Quicquid apoſtolicæ doctrinæ aduerſatur, id non habet authoritatem.*

DOMINVS narrabit in ſcriptura populorum &c.] Quod dicit, hoc eſt. Sicut ſcripſerunt Apoſtoli, ſic & ipſe Dominus, hoc eſt, per euangelia ſua loquutus eſt, non vt pauci intelligerent, ſed vt omnes. Plato ſcripſit in ſcriptura, ſed non ſcripſit populis. ſed paucis. Vix enim intelligunt eos homines. Iſti verò, hoc eſt principes Eccleſię & principes Chriſti, non ſcripſerunt paucis, ſed vniuerſo populo. Et principum, hoc eſt Apoſt. & euāgeliſtarū, horum, qui fuerunt in ea. Videte, quid dicat: Qui fuerunt. non q̄ ſunt, vt exceptis Apoſtolis, quodcūq; aliud poſtea dicetur, abſcindatur, nō habeat poſtea auctoritatē. Quamuis ergo ſanctus ſit aliquis poſt Apoſtolos: quāuis diſertus ſit, nō habet auctoritatem. Quoniam Dominus narrat in ſcriptura populorū, & principū qui fuerunt in ea. *To. 7. Com. in Pſal. 86. Fol. 110. pag. 1.*



*Maiorem authoritatem habet Domini præceptū quam ſermo cuiuſcunque.*

OMNE quod loquimur, debemus affirmare de ſcripturis ſanctis: In ore .n. duorum & trium teſtium ſtabit omne verbum. Non habet tantam auctoritatē ſermo dicentis, quantū Domini pręceptum. *To. 7. Com. in Pſal. 98. Folio 126. pag. 1.*

## *Artic. II. Grauem eſſe ſanctorum, Eccleſiæ Doctorum auctoritatem qua & hæreſes proterantur.*

*Cenſura de ſeptē patrib.*

SI haberes hoc fundamentum, immò ſi quaſi extrema manus operi tuo, induceretur; nihil pulchrius, nihil doctius, nihil dulcius, nihilque latinius tuis haberemus voluminibus. Tertullianus creber eſt in ſententijs, ſed difficilis in loquendo. Beatus Cyprianus, inſtar fontis puriſsimi, dulcis incedit & placidus: & cum totus ſit in exercitatione virtutum, occupatus perſecutionum anguſtijs de ſcripturis diuinis nequaquā diſſeruit. Inclyto Victorinus martyrio coronatus, quod intelligit eloqui non poteſt, Lactantius, quaſi quidam fluuius eloquentiæ Tullianæ, vtinam tam noſtra confirmare potuiſſet, quam facilè aliena deſtruxit. Arnobius inæqualis, & nimius eſt abſque operis ſui partitione cōfuſus. Sanctus Hilarius Gallicano cothurno attollitur: & cum Græciæ floribus adornetur, lōgis interdū periodis inuoluitur, & à lectione ſimpliciū fratrū p̄cul eſt. Taceo de cæteris vel defunctis, vel etiā adhuc viuentibus, ſuper quib. in vtramque partem poſt nos alij iudicabunt. *Tom. 1. epiſt. 13. ca. 4.*

*Authoritas ſcriptorum D. Hieronymi ſuo ſeculo.*

PERPENDAT prudentia tua, qua Lucinius noſter dignus mercede ſit; qui clauſit aurem, ne audiret iudicium ſanguinis; & omnem ſubſtantiam ſuā diſperſit, & dedit pauperibus, vt iuſtitia eius maneret in æternum: nec patriæ ſuæ largitate contentus miſit Hieroſolimarū & Alexādrinæ eccleſiæ tantum auri, quanto multorum inopiæ poſsit ſubueniri, quod cū multi mirentur & prædicent; ego in illis laudabo feruorem & ſtudium ſcripturarum. Quo ille deſiderio, opuſcula noſtra flagitauit & miſsis ſex notarijs, quia in hac prouincia latini ſermonis ſcriptorūque penuria eſt; deſcribi ſibi curauit, quæcunq; ab adoleſcentia vſque in præſens tempus dictauimus? non nos honorauit, qui paruuli & minimi Chriſtianorum omnium ſumus, & ob conſcientiam peccatorum, Bethlehemitici ruris ſaxa incolimus: ſed Chriſtū qui honoratur in ſeruis ſuis, & Apoſtolis repromittit, dicens. Qui vos recipiunt me recipiunt: & qui me recipiunt recipiunt eum qui me miſit. *Tomo. 1. Epiſtola. 29. ad Theodoram.*

*Matt. 10.*

*S. Antonius commendat Dydimum.*

BEATVS Anthonius cum à ſancto Athanaſio, Alexandriæ Epiſcopo, propter confutationē hæreticorum in vrbem Alexandriam eſſet accitus; & iſſet ad eum Dydimus, vir eruditiſsimus capt⁹ oculis: inter cæteras ſermocinationes quas de ſcripturis ſanctis habebant, cum eius admiraretur ingenium, & acumen animi collaudaret, ſciſcitans ait: Num triſtis es, quod oculis carnis careas? cum ille pudore reticeret; ſecundo tertioque interrogans, tādem elicuit, vt mœrorem animi ſimpliciter fateretur. Cui Anthonius, Miror, ait, prudentem virum eius rei dolere damno, quam formicæ, & muſcæ, & culices habent: & non lætari illius poſſeſsione, quam ſancti ſoli; & Apoſtoli meruerunt: ex quo peruides, quod multo melius ſit ſpiritu videre, quam carne; & illos oculos poſsidere, in quos peccati feſtuca nō poſsit incidere. *Tomo primo Epiſt. trigeſima tertia ad Caſtrutium*

*Luc. 6.*

*Mutuus amor inter ſanctos Patres.*

CVM in vrbem leges anteriori tempore commeaſſem; nimium ſum contriſtatus, quod te totum ibidem minimè potui reperire, inueni enī te medium & vt ita dicam partem animæ tuæ. Seuerum cariſsimū: de quo ex parte gauiſus ſū: perfectè enim gauderem, ſi te totum inuenirem &c. Et paulo poſt: Ergo, quia in Domino te diligo, dilige diligentem: & vt cæteri tecum diligant, per eccleſiaſticam authoritatē hortare. *To. 1. epiſt. 40. ad Auguſt.*

*Viri eccleſiaſtici muri et turres Eccleſiæ.*

AD viros eccleſiaſticos, qui muri & turres Eccleſiæ nuncupantur loquitur ſermo propheticus dicēs: muri Sion, proferte lachrymas, implētes illud Apoſtoli: Gaudete cum gaudentibus. Flete cum flentibus: vt dura corda peccantium veſtris lachrymis prouocetis ad fletum, ne perſeuerantes in malitia, audiant. Ego plantaui te vineam frugiferam omne ſemen verum; quomodo verſa es in amaritudinē vitis alienæ? &c. *Tom. 1. Epiſt. 46. ad Ruſtic. ca. 2.*

*Thre. 1.*

*Rom. 12.*

*Hier. 2.*

*Quanti & quales viri eccleſiam ornauerunt.*

DISCANT ergo Celſus, Porphyrius, Iulianus, rabidi aduerſum Chriſtum, canes, diſcant eorū ſectatores, qui putant eccleſiam nullos philoſophos, & eloquentes nullos habuiſſe doctores, quanti & quales viri eam fundauerint, extruxerint & ornauerint: & deſinant fidem noſtram ruſticæ tantum ſimplicitatis arguere, ſuamq; potius imperitiam agnoſcant. *Tom. 1. lib. de viris Illuſt. Fol. 119 facie. 1.*

*Laus Polycarpi.*

POLYCARPVS, Ioannis Apoſtoli diſcipulus & ab eo Smyrnæ epiſcopus ordinatus totius Aſiæ princeps fuit. Quippe qui nonnullos Apoſtolorū & eorū qui viderant Dominū, magiſtros & habuerit viderit. Hic propter quaſdam ſuper die Paſchę quęſtiones, ſub Imperatore Antonino Pio. eccleſiam in vrbe regente Aniceto, Romam venit, vbi plurimos credentiū, Marcionis & Valentini perſuaſione deceptos, reduxit ad fidē. *Ibi.*

MVSANVS, nō ignobilis inter eos, qui de Eccleſiaſtico dogmate ſcripſerunt ſub imperatore Marco Antonio Vero, confecit librum aduerſus quoſdam fratres, qui de eccleſia ad Encratitarum hæreſim declinauerant. *Ibidem. Tom. 1. de Viris Illuſtribus.*

*Schola eccleſiaſtica Panteni eiuſque ſumma authoritas vide Euſebium in hiſtoria eccleſiaſtica.*

PANTAENVS, Stoicæ ſectæ philoſophus, iuxta quandam veterem in Alexandria conſuetudinem, vbi à Marco euangeliſta ſemper eccleſiaſtici fuēre doctores, tantæ prudentię & eruditionis, tam in ſcripturis diuinis, quā in ſeculari litteratura fuit vt in Indiam quoque, rogatus ab illius gentis legatis à Demetrio Alexandriæ epiſcopo mitteretur: vbi repperit, Bartholomæum, de duodecim Apoſtolis aduentum Domini Ieſu, iuxta Matthæi euangelium, prædicaſſe, quod Hebraicis litteris ſcriptum, reuertens Alexandriam, ſecum retulit. Huius multi quidem in ſanctam ſcripturam extāt commentarij, ſed magis viua voce eccleſijs profuit. *Ibid.*

MILTIADES, cuius Rhodō in opere ſuo, q̄ aduerſus Montanum, Priſcillam, Mximiliamque compoſuit: recordatur, ſcripſit contra eoſdē volumen præcipuum: & aduerſus gentes Iudæosque hos libros alios: & principi illius temporis Apologeti cum dedit. *Ibid.*

SERAPION Θμόεως; Aegypti vrbis epiſcopus, qui ob elegantiam ingenij, cognomẽ Scholaſtici meruit, carus Antonio Monacho, edidit aduerſus Manichæum egregium librum, & de Pſalmorum titulis alium, & ad diuerſos vtiles epiſtolas. *Ibidem.*

*Tertulliani laus.*

TERTVLLIANVS presbyter, nunc demum primus poſt Victorem & Apollonium latinorũ ponitur, prouinciæ Africæ, Carthaginienſis, patre centurione proconſulari. Hic acris & vehementis ingenij, ſub Seuero principe & Antonino Caracalla floruit, multaque ſcripſit volumina: quæ quia nota ſunt pluribus, ꝑtermittimus. *Ibid.*

BERILLVS, Arabiæ Boſtrenus Epiſcopus, cũ aliquanto tempore glorioſè rexiſſet eccleſiam, ad extremum lapſus in hæreſim quæ Chriſtum ante incarnationem negat, ab Origene correctꝰ, ſcripſit varia opuſcula: & maximè epiſtolas, in quib. Origeni gratias agit: ſed & Origenis ad eũ litteræ ſunt. *Ibid.*

*De Ambroſio.*

AMBROSIVS, Mediolanenſis epiſcopus, vſque in præſentem diem ſcribit: de quo quia ſupereſt, meum iudicium ſubtraham: ne in alterutram partem aut adulatio in me reprehendatur aut veritas. *Ibid.*

*Hypoliti ſcripta.*

HYPOLITVS. ſcripſit nonnullos in ſcripturas commentarios, è quibus hos reperi, in ἑξαήμερον, & in Exodum, & in Canticum Canticorũ, in Geneſim, & in Zachariam, de Pſalmis & in Eſaiam. De Daniele, De Apocalypſi, De Prouerbijs, De eccleſiaſte; De Saul, de Phytoniſſa, de Antichriſto, De reſurrectione mortuorum, contra Marcionem, de Paſcha, aduerſum omnes hæreſes, & προτομιλιῶν, de laude Domini Saluatoris; in qua præſente Origene ſe loqui in Eccleſia, ſignificat. *Ibid.*

PAMPHILVS presbyter, Euſebij Cæſarienſis epiſcopi neceſſarius tanto amore bibliothecæ diuinæ flagrauit, vt maximam partem Origenis voluminum ſua manu deſcripſerit, quæ vſque hodie in Cæſarienſi bibliotheca habentur: ſed et in Duodecim prophetas viginti quinque ἐξηγήσεων. Origenis volumina, manu eius exarata, reperi; quę tãto amplector, & ſeruo gaudio, vt Crę ſi opes habere me credã, ſi enim lętitia eſt, vnam epiſtolam habere martyris: quanto magis tot millia verſuum, per quæ mihi videtur ſui ſanguinis ſignaſſe veſtigia? *Ibid.*

*Operum Origenis Encomium & precium.*

*Tertullianus non fuit homo eccleſiæ.*

SED quoniam iam è cautibus & confragoſis locis enauigauit oratio, pandẽda ſunt vela, & in epilogos illius irruendum; in quibus ſciolus ſibi viſus, Tertullianum in teſtimonium vocat, & Victorini, Pictauienſis epiſcopi, verba proponit. Et de Tertulliano quidem nihil amplius dico, quam eccleſię hominem nõ fuiſſe. De Victorino vero id aſſero, quod & de euangeliſtis, fratres enim dixiſſe Domini nõ filius Marię, fratres autem eo ſenſu, quem ſuperius expoſuimus, ꝓpinquitate, non natura. Verum nugas terimus & fonte veritatis omiſſo, opinionũ riuulos conſectamur; Nunquam non poſſum tibi totam veterum ſcriptorum ſeriem commouere. Ignatiũ, Polycarpũ, Iræneum, Iuſtinum martyrem, multoſq; alios Apoſtolicos & eloquentes viros, qui aduerſus Hebionem & Theodorum Byzantium & valentinum, hæc eadem ſentientes, plena ſapientiæ Volumina cõſcripſerunt? quæ ſi legiſſes aliquando plus ſaperes. *Tomo ſecundo Epiſt. ad Helnidium. caput 9.*

*Totam veterum ſcriptorum ſeriem commonet.*

*Patres qui aduerſus gẽtiles ſcripſerunt.*

ORIGENES, Methodius, Euſebius, Apollinarius, multis verſuum milibus ſcribunt aduerſus Celſum, & Porphyrium. Conſiderate, quibus argumentis & quã lubricis problematibus Diaboli ſpiritu contexta ſubuertant: & quia interdum coguntur loqui, non quod ſentiunt ſed quod neceſſe eſt, dicũt aduerſus ea, quæ dicunt gentiles. Taceo de Latinis ſcriptoribus, Tertulliano, Cypriano, Minucio, Victorino, Lactãtio, Hilario, ne non tam me defendiſſe, quam alios videar accuſaſſe Et paulo poſt. Et hæc dicerem, ſi vincendi ſtudio contra regulã ſcripturarum quippiam locutus fuiſſem & ſicut viri fortes in controuerſijs ſolent facere, culpam præmio redimerẽ. Nũc vero cum interpres magis Apoſtoli fuerim, quã dogmatiſtes, & commẽtatoris vſus ſum officio; quicquid durũ videtur, ei magis imputetur quẽ expoſuimus, quam nobis qui expoſuimus. *To. 2. in Apol. ad Pammachium cap. 4.*

*Singuli Patres errarẽ poſſunt.*

VTIQVE ſi me errare arbitratus eſt (in multis enim offendimus omnes; & ſi quis in verbo non peccat, hic perfectus eſt vir) debuit vel arguere, vel interrogare per literas, quod vir eruditus & nobilis fecit Pammachius: cui ego reſponſum dedi, vt potui; & epiſtola lõgiore diſſerui, quo qdque ſenſu dixerim. *Tom. 2. epiſt. 51. ad Domnionem.*

*Epiphanij laus.*

HABES papam Epiphanium, qui te apertè literis miſsis hæreticum vocat, certè nec ætate nec ſcientia, nec vitę merito, nec totius orbis teſtimonio maior illo es. *Tom. 2. Epiſtol. 61. ad Pammachium cap. 1. de Epiphanio.*

*Theophili laus.*

EPISTOLA tua, hæreditatis Dominicę te indicans poſſeſſorem qui pergens ad patrem Apoſtolis loquebatur: pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: illius quoq; fælicitatis cõpotem te eſſe teſtata eſt, in qua beati pacifici nũcupantur. blandiris vt pater, erudis vt magiſter inſtituis vt pontifex. Veniſti ad nos nõ in auctoritate virgæ, ſed in ſpiritu benignitatis & lenitatis & manſuetudinis: vt humilitatem Chriſti primo ſtatim ſermone reſonares: qui mortaliũ genus non fulminans & tonans, ſed in præſepi vagiens, & tacens, ſaluauit in cruce. *Tomo 2. epiſt. 62. ad Theophilum.*

*Encomium Origenis. Geneſ. 34.*

VVLT aliquis laudare Origenem? laudet vt laudo, magnus vir ab infantia, & verè Martyris filius: Alexandriæ eccleſiaſticam ſcholam tenuit, ſuccedens eruditiſsimo viro Clemẽti presbytero. *To. 2. Epiſt. 65. cap. 3.*

*Doctores ſunt muri eccleſiæ.*

MVRI quoque extruuntur excelſi, ne cito ciuitas deſtruatur, ne hoſtibus pateat: quia circundantur Eccleſiæ à ſapientiſsimis viris, & omni ratione firmãtur: ne quod dogma peruerſum ꝑualeat viritati. De huiuſmodi muris Deꝰ loquitur ad Hieruſalem: Ecce ſuper manus meas depinxi muros tuos: & in cõſpectu meo, ſunt ſemper. Sunt autẽ alij, qui prius impugnauerant Eccleſiam, cognita veritate tranſierint ad fidem, & pugnauerint pro ea quam ante impugnauerant: tunc illud implebitur: cito ædificaberis ab ijs, à quib. deſtructa eras. *T. 4. C. in ca. 2. Eſa. Fol. 9. pa. 2.*

*Eſaia 49.*

*Exod 52. Patres eccleſiæ architecti, fabri & agricolæ.*

ET ſapientem architectum] Pro quo Aquila tranſtulit, ſapientiſsimum artificem, vt oſtenderet eos plures quondam habuiſſe artifices: & ille fuit Beſeleel filius Vri, filij Vt de tribu Iuda: quẽ impleuit Deus ſpiritu ſapientiæ & intelligentiæ ac diſciplinæ: vt in omni opere faber eſſet perfe-



ctiſsimus, non ſolum in auro & argento, ſed & in ære, & cæteris quæ Moyſes enumerat, qui ædificauit tabernaculum Dei: illis ergo perdẽtibus architectos, omnis ædificãdi gratia translata eſt ad Eccleſiam. Vnde Paulus Apoſtolus dicit: Quaſi ſapiens architectus fundamẽtum poſui. Et Hieremias architectus erat, qui non ſolum eradicabat, & ſuffodiebat & perdebat, ſed & ædificabat. Vnde idem Apoſtolus loquitur: Dei agricultura Dei ædificatio ſumus. Dominus quoque noſter appellatur ſtructor maceriarũ. Et in Euangelio, filius fabri ſugillatur, qui vniuerſa cõdiderit. In regum quoque volumine legimus quod miſerit rex Salomon & tulerit Hyram Tyrium, filiũ mulieris viduæ, qui erat de tribu Nepthalim, & habebat patrem Tyrium, artificem æris. Ingreſſuſque eſt ad regem, & fecit omnia opera regi Salomoni: in quo typus eſt ædificandæ Eccleſiæ: quod non ſolum de tribu Iuda, ſed de fide Nepthalim quoque & patre Tyrio generatus ſit: qui habuit matrem viduam, quia priorem virũ perdiderat. Et multo plures ſunt filij deſertæ, magis quam eius quæ habet virum. Sed & in paralipomenon libro legimus vallem artificum, Saraias autem genuit Ioab patrem vallis artificum: ibi quippe artifices erant. Qui propterea habitare dicuntur in valle, quod non eos inflabat ſcientia: ſed humilem atq; manſuetum ſequebantur Ieſum, & cum Apoſtolo dicere poterant: Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari apoſtolus. Et alibi. Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus: & nunc per ſpeculum videmus in ænigmate.

*1. Cor. 3. Hiere. 1. 1. Cor. 3. Eſai. 50. Matt. 13. Eſai. 15. 1. Cor. 15. 1. Cor. 13.*

*1. Cor. 12. In eccleſia et ſynagoga certi qui diſcernebant ſpiritus.*

ET prudentem eloquij myſtici] Pro quo ſeptuaginta interpretati ſunt, prudentem auditorẽ: Theodotiom, prudentem incãtatorem: Aquila prudentem ſuſurratorem: Symmachus, prudentem eloquij myſtici: quem & nos in hoc loco ſequuti ſumus. Dicendum primum iuxta Lxx. ꝙ inter cæteras gratias ſpiritales etiam prudens auditor in Eccleſia neceſſarius ſit, alij enim datur Prophetia: alij diſcretio ſpirituum. Vnde & conſtituti erunt in populo Iudæorũ ſacerdotales gradus, qui prophetas pſeuprophetasq; diſcernerẽt hoc eſt intelligerẽt, qui de Dei ſpiritu loquerentur, qui de cõtrario. Legamus Hiere. Prudens autẽ eloquij myſtici ſiue ſuſurrator, & vt Theodotion voluit, incantator, videtur mihi vir eſſe cruditus & exercitatus, tam in lege & prophetis, quã in Euangelio & Apoſtolis: Qui poſsit ſingulas animi perturbationes ſua ſanare doctrina, & ad ſtatum mentis reducere: dum & ſcortator recipit caſtitatem & ganeo frugalitatem: & quondam auarus dat eleemoſynam, Euentila omnes Iudæorum ſynagogas, & nullum poteris inuenire doctorem qui ſancta præcipiat, & contemptis diuitijs ſectandam doceat paupertatem. De iſtiuſmodi incantatorib. contra ſerpentes & aſpides, id eſt, contra peccatores, qui Dei iuſtitiam reliquerunt Dauid loquebatur in Pſalmo: Alij nati ſunt peccatores à vulua: errauerunt ab vtero, loquuti ſũt falſa, furor eorum iuxta ſimilitudinem ſerpẽtis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas: quæ non exaudiet vocem incantantiũ, & venefici medicantis ſapienter. Omnis ſermo Apoſtoli cõtra ſerpentes & aſpides incantatio eſt: Quem nõ exaudiunt peccatores, & hęretici, quia claudunt aures ſuas ne audiant veritatẽ. *Tom. 4. libro 2. Commentariorum in cap. 3. Eſaiæ fol. 12. fac. 1. & 2.*

*Incantatores ſpirituales ſunt doctores Pſal. 57.*

*Bellatores Domini armatura ſpirĩtuali inſtructi Doctores.*

SVNT & alij Domini bellatores inſtructi armatura Apoſtoli: qui quotidie in Eccleſia, quæ οἰκουμένη, id eſt, orbis & habitata intelligitur: diſperdant eos, & interficiant, qui eriguntur contra ſcientiam Dei *To. 4. lib. 6. co. in c. 13. Eſaiæ fo. 63. fa. 2.*

*Officium Doctoris Eccleſiaſtici.*

QVIDQVID hæreticorum & ſapientiæ ſæcularis contrariorumque dogmatum arte componitur, vir Eccleſiaſticus deſtruit, & ſuis docet pedibus eſſe ſubiectum. *Tom. 4. lib. 7. Com. in cap. 23. Eſa. fol. 88. fac. 2.*

*Turres magiſtri Eccleſiæ in exercitu pro Eccleſia.*

OMNIA quæ nunc dicuntur contra Ariel, referuntur ad hæreticos, qui doctrinam ſuam Dei exiſtimant lucem: & expugnandi ſunt à verò Dauid omneſq; ſolemnitates eorum auferendæ, & gaudium præſens, futura triſtitia commutandum: quibus præcipiat Dominus, vt agant pænitentiam, ne incipiant edere cum Moabitis, & ſimiles eſſe gẽtilium: Ipſe enim impugnabit Ariel, & omnem virtutem eorum atq; diuitias ſuo circundabit exercitu. Turribuſque, hoc eſt, magiſtris Eccleſiæ humiliabit in terra ſermones eorũ, vt nequaquam ponant in cęlum os ſuum ſed ſcribantur in terra loquanturq; de terra, & fiant quaſi puluis excuſſus rota omneſq; diuitiæ impiorũ puncto & momento temporis comparentur. *To. 4. lib. 9. com. in cap. 29. Eſaiæ fol. 107 fac. 1.*

*Deute 17. Officium virorum Eccleſiaſticorum.*

IVXTA Anagogen & Lxx. editionem: omnis ad pænitentiam peccatores, & præcipuè hæreticos cohortatur ſermo diuinus, quod cum reuerſi à vitijs ingemuerint, & egerint pænitẽtiam, ſalui fient: & tunc intelligãt vbi prius fuerint & ꝙ fruſtra in vanis ſperauerint. Cũq; eos ad pænitentiã cohortetur: illi è contrariò confidũt in falſis magiſtris, & in incerto ſæculi: deiq; verba audire nolentes, equos AEgyptios deſiderant, & eorum velocitate lætantur: quos multiplicari Dominus prohibuit. Iccirco Eccleſiaſtici viri eos velociter perſequentur & vnius bellatoris vocẽ ſiue quinque pugnantium, quod ad mentem, & ad quinq; ſenſus referre debemus: mille homines & incognita turba fugientium ſuſtinere non potuerunt. *Tom. 4. lib. 9. Com. in cap. 30. Eſaiæ Fol. 12. fac. 1.*

*Eccleſiaſticorum virorũ authoritate hæreſes conteruntur.*

QVOQVE ſequitur: Ego poſui te quaſi plauſtrum triturans nouum, habens roſtra ſerrantia hoc ſignificat, quod prædicatio Euangelij conterat aduerſarias poteſtates & ſpiritualem nequitiam, eleuantem ſe cõtra ſcientiam Dei, quæ pro varietate ſuperbiæ montes appellantur & colles. Illiſque ſublatis & turbinis more diſperſis, exultet Iſrael, atq; lætetur in domino ſãcto Iſrael poſſumus quoq; dicere, quod Eccleſiaſticus vir habens Euangelicæ prædicationis roſtra ſerrantia in plauſtro noſtro (quod nequaquã operatur in vetuſtate literę, ſed nouitate ſpiritus) conterat incredulorum corda duriſsima: ſeparãs triticum à paleis, & montes, colleſq; cõminuens, id eſt, oẽs hæreticorum principes qui cõmuniti, atq; contriti, redigantur in puluerem & nihil eſſe doceantur. vt qui malè fuerant cõgregati diuidantur in bonum ſuum. *To. 4. li. 12. co. in ca. 41. Eſa. fol. 178. f. 1.*

*Matth. 6. Acto. 6.*

POSSVMVS, iuxta tropologiam hęc & de Eccleſiaſtico viro dicere: cui Deus dedit ſermonem atq; ſapientiam, vt omnes ſectas contrarias veritati, ſua diſputatione ſubuertat. Sicut & de Stephano ſancta Scriptura commemorat quod nullꝰ potuerit reſiſtere ſapientiæ eius & vt reges id eſt, patriarchas ſingularum hæreſeon ſuæ ſubijciat

*Doctores hæreticos conuellunt.*

poteſtati: & aperiat atque confringat, quod prius videbatur dialectica arte concluſum, & in medium proferat arcana hęreticorum, ſuperans eos atque conuincens: vt Chriſti ſecreta cognoſcant, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Iſtiuſmodi virum vocat Deus ex nomine ſuo, quia defenſor eſt pueri eius Iacob, & electi illius Iſrael. Hunc ſuſcipit & aſsimilat ſermoni ſuo: qui cauere debet, ne ſuum putet eſſe quod loquitur, ſed omnia ad datoris referat gloriam, ne & ipſe mereatur audire: Accinxi te, & nō cognouiſti me. Cum enim inſtructus armatura Apoſtoli, omnes docuerit, non eſſe alium Deum niſi vnum, qui ſit Iacob, & Iſrael Deus, confundetur Marciō, duos Deos intelligens, vnum bonum & alium iuſtum, alterum inuiſibilium, alterum viſibilium conditorem. E quibus prior lucem faciat, ſecundus tenebras, ille pacem, hic malum: cum vtrinque pro diuerſitate meritorum vnus Deus idemque condiderit. *Tom. 4. lib. 12. co. in cap. 45. Eſaiæ fol. 147.*

*Coloſ. 2.*

*Nubes Doctores.*

VEL certè hoc dicendum, quod Euangelicæ ſermo doctrinæ, imber appelletur & pluuię quas fundunt ſuper terram bonam, nubes ſpirituales, ad quas peruenit veritas Dei: Quē imbrē & quas pluuias Moyſes in Deuteronomij cantico pollicetur: audiat terra oris mei, Expectetur ſicut pluuia eloquium meum, & deſcendant ſicut ros verba mea: vt qui ſeminauerint in lachrymis in gaudio metant. Et qui ſeminauerint in iuſtitia & ſpiritu, metāt fructum vitę ſempiternæ, accipiantq́; panem Euangelicæ doctrinæ: de quo in Prouer. & in Eccleſiaſte ſcriptum eſt: Aperi oculos tuos, & implere panibus. Et iterum: Mitte panem tuū ſuper aquā: quia in multitudine dierum tuorum inuenies eum. Neq; enim credendū eſt, quod præcipiatur veſcētibus vt ad comedendū hunc panē quo corpora nutriuntur, oculos aperire debeant, & ſic ſaturati panibus: quos in Habacuc comedit pauper abſcōditè. Sed ad panē doctrinę cohortatur Dei: quem niſi aperuimus oculos cordis noſtri comedere nō poſſumus. De quo ſæpè ſcribit & Paulus, his qui fidei & veritatis ſermonibus nutriuntur. Præcipiturq́; doctori, vt panem doctrinæ ſuæ mittat ſuper omnē aquā, & cunctis infundat gratiam ſpiritualem: & ſciat, quod ſi fecerit q̄ præcepta ſunt in nouiſsimo tempore ſit præmia recepturus Satisq́; videbitur iniuſtum, vt qui prębet eleemoſynam, de iniquo mām ona faciat ſibi amicos, qui eum recipiāt in æterna tabernacula: & qui ſpirituales largitur cibos, datq; conſeruis cibaria in tempore ſuo, nō inueniat eos poſt multa ſecula: quæ Eccleſiaſtes appellat Dierū multitudinem. *To 4. lib. 15. Com. in ca. 55. Eſa. fol. 181 faç. 1.*

*Pſal. 35. Deut 32. Pſal 125.*

*Prouerb. 20. Eccleſi. 11.*

*Habac 3. 2. Cor. 9. Heb 5 Eccleſ. 11. Doctor largitur cibos ſpirituales. Lucæ. 16. Eccleſ 11.*

*Pſal. 124.*

IVXTA tropologiā hæc poſſumus dicere: Qui ieiunat ab omnibus malis, & vult ſuum ieiuniū reſpici, non ſolū declinet à malo ſed & faciat bonum: vt ſoluat omne vinculum iniquitatis, quo ſimplices quiq; credentium hæreticorum fraudibus colligati ſunt, Et ϛραγγαλιάς βιαιων συναλλαγματῶν, id eſt, obligationes violentorū tractauum quas & in Pſalmo propheta demonſtrat, dicens: Declinātes aūt in obligationes, adducet Domin⁹ cū operantibus iniquitatē. Omnes enim qui hæreticorum vinculis alligantur declinant à Domino, quaſi bos ductus ad victimam, & eligunt, atq; cōmutant pro veritate mendacium. Iſtiuſmodi igitur homines, q̄ ſunt fracti iudicio dimittat vir eccleſiaſticus atq; diſſoluat, & omnem ſcripturā hæreticorum: de quib. hic idem Propheta dicit: Vę qui ſcribunt iniquitatem: ſcribētes enim ſcribunt malitiam: rapientes iudiciū pauperum populi mei, atq; diſrumpat: vt nūquam laqueis ſuis ſimplices quoſq; teneāt irretitos: Et cū hoc fecerit, frangat doctrinæ Eccleſiaſticæ, eſurientib. panem ſuū quod fecit & dominus, fractos panes Apoſtolis tribuens: quos eis in ſeptē ſportis & duodecim cophinis, nequaquam integros, ſicut habebantur in lege ſed cōminutos, atq; confractos in euangelio dereliquit, vt haberent quod pauperibus largirentur. Quos videris non habentes calorem fidei: ſed extra Eccleſiam ſtigoribus infidelitatis algentes, inopes atq; peregrinos, iuduc, ait, in domū tuam id eſt, in domum Eccleſię, & operi incorruptionis pallio: vt veſtiti Chriſti tunica, nequaquam maneāt in ſepulchris quod de eo legimus, qui poſſeſſus à Dæmonum legione, nudus habitabat in memorijs mortuorum. Cumq́; inquit hæc feceris, & liberalitas tua ad omnes expoſita fuerit, ſpecialiter ne deſpicias domeſticos fidei. *To. 4. lib. 16. Com. in ca. 58. Eſa. fol. 191. fa. 2.*

*Sap. 16.*

*Officium Viri Eccleſiaſtici panem frāgere & diſtribuere.*

*Matt. 15. Panes legis in Euangelio comminuuntur & confringuntur. Marci 5.*

*Cyprianus et Hilarius excelſæ arbores in ſeculo quondam ædificarunt eccleſiam Dei.*

COMPELLIMVR omnia ſpiritualiter accipere: quod abies cypariſſus, pinus & cedrus, excelſę quondā Libani arbores glorificauerint templū Dei, & locum pedum illius, inclytum fecerint. Ac ne longo ſermone ſenſum trahā: vir ſanctus & eloquentiſsimus martyr Cyprianus, & noſtri temporis confeſſor Hilarius, nónne tibi videntur excelſæ quondam in ſeculo arbores ædificaſſe eccleſiā Dei *To. 4. li. 17. co in c. 60. Eſ. fo. 202. fa. 1.*

*1. Petri 5. Cuſtodes murorum Eccleſiæ ſunt Doctores.*

POST quæ introducitur perſona Dei loquentis ad Hieruſalem, id eſt, eccleſiam primitiuorū, & eam quæ in Apoſtolis ac per Apoſtolos ædificata eſt. Super muros tuos cōſtitui cuſtodes, quos vel angelos vel Apoſtolos, & omnes principes eius atq; doctores accipere póſſumus Qui cuſtodiunt muros Eccleſię, ne aduerſarius noſter Diabolus, qui quaſi Leo rugiens circuit, & quærit quo modo poſsit intrare, occaſionem accipiat ad gregem Domini deuorandū. qui cuſtodes, nec dieb. debent nec noctibus tacere, nec in lætis nec in triſtibus ſed ſemper Domini clementiam deprecari, vt grex illius & muri Hieruſalē cuſtodiantur & vallentur eius auxilio, vnde & ad eoſdem cuſtodes, atque doctores ſermo dirigitur. O vos q̨ recordamini Domini, eiuſque clementiam die, ac nocte precib. fatigatis: Cauete, ne vnquam in ore veſtro ſileat oratio: Ne detis ſilentiū ei, ſubāditur, Dn̄o: ſed ſemper moleſti ſitis, opportunè: importunè & imitemini interpellatricē duri iudicis. Si enim ille mentis ferociam aſsidua imprecatione depoſuit: quanto magis pater cæleſtis bona dabit petentibus ſe? Tamdiu autem rogare debetis, donec Hieruſalem, quæ in Iudæis concidit, & in exemplū eſt, atq; maledictum, in totius orbis terrarum laude verſetur. *Tom. 4. lib. 17. Com. in cap. 62. Eſaiæ. Fol. 206. fa 2.*

*Periculum in defectu Doctorum Eccleſiæ. Leuit. 26. 2. Cor. 6.*

CVM Eccleſiaſtici viri doctores quiq́; defecerint, tunç datur Hieruſalem in traſmigrationē ſiue in aceruos arenæ. vt hæreticus in ea ſermo p̄ualeat, & efficiatur cubile draconum & ciuitates illius redigantur in ſolitudinem: nec ſit in ea diuini ſermonis habitatio, & ille qui dicit: Inhabitabo & inambulabo in eis, & eio Deus eorum. *Tomo quarto lib. ſecundo Commen. in cap. 9 Hieremiæ fol. 251. fa. 2.*

FABROS



*Doctores ſunt fabri.*

FABROS aūt & incluſores: vel legis interpretes atque doctores debemus accipere: vel artifices incluſoresq́; auri, atq; gemmarū quæ ars apud Barbaras nationes precioſiſsima eſt. *Tom. 4. lib. 5. Com. in cap. 24. Hieremiæ fol. 282. fac. 2.*

*Quid conſequatur victoriam Eccleſiaſtici Doctoris de hæreticis.*

IVXTA Anagogen ſequamur ordinem propoſitum. Quando magiſtri hæreticorum ab Eccleſiaſticis viris, qui inſtructi ſunt ſcientia ſcripturarum, contriti fuerint atque ſuperati, videmus interfectos peruerſorum dogmatum iacere inter ſimulacra, quæ finxerant, & eos qui ſe eleuabant contra ſcientiam Dei ſtratos in mōtibus collibusque ſubtus omne lignum nemoroſum: qui habebant verba pompatica, vmbramque foliorum, & poma bonorum non habebant: qui erant ſub omni quercu frondoſa, quæ non adfert fructus hominum, ſed porcorum, vbi accenderunt thura redolentia non Deo, ſed Idolis ſuis. Nec dicere poterant quod de Noe ſcriptum eſt: Odoratus eſt dominus odorem bonæ fragrātiæ, & id quod Paulus loquitur: Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco. Quo modo autem ſanctus odore ſuo delectat Deum: Sic peccator ex cuius perſona Pſalmus ille cantatur: Computrierunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ: accendit idolis ſuis thura fætentia. *Tom. 4. lib. 2. Com. in cap. 6. Ezechielis. Fol. 345 fac. 2.*

*Geneſ. 8.*

*2. Cor. 2.*

*Pſal. 37.*

*Magiſtratus & Doctores Eccleſiæ ſunt montes.*

VENIT tempus, prope eſt dies famis, & non gloriæ montium. Occiſionis autem tempus & famis nunc quoque in Iudaico populo comprobatur: non habēte prophetas nec verbum Dei, quo anima credentium. Montes aūt magiſtratus intellige, & qui habent notitiam ſcripturarū. De quibus & in alio loco dicitur Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. *Tom. 4. lib. 2. Com. in cap. 7. Ezechiel. Fol. 347. fac. 1.*

*Victoria Eccleſiaſticorū Doctorum de hæreticis.*

PONIT autem Dominus maxillis Draconis iſtius fenim, & nu p̄forat labia ei⁹ atq; cōſtringit armillæ circulo: quando per Eccleſiaſticos viros qui in ſcripturis ſanctis eruditi ſunt, imponit ei ſilentium, & vniuerſa peruerſitatis dogmata diſſoluuntur. Agglutinatque piſces fluminum eius pennis ipſius vel ſquamis: quibus Hæretici per ſuperbiam ad alta feſtinant: vt & ipſi vincti cum dracone, vnum cum eo corpus efficiant, & copulentur ei vel in erroris conſortio, vel in pænæ ſimilitudine: quo modo qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt. *Tomo 4. lib. 9. Com. in cap. 29. Ezechiel: Fol. 422. fac. 1*

*Prophetæ & Apoſtoli mōtes.*

MONTES) Iſrael, Moyſen, prophetas & Apoſtolos debemus accipere quos hæretici & hæreticorum princeps Diabolus ſibi putant traditos ad deuorandum: quando aut rarus, aut nullus in Eccleſia reperitur, qui poſsit pugnare pro montib. Domini & eorum lacerationem ſua voce defendere. *To. 4. lib. 11. Com. in cap. 35. Eſech. fol. 442. fac. 1.*

*Hæreticorū munimenta concidūt per DD. eccleſiæ*

*Hæreticorū inter ſe pugna noſtra victoria.*

ET omnes muri in terram corruēt: Cum enim Eccleſiaſtici ſermonis apparuerit fortitudo, omnia hæreticorum corruent munimenta. Et vocabo inquit aduerſus illum hoc eſt hęreticorū principem Gog, in cunctis montibus eius gladium: vt principes exercitus eius gladio Domini conficiantur. Tunc hæreſis dimicabit: aduerſum hæreſim: quorum inter ſe compugnatio, noſtra victoria eſt. Et iudicabo, inquit eum morte vel peſte, & ſanguine, & imbre vehementi: & lapidibus immenſis ſiue grandinis. Iudicatur autem Gog morte ſua, & ſanguine quem effudit imbre vehementi, ſermonibus eruditi & perfecti viri: & lapidibus immenſis, qui eum obruant teſtimonijs ſcripturarū: ſiue grandinis, qui calorem illius faciant refrigeſcere. Omnes enim adulterātes, quaſi clibanus cordi eorum. Ignē, inquit, & ſulphur pluam ſuper eum: per quæ demonſtratur pæna Iudicij ſempiterni. Et non ſolum ſuper eum qui auctor peruerſitatis fuit, ſed & ſuper omnem exercitum, & multitudinē eius & ſuper populos multos qui ſunt cum eo. Plures. n. habent hæretici ſocios, imo diabolus princeps eorum infinita multitudine circundatur. Omniq́; errore ſublato & punitis atq; deſtructis hæreticorum principibus, magnificatur Dominus, & ſanctificatur in credentib. & notus ſit in oculis gentiū multarū, quæ illius fidei crediderūt: & tam ex beatitudinè ſui quā ex aduerſariorum pænis ſcient atq; cognoſcent, quod ipſe ſit dominus. *Tom. 4. lib. 11. Co. in cap. 38. Ezechiel. fol. 450. fac. 2.*

*Oſee. 7.*

*Patrum Eccleſiæ officium aduerſus hæreticos.*

HAERETICORVM armatura diſpereat: & Eccleſiaſtici viri nequaquā ligna ſuccidant de campis & regionib. ſiluiſq́; & ſaltibus gentium quos magis ſaluare cupiunt quam perdere: ſed de hæreticorum, quos vicerit clypeis, haſtis ſagittis, baculis contiſq; & lanceis. Habēt enim & ipſi ad impugnandam Eccleſiam Chriſti tela aduerſa: quę ab eruditis hominib. igne ſancti ſpiritus ſuccendenda ſunt: ſermone videlicet Eccleſiaſtico: quē qui habuerit poterit dicere: Nonne cor noſtrum erat ardens in via, cum aperiret nobis Ieſus ſcripturas. Nec poſſumus plenam habere pacem, & habitationis confidentiam, niſi cunctam aduerſariorum ſupellectilem deprædemur: vt pereant omnia & in cinerem concrementur, & deprædemur eos, qui non fuerant ante prædati: & vaſtemus illos, qui vaſtauerunt prius Eccleſiam. *To. 4. lib. 11. Com. in cap. 39. Ezechiel. Fol. 451. fac. 2.*

*Officium Patrum qui egrediuntur de vrbibus Iſrahel.*

LABOR eſt eorum, qui egrediuntur de vrbibus Iſrahel vt omnem introitum hæreticæ prauitatis (qui venerāt ad mare & amaritudine illi⁹ delectabantur vndarumq́; molibus & crudelitate naufragij) claudant & circumædificent, & in voraginibus ſepeleant, ne vltra exire valeant, & aliquos ſua fraude decipere. Ibi ergo ſepiliēt gog & omnem multitudinem eius: quia ſemper hæretici delectantur. Et vocabitur nomen vallis illius, in qua Gog ſepultus eſt, multitudinis ge, ſiue πολυάνδριον, hoc eſt, ſepulchrum plurimę multitudinis Et quo modo ſupra diximus, per ſeptē annos aduerſariorum arma ſuccendi ſic per ſeptem menſes ſordibus hæreticorum terra mundabitur. *Ibid. Fol. ſequenti 452. fac. 1.*

*Eccleſiaſtici viri ſtudium.*

POST necem aūt & interfectionē ſiue ſepulchrū Gog eligentur viri eccleſiaſtici, qui hoc habeant ſtudij: ne quid in terra Iſrael maneat ſordium priſtinarum, ne quid morticimum; qui luſtrent terram, & requirant mortuos & ſepeliant vt videlicet mundetur terra Eccleſiæ: Sin autem poſt ſeptē menſes, quando debēt eſſe cuncta purgata hi qui terrā peragrant atq; circumeūt, in aliquo os hominis, hoc eſt duritiam hæreticæ prauitatis ſiue morticiniū quod doctrinæ priſtinæ viderint remanſiſſe, ponent iuxta illud ſiue ædificabunt titulum: vt poſtquà notati fuerint qui huiuſcemodi ſunt tunc vel mandentur vel ſepeliantur cum Gog, & in tumba ſepulturæ illius retrudantur. *Ibid.*

C 2 MAGI-

*Doctores cælo & ſtellis cur ſimiles.*

MAGISTRI autem habebunt ſimilitudinem cæli, & qui alios erudierunt, ſtellarum fulgori comparabuntur: Non enim ſufficiat ſcire ſapientiã, niſi & alios erudias: tantusq́; ſermo doctrinæ aliũ non ædificans, mercede operis recipere non poteſt. Quem locũ Theod. & vulgata editio ita expreſsit: Et intelligentes fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & de iuſtis plurimi quaſi ſtellæ in æternum & vltra. Solent nonnulli quærere vtrum doctus ſanctus & ſimplex ſanctus eãdem mercedem habeant & vnam in cœleſtib. manſionem. Vnde nunc iuxta Theodotionem dicitur: quod docti ſimilitudinem cæli habeant: & abſq́; doctrina iuſti, ſtellarum fulgori comparentur: tantumq́ue ſit inter eruditam ſanctitatem, & ſanctam ruſticitatem, quantum cælum diſtat & ſtellæ. *Tom.4.lib.1.Com.in cap.12.Dani.Fol.526.fa.2.*

*Quantum interſit inter eruditam ſanctitatem & ſanctam ruſticitatem.*

*Sancta ruſticitas ſibi ſoli prodeſt erudita ſanctitas etiam alijs.*

*Daniel.12.*

Quidam hunc locum ita interpretantur: Hæreditatẽ (inquiũt) pro conuerſatione bona poſuit: per quam hæredes ſumus Dei, & cohæredes Chriſti. vult igitur Eccleſiaſtes docere quanto differunt hi qui ſolem merentur videre iuſtitiæ & habent ſapientiam cum conuerſatione bona ab his qui abſq́ue ſapientia, vitæ tantum & conuerſationis ſtudium commodarunt. Quod quidem & Daniel oſtendit, dicens, Intelligentes ſermones meos, fulgebunt vt luminaria cæli. Siue vt Theodotio interprætatus eſt: Quaſi ſplendor firmamẽti: Qui vero, fecerint ſermones meos quaſi ſtellæ cæli. *To.5.Com.in cap.7.Eccle.Fo.17.fa.2.*

*Nubes ſancti Doctores*

NVBES igitur ſunt prophetæ, & omnis vir ſanctus: qui cum plures in corde ſuo congregauerit diſciplinas, tunc valebit præcepta pluere doctrinarum, & dicere Expectetur ſicut pluuia ſermo meus: & effundent ſuper terram imbrem, ad quam dictum eſt: audiat terra verba oris mei. *Tom.5.Com.in cap.11. Eccleſiaſtis fol.29 fa..1.*

*Magiſtri Eccleſiæ diſputatione & teſtimonijs ſcripturarum ligant hæreticos & quis vinculorũ fructus.*

EGO clementiſsimus Dominus ligabam pedes Ephraim, ne à me longius fugerent: hoc cum ſignificat συνεπόδισα, ligebat autem teſtimonijs ſcripturarum & diſputatione magiſtrorum Eccleſię, vt legatos per patientiam ſuis brachijs contineret, non intelligentes quod patientia Dei ſalutis eorũ eſſet occaſio vnde in corruptione hominum, videlicet magiſtrorum, qui eos deceperant, contactos perfidiæ frigore, extendit calorem fidei, & quaſi repugnantes vinculis meæ dilectionis aſtrinxi. Et quia non ſua ſponte currebant, ſed vincti funibus trahebantur, paululum maxillas eorum alapis verberari, nõ puniens, ſed corrigens & emendans. Iudex lacerat carnes, torquet funiculis flagellis atq́; ignibus cruciat. Qui autem pater eſt laſciuientem filium palma percullit manus. Et pulchrè nõ dixit ero eos alapis verberans, ſed quaſi homo maxillas manu percutiens. Perculit autem Deus filios ſuos aberrantes comminatione pænarum, Euangelica lectione & teſtimonijs prophetarum. Cumq́; ſic percuſſerit in maxilla vt hæreticorum panem atq́; doctrinam excutiat de ore polluto, tũc reſpicit ad cum dicente ſibi filio verberato. Reſpice in me, Deus meus, Cumq́; eos reſpexerit, præualebit ſiue proderis eis: id eſt: ſeperabit aduerſarios & de fugitiuis ſeruos faciet: Siue dabit eis verum & dulcem cibum, qui prius hæreticorum mendacia, & cibos amariſsimos deuorabant. *Tomo.5.lib.2.Com. in cap.11.Oſeæ fol.67.fa.1.*

*Ventus eſt ſermo Eccleſiaſticus.*

SERMO Eccleſiaſticus, verus intelligendus eſt ventus, qui omnia hæreticorum dogmata areſaciat, & perducat ad nihilum & diripiat eos atque diſpergat, qui hereticorum doctrina in morte fuerant congregati. *To.5.li.2.Co.in ca.13. Oſeæ fo.1.cap.*

PRO plaga lectuli & Damaſci. grabato LXX. tranſtulerunt κατέναντι φυλῆς καὶ ἐν δαμασκῷ, id eſt contra tribum & in Damaſco: vt iuxta tropologiam referamus tribum ad Iudã, & Damaſcum ad vocationem gentium, de quibus vnus grex factus Dñi, cuius ſæpè oues leonum feritas laniat, de quorũ faucibus vix duo crura aut extremum aufertur auriculę. In crure via oſtenditur doctrinarum, in aure ſacramenta dictorũ. vnde & Apoſtoli abſq́; calciamentis & vlla mortui animalis pellicula, nudis pedibus iubebantur incedere, & ad credentes dicitur. Qui habet aures audiendi audiat. In Apocalypſi quoq́; Ioan. legimus. Qui habet aures, audiat quid ſpirit⁹ dicat Eccleſijs. Et manifeſtius per prophetã: ponite, inquit, ſermones veſtros in auribus cordis veſtri. Hoc iter tam hæretici quam magiſtri eorũ dæmones impedire feſtinant, & intexere retibus: vt in via, qui Chriſtus eſt corruamus. Sed ſi venerit vir Eccleſiaſticus & homo Dei & Samſon, (qui interpretatur ſol) leonem interficit: deſcendensq́; in inferni lacum, qui aquas refrigerat tempore niuis, tempeſtatis & hyemis, ſuffocat leonem: vt ſecuro pede & tutis auribus Dominum ſequi, & verba eius audire valeamus. *Tom.5.libr.1.Comm.in cap.3. Amos fol.101.facie 1.*

*Mat 10.*

*Luc.8.*

*Apocal. 2.*

*Vir Eccleſiaſticus homo Dei Samſoni comparatur.*

*2.Cor 12.*

*Luc.16.*

ISTE Deus & contritionẽ diuidit ſuper fortitudinem: vt eos qui malè fortes ſunt, imbecilles facit. imitari poſsit Apoſtolum dicentem: quando infirmus ſum: tunc fortior ſum. Nam & filij huius ſæculi prudentiores ſunt filijs lucis in generatione ſuã. Fortitudo corporis imbecillitas animæ eſt, & rurſum animæ fortitudo, imbecillitas corporis eſt. Igitur Dominus qui omnia ratione diſpenſat, vero facit cuncta iudicio, diuidit contritionẽ ſuper robuſtum inimicum, vt inducat miſeriã ſuper munitionem, quæ ſe erigit contra ſcientiam Dei. De qua & in Prouerbijs legimus: ciuitates robuſtas ingreſſus eſt ſapiẽs & deſtruxit munitionẽ in qua confidebãt impij. Hoc & ad omnẽ quidem fortitudinẽ ſæcularem, ſed propriè contra hęreticos facit: qui argumentis & ſophiſmatibus & arte Dialectica, dogmatum falſitatem roborare conantur. Sed deſtruit eam ſapiens vir, & Dei adiutus auxilio, omnẽ munitionem oſtẽdit eſſe vaniſsimã: vt inducat ſuper eam miſeriam, & inclinata ſuperbia, poſsit cum Apoſtolo dicere: Miſer ego homo: quis me liberabit corpore mortis huius? *Tom.5. libr.2. Com. in cap.5. Amos fol.109.facie 1.*

*Prouer. 21.*

*Vir ſapiens deſtruit munitionem hæreticorum.*

*Rom.7.*

*Hæretici fures & latrones.*

*Pſal 97.*

*Matt.26.*

FVRES & latrones qui ingrediũtur nocte (quia filij ſunt noctis & tenebrarũ) hæreticos puto, cõtraria veritati dogmata prædicentes: qui furantur ſufficientia ſibi, & quotidiè de eccleſiæ gregibus rapere feſtinant: Iſti ingredientes vineã Domini noſtri, quã de Aegypto huius ſæculi tranſtulit, & de cuius genimine vinum ſe eſſe bibiturũ in regno patris pollicetur: ita cupiunt vniuerſa populari, vt vix racemũ relinquant in ea: Sed ecõtrariò Dominus agit: omnia enim ſecreta eorum, & occulta myſteria, & patriarcharum Eſau (hoc quippe intelligo, qui primi hæreſes adinuenerunt) per ſanctos ſuos, & Eccleſiaſticos viros, atque doctores profert in medium, & prima illius

*Eſau anteſignanus patriarcha hæreticorum.*



*Doctores occulta myſteria hæreticorũ patefaciũt*

*2.Timo.4.*

victoria eſt, patere quæ tegebantur occulta. Vnde & cum admiratione dicitur: Quo modo perſcrutatus eſt Eſau, deprehenſa ſunt occulta eius? Vide Marcionem & Valentinum, & omnes hæreticos, quomodo in doctrinis dęmoniorum, cauteriatam habentes conſcientiam, applaudant ſibi & ſimplices animas quaſi quibuſdam diuinis myſterijs initiantes, compoſito ſermone decipiant. Sed cum triginta æonas & quadragas, & octoades, & duodecadas, & duplicem Deum, & portentoſum Abraxas in medium ſermo protulerit: tunc prudentia Eſau ſtultitia demõſtrabitur, & inueſtigabuntur ſecreta eius. *Tom.5.Comm. in cap.1. Abdiæ fol.129.facie 1.*

*Per Doctores locuſtis ſolis iuſtitiæ lumen oritur.*

HAEC locuſta quæ nũc ſedet in ſedibus, cum Iudicij tempus aduenerit, & mundus ad ortum ſolis incaluerit, dimittet ſedẽ, & loca ſua; in quibus tempore frigoris inhęrebat, & ad meliora cõuerſa, prioris ſedis non recordabitur. Quod autem generaliter de iudicij tempore diximus, & nunc ex parte intelligi poteſt, vt per eruditos & doctos viros huiuſcemodi locuſtis ſolis iuſtitiæ lumen oriatur: & relinquentes ſpinas ſuas in purum & liberum tranſeant volatum. *Tom.5. Com. in cap 3.Nahum fol.183.fac.2.*

*Apoc.19.*

QVOD ſi voluerimus de aduentu Chriſti interpretari. iuxta illud quod in Apocalypſi ſcribitur: quod ſermo Dei ſedeat in equo albo, & omnis exercitus in equis albis ſequatur eum: videmus quo modo Chriſtus aſcenderit in Apoſtolis ſuis, dicens eis: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationẽ ſæculi. Et euntes ite baptizate omnes gentes, & reliqua. Et poſtea conſcenderit in vno equo candido, quem alium non puto eſſe niſi Apoſtolum Paulum: ſuper eum equitans, omnem orbem circuerit. Aſcendit autem ſermo Dei in equis ſuis, vt turbarentur aquæ multæ: hoc eſt vel populi multi, qui ante in mari erant & à dracone tenebantur obnoxij (lata enim & ſpacioſa via eſt, quæ ducit ad mortem & turbarentur, primum errorem priſtinum deſerentes: deinde conturbati venientem equitem ſuſciperent) vel certè de quib. ſupra diximus, dæmonum cateruæ nequaquam ita dominarentur in mari, ſed turbatæ cederent & equitis prælantis vulnera formidarẽt: atque vtinam & in me aſcendat verbum Dei, & per lanceam oris mei interficiat eum qui regnat in aquis multis: vt ad regis interitum, aquæ, quæ illis ſubiectæ fuerant conturbatæ præbeant colla equiti meo redacti in vnam quadrigam efficiamur Domini Cherubin: quod interpretatur ſcientiæ multitudo. Numquam enim auriga, ſic cõpoſitus, & ſic fertur ornatus, vt in his qui ſcientię multitudine, & habenis inter ſe ſapientiæ copulantur. *Tom.5.com.in cap.3.Habac fol.203.fac.2.*

*Matth.28.*

*Paulus Apoſtolus equus albus cui inſidens Dei verbũ percurrit totum orbem.*

*Apoc.17.*

*Matth.7.*

*Doctores aurigæ ſermonis Dei.*

*Patres Eccleſiæ fabri.*

*2.Cor.3.*

*Eſaiæ.3.*

*Matt.13.*

QVI ergo vitia deſtruunt, virtutes ædificãt: omnesq́; ſancti q. hęc remedia poſsidentes inſtaurant ſem p eccleſiam, fabri appellãdi ſunt. Vnde & Apoſtolus loquebatur: Quaſi ſapiens architectus fundamentum poſui: Et iratus Dominus, de Hieruſalem ablaturum eſſe ſe dicit architectum, & virum ſapiẽtem. Et ipſe Dominus Dei omnipotẽtis filius & creatoris omnium, fabri filius appellatur. *Tom.5.lib.1. Commentariorum in cap. 1. Zach.in fin*

IVXTA tropologiam: duces ac tribuni, apoſtoli ſũt, & omnes Apoſtolici viri atq́; doctores qui Chriſti exercitui præfuerũt: qui nollent ſibi alios inuenire niſi eos qui habitent in Hieruſalẽ, viſione pacis, & qui habitent in Domino omnipotente Deo ſuo De his ducibus Paulus Apoſtolus fuit: qui inuenit Titum & Timotheum, Lucam atq́; Siluanum: Petrus quoq́; qui Marcũ ſcriptorum erudiuit Euangelij, & cæteri Apoſtoli, qui omnem mundum ſua doctrina & eruditione compleuerunt, vt haberent diſcipulos habitatores Hieruſalem. *To.5 li.3.Co.in cap.12.Zach. Fol.264.fac.2.*

*Doctores tribuni ac duces qui Chriſti exercitui præſunt.*

*Doctores in horreum inferunt cibos & alimenta ſcripturæ, in Eccleſia populis miniſtrant.*

SI quis doctus & eruditus legẽ Dei poteſt cæteros erudire, non debet ſuæ aſsignare prudentię ingenioq́; quod poſsidet: ſed gratias agat primum Deo, qui cuncta largitur, deinde ſacerdotibus eius ac magiſtris, à quib. doctus eſt. Si enim non egerit gratias ſed ſibi ſcientiam vendicauerit in penuria maledicetur. Quod ſi intelligens largitorem Deum, & his gratias agens, per quos à Deo eruditus eſt, humiliauerit ſe & in horreum intulerit cibos, hoc eſt, ſcripturę ſanctę alimenta in eccleſia populis miniſtrauerit: ſtatim aperientur ſuper eum cataractæ cæli & effundetur pluuia ſpiritalis & mandabit Deus nubibus ſuis, vt pluant ſuper eum imbrem, & abundantia rerum omnium perfruetur, & increpabit etiam pro eo deuorantem, Contrarias ſcilicet fortitudines, & labor ipſius afferet fructũ, & cõſequetur illud qđ ſcriptũ eſt: Beatus q. in aures loquitur audiẽtium Leuabit quoq́; oculos & videbit regiones, quoniã iã albę ſunt ad metendum, & colliget fructus in vitã æternã: nec erit ſterilis vinea in agro eius ille qui dicit in Euangelio: Ego ſum vitis, Et qui loquitur per prophetam: Ego te plantaui vineam frugiferam, omnem veram, & tantam per humilitatis confeſsionem & gratiarum actionẽ in Deum ac magiſtros Eccleſiæ eius beatitudinem cõſequetur, vt omnes beatum illum dicant gentes, & in terra eius atq́; doctrina habitare deſideretur, qui illum in Eccleſia audierint diſputantem. *Tomo quinto Commentar.in cap.3. Malachiæ. Fol.285.fac.1.*

*Eccleſi.25.*

PORPHYRIVS iſtum locum Marci Euangeliſtæ principio comparat, in quo ſcriptum eſt: Initium Euangelij Ieſu Chriſti filij Dei, ſicut ſcriptum eſt in Eſaia propheta: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini rectas facite ſemitas eius. Cũ enim teſtimonium de Malachia Eſaiaq́ue contextum ſit: quærit quo modo velut ab vno Eſaia exemplũ putemus aſſumptũ. Cui Eccleſiaſtici viri pleniſsimè reſponderunt. *To.6.C.in c. 3.Mat.*

*Malac.3.*

*Eſaiæ.40.*

*Eccleſiaſtici Doctores Porphyrium confutarunt.*

NON dormiat, qui Eccleſiæ præpoſitus eſt: ne per illius negligentiam inimicus homo ſuperſeminet zizania: hoc eſt hæreticorum dogmata. *Tom.6.lib.2.Commentariorum in cap.13.Mat.Cano.26. fac.2.*

PAVLVS Apoſtolus, homo erat acuti & acris ingenij, & qui ad primos quoſque diſputantium conatus ſagaci mente quæ erant inferenda, prænoſceret. Videbat igitur ſæpe ex vtraque parte ſic dici, & tam veriſimilia in rebus contrarijs aſſeri, vt ambigere faceret audientem: idcirco vt homo & adhuc in fragili corpuſculo conſtitutus circumferebatur quidem omni vento doctrinæ: ſed nõ elidebatur in ſaxa, nec nauis ei⁹ gurgitibus implebatur: Staba quippe in puppi

gubernaculum tenens & ſpumantes hæreſeos fluctus, fidei ſecuritate frangebat: Non tamen intrepidus & ſecurus nec quietus & placidus, proſpiciebat ventos huc inde perflantes, & ſolicitã aure captabat vincebatque contraria: ſed non erat illi ſecura victoria. Quia igitur aduerſariorũ verba atque rationes, quibus veritatem euertere nitebantur, videbat nec facile poſſe ſuperari, & omni callidate plenas, dialecticæ quoque imo diaboli arte cõtextas: ſperabat Dei auxilium, vt omnem deliberationem de mente ſua propelleret, & certè atque defixè abſque vlla modeſtia crederet veritati, & augeret eam in dilectione Chriſti: quem ſciebat & ſui, & totius Eccleſiæ corporis caput. *Tomo 6. libro. 2. Com. in cap. 4. ad Epheſios Fol. 179. fac. 1.*

*Doctores Eccleſiæ naucleri.*

*Blaſphemi hæretici qui.*

PORRO blaſphemia non ſolum aperta eſt, & de ira naſcitur, ſed & abſque ira ſedata mente profertur, ſi aut de mundi iſtius quiſpiam gubernatione cauſetur & dicat Illud ſic eſſe non debuit, hoc verò eſſe ſic debuit: aut certè in Eccleſia conſtitutus, & credens in Deum labatur in dogmatibus, quæ ignorare non licitum eſt, aliter de patre & filio & ſpiritu Sancto ſentiens, quã rei ipſius veritas habet, non ita credens in reſurrectione mortuorũ, vt ſcripturæ docent, vel certè alienæ inuidens ſapientiæ, eum malè ſentire commemoret, qui catholicæ fidei eſt, & rurſum hæreticum pro adulatione, qua ſibi obſequitur, catholicum eſſe conteſtans, qui dicit dulce amarum, & amarum dulce. Vnde omni ſtudio legendæ nobis ſcripturæ ſunt & in lege domini meditãdum die ac nocte, vt probati trapezitę, ſciamus quis nummus probus ſit, quis adulter. *Tom. 6. lib. 3. com. in cap. 4. ad Epheſios fol. 184. fac. 1.*

*Eſaiæ. 5.*

*Patres ſunt probati trapezitæ.*

ET quidem ſiue ſcripturarum authoritate garrulitas nõ haberet fidem, niſi viderentur perverſam doctrinam etiam diuinis teſtimonijs roborare. Hi ſunt de circunſione Iudæi, qui tunc tẽporis naſcentem Chriſti Eccleſiã ſubuertere nitebantur, & introducere pcepta legalia; de quib & ad Romanos & ad Galatas plenius Paulus exequitur. Et nos ante paucos menſes tria volumina in Epiſtolæ ad Galatas explanatione dictauimus. Tales homines doctor Eccleſiæ cui animæ populorum creditæ ſunt, ſcripturarum debet ratione ſuperare, & ſilentium illis teſtimoniorum pondere imponere: qui non vnam aut paucas domos, ſed vniuerſas cum Dominis familijsq; ſubuertunt: docentes de ciborũ differentijs, de ſabbathi iam olim abolitione, de circuncisionis iniuria: atq; vtinam hoc ipſum Zelo fidei facerent, ex parte aliqua poſsit ignoſci dicenti Apoſtolo: Cõfiteor: zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. verum quia Deus eſt venter ipſorum, turpis lucri gratia volunt proprios facere diſcipulos, vt quaſi magiſtri à ſectatoribus ſuis alantur. *Tom. 6. libro. 1. Commen. in cap. 1. ad Titum Fol. 201. fac. 1.*

*Doctor Eccleſiæ debet confutare ſemi Iudæos & ſemichriſtianos.*

*Rom. 10.*

POTEST autem accidere, vt quis habeat fidẽ, & eam opere conſummet, verũ ſimpliciter & nudè, non habens agnitionem nec ſcientiam eius, iuxta illud Apoſtoli: confiteor, zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiã. Sunt hodie plerique ſimplicium, qui faciunt opera iuſtitiæ, & nõ habent eorum, quę ipſi operantur ſcientiam. vnde addidit: vt communicatio fidei tuæ operatrix fiat in agnitione omnis boni. Quantis gradibus, quantiſque ſaltibus, Apoſtolicus in altiora ſermo ſe tendit. Habet quiſpiam charitatem & fidem, in Deum & in ſanctos eius: ſed forſitan non æquali eam in omnes lance communicet, forſitan in cunctos, ſed opere non expleat: voluntate impleat aliquis & opere: ſed geſtorum ſuorum perfectam habere non poteſt notionem. Sit talis quoq; qui & opus habeat & ſcientiam: ſed non omnis agnitionem habet boni. Multa enim iuſtè, manſuetè, ſtudioſeque perpetrans impar eſt ſuis in aliqua parte virtutibus. At non talis Philemon? Habet quippe communicationem operatricis fidei & charitatis, in agnitione omnis boni. Quæ cum in Apoſtolis ſit, non eam putemus ob id tantum eſſe perfectã, ſi in illis ſit: ſed in eo totam eſſe quia Chriſti eſt: vt quicquid boni & in Philemone laudatur, & de Apoſtolorũ exemplo ſumitur: inde bonum ſit quia in fonte Chriſti ducatur. *Tom. 6. lib. vnico Com. in cap. 1. ad Philemonem. Fol. 214. fac. 1.*

*Rom. 10.*

*Triplex genus Doctorũ Eccleſiaſticorum.*

OSSA Chriſti, Apoſtoli: quia ſicut caro ab oſſibus roboratur: ita & corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, ab Apoſtolis & doctoribus firmatur. *Tom. 7. Com. in Pſal. 21. fol. 25. fac. 1.*

*Doctores robora & firmamenta eccleſiæ à ſimili.*

NARRATE in turribus eius] Turres, hi ſunt principes Eccleſiæ tuę: quia turris fortis eſt, & vndiq; ſpeculatur. Sic ſancti & fortes & ſpeculatores debent eſſe in gente humana. *Tom. 7. Pſal. 47. Fol. 60. fac. 1.*

*Doctores ſpeculatores & turres.*

HILARIVS beatus Antiſtes, & vt ita dicam inter procellas mundi magnus ſuſtentator Eccleſiæ. *Tom. 7. Com. in Pſal. 57. Fol. 71. fac. 1.*

*Hilarij laus.*

ET arietes] Apoſtoli, vel doctores Eccleſiarũ *Tom 7. in Pſal. 65. Fol. 78. fac. 1.*

*Arietes gregis Doctores Num. 20.*

SICVT Moyſes percuſsit in eremo petrã & pduxit populo aquas: ita & Dñs, quem Paulus percuſſum ait propter peccata noſtra, immenſos nobis protulit fontes, Apoſtolos ſcilicet, quos petra monſtrauit, & per quos fluxerunt torrentes: torrẽtes autem doctores accipimus, per quos torrentes, id eſt, ſubſequentes Eccleſiarum doctores repleti ſunt. Ex quorum nos prædicatione, ſitim verbi Dei reſtinguimus. Sed & fontem baptiſmi nobis atq; martyrij, eadem petra oſtendit. De latere enim eius, cum percuſſus eſt, ſanguis, & aqua proceſsit, quod baptiſmum & martyrium figurauit. Torrentos autem doctores dicti: quia priuſquam crederent, ab imbribus & volutabris huius ſæculi erant repleti. Nunc autem baptiſmo abluti, à fonte vitæ perẽnis inundauerunt. *Tom. 7. Co. in Pſal. 77. Fol. 95. fac. 2.*

*Rom. 4.*

*Apoſtoli fontes ſunt & doctores torrentes.*

FAC mihi eſſe nubem Hieremiam, Eſaiam, Eliam: nubem autem Paulum & Petrum & cæteros Apoſtolos. Iſtę ergo nubes quãdo colliſę fuerint inter ſe, mittunt medium ignem, & lucet orbi terræ. Alluxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit & commota eſt terra. Apoſtolorum fulgura alluxerunt in toto terrarum orbe commota eſt. illi loquebantur & tonitruum vocis eorum vniuerſus mundus audiebat. Duo habebant pariter, & grandem vocem & ſplendida fulgura. Hæc fulgura credentes illuminabant: non credentes comburebant. *Tom. 7. Com in Pſalmo 96. Fol. 124. fac. 1.*

*Nubes Doctores & Apoſtoli quarè*

PERTRANSIBVNT aquæ] Ipſius lauacri ſiue doctoris irrigando donis cæleſtibus populum. *Tom. 7. Com. in Pſal. 103. Fol. 130. fac. 2.*

ET abundantia in turribus tuis] In his abundantia bonorum cæleſtium fieri propheta depoſcit: qui ſupereminentes merito tanquam turres fortiſsimæ hanc ciuitatem & virtutem muniũt, & proceritate decorant. *Tom. 7. Commentar. in Pſal. 118. fac. 2. fol. 162.*

*Doctores turres.*



QVEMADMODVM ſerpens quando viderit aliquem venientem ad percutiendum, circulum facit totius corporis ſui, & in medio cælat caput, vbi ſcit habere, ſe vitam: ita & iſti hæretici, per ſermonem philoſophorum, & Ariſtotelis, & cęterorũ ſe videntur abſcondere, & quaſi protegere & defendere. Sed eccleſiaſticus vir quaſi in virga, hoc eſt, in cruce ſoluit circulum & inuenit caput latens, & ibi cum percutit, hoc eſt teſtimonium profert de ſcripturis. *Tom. 7. Commentar. in Pſal. 139. Fol. 173. fac. 2.*

*Hæreticorũ & ſerpentũ comparatio.*

*Doctor quomodo conuellat hæreſes.*

PORTAS Sion diximus prophetas: Quoniam ergo portas Sion nouimus prophetas dici: videamus quæ ſint ſerę portarum: verę enim Eccleſię portæ prophetæ ſunt. Sine prophetis eccleſiam ingredi non poſſumus. Manicheus intrare voluit ſine portis, & non intrauit, Marcion non recipit vetus teſtamentum & ſine portis veteris teſtamenti in euangelium intrare non potuit. Nos ergo recipimus portas prophetas, & per portas ingredimur. Sed videamus quæ ſint ſeræ portarũ. Multi latrones, multi fures cupiunt intrare per portas. Omnes qui ante me venerunt, fures fuerunt & latrones. O ſi & mihi concederet Dominus, vt ſera eſſem de portis Syon. Si quis hæreticorum per illas in Euangelij diſpoſitionem vellet intrare: ego ſtarem in portis, & prohiberẽ illum. Quoniã confortauit ſeras portarum ſuarũ. Da mihi aliquem Eccleſiaſticũ virum, ſcripturis cœleſtibus eruditum: ſi viderit venire Eunomium, venire Arium, velle tollere aliquid de Prophetis contra nos: nonne ſtat quaſi ſera, nonne vincit quaſi ſera? Quoniam cõfortauit ſeras portarum ſuarum. Pulchrè dicit cõfortauit, vt quãdo videres virum eccleſiaſticum diſputantem: non putes illum eſſe qui diſputat, ſed qui confortat eccleſiaſticum. *Tom. 7. Com. in Pſalmum 147. Fo. 193. fac. 1.*

*Portæ eccleſiæ ſunt prophetæ: ſeræ portarũ Doctores & interpretes.*

*Ioan. 10.*

## *Articul. III. Ab Eccleſiæ Doctoribus petendam eſſe ſcripturæ interpretationem.*

OB hoc & ego obſecro, & tu vt petas plurimũ quæſo, vt tibi beati Rhetitij Auguſtudunenſis epiſcopi, commentarios ad deſcribendũm largiatur, in quibus Canticum Canticorum ſublimiori ſenſu ille diſſeruit. Scripſit mihi & quidam de patria ſupradicti fratris Ruffini, Paulus ſenex, Tertulliani ſuum codicem apud eum eſſe, quem vehementer repoſcit. & ex hoc, quęſo, vt eos libros, quos me nõ habere breuis ſubditus edocebit, librarij manu in charta ſcribi iubeas. Interpretationem quoque Pſalmorum Dauidicorum, & prolixum valde librum de ſynodis Sancti Hilarij, quem ei apud Treuiros manu mea ipſe deſcripſeram; æquè vt mihi transferas peto. Noſti hoc eſſe Chriſtianæ animę pabulũ, ſi in lege Domini meditatur die ac nocte. Cæteros hoſpitio recipis, ſolatio foues, ſumptibus iuuas. Mihi ſi rogata præſtiteris, cuncta largitus es. Et quoniam, largiẽte Domino, multis ſacræ bibliothecæ codicibus abundamus; impera viciſsim, & quodcunque vis, mittam: nec putes mihi graue eſſe, ſi iubeas, habeo alumnos, qui antiquariæ arti ſeruiunt. *Tom. 1. Epiſtola. 6. ad Florentinum.*

*Rhetitij cõmentaria in Cantica.*

*Tertulliani codex.*

*Interpretatio Pſalmorũ & liber prolixus de Synodis Hilarij*

*Pabulum animæ Dei verbum.*

*Bibliotheca Theologica inſtructiſsima Hieronymi.*

HOC ſolum dicam; quod quicquid in nobis longo fuit ſtudio congregatum, & meditatione diuturna, quaſi in naturam verſum, hoc illa libauit, didicit, atque poſſedit; ita vt, poſt profectionem noſtram, ſi in aliquo ſcripturarum teſtimonio eſſet oborta contentio, ad illam iudicem pergeretur. *To. 1. epiſt. 16. ad Principiam cap. 3.*

*Principiæ ſtudium in Hieronymi libris.*

MISIMVS interim te tibi, id eſt, Paulo ſeni Paulum ſeniorẽ: in quo ꝓpter ſimplices quoſq; multũ in deijciendo ſermone laborauimus, ſed neſcio quo modo, etiam ſi aqua plena ſit, tamen eundẽ odorem lagena ſeruat, quo dum rudis eſſet, imbuta eſt. *To. 1. epiſt. 21.*

SENTIO te diuinis ardere doctrinis, nec temeritate quorundam docere, quod neſcias: ſed ante diſcere, quod docturus ſis. ſimplices epiſtolæ tuæ olent prophetias, Apoſtolos ſapiũt. Non cothurnatam affectas eloquentiam, nec more puerorũ argutas ſententiolas in clauſulis ſtruis. *Tom. 1. Epiſt. 26. ad Pam. cap. 4.*

*Pammachij laus in ſcripturis explicandis.*

QVOD cum audiſſet, & ad me retuliſſet, indicans hominem: mihique incubuiſſet neceſsitas nequiſsimæ viperæ ac mortiferæ beſtiæ reſiſtendi, de quibus Pſalmiſta commemorat dicẽs: Ne tradas beſtijs animas confitentium tibi: Et, Increpa Domine beſtias calami, qui ſcribentes iniquitatem, loquuntur contra Dominum mẽdacium, & eleuant in excelſum os ſuum: conueni hominem: & orationibus eius, quam decipere nitebatur; breui interrogatione concluſi, dicens: vtrum crederet futuram reſurrectionem mortuorum, an non? Qui cum ſe credere reſpondiſſet, intuli: Eadem reſurgent corpora, an altera? cum dixiſſet eadem: ſciſcitatus ſum: In eodem ſexu, an in altero? ad interrogata reticẽti; & inſtar colubri huc atq; illuc transferenti caput, ne feriatur; Quia inquam taces, ego mihi pro te reſpõdebo, & conſequentia inferã. Si non reſurget mulier vt mulier, neq; maſcul' vt maſculus: nõ erit reſurrectio mortuorũ: quia ſexus membra habet membra autem totum corpus efficiunt. Si autẽ ſexus & membra nõ fuerint: vbi erit reſurrectio corporum, quæ ſine ſexu non conſtant, & membris? Porrò ſi corporum non fuerit reſurrectio, nequaquã erit reſurrectio mortuorũ. Sed & illud quod de nuptijs obijcis: Si eadem mẽbra fuerint, ſequi nuptias à ſaluatore diſſoluitur. Erratis neſcientes ſcripturas, neq; virtutem Dei. In reſurrectione enim mortuorũ, non nubẽt, neq; nubentur, ſed erũt ſimiles angelorũ. &c. *T. 1. epiſt. 27. c. 11.*

*Doctores viperis reſiſtunt Pſal. 73.*

*Hæretici inſtar colubri huc atque illuc transferunt caput ne feriantur.*

*Matt. 22. Luc. 20.*

ERAT in illo tempore quædam apud nos diſſenſio, & barbarorum pugnam domeſtica bella ſuperabant. Nos in oriente tenuerunt iam fixæ ſedes, & inueteratum locorum ſanctorum deſiderium. *Tom. 1. epiſt. 38. ad Oceanum. cap. 3.*

GREGORIVS, primum Saſimorum, deinde Nazianzenus epiſcopus, vir eloquentiſsimus, præceptor meus, quo ſcripturas explanante didici, ad triginta millia verſuum omnia opera ſua compoſuit. *Tom. 1. de viris Illuſtribus in Gregorio Nazianzeno.*

*Hieronymus explanante Nazianzeno ſcripturas didicit.*

HOC extrema voce proteſtor, me nec damnaſſe, nuptias, nec damnare; reſpondiſſe aduerſario, non meorum inſidias formidaſſe, virginitatem autem in cælum fero, non quia habeam,

ſed quia magis mirer, quod non habeo. *Tom.2.in Apolog.ad Pam.cap.8.*

*Eccleſiaſticorum diſputationes de impari numero & ſeptenario.*

ENVMERANDVM mihi eſt, qui eccleſiaſticorum de impari numero diſputarunt, Clemẽs, Hippolytus, Origenes. Dyonifius Euſebius, Dymus, noſtrorumq; Tertullianus, Cyprianus, Victorinus, Lactantius; Hilarius: Quorum Hilarius de ſeptenario, id eſt, impari numero diſſerẽs, quę & quantá dixerit, ad Fortunatum liber illius teſtimonio eſt. *Tomo. 2. in Apologia ad Pammachium capite octauo.*

*Præceptores Hieronymi in ſacris literis Apollinaris & Didymus.*

DVM eſſem iuuenis, miro diſcendi ferebar ardore, nec, iuxta quorundam præſumptionem, ipſe me docui. Apollonarium Laodicenum audiui Antiochiæ frequenter, & colui: Et cum me in ſanctis ſcripturis erudiret, nunquam illius contentioſum ſuper ſenſu dogma ſuſcepi. Iam canis ſpargebatur caput, & magiſtrum potius quã diſcipulum decebat: perrexi tamen Alexandriam, audiui Didymum: in multis ei gratias ago: quod neſciui didici. quod ſciebam, illo docente, non perdidi. Et paulo poſt. Quiſquis es aſſertor nouorum dogmatũ, quæſo te, vt parcas Romanis Auribus: Parcas fidei, quæ Apoſt. voce laudata eſt. Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod ante neſciuimus? cur profers in mediũ, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Vſque ad hunc diem ſine iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit. Illam ſenex tenebo fidem, in qua puer natus ſum. *To.2.epiſt.65.*

*Antecendẽtium Doctorum veſtigia ſequenda.*

*Quos Patres ſequatur in Commentariis ſuis Hieronymus.*

EGO in Commentarijs ad Epheſios ſic Origenem, Didymum, & Apollonarium ſecutus ſum, qui certè contraria inter ſe habent dogmata, vt fidei meę non amitterem veritatem. Commentarij quid operis habent? alterius dictà ediſſerunt: quæ obſcurè ſcripta ſunt, plano ſermone manifeſtant: multorum ſententias replicant: & dicũt: Hunc quidem ſic ediſſerunt: alij ſic interpretantur: illi ſenſum ſuum & intelligentiam his teſtimonijs, & hac nituntur ratione firmare: vt prudens lector, cum diuerſas explanationes legerit, & multorum vel probanda vel improbanda didicerit, iudicet quid verius ſit, & quaſi bonus trapezita, adulterinæ monetæ pecuniam reprobet. *Tomo ſecundo libro primo aduerſus Ruffinum capite quarto vltra princip.*

*Mos Commẽtariorum & Commentatorum.*

*Quos Patres & quomodo in explicandis ſcripturis Hieronymus imitetur.*

IN epiſtolam Pauli ad Epheſios tria Origenes ſcripſit volumina. Didymus quoque & Apollonarius propria opuſcula condidère: quos ego vel trãsferens vel imitans, quid in prologo eiuſdem operis ſcripſerim, ſubijciam. Illud quoq; in præfatione commoneo, vt ſciatis Origenem tria volumina in hanc epiſtolam conſcripſiſſe, quem & nos ex parte ſecuti ſumus; Apollonarium etiam & Didymum quoſdam commẽtariolos ædidiſſe: ex quibus licet pauca decerpſimus: & nonnulla, quæ nobis videbantur, adiecimus, ſiue ſubtraximus: vt ſtudioſus ſtatim in principio lector agnoſcat, hoc opus vel alienum eſſe, vel noſtrum. *Tomo ſecundo libro primo aduerſus Ruffinum capite quinto.*

LEGE Græcos commentarios: &, niſi ita repereris, crimẽ fatebor. Quod eſt in iſto loco peccatum meum? Illud nimirum, pro quo ſupra reſpondi, quare non eos, à quibus dicta ſunt nominarim? ſuperfluum erat, per ſingula Apoſtoli teſtimonia eorum nomina ponere, quorum me opuſcula translaturum in præfatione ſignaueram. *Tomo ſecundo libro primo aduerſus Ruſſinum capite quinto.*

*Quinam ſunt ſequuti Origenem in explicatione ſcripturæ dũtaxat & nõ in alijs erroribus & priuatis opinionibus.*

AT idem & ſcripturas in multis benè interpretatus eſt: & prophetarum obſcura diſſeruit; & tam noui quam veteris teſtamenti reuelauit maxima ſacramenta. Si igitur quæ bona tranſtuli; & mala vel amputaui, vel correxi, vel tacui: arguendus ſum, cur per me Latini bona eius habeant & mala ignorent? Si hoc crimen eſt: arguatur & confeſſor Hilarius, qui Pſalmorum interpretationem, & homilias in Iob ex libris eius, id eſt, ex Græco in Latinum tranſtulit. Sit in culpa eiuſdem confeſsionis Vercellenſis Euſebius: qui omnium Pſalmorum commentarios Hæretici hominis vertit in noſtrum eloquium: licet hęretica prætermittens optima quæque tranſtulerit. Taceo de Victorino Pictauienſi, & cæteris, qui Origenem in explanatione duntaxat ſcripturarum ſecuti ſunt, & expreſſerunt: ne non tam me defendere, quam ſocios criminis videar quærere? *Tomo ſecundo Epiſtola ſeptuageſima quinta ad Vigilantium.*

*Auguſtini encomium.*

CERTE habes ibi virum ſanctum & eruditũ Auguſtinum Epiſcopum: qui viua, vt aiunt, voce docere te poterit, & ſuam imo per ſe noſtram explicare ſententiam. *Tomo ſecundo Epiſtola octuageſima ſecunda.*

*Oceani & Hieronymi in ſcripturis exponendis cõmendatio.*

SANCTVS frater Oceanus, cui vos cupitis cõmendari, tantus & talis eſt, & ſic eruditus in lege Domini, vt abſque noſtro rogatu inſtituere vos poſsit, & noſtram ſuper cunctis quæſtionib. ſcripturarum pro modulo communis ingenij explicare ſententiam. *Tomo ſecundo Epiſtola octogeſima ſecunda facie.*

*Petitur ab Hieronymo vt græcos Patres transferat.*

PETIMVS ergo, & nobiſcum petit omnis Aphricanarum eccleſiarum ſtudioſa ſocietas, vt in interpretandis eorum libris, qui Græcè ſcripturas noſtras quam optimè tractauerunt, curam atque operam impendere non graueris. Potes enim efficere vt nos quoque habeamus illos tales viros, & vnum potiſsimum quem tu libentius in tuis litteris ſonas. *Tomo 2. Epiſtola. 86. ad Hieronymum Fol. 311.*

AD quæ primum reſpondeo, debuiſſe prudẽtiam tuam præfatiunculę commentariorũ meorũ meminiſſe, dicentis ex pſona mea: Quid igitur ego ſtult[9] ac temerarius, quid id pollicear, quod ille non potuit? Minime: Quin potius in eo mihi videor cautior atque timidior, quod imbecillitatem virium mearum ſentiens, Origenis commentarios ſecutus ſum. ſcripſit enim ille vir in epiſtolam Pauli ad Galatas quinque propria volumina; Et decimum Stromateon ſuorum librũ, comatico ſuper explanatione eius ſermone cõpleuit. tractatus quoque varios & excerpta, quæ vel ſola poſſent ſufficere compoſuit. Prætermitto Didymum videntem meum, & Laodicenum de eccleſia nuper ingreſſum, & Alexandrũ veterẽ hæreticũ: Euſebium quoq; Emiſenum & Theodorũ Heracleotẽ: qui & ipſi nonullos ſup hac re commentarios reliquerunt, è quibus ſi vel pauca decerperem; fieret aliquid quod non penitus cõtemneretur. Itaque vt ſimpliciter fatear, legi hæc oĩa, & in mẽte mea plurima coaceruans accito notario, vel mea vel aliena dictaui, nec ordinis vel verborum interdũ, nec ſenſuum memor. Iam Domini miſericordiæ eſt, ne per imperitiã noſtram, ab alijs benedicta diſpereant; & non placeant inter extraneos, quæ placent inter ſuos. Si quid igitur reprehenſione dignum putaueras in explanatione noſtra eruditionis tuæ fuerat quærere, vtrum ea, quæ ſcripſimus, haberẽtur in Græcis: vt ſi illi non dixiſſent, tunc meam propriè ſententiam condemnares: præſertim cum liberè in pręfatione confeſſus ſim; Origenis cõmentarios me eſſe ſecutum, & vel mea, vel aliena dictaſſe; & in fine eiuſdem capituli, quod repræhendis ſcripſerim: Si cui iſte non placet ſenſus, quo nec Petrus peccaſſe, nec Paulus procaciter oſtẽditur, arguiſſe maiorẽ: debet exponere qua cõſequentia Paulus in altero repræhendat, quod ipſe cõmiſit. Ex quo oſtẽdi me nõ ex definito id defendere, quod in Græcis legeram, ſed ea expreſsiſſe, quæ legerã; vt lectoris arbitrio derelinquerẽ vtrum probanda eſſent, an improbãda. *Tom.2. Epiſt.89. ad Auguſtin. cap.2.*

*Hieronymus omnia legit græcorum maximè & latinorum.*

*Etiam ante ſua tempora edita commentaria eaque ſequitur in explicatione ſacrarum literarũ*



*Confitetur Hieronymus ſe maiorum ſcripta legere & in commentarijs ſecundum omnium conſuetudinem varias ponere explanationes.*

HOC ſi placet, immo quia placet, vt quicunque credunt ex Iudæis, debitores ſint legis faciendæ, tu vt epiſcopus, in toto orbe notiſsimus, debes hanc promulgare ſententiam, & in aſſenſum tuũ omnes coepiſcopos trahere: ego in paruo tuguriolo cum monachis id eſt cum conpeccatoribus meis, de magnis ſtatuere nõ audio: niſi hoc ingenuè confiteri, me maiorum ſcripta legere & in commentarijs ſecundum omnem cõſuetudinem varias ponere explanationes, vt è multis ſequatur vnuſquiſq;, quod velit. Quod quidem te puto & in ſeculari litteratura, & in diuinis libris legiſſe & probaſſe. Hanc autem explanationem, quã primus Origenes in decimo Stromateon libro, vbi epiſtolam ad Galatas interpretatur, & cæteri deinceps interpretes ſunt ſecuti, illa vel maxime cauſa ſubintroducunt, vt Porphyrio reſpondeant blaſphemanti, qui Pauli arguit procacitatem; quod principem Apoſtolorum Petrum auſus eſt reprehendere & arguere in faciem ac ratione conſtringere quod malefecerit, id eſt, in eo errore fuerit, in quo fuit ipſe, qui alium arguit delinquentem. Quid dicam de Iohanne, qui dudum in pontificali gradu conſtãtinopolitanam rexit eccleſiam; & propriè ſuper hoc capitulo latiſsimum exarauit librum in quo Origenis & veterum ſententiam eſt ſecutus. Si igitur me reprehendis errantem, patere me, quæſo, errare cum talibus: & cum me erroris mei multos ſocios habere perſpexeris, tu veritatis tuæ ſaltem vnum adſtipulatorem proferre debebis. *Ibid.*

*Veſtigijs priorũ Patrum in explicandis ſcripturis inſiſtendum.*

OMNES veteres tractatores, qui nos in Domino præceſſerunt & qui ſcripturas ſanctas interpretati ſunt, aut manifeſta: ſi obſcura, tu quo modo auſus es poſt eos diſſerere, ꝙ illi explanare non potuerunt? Si manifeſta, ſuperfluum eſt te voluiſſe diſſerere, quod illos latere non potuit, maximè in explanatione Pſalmorum (quos apud Græcos interpretati ſunt, multis voluminibus, primus Origenes, Secundus Euſebius Cæſarienſis, Tertius Theodorus Heracleotes, Quartus Aſterius Scythopolitanus, Quintus Apollinarius Laodicenſis, Sextus Dydimus Alexandrinus. Feruntur & diuerſorum in paucos Pſalmos opuſcula: ſed nunc de integro Pſalmorum corpore dicimus. Apud Latinos autem Hilarius Pictauienſis, & Euſebius verſalenſis epiſcopus, Origenem & Euſebium tranſtulerunt: quorũ priorem & noſter Ambroſius in quibuſdam ſecutus eſt. Reſpondeat mihi prudentia tua: quare tam poſt tantos & tales interpretes in explanatione Pſalmorum diuerſa ſenſeris. Si enim obſcuri ſunt Pſalmi, te quoque in eis falli potuiſſe, credendum: ſi manifeſti, illos in eis falli potuiſſe nõ creditur: ac per hoc vtroq; modo ſuperflua erit interpretatio tua: Et hac lege poſt priores nullus loqui audebit; Et quodcunque alius occupauerit, alius de eo ſcribendi licentiam non habebit. Quin potius humanitatis tuę eſt, in quo veniam tibi tribuis, indulgere, & cæteris. *Ibidem capite ſexto.*

*Varij Latini et Græci Patres qui Pſalmos explicarunt.*

*Rheticij Auguſtodunenſis epiſcopi commentaria reprehendit.*

INNVMERABILIA ſunt, quæ in illius mihi commentarijs ſordere viſa ſunt. Eſt quidem ſermo compoſitus, & Gallicano cothurno fluẽs: ſed quid ad interpretum, cuius profeſsio eſt, nõ quo ipſe diſertus appareat, ſed quo eum, qui lecturus eſt, ſic faciat intelligere, quo modo ipſe intellexit, qui ſcripſit? Rogo non habuerat decẽ Origenis volumina? non interpretes cęteros? nõ certè aliquos neceſſarios Hebræorum, vt aut interrogaret, aut legeret, quid ſibi vellent, quæ ignorabat? ſed tam malè videtur exiſtimare de cęteris, vt nemo poſsit de eius erroribus iudicare frustra ergo à me eiuſdem viri Commentarios poſtulas, cum mihi in illis diſpliceãt multo plura, quam placeant. Quod ſi oppoſueris, cur cæteris dederim: audies, non omnes eiſdem veſci debere cibis. Ieſus in deſerto plures hordeacijs panibus paſcit, frumentacijs pauciores. Corinthij, in quibus audiebatur fornicatio, qualis nec inter gentes, lacte paſcuntur, quia necdum poterant ſolidum cibum capere. Epheſij autẽ in quibus nullum crimen arguitur ab ipſo Domino cæleſti veſcuntur pane, & ſacramentum quod à ſeculis abſconditum fuerat, agnoſcunt, neq; verò eorum qui à me exemplaria acceperunt, vel authoritate vel ætate ducaris: cum & Daniel puer ſenes iudicet; Et Amos paſtor caprarum, in ſacerdotum principes inuehatur. *Tom.3. Epiſt.133. ad Marcellam.*

*Ex Hebræis petenda ſcripturæ explicatio.*

*Diuerſio pabulo diuerſa conueniunt. [illegible] 1. Cor. 3. 1. Cor. 5. Epheſ. 6.*

*Dan. 12. Amos. 17.*

IGITVR ipſa Hebræa verba ponenda ſunt, & omnium interpretum opinio digerenda, quo facilius, quod ſuper hoc ſentiendum ſit ex retractatione cunctorum ipſe ſibi lector, quid ſequatur inueniat. *Tom.3. epiſt.145. ad Damaſum.*

DICAMVS & aliter, ne vllam Gręcorum ſẽtentiam præterire videamur. *Tom.3. epiſt. 147. ad Amandum. Fol. 412.*

EGO tẽpore coartatus, ſingulorum vobis, qui in ſacram ſcripturam commentariolos reliquerunt, ſententias protuli; & ad verbum pleraque interpretatus ſum; vt & me liberem quæſtione, & vobis veterum tractatorum mittatur authoritas, qui, in legendis ſingulis ac probandis, non meæ voluntati ſed veſtro acquieſcatis arbitrio. *Tom.3. epiſt. 152. ad Minerium & Alexandrum. Fol. 444. fac. 1.*

*Græcorũ Patrum ſententias profert in ſcripturis exponendis.*

SVPER quo quamuis ſuperior acatij diſputatio plenius ventilarit tamen dicendũ eſt, quid videatur alijs, Theodoro, videlicet Apollinario & Diodoro, qui vnam ſequãtur ſententiã. *Tomo. 3. epiſt. 142. ad Mineriũ & Alexandrũ Fol. 440. fac. 2.*

QVO modo ei, qui rapiuntur in nubibus, rapiantur obuiam Chriſto, diligentius contẽplandum

*Eſaiæ 5.* *Matt. 11.* *Epheſ. 4.* *Nubes apoſtoli prophetæ & Doctores.*

dum eſt. Scimus nubes prophetas, quibus præcipit Deus ne pluerent, ſuper Iſrael imbrem, quando impleuerunt menſuram patrum ſuorum, & facta eſt lex & prophetæ vſque ad Iohannem Baptiſtam. Et quia Deus poſuit, in eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo prophetas; Non ſolum prophetæ, ſed & Apoſtoli nubes intelligendi ſunt. Si quis igitur rapitur ad Chriſtum, aſcendit ſuper nubes legis & Euangelij, ſuper prophetas, & Apoſtolos; Et aſſumptis alis columbæ, eorumque doctrina ad excelſa ſublatus, occurrit, nō deorſum ſed in aere & ſpirituali intelligentia ſcripturarum. Occurrens autem in ſpiritualibus, & terrena dimittens, ſiue ille ſit dormiens, ſiue in Chriſto mortuus, ſiue viuens, & in illius præſentiam reſeruatus, ſemper cū illo erit, & perfruetur verbo Dei, & ſapientia veritate, atque iuſtitia. *Tom. 3. epiſt. 152. Fol 448.*

MAGNI laboris & operis eſt; omnē Eſaiæ librum velle ediſſerere, in quo maiorum noſtrorum ingenia ſudauerunt: Græcorum dico. Cæterum apud Latinos grande ſilentium eſt, præter ſanctæ memorię martyrem Victorinum; qui cum Apoſtolo dicere poterat: Et ſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia. Scripſit enim in hunc prophetam iuxta editiones quatuor, vſq; ad viſionem quadrupedum in deſerto: Origenes triginta volumina, è quibus viceſimus ſextus liber non inuenitur. Feruntur & alij ſub nomine eius de viſione τετραπόδων duo ad Gratam libri, qui pſeudographi putantur, & viginti quinque Homiliæ & σημειώσεις, quas nos excerpta poſſumus appellare. Euſebius quoque Pamphili, iuxta Hiſtoricam explanationem quindecim edidit volumina: Et Didymus cuius amicitijs nuper vſi ſumus, ab eo loco, vbi ſcriptum eſt: Conſolamini, Conſolamini populum meum ſacerdotes: loquimini ad cor Hieruſalem, vſque ad finem voluminis decem & octo edidit tomos. Apollinarius autem more ſuo ſic exponit omnia, vt vniuerſa tranſcurrat & punctis quibuſdam atq; interuallis immo cōpendijs, grandis vię ſpatia prętereuolet: vt non tam Commentarios, quam indices capitulorum nos legere credamus. Ex quo animaduertis quantę difficultatis ſit vt latini noſtri quorum aures faſtidioſę ſunt, & ad intelligēdas ſcripturas nauſeant, plauſuque tantum eloquentię delectantur, mihi ignoſcant, ſi prolixius locutus fuero: cū Eſaias duodecim prophetis iuxta numerum verſuum, aut ęqualis, aut maior ſit. *Tom. 4. Proœm. in Eſaiam fac. 2.*

*2. Cor. 11.* *Interpretes Eſaiæ græci & latini.* *Eſaiæ. 40.* *Vnus & ſolus Eſaias duodecim prophetis æqualis vel maior.*

DE hac viſione ante annos circiter triginta, cū eſſem conſtantinopoli, & apud virum eloquentiſsimum Gregorium Nazianzenum, tunc eiuſdem vrbis epiſcopum ſanctarum ſcripturarum ſtudijs erudirer, ſcio me breuem dictaſſe ſubitūque tractatum vt experimentum caperem ingenioli mei, & amicis iubentibus obedirem. Ad illum itaque libellum mitto lectorem: oroque vt breui huius temporis expoſitione contentus ſit *Tom. 4. lib. 3. Com. in cap 6. Eſaiæ. a. p.*

*Apud Nazianzenum in ſacris litteris eruditus Hieronymus*

ET ipſe Dominus præcepit Apoſtolis, cūctiſque doctoribus eccleſiæ vt quicquid aſperum videretur atq; difficile, ſua interpretatione diſſoluant, & intelligentiæ viam præbeant, omniaque tollant de medio ſcandala: vt populus Domini abſque vllo impedimento quod legit intelligat: & in Dei timore proficiat, de his vijs, & Ioannes Baptiſta dicebat, Paratē vias Domini. *Tom. 4. lib. 16. Commentariorum in cap. 57. Eſaiæ. Fol. 188. facie. 1.*

*Officiū DD. difficilia ſcripturæ loca ſua interpretatione diſſoluere.* *Matt. 3.*

ACCEDIT ad hanc dictandi difficultatem, quod caligantibus oculis ſenectute, & aliquid ſuſtinentibus beati Iſaac, ad nocturnum lumen nequaquam valeamus hebræorum volumina relegere: qui etiam ad ſolis dieique fulgorem, litterarum nobis paruitate cæcantur. Sed & Græcorum commentarios, fratrum tantum voce cognoſcimus. *Tom. 4. in Proœm. lib 7. Commentariorum in Ezechielem.*

*Gen. 27.* *In ſenio Hebræorum & græcorum Commentarios per Anagnoſten cognoſcebat B. Hieronymus*

EXCEPTIS LXX translatoribus, qui hæc omnia, neſcio qua ratione prætererunt, tres reliqui, collegam interpretati ſunt. Vnde iudicio magiſtrorum eccleſiæ æditio eorum in hoc volumine repudiata eſt, & Theodotionis vulgo legitur: quæ & Hebræo, & cæteris tranſlatoribus congruit. vnde & Origenes in nouo Stromaton volumine aſſerit ſe, quæ ſequuntur ab hoc loco in ꝓpheta Daniele, non iuxta LXX. interpretes, qui multum ab Hebraica veritate diſcordant ſed iuxta Theodotionis æditionem diſſerere. *To. 4. lib. 1. Com. in ca. 4. Dan. Fol. 504. fac. 1.*

ET fruſtra Porphyrius, quæ in typo Antiochi de Antichriſto dicta ſunt, vult omnia referre ad Antiochū. Cuius calumniæ (vt diximus) plenius reſponderunt, Euſebius Cæſarienſis & Apollinarius Laodicenus, & ex parte diſertiſsimus vir Martyr Methodius, quæ ſi ſcire voluerit, in ipſorum libris poterit inuenire. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 12. Dan. Fol. 528. fac. 1.*

*Tres Patres Porphyrij calumnijs reſponderunt.*

DICEBAT mihi Hæbreus, quo ſcripturas ſāctas inſtituente perlegi, quod ſupra ſcriptum ereouth verbum, magis in hoc loco afflictionem & malitiam, quam paſtionem & voluntatem ſignificaret: non à malo quod eſt contrarium bono, ſed ab eo quod in Euangelio ſcribitur: ſufficit diei malitia ſua: quam Græci ſignificantius κάκωσιν vocant, & eſſe ſenſuum: Conſideraui vniuerſa, quæ in mundo fiunt & nihil aliud deprehendi quam vanitatem & malitias, id eſt, miſerias ſpiritus: quibus anima diuerſis cogitationibus affligitur. *Tom. 5. Comment. in cap. 1. Eccleſiaſtis. Fol. 3. facie. 2.*

*Hebræum præceptorem in ſcripturis adhibuit Hieronymus.*

MIHI vero ab Hebræo qui me in ſcripturis erudiuit, ita expoſitum eſt. *Tom. 5 Com. in ca. 3. Eccleſiaſtis. Fol. 9. fac1.*

HEBRAEVS meus, cuius ſæpe facio mentionem: cum Eccleſiaſten mecum legeret, hæc Baruchiam, quem vnum vel maximè admirantur ſuper præſenti loco tradidiſſe teſtatus eſt. *Tom. 5. Commentariorum in caput Eccleſiaſtis. Folio duodecimo fac. 2.*

HOMO, homo, ſi voluerit illud, vel illud, &c.] Vir Sanctus Gregorius Ponti epiſcopus. Origenis adiutor, in Metaphraſij eccleſiaſtæ, ita hunc locum intellexit. *Ibid.*

*Metaphraſis Eccleſiaſtæ Gregorij Pauli epiſcopi.*

CAETERVM non ignoro Pammachi chariſſimè à multis eccleſiaſticis prętermiſſam, & q expo nere sūt conati, apud Gręcos reperiri Apollinari Laodicenum: qui cum in adoleſcentia ſua breues & in hūc & in alios prohetas commentariolos reliquiſſet, tangens magis ſenſus quā explicans, rogatus poſtea vt in Oſee plenius ſcriberet: qui liber venit in noſtras manus: ſed & ipſe nimia breuitate ad perfectam intelligentiam lectorum ducere non poteſt. Origenes paruum de hoc ꝓpheta ſcripſit libellum, cui hunc titulum impoſuit περὶ τοῦ, πῶς ὠνομάσθη ἐν τῷ ὠσηὲ ἐφραὶμ hoc eſt, quare appellatur in Oſee Ephraim: volēs oſtendere quæcunque contra eum dicuntur, ad hæreticorum referenda perſonam Et aliud volumen ἀκέφαλον καὶ ἀτέλεστον: quod & capite careat & fine. Pierij quoque legi tractatum longiſsimum, quē in exordio huius prophetæ die vigiliarum dominicæ paſsionis ex temporali & diſerto ſermone ꝓfudit. Et Euſebius Cæſarienſis in octauo decimo libro εὐαγγελικῆς ἀποδείξεως quædā de Oſee propheta diſputat. Vnde annos circiter vigīti duos; cum rogatu Sanctæ & venerabilis ſocrus, imo matris tuæ Paulæ (illud enim nomen carnis, hoc ſpiritus eſt) quæ monaſteriorum & ſcripturarū ſemper amore flagrauit, eſſem Alexandrię: vidi Didymum, & eum frequenter audiui, virum ſui temporis eruditiſsimum: rogauiq; eum vt quod Origenes non fecerat, ipſe compleret & ſcriberet in Oſee commentarios: qui tres libros me petente dictauit, quinque quoq; alios in Zachariā. Nam & in ipſum duo tantum Origenes ſcripſit volumina, vix tertiam partem à principio libri vſque ad viſionem quadrigarum ediſſerēs. Hæc dico, vt noueris, quos in prophetæ huius campo habuerim præcurſores, quos tamen vt ſimpliciter & non ſuperbè (ſicut quidam meorum amicorum ſemper inſibilat) tuę prudentię fatear, nō in omnibus ſum ſecutus: vt iudex potius operis eorum quam interpres, dicerem q; quid mihi videretur in ſingulis, & quid ab Hebræorum magiſtris vix vno & altero acceperim: quorum & apud nos iam rara auis eſt: dum omnes delitijs ſtudent & pecunijs & magis ventris quam pectoris curam gerunt: & in hoc ſe doctos arbitrantur ſi in tabernis medicorum de cunctorum operibus detrahant. *Tom. 5. Proœm. in Oſeam.*



*Quos patres B. Hieronymus præcurſores habuerit in expoſitione Oſeæ, enumerat.*

*Magiſtros Hebræorum conſuluit in prophetis explicandis. et eorum hic acris reprehēſio.*

HAEC ad duas lucubratiunculas veterum auctoritatem ſecutus, & maximè expoſitionē Hebraicam, propero ſermone dictaui, aperuique os meum, ſed neſcio an illud Chriſtus impleuerit. Vnde ſapiens lector ſenſuum magis debet conſequentiam quærere, quam eloquij venuſtatem. Neque enim ea leuitate & compoſitione verborum, dictauimus, vt ſcribimus: aliud eſt mi Pammachi ſępe ſtylum vertere & quę memoria digna ſunt ſcribere. Aliud notariorum articulis præparatis pudore reticendi dictare quodcunque in buccā venerit. In hac propheta & adoleſcentuli luſimus & ſenes præſumpſimus. Qui veriora & meliora dixerit, in illius ſententiam tranſgredere. *Tomo quinto Commentariorum in caput primum Abdiæ in fine.*

*Inter dictare et ſcribere eſt magna diſtantia.*

SEMPER inuidis reſpondemus (quia non ceſſat inuidia) & librorum noſtrorum exordia, æmulorum maledicta confutāt: qui vulgo iactāt me ſterilis, ieiuniique ſermonis, quaſdam ineptias ſcribere & cum loqui neſciam, tacere nō poſſe. Itaq; obſecro vos, ô Paula & Euſtochium, vt ad huiuſcemodi latratus claudatis aures, & infātiam (vt dicunt) meam orationibus adiuuantes, impetretis mihi, iuxta Apoſtolū adapertionem oris mei. vt de ſcripturis loquenti adaptari poſſit: Dominus dabit euangelizantib. virtute multa. Moneo autem tauros pingues, qui circundederunt me, vt quieſcant & deſinant maledicere, maleſacta ne noſcāt ſua: quę proferentur poſt, ſi pergant lædere. Nam quod dicitur Origenis me volumina compilare, & contaminari non decere veterum ſcripta: quod illi maledictum vehemēs eſſe exiſtimant, eandem laudem ego maximam duco, cum illum imitari volo, quem cūctis prudentibus & vobis placere nō dubito. Si enim criminis eſt Græcorum benedicta transferre, accuſetur Ennius & Maro, Plautus, Cæcilius & Terētius, Tullius quoque & cæteri eloquētes viri, qui non ſolum verſus, ſed multa capita & longiſſimos libros ac fabulas integras tranſtulerunt. Sed & Hilarius noſter furti reus ſit: quod in Pſalmos quadraginta ferme millia verſuum ſupradicti Origenis ad ſenſuum verterit. Quorum omniū æmulari exopto negligentiam potius, quam iſtorum obſcuram diligentiam. *Tom. 5. in Proœm. lib. 2. Com. in Michæam. a. p.*

*Col. 4.* *Pſal. 67.* *Ibid. 21.* *Purgat ſe quod ex græcorum Commentarijs, q̄ bene dicta ſunt, delibet et in ſuos vſus trāſferat.*

PECVNIA ergo & argentum, prædicatio euangelij eſt, & ſermo diuinus: qui dare debuit nummularijs & trapezitis, id eſt, vel cæteris doctoribus (quod fecerunt & Apoſtoli, per ſingulas prouincias, presbyteros, & epiſcopos ordinātes) vel cunctis credentibus, qui poſſunt pecuniam duplicare, & cum vſuris reddere, vt quicquid ſermone didicerant, opere explicent. *Tomo ſexto libro quarto Commenta. in caput vigeſimū quintū Matt. Cano. 56. fac. 2.*

*Doctores trāpezitæ debēt pecuniam domini duplicare.*

QVAERITVR, vtrum totius orbis eccleſiæ Dei acceperint Euangelium, an hominis? Quotus enim quiſque noſtrum per reuelationem Chriſti didicit: & non homine prædicante cognouit? ad quod reſpondebimus. Eos qui poſſint dicere. An experimentum eius quæritis, qui in me loquitur Chriſtus. Et viuo iam non ego, viuit autem in me Chriſtus: Non tam ipſos docere quam in ipſis Deum, qui ad Sanctos loquitur: Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi oēs, & ſtatim de peccatoribus: vos autem vt homines moriemini & tāquam vnus de principibus cadetis. Cum igitur Paulus loquitur & Petrus, qui non moriuntur vt homines, neque vt vnus de principibus corruūt: Deos eſſe eos manifeſtum eſt. Qui autem Dij sūt, tradunt Dei euangelium, & non hominis. *Tom. 6. lib. 1. Commmentariorum in caput primum ad Galat. Fol. 122. fac. 2.*

*Doctores dij ſunt non homines.* *1. Cor. 13.* *Pſal. 81.*

SCRIPSIT in hunc prophetā Origenes duo volumina vſque ad tertiam partem libri à principio, Hippolitus quoque edidit commentarios, & Didymus quinque explanationum libros me rogante dictauit: quos cum alijs tribus in Oſee & Michea προσεφώνησεν: ſed tota eorum ἐξήγησις allegorica fuit, & hiſtoriæ vix pauca tetigerunt. Itaque imitari cupiens illum patrem familias, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera, & ſpōſam de Cantico Canticorum, quæ dicit: Noua cum veteribus fratruelis meus ſeruaui tibi: hiſtoriæ hebræorum tropologiam noſtrorum miſcui, vt ædificarem ſuper petram, & non ſuper arenam ac ſtabile iacerem fundamentum, quod Paulus Architectus poſuiſſe ſe ſcribit. *Tom. 5 Co. in Proœm. Zach.*

*In Zachariā qui ſcripſerint ante B. Hieronymū.* *Doctores boni patresfamilias & architecti.* *Hiſtoriæ Hebræorū Tropologiam admiſcet doctorum.*

HOC iuxta litteram, ne videremur cælare noſtros quæ à peregrinæ linguę magiſtris didicimus. *Tomo quinto libro primo Commentariorum in cap. 1. Zac. Fol. 234. fac. 1.*

*A peregrinæ linguæ magiſtris didicit Hieronymus*

DICAMVS ſingula, percurentes primū quid videatur Hebræis, a quibus in veteri teſtamento erudi-

eruditi ſumus: deinde per quos quaſi gradus ad eccleſiæ culmina conſcendamus. *Tom.5.lib.1.Com. in ca.4.Zach.Fol.240.fac.1.*

SATIS miror Euſebi dilectiſsime, cur Romã ſubito nauigaturus, hanc tibi à me quaſi σιτάρκειαν dari volueris: vt Matthæum breuiter exponens, verbis ſtringerem, ſenſibus dilatarem. Si meminiſſes reſponſionis meæ, nunquam in paucis diebus rem annorum peteres. Primum enim difficile eſt omnes legere qui Euangelia ſcripſerunt. Deinde multo difficilius adhibito iudicio, quæ optima ſunt excerpere. Legiſſe me fateor ante annos plurimos, in Matthæum Origenis viginti quinque volumina, & totidem eius homilias, commaticumque interpretationis genus: & Theophili Antiochenæ vrbis Epiſcopi commẽtarios: Hippoliti quoque martyris, & Theodori Heracleotæ, Apollinarijque Laodiceni, ac Didymi Alexandrini: & latinorum Hilarij, Victorini, Portunatiani opuſcula: è quib. etiam ſi parua caperem, dignum aliquid memoria ſcriberetur. At tu in duabus hebdomatibus, imminente iam Paſcha, & ſpirantibus ventis dictare me cogis, & quando notarij excipiant, quando ſcribantur ſchedulæ, quando emendentur, quo ſpatio digerantur ad purum, maximè cum ſcias me ita trib. menſibus languiſſe, vt vix nunc ingredi incipiã, nec poſsim laboris magnitudinẽ breuitate temporis compenſare. Igitur omiſſa auctoritate veterum, quos nec legendi, nec ſequendi mihi facultas data eſt, hiſtoricam interpretationem, quã præcipuè poſtulaſti, digeſsi breuiter, & interdum ſpiritualis intelligentiæ flores miſcui, perfectum opus reſeruans in poſterum. *Tom.6.proœmio Com. ſuper Matthæum ad Euſebium.*

*Qui Patres ante tempora Hieronymi ſcripſerunt in Matthæum.*

*Methodus Commentariorum b. Hieronymi in Matthæũ.*

POSVIT ſiue dedit pater filius primò Apoſtolos ſecundò prophetas, nõ illos qui futura vaticinantur, quales in veteri teſtamento legimus: ſed qui infideles & imperitos arguãt atque dijudicent. Tales quippe prophetas noui teſtamenti in alia epiſtola definit. Tertiò Euangeliſtas, quorum ſpecioſi pedes ſunt ad annunciandũ pacem. Nec vero putandum quod ſicut in ſuperioribus tribus, alios dixit eſſe Apoſtolos, alios Prophetas, alios euangeliſtas: ita & in paſtoribus & magiſtris diuerſa officia poſuerit: Non enim ait: alios autem paſtores, & alios magiſtros: ſed alios paſtores & magiſtros: vt qui paſtor eſt, eſſe debeat & magiſter. Nec in eccleſijs quamuis ſanctus ſit, paſtoris ſibi nomen aſſumere, niſi poſsit docere quos paſcit. vel certè aliter: vt vnus atque idem præſes eccleſiæ ſit paſtor & doctor: Paſtor ouium, magiſter hominum. Homines quippe & iumenta ſaluos facies Domine. Arbitror hodie quoque in eccleſijs, quemadmodum propheta & euangeliſta, paſtor quoque inuenitur & doctor: ita poſſe & Apoſtolorum reperiri, in quo apoſtolatus ſigna & iudicia compleantur. Et è regione eſſe plurimos tam foris, quam intus, tã in Eccleſia quam in hæreſibus, qui pſeudoapoſtoli ſint & pſeudoprophetæ, & pſeudoeuangeliſtæ, & pſeudopaſtores, & pſeudomagiſtri. Et de hæreſibus quidem nulla dubitatio eſt, quin ſecundum falſam fidem, falſa vniuerſa poſsideant. In eccleſijs autem nonne vobis videtur falſi eſſe paſtores, qui non paſcunt oues cum diſciplina, ſed quaſi mercenarij nequaquam gregis ſalutem cogitant, quod errauit non conuertentes, & quod perijt non quærentes: ſed tantummodo de ouibus lac & lanã, cibos videlicet, & veſtimenta captantes? Nec verò abſque ordine in hæc putem Apoſtolum ſubito prorupiſſe: verum quia præmiſerat eſſe Deum ſuper omnia, & per omnia, & in omnibus, & vnicuique ſanctorum datam gratiam ſecundum menſuram donationis Chriſti: nunc addit alios Apoſtolos, alios prophetas, alios euangeliſtas, alios paſtores & magiſtros eſſe in eccleſia diſtributos, qui neceſſarij ſint ad perfectionem inſtructionemque ſanctorum opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti. Quin cum corpus Domini eccleſia ſit, & Eccleſia de viuis lapidibus cõſtruatur. hi quos ſupra memorauimus in eccleſia conſtitutos, id habent operis, vt ſecundum diſpenſationem & officia ſibi credita, eccleſiam Chriſti, id eſt, corpus eius ædificent. Si quis igitur non ædificat eccleſiam Chriſti, nec plebem ſibi ſubiectam inſtruit (vt de ſubiecto populo, Chriſti eccleſia cõſtruatur) iſte nec Apoſtolus, nec propheta, nec euangeliſta nec Paſtor nec magiſter eſt appellandus. *Tom.6.lib.2.Co. in ca.4.ad Epheſ. Fol.176.fac.2.*

*Prophetæ duplicis generis*

*Paſtores magiſtri ſiue Doctores nõ ſunt diſtincti.*

*Hæretici ſecundum falſam fidem falſa vniuerſa poſsident.*

## *Articul. IIII. Antiquos patres incorruptos eſſe iudices in controuerſijs poſterorum.*

DVM ſpiritus hos artus regit, dum vitę huius fruimur commeatu, ſpõdeo, promitto, polliceor, illam lingua mea reſonabit, illi mei dedicabuntur labores, illi meum ſudabit ingenium: nulla erit pagina, quæ non Blæſillam ſonet: quocunque ſermonis noſtri monumenta ꝑuenerint, illa cũ meis opuſculis peregrinabitur. Hanc in mea mente defixam legent virgines, viduę, monachi, ſacerdotes. breuis vitę ſpatium æterna memoria compenſabit. quæ cum Chriſto viuis in cælis, in hominum quoque ore victura eſt, tranſibit & præſens ætas, ſequẽtur ſęcula poſt futura, quæ ſine amore, ſine inuidia iudicabunt. inter paulæ, Euſtochijque nomẽ media ponetur. *To.1.epiſt.25.cap.6.*

## *Articul. V. Chriſtiani eſſe populi, ſanctorum patrum ſequi authoritatem.*

SERMO eius per omne conuiuium de ſcripturis aliquid proponere, libenter audire, reſpõdere verecundè, recta ſuſcipere, praua non acriter confutare, diſputantem contra ſe magis docere quam vincere: & ingenuo pudore, qui ornabat ætatem quid cuius eſſet, ſimpliciter confiteri. atque hunc in modum, eruditionis gloriam declinando, eruditiſsimus habebatur. Illud, aiebat, Tertulliani, Iſtud Cypriani, hoc Lactantij, Illud Hilarij eſt. Sic Minucius felix, ita Victorinus, in hunc modum eſt locutus Arnobius. Me quoque, quia pro ſodalitate auunculi diligebat, interdum proferebat in medium, lectioneq; aſſidua, & meditatione diuturna, pectus ſuum bibliothecam fecerat Chriſti. quoties ille tranſmarinis epiſtolis deprecatus eſt, vt aliquid ad ſe ſcriberem? quoties nocturnum de euangelio petitorem, & interpellatricem duri iudicis mihi viduam exhibuit? cumque ego ſilentio magis, quam litteris, denegarem; & pudore reticentis pudorẽ ſuffunderem poſtulantes: auunculum mihi oppoſuit precatorem; qui & liberius pro alio peteret; & ꝓ reuerẽtia ſacerdotij facilius impetraret.

*Nepotianus ſanctorum patrum teſtimonia inducebat.*

*Luc. 11.*



*Tom.1.epiſt.3.in epitaphio Nepotiani ca.7.*

CYPRIANI opuſcula ſemper in manu teneat. Athanaſij epiſtolas, & Hilarij libros inoffenſo decurrat pede. illorum tractatibus, illorũ delectetur ingenijs, in quorũ libris pietas fidei non vacillet, cæteros ſic legat vt magis iudicet, quam ſequatur. *Tom.1.epiſt.7.cap.5.in fine ad Lætam.*

*Cenſura de delectu in legendis ſ. patribus.*

DE ſcripturis ſanctis habeto fixum verſuum numerũ: Iſtud penſum Domino tuo redde. Nec ante quieti membra concedas, quam calathum pectoris tui hoc ſubtegmine impleueris. Poſt ſcripturas ſanctas, doctorum hominum tractatus lege, eorum duntaxat, quorum fides nota eſt. Non neceſſe habes aurũ in luto quærere: multis margaritis vnam redime margaritam. Sta, iuxta Hieremiam, in vijs pluribus; vt ad illam viam, quæ ad patriã ducit, peruenias. *T.1.Epi.10.ad Furiã.c.4.*

*Hortatur Furiam ad Doctorum hominum tractatus legẽdos Hier. 6.*

ET in principio libelli præfatus ſum, me de anguſtijs nuptiarum aut nihil omnino, aut pauca dicturum: & nunc eadem admoneo; vt ſi tibi placet ſcire, quot moleſtijs virgo libera, quot vxor aſtricta ſit, legas Tertullianum ad amicum philoſophum ſcribentem, & de virginitate alios libellos, & beati Cypriani volumen egregium, & papæ Damaſi ſuper hac re verſu, proſaque cõpoſita, & Ambroſij noſtri, quæ nuper ſcripſit ad ſororem, opuſcula: in quibus tãto ſe effudit eloquio, vt quicquid ad laudes virginum pertinet, exquiſierit, expreſſerit, ordinarit, nobis diuerſo tramite incedendum: virginitatem, non tantum efferimus, ſed ſeruamus: nec ſufficit ſcire, quod bonum eſt, niſi cuſtodiatur attentius, quod electum eſt: quia illud iudicij eſt, hoc laboris; & illud cõmune cum pluribus, hoc cum paucis. Qui perſeuerauerit, inquit, vſque in finem, hic ſaluus erit. Et multi vocati, pauci autem electi. Itaq; obteſtor te coram Deo, & Chriſto Ieſu, & electis angelis eius, ne vaſa templi Domini, quæ ſolis ſacerdotibus videre conceſſum eſt, facile in publicũ proferas; ne ſacrarium Dei quiſquam profanus aſpiciat. *Tomo.1. epiſt.22.ad Euſtochium cap.10. prin.*

*Sancti patres, qui laudes virginitatis ſcripſerunt, recenſentur.*

*Matt. 10.*

QVANTAS vires habet miſericordia, & quibus donanda ſit præmijs, beatus Cyprianus grãdi volumine proſequitur & Danielis conſilium probat, qui regem impijſsimum ſi ſe audire voluiſſet, ſcit pauperum ſuſtentatione ſaluandum. *Tom.1.Epiſt.26.ad Pam.cap.2.in med.*

*Cyprianus de Laudib. Miſericordiæ.*

*Daniel. 4.*

OBSECRO te ignoſcas tarditati meę, ita enim ſanctæ & venerabilis Paulæ confectus ſum, dormitione, vt abſque translatione huius libri, vſque in pręſentiarum, nihil aliud diuini operis ſcripſerim, ꝑdidimus enim vt ipſe noſti, repẽtè ſolatium, quod, vt conſcientiæ noſtræ teſtis eſt Dominus, non ad proprias ducimus neceſsitates, ſed ad ſanctorum refrigeria, quib. illa ſolicitè ſeruiebat, ſancta & venerabilis te, filia tua, Euſtochium, quæ nullam pro matris abſentia recipit conſolationem, te vniuerſa fraternitas ſimpliciter ſalutat. libros quos dudum ſcripſiſſe te nunciaſti, vel legendos nobis, vel vertendos tranſmitte. *Tom.1.epiſt.31.ad Theph.in fine.*

AVDIENS autem celebre nomen Antonij, ꝙ per omnes Aegipti populos ferebatur, incenſus viſendi eius ſtudio, perrexit, ad eremum: & ſtatim vt eum vidit, mutato priſtino habitu, duobus ferè menſibus iuxta eum manſit, contemplãs ordinem vitæ eius, morumque grauitatem; quã fratribus, ſeuerus in corripiẽdis, alacer in exhortandis eſſet; & vt continentiam cibique eius aſperitatem nulla vnquam infirmitas frangeret. *To.1. in vita Hilarionis.p.*

*Hilarion Antonij imitator*

NON imponit nobis Apoſtolus laqueum, nec cogit eſſe quod nolumus: ſed ſuadet quod honeſtum eſt & decorum: & intẽte facit ſeruire Domino, & ſemper eſſe ſolicitum & expectare paratam Domini voluntatem: vt cum quid imperauerit, quaſi ſtrenuus & armatus miles, ſtatim impleat quod præceptum eſt & hoc faciat ſine vlla diſtentione, quæ data eſt ſecundum eccleſiſten hominibus huius mundi vt diſtendantur in ea. *To.2.lib.1.contra Iouin.ca.7.*

*Doctores nõ debẽt laqueum inijcere.*

*Eccle 1.*

QVOD ſi in aſperum & reprehenſione dignũ videtur, tantam nos inter virginitatem & nuptias feciſſe diſtantiam, quanta inter frumentum & hordeum eſt: legat Ambroſij de viduis librum: & inueniet illum inter cætera, quæ de virginitate & nuptijs diſputauit etiam hoc dixiſſe. *To.2.in Apol.ad Pammach.in medio.*

*Ambroſij de viduis liber commẽdatur*

EX vniuerſis perſpicuũ eſt, me nihil noui de virginibus nuptiſque dixiſſe, ſed maiorum in omnibus ſecutum eſſe ſententiam, tam huius videlicet, quam reliquorum qui de eccleſiaſticis dogmatibus diſputarunt: quorum æmulari exopto negligentiam potius, quam aliarum obſcuram diligentiam. *Ibid.in fine.ca.*

*In eccleſiaſticis dogmatibus maiorũ & veterum Patrum ſententiam ſequitur.*

NVM vir egregius, in ſcripturis, & virgo, & Eccleſiæ virginis doctor, aliquid in illo ſermone reprehenderit? In libro quoque ad Euſtochiũ multo duriora de nuptijs diximus; & nemo ſuper hac re lęſus eſt. Amator quippe caſtitatis, pręconium pudicitiæ intẽta aure captabat. lege Tertullianum, lege Cyprianum, lege Ambroſium; & cum illis me vel accuſa, vel libera. *To.2.in Apo. ad Pammach.cap.7.*

*Excuſat ſe authoritate & exemplo veterum Patrum.*

NOS nec eccleſiam ſcindimus, neque à Patrũ communione diuidimur, ſed ab ipſis, vt ita dicã incunabulis Catholico ſumus lacte nutriti. Nemo namq; magis eccleſiaſticus eſt quam qui nunquam hæreticus fuit. *Tom.2.epiſt.62.ad Theophilum cap.1.in med.*

*A patrum communione ſe diuidens eſt ſchiſmaticus.*

SEQVAR regulam præceſſorum, & eius præcipuè viri, cuius ſuperius fecimus mentionem: qui cum vltra ſeptuaginta libellos Origenis, quos homiliticos appellauit, aliquantos etiã de tomis in Apoſtolo. ſcriptis tranſtuliſſet in latinum in quibus cum aliquanta offendicula inueniantur in Gręco, ita elimauit omnia interpretãdo, atq; purgauit, vt nihil illis, quod à fide noſtra diſcrepet, latinus lector inueniat. *Tom.2.aduer.Ruf.lib.1. cap.1.in medio.*

*Patrum ſequenda veſtigia.*

SCRIPTVRAS quoq; ſanctas non ad legendum tantum, ſed ad habendum tribuebat promptiſsimè, nec ſolùm viris ſed & fœminis quas vidiſſet lectioni deditas. Vnde & multos codices ꝑparabat, vt cum neceſsitas popoſciſſet, volentib. largiretur. *Ibid.ca in. 2.med.*

IPSE Origenes & Clemens, & Euſebius, atq; alij cõplures quando de ſcripturis aliqua diſputant, & volunt approbare quod dicunt, ſic ſolẽt ſcribere. Referebat mihi Hebræus: & audiui ab Hebręo: & Hebręorũ iſta ſẽtẽtia eſt. *Ib.c.3.in med.*

*Hebræorum magiſtri nõ negligendi in explicatione ſcripturarum.*

PORRO, ſi q̃ras, vel recolas, quid hic ſenſerit noſter Ambroſius, quid noſter itidẽ Cyprianus: inuenies fortaſſe, nec nobis defuiſſe, quos in eo

*Apoſtoli & Doctores puriſsimi fontes.*

NVNQVAM prius occurrerunt fontes puriſſimi, niſi vbi magiſtrorũ doctrina prorupit. Nec dubium quin de duodecim Apoſtolis ſermo ſit: de quorum fontibus deriuatæ aquæ, totius mundi ſiccitatem rigant. Iuxta has aquas ſeptuaginta creuerunt palmæ, quos & ipſos ſecundi ordinis intelligimus præceptores, Luca Euãgeliſta teſtãte, duodecim fuiſſe apoſtolos, & ſeptuaginta diſcipulos minoris gradꝰ: quos & binos ante ſe Dominus præmittebat. De quibus & Paulus refert, quod apparuerit Dominus primũ vndecim, deinde apoſtolis omnibus; alios volẽs intelligi primos, & alios ſecundos Chriſti diſcipulos. Bibamus de huiuſmodi fontibus & dulces fructus victoriæ deuorãtes, ad manſiones reliquas præparemur. *Tom. 3. epiſt. 127. ad Fabiolam manſione 6.*

*Luc. 6. 10.*
*1. Cor. 15.*

*Magiſtrorũ eccleſiæ limina terenda.*
*Eſaiæ. 45.*
*Vincula duplicia.*
*Eph. 3. 4.*
*Col. 4.*
*Iud. 15. 1.*
*Prouerb. 7.*
*Pſal. 2.*

VICESIMA SEPTIMA manſio vincula, ſine diſcipulis ſonat; vt feſtiuo gradu pergamus ad magiſtros; & eorum teramus limina, & præcepta virtutũm ac myſteria ſcripturarum, vincula putemus æterna: iuxta illud; quod in Eſaia dicitur: Et Sabaim viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt: poſt te ambulabũt vincti manicis. Et Paulus vinctus Ieſu Chriſti: duplicia ſunt in ſcripturis vincula quæ quãdiu rupit Sampſon vicit inimicos. Et de meretrice legimus, vinculũ in manibus eius. Et ex perſona Domini dicentis: dirũpamus vincula eorum & proijciamus à nobis iugum ipſorum. Et alibi: laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Chriſti autem vincula volũtaria ſunt, & vertuntur in amplexus. Quique his fuerit colligatus, dicet. Siniſtra eius ſub capite meo, & dextera eius complectetur me. *Ibid. manſione 27.*

*Pſal. 123.*
*Cant. 2.*

*Epulæ Sanctorum Patrum dulces.*

NON ſunt ſuaues epulæ, quæ non placentam redolent, quas non condit Apicius. in quibus nihil de magiſtrorũ huius temporis iure ſuffumat. *Tom. 3. epiſt. 130. ad Marcellam.*

*Pſal. 10.*
*Eccleſi. 1.*
*Magiſtrorũ ſapientiæ terenda limina.*

QVIESCITE agere peruerſe: diſcite benefacere] virtus ergo diſcenda eſt nec naturæ tantum bonum ſufficit ad iuſtitiam: niſi quis erudiatur congruis diſciplinis. Ieſus quoq; filius Sirach tale quid loquitur, deſideraſti ſapientiam: ſerua mandata, & Dominus tribuet tibi eam. Et in ſequentibus idem Eſaias cõmemorat: Omnis qui non didicerit iuſtitiam ſuper terram, veritatem non faciet, diſcẽda eſt ergo iuſtitia: & magiſtrorum ſapientiæ terenda ſunt limina. *Tom. 4. libr. 1. Com. in cap. 1. Eſaiæ fol. 4. fac. 2.*

*Vberibus Doctorum naſcẽtium in Chriſto nutritur infantia.*

SVGES quoq; lac gentium, & mammilla regum lactaberis: Qui locus quem ſenſum habeat, ſupra plenius expoſuimus, differentes illum verſiculum: filij tui de longè venient, & filię tuæ lac ſugẽt. Siue iuxta LXX. πλοῦτος τῶν βασιλέων φάγεσαι, id eſt, diuitias regum comedes. Quæ diuitiæ ſecundum Hebraicam veritatem, vbera ſunt regum atq; doctorum: quibus naſcẽtium in Chriſto eruditur & nutritur infantia. Quæ cum ſuxeris & perueneris ad ſolidum cibum (vt diuitias quoq; huiuſcemodi regum comedas) tunc ſcies quod ſum ſaluator tuus, qui redemi te ſanguine meo: ſiue Deus fortis Iacob. *Tom. 4. lib. 17. Com. in c. 60. Eſaiæ folio 202. facie 2.*

*Matt. 4.*

OSTENDIT quomodo reducẽdi ſint, quod primũ mittat Apoſtolos, quibus ſaluator dixit: venite poſt me, & faciam vos piſcatores hominũ; Et poſtea venatores, quos vel eccleſiaſticos viros, vel angelos poſſumus accipere, qui poſtquã conſummationis tempus aduenerit, venentur ſanctos quoſque de montibus dogmatum excelſorum, & de collibus bonorum operum, & de cauernis petrarum, Apoſtolis & Apoſtolicis viris. *Tom. 4. lib. 3. Com. in cap. 16. Hieremiæ fol. 266. fac. 2.*

*Doctores eccleſiæ ſunt ſpirituales piſcatores. & venatores.*

*Per magiſtrorum diſciplinam ad interiora penetramus.*

SEQVITVR: exitus eius & introitus, ſubauditur domus eius. Exitus autem, qui egrediuntur ad eos qui foris ſunt, & introitus eorum, qui per magiſtrorum diſciplinam ad interiora penetrãt. *Tom. 4. lib. 13. Comment. in cap. 43. Ezechielis folio 470. facie 2.*

*Ephe. 5.*
*Eſaiæ. 5.*
*Doctores nubes.*
*Eſaiæ. 45.*
*Lucæ. 21.*

SIVE iuxta LXX. qui dixerũt; ſurrexit de nubibus ſanctis ſuis: Patriarchas prophetas, & Apoſtolos intellige: quibus mandauit Dominus ne pluant ſuper Iſrael imbrem. Iſtæ ſunt nubes de quibus ſcriptum eſt: Et nubes ſpargunt iuſtitiã: neque enim nubes iſtæ corporeæ, in quas aẽr dẽſior cogitur, poſſunt pluere iuſtitiam. In his & cum his nubibus Dominus in euangelio venturum ſe eſſe dicit. Et in Eſaia legimus, quod Dominus in Aegyptum venerit in nube leui. *To. 5. lib. 1. Com. in cap. 2. Zach. fol. 237.*

*Quos Patres ſit Hieronymus ſequutus in Commentarijs epiſtola ad Galatas.*

AGGREDIAR opus intentatum ante me linguæ noſtræ ſcriptoribus & à Græcis quoque ipſis vix paucis, vt rei poſcebat dignitas, vſurpatũ. Non quia ignorem Caium Marium Victorinũ, qui Romæ pueros Rhetoricam docuit, edidiſſe commentarios in Apoſtolum: ſed quod occupatus ille eruditione ſæcularium litterarum, ſcripturas omninò ſanctas ignorauerit, & nemo poſſit, quamuis eloquẽs, de eo benè diſputare quod neſciat. Quid igitur ego ſtultus aut temerarius qui id pollicear quod ille non potuit? Minimè. Quin potius in eo, vt mihi videor, cautior atque timidior, quod imbecillitatem virium mearum ſentiens, Origenis commentarios ſum ſecutus. Scripſit enim ille vir in epiſtolam Pauli ad Galatas quinq; propria volumina, & decimum Stromatum ſuorum librum commatico ſuper explanatione eius ſermone compleuit: tractatus quoque varios & excerpta, quæ vel ſola poſſint ſufficere, compoſuit. Prætermitto Didymũ videntem meum, & Laodicenum de eccleſia nuper egreſſum, & Alexandrum veterem hæreticum: Euſebium quoque Emeſenum & Theodorum Heracleoten: qui & ipſi nonnullos ſuper hac re commentariolos reliquerunt, è quibus, ſi vel pauca decerperẽ, fieret aliquid quod non penitus contemneretur. Itaque vt ſimpliciter fatear, legi hęc omnia, & in mente mea plurima coaceruans, accito notario vel mea, vel aliena dictaui: nec ordinis, nec verborum interdum, nec ſenſuum memoriam retentãs. Iam Domini tantum miſericordiæ eſt, ne per imperitiam noſtram ab alijs benedicta diſpereant & non placeant inter extraneos quę placent inter ſuos. *Tom. 6. in proœmio Com. in epiſt. ad Galatas.*

*Exemplis aliorum Patrum probat ſe non deterritum à ſcribendo.*

NVNQVID Tertullianus beatum martyrem Cyprianum, aut Cyprianus Lactantium, aut Lactantius Hilarium deterruit à ſcribendo? Taceo de cæteris minutalibus, qui mecum in libris ſuis garriunt. Niſi & parua fuerint, magna eminere non poſſunt. Primum non dicitur, niſi ſecundum ſequatur & tertium. Ad ſumma non ſcandimus, niſi per ima gradiamur. Quapropter obſecro tam vos, quæ in præſentiarum eſtis, quam ſanctam Marcellam vnicum viduitatis exemplar, ne facile maledicis & inuidis



inuidis opuſcula mea tradatis, neque detis ſanctum canibus, & margaritas mittatis ante porcos. Qui cum bona imitari non queant, quod ſolum facere poſſunt, inuidẽt, & in eo ſe doctos eruditoſque arbitrantur, ſi de alijs detrahãt. Quibus obſecro, reſpondeatis, vt figant ipſi ſtylum, tria vt dicitur, verba coniungant, ſudent paululum, experiantur ſemetipſos, & ex labore proprio diſcant ignoſcere laborantibus. Scitis enim & ipſę, quod ad hoc me explanationum opus inuitum & detrectantem compuleritis. Non quo ab adoleſcentia aut legere vnquam, aut doctos viros ea, quæ neſciebam interrogare ceſſauerim. & meipſum tantum (vt plerique) habuerim magiſtrum. Deniq; nuper ob hanc vel maximè cauſam Alexandriam perrexi, vt viderem Didymũ & ab eo in ſcripturis omnibus, quæ habebã dubia, ſiſcitarer. *To. 6. in Proœm. epiſt. ad Epheſ.*

*Hieronymus non habuit magiſtrum præſumptionem peſſimã ſed antecedentes & viuos Patres.*

*Origenem Apollinarem & Didymũ imitatur.*

ILLVD quoque in præfatione commoneo, vt ſciatis Origenẽ tria volumina in hanc epiſtolam conſcripſiſſe, quẽ & nos ex parte ſecuti ſumus; Apollinarium etiam & Didymum quoſdã commentariolos edidiſſe, è quibus licet pauca decerpſimus, & nonnulla quæ nobis videbantur adiecimus ſiue ſubtraximus, vt ſtudiosꝰ ſtatĩ in principio lector agnoſcat, hoc opus vel alienum eſſe, vel noſtrum. *Ibid. in fine Proœmij.*

*Dan. 12.*
*Comparatio inter iuſtum ſimplicem et iuſtum ſapientem.*
*Pſal. 118.*

PORRO vt ſciatis multam eſſe diſtantiam iuſti ſimplicis, iuſtiq; ſapientis, qualem in reſurrectione mortuorum ſinguli gloriam conſequantur, attendite. Et multi dormientiũ de limo terræ exurgent: hi in vitam æternam: Et intelligẽtes fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti, & ex iuſtis multi ſicut ſtellæ in ęternum. Fulgebunt, inquit, iuſti ſicut ſtellæ in æternum, & intelligẽtes, id eſt, habentes ſcientiam ſcripturarũ, ſicut ſplẽdor cæli. Non quo doctus vir iuſtus quoque eſſe non debeat, ſed quo qui iuſtus eſt, niſi fuerit eruditus, tam procul ſit à ſapiente iuſto, quã eſt ſtellarum fulgor à lumine firmamẽti. Quod ſi quis meditatione tantum legis inſtructus, vitam ſuã negligit, neque audet dicere: à mandatis tuis intellexi, propterea ad omnia mandata tua dirigebar: iſte quaſi ęramentum ſonans, & cymbalum tinniens, & infatuatum ſal, in ſtercore conculcãdus eſt. Si autem detur optio ſingulorum (ſepoſito eo qui habet ſapientiam atque iuſtitiam) magis eo velim ruſticitatem iuſtam, quam doctam malitiam. Quia in altero licet minor, tamen gloria eſt, ſtellarum eſſe lumini coæqualem: in altero iuxta ſcientiæ profectum, maiora ſupplicia ſunt, potentes quippe potenter tormenta patientur. Et ſeruus qui ſcierit voluntatẽ Domini ſui, & non fecerit eam, vapulabit multis. *To. 6. Proœm. in 3. Com. lib. in epiſt. ad Epheſ.*

*Præſtat ruſticitas iuſta doctæ malitiæ.*

*Sap. 6.*
*Luc. 12.*

*Gregorij Nazianzeni præceptoris D. Hieronymi laus.*

GREGORIVS Nazianzenus, vir valde eloquẽs, & in ſcripturis apprimè eruditus, cũ de hoc mecum tractaret loco, ſolebat dicere: vide quãtum iſtius capituli ſacramentum ſit vt Apoſtolus in Chriſto illud & in eccleſia interpretans, nõ ſe ita aſſerat, vt teſtimonij poſtulabat dignitas, expreſsiſſe: ſed quodammodo dixerit, ſcio quia locus iſte ineffabilibus plenus ſit ſacramentis, & diuinum cor quærat interpretis: ego autem pro puſillitate ſenſus mei, in Chriſto interim illud & in eccleſia intelligendum puto, non quo aliquid Chriſto & eccleſia maius ſit, ſed quod totũ quod de Adam & de Eua dicitur, in Chriſto & in eccleſia interpretari poſſe difficile ſit. *To. 6. lib. 3. Co. in cap. 5. ad Epheſ. Fol. 190. pag. in fine.*

## *Articul. VI. Hieronymum in exponendis ſcripturis, iuxta communem patrum interpretationem ſuam correxiſſe ſententiam.*

POST captiuitatem autem quæ ſub Veſpaſiano & Tito, & poſtea accidit ſub Hadriano, vſque ad conſummationẽ ſæculi ruinæ Hieruſalem permanſuræ ſunt: quanquam ſibi Iudęam auream atque gemmatam Hieruſalem reſtituendam putent: rurſumque victimas & ſacrificia & coniugia ſanctorum, & regnũ in terris Domini ſaluatoris: quæ licet non ſequamur, tamen damnare nõ poſſumus, quia multi eccleſiaſticorum virorum, & martyres iſta dixerũt: Et vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, & Domini cuncta iudicio reſeruentur. *Tom. 4. lib. 4. Comme. in cap. 19. Hierem. Fol. 272. pag. 2.*

*[illegible]*

SCIO de hac quæſtione ab eruditiſsimis viris variè diſputatum, & vnumquemque pro captu ingenij ſui dixiſſe quod ſenſerat. Quia igitur periculoſum eſt de magiſtrorum eccleſiæ iudicare ſententijs, & alterum prẹferre alteri: dicam quid vnuſquiſque ſenſerit, lectoris arbitrio derelinquens, cuius expoſitionem ſequi debeat. *To. 4. li. 1. Com. in ca. 9. Dan. Fol. 515. fac. 2.*

*Periculoſum eſt de magiſtrorum eccleſiæ iudicare ſententijs.*

## *Art. VII. Libros patrum corrumpunt & eis abutuntur hæretici.*

HVNC nos, licet non eloquentiæ viribus, diſciplinæ tamen regulis, inquantum poſſumus, ſequimur: obſeruantes ſcilicet, ne ea, quæ in libris Origenis à ſe ipſo diſcrepãtia inueniuntur atque cõtraria, proferamus. cuius diuerſitatis cauſam plenius tibi in Apologetico, quem Pamphilus pro libris ipſius Origenis ſcripſit, edidimus breuiſsimo libello ſuperaddito: in quo euidentibus, vt arbitror, probamentis corruptos eſſe in quamplurimis ab hæreticis & maleuolis libros eius oſtendimus, & iſtos præcipuè, quos nũc exigis vt interpreter, id eſt, περὶ ἀρχῶν, quod vel de principijs, vel de principatibus dici poteſt, qui ſunt reuera aliàs & obſcuriſsimi & difficillimi, de rebus enim ibi talibus diſputat, in quibus philoſophi omni ſua ætate conſumpta nihil inuenire potuerunt. *Tom. 2. epiſt. 63. in med.*

*Origenis libri ab hæreticis & maleuolis corrupti fuerunt.*

ILLVD verò quod aſſerunt, à quibuſdam hæreticis & maleuolis hominib. libros eius eſſe violatos quam ineptum ſit huic probari poteſt. Quis prudentior, doctior, eloquentior Euſebio & Didymo, aſſertorib. Origenis inueniri poteſt? quorum alter ſex voluminibus τῆς ἀπολογίας ita eũ vt ſenſiſſe confirmat: alter ſic eius errores nititur excuſare, vt tamen illius eſſe fateatur, non ſcriptum negans, ſed ſenſum ſcribentis ediſſerens, aliud eſt ſi quæ ab hęreticis addita ſunt, Didymꝰ quaſi bene dicta defendat. Solus inuentus eſt Origenes, cuius ſcripta in toto orbe falſarentur, & quaſi ad Mithridatis literas, omnes veritas vno die de voluminibus illius raderetur. Si vnus violatus eſt liber; num vniuerſa eius opera, quæ diuerſis, & locis & temporib. edidit, ſimul corrumpi potuerunt? *Tom. 2. epiſtola 65. ad Pammachium & Oceanum cap. 4.*

*Origenis libris quædam ab hæreticis addita fuerunt.*

VIDEAMVS tamen quib. argumentis probare nitatur Origenis ſcripta ab hęreticis vitiata. Clemens inquit Apoſtolorum diſcipulus, qui Romanæ eccleſiæ poſt Apoſtolos epiſcopus, & martyr fuit, libros edidit, qui appellantur ἀναγνωρισμός, id eſt recognitio: in quibus cum ex perſona Petri Apoſtoli doctrina, quaſi verè Apoſtolica, in quamplurimis exponatur; in aliquibus ita Eunomij dogma inſeritur, vt nihil aliud quam ipſe Eunomius diſputare credatur, filium Dei creatum de nullis extantibus aſſeuerans. Et poſt alia, quæ prolixum eſt ſcribere, Quid quæſo ait de ijs ſentiendum eſt, quod Apoſtolicus vir hæretica ſcripſerit? an id potius credendum, quod peruerſi homines ad aſſertionem dogmatũ ſuorum ſub virorum ſanctorum nomine, tanquam facilius credenda, interſeruerint ea quæ illi, nec ſenſiſſe, nec ſcripſiſſe credendi ſunt? Clemẽtem quoque, Alexandrinæ Eccleſiæ presbyterũ, virum catholicum, ſcribit in libris ſuis interdum Dei filium dicere creaturam, & Dionyſium Alexandrinæ vrbis epiſcopum virum eruditiſſimum, contra Sabellium quatuor voluminibus diſputantem, in Arianum dogma delabi. Et ſub his exemplis aliud agit, vt non Eccleſiaſticos & Catholicos viros malè ſenſiſſe, ſed ab hæreticis eorum ſcripta corrupta eſſe teſtetur, & cõcludat ad extremum, dicens. De Origene quoque, in quo ſimiliter; vt in his, quos ſupra diximus, quædam diuerſitas inuenitur, illud nõ ſufficiat ſentire, quod de præiudicatis iam Catholicis ſentitur vel intelligitur viris; ne ſimilis cauſæ ſimilis ſufficiat excuſatio. Si conceditur, vt quicquid in libris omnium reperitur, ab alijs corruptum ſit: nihil eorum erit, quorum fertur nominibus: ſed ijs deputabitur, à quibus dicitur eſſe vitiatum. quanquam & illorum non erit, quorum incerta ſunt nomina: atq; ita fiet, vt dum omnium omnia ſunt; nihil alicuius ſit. Hac defenſionis perturbatione nec Marcion, nec Manichæus, nec Arius nec Eunomius accuſari poterunt: quia quicquid nos ab his impiè dictum obiecerimus, diſcipuli reſpondebunt, non à magiſtris ſuis ita editum, ſed ab inimicis eſſe violatum. Hoc genere & iſte ipſe tuus liber, tuus non erit, ſed forſitan meus: & meus liber, quo tibi accuſatus reſpondeo, ſi in illo aliquid reprehenderis, non erit meus, ſed tuus, à quo reprehenditur. Et dum omnia ad hæreticos refers, quid eccleſiaſticis tribues, quibus proprium nihil relinquis? Et quo modo inquies, in libris eorum vitioſa nõnulla? ſi me cauſas vitiorum neſcire reſpondero, non ſtatim illos hæreticos iudicabo, fieri enim poteſt, vt vel ſimpliciter errauerint, vel alio ſenſu ſcripſerint vel à librarijs imperitis eorum paulatim ſcripta corrupta ſint. *Tom. 2. lib. 2. aduerſus Ruffin. cap. 4. Fol. 245. fac. 2.*

*Quatuor Patrum opera ab hæreticis corrupta fuiſſe.*

PRAEMISSA falſatione ab hęreticis Apoſtolorum & vtriuſq; Clementis, atque Dyoniſij, venit ad Origenẽ, & his verbis loquitur: Ipſius hoc conquerentis & deplorãtis ſcriptis ac vocibus, pbauimus. quid enim ipſe cum adhuc in carne viuens, ſentiens: videnſque perpeſſus ſit de librorũ ſuorum vel ſermonũ corruptionibus, vel adulterinis æditionibus ex ipſius epiſtola, quam ſcribit ad quoſdam charos ſuos Alexandriam euidenter docetur. ſtatimque exemplum ſubiungat epiſtolæ, & in falſitatem ſcriptorum Origenis hęreticis imputat, ipſe incipit à falſitate, nõ ita interpretans, vt habetur in Gręco, nec id Latinis inſinuans, ꝙ ipſe in ſuis litteris profitetur. *Ibid. ca. 5. in prin.*

*Origenis ſcripta ab hæreticis corrupta.*

VENIT ad latinos & primum ponit Hilariũ confeſſorem quod poſt Ariminenſem ſynhodũ liber illius falſatus ab hæreticis ſit, & ob hanc cauſam cum in concilio epiſcoporum ei quæſtio moueretur, proferri librum de domo ſua iuſſerit, qui neſciente ſe, in ſcrinijs ſuis hęreticus tenebatur; cumque prolatus fuiſſet & ab omnibus hæreticus iudicatus, auctor libri excommunicatus, de concilij conuentione diſceſſerit. Et tantæ auctoritatis ſe putat, vt cum hoc familiarib. ſuis narrat ſomnium, nemo ei contra confeſſorẽ iſta ſimulanti audeat cõtradicere. *Ibi. ca. 5. ferè in fine.*

*An Hilarij liber ab hæreticis falſatus.*

TRANSIT ad inclytum martyrem Cyprianum, & dicit Tertulliani librum, cui titulus eſt de trinitate, ſub nomine eius Conſtantinopoli à Macedonianę partis hęreticis lectitari. In quo crimine mentitur duo. Nam nec Tertuliani liber eſt nec Cypriani dicitur, ſed Nouatiani, cuius & inſcribitur titulo, & auctoris eloquium ſtyli proprietas demonſtrat. Et ſuperfluum puto apertas ineptias confutare, cum mihi mea ingeratur fabella, à ſynhodo videlicet, ſub nomine cuiuſdã amici Damaſi, Romanæ vrbis epiſcopi, ego petar, cui ille eccleſiaſticas epiſtolas dictandas tradidit, & Apollinariorum verſutiæ deſcribantur, quod Athanaſij librũ vbi dominicus homo ſcriptus eſt, ad legendum acceptũ, ita corruperit, vt in litteratura id, quod raſerint, rurſus ſcriberet, vt ſcilicet nõ ab illis falſatum ſed à me additum putaretur. *Ibid. ca. 5. in fine.*

*An Cypriani & Tertulliani libri ab hæreticis corrupti an potius Nouatianus ſit author.*

ET odiui ego omnem laborem meum.] Mihi altius contẽplanti, de labore videtur dicere ſpirituali: quod diebus ac noctibus vir ſapiẽs in ſcripturis laboret & componat libros vt memoriam ſui poſteris derelinquat, & nihilominus in manus ſtultorũ veniant: qui frequenter ſecundum peruerſitatem cordis ſui, ſemina inde hæreſeos capiant, & alienos labores calumnientur. Si enim de corporalibus diuitijs nunc Eccleſiaſtæ ſermo eſt, quid neceſſe fuit de labore & opibus dicere? Et dominabitur in omni labore meo, in quo laboraui. & in quo ſapiens factus ſum ſub ſole. *To. 5. Co. in ca. 2. Eccleſiaſt. Fol. 7 fac. 1.*

*Hæretici ex libris Patrũ ſemina hæreſeos capiunt et alienos labores calumniantur.*

NVNC eadem repetit ſed in illo diuerſus eſt ſenſus. quod etiam ſi filio, ſi propinquo, ſi noto alicui ſubſtantiam laboreſque dimittat, nihilominus tamen in eundem circulum res recurrat; vt alter labore alterius perfruatur, & ſudor mortui deliciæ ſint viuentis. Se vnuſquiſque conſideret & videbit, quanto libros labore cõponat: quo modo ſæpe ſtylum vertat, iterum quæ digna legi ſunt ſcripturis, & homini qui non laborauit, det partem ſuam. *Ibid.*

## *Articul. VIII. Sententiam vnius aut paucorum Doctorum cõmuni Eccleſiæ ſententiæ non derogare.*

MELITO Aſianus, Sardenſis epiſcopus, librum imperatori M. Antonino Vero, qui Frontonis Oratoris diſcipulus fuit, pro Chriſtiano dogmate dedit. *Tom. 1. de viris illuſtribus. in Melitone.*

DICIT in eodẽ libro, quadrageſimũ eſſe annum



num vſque ad tẽpus, quo ipſe ſcribebat librum, ex quo hęreſis Cataphrygarum habuerit exordium. Tertullianus ſex voluminib. aduerſus eccleſiam editis, q̃ ſcripſit περὶ ἐκστάσεως, ſeptimũ propriè aduerſus Apollonium elaborauit, in quo omnia quæ ille arguit, conatur defendere. *Ibid. in Apollonio.*

*Tertullianus ſex libros aduerſus eccleſiã edidit.*

QVIS Catholicorum poſsit æquo animo ſuſtinere, & eorum qui fidem ſuam bonis operibus exornant, vt audiant Origenis Doctrinã, atque conſilium & credant præclarę eius prædicationi: Non poteſt filius videre Patrem, neque ſpiritus Sanctus videre filium? Hæc in libris περὶ ἀρχῶν ſcribuntur, his verbis legimus, & ita locutus eſt Origenes, Sicut enim incongruum eſt dicere, ꝙ poſsit filius videre patrem: ſic inconſequens eſt opinari, ꝙ ſpiritus Sanctus poſsit videre filium. *Tom. epiſt. 60. ad Ioannem Hieroſol. cap. 2 in medio. 2.*

*Origenis priuati errores nõ derogant communi eccleſiæ ſententia.*

DOCTOR egregius Origenes audet docere, Diabolum id rurſum futurum eſſe, quod fuerat; & ad eandem redditurum dignitatem, & conſcenſurum regna cælorum. Prô nefas, quis tam vecors, & ſtolidus, vt hoc recipiat, quod Sanctus Ioannes Baptiſta, & Petrus, & Ioannes Apoſtolus & Euangeliſta: Eſaias quoque & Hieremias, & reliqui prophetæ, cohæredes fiant diaboli in regno cælorum? Prætereo friuolam eius expoſitionem ſuper tunicis pelliceis, quanto conatu, quantiſq; egerit argumentis, vt tunicas pelliceas humana eſſe corpora crederemus. *Ibid. cap. 3.*

*Alius priuatus Origenis error ab eccleſia reprobatus.*

CONATVS eſt & B. Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena: & idcircò hæreticorum baptiſma reprobãs, & Stephanum, tunc Romanæ vrbis epiſcopum, qui à B. Petro viceſimus ſextus, ſuper hac re Africanam ſynhodum direxit: ſed conatus eius fruſtra fuit. Deniq; illi ipſi epiſcopi, qui rebaptizandos hæreticos cũ eo ſtatuerãt, ad antiquam conſuetudinem reuoluti, nouum emiſere decretum. *Tom. 2. in Dialogo contra Luciferianos cap. 8.*

*Cypriani priuatus error.*

*Epiſcopi qui cum Cypriano errarunt reuocarunt & correxerunt errorẽ.*

NVNQVID non poſſum tibi totam veterum ſcriptorum ſeriem commouere, Ignatium, Polycarpum, Iræneum, Iuſtinũ martyrem, multoſq; alios Apoſtolicos & eloquentes viros, qui aduerſus Hebionẽ, & Theodorum, Bizantiũ & Valentinum, hæc eadem ſentientes, plena ſapientię volumina conſcripſerunt? quæ ſi legiſſes aliquãdo, plus ſaperes. *Tom. 2. epiſt. aduerſus Heluidium cap. 9. in principio.*

*Tota veterũ ſcriptorum ſeries opponenda priuatis opinionibus.*

AN tu ſolus Eccleſia es, & qui te offenderit, à Chriſto excluditur? Si propriũ defendimus principatum; oſtende nos in parochia tua habere epiſcopum. *Tom. 2. epiſt. 61. ad Pammachiũ cap. 16. in me.*

*Vna hyrundo non facit ver nec vnus Doctor totam eccleſiam*

TIBI ſoli licet Eccleſiæ iura calcare: tu quicquid feceris, norma doctrinæ eſt: & nõ erubeſcis ante tribunal Chriſti iudicandum tecum Epiphanium prouocare? *Ibid. in fine.*

*Etiamſi vnus patrum erret: non tamen ideo omnis Patrũ turba reijcienda.*

NVNQVID ego in turbam mitto Origenem: nunquid cęteros tractatores: ſcio me aliter habere Apoſto. aliter reliquos tractatores: illos ſemper vera dicere, iſtos in quibuſdam vt homines aberrare: nouum defenſionis genus, ſic Origenis vitia non negare, vt cum illo cæteros crimineris. *Tom. 2. epiſtola 62. ad Theophilum cap. 2.*

EX quo perſpicuum eſt, dolorem proprium cauſam eccleſiæ non putandum, nec ſtomachum vnius hominis, imò per illum aliorum, generali eccleſiæ vocabulo nuncupandũ. *Ibid. c. 4. in medio.*

*Stomachus vnus hominis non eſt generali totius eccleſiæ vocabulo nũcupandus.*

OBIICIVNT, quare Origenem aliquando laudauerim. Ni fallor duo loca ſunt, in quibus cum laudaui, pręfatiuncula ad Damaſum in homilias Cantici canticorũ, & prologus in librum Hebraicorũ nominum. Quid ibi de dogmatibus eccleſiæ dicitur? quid de Patre, & filio, & ſpiritu ſancto? quid de carnis reſurrectiõe? quid de animæ ſtatu, atq; ſubſtantia? ſimplex interpretatio, atq; doctrina, ſimplici voce laudata eſt. nihil ibi de fide, nihil de dogmatibus comprehenſum eſt, moralis tantum tractatur locus; & allegoriæ nubilum ſerena expoſitione diſcutitur. Laudaui interpretem, nõ Dogmatiſten; ingenium non fidem; philoſophum, nõ Apoſtolum. Quod ſi volunt ſuper Origene meum ſcire iudiciũ: legãt in Eccleſiaſten cõmentarios, replicent in epiſtolam ad Epheſios tria volumina: & intelligẽt me ſemper eius dogmatibus cõtrariaſſe, Quæ enim ſtultitia eſt, ſic alicuius laudare doctrinam, vt ſequaris & blaſphemiã? Et B. Cyprianus Tertulliano magiſtro vtitur vt eius ſcripta probãt; cumq; eruditi & ardentis viri delectetur ingenio, Montanum cum eo Maximillamq; non ſequitur. Fortiſsimos libros contra Porphyrium ſcribit Apollinarius. Eccleſiaſticam pulchrè Euſebius hiſtoriã texuit. Alter eorum dimidiatã Chriſti introduxit œconomiam, alter impietatis Arij apertiſſimus propugnator eſt. Væ, inquit Eſaias, qui dicunt bonum malum, & malũ bonum, & qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum. *Tom. 2. epiſtola 65. ad Pammachium & Oceanum in principio.*

*Errores Patrum priuati non ſequẽdi ſed virtutes.*

*Hieronym⁹ laudat Origenem tanquam interpretem non tanquam dogmatiſten.*

*Tertullian⁹ et Euſebius cum delectu legendi ob aſperſa errata & hæreſes.*

CREDITO experto: quaſi Chriſtianus Chriſtianis loquor. venenata sũt illius dogmata, aliena à ſcripturis ſanctis, vim ſcripturis facientia, legi, inquã, legi Origenẽ: & ſi in legendo crimen eſt, fateor: & noſtrum marſupium Alexandrinæ cartæ euacuarunt. Si mihi creditis, Origeniſtes nunquam fui. Si non creditis, nunc eſſe ceſſaui. *Ibidem in medio cap. 1.*

*Venenata Origenis dogmata aliena à ſcripturis.*

ERRAVIMVS iuuenes; emendemur ſenes. Iungamus gemitus, lacrhymas copulemus, ploremus & cõuertamur ad Dominum, qui fecit nos. non expectemus diaboli pœnitentiã vana eſt illa præſumptio, & in gehennæ trahens profundum: hic aut quęritur vita aut amittitur. Si Origenem nunquam ſecutus ſum, fruſtra infamare me quęritis. Si diſcipulus eius fui, imitamini pœnitentẽ. Crediḋiſtis confitenti, credite & neganti. Si iſta, vt ais, inquit noueras; cur eum laudaſti in opuſculis tuis? Et hodie laudarem, niſi vos eius laudaretis errores, non mihi diſpliceret ingenium, niſi quibuſdam eius placeret impietas. Et Apoſtolus præcipit: Omnia legentes, quæ bona ſunt retinẽtes. Lactantius in libris ſuis & maximè in epiſtolis ad Demetrianum, Spiritus Sancti omnino negat ſubſtantiam: & errore Iudaico dicit eum vel ad patrem referri vel ad filium & ſanctificationem vtriuſque perſonę ſub eius nomine demõſtrari. Quis mihi interdicere poteſt, ne legã inſtitutionũ eius libros, quibus cõtra gentes ſcripſit fortiſsimè, quia ſuperior ſententia deteſtanda eſt? Apollinarius contra Porphyriũ egregia ſcripſit volumina, probo laborẽ viri, licet fatuum in pleriſq; dogma contemnã. *Ibid. cap. 1.*

*Lactantij et Origenis exemplo probat Patrum errores reprobandos & virtutes eligendas. 1. Theſſ. 5.*

AC ne parum epiſtolis haberem fidem, miſiſtis exemplaria eiuſdem translationis, cũ præfatiuncula laudatrice mea. Quę cùm legiſſem, contuliſſemq; cum Græco, illico animaduerti, quæ

Origenes de patre, & filio, & ſpiritu Sancto impiè dixerat, & quæ Romanæ aures ferre non poterant, in meliorem partem ab interprete commutata: cætera autem dogmata de angelorum ruina de animarum lapſu de reſurrectionis pſtigijs de mũdo vel mundis Epicuri, de reſtitutione omniũ in æqualem ſtatũ, & multo his deteriora, quæ longum eſſet retexere: vel ita vertiſſe, vt in Grȩco inuenerat vel de Cõmentariolis Didymi, qui Origenis apertiſsimus propugnator eſt, exaggerata & firmiora poſuiſſe: vt qui in trinitate Catholicum legerat, in alijs hæreticum nõ caueret. *To.2.lib.1.aduerſus Ruffin.cap.2.*

*Quod omnes eccleſiæ in Origene reprobant minime admittendum.*

CAETERVM in alijs dogmatibus & Euſebius & Didymus apertiſsimè in Origenis ſcita cõcedunt; & quod omnes eccleſiæ reprobant, Catholicè & piè dictum eſſe defendunt. *Tom.2.lib.2. aduerſus Ruffinum ca.4.pag.2. Fol.245.*

*Exemplis oſtendit magiſtrorum non vitia ſed virtutes imitãdas.*

AVDI vir ſapientiſsime, & Romanæ Dialecticȩ caput, non eſſe vitij hominem vnum laudare in alijs, & in alijs accuſare, ſed eandem rem & probare & improbare. Ponam exemplum, vt quod non intelligis, prudens mecum lector intelligat. In Tertulliano laudamus ingenium, ſed damnamus hæreſim: in Origene miramur ſcientiam ſcripturarum & tamen dogmatum non recipimus falſitatem. In Didymo verò & memoriam prædicamus, & ſuper Trinitate fidei puritatem: ſed in cæteris, quæ Origeni male credidit, nos ab eo retrahimus. Magiſtrorum enim non vitia imitanda ſunt, ſed virtutes. Grammaticum quendã Afrum habuit Roma, virum eruditiſſimum: & in eo ſe æmulum præceptoris putabat; ſi ſtridorem linguæ eius, & vitia tantum oris exprimeret. *Tom.2.lib.3.aduerſus Ruffinum capite ſeptimo in ſine.*

*Eccleſiæ ſtãdum iudicio in priuatis Patribus admittẽdis vel reijciendis.*

EADEM abſenti ſignifico, quæ præſenti quoque locutus ſum, me ita Origenem legiſſe, vel legere vt Apollinarium, vel cæteros tractatores, quorum in quibuſdam libros non recipit Eccleſia: non quo omnia dicam eſſe damnanda, quȩ in illorum voluminib. continentur; ſed quod quædã reprehendẽda confitear: *To.2.epiſt.75.ad Vigilãtium Fol.300.*

AD te ipſum veniam: cur tractatus eius in Iob deſcriptos habes? in quibus contra Diabolum, & dẽ ſtellis, cæloque diſputans, quædã locutus eſt, quæ Eccleſia non recipit. *Ibid.*

DE Origene autem, quod reſcribere dignatus es: iam ſcribebam non tantum in eccleſiaſticis litteris, ſed in omnibus recta & vera, quæ inuenerimus, approbare, atque laudare, falſa vero & praua improbare, atque reprehendere. Sed illud de prudentia doctrinaq; tua deſiderabam & adhuc deſidero, vt nota nobis facias ea ipſa eius errata, quibus à fide veritatis, ille vir tantus receſsiſſe cõuincitur. *Tomo ſecundo Epiſtola 87. ad Hieronymum Fol.313.*

*Quatuor Patres teſtes adductos à B. Hieronymo infringit Auguſtinus.*

FLAGITAS à me, vt aliquem ſaltem vnum oſtendam, cuius in hac re ſententiam ſum ſecut⁹; cum tu tam plures nominatim commemoraueris, qui te in eo quod aſtruis, prȩceſſerunt, petens vt in eo, ſi te reprehendo errantem, patiar te errare cum talibus. Quorum ego fateor, neminem legi: ſed, cum ſunt fermè ſex, vel ſeptem; horum quatuor authoritatem, tu quoque infringis. Nã Laodicenum, cuius nomen taces, de eccleſia dicis nuper egreſſum, Alexandrum autem veterem hæreticum. Origenem verò ac Didymum reprẽhenſos abs te, lego in recentoribus opuſculis tuis, & non mediocriter nec de mediocribus quæſtionibus; quamuis Origenem mirabiliter ante laudaueris. Cum eis ergo errare, puto, quia nec te ipſe patieris, quamuis hoc perinde dicatur, ac ſi in hac ſententia non errauerint. Nam quis eſt, qui ſe velit, cum quolibet errare? *Tom.2.epiſt.97.ad Hieronymum.*

*Cenſura Hieronymi de Lactantij libris.*

FATEOR quippe tibi: eos quos mihi iam pridem Lactantij dederas, libros; ideò non libenter lego; quia & plurimæ epiſtolæ in eis vſq; ad mille ſpatia verſuum tenduntur; & raro de noſtro dogmate diſputant: quo fit, vt & legenti faſtidiũ generet longitudo; & ſi quȩ breuia ſunt, ſcholaſticis magis ſint apta quàm nobis; de metris & regionũ ſitu, & philoſophia diſputãtia. *To.3.epiſt.124.ad Hieronymum.*

*Matt.10. Marci 6.*

MIROR te in Hilarij commentarijs non legiſſe excuſſorum filios, credentium populos interpretari: quod ſcilicet Apoſtolos illo nomine putauerit appellatos, quibus in euãgelijs ſit præceptum, in quamcunque ciuitatem introierint, & nõ fuerint recepti, excutere puluerem pedum ſuorum in teſtimonium non credentium: licet tu argutè prȩcaueris, nõ poſſe Apoſtolos ſub nomine excuſſorum intelligi; cùm ſit aliud excutientium aliud excuſſorum: Quia excutientes ſunt, qui excutiant, excuſsi verò qui ab alijs excutiantur, & incongruum eſſe, excuſſos apoſtolos accipi, qui magis excutientes debuerint appellari: Quid igitur faciam? Tantum virum & temporibus ſuis diſertiſsimum, reprehendere non audeo: qui & confeſsionis ſuæ merito & vitæ induſtria, & eloquentiæ claritate, vbicunque Romanum nomen eſt, prædicatur: niſi quod nõ eius culpæ aſſcribendum eſt. Qui Hebræi ſermonis ignarus fuit, Græcarum quoque litterarum, quandam aurulam cœperat, ſed Heliodorum presbyterũ, quo ille familiariter vſus eſt, ea, quæ intelligere non poterat, quomodo ab Origene eſſent dicta, quȩrebat. Qui quia in hoc Pſal. commentariorum Origenis inuenire non potuit, opinionem magis inſinuare ſuam, quã inſcitiam voluit cõfiteri. Quam ille ſumptam claro ſermone diſſeruit, & alienum errorẽ diſertius executus eſt. *Tom.3.epiſt.141.ad Marcellam.*

*Hilarij præclara laus.*

*Hilarius lapſus ex ignorantia Hebræi & græci ſermonis.*

*1 Cor 15. Ibid.6.*

ET quia longum eſt, nunc aduerſum dogma Iudaicum & beatitudinem ventri & gutturi Iudaico ſeruientem (qui omnia terrena deſiderant, & dicunt: manducemus & bibamus: de quibus & Apoſtolus loquitur: Eſca ventri, & venter eſcis: Deus autem & hunc & illam deſtruet) breui explanatione dicere: nunc ad ſpiritualẽ intelligentiam tranſeamus, iuxta quam & Eſaiæ extremas partes interpretati ſumus. Neq; enim iuxta Iudaicas fabulas quas illi δευτερώσεις appellant, gẽmatam & auream de Cælo expectamus Hieruſalem. nec rurſum paſsuri circunciſionis iniuriam nec oblaturi taurorum & arietum victimas, nec ſabbati otio dormiemus. Quod & multi noſtrorum & præcipuè Tertulliani liber, qui inſcribitur de ſpe fidelium & Lactantij inſtitutionum volumen ſeptimum pollicetur, & Victorini pictauienſis epiſcopi, crebræ expoſitiones & Seuerus noſter, in Dialogo, cui Gallo nomen impoſuit: Et vt Græcos nominem, & primum extremumque coniungam Irenæus & Apollinarius. *Tom.4.lib.11.Commentario.in cap.36. Ezechielis Fol.443.fac.1.*

*Chiliaſtæ Millenarij. Sex Patrum priuati errores de gẽmata & aurea expectanda de cælo Hieruſalem.*



QVID autem ſequitur: Prophetæ eius πνευματοφόροι, id eſt, Portantes ſpiritum, viri contẽptores, nullum moueat quod ſuper doctoribus interpretãtes eoſdem & prophetas dicamus & cõtemptores: cum & Apoſtolus præcipiat: nolite cõtriſtare ſpiritum Sanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis. Et Dauid loquatur in quinquageſimo Pſalmo: ſpiritum Sanctum ne auferas à me. Niſi enim ſpiritus ſanctus contriſtatus fugere conſueuiſſet prius hoſpitium, & dimittere habitaculum ſuum, nunquam & Paulus prȩcepiſset quod ſupra dixi. Et Dauid poſt adulterium formidaret ne perderet quod acceperat De quo & ad Hebræos ſcribitur: Quanto arbitramini deteriora mereri ſupplicia eum qui filiũ Dei conculcauerit & ſanguinem teſtamenti immundum duxerit: in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit: Sed & in tertio regnorum libro ſcriptum eſt: hominem Dei haud dubium quin Prophetam qui ad altare exſtructum, poſtquam dixerat in Samaria: altare, altare hȩc dicit Domin⁹: Ecce filius naſcetur domui Dauid &c. quia contempſerit verba Domini, & comederit apud pſeudoprophetam (ſic enim iſtum locum exponens Ioſephus interpretatus eſt) interfectum eſſe à leone, & ne putaretur caſus & nõ iudicium Domini, & pſeudopropheta qui eum deceperat, hoc futurum eſſe prædixit, & ipſe Leo contemptorem puniens aſinum reſeruauit. Non ergo mirum ſi doctores, qui ſancto ſpiritu pleni fuerant, poſſunt fieri contemptores cum apud negligentes & non omni cuſtodia conſeruantes cor ſuum, hæc ipſa cauſa frequenter ſoleat ſuperbiæ in Dominum & contemptus exiſtere: quod habeant, ſcientiam Dei, & nouerint multam bonitatem eius, quam abſcondit timentib. ſe, & contemnant diuitias bonitatis theſaurizantes ſibi iram in die iræ & reuelationis. *Tom.5.Co. in cap.3.Sophoniæ Fol.218.fac.2.*

*Eph.4. Quomodo priuati Doctores poſsint fieri contemptores & aberrare.*

*Heb.10.*

*3.Reg.11. 3.Reg.13.*

*Rom.2.*

POTEST autem hoc quod dixit: intuliſtis in domũ exufflaui illud, & de donarijs accipi, quæ offerebãt in altari, & Deus exufflauerit ea: Sed q̃a dixit intuliſtis in domũ: ſi ea quȩ illata sũt donaria intelligimus, vtiq; in tẽplo oblata dicimus: & non nobis congruet: quia eo tempore domus Dei adhuc ædificata non fuerat: quod quidem vſque hodie plerisq; contingit, qui habitant in ȩdificijs humilibus, & quantum in ſe eſt, deſpiciunt deſolatam domum Dei; & cum poſsũt ædificare contemnunt, & quaſi iam videntes maturas ſegetes fructus ſibi ſuorum operũ repromittunt, & fallente ſpe, pro magnis, vix parua repereunt. Sed & hæc quoque parua, quæ in domum & horreum mentis condiderant, exufflantur à ſermone Dei quaſi indigna eius cuſtodia atque tutela. Quoties vidi ego tam in doctrina quam in conuerſatione de quibuſdã ſperata plurima, & poſtquam ventũ eſt vt haberent tempus meſsium, id eſt, tempus docendi vitamq; ſuam in exemplum præbere populorum: de excelſo præcipitatos, & minus inuentum in eis, quam opinio ſibi omnium promittebat vnde accidit vt paulatim negligentia ſubrepente, paruum quoque ipſum, quod videbantur, perderent. Hoc autem iccirco perpeſsi ſunt: quia ſecuri fuerũt in priſtinis domib. ſuis, nec aſcenderunt ſcripturarum montem, ædificationis de eo dominicæ lingua cædente: nec extruxerunt in ſe quotidie domũ Dñi: ſed deſpicientes eius deſolationem etiam id perdidere quod ſe habere credebant. *Tomo 5. Comment. in ca. Aggei fol.225.fac.1.*

*Querela de nonnullis Doctoribus qui de ſe conceptam expectationem ſefellerunt.*

## *Articulus IX. Patres in quibuſdam obſcuris controuerſijs, ſalua fidei compage, antè definitionem Eccleſiæ diſcordaſſe.*

*Excuſatio Cypriani.*

SI voluerint ij qui ab Hilario inſtituti ſunt, & oues ſine paſtore eſſe cæperunt, de ſcripturis ea proferre, quæ beatus Cyprianus ob hæreticos rebaptizandos in Epiſtolis ſed reliquit: ſciant illum hæc non cum Anathemate eorum, qui ſe ſequi noluerant edidiſſe: ſiquidem in cõmunione eorum permanſit, qui ſententiæ ſuæ contraierant: ſed hortatum potius fuiſſe propter Nouatum, & alias tunc Hæreſes multas enaſcentes ne quiſquam ab eo ſine damnatione erroris ſui reciperetur. Sermonem denique ſuum quem ſuper hac re ad Stephanum Romanum Pontificem habuit tali fine compleuit: Hæc ad conſcientiam tuam frater chariſsime, & pro honore cõmuni, & pro ſimplici dilectione protulimus; credentes et iam tibi pro religionis tuæ & fidei veritate placere, quæ & religioſa pariter & vera ſunt. Cæterum ſcimus quoſdam quod ſemel imbiberunt, nolle deponere: nec propoſitum ſuum facile mutare: ſed, ſaluo inter collegas pacis & concordiæ vinculo, quȩdam propria, quȩ apud ſe ſemel ſint vſurpata retinere. Qua in re non vim cuiquam facimus, aut legem damus: quin habeat in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum: vnuſquiſq; ſit prȩpoſitus rationem actus ſui domino redditurus. Ad Iubaianum quoq; de Hæreticis rebaptizandis ſcribens, in fine libelli ſic locutus eſt: Hæc tibi breuiter pro noſtra mediocritate ſcripſimus, frater chariſsime nemini prȩſcribẽtes, aut prȩiudicãtes, quo minus vnuſquiſque Epiſcoporum, quod putat faciat, habens arbitrij ſui liberam poteſtatem. Nos quantum in nobis eſt, propter hæreticos cum collegis & coepiſcopis noſtris non contendimus, cum quibus diuinam concordiam, & dominicam pacem tenemus maximè cum apoſtolus dicat: Si quis autem putauerit ſe contentioſum eſſe, nos talem conſuetudinem nõ habemus, nec eccleſia Dei. Seruatur à nobis patiẽter & leniter charitas animi, collegij honor vinculũ fidei, cõcordia ſacerdotij. Eſt prætereà aliud, ꝙ inferemus, aduerſus quod ne mutire quidem audeat Hilarius, Deucalion orbis. Si enim hæretici baptiſma non habent; & ideo rebaptizandi ab eccleſia ſunt, quia in eccleſia non fuerunt: ipſe quoque Hilarius non eſt Chriſtianus; in ea quippe eccleſia baptizatus eſt, quæ ſemper ab hæreticis baptiſmum recepit. Antequam Arimen. ſynhodus fieret, antequã Lucifer exularet Hilarius Rom. eccleſiæ Diaconus, ab hereticis venientes, in eo quod prius acceperant, baptiſmate ſuſcipiebat. Niſi fortè tantum Ariani hæretici ſunt, & ab his ſolus baptizatum, recipere non licet, ab alijs licet: Diaconus eras, O Hilari, & à Manichæis baptizatos recipiebas, Diaconus eras, & Hebionis baptiſma comprobabas: repentè, poſtquam exortus eſt Arius, totus tibi diſplicere

*1 Cor.11.*

*Hilarius Deucalion orbis.*

cere cœpiſti ſegregata tecum tuis vernulis, & nouum balneum aperis. Si te angelus aliquis, aut Apoſtolus rebaptizauit: non infringo, quod ſequeris. Si verò in ſinu meo natus, ſi vberum meorum lacte nutritus, aduerſum me gladium leuas: redde, quod dedi: & eſto ſi potes, aliter Chriſtianus &c. *To. 2. in Dial. contra Lucif. cap. 9 in prin.*

*Aurea ſententia.*

*Acto. 15.* *2. ad Gal. 1.*

NONNE & Apoſtoli, ſaluis inter ſe amicitijs diſſenſerunt: cum Paulus & Barnabas propter Iohannem cognomento Marcum ſtomachati ſunt. Et ſeparauit eos nauigatio, quos Chriſti Euãgelium copulabat? Nonne idem Paulus in faciem Cephę reſtitit, quod non recto pede incederet in Euangelio? Et tamen præceſſorem ſuum, & columnam Eccleſiæ vocat: & exponit, cũ eo prædicationem, ne in vacuum curreret, aut cucurriſſet. Nonne in religione etiam liberi à parentibus, & coniuges à maritis ſalua pietate, diſſentiunt? vos ſi ita habetis vt habemus, cur nos odiſtis? Si aliter creditis; quid vultis occidere? An qui à vobis diſſenſerit occidendus eſt? *To. 2. lib. 3. Aduerſ. Ruffinum cap. 1. fol. 252.*

## *Articulus X. Patrum quorundam ſcripta ſummo adhibito iudicio & delectu & Eccleſiæ norma lecta fuiſſe à B. Hieronimo.*

VERVM, quia operis mei eſt & ſtudij, multos legere: vt ex pluribus diuerſos flores carpã non tã probaturus omnia q̃, quæ bona ſunt electurus: aſſumo multos in manus meas: vt à multis multa cognoſcam, ſecundum illud quod ſcriptum eſt: Omnia legentes quæ bona ſunt retinentes. Vnde ſatis miror, te voluiſſe Origenis mihi obijcere Dogmata cuius in pleriſq; errorem vſq; ad hanc ætatem penitus ignoras. Ego ne Hæreticus? & cur me quæſo, hæretici, non amant? Tu orthodoxus? qui etiam contra ſententiam tuam & linguam alia prædicantem, aut inuitus ſubſcripſiſti & præuaricator es; Aut volens & hæreticus: dimiſiſti Aegyptum, & cunctas prouincias reliquiſti: in quibus ſectam tuam, libera plerique fronte defendunt: Et elegiſti me ad inſectandum, qui omnia contra eccleſiam dogmata repræhendo, & publica voce condemno. Origenes hęreticus: quid ad me, qui illum in pleriſque hæreticum non nego? errauit de reſurrectione corporis, errauit de animarum ſtatu, de Diaboli pœnitentia; & quod his maius eſt, filium Dei & ſpiritum ſanctum in Commentarijs Eſaiæ Seraphin eſſe teſtatus eſt. Si erraſſe eum non dicerẽ, & hæc quotidie non anthematizarẽ eſſem erroris illius ſocius. Neq; enim ita debemus bona eius recipere, vt mala quoque ſuſcipere cogamur. At idem & ſcripturas in multis bene interpretatus eſt: Et prophetarum obſcura diſſeruit, & tam noui, quam veteris teſtamenti reuelauit maxima ſacramenta. Si igitur quæ bona ſunt tranſtuli, & mala vel amputaui vel correxi, vel tacui arguẽdus ſum, cur per me Latini bona eius habeant & mala ignorent? Si hoc crimen eſt: arguatur & confeſſor Hilarius, qui Pſalmorum interpretationem, & Homilias in Iob ex libris eius, id eſt, ex Græco in Latinũ tranſtulit. Sit in culpa eiuſdem confeſsionis Vercellenſis Euſebius: qui omnium Pſalmorum commentarios hæretici hominis vertit in noſtrũ eloquiũ, licet hæretica prætermittens optima quæque tranſtulerit. Taceo de Victorino Pictauienſi, & cæteris, q Origenem in explanatione duntaxat ſcripturarũ ſecuti ſunt, & expreſſerunt: Ne non tam me defendere, quã ſocios criminis videar quærere. Ad teipſum veniã: cur tractatus eiꝰ in Iob deſcriptos habes, in quibus contra Diabolum & de ſtellis cæloq; diſputans, quædam locutus eſt, quæ Eccleſia non recipit? Tibi ſoli licet, τῶν ὀρθωτάτων κρανίω, de cunctis & Græcis & Latinis tractatoribus ferre ſententiam, & quaſi cẽſoria virgula alios eijcere de bibliothecis, alios recipere, & cum tibi placuerit, me vel Catholicum vel hęreticum pronunciare nobis non licet peruerſa reſpuere & dãnare, quæ ſæpè damnauimus? Lege ad Epheſios libros: lege cætera opuſcula mea & maximè in Eccleſiaſten commentarios: & liquidò peruidebis, me ab adoleſcentia nũquam alicuius authoritate deterritum acquieuiſſe Hæreticæ prauitati. *Tom. 2. Epiſt. 75. ad Vigilantium. fol. 301.*

*1. Theſ. 5. Quanto adhibito iudicio euoluerit Hieronymus Origenem.*

*Delectꝰ adhibendus in Origene legẽdo.* *2. Theſ. 5.* *Eſaie. 5.*

ET quia meæ paruitatis quæris ſententiam: vtrũ ſecundũ fratrẽ Fauſtinum penitus reſpuendus ſit, an ſecundũ quoſdam, legendus ex parte: ego Origenem propter eruditionem ſic interdũ legendum arbitror, quo modo Tertullianum, Nouatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos Eccleſiaſticos ſcriptores græcos pariter & Latinos: vt bona eorum eligamus, vitemuſque contraria, iuxta Apoſtolum dicentem. Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Cæterum qui vel in eius amorem nimium, vel in odium ſtomachi ſui prauitate ducuntur: videntur mihi illi maledicto prophetico ſubiacere: væ his, qui dicunt bonum malum & malum bonum, qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum. Nec enim propter doctrinam eius praua ſuſcipienda ſunt dogmata: nec propter dogmatũ prauitatem ſi quos commentarios in ſcripturas ſanctas vtiles edidit penitus reſpuendi ſunt. Quod ſi contentioſum inter ſe amatores eius & obtrectatores funem duxerint, vt nihil medium appetant, nec ſeruent modum, ſed totum aut probent, aut improbent: libentius piam ruſticitatem quam doctam blaſphemiam eligam. *Tom. 2. Epiſtola 76. ad Tranquil.*

*2. Theſ. 5. Nũmus ſignatus publica moneta reprobatur ſic in Patribus &c.*

SI quis autem contrariæ factionis immurmurat, quare eorum explanationes legam, quorum dogmatibus non acquieſco: ſciat me illud Apoſtoli libenter audire: Omnia probate quod bonum eſt tenete. Et Saluatoris verba dicentis: Eſtote probati nummularij: vt ſi quis nummus adulter eſt, & figuram Cæſaris non habet, nec ſignatus eſt moneta publica, reprobetur. Qui autem Chriſti faciem claro pręfert lumine, in cordis noſtri marſupium recondatur. Etenim ſi dialecticam ſcire voluero, aut philoſophorum dogmata & vt ad noſtra redeam, ſcientiam ſcripturarum: nequaquam ſimplices eccleſię viros interrogare debeo; quorum alia gratia eſt, & vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundat; pręſertim cum in domo magna patris familię vaſorum diuerſitas multa dicatur, ſed eos, qui artem didicere ab artifice, & in lege Domini meditantur die ac nocte. Ego & in adoleſcentia, & in extrema ætate profiteor, Origenem & Euſebium Cæſarienſem viros eſſe doctiſſimos, ſed erraſſe in dogmatum veritate, quod è contrario de Theodoro, Acacio, Apollinario, poſſumus dicere: & tamen omnes in explanationibus ſcripturarũ, ſudoris ſui nobis memoriam reliquerunt. In terra aurum quæritur & de fluuiorum alueis ſplendens profertur glarea, Pactolusq; ditior eſt cæno quam fluento. Cur me lacerant amici mei & aduerſum ſilentem craſſæ ſues grunniunt? quarum omne ſtudium eſt, imo ſcientiæ ſupercilium, aliena carpere, & ſic veterem defendere perfidiam, vt perdant fidem ſuã Meum propoſitum eſt antiquas legere, probare ſingula, retinere quæ bona ſunt & à fide Eccleſię Catholicæ non recedere. *Tom. 3 Epiſt. 152. ad Min. & Alexandrum Fol. 448. fac. 2.*

*2. ad Tim. 2.* *Delectus in legendis Patribus.* *Aurea ſententia.*

SCIO de hac quæſtione ab eruditiſsimis viris variè diſputatum & vnumquemq; pro captu ingenij ſui dixiſſe quod ſenſerat. Quia igitur periculoſum eſt de magiſtrorum Eccleſiæ iudicare ſententijs, & alterum præferre alteri: dicam quid vnuſquiſq; ſẽſerit, lectoris arbitrio derelinquẽs, cuius expoſitionem ſequi debeat. *Tom. 4. lib. Com. in cap. 9. Daniel. Fol. 515. fac. 2.*

## *Articulus XI. Ante exortas hæreſes, quædam à Sanctis doctoribus minus diſtinctè fuiſſe dicta, quod putarent ſe Catholicè intelligi.*

CERTE, antequam in Alexandria quaſi dæmonium meridianum, Arius naſceretur, innocenter quædam & minus cautè locuti ſunt, & quę non poſsint peruerſorum hominum calumniam declinare. *Tom. 2. lib. 2. aduerſus Ruffinum cap. 4 fol. 246.*

## *Artic. XII. Diſſenſio à Catholicis DD. ſummoperè euitanda.*

SED, quæſo reuerentiam tuam, parumper patiaris me tuum laudare ingenium. nos enim inter nos eruditionis cauſa diſſerimus. Cæterum æmuli, & maximè hæretici, ſi diuerſas inter nos ſententias viderint, de animi calũnibũtur rancore deſcendere. mihi autem decretum eſt, te amare, ſuſpicere, colere, mirari tuaq; dicta quaſi mea defendere. *Tomo ſecundo Epiſtola nonageſima quarta. ad Auguſtinum.*

# *Caput Duodecimum. De hæreticis.*

## *Articulus I. Qui ſunt hæretici nũncupandi.*

*Ex his elicitur definitio hæretici. Hæreticus eſt hoſtis Eccleſiæ qui multa falſa dogmata contra fidem inuenit hæc definitio à minori ad maius confirmatur.*

SI.n. propter vnũ, verbũ aut duo, quæ contraria ſunt fidei, multæ hæreſes abiectæ ſunt ab Eccleſia quanto magis hic inter hæreticos habebitur, qui tantas peruerſitates, & tam multa dogmata contra fidem adinuenit, Dei Eccleſiæ hoſtis extitit? *Tom. lib. 3. aduerſus Ruffinum cap. 7. Fol. 257.*

*1. Cor. 1.* *Hæreſes oriuntur ex ſcripturæ falſa expoſitiõe.*

NEC non & diſſenſiones opera carnis ſunt: cum quis nequaquam perfectus, eodem ſenſu & eadem ſentẽtia dicit: ego ſum Pauli, & ego Apollo, & ego Cephę, & ego Chriſti. Sed & domorum inter ſe hęc eadem diſſenſio reperitur: mariti ſcilicet ad vxorem; patris ad filium, fratris ad fratrem, conſerui ad conſeruum, militis ad contubernalem, artificis ad eiuſdem operis artificem: Nonnũquam euenit, vt & in expoſitionibus ſcripturarum oriatur diſſẽſio. è quibus hæreſes quoque, quæ nunc in carnis opere ponuntur, ebulliunt. Si enim ſapientia carnis inimica eſt Deo (inimica autem ſunt omnia dogmata falſitatis Deo repugnatia) conſequenter & hæreſes inimicæ Deo, ad carnis opera referuntur. αἵρεσις autem Græcè, ab electione dicitur: quod ſcilicet eam ſibi vnuſquiſque eligat diſciplinam, quam putat eſſe meliorem. Quicunque aliter ſcripturam intelligit, quam ſenſus ſpiritus ſancti flagitat, quo conſcripta eſt, licet de Eccleſia non receſſerit, tamen hæreticus appellari poteſt, & de carnis operibus eſt, eligens quæ peiora ſunt. *Tomo ſexto libro tertio Commentariorum in caput 5. ad Galatas Fol. 151. fac. 2. in fine.*

*Hæreſis opera carnis & mortalia peccata. Hæreſeos etymologia.* *Alia definitio Hæretici: qui aliter ſacram ſcripturam intelligit quam ſenſus ſpiritus ſancti efflagitat.*

*Acto. 20. c.* *Nomen hæreſeos pleniſsime ventilãt.*

NOMEN hæreſeos Mileti non dicatur, à Paulo tamen opera carnis nominantur, loquente ad presbyteros Eccleſiæ, Ego ſcio quoniam veniẽt poſt abſceſſum meum lupi graues in vos, non parcentes gregi: & ex vobis ipſis conſurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe, hæc in trãſitu dicta ſunt, vbi & alibi hęreſis appelletur: nunc ipſum nomen videtur pleniſsimè ventilandum: hæreſis Græcè ab electione dicitur, quod ſcilicet vnuſquiſq; id ſibi eligat quod ei melius eſſe videatur, philoſophi quoque, Stoici Peripatetici Academici Epicurei, illiꝰ vel illius hæreſeos appellantur, Superfluum eſt ire per ſingula & Marcionem, Valentinum, Apellem, Ebionem, Montanum & Manichæum cum ſuis enumerare dogmatibus, cum perfacile ſit vnicuique cognoſcere quibus ſinguli ducantur erroribus, Arius & Eunomius, & nouæ auctor hæreſeos, vtinam tam noui non eſſent, minus forſitan plurimos decepiſſent. *Tomo ſexto libro primo Commentariorum in caput tertium ad Titum fol. 209. fac. 1.*

## *Articulus II. Quid inter hæreticos ſchiſmaticos & malos Catholicos interſit.*

*Sciſmaticus 1. hypocrita & diſsimulator.*

QVIS ſcindit Eccleſiam? nos quorum omnis domus Bethlehem in Eccleſia communicat: an tu, qui aut bene credis & ſuperbè de fide taces, aut male, & verè ſcindis eccleſiã? Nos ſcindimus Eccleſiam, qui ante paucos menſes circa dies pentecoſtes, cum obſcurato ſole, omnis mundus iamiamque venturum iudicem formidaret quadraginta diuerſæ ætatis & ſexus, preſbyteris tuis obtulimus baptizãdos? & certè quinque presbyteri erant in monaſterio, qui ſuo iure poterant baptizare, ſed noluerunt contra ſtomachum tuum facere, ne & hæc tibi de fide reticendi daretur occaſio. An non tu potius ſcindis eccleſiam, qui præcepiſti Bethlehem presbyteris tuis, ne competentibus noſtris in Paſcha baptiſmum traderent quos nos Dioſpolim ad confeſſorem & epiſcopum miſimus Dionyſium baptizãdos? Eccleſiam ſcindere dicimur, qui extra cellulas noſtras locum eccleſiæ non habemus? An non tu ſcindis Eccleſiam, qui mandas clericis tuis, vt ſi quis Paulinianum ab Epiphanio epiſcopo conſecratum preſbyterum dixerit eccleſiam prohibebatur intrare? Ex quo tempore vſque in preſentem diem videmus tantum ſpecũ Domini: & hæreticis intrantibus procul poſiti ſuſpiramus. An nos ſumus qui Eccleſiam ſcindimus, an ille, qui vnus habitaculum mortuis ſepulchrum negat, qui

*2. qui baptiſmum negat petentibus.* *3. qui non agnoſcit ab Eccleſia ordinatos.* *4. qui Catholicos in exilium eijcit.*

*5. qui reliquias ſanctorum afficit iniuria.*

qui fratrum exilia poſtulat? Qui potentiſsimam illam feram, totius orbis ceruicibus imminentẽ, contra noſtras ceruices ſpiritualiter incitauit? Quis oſſa ſanctorum & innoxios cineres hucuuſq; verberari ab imbribus ſiuit? his nos blandimentis, bonus paſtor inuitat ad pacem, & proprium arguit facere principatum, qui omnibus Epiſcopis, rectam duntaxat fidem tenentibus & communione & caritate ſortiamur. An tu ſolus Eccleſia es, & qui te offenderit à Chriſto excluditur?

*6. qui proprium principatum defendit*

Si proprium defendimus principatum: oſtende nos in parochia tua habere Epiſcopum. Quod tibi non communicamus, fidei eſt: reſponde, & ordinationis erit. Occaſionem quoque fingunt aliarum litterarum, quas dicunt ſibi ſcripſiſſe Epiphanium, quãquam dabit ille rationem pro omnibus, quæ geſta ſunt, ante tribunal Chriſti, vbi maior & minor abſque vlla perſonarum acceptione iudicabitur. *Tomo 2. Epiſtola 61. ad Pam. cap. 16. in medio.*

*Sciſmatici & [h]ær[e]tici diſ[fer]en[t].*

PERDVNT oues paſtores, qui docent hæreſim. Lacerant & diſsipant, qui ſchiſmata faciunt. Eijciunt eas, qui cõtra iuſtitiam de eccleſia ſeparãt. *Tom. 4. li. 4. Commentariorum in. cap. 23. Hieremiæ fo. 279. fac. 1.*

*Differentia hæreticorum & ſchiſmaticorum. Pſalm. 52.*

INTER crudelitatem autem Damaſci, & filiorum Ammon hoc intereſt, quod illi contriuerunt in plauſtris ferreis Galaad, ſiue in ſerris prægnantis Galaad: iſti autem diſſecuerunt prægnãtes Galaad ad dilatandum terminum ſuum. In Damaſcenis qui bibunt ſanguinẽ, accipiuntur hæretici: qui non ſolum populum Dei ab eccleſia diripuerunt, ſed & contriuerunt eum, & cõmollierunt ferreis dentibus, de quibus ſcriptum eſt: Qui deuorant plebem meam, ſicut eſcam panis. In filijs Ammon, qui interpretatur populus mæroris, vel, populus meus: ſchiſmaticos accipimus, qui ſeparant quidem deceptam multitudinem ab eccleſia Dei, & rudes animas quæ nuper Chriſti concepere ſermonem, abrumpunt & diuidunt: tamen hoc non faciunt crudelitare, qua hæretici deceptos quoſdam trucidant: ſed in eadem regula fidei permanentes, dilatate cupiunt terminos ſuos, & nomen gloriæ in poſteros mittere. Itaq; dominus cõminatur ſe muros Rabba, id eſt, multitudinis, in die vlulatus & belli, commotionis & turbinis incenſurum & regem eorum auctorem ſchiſmatis ire captiuum, & principes eccleſiæ iugo colla ſummittere. *Tom. 5. li. 1. com. in. cap. 1. Amos fol. 95. fac. 1.*

*Hæreſis grauiſsimum malum: typus interitus Iſrael*

ET nota ſingulorum proprietates. Iſrael, quia maiora præcauerat, feritur ruinis, & in æternam traditur captiuitatem, domus autem Iuda, in qua erat templum, & quæ ex parte peccauerat, ſeptuaginta annorum captiuitate retinetur, & non percutitur riuinis, ſed ſciſsionibus,

*Sciſma ſit intra Eccleſiã & leuius eſt hæreſi. typus eſt ſciſsio domus Iuda.*

Sciſſa enim domus ſarciri poteſt: ruinæ non tam inſtaurationem quam ædificationem deſiderãt, Cuius vtriuſq; domus, ruinas, ſciſsiones, equis & bubalis comparat: quorũ priores in Petris currere nequeunt: poſteriores tam indomiti ſunt, vt iugũ ceruicibus non recipiant. Et cum ſilueſtres boues ſint, propter feritatem noluit terram vomere ſcindere, vos autem, cum equi & bubali naturã ſuam mutare non poſsint, mutaſtis naturam Dei: vt dulce amarum faceretis, & fructum iuſtitiæ eius in abſinthium verteretis, quæ herba amariſſima eſt. *To. 5. lib. 3. Co. in cap. 6. Amos. Fol. 115. fac. 2.*

*Hæretici recedunt à capite & corpore. Schiſmatici contra ſuum caput ſentiũt licet non à capite recedant. 1. Tim. 6.*

OMNIS viri caput Chriſtus eſt, & Chriſtus cap. Eccleſiæ: huius ſæpe inimici ſunt, qui putantur in domo eius eſſe id eſt, in Eccleſia, & à capite quidem non recedunt, ſed contra ſuum ſentiunt caput: qui abſq; magiſtro, & gratia Domini ſciẽtiam ſcripturarum ſuo iudicio promittentes, inflati ſunt, & nihil ſciunt, & languent circa quæſtiones & contentiones pugnaſq; verborum: qui verè conſiſtentes in domo, inimici ſunt veritatis. Scire autem debemus quod in Euangelio propè eadem verba ſint, quæ nunc legimus in propheta, & iuxta contextum illius loci alterum habere ſenſum: quæ vtrum aſſumpta ſint, de propheta, an propria authoritate præcepta, noſſe Domini eſt: qui & in Prophetis, & in Euangelijs locutus eſt. Ait autem illi Dominus: veni diuidere virum aduerſus patrem ſuum, & filiam contra matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici eius. *To. 5. lib. 2. Co. in cap. 7. Michea fol. 167. fac. 2.*

*Matt. 10.*

*Ancyra ſchiſmatibus dilacerata.*

SCIT mecum qui vidit Ancyram Metropolim Galatiæ ciuitatem, quod nunc vſq; ſchiſmatibus dilacerata ſit, quod dogmatum varietatib. conſtuprata: omitto Cataphrygas, Ophitas, Borboritas, & Manichæos. Nota enim iam hæc humanæ calamitatis vocabula ſunt. *Tom. 6. lib. 1. in proœ. ad Galatas Fol. 133. fac. 2 in fine*

*Hæreſis & ſchiſma quid differant.*

INTER hęreſim & ſciſma hoc inter eſſe arbitramur, quod hæreſis peruerſum dogma habeat: Schiſma propter Epiſcopalem diſſenſionem ab Eccleſia pariter ſeparet: quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi poteſt diuerſum. cæterum nullum ſchiſma non ſibi aliquam confingit hæreſim, vt rectè ab Eccleſia receſsiſſe videatur. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 3. ad Titum fol. 209. fac. 2.*

## *Articulus III. Hæreticorum & hæreſum quæ cauſæ.*

*Tertullianus in hæreſim lapſus motus inuidia & contumelijs clericorum Romanæ Eccleſiæ.*

HIC cum vſque ad mediam ætatem presbyter Eccleſiæ permanſiſſet inuidia poſtea & contumelijs clericorum Romanæ Eccleſiæ ad Montani dogma delapſus, in multis libris nouæ prophetiæ meminit: ſpecialiter autem aduerſum Eccleſiam texuit volumina, De pudicitia de perſecutione, de ieiunijs, de Monogamia, De Ectaſi libros ſex, & ſeptimum quem aduerſũ Apollonium compoſuit. *Tom. 1. de viris Illuſtribus in Tertulliano.*

*Error cauſa hæreſeos.*

SED quo modo poſtea non declinarunt, propter quos ſynodus congregata eſt? & quorum epiſtolæ & libri impietatis ante ſynhodum editi, vſq; ad præſentem diem durant? Igitur cum illo tempore trecenti & eo amplius epiſcopi paucos homines, quos ſine damno eccleſiæ abijcere poterant, ſuſceperint: miror quoſdã & certæ Nicenæ fidei ſectatores, tantæ duritię exiſtere, vt tres cõfeſſores, de exilio reuertentes, non putent id ob totius orbis ſalutem, neceſſariò facere debuiſſe, quod tot & tales viri voluntate fecerunt. Sed vt dicere cœperamus, poſt reditum confeſſorum in Alexandrina poſtea ſynhodo cõſtitutum eſt, vt exceptis auctoribus hæreſeos, quos error excuſare non poterat; pœnitentes eccleſiæ ſociarentur: non quod epiſcopi poſsint eſſe, qui hæretici fuerant: ſed quod conſtaret, eos qui reciperẽtur, hæreticos non fuiſſe. *Tom. 2. in Dialogo contra Luciferianos cap. 7. in fine.*

*Qui hæretici fuerunt non poſſunt eſſe Epiſcopi.*

HAE



*Aſſi. nu. 2.*

HAE ſunt ſagittæ quibus confoderis, Hæc tela quibus in tota Epiſtola vulneraris: excepto eo quod tuis genibus aduolutus, ſanctamq; canitiẽ, ſepoſito parumper ſacerdotis honore, ſubſternens, deprecatur ſalutem tuam, & his verbis loquitur: Præſta mihi & tibi, vt ſalueris ſicut ſcritum eſt. A generatione peruerſa: & recede ab hæreſi Origenis, & à cunctis hęreſibus dilectiſsime Et infra: propter defenſionem hæreſeos aduerſum me odia ſuſcitantes rumpitis charitatem, quam in vobis habui: intantũ, vt faceretis nos etiam pœnitere, quare vobis communicauerimus ita Origenis errores & dogmata defendentibus. *Tom. 2. Epiſt. 61. ad Pam. 2. cap. in medio.*

*Imprudentia imperitia peruicacia tres cauſæ hæreſeos.*

QVAESO ne graue ſit litterario labori tuo, quo non mediocriter per Domini noſtri gratiam in latina lingua Sanctorum ſtudia & accendiſti, vt quod tibi per humilitatem meam fraterna charitas indicit, vt ſi occupationes tuæ ſinunt omniũ hæreticorum peruerſa dogmata, qui rectitudinẽ fidei Chriſtianæ vſq; ad hoc tempus vel imperitia vel peruicatia deprauare conati ſunt; vno libello breuiter digeſta edas in notitiam eorum, quibus aut non vacat propter alia negotia aut nõ valent propter alienam linguam tam multa legere atq; cognoſcere. *Tom. 2. Epiſtola. 87. ad Hieronymum. Fol. 313.*

*Ira Dei ob peccata cauſa hæreſeos.*

RECOGITENT Eccleſiaſtici idcirco captam eſſe quondam ab hæreticis domum Iſrael, & in toto peruerſorum dogmatum orbe diſperſam, quod reliquerint eum. qui parumper abſcondit ſiue auertit faciem ſuam ab eis. *Tom. 4. li. 11. Co. in ca. 39. Ezechielis fol. 452. fac. 1.*

*Arrogantia mater hæreticorum.*

HAERETICI matrem habent iniquitatis ſuę, dum ſemper altiora ſe ſcire iactitant, & in Eccleſiæ contumeliam debacchantur. Sed infirmabitur arogantia eorum, & populus ac magiſtri pariter corruent: Iudas quoque qui videtur eſſe in domo Dei, & in Eccleſia, non mente, ſed corpore commoratur, & eandem habet cum hæreticis in errore ſententiam, fruſtra nomen Eccleſiaſticum repromittit: quia & ipſe eum hæreticis puniendus eſt. *Tom. 5. lib. 1. Com. in c. 5. Oſeæ. fol. 47. f. 2.*

*Pſal. 118. Pſal. 8. Neglecta inuocatio diuini auxilij, cõtra hæreſes cauſa hæreſis Mat. 26. Abdiæ. 1. Prouerb. 30. Sec. 70. Leuit. 11. Neglecta dei mandata cauſa hæreſeos.*

QVIDAM iuxta tropologiam, Ephraim & Iudam ad Hæreticos, & ad viros Eccleſiaſticos referunt, eo quod & illi & Iudas peccatorũ vinculis colligati (iuxta illud quod ſcriptum eſt funibus peccatorum ſuorum vnuſquiſq; conſtringitur) miſerint ad Aſſur & ad regẽ vltorẽ, id eſt, ad Diabolũ, de quo legim[us] vt deſtruas inimicũ, & vltorẽ Et q[ui]a non verũ vel auxiliatorẽ vel iudicẽ deprecati ſunt iccirco permanere eos fecit in dolore lãguoris, & vinculis delictorum. *To. 5. li. 2. Com. in cap. 5. Oſeæ Fol. 50. fac. 1.*

DIABOLVM, qui ponere cupit ſupra aſtra cæli nidum ſuum, aquilam ſæpiſsimè legimus: Si exaltatus fueris vt aquila, inde detrahant te dicit Dominus. Oculus quoq; qui irridet Patrẽ, & deſpicit ſenectutem matris, effodiatur à coruis & deuorent eum pulli aquilarum: per diabolum ac dæmones clarum viſionis ſuæ lumen amittẽs. Vnde in lege præcipitur, vt nõ comedamus aquilã, hæc igitur aquila venit ſuper hæreticorũ cõciliabula, quæ quondã fuerant domus Dñi, & iccirco venit, quia præuaricati ſunt fœdus eius, & legem Dei reliquerunt, & ſine cauſa inuocant eũ, & dicunt: Deus meus es, & cognouimus te nos qui vocamur Iſrael cernentes Deũ, & ...

nomine Chriſtiano. fruſtra, inquit, hæc faciunt, cum ipſi ſibi reges conſtituerint, & contra meã fecerint voluntatem, & principes habeant aduerſarios meos: quos ego neſcio, quia mei notitiã non merentur. Argentum quoq; ſuum & aurum, & quicquid habere poterant naturaliter, ſermones ac ſenſus verterunt in idola, quæ de ſuo corde finxerunt & verterunt, non vt interirent, ſed quia verterunt ideo interierunt. Neq; enim hac ratione fecerunt vt perirent: ſed quia fecerunt iccirco interierunt. *Tomo quinto libro 2. Commentariorum in cap. 8. Oſeæ. Fol. 56. fac. 2.*

*Superbia cauſa hæreſeos.*

OMNIS Hæreticus aſcendit equos per ſuperbiam, quos in errore ſuo ipſe generauit. Et nequaquam vltra dicent: Operibus manuum ſuarum, quæ ipſi artifici eloquio confinxerunt, Dij noſtri. Guloſi venter Deus eſt, Auarus colit mãmona: hæreticus dogma quod finxit. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 14. Oſeæ Fol. 7[illegible] fac. 2.*

*Hæreticus idololatra.*

*Canti. 8.*

QVIDAM iuxta Anagogen domum magnam & domum minorem, Iudaicum populum ſignificari putant, & de gentibus Eccleſiam congregatam. Illi enim magni propter patres vocantur, & legem & prophetas: nos minores, quia abſq; teſtamento fuimus & mandatis Dei, de quibus & in cantico legimus: Soror mea paruula eſt, & vbera non habet, quæ domus magna & parua, in vnam Dei familiam congregata, ſi non habuerit diſciplinam & Dei mandata non fecerit, percutietur ruinis & ſciſsionibus. Quotieſcunq; ergo vel in perſecutionibus vel in hæreſib. & ſchiſmatibus domus Dei, quæ eſt Eccleſia, corruit atq; laceratur. Dei percutientis oſtendit manum: quam ſi volumus effugere, comparationis audiamus & faciamus exemplum. In petris equi perſequi nõ valent. Petra Chriſtus eſt: qui donauit Apoſtolis ſuis vt ipſi quoque petræ vocentur: Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Qui in iſtis petris fuerit, aduerſariæ poteſtates, quæ appellantur equi, de quibus ſupra diximus, perſequi eum nõ poterunt. Curſibus præpeditis & per ſingulas petras corruentibus. *Tom. 5. lib. 3. Com. in cap. 6. Amos fol. 116. fac. 1.*

*Neglecta diſciplina & mandata dei cauſa hæreſis. 1. Cor. 10. Matt. 16. Apoſtoli à Chriſto petræ etiam petræ vocantur.*

AQVILAM cunctis auib. altius volitare, etiã hi qui de natura auium diſputant, memoriæ prodiderunt, tantiq; contuitus eſſe dicitur: vt cum ſuper maria immobili penna feratur, nec humanis pateat obtutib. de tãta ſublimitate piſciculos natare videat, & cum iuxta littus fuerint, tormenti inſtar deſcendere, raptamq; prædam pennis ad littus pertrahere. Si didicimus Hiſtoriam, ſequamur intelligentiam ſpiritualem. Licet tibi ô hæretice magnus eſſe videaris, & contemnas Eccleſiæ paucitatem: tamen paruus es in gentibus & contemptibilis, & non ſolum contemptibilis, ſed & cum, ἐπιτάσει valde contemptibilis. Superbia cordis tui extulit te. Quis enim hæreticorum non in ſuperbiam extollitur Eccleſiæ ſimplicitatem paruipendens, & fidem, imperitiam reputãs. *Tomo quinto Commentariorum in cap. 1. Abdiæ. Fol. 128. fac. 1. in medio.*

*Arrogantia mater hæreſeon.*

NEQVAQVAM, magnificabis os tuum in die Anguſtiæ. Quod ſecundum duplicem ſenſum accipere debemus: corporalis, in perſecutionibus & in peccatis: ſpiritualis anguſtiæ: cum anima hoſtibus vitijsque capta ducta fuerit in Babylonem. Neque ingredieris portam populi mei, in ...

*Voluptas corporis & inhoneſta laxa vita origo hæreſeos.*

oppreſſerit, aut voluptas, & rigorem priſtinum infelix conſcientia non ſeruauerit. tunc facile ad contraria dogmata labimur, blandientia errori noſtro, & non curantia vulnus, ſed palpantia. Solatium miſeriæ eſt, quamuis perditum, habere quod ſperet. *Ibid. Fol. 130. fac. 1. in medio.*

## *Articulus IIII. Qui ſint hæreticorum mores.*

*Ex praua ſcintilla hæreſeos magna incendia cõcitantur. Hæretici hypocritæ.*

CERNENTES hæritici de parua ſcintilla maxima incendia concitari, & ſuppoſitam dudum flammam iam ad culmina perueniſſe, nec poſſe latere, quod multos deceperat, petũt, & imperant Eccleſiaſticas epiſtolas: vt communicantes Eccleſiæ, diſceſsiſſe viderentur. *Tom. 1. Epiſt. 16. ad Principiam. cap. 4.*

*Hæretici cauteriatam habent conſciẽtiam.*

DICAS, quid hæc ad laudem Marcellæ? Dãnationis Hæreticorum hæc fuit principium, dũ adducit teſtes, qui prius ab eis eruditi & poſtea ab hæretico fuerant errore correpti, dum oſtendit multitudinem deceptorum, dum impia περὶ ἀρχῶν ingerit volumina, quæ emendata manu ſcorpij monſtrabantur: dum acciti frequentibus litteris hæretici, vt ſe defenderent. venire non ſunt auſi, tantaq; vis conſcientię fuit, vt abſentes damnari, quam præſentes coargui, maluerint. *Ibid. ca. 5. cap. in principio.*

*Spurciſsima hæreſis.*

ET quia hæreſeos ſemel fecimus mentionem, qua Lucinius noſter dignæ eloquentiæ tuba prędicari poteſt? Qui ſpurciſsima per Hiſpanias baſilidis hæreſi ſeuiente, & inſtar peſtis & morbi tòtas intra Pirenæum & Oceanum vaſtante Prouincias, fidei Eccleſiaſticæ tenuit puritatem, nequaquam ſuſcipiens Armagil, Barbelon, Abraxas, Balſamum, & ridiculum Leuſiboram, cæteraq; magis portenta, quam nomina; Quæ ad imperitorum & muliercularum animos concitandos, quaſi de hebraicis fontibus hauriunt, barbaro ſimplices quoſq; terrentes ſono, vt quod intelligunt plus mirentur. *Tom. Epiſt 1. . 2 9. ad Theodoram in medio.*

*Imperitorũ & muliercularũ animos concitant. De Hebraicis fontibus hauriunt hæreſes. Inflantur eloquentiæ tumore hæretici.*

POSTEA inflatus eloquentiæ tumore, nouã condidit hæreſim, quæ Encratitarum dicitur, quam poſtea Seuerus auxit, à quo eiuſdem partis Hæretici Seueriani vſq; hodie appellantur. *Tom. 1. de viris Illuſt. in Tatiano.*

*Marcionitæ inter ſe diſcrepant Hæretici irriſores.*

RHODON, genere Aſianus, à Tatiano de quo ſupra diximus, Romæ in ſcripturis eruditus, edidit plurima: præcipuumq; aduerſus Marcionem opus in quo refert, quomodo ipſi quoq; inter ſe Marcionitæ diſcrepent, & Apellem ſenem alium hæreticum à ſe quondam fuiſſe conuentum, & riſui habitum. eo quod Deum, quem coleret, ignorare ſe diceret *Ibid. in Rhod.*

DICIT in eodem libro quadrageſimum eſſe annum vſque ad tempus, quo ipſe ſcribebat librum, ex quo hæreſis Cataphrygarum habuerit exordium; Tertullianus ſex voluminibus aduerſus Eccleſiam editis, quæ ſcripſit περὶ ἐκστάσεως, ſeptimum propriè aduerſus Apollonium elaborauit, in quo omnia quæ ille arguit, conatur defendere. *Ibid. in Appollonio.*

*Ambitioſi hæretici.*

NOVATIANVS Romanę vrbis presbyter, aduerſus Cornelium Cathedram ſacerdotalem conatus inuadere. Nouitianorum quod Græcè di- [illegible] Cypriani presbyter fuit. *Ibid. in Nouatiano.*

*Hæretici cogunt Catholicos ad ſubſcribendum ſuæ fidei alias noluit exilia Catholicorum procurant.*

LVCIFER Caratitanus epiſcopus, cum Pancratio & Hilario Rom. Eccleſię clericis, ad Conſtantium Imperatorem à Liberio Epiſcopo pro fide legatus miſſus, cum nollet ſub nomine Athanaſij Nicænam damnare fidem, Palæſtinam relegatus miræ conſtantiæ, & præparati animi ad martyrium, contra Conſtantium Imperatorem ſcripſit librum eique legendum miſit. *Ibidem in Lucifero.*

*Hæretici blaſphemi.*

EVNOMIVS, Arianæ partis, Cyzicenus Epiſcopus, in apertam Hæreſeos ſuæ prorumpens blaſphemiam: vt quod illi tegunt iſte publicè fateretur: vſque hodiè viuere dicitur in Cappadocia & multa contra Eccleſiam ſcribere. Reſponderunt ei Apollinarius, Didymus, Baſilius Cæſarienſis, Gregorius Nazianzenus & Gregorius Nyſenus. *Ibid. in Eunomio.*

*Matt. 13. Heluidius blaſphemus in Mariam.*

TV templum Dominici corporis ſuccendiſti tu cotaminaſti ſacrarium ſpiritus ſancti, ex quo vis quadrijugam fratrum & ſororum proceſsiſſe congeriem. Deniq; cum Iudæis voce ſociata dicis: Nonne hic eſt fabri filius? nonne mater eius dicitur Maria; & fratres eius Iacobus, & Ioſephus & Simeõ, & Iudas & ſorores eius omnes apud nos ſunt? Omnes, niſi de turba, non dicitur. *To. 2. epi. aduerſus Heluidium ca. 8. in fin. fere.*

*Gen. 3.*

HAEC ſunt ſibila ſerpentis antiqui: his cõſilijs draco de paradiſo hominem expulit, nam & ſaturitatem ieiunijs præferendo, repromiſit eos immortales futuros, quaſi nunquam poſſent corruere: & dum diuinitatẽ æqualem Deo polliceretur, expulit eos de paradiſo, vt qui nudi, & expediti, & abſque vlla macula virgines, Domini cõſortio fruebantur, deiecti in vallem lachrymarum, tunicis conſutis & pelliceis veſtirentur. *To. 2. li. 1. aduerſus Iouinian. ca. 2.*

*Hæretici vẽtri & gulæ dediti.*

*Hæretici voluptuoſiſsimi concionatores.*

NEC moleſtum lectori ſit ſi nauſeam eius & vomitum legere compellatur. Libentius antidotum Chriſti bibet, cum diaboli venena pręceſſerint. Audite patienter virgines, audite, quęſo, voluptuoſiſsimum cõcionatorem; immo quaſi Syrenarum cantus, & fabulas, clauſa aure tranſite. veſtras ferte pauliſper iniurias putate vos cum Domino crucifixo Pariſæorum audire blaſphemias. *Ibid. in fine.*

*Gulæ & vẽtri dediti hæretici.*

ET de falſis doctoribus: Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſeruatur. Superba enim vanitatis loquentes pellicient in deſiderijs carnis luxuriæ eos, qui paululum effugerant, & ad errorem reuerſi ſunt. Nonne tibi videtur ſermo Apoſtolicus nouam imperitiæ factionem notare (aperiunt enim quaſi fontes ſcientiæ, qui aquam non habent doctrinarum, promittunt, himbrem, velut nubes propheticæ, ad quas perueniat veritas Dei, & turbinibus exagitantur dęmonum, atque vitiorum. Loquuntur grandia; & totus eorum ſermo ſuperbia eſt. Immundus eſt autem apud Deum omnis, qui exaltat cor ſuũ vt qui paululum refugerant à peccatis, ad ſuum reuertentur errorem. & ſuadent in luxuria, ciborum carniſque delicias. *Tomo 2. lib. contrà Iouinianum cap. 2. fere in fine.*

*Iactantia. Dæmonum turbinibus exagitantur. Hæreticorũ ſuperbia.*

HIS & huiuſmodi diuinarum ſcripturarum teſtimonijs quæ ad peruerſitatem ſui dogmatis callidus diſputator inclinat, quis non tenetur et-



*Lubrici ſerpẽtes et Protei hæretici. Epicurei hæretici.*

antichriſtos dicit veniſſe multos, hæc vera eſt antichriſti prædicatio, quæ inter Iohannem & vltimum pænitentem nullam facit eſſe diſtantiam Simulque miror, quo modo ſerpens lubricus. & Proteus noſter, in variarum ſe mutet portenta formarum, qui enim in coitu & in ſaturitate Epicureus eſt, ſubitò in retributione meritorum Stoicus efficitur. Hieroſolymam Cithio, Iudæam Cypro, Chriſtum Zenone commutat. *Ibidem. cap. 13.*

DIXIMVS de nuptis, viduis, virginibus: viduitati virginitatẽ, viduitatem prætulimus Matrimonio: expoſita eſt περικοπὴ apoſtoli de huiuſmodi quæſtionibus diſputantis: ſingulis oppoſitionibus reſponſum eſt. Sæcularis quoque litteratura venit in medium, quæ virgines fuerint, quæ vniuiræ, & è contrario quas interdum habeat moleſtias vinculum cõiugale. Tranſiuimus ad ſecundam partitionem: in qua negat eos qui tota fide baptiſma conſecuti, deinde poſſe peccare. Et docuimus, quod excepto Deo, omnis creatura ſub vitio ſit: non quod vniuerſi peccauerint: ſed ꝙ peccare poſsint, & ſimilium ruina, ſtantiũ metus ſit. Tertio venimus ad ieiunia: & quia aduerſarij duplex propoſitio fuerat, vel ad philoſophos vel ad diuinarũ ſcripturarũ prouocãtis exẽpla, nos quoq; ad vtramq; reſpondebimꝰ. Quarta, id eſt extrema diuiſio, oues & hędos, dexteram & ſiniſtram iuſtos & peccatores, in duos ordines diſtribuerat, volens oſtendere, nullã inter iuſtum & iuſtum peccatorem & peccatorem, eſſe diſtantiam, & vt hoc probaret, infinita exempla de ſcripturis congeſſerat, quaſi ſuo ſenſui congruentia: cui nos quæſtioni & argumentis & exemplis reſpondimus ſcripturarum, veteremque Zenonis ſententiam tam communi ſenſu, quam diuina lectione contriuimus. Nunc reſtat, vt Epicurũ noſtrum, ſubantem in hortulis ſuis inter adoleſcentulos & mulierculas, alloquamur. fauent tibi craſsi, nitidi. dealbati, adde ſi vis iuxta Socraticam irriſionem, omnes ſues, & canes & quia carnem amas, vultures quoque, aquilæ, accipitres, & bubones. Nunquam nos Ariſtippi multitudo terrebit, quoſcumque, formoſos, quoſcumque calamiſtratos, quos crine compoſito, quos rubentibus buccis videro, de tuo armento ſunt, immo inter tuos ſues gruniunt, de noſtro grege triſtes, pallidi, ſordidati & quaſi peregrini huius ſeculi, licet ſermone taceant, habitu loquuntur & geſtu, hei mihi, quia peregrinatio mea prolongata eſt: habitaui cum habitantibus cedar, videlicet in tenebris huius mundi, quia lux lucet in tenebris, & tenebræ eã non comprehenderunt Ne glorieris quod multos diſcipulos habeas, filius Dei docuit in Iudęa, & duodecim tantum illum Apoſtoli ſequebantur. Torcular, inquit, calcaui ſolus de gentibus vir non eſt mecum. Ille in paſsione ſolus remanſit, & Petri quoque erga cum trepidauit conſtantia: Phariſæorum autem doctrinæ omnis populus applaudebat, dicens: Crucifige, Crucifige talem. Non habemus Regem niſi Cæſarem, id eſt vitia ſequimur, non virtutes, Epicurũ non Chriſtum. Iouinianum, non Apoſtolum Paulum. *Ibi. cap. 19. in principio.*

*Hæretici Epicurei & Veneri, & Baccho dediti.*

*Catholici pœnitẽtes et ieiun.*

*Pſalm. 49.*

*Ioan. 1. Gloriantur in multitudine diſcipulorum.*

*Eſa. 63.*

*Lucæ 23.*

QVADRINGENTI ferme anni ſunt, quod Chriſti prædicatio fulget in mundo, ex quo innumerabiles hæreſes tunicam illius conſciderũt, vniuerſus pene error de Chaldęo, & Syro, & Gręco ſermone proceſſerat. Baſilides, magiſter luxuriæ, & turpiſsimorũ cõplexuũ, poſt tot annos ita in Iouinianũ quaſi in Euphorbum transformatus eſt, vt Latina quoq; lingua haberet hæreſin ſuam. Nullãne fuit alia in toto orbe prouincia, quæ reciperet prçconiũ voluptatis, in quã coluber tortuoſus irreperet, niſi quia Petri doctrinã ſuper petram fundauerat Chriſtũ, vexillum crucis & prædicationis auſteritas, Idolorũ templa deſtruxerat? Eregione luxuria vẽtris & gutturis ſubuertere nititur fortitudinẽ crucis. Vnde per Eſa. loquitur Deus: Populus meus, qui vos beatificãt, ſeducũt vos, & ſemitas pedũ veſtrorũ conturbant, Nec non per Hierem. Fugite de medio Babylonis, & ſeruate vnuſquiſq; animã ſuã, & nolite credere Pſeudoprophetis, qui dicũt pax pax: & non eſt pax: qui ſemper ingeminant templũ Domini, templũ Domini. Prophetę tui viderunt tibi falſa & inſipientia, nõ aperuerunt iniquitatẽ tuam, vt te ad pœnitentiã prouocarent: qui deuorant plebẽ Dei, vt cibũ panis. Deum nõ inuocauerunt: Hieremias captiuitatem nunciãs, lapidatur à populo, Ananias, filius Azur, frangebat ad preſẽs ligneas torques, & in futurũ ferreas præparabat. Sẽper Pſeudoprophetę dulcia pollicẽtur, & ad modicũ placent, amara eſt veritas, & qui eã prædicãt, replentur amaritudine: in azymis enim veritatis & ſinceritatis Domini Paſcha celebratur, & cum amaritudinibus comeditur, &c. *Ibidem in medio.*

*Luxuriæ & Veneri addicti.*

*Eſa. 3. cap.*

*Hiere. 50. 48 7.*

*Thre. 2.*

*Pſal. 11. Hierem. 28. Dulcia pollicentur. 1. Cor. 5.*

*Exod. 22.*

*Iouinianus Epicureus Chriſtianorum.*

PAVCI admodũ dies ſunt, ꝙ ſancti ex vrbe Roma fratres cuiuſdã mihi Iouiniani cõmẽtariolos trãſmiſerũt rogantes, vt eorũ ineptijs reſpondere, & Epicurũ Chriſtianorũ, Euangelico atq; Apoſtolico vigore cõtererẽ. Quos cũ legiſsẽ, & omninò nõ intelligerẽ, cępi reuoluere crebriùs, & nõ verba modò, atq; ſentẽtias, ſed ſingulas penè ſyllabas diſcutere, volẽs prius ſcire quid diceret, & ſic vel probare, vel redarguere, ꝙ dixiſſet, verũ ſcriptorũ tanta barbaries eſt, & tãtis vitijs ſpurciſsimus ſermo cõfuſus, vt nec quid loquatur, nec quib. argumẽtis velit probare ꝙ loquitur, potuerim intelligere, totꝰ.n. tumet, totus iacet: attollit ſe per ſingula; & quaſi debilitatus coluber, in ipſo conatu frangitur, nõ eſt cõtentus noſtro, id eſt humano more loqui: altiùs quiddã aggreditur. Parturiũt montes, naſcetur ridiculꝰ mus; Quod ipſe nõ ſani eſſe hominis, non ſanus iuret Oreſtes. Pręterea ſic inuoluit omnia, & quibuſdã inextricabilib. nodis vniuerſa perturbat, vt illud Plantinarũ literarũ ei poſsit aptari: Has quidẽ, præter Sibyllã, leget nemo, nam diuinandum eſt. Furioſas Apollinis vates legimus: & illud Virgilianum: Dat ſine mente ſonum. *Tom. 2. aduerſus Vigilantium cap. 1.*

*Quatuor abſurda Iouiniani dogmata.*

DICIT virgines, viduas, & maritatas, q̃ ſemel in Chriſto lotæ ſunt, ſi nõ diſcrepent cęteris operib. eiuſdẽ eſſe meriti. Nititur approbare, eos qui plena fide in baptiſmate renati ſunt, à diabolo nõ poſſe ſubuerti. Tertiũ proponit inter abſtinẽtiã ciborũ, & cũ gratiarũ actione perceptionẽ eorũ, nullã eſſe diſtantiã. Quartũ, ꝙ & extremũ, eſſe omniũ, qui ſuũ baptiſma ſeruauerint, vnam in regno cælorũ remunerationem. *Ibidem ca. 2. in principio.*

SED quoniã in Eccleſia diuerſa ſint dona; cõcedo & nuptias, ne videar dãnare naturã Simul-

conſidera, quod aliud donum virginitatis ſit, aliud nuptiarum: Si enim eadem eſſet merces nuptiarum, & virginum; nunquam dixiſſet poſt præceptum continentiæ, Sed vnuſquiſque proprium habet donum ex Deo, alius quidem ſic, alius autem ſic. vbi proprietas ſingulorũ eſt, ibi altrinſecus diuerſitas. *Ibid. cap. quarto in medio.*

NOSTI ſermonum proprietates; quamobrẽ & de Epimenide, & de Menandro, & de Arato quædam ſumis teſtimonia, vbi de Continentia loqueris, & virginitate, bonum eſt, ais homini mulierem non tangere: & bonum eſt eis, ſi ſic permanſerint vt ego: & puto hoc bonum eis eſſe propter inſtantem neceſsitatem, & quia bonum eſt homini ſic eſſe. vbi ad nuptias venis, non dicis bonum eſt nubere, quia non potes iungere, quam vri: ſed dices, melius eſt nubere, quàm vri. *Ibidem. ca. 4. in fine.*

*Hæretici cõmunione ſua Catholicos maculant.*

NOBIS autem melius viſum eſt, locum mutare, quam fidei veritatem; ædificiorumque & manſionis amænitatem amittere, quam eorum communione maculari, quibus in præſentiarum aut cedendum, aut certe quotidie non lingua ſed gladijs dimicandum. *Tomo 2. epiſtol. 55. ad Riparium.*

*Hæretici Dei inimici non ſunt fouendi.*

EVERSAM nobilem domum funditus doleo: & tamen, quid in cauſa ſit, ſcire non potui. Neque enim portitor litterarũ noſſe ſe dixit, vnde dolere poſſumus pro amicis communibus, & Chriſti, qui ſolus potens & dominus eſt, & eius clementiam deprecari: licet ex parte Dei mereamur offenſam, qui inimicos domini fouerimus.

*Perſequutiones hæreticorum.*

ET paulò pòſt: Noſtra autem domus, ſecundum carnales opes, hæreticorum perſecutionibus penitus euerſa, Chriſto propitio ſpiritalibus diuitijs plena eſt. Melius eſt enim panem manducare quam fidem perdere. *Tomo. 2 epiſtol. 56 ad Apronium.*

REPERTVS eſt ſæculis noſtris haud grandis homunculus, qui de cunctis eccleſiæ quæſtionibus, vno linguæ rotatu, ſole clarius coruſcaret. Si nemo à te poſtulabat, & tranquilla erant omnia: ſtultè tanta diſputandi voluiſti ſubire diſcrimina. Si iam tunc in ſanctificatione fide loquebaris: ergo non eſt ordinatio presbyteri cauſa diſcordię; quem conſtat multo poſt tempore conſtitutum. feſelliſti abſentes, & litteræ tuæ peregrinis auribus blandiuntur. Nos, hic eramus, cuncta nouimus, quando contra Origenem in Eccleſia tua Papa Epiphan. loquebatur, quando ſub illius nomine in vos iacula torquebãtur. Tu & Chorus tuus canino rictu, naribuſq; cõtractis ſcalpentes capita, delirum ſenem nutibus loquebamini. Nonne ante ſepulchrum Domini, miſſo Archidiacono, præcepiſti, vt talia diſputans conticeſceret? Quis hoc vſquam præsbytero ſuo coram plebe imperauit epiſcopus? Nonne, cum de ἀναστάσει pergeretis ad crucẽ, & ad eum omnis ætatis & ſexus turba conflueret, offerens, paruulos pedes deoſculans, fimbrias vellens, cumque non poſſet promouere gradum, ſed in vno loco vix fluctus vndantis populi ſuſtineret, tu tortus inuidia aduerſus glorioſum ſenem clamitabas: nec erubuiſti in os eius dicere, quod volens & de induſtria moraretur? Recordare, quæſo, illius diei quando ad horam ſeptimam inuitatus populus [illegible] noſtra auditurus Epiphanium

*Inuidi Hæretici.*

pe contra Antropomorphitas, qui ſimplicitate ruſtica Deum habere membra, quæ in diuinis litteris ſcripta ſunt, arbitrantur, furens & indignans loquebaris: oculos & manus, & totius corporis truncum in ſenem dirigebas, volens illum ſuſpectum facere ſtultiſsimæ hæreſeos. Poſtquam laſſus ore arido, reſupinaque ceruice, ac trementibus labijs conticuiſti: & tandem totius populi vota completa ſunt, quid tibi fecit delirus & fatuus ſenex? ſurrexit, vt ſe indicaret pauca dicturum eſſe, ſalutataq; & voce & manu eccleſia, cuncta, inquit, quæ locutus eſt collegio frater, ætate filius meus, contra Antropomorphitarum hæreſim bene & fideliter locutus eſt, quæ mea quoq; damnatur voce, ſed æquũ eſt, vt quo modo hanc hæreſim condemnamus, etiam Origenis peruerſa dogmata condemnemus. *Tomo ſecundo epiſtol. 61. ad Pammachium. Capit. 4. in medio.*

*Antropomorphitarũ hæreſis.*

QVIDNI neceſſe eſt de prophetarũ ſermonibus dicere, quibus ſępiſsimè paſtoribus, & maioribus natu & ſacerdotibus ac Principibus populi comminantur, & arguunt eos? quæ abſque nobis de ſanctis ſcripturis elicere poteſtis, & liquido peruidere, quod forſitan hoc tempus ſit, de quo dicitur: nolite credere amicis, nec ſperetis in principibus, & nunc impleatur vaticinium: Duces populi mei, me neſcierunt; filij ſtulti ſunt, & non ſunt ſapientes: ſapientes ſunt, vt faciant mala, benè autem facere neſciũt: quorum magis miſereri, quàm eos odiſſe debemus, & orare pro illis, quàm eis maledicere. Ad benedicendum enim, & non ad maledicendum creati ſumus. Vnde & Michael, cùm aduerſus diabolum diſputaret de Moyſi corpore, ne tanto quidem malo auſus eſt iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Increpet tibi Dominus. Cui quid ſimile etiam in Zacharia legimus: Increpet tibi Dominus Diabole: & increpet Dominus in te, qui elegit Hieruſalem. Itaque & nos cupimus increpari à Domino eius, qui nolunt cum humilitate à proximis increpari. Dicente autem Michaele: Increpet tibi Dominus Diabole: Et Zacharia ſimiliter: vtrum increpet: an increpet Deus Diabolum, ipſe viderit: & ſi increpat, quomodo increpet ipſe agnoſcat, & poſt multa, prolixum eſt ſcribere, addit: Nos hoc ſentimus, quod eijcientur de regno cælorum, non ſolùm qui grandia peccauerunt: verbi gratia, fornicatores, adulteri, & maſculorum concubitores, & fures: ſed & qui minora deliquerunt; ex eo, quod ſcriptum eſt: neque ebrioſi, neque maledici regnum Dei poſsidebunt: & tam in bonitate, quàm in ſeueritate Dei eſſe menſuram. Vndè cuncta nitimur agere conſilio: in vini quoque potu, & in moderatione ſermonis, & nulli audiamus maledicere. Ergo cùm propter Dei timorem caueamus, in quempiam maledicta conferre, recordantes illius dicti, Non fuit auſus iudicium inferre blaſphemiæ, quod dicitur de Michaele contra Diabolum: & in alio loco: Dominationes quidem reprobant; glorias autem blaſphemant: quidam eorum, qui libenter contentiones reperiunt, adſcribunt nobis, & noſtræ doctrinæ blaſphemiam: ſuper quo ipſi viderint, quomodo illud audiant: neq;

*Michee 7.*
*Hierem. 4.*
*Iudæ. 1.*
*Contra blaſphemias & maledicta hæreticorũ.*
*Zachar. 3.*
*1. Cor. 6.*
*Iudæ 1.*



cet patrem malitiæ & perditionis eorum, qui de regno Dei eijcientur dicant poſſe ſaluari: quod ne mente quidem quis captus dicere poteſt. *Tomo ſecundo libro ſecundo aduerſus Ruffinum capite quinto Fol. 246.*

*Contra male dicta hæreticorum.*
*Lucæ. 3.*

HOC ſolum requiro, ab eximia ſanctitate & cenſura tua, cuius tãta eſt puritas, vt ad ſudaria & ſemicinctia tua dęmones rugiant; cuius exemplũ in ſcribendo ſequaris? quis vnquam Catholicorum in diſputatione ſectarum, turpitudinem ei, aduerſum quem diſputat obiecit? ſic te docuerunt magiſtri tui? talibus inſtitutus es diſciplinis; vt cui reſpondere non potueris caput auferas, & linguam quæ tacere non poteſt, ſeces? nec magnopere glorieris, ſi facias quod ſcorpiones poſſunt facere, & Cantharides. Fecerunt hoc & Fuluia in Ciceronem, & Herodias in Ioannem, quia veritatem non poterant audire; & linguam veriloquam diſcriminali acu confoderunt, canes latrãt pro Dominis ſuis; & tu non vis me latrare pro Chriſto? Scripſerunt multi contra Marcionem Valentinum, Arium. & Eunomium, à quo eius obiecta eſt turpitudo? nonne toti in conuincenda hæreſi incubuerunt? Iſtę machinę hęreticorũ, id eſt, magiſtrorum tuorum ſunt; vt conuicti de perfidia ad maledicta ſe conferant. *To. 2. lib. 3. aduerſus Ruffin. ca. 11. Fol. 262.*

*1. Reg 6.*
*Contra inuidiam, maledicentiam et contumelias hæreticorum*
*Prouerb 3.*
*Prouerb. 4.*
*Prouerb. 6.*

IN vno tibi conſentire non potero, vt parcam hęreticis, vt me Catholicum non probem. Si iſta eſt cauſa diſcordię mori poſſum, tacere non poſſum. Debueram quidem de omni ſcriptura tuæ inſaniæ reſpondere, & diuinis vocibus in modũ Dauid Citharizantis lenire furorẽ pectoris tui: ſed contentus ero vnius libri paucis teſtimonijs, & opponam ſapientiam ſtultitiæ: vt ſi humana contemnis, ſaltem diuina non negligas. Audi igitur, quid de te, & de omnibus inuidis, ac maledicis, & contumelioſis loquatur ſapiens Salomon: Inſipientes, dum iniurijs cupidi ſunt, impij facti oderunt ſenſum. Ne fabriceris in amicum tuum mala. Et ne inimiceris aduerſum hominẽ ſine cauſa. Impij exaltant contumeliam. Circũcide à te os prauum & iniqua labia longè repelle abs te: oculos contumelioſi, linguã iniqui, manus effundentes ſanguinem iuſti, cor fabricans cogitationes malas & pedes feſtinantes ad malefaciendum. Qui nititur mendacio, paſcit ventos, & ſequitur auras volantes: Derelinquit enim vias vineæ ſuæ, & apes culturæ ſuæ fecit errare: perambulat aridum ac deſertum, & collegit manib. ſuis ſterilitatem. Os procacis appropiat contritioni: & qui profert maledicta, ſtultiſsimus eſt. Anima benedicta, omnis ſimplex vir, Animoſus inhoneſtus eſt. Per delicta labiorum incidit in laqueum peccator. Itinera ſtultorum recta in conſpectu ſuo. Stultus eadem die oſtendit iram ſuã. Abominatio eſt Domino, labia mendacia. Qui cuſtodit os ſuum, ſeruat animã ſuam. Et qui temerarius eſt labijs, terrebit ſe ipſum. Malus cum contumelia agit mala, & inſipiens expandit malitiam ſuam. Quæres apud malos ſapientiam, & non inuenies. Suis itineribus ſaturabitur temerarius. Sapiens timendo declinat malũ. Stultus confidens miſcetur ei. Longanimus vir, multus in prudentia eſt: Puſillanimus valde imprudẽs eſt. Qui calumniatur pauperem, laceſsit factorẽ eius lingua ſapientum bona nouit, & os ſtultorũ pronunciat malum. Vir animoſus parat rixas; & immundus eſt apud Deum omnis, qui exaltat cor ſuum. Manus inferens iniuſtè non erit impunitus. Qui diligit vitam parcit ori ſui. Ante contritionem præcedit contumelia, & ante ruinam mala cogitatio. Qui obfirmat oculos ſuos, cogitat peruerſa & prouocat labijs ſuis omnia mala. Labia ſtulti ducunt eum in mala, & os audax mortem inuocat Malignus vir mala detrimenta patietur. Melior eſt pauper iuſtus, quam mendax diues. Gloria eſt viro qui auertit ſe à maledictis: qui autem ſtultus eſt, talibus ſe obligat. Noli amarè detrahere, ne eradiceris. Suauis eſt homini panis mendacij: poſtea implebitur os eius calculo. Qui operatur theſauros lingua mendacij, vana ſectatur, & veniet in laqueos mortis. In aure ſtulti noli quicquam dicere, ne forte irrideat ſapientes ſermones tuos. Claua & gladius, & ſagitta pernicioſa ſunt: ſic & vir qui contra amicum ſuum dicit falſum teſtimonium. Sicut aues auolant & paſſeres: ita maledictum vanum, non ſuperueniet illi, noli reſpondere imprudẽti ad imprudentiam eius, ne ſimilis ei fias: ſed reſponde ſtulto ad ſtultitiam eius, ne ſibi ſapiens eſſe videatur. Qui inſidiatur amicis ſuis, cum viſus fuerit, dicit: ludens feci, craticula carbonibus & ligna ignis; & vir maledicus ad tumultum rixæ. Si te rogauerit inimicus tuus parcens voce magna, ne conſentias ei: ſeptem enim nequitiæ ſunt in anima eius Grauis eſt lapis, & vix portabilis arena: ſed ira ſtulti grauior vtroque. Crudelis eſt indignatio & acuta ira, & impatiens zelus eſt. Impius calumniatur pauperes: & qui confidit in cordis audacia, ſtultiſsimus eſt. Totam iram ſuã profert inſipiens, ſapiens diſpenſatus in partes. Filius malus gladios dentes habet, & cultros molas; vt conſũat infirmos de terra, & pauperes ex hominibus. His ergo doctus exemplis, nolui mordere mordentem, nec vicem talionis implodere; maluique inſaniam excantare furibundi & vnius libri antidotum venenato pectori infundere. Sed vereor ne nihil proficiens, illud Dauidicum cantare compellar, & his me ſermonibus conſolari: alienati ſunt peccatores à vulna, errauerunt ab vtero: locuti ſunt falſa: furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis: ſicut aſpidis ſurdæ & obturãtis aures ſuas, quæ non audiat vocem incantantiũ & venefici incantantis ſapienter. Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum: molas leonum cõfringet Dominus, ad nihilum deuenient, tanquã aqua decurrens. Intendit arcum ſuum donec infirmentur. Sicut cera, quæ fluit auferentur: ſuper cecidit ignis, & non viderunt ſolem. Et iterum: Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam impiorum: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris: Et dicet homo: Si vtique eſt fructus iuſto vtique eſt Deus iudicans eos in terra. *Tomo. 2. lib. 3. aduer: Ruffinum. cap. 11. fol. 262.*

*Prouerb. 10.*
*Prouerb 9.*
*Prouerb. 18.*
*Prouerb. 12.*
*Prouerb. 12.*
*Prouerb. 14.*
*Prouerb. 14.*
*Prouerb. 16.*
*Prouerb. 18.*
*Prouerb. 19.*
*Prouerb. 20.*
*Prouerb. 21. & 23.*
*Prouerb. 25.*
*Prouerb. 26.*
*Prouerb. 27.*
*Prouerb. 28.*
*Prouerb 29.*
*Prouerb. 30.*
*Non eſſe regerenda conuicia et maledicta probatur.*
*Pſalm. 57.*

*Impudici hæretici.*

PRISCILLIANVS in Hiſpania pars Manichæi, de turpitudine cuius te diſcipuli diligunt plurimum, verbum perfectionis & ſcientiæ ſibi temerè vindicantes, ſoli cum ſolis claudãtur mulierculis: & illud eis inter coitum amplexuſque decantant: Tum pater omnipotens fecundis imbribus æther, coniugis in gremium lætæ deſcendit: & omne magnus alit; magno commixtus corpore fœtus. Qui quidem partem habent,

conſidera, quod aliud donum virginitatis ſit, aliud nuptiarum: Si enim eadem eſſet merces nuptiarum, & virginum; nunquam dixiſſet poſt præceptum continentiæ, Sed vnuſquiſque proprium habet donum ex Deo, alius quidem ſic, alius autem ſic. vbi proprietas ſingulorũ eſt, ibi altrinſecus diuerſitas. *Ibid. cap. quarto in medio.*

NOSTI ſermonum proprietates; quamobrẽ & de Epimenide, & de Menandro, & de Arato quædam ſumis teſtimonia, vbi de Continentia loqueris, & virginitate, bonum eſt, ais homini mulierem non tangere: & bonum eſt eis, ſi ſic permanſerint vt ego: & puto hoc bonum eis eſſe propter inſtantem neceſsitatem, & quia bonum eſt homini ſic eſſe. vbi ad nuptias venis, non dicis bonum eſt nubere, quia non potes iungere, quam vri: ſed dices, melius eſt nubere, quàm vri. *Ibidem. ca. 4. in fine.*

*Hæretici cõmunione ſua Catholicos maculant.*

NOBIS autem melius viſum eſt, locum mutare, quam fidei veritatem; ædificiorumq́ue & manſionis amænitatem amittere, quam eorum communione maculari, quibus in præſentiarum aut cedendum, aut certe quotidie non lingua ſed gladijs dimicandum. *Tomo 2. epiſtol. 55. ad Riparium.*

*Hæretici Dei inimici non ſunt fouendi.*

EVERSAM nobilem domum funditus doleo: & tamen, quid in cauſa ſit, ſcire non potui. Neque enim portitor litterarũ noſſe ſe dixit, vnde dolere poſſumus pro amicis communibus, & Chriſti, qui ſolus potens & dominus eſt, & eius clementiam deprecari: licet ex parte Dei mereamur offenſam, qui inimicos domini fouerimus.

*Perſequutiones hæreticorum.*

ET paulò pòſt: Noſtra autem domus, ſecundum carnales opes, hæreticorum perſecutionibus penitus euerſa, Chriſto propitio ſpiritalibus diuitijs plena eſt. Melius eſt enim panem manducare quam fidem perdere. *Tomo. 2 epiſtol. 56 ad Apronium.*

REPERTVS eſt ſæculis noſtris haud grandis homunculus, qui de cunctis eccleſiæ quæſtionibus, vno linguæ rotatu, ſole clarius coruſcaret. Si nemo à te poſtulabat, & tranquilla erant omnia: ſtultè tanta diſputandi voluiſti ſubire diſcrimina. Si iam tunc in ſanctificatione fide loquebaris: ergo non eſt ordinatio presbyteri cauſa diſcordię; quem conſtat multo poſt tempore conſtitutum. fefelliſti abſentes, & litteræ tuæ peregrinis auribus blandiuntur. Nos, hic eramus, cuncta nouimus, quando contra Origenem in Eccleſia tua Papa Epiphan. loquebatur, quando ſub illius nomine in vos iacula torquebãtur. Tu & Chorus tuus canino rictu, naribuſq; cõtractis ſcalpentes capita, delirum ſenem nutibus loquebamini. Nonne ante ſepulchrum Domini, miſſo Archidiacono, præcepiſti, vt talia diſputans conticeſceret? Quis hoc vſquam præsbytero ſuo coram plebe imperauit epiſcopus? Nonne, cum de ἀναστάσει pergeretis ad crucẽ, & ad eum omnis ætatis & ſexus turba confluerct, offerens, paruulos

*Inuidi Hæretici.*

pedes deoſculans, fimbrias vellens, cumq́ue non poſſet promouere gradum, ſed in vno loco vix fluctus vndantis populi ſuſtineret, tu tortus inuidia aduerſus glorioſum ſenem clamitabas: nec erubuiſti in os eius dicere, quod volens & de induſtria moraretur? Recordare, quæſo, illius diei quando ad horam ſeptimam inuitatus populus ſpe ſola, quaſi poſtea auditurus Epiphanium eſſet, detinebatur, quid tunc concionatus ſis, nẽpe contra Antropomorphitas, qui ſimplicitate ruſtica Deum habere membra, quæ in diuinis litteris ſcripta ſunt, arbitrantur, furens & indignans loquebaris: oculos & manus, & totius corporis truncum in ſenem dirigebas, volens illum ſuſpectum facere ſtultiſsimæ hæreſeos. Poſt quam laſſus ore arido, reſupinaq́ue ceruice, ac trementibus labijs conticuiſti: & tandem totius populi vota completa ſunt, quid tibi fecit delirus & fatuus ſenex? ſurrexit, vt ſe indicaret pauca dicturum eſſe, ſalutataq́; & voce & manu eccleſia, cuncta, inquit, quæ locutus eſt collegio frater, ætate filius meus, contra Antropomorphitarum hæreſim bene & fideliter locutus eſt, quæ mea quoq; damnatur voce, ſed æquũ eſt, vt quo modo hanc hæreſim condemnamus, etiam Origenis peruerſa dogmata condemnemus. *Tomo ſecundo epiſtol. 61. ad, Pammachium. Capit. 4. in medio.*

*Antropomorphitarũ hæreſis.*

QVIDNI neceſſe eſt de prophetarũ ſermonibus dicere, quibus ſępiſsimè paſtoribus, & maioribus natu & ſacerdotibus ac Principibus populi comminantur, & arguunt eos? quæ abſque nobis de ſanctis ſcripturis elicere poteſtis, & liquido peruidere, quod forſitan hoc tempus ſit, de quo dicitur: nolite credere amicis, nec ſperetis in principibus, & nunc impleatur vaticinium: Duces populi mei, me neſcierunt; filij ſtulti ſunt, & non ſunt ſapientes: ſapientes ſunt, vt faciant mala, benè autem facere neſciũt: quorum magis miſereri, quàm eos odiſſe debemus, & orare pro illis, quàm eis maledicere. Ad benedicendum enim, & non ad maledicendum creati ſumus. Vnde & Michael, cùm aduerſus diabolum diſputaret de Moyſi corpore, ne tanto quidem malo auſus eſt iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Increpet tibi Dominus. Cui quid ſimile etiam in Zacharia legimus: Increpet tibi Dominus Diabole: & increpet Dominus in te, qui elegit Hieruſalem. Itaque & nos cupimus increpari à Domino eius, qui nolunt cum humilitate à proximis increpari. Dicente autem Michaele: Increpet tibi Dominus Diabole: Et Zacharia ſimiliter: vtrum increpet: an increpet Deus Diabolum, ipſe viderit: & ſi increpat, quomodo increpet ipſe agnoſcat, & poſt multa, prolixum eſt ſcribere, addit: Nos hoc ſentimus, quod eijcientur de regno cælorum, non ſolùm qui grandia peccauerunt: verbi gratia, fornicatores; adulteri, & maſculorum concubitores, & fures: ſed & qui minora deliquerunt; ex eo, quod ſcriptum eſt: neque ebrioſi, neque maledici regnum Dei poſsidebunt: & tam in bonitate, quàm in ſeueritate Dei eſſe menſuram. Vndè cuncta nitimur agere conſilio: in vini quoque potu, & in moderatione ſermonis, & nulli audiamus maledicere. Ergo cùm propter Dei timorem caueamus, in quempiam maledicta conferre, recordantes illius dicti, Non fuit auſus iudicium inferre blaſphemiæ, quod dicitur de Michaele contra Diabolum: & in alio loco: Dominationes quidem reprobant; glorias autem blaſphemant: quidam eorum, qui libenter contentiones reperiunt, adſcribunt nobis, & noſtræ doctrinæ blaſphemiam: ſuper quo ipſi viderint, quomodo illud audiant: neq; ebrioſi, neq; maledici regnum poſsidebunt: li-

*Michææ 7. Hierem. 4.*

*Iudæ. 1. Contra blaſphemias & maledicta hæreticorũ.*

*Zachar. 3.*

*1. Cor. 6.*

*Iudæ 1.*

cet



cet patrem malitiæ & perditionis eorum, qui de regno Dei eijcientur dicant poſſe ſaluari: quod ne mente quidem quis captus dicere poteſt. *Tomo ſecundo libro ſecundo aduerſus Ruffinum capite quinto Fol. 246.*

*Contra maledicta hæreticorum. Lucæ. 3.*

HOC ſolum requiro, ab eximia ſanctitate & cenſura tua, cuius tãta eſt puritas, vt ad ſudaria & ſemicinctia tua dęmones rugiant; cuius exemplũ in ſcribendo ſequaris? quis vnquam Catholicorum in diſputatione ſectarum, turpitudinem ei, aduerſum quem diſputat obiecit? ſic te docuerunt magiſtri tui? talibus inſtitutus es diſciplinis; vt cui reſpondere non potueris caput auferas, & linguam quæ tacere non poteſt, ſeces? nec magno perè glorieris, ſi facias quod ſcorpiones poſſunt facere, & Cantharides. Fecerunt hoc & Fuluia in Ciceronem, & Herodias in Ioannem, quia veritatem non poterant audire; & linguam veriloquam diſcriminali acu confoderunt, canes latrãt pro Dominis ſuis; & tu non vis me latrare pro Chriſto? Scripſerunt multi contra Marcionem Valentinum, Arium. & Eunomium, à quo eius obiecta eſt turpitudo? nonne toti in conuincenda hæreſi incubuerunt? Iſtę machinę hęreticorũ, id eſt, magiſtrorum tuorum ſunt; vt conuicti de perfidia ad maledicta ſe conferant. *To. 2. lib. 3. aduerſus Ruffin. ca. 11. Fol. 262.*

*1. Reg 6.*

*Contra inuidiam, maledicentiam et contumelias hæreticorum*

*Prouerb 3.*

IN vno tibi conſentire non potero, vt parcam hęreticis, vt me Catholicum non probem. Si iſta eſt cauſa diſcordię mori poſſum, tacere non poſſum. Debueram quidem de omni ſcriptura tuæ inſaniæ reſpondere, & diuinis vocibus in modũ Dauid Citharizantis lenire furorẽ pectoris tui: ſed contentus ero vnius libri paucis teſtimonijs, & opponam ſapientiam ſtultitiæ: vt ſi humana contemnis, ſaltem diuina non negligas. Audi igitur, quid de te, & de omnibus inuidis, ac maledicis, & contumelioſis loquatur ſapiens Salomon: Inſipientes, dum iniurijs cupidi ſunt, impij facti oderunt ſenſum. Ne fabriceris in amicum tuum mala. Et ne inimiceris aduerſum hominẽ ſine cauſa. Impij exaltant contumeliam. Circũcide à te os prauum & iniqua labia longè repelle abs te: oculos contumelioſi, linguã iniqui, manus effundentes ſanguinem iuſti, cor fabricans cogitationes malas & pedes feſtinantes ad malefaciendum. Qui nititur mendacio, paſcit ventos, & ſequitur auras volantes: Derelinquit enim vias vineæ ſuæ, & apes culturæ ſuæ fecit errare: perambulat aridum ac deſertum, & collegit manib. ſuis ſterilitatem. Os procacis appropiat contritioni: & qui profert maledicta, ſtultiſsimus eſt. Anima benedicta, omnis ſimplex vir, Animoſus inhoneſtus eſt. Per delicta labiorum incidit in laqueum peccator. Itinera ſtultorum recta in conſpectu ſuo. Stultus eadèm die oſtendit iram ſuã. Abominatio eſt Domino, labia mendacia. Qui cuſtodit os ſuum, ſeruat animã ſuam. Et qui temerarius eſt labijs, terrebit ſe ipſum. Malus cum contumelia agit mala, & inſipiens expandit malitiam ſuam. Quæres apud malos ſapientiam, & non inuenies. Suis itineribus ſaturabitur temerarius. Sapiens timendo declinat malũ. Stultus confidens miſcetur ei. Longanimus vir, multus in prudentia eſt: Puſillanimus valde imprudẽs eſt. Qui calumniatur pauperem, laceſsit factorẽ eius lingua ſapientum bona nouit, & os ſtultorũ pronunciat malum. Vir animoſus parat rixas; & immundus eſt apud Deum omnis, qui exaltat cor ſuum. Manus inferens iniuſtè non erit impunitus. Qui diligit vitam parcit ori ſui. Ante contritionem præcedit contumelia, & ante ruinam mala cogitatio. Qui obfirmat oculos ſuos, cogitat peruerſa & prouocat labijs ſuis omnia mala. Labia ſtulti ducunt eum in mala, & os audax mortem inuocat Malignus vir mala detrimenta patietur. Melior eſt pauper iuſtus, quam mendax diues. Gloria eſt viro qui auertit ſe à maledictis: qui autem ſtultus eſt, talibus ſe obligat. Noli amarè detrahere, ne eradiceris. Suauis eſt homini panis mendacij: poſtea implebitur os eius calculo. Qui operatur theſauros lingua mendacij, vana ſectatur, & veniet in laqueos mortis. In aure ſtulti noli quicquam dicere, ne forte irrideat ſapientes ſermones tuos. Claua & gladius, & ſagitta pernicioſa ſunt: ſic & vir qui contra amicum ſuum dicit falſum teſtimonium. Sicut aues auolant & paſſeres: ita maledictum vanum, non ſuperueniet illi, noli reſpondere imprudẽti ad imprudentiam eius, ne ſimilis ei fias: ſed reſponde ſtulto ad ſtultitiam eius, ne ſibi ſapiens eſſe videatur. Qui inſidiatur amicis ſuis, cum viſus fuerit, dicit: ludens feci, craticula carbonibus & ligna ignis; & vir maledicus ad tumultum rixæ. Si te rogauerit inimicus tuus parcens voce magna, ne conſentias ei: ſeptem enim nequitiæ ſunt in anima eius Grauis eſt lapis, & vix portabilis arena: ſed ira ſtulti grauior vtroque. Crudelis eſt indignatio & acuta ira, & impatiens zelus eſt. Impius calumniatur pauperes: & qui confidit in cordis audacia, ſtultiſsimus eſt. Totam iram ſuã profert inſipiens, ſapiens diſpenſatus in partes. Filius malus gladios dentes habet, & cultros molas; vt conſũat infirmos de terra, & pauperes ex hominibus. His ergo doctus exemplis, nolui mordere mordentem, nec vicem talionis implodere; maluique inſaniam excantare furibundi & vnius libri antidotum venenato pectori infundere. Sed vereor ne nihil proficiens, illud Dauidicum cantare compellar, & his me ſermonibus conſolari: alienati ſunt peccatores à vulna, errauerunt ab vtero: locuti ſunt falſa: furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis: ſicut aſpidis ſurdæ & obturãtis aures ſuas, quæ non audiat vocem incantantiũ & venefici incantantis ſapienter. Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum: molas leonum cõfringet Dominus, ad nihilum deuenient, tanquã aqua decurrens. Intendit arcum ſuum donec infirmentur. Sicut cera, quæ fluit auferentur: ſuper cecidit ignis, & non viderunt ſolem. Et iterum: Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam impiorum: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris. Et dicet homo: Si vtique eſt fructus iuſto vtique eſt Deus iudicans eos in terra. *Tomo. 2. lib. 3. aduer. Ruffinum. cap. 11. fol. 262.*

*Prouerb. 4. Prouerb. 6. Prouerb. 10. Prouerb 9. Prouerb. 18. Prouerb. 12. Prouerb. 12. Prouerb. 14. Prouerb. 14. Prouerb. 16. Prouerb. 18. Prouerb. 19. Prouerb. 20. Prouerb. 21. & 23. Prouerb. 25. Prouerb 26. Prouerb. 27. Prouerb. 28. Prouerb 29. Prouerb. 30.*

*Non eſſe regerenda conuicia et maledicta probauit. Pſalm. 57.*

*Impudici hæretici.*

PRISCILLIANVS in Hiſpania pars Manichæi, de turpitudine cuius te diſcipuli diligunt plurimum, verbum perfectionis & ſcientiæ ſibi temerè vindicantes, ſoli cum ſolis claudãtur muliercul is: & illud eis inter coitum amplexuſq́ue decantant: Tum pater omnipotens fecundis imbribus æther, coniugis in gremium lætæ deſcendit: & omne magnus alit, magno commixtus corpore fœtus. Qui quidem partem habent,

Gnoſticæ hæreſeos, de Baſilidis impietate venientem. *Tomo ſecundo aduerſus Pelagianum ad Cteſiphōtem.*

IDEO creuit veſtra hæreſis, & decepiſtis plurimos, maximeque eos, qui adhærēt mulieribus, & ſciunt ſe peccare non poſſe: quia ſemper docetis, ſemper negatis, & audire meremini illud prō-

*Oſeæ.9.*

pheticum: Gloriam in partubus, & parturitionibus da illis Domine. Quid dabis illis? vuluam ſterilem & vbera arentia. *Ibidem capite quarto in fine.*

*Rom.16.*

*Hæretici blādi adulatores.*

FRVSTRA ſeruis Dei, blanditias & dulcedines reſeruaſti: cùm hoc propriè hæreticorum ſit, & eorum, qui decipere cupiunt, audientes: dicente Apoſtolo: huiuſmodi enim Chriſto Domino noſtro non ſeruiunt, ſed ſuo ventri. Et per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium. Semper inſidioſa, callida blanda adulatio. Pulchreque adulator apud philoſophos definitur, blandus inimicus: veritas amara eſt, rugoſæ frontis, ac triſtis, offenditque corre-

*Gal.4.* *Exod,12.* *1.Cor.15.*

ctos, vnde & Apoſtolus loquitur: inimicus vobis factus, veritatem dicens vobis? & Comicus, obſequium amicos, veritas odium parit. Quapropter & Paſcha, cum amaritudinibus comedimus: & vas electionis docet Paſcha celebrandum in veritate & ſynceritate. veritas in nobis ſit, & ſynceritas; & amaritudo illicò conſequetur. *Tom. 2. lib. 1. Dialogorum aduerſus Pelagium cap. 9. fol. 276. facie 1.*

VERVM eſt illud apud Græcos prouerbium, ὄνος πρὸς λύραν: Ego reor & nomen tibi. κατ᾽ ἀντίφρασιν impoſitum. Nam tota mente dormitas; &

*Blaſphemia Vigilantij.* *Dan.2.*

profundiſsimo non tam ſomno ſtertis quam Lethargo. Inter cæteras quippe blaſphemias, quas ore ſacrilego protuliſti, auſus es dicere: Montē de quo abſciſſus eſt in Daniele lapis ſine manib. eſſe Diabolum, & lapidem Chriſtum: Qui quia aſſumpſit corp⁹ ex Adam, qui Diabolo ante per vitia cohęſerat, natum eſſe de virgine: vt à monte: hoc eſt à Diabolo hominem ſepararet. O præſcindēdam linguam, ac per partes & fruſtra lacerandam. Quiſquam ne Chriſtianus Deum Patrem Omnipotentem in perſonam Diaboli interpretatur, & tanto piaculo totius orbis aures maculet? Si interpretationem tuam quiſquam non dicam Catholicorum, ſed hæreticorum, ſiue Gentilium vnquam recipit: pium ſit quod locutus es. Sin autem tantum nephas nunquam au-

*Eſaiæ.14.*

diuit Chriſti Eccleſia: & per tuum os primum ipſe ſe montem interpretatus eſt, qui dixerat: ero ſimilis altiſsimo: Age pœnitentiam, & in ſacco verſare & cinere: & tantum ſcelus iugibus abſterge lachrymis: ſi tandem tibi dimittatur hæc impietas. Et iuxta errorem Origenis tunc veniam conſequaris, quando conſecutus eſt & Diabolus; qui nunquam plus, quam per os tuum deprehenditur blaſphemaſſe. *Tom. 2. epiſt. 75. ad Vigilantium Fol. 301.*

QVID neceſſe eſt obſidere Propontidem mu-

*Vitam Catholicorum diſcerpunt hæretici.*

tare loca, diuerſas luſtrare regiones; & clariſsimū Chriſti Pontificem eiuſque diſcipulos rabido ore diſcerpere? Si vera loquimini, priſtinum erroris ardorem ardore fidei commutate. Quid maledictorum pannos hinc inde conſuitis; & eorum carpitis vitam, quorum fidei reſiſtere non valetis: cum idcirco non eſtis vos hæretici. Si nos quidem aſſertione veſtra crediderint peccatores; & os impietate fædum non habebitis, ſi cicatricem potueritis in noſtra aure monſtrare? quid iuuat veſtram perfidiam, vel prodeſt pellis AEthiopica, & pardi varietas, ſi in noſtro corpore næus apparuerit? *Tom. 2. epiſt. 78.*

SANCTVS Innocentius presbyter, qui huius ſermonis eſt portitor, anno præterito quaſi nequaquam in Africam reuerſurus, mea ad dignitatem veſtram ſcripta non ſumpſit. tamen Deo gratias agimus, quod ita euenit, vt noſtrum ſilētium, veſtris epiſtolis vinceretis. mihi enim omnis occaſio gratiſsima eſt, per quā ſcribo veſtræ reuerentiæ: teſtem inuocans Deum, quod ſi poſſit fieri, aſſumptis alis columbæ veſtris amplexibus implicarer, ſemper quidem pro merito virtutum veſtrarum, ſed nunc maximè, quia cooperatoribus & auctoribus vobis, hæreſis Cæleſtiana iugulata eſt: quæ ita infecit corda multorum

*Hæretici etiam victi nō cedunt.*

vt cum ſuperatos damnatoſque eſſe ſe ſentiant, tamen venena mentium non omittant; & quod ſolum poſſunt nos oderint, per quos putant ſe libertatem docendæ hæreſeos perdidiſſe. Quod autem quæritis, vtrum reſcripſerim contra libros Anniani, pſeudodiaconi Celedenſis, qui copioſiſsimè paſcitur, vt alienæ blaſphemiæ, verba friuola ſubminiſtrēt; ſciatis me ipſos libros in ſchedulis miſſos à ſancto fratre noſtro Euſebio presbytero ſuſcepiſſe, nō ante multum temporis; & exinde vel ingruentibus morbis, vel dormitione Sanctæ & venerabilis filiæ veſtræ Euſtochij, ita doluiſſe, vt propemodum contemnendos putarem. In eodē enim luto hæſitat, & exceptis verbis tinnulis atq; emendicatis, nihil aliud loquitur. tamen multū egimus: vt dum epiſtolæ meæ reſpondere conatur apertius ſe proderet, & blaſphemias ſuas omnibus patefaceret. Quicquid enim in illa miſerabili ſynhodo Dioſpolitana dixiſſe ſe denegat, in hoc opere confitetur. Nec grāde eſt, ineptiſsimis nęnijs reſpondere. Si autem Dominus, vitam tribuerit, & notariorum habuerimus copiam paucis locubratiunculis reſpondebimus: Non vt conuincamus hæreſim mortuā ſed vt imperitiam atque blaſphemiam eius noſtris ſermonibus confutemus. *Tomo. 2. epiſt. 79. ad. Alip. & August.*

*Hæreticorū aſsidua bella contra eccleſiam.*

MALACHIM, id eſt, regum tertius & quartus liber à Salomone vſque ad Ieconiam, ab Heroboam filio Nabat, vſque ad Oſeæ, qui ductus eſt in Aſſyrios, regnum Iuda & regnum diſcribit Iſrael. Si hiſtoriam reſpicias, verba ſimplicia ſunt. Si in literis ſenſum latentem inſpexeris, eccleſię paucitas, & hæreticorum contra eccleſiam bella narrantur. *Tomo tertio Epiſtola 103. ad Paulinum cap. 7. Fol. 339. fac. 1.*

HAE animæ, quæ necdum pepererunt, ſiue quæ necdum potuerunt, quæ generata ſunt,

*Scandala gignunt.*

alere, cum viderint ſermonem hæreticum ſtantem in eccleſia, citò ſcandalizantur & pereunt, & in tempeſtate atque perſecutionibus permanere

*Ioan.14.*

non poſſunt, præſertim ſi otium habuerint bonorum operum, & non ambulauerint in via, quæ Chriſtus eſt. De hac abominatione hærticæ perverſęque doctrinę dicebat Apoſtolus, quod ho-

*2. Theſ.2.*

mo iniquitatis & aduerſarius eleuet ſe contra omne, quod dicitur Deus, & religio, ita audeat ſtare in templo Dei, & oſtendere ſe, quod ipſe ſit tā-

quam



quam Deus; cuius aduentus ſecundum operationem ſatanæ, & ea quæ concepta ſunt, facit perire obortio, & quæ ſunt nata, ad pueritiam & ad perfectam ætatem peruenire non poſſe. Quamobrē orandus eſt Dominus, ne in exordio fidei & creſcentis ætatis oriatur hyems, de qua ſcriptum eſt:

*Cant.2.*

Hyems tranſijt, imber abijt ſibi, ne otio torpeamus; ſed imminente naufragio, ſuſcitemus dor-

*Matt.8.*

mientem Dominum, atque dicamus: Præceptor ſalua nos perimus. *Tom. 3. Epiſt. 151. ad Algaſiam quæſtione quarta.*

*Blaſphemia Montani retunditur.* *1.Tim.1.* *Prouerb.16.* *Sec. 70.* *Hebr.e.3.* *Ezech.28.*

NEQVE verò (vt Montanus cum inſanis feminis ſomniat) prophetæ in ectaſi ſunt locuti, vt neſcirent quid loquerentur, & cum alios erudirent, ipſi ignorarent, quid dicerent, de quib. Apoſtolus ait: Neſcientes quę loquantur, neque de quibus affirment: ſed iuxta Salomonem, qui loquitur in prouerbijs. Sapiens intelligit quæ profert de ore ſuo, & in labijs ſuis portabit ſcientiā: etiam ipſi ſciebant quid dicerent. Si enim ſapiētes erant prophetæ; quod negare non poſſumus, & Moyſes omni eruditus ſapiētia loquebatur ad Dominū, & Dominus reſpondebat ei: Et de Daniele ad principem Tyri dicitur: Nunquid tu ſapientior es Daniele? Et Dauid ſapiens erat qui

*Pſal.50.*

gloriabatur in Pſalmo: Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi: Quomodo ſapientes prophetæ inſtar brutorum animantium quid di-

*1.Cor.14.*

cerent ignorabant? Legimus & in alio Apoſtoli loco: ſpiritus prophetarū prophetis ſubiecti ſūt, vt in ſua habeant poteſtate quando taceant, quādo loquantur. Quod ſi cui videtur infirmum il-

*Ibidem.*

lud eiuſdem Apoſtoli audiat: Prophetæ duo, aut tres loquantur, & alij dijudicent: Si autē alij fuerit reuelatum ſedenti, prior taceat. Qua ergo poſſunt ratione reticere, cum in ditione ſit ſpiritus, q loquitur per prophetas, vel tacere, vel dicere? Si ergo intelligebant quæ dicebant, cuncta ſapientiæ rationiſque ſunt plena: nec aer voce pulſatus ad aures eorum perueniebat, ſed Deus loque-

*Zach.1.* *Gal.4.*

batur in animo prophetarum. Iuxta illud quod alius propheta dicit: Angelus qui loquebatur in me. Et clamantes in cordibus noſtris, Abba pater. Et audiā quid loquatur in me Dominus Deus. *To. 4. Prœm. in Eſaiam fac. 1.*

*Cant.4.*

ISTOS cordis oculos, & ſponſa habebat in Cāntico Cāticorum: cui ſponſus dicit: Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa: vulneraſti cor meum

*Matt.6.* *Exod.20.*

vno oculis tuis. Et in euangelio legimus, lucerna corporis tui eſt oculus tuus. In veteri quoque dicitur inſtrumento, quod populus viderit vocem Dei. Ex quo Montani deliramenta conticeant, qui in ecſtaſi & cordis amentia prophetas putat ventura dixiſſe: Neque enim videre poterant, quod ignorabant. *Tomo quarto capiet primo Eſaia Fol. 1. fac. 1.*

CAVPONES tui miſcent vino aquam. ]Pro quo Symmachus tranſtulit. Vinum tuum miſtū eſt aqua. Et eſt ſenſus: Lex Dei pura atque ſyncera, & (vt ita dicam) mera veritate ſubnixa: violata eſt traditionibus Phariſæorum: quod Dominus in Euāgelio plenius docet; omiſiſſe eos legem Dei, & ſequi mandata hominum. Omniſque doctor, qui auſteritatem ſcripturarum, per quam poteſt audientes corripere, vertit ad gratiam, & ita loquitur vt non corrigat; ſed delectet audientes, vinum ſanctarum ſcripturarum vio-

*Matt.15.* *Hæretici blādiuntur populo.*

lat, atque corrumpit ſenſu ſuo. Hæretici quoque euangelicam veritatem corrumpunt praua intelligentia, & ſunt caupones peſsimi, facientes de vino aquam: cum è contrario Dominus noſter aquam in vinum verterit, & tale vinum

*Ioan.2. cap.*

quod miretur Architriclinus. *Ibidem Folio quinto facie ſecunda.*

*Gen.11.* *Ex ſuperbia ædificant turrim Babylonis.* *Micheæ.3.*

IVXTA tropologiam contra hæreticos, quidam hoc dictum arbitrētur: Qui cum mouerint pedes ſuos de oriente, veniunt in campum Sennaar: qui interpretatur excuſsio dentium: Et ædificant ciuitatem confuſionis, turrimque ſuperbiæ, & audiunt ſub verbis alijs: Audite hæc duces domus Iacob, & reſidui domus Iſrael, qui abominamini iudicium & omnia recta peruertitis, qui ædificatis Sion in ſanguinibus, & Hieruſalem in iniquitate. Iſti domos domibus, id eſt dogma cō-

*Mich.1.*

iungunt dogmatibus, quibus dicitur per Micheam: Nolite ædificare in domo deriſum: ne ſuper

*1.Cor.3.*

fundamentū Chriſti, quod Apoſt. Paulus poſuit, & in quo debuerant ædificare aurum, & argentum lapides pretioſos, è contrario ædificent ligna, fenum, ſtipulam, quorum finis incendiū eſt. De huiuſmodi domibus ſaluator in euangelio loquitur: Omnis qui audierit verba mea, & non

*Matt.7.*

fecerit ea, aſsimilabitur viro ſtulto, q ædificauit domum ſuam ſuper arenam: Deſcendit pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & cæcidit & fuit ruina domus illius magna. Tamdiu autem quærunt hæretici noua veteribus iungere, & eadem recentioribus immutare, donec & ſenſus humanus & ſermo deficiant. *Tom. 4. lib. 2. Comme. in cap. 5. Eſaiæ Fol. 18. fac. 2.*

QVICQVID autem Aſſyrio dicitur; & ad hęreticorum ſuperbiam & ad Diabolum referri poteſt: qui ſecuris, & ſerra & virga in ſcripturis appellatur, eo quod per illum infructuoſæ arbores ſuccidantur, & diuidatur atque ſerretur incredulorum duritia, & percutiantur virga, qui non recipiunt diſciplinā. hæretici quoque, quorum os in cœlum ponitur & lingua pertranſit in terram, ſenſū, quē à Deo in bonā partē acceperunt; abutuntur in contrarium atque peruerſum vt loquātur contra eum, à quo conditi ſunt; & linguæ

*Blaſphem.*

miniſterium, quo laudandus eſt Dominus, vertant in blaſphemiam. *Tomo quarto lib. 4. Cōm. in ca. 10. Eſaiæ Fol. 38. fac. 1.*

*Superbi.*

SECVNDO hæreticorum deſcribitur ſuperbia: qui in montibus ſe eſſe credentes, eriguntur contra ſcientiam Dei: & iniquitatem in excelsū loquuntur: & ponunt in cælum os ſuum: qui & ipſi habent populos, habent reges, qui deceptum populum deuorant. *Tom. 4. 6. Co. in cap. 13. Eſai. Fol. 63. fac. 1.*

*Matt.13.*

ISTE eſt princeps ſeculi, qui inter ſtellas cęteras mane oriebatur & ſuo vitio de Lucifero veſp. effectus eſt: & non oriens, ſed occidens: qui vulnerabat gentes, ſiue qui mittebat ad gentes ſatellites ſuos: vt oēs ſua fraude deciperet. Iſti ſunt falſi Apoſtoli operarij mendaces qui trāsfiguratur in Apoſtolos Chriſti: qui bono ſemini loliū ſuperſeminant, dormientibus eccleſiarū magiſtris, & nolentibus aut nequeuntibus eorum malitiæ reſiſtere. *To. 4. lib. 6. Co. in cap. 13. Eſaiæ Folio. 67. fac. 1.*

SEMPER iſtiuſmodi lucifer quærit aſcendere ſuper eos, qui habent imaginē cæleſtis: & qui



fulgēt

fulgēt in eccleſia ſicut aſtra Dei: & ſedere in mōte pacti ſiue teſtamenti, id eſt, in eccleſia quæ in ſublimibus collocata eſt: & de lateribus quordā Aquilonis habitores poſsidet. Qui intantum oblitus ſui eſt, vt velit ſuper nubes aſcendere: quib. mandauit Dominus ne pluant ſuper Iſrael imbrem: & ad quas peruenit veritas Domini: cui loquitur & Abdias: Si exaltatus fueris vt aquila, & inter ſidera cæli poſueris nidum tuū, inde te detraham, dicit Dominus. Infelix Iudas, qui quaſi nubes cum alijs Apoſtolis mittebatur, vt plueret ſuper Iſrael imbrem, & quaſi ſtella inter cæteras ſtellas erat, quibus Dominus loquebatur: Luceat lumē veſtrum coram hominibus, vitio ſuò ſuſcepit aſcenſorem diabolum, qui vt ſuperbiæ verba compleret, etiam hoc auſus eſt dicere. Ero ſimilis altiſsimo, vt quomodo Chriſtus habet prophetas & Apoſtolos ſuos, ſic & ego habeam pſeudoprophetas, & pſeudoapoſtolos. Hæc autem omnia referēda ſunt ad Hæreticos, qui cum deorſum ſint cum principe ſuo excelſos ſe eſſe iactant. *To.4.lib.6. Co.in cap.13. Eſaiæ. Fol.67.fac.2.*

*Pſal.35.*

*Lucifer hæreticorū caput.*

QVI poſuit orbem terrarum deſertum: ſiue, vt iuxta Hebraicā, præter LXX. omnes alij tranſtulerunt, quaſi deſertum. Vitijs enim ſuis atque peccatis, orbem qui Hebraicè dicitur תבל fecit eſſe deſertum, vt nullam haberet virtutem, vel eiſdem ſubiaceret vitijs, quibus gentium plena eſt ſolitudo. Vrbes quoque eiuſdem deſtruxit orbis: vt de eccleſijs Chriſti faceret ſynagogas Diaboli: & munditiam veræ fidei hæretica ſorde pollueret. *Tom.4.lib 6. Comment.in cap.13. Eſaiæ Fol.68.fac.1.*

*Tebel.*

*De eccleſijs Chriſti faciunt ſynagogas Diaboli.*

*Hier 31.*

*Epheſ 5.*

*1.Cor 6.*

*Os blaſphemum hæreticorum.*

QVI ergo inebriati ſunt calice Babylonis, & biberint vinum in quo eſt luxuria, & inter cætera vitia propter ebrietatem regnum Dei, iuxta Apoſtolum, non fuerint conſecuti, his præcipitur, vt porta eorum vlulet, clamet ciuitas. Portam hæreticorum, os arbitror quo blaſphemāt. *Tomo quarto libro ſexto Commentariorum in ca.14. Eſa. Fol.70.facie 2.*

QVIS enim hæreticorum non ſuperbus eſt? qui eccleſiaſticam deſpiciens ſimplicitatem, ita habet eccleſiæ homines quaſi bruta animalia, & intantum ſuperbiæ iniuriæque tumore erigitur, vt cōtra ipſum creatorem armet os ſuum, detrahens prophetis eius, quaſi authoritate teſtimonij euangelici in quo ſaluator ait: omnes qui venerunt ante me, fures fuerunt, & latrones adeo vt Moyſen quoque famulum Dei appellet homicidam, & Ieſu filió Naue detrahat, quaſi homini ſanguinario: qui tantæ ſanctitatis fuit, vt ad imperium eius ſermonis ſol lunaque conſtiterint: Et Dauid de cuius ſemine ortus eſt Chriſtus, homicidam & adulterum vocet: Non reſpiciens eius pœnitentiam & manſuetudinē, qua Dei clementia comparatur. Sed quamuis ſuperbus ſit & arrogans & furibundus exultet: tamen plus audet, quam eius patitur fortitudo. Idcirco Moab vlulabit ad Moab, id eſt, alter ad alterum: omnes hæreticorum & ſæcularis ſapientiæ diuerſitates contra ſe mugient, cum in tormentis fuerint. Quam ob rem his qui muros habent non quadris ædificatos lapidibus, de quibus templū ædificatum eſt: & intantum politis, vt malleus & ſecuris non ſit audita in domo Dei: O vos eccleſię magiſtri, vel qui eſtis de Moab errore ſaluati, annunciate plagas ſuas, quibus hæreticorū iaculis vulnerati ſunt. Omnes enim cogitationes eorum, quod ſignificat Eſebon: non ad vrbis dominicæ habitationem pertinēt, de qua ſcriptum eſt: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: ſed ſuburbana ſunt, vt ad vrbē Domini pertinere credantur: quæ ſuburbana, Dei ſunt deſerta præſidio, ſiue diuino igne combuſta, pręcipuè vinea ſabama, quæ interpretatur attollens altitudinem: eo quod in altum ſe erigat, & ſuperbiæ ſuæ turrim vſque ad cælum extruere conetur. *Tom.4.lib.6.Commentariorum in caput.16.Eſaiæ Folio. 73.fac.1.*

*Ioan.10.*

*Ioſue.10.*

*Matt.1.*

*1.Reg.6.*

*Pſal.45.*

*Hæretici ſuperbiæ turrim ad cælū vſque volūt extruere.*

QVODQVE iungitur: Quaſi anni mercenarij: hoc oſtendit quod falſa doctrina pro lucro cūcta faciat atq; compendio. Omnis enim mercenarius, & qui non eſt Paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, cum viderit lupum venientem, fugit, quia mercenarius eſt, & oues ad eum non pertinent. Quamobrem puto aduenam & mercenarium de ſanctis non comedere, nec ſeruis ſanctorum eſſe participes. Non .n. ob dilectionem Domini, ſed ob mercedem cuncta faciunt, qui comedunt domos viduarum, & proprios abducunt greges, vt lanis eorum veſtiantur & lac mulgeāt. Quod de doctrina diximus mercenaria referamus ad cætera. Si præbeo eleemoſinā, vt glorificer ab hominibus, recepi mercedem meā, & mercenarius appellandus ſum. Si caſtum eſſe me ſimulo, & aliud eſt in conſcientia mea: habeo non gloriam mercenarij, ſed ſupplicia peccatoris. Et in comparatione duorum malorum; leuius malū eſt aperte peccare, quam ſimulare & fingere ſanctitatem. *To. 4.lib.6.Commentariorum in.caput.16. Eſaiæ. Folio.74. facie.2.*

*Ioan.10.*

*Exod.12.*

*Auari hæretici.*

*Matt.12.*

*Hypocriſis.*

POSTQVAM de vocatione gentium dictum eſt, de abiectione Iudæorum, & electione eorum qui per Apoſt. crediderunt & poſtea de gentium multitudine & perſecutoribus qui maris fluctibus comparati ſunt: ſequebatur vt de hæreſibus quoque eorum, qui eccleſiam vexauerunt & huc vſque populantur, ſermo propheticus nunciaret: qui dormiente patreſamilias, in agro Eccleſiæ ſuperſeminauerunt zizania: & dicuntur cymbalum, claritatem Dei non habentes, iuxta illud Apoſtoli: Si linguis hominum loquor & angelorum; charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et non ſolum, cymbalum rauco concrepans ſonitu, ſed propter leuitatem ſermonis, hæretici in diuerſa currentis, aliarum cymbalum dicuntur ſiue iuxta LXX. πτέρυγες, πλοίων, id eſt, alæ nauium qui magna mercimonia promittentes, nauigant in ſeculi iſtius fluctibus. Alas autem nauium, vela quibus ſuſpendūtur, & trahuntur, intellige, & pulchrè alas dixit nauium: Omnis enim hęreticus pollicetur excelſa: & cum alas habere ſe iactet, tamen in falſis fluctibus, & procul non recedit à terra: in medioque curſu, patitur repente naufragium, vndē Aquila pro cymbalo vmbram alarum interpretatus eſt: Non enim habent alas, ſed alarum ſimilitudinem. Quodque infert: Quæ eſt transflumina Aethiopię, hoc ſignificat, quod impietate ſua omnes vincant hæretici. verbi gratia dicit Epicurus non eſſe prouidentiam, & voluptatem maximum bonum. Comparatione huius ſceleratior Marcion, & oēs hæretici, qui vetus lacerant teſtamentum. Cum enim recipiant prouidē-

*Matt.13.*

*1.Cor.13.*

*Impietas hæreticorum.*

tiam,



tiam, accuſant creatorem: & aſſerunt eum in pleriſq; operibus erraſſe, & non ita feciſſe vt facere debuerat. Ad quam enim vtilitatem hominum ſerpentes, ſcorpios, crocodilos, & pulices, cyniceſque & culices pertinere, iſti ergo transflumina Aethiopiæ ſunt: & mittūt in mari huius ſeculi legatos, id eſt, diſcipulos ſuos: Qui eorum portentes volumina rectè, vaſa papyri, id eſt, chartatia, ſuper aquas portare dicuntur, quæ delentur velociter. Sicut enim libri, iuxta aquas & humores cito obſcurantur, delentur, & pereunt: ita ſermo eorum atque doctrina cum in principio aliquam viſa fuerit fortitudinem poſsidere, pertranſit & labitur. Itaque dicitur per Ironiam ad eos, Angeli hæreticorū, ite veloces, quos beatus Apoſtolus Paulus falſos Apoſtolos operarios fraudulentos, qui in Apoſtolos Chriſti tranſfigurentur appellat. Et ite ad gentem auulſam & laceratam. Auulſam à Deo & hæreticorum morſibus laniatam. Ad populum horribilem: Nihil enim horribilius blaſphemia, quæ ponit in excelſum os ſuum. poſt quem non eſt, alter populus: omne quippe peccatum comparatum blaſphemiæ leuius eſt gentem expectantem, expectantem & conculcatam. Nam omnes hæretici ſibi cæleſtia repromittunt & pollicentur ingentia: & tamen à dæmonibus conculcantur. Cuius terram diripuerunt flumina, quę non de cælo habent aquas ſed de terra. Quis enim angulus eſt, quæ extrema ſolitudo terrarum, ad quam non turbidus hæreticorum ſermo perueniat? Itaque omnes qui habitant, & morantur in Orbe terrarum, ad hæreticorum ſignum, quod quaſi in mōtibus eleuatum eſt, erigunt oculos ſuos & clangorem tubæ, id eſt, doctrinę eorum audiunt: hęc iuxta Hæbraicum: cæterum ſecundum LXX. plāguntur alæ hæreticorum, quæ inſtar nauium per mare huius ſeculi volitant, & impietatem ſuperant ethnicorum, quos nunc Aethiopes ſcriptura cognominat: & dicitur ad doctrinam eorum, atq; ſermonem: Qui mittis in mari huius ſeculi libros, obſides, peruerſitatis tuæ, & epiſtolas ad decipiendos eos, qui lecturi ſunt: Pergunt nuntij leues, ad gentem excelſam & peregrinum populum & peſsimum. Nullus enim Eccleſiaſticorum tantum habet ſtudij in bono, quantum hæretici in malo: & in eo ſe lucrum putant conſequi ſi alios decipiant, & ipſi perditi cæteros perdunt. Gens autem vocatur excelſa propter ſuperbiam & peregrina, & peſsima, quia aliena à Deo eſt. verè gens ſine ſpe & conculcata: cuius flumina in tota terra mutantur habitationem Eccleſiæ, vt inueniant ſibi hoſpitium & regionem, in qua eleuent ſignum doctrinæ ſuæ, in qua ſcripturarum clangant tuba. *Tom.4.libro 7.capite 18. fol.77. fac.1.*

*2.Cor.11.*

*Blaſphemiæ grauitas.*

NOTANDVM quod pro lacunis LXX. ζυθεσ trāſtulerint: quod genus eſt potionis ex frugibus aquaque confectum: & vulgo in Dalmaciæ Pannoniæque prouincijs gentili barbaroque ſermone appellatur ſabaium: hoc maximè vtuntur Aegyptij, vt non puras aquas bibentibus tribuant, ſed turbidas & commiſtarum fecium ſimiles: vt per huiuſcemodi potionem hæreticæ prauitatis doctrina monſtretur. Tunc ſtulti erunt principes Taneos, quæ interpretatur mandatum humile, Omnes enim hæretici contrariam altitudini humilitatem docent, & detrahunt ad inferos, & sūt principes humilis deiectiq; mādati. Conſiliarij quoque Pharaonis, qui rex Aegypti eſt, & rectè diſsipator, & diuiſus & in varias partes ſeparatus exprimitur: inſipiens arguētur dediſſe conſilium, quando diſperderit Dominus ſapientiam ſapientium, & intelligentiam prudentium. reprobauerit. *Tom.4.lib.7.Com.in ca. 19.Eſaiæ fo.79.fac.1.*

*Potio hæretica prauitatis*

*1.Cor.1.*

TRANSEAMVS ad allegoriam, ſecundum expoſitionem Oſeæ Prophetę, in quo Ephraim, & Ioſeph, & Samariam, & decem tribus, quæ ſciſſæ ſunt à corpore duodecim tribuum & templū Domini, reliquerunt retulimus ad Hæreticos qui verè iuxta LXX. editionem corona iniuriæ ſunt, Dominum blaſphemantes & omnia mercedis cauſa faciunt, & de gloria Domini conciderunt, nec ſequuntur tenuitatem mannæ & humilitatem Eccleſiaſticam, ſed in monte pinguiſsimo verſantur ebrij abſq; vino. Propterea fortis & durus furor Domini, qui eos puniturus eſt grādini præcipiti, quæ nō in tecta ſed in capita mortalium ruit, & multarum aquarum inundationibus comparatur, quæ quicquid obuium inuenērint, trahunt. Hęc corona iniuriæ mercenarij appellantur Ephraim, qui iuxta Apoſtolum turpis lucri gratia, de flore & ſpe ac gloria priſtinæ fidei corruerāt & verſantur in ſuperbia & dulciſſimus cibus diaboli ſunt, qui eos quotidie deuorat. *Tom.4.libro.9. Commentariorum in cap.28. Eſaiæ. fol.101 fac.2.*

*Oſeæ 4. & inde.*

*Auari & blaſphemi.*

*1.Pet.5.*

PORRO iuxta Tropologiam, priorem ſequāmur intelligentiam nec intactos LXX. interprētes relinquamus, hæreticis enim ore Diaboli deuoratis, qui montē ſuperbię pinguiſsimum conſcenderunt: Dominus erit corona gloriæ, his qui in eccleſia commorantur, & ad multitudinē plurimorum errantium comparati, parui ſunt numero. *Ibidem.fol.102.fac.1.*

SECVNDVM Tropologiam, omnes hæretici mendaces filij appellantur. Ex nobis.n. exierunt ſed non fuerunt ex nobis: qui non audiunt interioris hominis auribus legem Dei, & Eccleſiarum loquuntur magiſtris: Nolite nobis videre quæ recta ſunt nec gehennæ flammas comminemini, ſed promittite nobis regna cęlorum: vt poſt luxuriam, & dælitias, pandatur nobis paradiſus. Quid mihi oſtendis viam Domini, per quā nō libēter ingredior? Quid replicas nomen ſācti Iſrael ſiue verbum Iſraelis, quod mei pectoris arcana non penetrat? Quod quidem, & ad populum Eccleſiæ dicitur negligentem ſi auerſetur auſteritatem magiſtrorum, & adulatoribus faueat. *Tom.4.lib.9.commentariorum in cap.30. Eſaiæ. Fol.111.*

*1.Ioan.2.*

*Mendaces Guloſi.*

HAERETICI loquuntur contra Dominum mendacium & peruertunt animas eſurientes atque ſitientes & vacuas abire faciunt: vt etiam ſi quid naturaliter boni habeant, magiſtrorum amittant vitio, quorum omne conſilium eſt: vt perdant humiles iniquis ſermonibus & diſsipēt verba humilium in iudicio. *Tom.4.lib.10. Com. in cap.32. Eſaiæ Fol.118.fac.1.*

ET omnis vox ſurget contra te in iudicium, omnes eos vinces. vaſa iniquitates vocem habent, quæ vox ſurgit contra Eccleſiam, quando ponunt hæretici in excelſum os ſuum & lingua eorum pertranſit ad terram. *Tom.4.lib.15.Com. in cap.24. Eſaiæ.Fol.178.fac.2.*

*Idololatræ.* *2. Tom. 3.*

HAERETICI dimiſſo cultu Dei errorum ſuorum ſimulachra venerantur, & illis offerunt victimas ac libamina effundunt: facientes abſconditè quod turpe eſt etiam dicere, & captiuas ducẽtes mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs deſiderijs: ſemper diſcentes & nunquam ad ſc.entiam veritatis peruenientes. Cum igitur iſta in vtraque impietate faciant impij: nonne iuſtum eſt Dei contra eos iracundiam prouocari. *Tom. 4. lib. 16. Commentariorum in cap. 57. Eſaiæ Fol. 186. fac. 2.*

OMNIS hæreticus ad iracundiam prouocat Dominum & in falſitate dogmatum ſuorum offert immunda ſacrificia: nequaquam firma & manſura perpetuo ſed inſtar hortorum ad breue virentia, carnis delitijs prouidens. Cui dicitur omnis caro fœnum &, omnis gloria eius quaſi flos fœni. Aruit fœnum &, flos decidit verbum autem Domini quod in Eccleſijs prædicatur, permanet in æternum. Hos hortos ex vinea ſua nolens fieri Naboth, Achab impijſsimo regi ſanguinem fundit. Neque enim congruum erat vt paterna periret hæreditas. Et exciſis vineis, quæ afferunt fructum, qui lætificat cor hominis: in loco virtutum deliciarum, atque vitiorum holera naſcerẽtur. fertur ſapientiſsimi apud Græcos merito celebrata & laudata ſentẽtia: Qui omnes ſæculi voluptates, & pompam mundi atque luxuriam celeriter tranſeuntem hortos Adonidis vocat. Sacrificant quoque hæretici ſuper lapides, quando errores ſuos & exquiſita mendacia, dialectica nituntur arte firmare, & in quadrum extruere, & εγκονίοις, vt aiunt, γράμμαισ id eſt, ſecti in latere pulueris atque deſcripti lineis roborare. Quod autem in ſeptuaginta legitur: Dæmonibus qui non ſunt, & in hebraico non habetur, illo ſenſu accipiendum eſt: quod iuxta litteram & iuxta ſpiritum, nec dæmonia ſubſiſtant, quia iam à Deo qui verè eſt exciderunt, nec ſectæ hæreticorum quæ nullam retinent veritatem, ſed in vmbrarum ſimilitudinem tranſeũt atque intereunt. vnde & Heſter loquitur ad Dominum: Ne tradas hęreditatem tuam his qui nõ ſunt. Et ſanctus precatur in Pſalmo: Ignoſce mihi vt refrigerer, priuſquam abeam & vltra non ſubſiſtam. Qui enim dum in hoc viuit corpore. veniam peccatorum non fuerit ſecutus, & ſic de via exceſſerit, Deo perit, & eſſe deſiſtit, licet ſibi ſubſiſtat in pœnis. *Tom. 4. lib. 18. Com. in cap. 65. Eſa. Fol. 215. fac. 1.*

*Naboth typ⁹ veri Catholi ci qui non vult vineã Eccleſiæ amittere.*

*Sectæ nullã retinent veritatem. Heſt. 14. ca.*

*Eccleſiæ puritatem ſua polluunt turpitudine hæretici.*

TANTA enim fuit libido Aegyptiorum qui ſunt magnis carnibus, vt nulli parcerent membro, ſed omnia conſtuprarent. Iuxta literam refertur ad Idola Aegyptiorum, iuxta intelligentiã ſpiritalem ad magiſtros peruerſi dogmatis, qui eccleſiæ puritatem, ſua pollunt turpitudine. Hæc autem idcirco eueniunt ei quia dereliquit Dominũ Deũ ſuum & illo maximè tempore, quo ipsũ ductorem ſequi debuit. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 2. Hierem. Fol. 234. fac. 1.*

VTAMVR hoc teſtimonio aduerſus eos qui fidem Domini relinquentes, & hæreticorum erroribus præpediti, poſt multas fornicationes & deceptiones animarum ſimulant ſe reuerti ad priſtinam veritatem, non vt deponant venena pectoris, ſed vt cæteris inſinuent. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 3. Hieremiæ. Fol. 236. fac. 2.*

AD aquilonem & contra Babilonem atq; Aſſyrios ſermo dirigitur, ad decẽ & duas tribus, & earum reuerſio prædicatur. Et non auertã faciẽ meã, inquit, à vobis: ſiue non firmabo faciẽ meã cõtra vos vt nequaquam vos auſteritate iudicis, ſed vultu miſericordiæ ſuſcipiã: Sanctus enim & miſericors ſum: vt nõ recorder vltra iniquitatis veſtræ nec meminerim quod à Domino receſsiſtis & pro illo vos Idola delectarint, & fornicatę ſitis ſub omni ligno vmbroſo atque frondoſo. Quod quidem ad hæreticos & in Eccleſia negligentes dici poteſt qui quotidie per Eccleſiſticos viros ad pœnitentiam prouocantur, & quib. propriè aptari poteſt & vocem meã nõ audiſtis. Omnis autem hæreticus habitat in Aquilone, & calorem fidei perdidit, nec audire poteſt illud Apoſtoli: ſpiritu feruientes. Et quia ſe voluptatib. tradidit receſsit à Domino, & diſperſit vires ſuas alienis dogmatibus, & voluptatẽ ſecutus eſt, nulla enim hæreſis, niſi propter gulam ventremq; conſtruitur, vt ſeducat mulierculas oneratas peccatis ſemper diſcentes: & nunquã ad ſcientiã veritatis peruenientes, de quibus verè dicitur. Qui deuorant populũ meum velut eſcam panis, & quos Chriſtus notat, deuorantes domas viduarum. *To. 4. lib. 1. Com. in cap. 3. Hierem. Fol. 237. fac. 2.*

*Calorem fidei perdiderunt hæreticȇ Rom. 12.*

*2. ad Tim. 3.*

*Gulæ et ventris cauſa hæreſes extruũtur. Pſal. 13. Matth. 12.*

*Ioan. 14.*

QVIS eſt, quem Diaboli venena non tangãt, niſi ille ſolus qui poteſt dicere: Ecce venit princeps mundi iſtius & inuenit in me nihil: Iſte crebro ponit omnem terram Eccleſiæ in ſolitudinẽ vt egreſsi de Eccleſia pugnent contra Eccleſiam. De quibus loquitur Ioannes Euangeliſta: Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis: Si enim fuiſſent ex nobis permanſiſſent vtiq; nobiſcum. Ciuitates vaſtantur terræ Iudęæ, & hæreticorum florent conciliabula. Si quis ergo fautor & auctor eſt peruerſorum dogmatum, de hoc dici poteſt: Aſcendit Leo de cubili ſuo, & prædo gentium ſe leuauit & reliqua. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 4. Eſaiæ Fol. 239. fac. 2.*

*Ioan. 2.*

*Prouer. 4. Hypocritæ hæretici.*

OMNIS hæreticus, qui corda vulnerat audientium, & neſcientium ſcriptũ: Omni cuſtodia ſerua cor tuum: ſagittam poſsidet vulnerantem, & in dolo loquitur. Cumq; ore ſuo pacẽ proximo repromittat, occultè tendit inſidias. *Tom. 4. lib. 2. Com. in cap. 9. Hierem. Fol. 251. fac. 2.*

LERNAEVM anguem fabulæ ferunt, multis ex medio capite pullulaſſe ſerpentibus & Scyllam ſicuti monſtrũ freti facie quidem virginali, ſed ſuccinctam carnibus miſerorum laceraſſe naufragia, iuncto in eodem littore, Sirenarum mortifero carmine: Quę vt vitaret Vlyſſes Homericus clauſiſſe aures dicitur. et malum inexuperabile, prudenti vitaſſe conſilio. hoc ego cum facere cuperem & hæreticorum rabiem declinarem iuxta Hiſmeniam, mihi canens & meis, illud propheticum reuoluerem: cum conſiſteret aduerſum me peccator, obmutui & ſilui de bonis: Non eſt paſſus Diabolus me optata quiete contentum ſcripturarum ſanctarum explanationi inſiſtere & hominibus linguæ meæ Hæbreorum Græcorumque eruditionem tradere: ſed id agit diebus & noctibus, & apertè, & per inſidias veris falſa miſcendo, immo vniuerſa mendacia ſubdolo melle circumlinens: vt qui audit verborum dulcedinem, venena pectoris non formidet: pacem pollicetur, vt grauiora bella exerceat, ridet, vt mordeat, manum offert vt ex improuiſo ſimplicem interficiat Abner.

*Pſal. 38.*

*Hieronymus ſacras literas interpretatur.*

*2. Reg. 3.*

Nimi-



Nimirũ hoc illud eſt, quod & Apoſtolus loquebatur: non enim eius ignoramus aſtutias. Hic tacet, alibi criminatur: mittit in vniuerſum orbem Epiſtolas biblinas, prius auriferas, nunc maledicas, & patientiam noſtram de Chriſti humilitate venientem, malæ conſcientiæ ſignum interpretatur: Ipſeq; mutus latrat per alpinum canem grandem & corpulentum & qui calcibus magis poſsit ſæuirę quam dentibus: habet enim Progegiem Scoticæ gentis de Britãnorum vicinia: qui iuxta fabulas poëtarũ inſtar Cerberi ſpirituali ꝑcutiendus claua, vt æterno cum ſuo Plutone ſilentio conticeſcat. *Tomo quarto libro 3. Commentari. Hieremiæ in proœm.*

*2. Cor. 2. Eſai 18. Sec. 70.*

*Hæretici latrãtes canes.*

QVIS hæreticorum, atq; errantium non maledicit Chriſto peruerſa credendo, & peruerſiora blaſphemans. *Tom. 4. lib. 3. Com. in cap. 15. Hiere. Fol. 264. fac. 1.*

MVLTIS & de toto huc orbe confluentium turbis, & ſanctorum fratrum, monaſterijq́; curis occupatus commentarios in Hieremiam per interualla dictabam vt quod deerat otio, ſupereſſet, induſtriæ: cum ſubito hæreſis Pythagoræ & Zenonis ἀπαθείας καὶ ἀναμαρτησίας, id eſt impoſſibilitatis & impeccantiæ, quæ olim in Origene, & dudum in diſcipulis eius Grunnio, Euagrioque Pontico, & Iouiniano iugulata eſt, cæpit reuiuiſcere & non ſolum in occidentis, ſed & in orientis partibus ſibilare, & in quibuſdam inſulis, præcipueque Siciliæ & Rhodi, maculare pleroſque & creſcere per dies ſingulos, dum ſecretò docent, & publicè negant: Cui reſpondere, diu tacens, & dolorem ſilentio deuorãs crebra fratrum expoſtulatione compulſus ſum: nec tamen huc vſq; prorupi, vt auctorum nomina ponerem: mallens eos corrigi quàm infamari. Nec enim hominũ ſed erroris amicus ſum: qui mihi vt vicẽ talionis & genuinũ ſui doloris illiderent: veteres magiſtrorum ſuorum calumnias concinnantes, intantum elingues & miſeri demonſtrati ſunt, vt ne maledicere quidem ſuis verbis potuerint. Quorum tunc temporis editis aduerſus eos libris, næniæ confutatæ ſunt: quos qui legere voluerint, liquidò peruidebunt, canes eos iuxta Eſaiam eſſe mutos, qui latrare neſciant, habentes quidem voluntatem, & rabiem mentiendi, ſed artem fingendi & latrandi non habentes. Quibus loquar compendio: Aut bona ſunt, quæ docetis aut mala, ſi bona: defendite liberè: ſi mala, quid occultè miſeros iugulatis errorre: Rectæque fidei ad decipiendos ſimplices quoſq; iactatis expoſitionem? quę ſi vera eſt, cur abſconditur? ſi falſa, cur ſcribitur? rogo quæ eſt iſta inſania? præcipiente Apoſtolo vt parati ſimus ad ſatisfaciendum omni poſcenti nos rationem de ea, quæ in nobis eſt ſpe: & propheta clamante: loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu Regum, & non confundebar: Iſti publicum fugiunt & ſuſurrant in angulis perditorum, dolentque quaſi pro ſuis, quæ ſua metuunt confiteri. Cumque generaliter aduerſum vitia quid & hæreticos dixerimus, ſe peti queruntur, malumq́; conſcientiæ diſsimulata diu indignatione pronunciant. Quod ſi cauendum nobis eſt ne vererẽ videamur lædere neceſsitudinem ſi ſuperbiſsiſimam hæreſim ſpirituali mucrone truncemus: Ergo ſuſtinendæ erũt nobis cruces proditæ fidei & dicendum cum propheta: verſatus in miſeria dum mihi infigitur ſpina. Quin potius audiant illud Apoſtolcium, obedire magis Deo oportet quam hominibus. Et iterum: Si hominibus placerem Chriſti ſeruus non eſſem. *Tom. 4. in proœm. lib. 4. Com. in Hierem.*

*Libros contra Pelagianos intelligit*

*Eſaiæ. 56. Dilemma.*

*1. Petri. 3.*

*Pſal. 118.*

*Fides nõ prodenda ſed defendenda.*

*Pſal. 31.*

*Act. 5. Gal. 1.*

*Calumniatores hæretici.*

ET dixerunt: venite & cogitemus, &c.] iſta & tunc Iudęorum contra Hieremiam ſiue Dominum ſaluatorem, & hodie hæreticorum contra ſeruos eius cogitatio eſt, vt calumnias ſtruant, & ſanctos viros accuſatione præueniant: nec cogitent quod illi veritatẽ loquantur, ſed quod illi ſtruant mendacia: iactant enim in ſacerdotibus, & in ſapientibus & in pſeudoprophetis ſuis, legem & conſilium Dei, & eloquium permanere: dicente ſcriptura: In peruerſam animam non intrabit ſapientia. *Tom. 4. lib. 4. Com. in cap. 18. Hieremiæ fol. 27[illegible]. fac. 1.*

*Sap. 1.*

*Perſecutiones patiuntur Doctores ab hæreticis.*

SED & plerique doctorum in Eccleſia vſque hodie ſimilia ſuſtinent: audientes vituperationẽ multorum congregatorum aduerſum ſe in circuitu atque dicentium perſequimini & perſequamur eos. *Tomo. 4. lib. 4. Com. in cap. 20. Hiere. fol. 274. fac. 1.*

SOLEO in commentarijs, & explanationibus, quorum mos eſt diuerſas ſententias ponere interpretum, huiuſcemodi miſcere ſermonẽ: quidã hoc dicũt, alij hoc autumant, nonnulli ſic ſentiũt, Quod & ipſe miſerabilis Grũnius, & poſt multos annos diſcipulus Iouiniani, & illius calumniati ſunt, & calumniantur me ſub alienis nominibus proprias ſententias ponere: quod ego cauſa beneuolentię facio ne aliquem certo nomine videar lacerare. Quia & igitur benignitas eſt verſa in calumniam: nunc dico & illi, qui mortuus eſt, & iſti, qui viuit, & hæreſim illius inſtaurare conatur magiſtrum eorum Origenem hunc locum referre ad Chriſtum: quod de manu Dei Patris inſtar anuli auulſus ſit, & miſſus in terram captiuitatis: in vallem lachrimarum: crucique traditus matrem quoq; eius haud dubium quin ſynagogam captam atq; proiectam, & non pertimeſcit iſta commemorans, hoc quod ſequitur Terra, terra, terra, audi verbum Domini, hęc dicit Dominus: Scribe virum iſtum abominatum ſiue ſterilẽ & reliqua: intelligere de Domino maieſtatis. Scribit autem hoc ne diſcipuli eius negare audeant in quinto ſtromatum libro. *Tomo quarto libro quarto Commentariorum in ca. 22. Hierem. Fol. 278. fac. 1.*

*Grũnio diſcipulo [illegible] calumniati [illegible] di Hieronymianam reſpondet.*

*Loquuntur hæretici per dæmonem.*

HAERETICI quicquid loquuntur in Eccleſia ſiue extra Eccleſiam, vt ſupplantent populũ Iſrael, qui prius cernebat Deum loquuntur in dęmonibus. Vnde, & ſignificanter ait: Et in prophetis Samariæ vidi ſtultitiam: non enim habet eum, de quo dicitur Chriſtus Dei virtus & Dei ſapientia. *Tomo quarto libro 4. Comment. in cap. 23. Hierem. Fol. 280. fac. 1.*

*Hæretici famoſos libellos ſpargunt.*

VTAMVR hoc teſtimonio aduerſus eos, qui Epiſtolas plenas mendaciorum & fraudulentiæ, atque periurij in orbem dirigunt, vt & aures polluant audientium, & exiſtimationem ſimplicium lædant, quod impleatur in eis hoc, quod ſcriptum eſt à prophetis, Hieruſalem eſt egreſſa pollutio in omnem terram. Non enim eis ſufficit iniquitatem propriam deuorare, & proximos lædere: ſed quos ſemel oderunt per vniuerſum orbem infamare conãtur, & vbiq; ſeminare blaſphemias. *Ibid. fac. 2.*

CON-

*Hæreticorũ vita delicata & voluptaria.*

CONTEMPLEMVR hæreticos, quo modo ſemel deſperantes ſalutem, gulæ ſe tradunt, & delicijs: veſcantur carnibus, frequenter adeant balneas: muſco fragrent, vnguentis varijs, delil uti quærunt corporum pulchritudinem. Semel enim futura non ſperant, neque credunt in reſurrectionem. Quod cum ſermone non pandunt, oſtẽdunt operibus. Si enim crederent, iſta non facerent. *To. 4. li. 4. Com. in. cap. 23. Hierem. fol. 281. fac. 1.*

*Blandiuntur auditoribus hæretici.* *2 Tom. 3.*

ET pulchrè doctrina peruerſa paleis comparatur: quæ medullam non habẽt, nec poſſunt nutrire credentium populos, ſed de manib. ſtipulis conteruntur. Et quia ſolent hæretici ſẽper proſpera polliceri, & cœlorum regna peccatoribus pãdere: vt dicant parata ſunt tebi regna cœlorum: poteſt imitari maieſtatem Dei, vt abſque peccato ſis. Accepiſti enim liberi arbitrij poteſtatem, & legis ſcientiam, per quam conſequaris, quod volueris: dicipiuntq; blanditijs miſeros, & maximè mulierculas oneratas peccatis: quæ circumferuntur omni vento doctrinæ: ſemper diſcentes & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes: & omnes auditores ſuos adulatione decipiunt. Iccirco Dominus verba ſua hæreticorum paleis, comparans dicit. Nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis dicit Dominus: & quaſi malleus conterens petram? Meus enim, inquit, ſermo nunciat futura ſupplicia, vt deterreat homines à peccãdo & paleis peccatorum comminatur incendium, vt hæreticorũ corda dura, & inſtar ſilicis indomabilia, ſermonis ſui malleo conterũtur: auferens cor lapideum, vt ponat pro eo cor carneum: molle videlicet, & quod poſsit Dei ſuſcipere, & ſentire præcepta. Tale quid & per Ezechielem Dominus loquitur: quod pſeudoprophetæ blanditijs ſuis liniant parietem abſque temperamento, qui poſtea imbre vehementi, & veritate Iudicij ſubruatur. Et pſeudoprophetæ coſuant ceruicalia ſub omni cubito manus: vt faciant peccatores requieſcere, & nequaquam iram Dei lachrymis mitigare. Pro malleo LXX. ſecurim interpretati ſunt: illã videlicet de qua baptiſta Ioã. loquitur. Iam ſecuris ad radices arborũ poſita eſt. hæc ſecuris infructuoſas ſuccidit arbores, & hic malleꝰ cõterit duriſsimos lapides: vnde & Nahum propheta loquitur: furor eius, haud dubium, quin Dei, conſumet principatus & conterentur ab eo. hoc contra hæreticos. Cæterum de eccleſiaſticis viris ſcriptum eſt, quod malleus & ſecuris non ſint audita in domo Domini. *Tom. 4. lib. 4. Com. in cap. 23. Hieremiæ. Fol. 281. fac. 2.*

*Verba hæreticorũ paleæ.* *Ezech. 13.* *Matt. 3.* *Nahum. 1.* *3. Reg. 6.*

AIVNT hos eſſe presbyteros, qui fecerint ſtultitiã in Iſrael & mæchati ſunt vxores ciuium ſuorum: quorum vni loquitur Daniel: inueterate dierum malorum, & alteri: Semen chanaan, & non Iuda? ſpecies decepit te, & concupiſcentia ſubuertit cor tuum: Sic faciebatis filijs Iſrael, & illi metuentes loquebantur vobiſcum: ſed non filia Iuda ſuſtinuit iniquitatem veſtram. Quodque propheta nunc loquitur, & locuti ſunt verbum in nomine meo mendaciter, quod non mãdaui eis: illud ſignificari putant, quod miſeras mulierculas, quæ circunferuntur omni vento doctrinæ, ſic deceperint, quod dicerent eis, quia de tribu erant Iuda, Chriſtum de ſuo ſemine eſſe generandum: quæ illectæ cupidine, præbebant corpora ſua quaſi matres futuræ Chriſti. Sed illud quod in præſentiarum dicitur: quos frixit rex Babylonis in igne, videtur Danielis Hiſtoriæ contraire. Ille enim aſſerit, eos ad ſententiam Danielis à populo eſſe lapidatos: Hic vero ſcriptum eſt, quod frixerit eos Rex Babylonis in igne. Vnde & à pleriſq; ac penè omnibus Hebræis ipſa quaſi fabula non recipitur, nec legitur in ſynagogis eorum: Qui enim inquiunt fieri poterat vt captiui lapidandi principes & prophetas ſuos haberent poteſtatem? Et magis hoc eſſe verum affirmant, quod ſcribit Hieremias cõuictos quidem eſſe præsbyteros à Daniele, ſed latam in eos ſententiam à Rege Babylonis: qui in captiuos vt victor & Dominus habebat imperium. Quanti & de noſtro grege ſimiles Achab, & Sedechiæ prophetant in nomine Domini mendacium, & faciunt ſtultitiam in Iſrael: & mœchantur vxores ciuium ſuorum, qui in eadem Eccleſiæ sũt vrbe generati? quos verus Nabuchodonoſor friget in igne peccati dicente Oſee propheta: Omnes adulterantes, quaſi clibanum ſuccenſus à coquente. Felix qui tollit iugũ ab adoleſcentia ſua & ſedet ſolus, quia amaritudine repletus eſt: poteſtque dicere cum Dauid: Non ſedi in concilio malignantium: & cum iniqua gerentibus non introibo. *Tom. 4. lib. 5. Com. in cap. 29. Hieremiæ fol. 293. fac. 2. in fine.*

*Daniel. 13.* *Praxis impudica hæreticorum ſub prætextu pietatis.* *Hiſtoria Suſannæ non eſt in canone Hebræorũ.* *Impuri hæretici.* *Oſeæ 7.* *Thren. 3.* *Pſal. 25.*

QVIA Hieremias ad eos, qui erant in Babylone litteras miſerat, dicens: ædificate domos & habitate & plantate hortos, & comedite fructus eorum accipite vxores, & generate filios. Et poſt alia iunxerat. Non vos ſeducant prophetę veſtri, qui ſunt in medio veſtri & diuini veſtri. ac deinde quia iſti falsò prophetant vobis in nomine meo, & non miſi eos, dicit Dominus: intelligens Semeias, ſub communi nomine pſeudo prophetarum contra ſe ſcriptum: mittit litteras Hieruſalem ad Sophoniam filium Maaſię ſacerdotem, & ad reliquos ſacerdotes contra Hieremiam: quare non increpetur à Sophonia ſacerdote, cuius officium eſt diſcernendi inter prophetas, qui ſpiritu ſancto loquantur, qui contrario: & recludi iubeatur in carcerem, vt mendacij ſui pœnas luat, & populũ vltra ſubplantare deſiſtat. Ioiade ſacerdos fuit, qui Ioias poſt interfectionẽ Athaliæ imperium tradidit, & interfecit ſacerdotes Baal. Hoc eſt ergo, quod ſcribit: Quare non imitaris Ioiadem ſacerdotem, & interficis Hieremiam pſeudoprophetam? Dominus enim te pro Ioiade conſtituit, vt habeas curam templi & precipuè diſcernas, qui ſancto ſpiritu loquantur qui Dæmoniaco. diſcretiones autem ſpiritum diuinæ eſſe gratiæ & Apoſtolus memorat. Cur inquit, non increpuiſti Hieremiam Anathotitẽ? quod ipſe merabatur, quaſi pſeudo propheta, refert in prophetam & præuenit mẽdatio veritatem nudo & prudentiores putantur filij tenebrarum filijs lucis, in generatione hac. Nobiſque agẽtibus patienter, & expectantibus miſerorum ſalutem, præueniunt hæretici, & nos ſuo appellant nomine, ducentes cæci, cæcos in foueam. *Tomo quarto lib. quinto Com. in cap. 29. Hierc. Fol. 294. fac. 1.*

*Hæretici præueniunt mendacio veritatem.* *4. Reg. 11.* *2. Par. 23.* *1. Ioan. 4.* *Luc. 16.* *Hæretici Catholicos ſuo nomine appellant.* *Mat. 15.*

SICVT quõdam pſuedoprophetæ falſis vaticinijs, & mendacibus promiſsis gentem Iudæorũ ſeducebant, ita & nunc hæretici, atque ſchiſmatici fictis opinionibus & doloſis argumentationibus corda ſimplicium à veritate rectæ fidei, & ſtatu bonorum operum ſubuertere certant. Hoc atteſtante Petro apoſtolo, qui in Epiſtola ſua ita ait: ſuerunt verò Pſeudoprophetę in populo, ſicut ditionis & eum qui emit eos, dominum negant, ſuperinducentes ſibi celerem perditionẽ, & multi ſequẽtur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur, & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur: quibus iudicium olim non ceſſat, & perditio non dormitat. Hinc & per Eſaiam dicitur: væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, & ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponẽtes amarum in dulce, & dulce in amarum. Qui enim peccatis & iniquis operibus attendenti promittit impunitatis ſecuritatem, Propheticæ maledictioni ſubiacebit, ſimiliter & ille, qui bonum actum per inuidiam detrahit, & benè facienti cõtradicendo aduerſatur: væ ſempiternum, ſi non ſe correxerit, habebit. Vnde cauendum eſt, ne pro veritate ſequamur mendacium, ne pro lumine tenebras. Multæ enim ſunt viæ, quæ videntur hominibus rectę, & nouiſsima eorum perueniunt in profundum inferni. Eſt quoque periens in iuſtitia ſua, cui dicitur: ne ſis iuſtus multum. Quas ob cauſas Iſrael promittit via ſe ambulaturum regia: nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinaturum. Et vt loquar, quod ſentio: difficilè hoc maledicto quis carere poteſt, cùm & malis frequenter adulemur propter potentiam, & bonos deſpiciamus propter inopiam. *Tom. 4. lib. 1 com. in ca. 2. Lamentationum Hieremiæ fol. 315. fac. 1.*



*Hypocriſis hæreticorum* *2. Pet. 2.* *Eſa. 5.* *Prouer. 14.* *Eccl. 7.* *Regia via ambulãt Catholici.*

*Hæretici vmbram foliorum habent, & poma bonorum operum non habent.* *Gen. 8.* *2. Cor. 2.* *Pſalm. 37.*

HAERETICI habent verba pompatica, vmbramque foliorum, & poma bonorum operum non habent: Qui errant ſub omni quercu frondoſa, quæ non affert fructus hominum, ſed porcorum: vbi accenderunt thura redolentia non Deo, ſed Idolis ſuis. Nec dicere poterant, quod de Noe ſcriptum eſt: Odoratus eſt Dominus odorem bonæ fragrantiæ, & id quod Paulus loquitur: Chriſti bonus odor ſumus in omni loco. Quomodo autem ſanctus odore ſuo delectat Deum: ſic peccator ex cuius perſona Pſalmus ille cantatur: computruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ: accendit vt idolis thura fœtentia. *Tom. 4. lib. 2. cõment. ca. 6. Ezechielis fol. 345. fac. 2.*

*Hæretici falſitate dogmatum ſuorum prædicant virtutem.* *Pſalm. 126.* *Hæretici Epicurei.* *1. Cor. 15.*

NOS autem ita dicimus: alios Hæreticos falſitate dogmatum ſuorum prædicare virtutem. Quarum fuit Pythagoras & Zeno, à quo Stoici, Indorum Brachmanes, & Aethiopum gymnoſophiſtæ: qui ob victus continentiam, miraculum ſui gentibus tribuunt. Recteque dicuntur parietem linire, & aliquam fortitudinem, polliceri: ſed quia Chriſti non habẽt condimentum, vanus eſt eorum labor, & peritura ædificatio. Niſi enim Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam, alij autem voluptatum libidiniſque doctores dicuntur conſuere puluillos, & ponere ſub omni cubito manꝰ. Epicurei, & Pirrhonij: & apud nos Iouinianus & Eunomius: qui dicunt: manducemus & bibamus, cras enim moriemur. *Tom. 4. lib. 4. Com. in cap. 13. Ezechielis fol. 364. facie. 1.*

*Gen. 4.* *Sec. 70.* *Iacob. 3.*

QVI erroribus ducuntur humanis, & nõ habent ſolida veſtigia, ſed circumferuntur omni vento doctrinæ & eiecti de Paradyſo firmitatis, habitant in regione Naid: Quæ interpretatur fluctuatio: merentur linguæ mendacis ferre ſententiam: quæ inflammat rotam natiuitatis noſtræ. *Tomo quarto libr. 4. Commentariorum in cap. 16. Ezechielis folio 371. facie prima.*

*Eſa. 5.* *Sec. 70.* *Inconſtantia hæreticorum* *Pſalm. 39.* *Ephef. 6.*

SECVNDVM Tropologiam: de alijs peccatis ad alia ſæpè tranſimus: cumque non egerimus priorum ſcelerum pœnitentiam, augemus delicta delictis, & nullo errore ſatiamur: ſed quaſi fune longo & corrigia iugi vitulæ trahimus peccata, & teſtamentum noſtrum ſiue fornicationem multiplicationis in terra Chanaan: quæ interpretatur, quaſi fluctuatio, & cũ Chaldæis, qui & ipſi nobiſcum ſonant, quaſi dæmonia. Semperque veſtigia habemus in ſalo, & nũquam poſſumus dicere: Statuit ſupra petram pedes meos. hæreticorumque prauitatibus ſubijcimur, qui habent ſimilitudinem dæmonum, ſine ipſis dæmonibus, de quibus Paulus ſcribit: Non eſt nobis pugna aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſum rectores tenebrarum iſtarũ, aduerſum ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. *Tom. 4. lib. 5. Com. in cap. 16. Ezech. fol. 374. fac. 2.*

*Tria hæreticorum iſta dogmata etiam hodie ſunt in praxi*

QVICQVID de Hieruſalẽ diximus, refer ad Eccleſiam, animaſque credentium: quæ munera maritalia, aurum videlicet in ſenſu, & argentum in eloquio, & veſtimenta, quibus fœdus ac noſtra turpitudo velatur, dant amatoribus ſuis: vel contrarijs fortitudinibus, vel magiſtris dogmatum peruerſorum: quãdo aſſerunt nihil nocere luxuriam, & paſſuram libidinem, iuxta corporis genitalia, coitum naturali lege depoſcere cibis omnibus indifferenter vtẽdum: qui ad hoc facti ſunt, vt ſumantur. Prudentiam in eo tantũ neceſſariam, vt ſibi proſit: nec iuſtitiam habere locum, quæ ſi valeat, mendicandum ſit, & cætera huiuſmodi. Quæ accipiens miſera Hieruſalẽ, in qua viſio pacis eſſe deberet, acumen ingenij & eloquij venuſtatem, vertit in turpitudinem. Et pro amatoribus ſuis aduerſum maritum ornata proceſsit. His ornamentis, in quibus in boni abuſionem à viro fuerat ornata. *Tom. 4. lib. 5. Com. in cap. 16. Ezech. fol. 375. fac. 2.*

*Amos 6.* *Hæretici cõtemnunt Eccleſiam, & confidunt in ſuperbia peruerſorum dogmatum.*

QVOD autem Samaria intelligatur in hæreſibus, & in Oſeæ Propheta, & in alijs multis locis, præcipueque illo teſtimonio comparatur: vę qui deſpiciunt Syon, & qui confidunt in monte Samariæ: vindemiarum principia gentium. Omnes enim hæretici deſpiciunt Sion, quæ interpretatur ſpecula, & refertur ad Eccleſiam, & confidunt ſibi in monte Samariæ: in ſuperbia videlicet dogmatum peruerſorum, quę putant eſſe ſublimia, & per has prædicationes fraudulentas, vindemiant atque populantur principia gentium vt miraculo doctrinarum, potentes quoſque gentilium ad errorem hæreticum pertrahant. *Tom. 5. lib. 5. Com. in cap. 16. Ezech. folio 377. fac. 2.*

*Ethnici philoſophi iuncti hæreticis, rident Eccleſiam.*

ET iuxta explanationem illius loci Eſaiæ Prophetę in quo Aram & Ephraim conſentiunt contra Iudam & Hieruſalem, Ethnicorum arguta ſapientia, quæ ſibi ſublimitatem ſcientiæ repromittat iuncta malitiæ hæreticorum, impugnat Iudam, in quo vera confeſsio eſt, & non poteſt præualere. Hic quoq; eadem arrogantia Syrię, id eſt Philoſophorum, cum filiabus alienigenarum, in quibus multiplex diuerſorum in gentibus dogmatum oſtenditur error, illudit Hieruſalem & opprobrio habet eam, cuius vitijs ſuperata eſt. *Tom. 4. lib. 5. Com. ca. 16. Ezech. fol. 379. fac. 2.*

SED & illud, quod alibi dicitur: Maiora te nõ

requi-

*Ecclеſ. 3.* requiras, & fortiora te non ſcruteris, omnes hæreticos arguit, in montib. comedere ſuperbiæ, & Eccleſiaſticam deſpicare ſimplicitatem & noſcere de ſe ſcriptum: *Iacob. 4.* Deus ſuperbis reſiſtit & humilibus dat gratiam. *Tom. 4. lib. 6. Com. in cap. 18. Ezechielis fol. 384. fac. 1.*

*Gen. 42.* EXPLORATORES eſtis, conſiderare veſtigia regionis veniſtis, fratreſque eius intelligetis crimē eſſe non modicum, aliena per inſidias explorare, reſponderunt: Non ſunt exploratores ſerui tui. Iſti autem nundinas Tyri nō auro, nec lapide pretioſo: ſed argento, ferro, ſtanno, plumboque multiplicant: habentes eloquij venuſtatem, & arma ad expugnandum: & in ſtanno eloquij ſimilitudinem, quod mentitur argentum: *Zach. 5.* in plumbo impietatem grauiſsimam iuxta Zachariam, in quo mulier ſedit ſuper talentū plumbi: & AEgyptij demerſi ſunt in profundum ſicut plumbum. *Tom. 4. lib. 8. Com. in cap. 27. Ezechielis fol. 413. facie.*

PHATVRES interpretatur, panis conculcatio: Taphnis, mandatum humile: Dioſpolis, pro qua in Hebræo poſita eſt, nō requies: Sain, tentatio: quibus nominibus diuerſæ hæreticorum & omnium mendaciorum conciliabula demonſtrantur: qui conculcant panem Eccleſiaſticum, atque contemnunt, ſequuntur mandatum humile, & ad cæleſtia non perducens, & delitijs vacant, & ſunt in requie (qualem in Euangelio legimus diuitem purpuratum) *Lucæ. 16.* & tentationibus inſeruiunt: quorum vnus expetiuit à Domino, vt tentandi Iob haberet poteſtatem. *Iob 1.* Hæc omnia Dominus diſperdet atque ſuccendet, effundet ſuper ea indignationem ſuam, & robur Aegypti diſsipabit: vt redacti ad nihilum, nequaquam populum Dei ſollicitent, & in ſuo ſperare faciāt auxilio: vt deſerta veritate quærant mendacium, & quaſi à baculo arundineo, ſic ſuo præſidio vulnerentur. *Tom. 4. lib. 9. Com. in cap. 30. Ezech. fol. 426. fac. 2.*

OMNES iſti qui dolorem ſæculi ferre nō poterant, ſed delicias, Dioſpoleos ſectabantur, & confidebant in volubilitate ſermonum, & aduerſum cætera dogmata diſputantes, habuerant experimenta victoriæ, gladio ſermonis Dei concidēt, & qui nequaquā iuuenes, ſed imbecillitate mentis mulieres appellantur captiui ducentur. *Ibidem. fol. 427 fac.*

ALII habitant in ramis eius, quaſi volatilia: ſcientiam ſibi in philoſophia, & in hæreticorum conciliabulis pollicentes. Alij quaſi beſtiæ feræ, immites atque crudeles: alij quaſi multitudo gētium plurimarum, vt commiſtos diuerſis vitijs ſignificet atque peccatis. *Tomo. 4. lib. 10. Commentariorum. in cap. 31. Ezechielis. fol. 430. fac. 1.*

SEQVITVR: Et facta eſt multitudo eius per Gyrum ſepulchri eius. hi omnes cingunt aſſyrium, eſt eorum plurima multitudo: qui vniuerſi *Exod. 16.* vulnerati ſunt & interfecti, & cadentes gladio. Nemo enim eorum ſtare poteſt cum Moyſe, nec *Pſalm. 134.* audire, qui ſtatis in domo Domini: ſed omnes vulnerati interfectique ſunt, & cadentes: Qui quondam dederant formidinem in terra viuentium, formidinm autem his, qui erant Eccleſijs præpoſiti: ne in terra viuentium facerent populos *1. Cor. 11.* mortuorum, & ſimplices quoque deciperent. vnde & Paulus aiebat: Timeo autem ne forte ſicut ſerpēs decepit Euam malitia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto, ſed hic timor ſpe Domini mitigatur, dicente eccleſiaſtico viro: *Hæretici ſerpentes & ſeductores.* Dominus illuminatio mea & ſalus mea quem timebo? Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo? *Pſal. 28.* poſt hæc dicitur: ibi AElam & omnis multitudo eius per gyrum ſepulchri eius: haud dubiū quin aſſyrij. AElam in linguam noſtram vertitur aſcenſus eorum. omnes enim qui Chrſti humilitate contempta, diaboli aſcendere ſuperbiam, & ſe in falſi nominis ſciētia eſſe aliquid æſtimauerint, AElamitæ ſunt nuncupandi: *Hæretici cōparantur cū Aelamitis.* qui aſſyrij regis ſepulchrum ambiunt, & interfecti ſunt, vulneratiq; gladio. Et licet in excelſo poſuerint os ſuum: tamen deſcenderunt inuidi & incircuncisi ad terram vltimam, vt quantò ſublimius fuerant eleuati; tantò fortiùs caderent. Iſti poſuerunt timorem ſuum non ſemel, ſed ſecundo. in terra viuētium. Quis enim Eccleſiaſticorum ab huiuſmodi Aelamitarū terrore ſecurus eſt, & nō aliquem ſui perdidit gregis? *Tom. 4. lib. 10. Com. in cap. 32. Ezech. fol. 334. fac. 1.*

GOG Græco ſermone δόμα, Latino tectū dicitur. Porrò Magog interpretatur, de tecto. Omnis igitur ſuperbia & falſi nominis ſcientia, quę erigit ſe contra notitiam veritatis, his nominib. demonſtratur. Iſta ſunt tecta, de quibus & Eſa. *Eſa. 22. Sec. 70.* loquitur in viſione contra vallem Sion: Quid tibi factum eſt nunc, quoniam aſcendiſtis omnes in tecta vana? Tectumq; interpretabimur, Hæreticorum principes: & de tecto, eos, qui illorum *Gog & Magog ſunt hæretici.* ſuſcepere doctrinas, & pulchrè poſt multas & in hoc volumine Prophetias, extremum vaticiniū eſt contra Gog & Magog. Si enim tempus iudicij eſt, iuxta Petrum, vt incipiat à domo Domini: *1. Petr. 4.* & iuxta hunc eundem Ezechielem, qui ait; Et à ſanctis meis incipite: & nouiſsimus inimicus deſtruetur mors. *1. Cor. 15. Eſa. 2.* In Eſaia quoq; primus ſermo ſit contra Iudæam, in qua confeſsio Domini eſt: & extremus contra quadrupedes; quæ in deſerto ſunt: *Ibidem: 0.* rectè hic nouiſsimus ſermo fit cōtra Gog & Magog; qui oppugnant ciuitatem Dei, quam *Pſalm. 45.* fluminis impetus lætificat. *Tom. 4. lib. 11. Com. in cap. 38. Ezech. fol. 448. fac. 2.*

*Deut. 20. Epheſ. 6.* EQVOS & equites veſtitos loricis: qui imitātur armaturam Apoſtoli, & loricas iuſtitiæ habere ſe iactant, quorum multitudo nimia eſt: omneſque arripiunt contra Eccleſiam clypeum & gladium, & ſunt gentes ſæuiſsimæ & inimicæ Iſrael, Perſę, Aethiopes, & Lybies: quorū aduerſum populum Dei in ſcripturis ſanctis bella narrantur. *Gentes illæ, quarum in ſcripturis aduerſus populum Dei bella narrantur deſignant hæreticos.* Gomer quoque & domus Thogormę, qui veniunt de lateribus Aquilonis, qui eſt vētus frigidiſsimus, & nomine dexter vocatur: *27. Prouer. 2 Sec. 70.* totumq; robur Magog. & omnes, qui ſubiecti ſunt ei populi, veniunt cum illo ad prælium. *Ibidem fol. 449. fac. 2.*

*Hæreticorū princeps Diabolus.* QVIS Hæreticorum, quorum princeps diabolus eſt, non quaſi tempeſtas venit contra Eccleſiam; & nube verborū ſuorum ſimplices quoque credentium opprimere & operire feſtinat. *Ibidem fac. 2.*

DICENT ergo Saba, Dedan, & negotiatores Tharſis, & omnes ſancti, qui leonum catuli nuncupātur: vel certi villæ, habitationes credentiū, ô Gog, nunquid idcircò venis, vt ſpolia rapias Eccleſiæ: & idcircò multitudinem congregaſti, vt Chriſti poſſeſsio tua fiat hæreditas? aut putas te argentum & aurum, quod in eloquio ſenſuque intelligitur, Eccleſiæ poſſeſſurum, vt auferas ſupellectilem, omnemque ſubſtantiam, & diripias manubias infinitas, Chriſti victorijs congregatas? propterea ô Propheta Ezechiel, qui in typo Chriſti appellaris filius hominis, loquere ad Gog, & dic ei: Hæc dicit Dominus Deus, quando totius mundi errore ſublato, populus meus Iſrael, *Locus hæreticæ prauitatis Aquilo.* qui mente cernit Deum, habitauerit in Eccleſia confidenter, ſiue in pace: tunc ſcies, ſiue conſurges & venies de loco tuo. Quis ſit autem locus hæreticæ prauitatis, ſequēs ſermo demonſtrat: à lateribus Aquilonis, qui, omnem calorem credentium refrigerare conatur, veniėntque cum eo populi multi, omnes aſcenſores equorum: *Exod. 15.* de quibus ſcriptum eſt. Equum, & aſcenſorem proijciet in mare: Cætus magnus, & exercitus vehemens, cum quibus aſcendes, ait, ſuper populum meum Iſrael, quaſi nubes & caligo, vt operias terram meam, de qua ſcriptum eſt: In nouiſsimis diebus eris, quando Euangelica prædicatio: Et adducam te ſuper terram meam. Oportet enim & hæreſes eſſe, vt probati quique manifeſti fiant: & Dei voluntate ἀγωνιςὴρ diabolus, *1. Cor. 11.* & omnia peruerſitatis dogmata derelicta ſunt, vt ſciant omnes gentes & intelligant me, cùm ſanctificatus fuero in te, in oculis eorum ô Gog: hoc eſt, cùm pœnis tuis me intellexerint iudicem. Et facit apoſtropham ad ipſum Gog. Nonne tu ille es, de quo locutus ſum in diebus antiquis, in manibus ſeruorum meorum Prophetarum Iſrael, Moyſi *Numer. 24.* videlicet, qui ait in Numerorum libro duntaxat iuxta LXX. Egredietur homo de ſemine eius: & dominabitur gentium plurimarum: & eleuabitur Gog regnum eius: & creſcet regnum illius. Cæterùm iuxta Hebraicum ita ſcriptum reperi: Tolletur propter Agag rex eius, & auferetur regnum illius: eò, ꝙ regnū Iſrael in Saule propter Agag regem Amalech deſtructum ſit Et in alio loco: Mundabit terram populi ſui: Ioel quoque in valle Ioſaphat, hoc eſt, iudicij Dei deſcribit populos congregandos. Et Eſaias, omneſque prophetæ, in quorum manibus & bonis operibus ſermo ſit Domini. Cùm igitur veneris ſuper terram Iſrael, aſcendet indignatio mea in furore meo contra te, & in zelo meo pro populo meo. In igne iræ locutus ſum, qui omnia vitiorum ligna conſumat. Illo, inquit, tempore erit magna commotio ſuper terram Iſrael. Imminente autem diabolo, crebra contra Eccleſiam perſecutio fiet: quæ quando ſopita fuerit, & Dei victa præſidio, tunc commouebuntur à facie eius piſces maris, & volucres cæli, & beſtiæ agri & omne reptile, quod mouetur ſuper terram, cunctique homines; qui ſunt ſuper faciem terræ. *Ibidem fol. 450. fac. 1.*



*Omnia vitia concurrunt in hæreticis.* HABET Gog & ipſe trinitatem ſuam: Ros, Moſoch, & Thubal, caput videlicet, & inſaniem & vniuerſa: vt nullum ſit vitium, quod non in Gog poſſeſsione conſiſtat. *Tomo quarto libro vndecimo Commentar. in caput trigeſimum nonum Ezech. folio 451. fac. 1.*

VT bono coram ſe dedit Deus ſapientiam, *Hinc inde cōſuunt peruerſorum dogmatum ceruicalia.* & cætera: ſic peccatorem ſuo arbitrio derelinquens, fecit congregare diuitias, & hinc & inde peruerſorum dogmatum conſuere ceruicalia. Quæ cùm vir ſanctus & placens Deo viderit, intelligit, quia vana ſunt, & ſpiritus præſumptione compoſita. Nec mirandum, quod dixerit: Peccatori dedi ſolicitudinem, & cætera. Ad illum enim ſenſum, de quo ſæpè tractaui, hoc referendum eſt. Propterea datam eſſe ei ſolicitudinem ſiue diſtentionem, quia peccator fuerit, & non eſſe cauſam diſtentionis in Deo, ſed in illo qui ſpontè ſua ante peccauerit. *To. 5. in caput ſecundum Eccleſiaſticis folio ſeptimo facie ſecunda, in fine.*

CAETERVM altiùs eleuemur. De philoſophis mihi videtur vel hæreticis dicere, qui congregant diuitias dogmatum in malum ſuum, *Dogmata hæreticorum nec ſibi, nec auditoribus vtilitatem adferunt.* & nec repertores vtilitatem aliquam poſſunt conſequi: nec ſectatoribus ſuis fructum relinquere perpetuum: ſed & ipſi & diſcipuli reuertuntur in terram & perdunt diuitias ab eo, qui *1. Cor. 1.* dixit perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens, vbi ſcriba, vbi inquiſitor huius ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi, & reliqua, verè quippè ſicut egreſsi ſunt de vtero matris ſuæ, de ſua peruerſa videlicet Eccleſia; eiuſdem contraria, de qua ſcriptum eſt: *Galat. 4.* Quæ autem ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater omnium noſtrûm: Et de qua ſcribitur. *Eſa. 54.* Lætare ſterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ nō parturis: quia multi filij deſertæ magis quam eius, quæ habet virum. Sic nudi vadunt in ventum, & nihil laborantes doctrinæ ſuæ ſecum ferent: Quia defecerunt ſcrutantes, *Pſalm. 63.* ſcrutinio: & feruntur omni vento doctrinæ: nec habent lucem, ſed in tenebris ſua comedunt Sacramenta: ſemper in infirmitate, ſemper in iracundia ſunt, theſaurizantes ſibi iram in die iræ, nec habentes propitium Deum. *Tom. quinto Commentar. in caput quintum Eccleſiſtis folio decimo quinto, facie prima.*

OMNIS hæreticis & falſum dogma defendens, impudenti vultu eſt, & odietur. *Impudentia hæreticorū.* Denique Marcion & Valentinus melioris ſe dicunt naturæ eſſe, quàm conditor eſt. Et hoc poſſet aliqua ex parte fieri, ſi ſpem, ſe huius rei habere contenderent, & non iam poſſidere naturam. *Tomo 5. Com. in caput octauum Eccleſiaſt. fol. 20. fac. 2.*

*Matth. 13.* PORRO ſecundum allegoriam eſt ſciendum, regnum cælorum ſimile eſſe ſagenæ miſſæ in mari. Econtrariò habere ſagenam hæreticos, per quam piſces capiant ad interitum. Sagena eorum, eſt ſermo affabilis, blandum eloquium, ſimulata aut coacta ieiunia, veſtis humilis, virtutum imitatio. *Hæreticorū rete & laqueus ad capiendos & ineſcandos homines.* Quod ſi cœperint de ſuperioribus diſputare, & in ſublime leuare os ſuum, & Dei altitudines quærere, laqueum ponunt in excelſis. Quomodo igitur piſces & volucres cito *Matth. 24.* capiuntur à tali ſagena, & iſtiuſmodi laqueo, ſic cùm multiplicata fuerit iniquitas, & refrixerit charitas multorum, & ſigna facta fuerint, atque portenta, ita vt ſeducātur, ſi poſsibile eſt, etiā electi: ſciendū eſt Eccleſiaſticos quoſq; viros, qui filij hominū appellantur, & ſunt modicæ fidei, citò poſſe corruere. *Tom. 5. Com. in cap. 9. Eccleſiaſt. fol. 25. fac. 1.*

*Deut. 16.* HAERETICI ligna infructuoſa ſunt, & ſaltus abſq; vtilitate pomorū: vnde & in tēplo Dei prohibetur plātari Nemus & vana foliorum, id eſt, verborū tantū ſonantiū ſpernuntur vmbracula. *To. 5. Com. in cap. 10. Eccleſiaſt. fol. 27. fac. 1.*

POTEST hoc & de hæreticis accipi, qui prudentium virorum dicta non capiunt, ſed ſe ad diſputationes contrarias præparantes, & initium & finem loquendi vanitate, cum multo errore commutant, & cùm nihil ſciant, loquuntur plura, quam norunt. *Ibidem folio vigeſimo ſeptimo. fac. 2.*

*Hæretici impediunt bona opera.*

NOS dicamus intercludere hæreticos viam, ne de Sichem, id eſt, de bonis operibus pergamus in Hieruſalem, id eſt, in Eccleſiam: iſti ſunt quaſi fauces virorum latronum, & interficiunt eos, qui per huius ſeculi viam ad veritatem pergere cupiunt. Sichem interpretatur ὤμοι, id eſt, humeri: in humeris opus intelligimus: & omnes falſi ſacerdotes abſcondunt viam, & occidunt homines malis operibus, ne perueniant Hieruſalem. Quod autem humerus opus ſignificet illud oſtendit: da cor tuum in humerum tuum, hoc eſt, quæ intelligis, verte in opera. Et de Iſachar legimus quod ſuppoſuerit humerum ſuum ad laborandum, & vir agricola ſit. *Tomo quinto libro ſecundo Commentar. in caput ſextum Oſeæ. fol. 52. fac. 2.*

*Hier. 31. sec 70.*

HAERETICI quoque non poſſunt vetera contra Deum peccata cauſari, cùm quotidie antiquis operibus nouam addant impietatem, & cum perditis pereant, ſuiſque ligentur errorib. & cùm Deum ſe celare putent, oculos eius vitare non valeant. *Tomo quinto libro ſecundo Commen. in caput ſeptimum Oſeæ folio quinquageſimo tertio, facie prima.*

HAERETICI quoque in malitia operum ſuorum lætificauerunt regem Diabolum, & in mendacijs dogmatum peruerſorum principes: haud dubium quin mundi huius, quorum falſam ſapientiam deſtruit Deus, poſſumus regem apud hæreticos dicere, qui primus hæreſin reperit, & principes eos, qui præpoſiti hæreticorum populi falſum ſibi vendicant ſacerdotium. Et ſimul notandum, quod in peccatis noſtris gaudeant, contrariæ fortitudines & rectores ac principes tenebrarum iſtarum. *Ibidem.*

*Reges hæreticorum & principes, qui ſint.*

CVM autem debeat Ephraim (vt ad ſenſum alium tranſeamus) docere populos, & ad ſimilitudinem ſui ſubtrahere: ipſe populus commiſcetur, & ſimilis eorum efficitur, iuxta quod ſupra dictum eſt: Erit ſicut populus, ſic ſacerdos: ſiue Ephraim populis & gentibus commiſcetur, vt omnes hæretici nihil differant ab errore gentilium. Et qui quondam fuit princeps in Eccleſia, factus eſt ſubcineritius panis: ex omni parte immundo cinere & ignium ardore circundatus, vt non reuerteretur ad Dominum, ſed in cœpto permaneret errore: comederunt dæmones robur eius: iſti ſunt alieni & hoſtes omnium Chriſtianorum: & ipſe neſciuit aduerſarios amicos putans, & deuoratores ſuos arbitrans eſſe conuiuas: ſed & cani effuſi ſunt in eo, immò effloruerunt, id eſt, multo errauit tempore, & nihilominus ignorauit ſenectutem & vetuſtatem ſuam, de qua ſcriptum eſt: Quod veteratur & ſeneſcit, propè exterminium eſt, & ſi ad iuſtum virum, & ad Eccleſiaſticum dicitur: Cani hominis ſapientia eius: quare non dicatur ad iniquum: & ad hæreticum: Cani hominis ſtultitia eius: de hac ſenectute Daniel dicebat ad Presbyterum: Inueterate dierum malorum. Vnde & in libro Paſtoris (ſi cui tamen placet illius recipere lectionem) Hermæ primũ videtur Eccleſia cano capite: Deinde adoleſcentula & ſponſa crinibus adornata. Cumq; humilietur ſuperbia hæreticorum, ſiue contumelia, quam quotidie faciunt Eccleſiaſticis viris, non reuertuntur ad Dominum; ſed in omnibus his nequaquam requirunt eum: quia calefacti ſunt, quaſi clibanus, & non quæſierunt eum: deuorauerunt iudices eorum, & reges pariter conciderunt: Nec eſt, qui clamet in eis ad Dominum. Quæ vniuerſa perpeſſi ſunt, vt Dominum quærerent, quem quærere noluerunt. *Ibidem fol. 54. facie ſecunda in principio.*

*Hæretici ab errore gentilium nil differunt.*

*Hebræ. 8.*

*Sapien. 4.*

*Dan. 13.*

*Eccleſia primum viſa fuit cano capite, deinde adoleſcentula & ſponſa crinibus adornata.*

*1. Tim. 6.*

QVOMODO radix omnium malorum eſt auaritia; ſic peccatorum ſcelerumque cunctorũ radix eſt impietas: Quam qui arauerit ſiue ſeminauerit, metet iniquitates. Qui igitur arauerunt impietatem, & meſſuerunt iniquitates comederunt fructum mendacij: omnia quæ falſa ſunt deceptis populis prædicantes: vt non quærant panẽ verum, qui de cælo deſcendit: ſed panem mendacij, qui ſuffocat & interficit deuorantes. *Tom. 5. libro ſecundo Commentar. in caput decimum Oſeæ folio 65. fac. ſecunda.*

*Epheſ. 6.*
*Lucæ 11.*

PORRO ſecundum Tropologiam, omnes hæretici peſſimo dæmonum ſpiritu continentur: de quo & in Apoſtolo ſcriptum eſt: aduerſus ſpitualia nequitiæ in cæleſtibus. Et immundus ſpiritus, cùm exierit ab homine, & requiem non inuenerit, ſeptem alios ſpiritus nequiores ſibi copulat, priſtinam reuertitur ad domum, ſpiritu igitur peſſimo ſequuntur καύσωνα, id eſt, ariditatem ſiue ventum vrentem. Qui contrarius floribus eſt, & germinantia cuncta diſperdit; tota die inania vacuaque ſectatur, nec proprio errore contentus eſt, ſed multos diſcipulos, immò comites ſuæ vanitatis erroriſque multiplicat, fœdus quoque facit cum Aſſyrijs: quorum princeps eſt ſenſus magnus: vt quæcunque finxerit ſapienter ſimulaſſe videatur, ea ſapientia, quæ deſtruitur à Deo: quam & Apoſtolus declinandam præcipit, dicens: videte ne quis vos deprædetur per philoſophiam & inanem ſeductionem ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi: Sed & oleum fert in AEgyptum, ſiue mercatur AEgypti ſapientiam, & Eccleſiaſticis cupiens miſcere dogmatibus, oleum vnctionis, quo vngebantur Prophetæ ac Sacerdotes, quo vngebantur & Reges. Hoc oleum habent & ſancti, de quibus dicitur: Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ: & bona Oliua, in qua Oliaſter noſter inſertus eſt. Quamuis autem conentur hæretici veritati miſcere mendacium: oleum aquis, & cæteris humentibus, & liquentibus rebus, non poteſt copulari: ſemper veritas ſupra eſt, deorſumque mendacium. Omnes aliæ ſpecies, id eſt, hæreſes, quæ non habent (vt diximus) oleum veritatis, poſſunt ſibi miſceri, & de pluribus vnum effici corpus. Sed harum oleum quod defertur in AEgyptum, & de terra ſancta ad Pharaonis regna deſcendit, deteſtatur Propheta dicens: Oleum peccatoris non impiguet meũ caput. *To. quinto libro ſecundo Commentar. in caput duodecimum Oſeæ, folio ſexageſimo nono, facie ſecunda in fine.*

*Senſus magnus hæreticorum princeps.*
*Eſa. 10.*
*Sec. 70.*

*Colloſſ. 2.*

*Hæretici veritati miſcẽt mendacium.*

*Pſalm. 127.*
*Rom. 11.*

*Pſalm. 140.*

IVXTA tropologiã verò hoc poſſumus dicere: Primum



*Quatuor gradus peccatorum, qui omnes in hæreticis inueniuntur.*

Primũ peccatũ, eſt cogitaſſe, q̃ mala ſunt: Secundũ cogitationibus acquieuiſſe peruerſis. Tertiũ quod mente decreueris opere compleſſe. Quartum poſt peccatum non agere pœnitentiam, & in ſuo ſibi complacere delicto. Hoc omnes faciunt hæretici, qui non ſolùm cogitant, & faciũt mala, ſed doctrina ſua quoſque ſimplices decipiunt, & in morem Damaſcenorum, qui interpretantur ſanguinem bibentes, eorum quos deceperint, ſanguinem bibunt. Super huiuſmodi, inquit, peccatis Dominus: nonne dignum eſt, vt eos plagis corripiam, & auertam ab eis faciem meam: vt qui veritatem dogmatum meorum non vident, auerſione vultus mei, tenebris obruantur. *Tom. 5. lib. 1. Commenta. in caput 1. Amos fol. 93. fac. 1.*

NOS autem, qui & in Oſeæ docuimus ſub nomine Iſraelis, & Samariæ, & Ephraim, & filiorũ Ioſeph (de qua tribu fuit Hieroboã, qui à regno Dauid & Hieruſalem, & templo Dei populũ ſegregauit) hæreticos ſignificari, etiam nunc poſt Iudam & Hieruſalem, quæ interpretatur Eccleſia, intelligamus ad hæreticos ſermonem dirigi propheticum, qui vendunt virum ſanctum, iuſtumque, ſed pauperem pro pecunia. Vir pauper & iuſtus ille eſt Eccleſiaſticus, qui non habet ſcientiam ſcripturarum, ſed ſimplicitate contentus, facit mandata quæ iuſſa ſunt: de quo ſcriptum eſt. Pauper non ſuſtinet comminationem, & ad Galatas: Tantùm vt pauperum memores eſſemus; Hæc omnia hæretici pro diuitijs faciunt, & pro calciamentis, quibus calcãt puluerem terræ: quia enim non poſſunt nudis pedibus ſtare ſuper terram ſanctam, (in qua ſtetit Moyſes, & Ieſus filius Naue: Vnde Apoſtoli nudis pedibus iubentur incedere, ne quid mortis habeant, & pellium, quæ referuntur ad carnes) ideò percutiunt in capite pauperes. Et Saluator diſcipulis prædixit: vt ſi fortè, quoniam adhuc verſabantur in terra, mortale quid in eorum operibus adhæſiſſet, excuterent puluerem de pedibus ſuis. Percutiunt autem hæretici capita pauperum (quanquam hoc in Hebraico nõ legitur) quia viam humilium declinauerunt. Via humilium illa eſt, quæ dicit: Ego ſum via, vita, & veritas; quę nos prouocat, vt ambulemus per eam, & dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Omnes autem hæreticorum principes intumeſcunt ſuperbia, de quibus & Apoſtolus loquitur: Ne inflatus incidat in iudicium Diaboli: qui dicit, in cælum aſcendam, ſuper ſydera cæli ponam nidum meum, ero ſimilis altiſsimo. Vnde & ſuperbis hæreticis Deus reſiſtit: humilibus autem Eccleſiaſticis dat gratiam. *Tom. 5. cap. 2. Amos fol. 96. fac. 2.*

*Simplices eccleſiaſticos vendunt, pro pecunia hæretici.*
*Prouerb. 13.*

*Galatas. 2.*

*Lucæ 10.*

*Matth. 10.*

*Ioan. 14.*
*Matth. 11.*
*Hæretici ſuperbia intumeſcunt.*

*1. Tim. 3.*

*Eſa. 14.*
*Iacob. 4.*

ROBVSTVS ſiue pugnator, qui non ſaluabit animam ſuam, ille eſt, qui nequaquam Apoſtoli poſsidet armaturam; habens ſcutum, ſed non fidei: accinctus lumbos, ſed non in veritate: indutus lorica, ſed non iuſtitiæ: portans gladium, ſed nõ ſalutis: huiuſcemodi pugnator non ſanctificat prælium, nec Domini poteſt bella bellare, contra veritatem dimicans pro mendacio. Talis pugnator non poteſt dicere: Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellũ. Miſericordia mea, & refugium meum. Habent & ſagittarios hæretici, qui fruſtrà tendentes arcũ, ſagittam Domini ſuſtinere non potuerunt, qui loquitur per Eſaiam: Ego autem ſicut ſagitta electa in pharetra Domini. Iſti autem ſagittarij, de quibus & Dauid canit: Ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde. Et velox (inquit) pedibus ſuis non ſaluabitur: qui propter acumen ingenij diſcurrit per teſtimonia ſcripturarum & oratorum eloquentia, vel ſophiſmatibus Dialecticorum opprimere nititur veritatem: & in eo præpedietur & corruet, quia non in Deo, ſed in ſuis pedibus confidit. *Ibidem fol. 98. fac. 2.*

*Epheſ. 6. ca.*
*Falſa armatura hæreticorum.*

*Pſalm. 143.*

*Pſalm. 49.*
*Pſalm. 10.*

ET quia ſemel iuxta leges tropologiæ, Samaria refertur ad hæreticos, qui cuſtodes mandatorum Dei eſſe ſe mentiuntur, præcipit ſermo diuinus, vt in gentibus prædicent, quæ non habent notitiam Dei: in quarum doctrina ignis exurens eſt, & tribulatio & anguſtia: vt conſiderent falſam Samariam, & aſcendunt ad montes ſuperbiæ eius, & videant multas inſanias in medio ciuitatis, dum vnuſquiſque fingit, quod voluerit, & adorat figmentum ſuum: vt Marcion bonũ Deũ & otioſum: vt Valentinus αἰῶνας triginta & extremum Chriſtum, quem appellat ἔκτρωμα, id eſt, abortiuum: vt Baſilides, qui omnipotentem Deum portentoſo nomine appellat ἀβραξας, & eundem ſecundum Gręcas literas, annui curſus numerum dicit in ſolis circulo contineri: quem Ethnici ſub eodem numero aliarum literarum vocant μιθρᾶν. Et Iberæ ineptiæ in balſamo barbeloq; mirantur. Nonne hæ inſaniæ ſunt, & multæ inſaniæ: vnoquoque fingente, quod in animum eius inciderit: Calumniam quoque patiuntur in penetralibus eius: ſiue opprimuntur ſimplices, quique credentium, dum ſub nomine veritatis colunt, mendacium, & omninò rectum facere neſciunt, quia perdidère tramitem veritatis, nec credunt in eo, qui dicit: Ego ſum veritas. Et theſaurizat ſibi dogmata iniquitatis, & rapiunt atque concludunt in ædibus ſuis, quos potuerint falſo errore decipere. *Tomo 5. lib. 1. Comment. in cap. 3. Amos fol. 100. fac. 2.*

*Inepta & inſana figmenta hæreticorum.*

*Ioan. 14.*

VERBVM Domini, quod vaccæ Baſan iubentur audire, ſecundum cœptam tropologiam, hæreticis præcipit, qui ventri & gulæ ſeruientes, rectè appellantur vaccæ pinguiſsimæ ſiue vaccæ ignominioſæ: hoc enim interpretatur Baſan, id eſt, αἰσχύνη, quam ſi confuſionem dicere voluerimus, Babylonem magis quàm Baſan interpretabimur. Hæ vaccæ pingues, ſiue ignominioſæ & aridæ (Nam Baſan, & hoc intelligitur) in monte Samariæ ſunt: cui & in Oſeæ dicitur: aufer vitulum tuum Samaria: & rurſum in eodem: Quia ſeducens erat vitulus tuus Samaria, & ideò in monte Samariæ: quia ſemper eriguntur in ſuperbiam, & ſibi ſublimia repromittunt. Samaria quoque cuſtodia dicitur: non quo cuſtodiant ſermones Domini, ſed quia cuſtodes præceptorum eius ſe iactãt. Quæ calumniam faciunt egenis & confringunt pauperes. Egenum & pauperem intellige Eccleſiaſticum virum: qui veritatis ſimplicitate contentus, hæreticorum ſupellectilem & eloquentię fulgorẽ, argumẽtorumq; diuitias nõ requirit.

*Vaccæ pinguiſsimæ hæretici.*

*Oſeæ. 8. & 14.*

Hæ vaccæ dicunt dominis ſuis: Afferte & bibemus. Dominos earum, vel principes peruerſorũ dogmatum poſſumus appellare: Valentinum & Marcionẽ & Ariũ, & Eunomium: aut eos, qui per multiplices libros, ab alijs malè inuenta corroborant. Iſtis dicũt vaccæ Baſanitides: Afferte nobis & bibemus: Niſi enim illi dederint, iſti quod deuorent non habent, imò quod bibant vt inebrientur.

*Hæretici per multiplices libros ab alijs inuenta corroborant.*

*Ioan. 4.*

Vt autem ſciamus, aquas & pocula ſignificare doctrinam, Dominus loquitur ad Samaritanam: Omnis, qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Ergo qui de Samaritanæ, id eſt, hæreticorum aquis biberint, ſemper ſitient, & ardorem faucium ſiccarum refrigerare non poterunt: Eſaia de hac eadem conclamante: Sicut ſomniat, qui ſitit, quaſi bibat, & cũ ſurrexerit adhuc ſitit, anima autem eius fruſtra ſperauit: ſic erunt omnes gentes, qui pugnant contra Hieruſalem. Verè enim qui de hæreticorum aquis biberit, & pugnauerit contra Hieruſalem, Eccleſiam Dei, in ſomnis bibit, & anima eius vanis imaginibus illuditur. Cumq; exiſtimauerit ſe ſaciatum, tunc ſitiendi habebit principium. Vnde & ad virum Eccleſiaſticum dicitur: Bibe aquas de vaſis tuis, & de puteorum fontibus aquas tuas: & ſint tibi ſoli: & iurat Dominus Deus tuus in ſancto ſuo contra vaccas ſaginæ & apibus ſeruientes, ſiue iurat in ſanctis ſuis, quod venient dies ſuper eas, dies iudicij atque pœnarum: vt portent eas in armis ſuis, & eos, qui cum ipſis ſunt, mittant in lebetes, ſiue portent: & vel ipſæ vaccæ ſint negotiatores peſtilentes, vel ipſi, qui veniunt, vt portent eas: & eijciantur nude inuicem ſe vendentes, proijciantur ſuper montem Remniam, dicit Dominus.

*Eſa. 29.*

*Prouerb. 15.*

Debemus enim & iuxta LXX. dicere, ne fruſtra eos propoſuiſſe videamur: Quando venerit contra hæreticos dies iudicij atque vindictæ, tunc auferentur in armis, hoc eſt, cum armis ſuis, quibus aduerſus Eccleſiam dimicauerant: vel victi armatura Dei, & ab illius pugnatoribus ſuperati, mittentur in lebetes, vt exurantur & excoquantur, qui fuerunt prius negotiatores peſtilentes: adhoc enim negotiabantur vt morti traderent, quos deceperant. Iſti ſunt, de quibus dicitur: Filij Heli, filij peſtilentiæ, qui in Cathedra peſtilentiæ ſederunt. cumque excocti fuerint & exuſti, egredientur nudi, nihil eorum habentes, quæ ſibi antea præſumebant: Et videbunt ignominiam ſuam, & proijcientur ſuper montem Remman, qui interpretatur ſublimitas, vt in ſuperbia ſua conterantur. Quidam Remman viſionem alicuius, id eſt, ὅρασιν τινός, interpretãtur. Non enim omnia videre poterant, ſed ſibi partis alicuius ſcientiam promittebant, vt proijciantur, eò quòd ſe ſcire credebant. *Tomo quinto lib. 2. Comment. in caput quartum Amos fol. 102. fac. 2.*

*Pœne & ſupplicia hæreticorum.*

*1. Reg 52.*

*Filij Heli typum hæreticorum præſeferunt.*

PAVPERES quoque in portis declinauerunt, id eſt, ἐκκλίνοντες ſiue vt Symmachus interpretatus eſt oppreſſerunt, vt contra iudicij veritatem pretio ſententiam venderent: incurrentes in illud, quod ſcriptum eſt: Munera excæcant oculos etiam ſapientium. Quæ accipiunt hæretici, vt auſteritatem ſcripturarum, quæ peccatoribus tormenta denunciant, vertant in beatitudinem, & cum diuitibus proſpera quæque promittant, tantùm apud pauperes truculenti ſunt & ſeueri: Quando igitur vir Eccleſiaſticus & prudens atque intelligens multas impietates, in ea, quæ vocatur domus Dei, eſſe cognouerit, & non ſolùm multas, ſed & fortes, & quæ opprimere poſſunt iuſticiam, & in tantùm doctorum rabiem proceſsiſſe, vt accipiant pretium in iudicio, & omnia pro muneribus faciant, pauperes quoq; deuitent in portis, ne det ſanctum canib. & mittat margaritas ante porcos, & audire contemnant: taceat in illo tẽpore, qui conuerſi conculcent eas, & imitetur Hieremiam dicentem: Solus ſedebam. Quia amaritudine repletus ſum, & illud in Pſalmis: Singularis ſum ego, donec tranſeam. *Tomo quinto libro ſecundo Comment. in caput quintum Amos folio 110. fac. 1.*

*Deut. 16.*

*Hæretici blandi adulatores captant munera.*

*Matth. 7.*

*Hier. 15.*

*Pſalm. 140.*

*Hæreſes opera carnis.*

*Galat. 5.*

HAERESES ad Galatas inter carnis opera numeratas legimus. *Tomo quinto Comment. in caput primum Abdiæ fol. 129. fac. 1. in fine.*

CVNCTA quæ ſupra ſcripta ſunt, pateris, ô Edom cruente terrene, crudelis, quia falſa mortiferaque doctrina, & aduerſum Dominum impietatem loquente, occidiſti fratrem tuum Iacob. Legimus in Solomone: Sunt qui loquuntur, & interficiunt gladio. Et in alio loco: venenum aſpidum ſub labijs eorum, & lingua eorum gladius acutus. Operiet, ergo te confuſio, & dices: Confuſio vultus tui operuit me: ac peribis non ad breue tempus, ſed in æternum. AEterno enim quantum in te fuit, fratrẽ vulnere percuſsiſti: ſed & hæc erit cauſa cruciatus: Nam quando alieni deuaſtabant exercitum Iacob, & egrediebantur per portas eius in pacificam quondam Hieruſalem: mittebant ſortes, vt eius ſibi ſpolia diuiderent, tu vnus eras ex hoſtibus. Legimus, vidimus, quotidieque comprobamus: quando perſecutio contra Eccleſiam oritur, multò peiores perſecutores Iudæos, & hæreticos in Chriſtianos fieri, quàm Ethnicos. *Tomo quinto Comment. in caput 1. Abdiæ fol. 129. fac. 2.*

*Eſau hæreticorum typus Eccle.*

*Pro uerb. 25.*

*Pſalm. 13. & 139.*

*Ibidem 56. 43.*

*Hæretici & Iudæi deteriores perſequutores Eccleſiæ, quàm Ethnici.*

QVIS Hæreticorum non deſpicit Eccleſiaſticos? quis non exultat in malis eorum: ſi quando propter peccata populi perſecutioni traditi fuerint? Et multi vel infirma fide, vel ſupra petroſa ſeminati, in negationem corruerint, videas illos exultare, gaudere: noſtram ruinam ſuam putare victoriam: intantum, vt iungatur gentibus, & perſecutio ſæuior vel ex Iudæis, vel ex his fiat, qui fratres noſtros eſſe ſe ſimulant & eodem cenſentur nomine. cumque aliquis, vel fuga vel pœnitentia elapſus fuerit, ſtant in diuerticulis, & proponunt ſophiſmate & teſtimonia, quaſi de ſcripturis proferunt: vt laſsis atque confectis conſuta offerant ceruicalia, & ponant ea ſub omni cubito manus, atque ita fit, vt qui forſitan perſecutionem, aut virtute ſuperarint, aut timore effugerint, decepti prauis dogmatibus; rurſum in carcere teneantur errorum: & multò fiat peior tribulatio, quã fuit ex Gentibus: Faciliùs enim ab Ethnicis captum liberes, quàm hæreticorum præſtigijs irretitum. *Tomo quinto Commentar. in cap. primum Abdiæ folio centum & triginta, facie prima in fine.*

*Ezech. 13.*

*Faciliùs conuertuntur gentiles, quã hæretici.*

IVXTA tropologiam conuocat ad auditum populos, id eſt, totius orbis Eccleſias, & ad auſcultandum terram: quia terrena in ea hæreticorum extincta ſunt dogmata: Quod autem hæreſes inter carnis opera numerentur, quæ ſemper refertur ad terram, & Apoſtolus ad Galat. nõ tacet. Et Dominus in Euãgelio prudẽti indicat auditori: Qui de terra eſt, de terra loquitur. Et ad diſtinctionem eorum rurſum de Eccleſiaſticis dicit. Qui autẽ de cælo venit ſuper omnes eſt, &: quod vidit & audiuit, hoc teſtatur. Si autẽ hoc quod ait: audite populi, propter illud dominicum: Qui habet aures audiendi, audiat: plus aliquid ſonat, quàm quod poſtea infertur: attendat terra: aptabimus Eccleſię, audite populi omnes. Hæreticis verò qui terrenam ſuſcepêre, doctrinam: attendat terra & omnes, qui in ea ſunt: vt & iſti ſi audierint, & illi, ſi attenderint, nõ patiantur ea, quæ poſtea ſermo Domini cõminatur. *Tomo 5. Comment. lib. 1 in Mich. cap. 1. fol. 144. fac. 2.*



*Gal. 5.*

*Ioan 3.*

*Hæretici terrenam & carnalem habent doctrinam.*

*Luc. 8.*

LEGIMVS fuiſſe pſeudoprophetas in Iſrael, qui propter dona, pacem, quæ eis data non erat, prædicabãt. & ſi quis munera non dediſſet, quãuis ſanctus eſſet, irã Dei nunciarent illi eſſe venturam. Vnde nunc dicitur ad eos, quod loquantur mẽdacia, & ſermo eorum non prophetia ſed diuinatio ſit falſa: neque habent lumen, ſed tenebras & errorem. Cumque in contrarium verſa fuerint, quæ promiſerant, tunc operientur confuſione: quia non erat, inquit, reſponſum Dei: Iam nec dæmones accipient poteſtatẽ, vt eas ſua fraude decipiant: muta erunt oracula, tacebit immundus ſpiritus, & illudere non audebit. Hoc de Pſeudoprophetis: rurſum oratio prophetæ loquẽtis inducitur: Illis falſa vaticinantib. & opertis cõfuſione, & ignominia, ego quę loquor, à ſancto Spiritu inſtitutus loquor, & loquor iudicium Domini & virtutem. Cumque Pſeudoprophetæ mordeant dentibus, & prædicent pacem, ego abſq; vlla formidine annuncio Iacob ſcelus ſuum, & Iſrael peccatum ſuum, quia pro Deo vel Idola venerati ſunt, vel Dei filium crucifixerunt. Si autem iuxta LXX. quod dicitur, de hæreticis voluerimus accipere, qui verè Pſeudoprophetæ ſunt, & dicunt, hæc dicit Dominus, & Dominus non miſit eos, non errabitis. Illi enim populũ quondam Dei errorẽ decipiunt, & hoc faciunt, vt comedat eos: vel ſimpliciter in accipiendis munerib. vel myſticè in occiſione animarũ eorum, & promittũt eis pacem, & regna cæleſtia, & dicunt, non eſt neceſſe vt viuas continenter & ſanctè: Habeto fidem, quam docemus, & omnia promiſſa Domini conſequeris: quæ loquentes, magis aduerſum eos iram Domini concitant, & prælium in illos ſanctificant. Quam obrem ô hæretici, qui putatis vos habere prophetiam, & imitamini Eccleſiam Dei: vbi æſtimatis eſſe viſionem, vbi nox erit, & vbi iactatis vaticinium prophetale, ibi ſpiritus loquetur, immundus. Occidet enim ſol ſuper huiuſmodi prophetas, & ridebunt tenebras ſuas, & confundentur. Cumq; diuini magis quã prophetæ fuerint comprobati, videbuntur ſuper ſomnis ſuis, & populi, qui ab eis prius decepti fuerant, contra eos loquentur. Tunc etiam ipſi magiſtri pœnitentiam agent, & nemo eos exaudiet, niſi ego, quem offenderant. Et quia clemẽs ſum, & nolo mortem peccatoris, ſed cupio vt reuertatur & viuat, cùm exaudiero eos, dabo eis virtutem ſpiritus mei, & implebo eos iudicio meo & fortitudine: vt qui prius populum blandimentis decipiebant, poſtea vera annunciando deterreant, & ad rectam reuocent viam: & qui cauſa erroris fuerant, incipiant mederi vulneribus quæ intulerũt, & eſſe occaſio ſanitatis. Animaduerte in pręſenti loco poſſe aliquem docere poſt peccatum, ſi tamen vitia priſtina digna pœnitentia eluerit. Vnde & Dauid poſt adulterium & homicidium loquitur in Pſal. Aſperges me Hyſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Nec ſua tantum puritate contentus eſt, ſed infert: Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Cumque hoc feceris: Docebo, ait, iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. *Tomo 5. lib. 1. Comment. in cap. 3. Michiæ fol. 153. fac. 1.*

*Annunciant hæretici fauſta munerũ cauſa.*

*Hæretici cur pſeudoprophetæ.*

*Hæretici ſola fide blandiuntur ſuis & abſque operibus.*

*Tenebræ hæreticorum.*

*Ezech. 18.*

*Hæretici populum blandimentis decipiunt.*

*Poteſt quis in Eccleſia poſt publicã pœnitentiam docere exemplo Dauidis.*

*Pſalm. 50.*

O ISRAEL, cùm oẽs inimici tui perierint: interficiam equos tuos de medio tui; id eſt, de principali cordis tui laſciuientes impetus, & equorum more ruptis vinculis proruentes: & currus tuos, quibus tibi in vitijs tuis placebas, & peccata peccatis conſonans, quaſi triumphãs in quadrigis ferebaris: Et diſperdã ciuitates terræ tuę: Non enim ædificaſti vrbem, quã lætificat impetus fluminis Dei, & quæ in montibus ſita eſt, & cæleſtem Hieruſalem: ſed quam ædificauerat Cain. Vnde & dicuntur ciuitates terræ, operibus terrenis extructæ. Et auferam, inquit omnes munitiones tuas: diuitias ſcilicet & põpam ſęculi, & Rhetorũ eloquentiam, dialecticorũq; tendicula: in quib. tibi velut in munitionibus confidebas. Et auferam maleficia tua de manib. tuis: quibus vel ipſe decipiebaris ab alijs, vel deceptus alios decipiebas: & loquentes ſiue pronunciãtes nõ erunt tibi: Nunc loquentib. & pronunciantibus plenus eſt orbis: loquũtur, qui neſciunt, docent, qui nõ didicerũt: magiſtri ſunt, cũ diſcipuli ante nõ fuerint. Cũ ergo docuerit Deus hominẽ ſcientiã, ceſſabunt falſæ præſumptiones & peruerſa doctrina tolletur. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 5. Michiæ. fol. 161. fac. 2.*

*Pſalm. 45.*

*Matth. 5.*

*Hæreticorũ conciliabula ciuitates Cain.*

*Hæreticorũ munitiones quæ.*

*Arrogantia & præſumptio hæreticorum.*

ET dicamus ſcriptum de hæreticis: Nolite credere in amicis, ô populi ſimplices, & in ducibus prauis, qui ſe amicos & principes Hæreſeon eſſe promittunt: non enim veſtram ſalutem, ſed ſua quærunt lucra, & deceptum gregem pedibus ſuis conterunt: & ei, quæ tecum dormit, cauere ne quicquam credideris, quam non poſſumus aliam intelligere, niſi carnẽ: vt non facilè credamus carnis blanditijs, ne animi duritia, viriliſque conſtantia illius edomita molleſcat illecebris. *Tom. 5. libr. ſecundo Com. in cap. 7. Michiæ fol. 167. fac. 2.*

*Hæreticorũ auaritia.*

FLVMINA quoq; ad deſertũ perducẽs: omnẽ falſi nominis ſcientiã, quæ ſe cõtra Deũ erigens, flumine eloquẽtiæ vtitur & volubilitate verborũ, & tumentes cõtorquens gurgites, cũ miraculo ſpectantiũ fertur in pronũ. Vide Platonẽ: ſpecta Demoſthenẽ: Tullium quoq; philoſophũ pariter & oratorẽ, & hęreticorũ principes intuere: de quibus fuit Valentinus, Marcion, Sardenaſes; Tatianus, & de fluminibus non ambiges. ſed hęc omnia conſumet Dominus Ieſus ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuminatione aduẽtus ſui, & ad deſerta perducet. *Tom. 5. Com. in cap. 1. Nahum fol. 172. fac. 1.*

*1. Tim. 6.*

*Hæreticorũ & philoſophorum eloquentia conterenda.*

*2. Theſ. 2.*

VERE ab hæreticis exibit aduerſus Dominum inimica cogitatio. An non videtur eſſe aduerſus Deum malitia & præuaricatio, dicere quod Valentinus, quaſi abortiuum errantis, ſapientiæ extremum editum creatorem? Nonne contra Deum cogitatio Baſilidis impudica & portentoſum ἄβραξας nomen, quod præfertur Domino conditori? *Ibidem folio 173. facie 2. in fine.*

*Valentini et Baſilidis impietas.*

SICVT flumina de ventre iuſti fluẽt, & fontes vberes in vitam ęternam, per varias multiplicesque ſententias, quibus imperat ſermo Domini: ita habent & hæreſiarchæ aquas ſuas, quibus imperant, & quæ ex eorum primũ fonte manârunt. Quod autem ſequitur: Et ſic diuidentur: vel de cæleſtibus, quæ in ſupernis Deo ſeruiunt virtutibus, intelligi poteſt: quod vnaquæque in ſuo officio ſit & miniſterio: vel de multiplici varietate ſapientiæ: Ne quia dixerat regnans àquis multis: confuſus & indiſcretus ſenſuum numerus putaretur: ſed quod vnaquæque ſententia diuiſos habeat inter ſe ſenſus, & ſeparatas materias, propriasq; ὑποθέσεις. Nam quod dicitur: Auditus tuus non audietur amplius: increpatio eſt in eos, qui aduerſus Deum contraria cogitauerant, quod oſtenſus ſophiſmaticus, & decipulis, quibus Dei populus irretiebatur, ſermo eorum vltrà non currat, nec ſuſcipiatur à populis. Sed hoc, quod infert: Et nunc conteram virgam eius à te, & vincula eius diſrumpam: pro ipſis dicitur, quibus ſit comminatio: vt nequaquam cędantur à diabolo, & ei ſubiecti ſunt, quo authore tanta excogitauerant atq; confinxerant. Conteretur ergo imperiũ eius in eos, & vincula quib. peccãtium animæ ligabantur, diſrũpentur à ſermone Dei: dicente his, qui in vinculis ſunt: exite. *Tom. 5. ibid. fol 174. fac. 1. in fine.*

*Hæreticorũ fontes corrupti.*

*Decipulæ hæreticorum ſophiſmata.*

QVOD autem dicitur: Diripiebant argentũ, diripiebant aurum, & non erat finis ornamenti eius: aggrauata eſt ſuper omnia vaſa concupiſcẽtiæ ſuæ: de aquis dicitur Niniue, & de fugientib. qui fugerant & non ſteterant, neque erat, qui reſpiceret: & qui non ſolùm fugiſſe & non reſpexiſſe contenti, inſuper diripiebant argentum: quicquid in mundo videbatur eloquij: diripiebat aurum: quidquid præclarũ ſententiarum erat in doctrina ſæculi, vt ornarent Niniuem: vt dogmata ſua omni ſenſuum verborumq; flore componerent. Propter ꝙ aggrauata eſt Niniue ſuper omnia vaſa concupiſcentiæ ſuæ: quantò enim plus habebat multam auri & argenti poſſeſsionem, & variam ſupellectilem, quæ erat grauis: tantò magis ipſa aggrauabatur, quæ grauia diligebat. Vnde & iniquitas in Zacharia ſuper talentum plumbi ſedet, & Aegyptij, qui erant peccatis graues, demerſi ſunt in mare vt plũbum. Ex perſona Saluatoris dicitur in Pſalmo: Quaſi onus graue aggrauati ſunt ſuper me. Et Petrus qui ante leuis pendulo greſſu calcabat vndas, poſtquam infidelitate aggrauatus, vorabatur à fluctibus, manu Domini ſubleuatur. *Tom. 5. Com. in cap. 2. Nahum fol. 177. fac. 1.*

*Ornata & expolita verborum folijs hæreticorũ dogmata.*

*Zacha. 5.*
*Exod. 14.*
*Pſalm. 37.*
*Matth. 14.*

SICVT Rex Aſſyrius non poſſe ſe oues decipere, niſi paſtores ante conſopierit. Semper diaboli ſtudium eſt, vigilantes animas conſopire. Denique & in paſsione Domini Apoſtolorum oculos graui ſopore premit, quos Saluator ſuſcitans, ait: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Et rurſum: Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate. Et quia non ceſſat ſemper conſopire vigilantes: quoſcumque ille deceperit, & quaſi ſuaui & pernicioſo carmine Sirenarum illexerit ad dormiendum, excitat ſermo diuinus & dicit: Surge, qui dormis, & eleuare, & illuminabit te Chriſtus. *Tom. 5. Com. in capit. 3. Nahum fol. 184. fac. 1.*

*Matth. 14.*
*Ibidem 13.*

*Carmen Sirenarum, blanditiæ hæreticorum.*
*Epheſ. 5.*

POSSVMVS quoque ſecundum Ioannem Apoſtolum (qui ſcribit: Sicut audiſtis, quia Antechriſtus veniet: nunc autem Antechriſti multi ſunt: vnde & cognoſcimus, quoniam nouiſsima hora eſt,) Omnes hæreticos & vniuerſum dogma peruerſum, arrogãtium ſibi ſcientiam, & ſimplicitatem eccleſiæ contemnentium: qui nihil perducunt ad finem, ſed declinantur mortibus plurimorum: arrogantes & ſuperbos dicere, & totam continentiam capituli ſuper eorum intelligentiam temperare. *Tomo 6. Comment. in cap. 2. Habacuc fol. 192. fac. 1. in principio.*

*1. Ioan. 4.*
*Hæretici Antichriſti ſuperbi.*

LEGI in cuiuſdam volumine, propterea cantharũ ſuper hæreticis intelligi, quia dogmata habeant ſtercori comparanda, vnde & Apoſtolus, doctrinæ veteris errorem dicit ſe reputaſſe in ſcybata, id eſt; in ſtercora. *Ibidem fac. 2.*

*Philip. 3.*
*Dogmata hæreticorũ ſtercori comparanda.*

CVM autem immundus ſpiritus exijerit ab homine, ambulat per loca arida, quęrens requiẽ, &c.] Quidam iſtum locum de Hæreticis dictum putãt: quod immundus ſpiritus, qui in eis antea habitauerat, quando gentiles erant ad confeſsionem veræ fidei, eijciatur: poſtea verò, cum ſe ad hæreſim tranſtulerint & ſimulatis virtutibus ornauerint domum ſuam: tunc alijs ſeptem nequam ſpiritibus cõiunctis, reuertatur ad eos Diabolus, & habitet in illis: fiant nouiſsima eorum peiora prioribus. Multò quippè peiore conditione ſunt hæretici, quam gentiles: quia in illis ſpes fidei eſt; In iſtis pugna diſcordiæ. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 12. Matthæi Canone 23. fac. 1.*

*Diabolus habitat in hæreticis.*

QVAERAT aliquis & dicat: Quomodo panes nõ habebant, qui ſtatim impletis ſeptẽ ſportis, aſcenderunt in nauiculã, & venerunt in fines Magedã: ibiq; audiunt nauigantes, ꝙ cauere debeant à fermento phariſæorum & ſadducæorũ? ſed ſcriptura teſtatur, quod obliti ſint eos ſecum tollere. Hoc eſt fermentum, de quo & Apoſtolus loquitur: Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Iſtiuſmodi fermẽtum (quod omni ratiõe vitandũ eſt) habuit Marcion & Valẽtinus, & omnes hæretici: fermentũ hanc vim habet, vt ſi farinæ mixtum fuerit, ꝙ parum videbatur, creſcat in maius, & ad ſaporẽ ſuũ vniuerſam cõuerſionem trahat: ita & doctrina hæretica, ſi vel modicã ſcintillã in tuũ pectus iecerit, in breui ingens flãma creſcit, & totam hominis poſſeſsionem ad ſe trahit. Deniq; ſequitur: Tunc intellexerunt, quia non dixiſſet, cauendum à fermento panum, ſed à doctrina Phariſæorũ & Sadducæorum. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 16. Matth. Cano. 32. fac. 2. in fine.*

*1. Cor. 5.*
*Fermentum hæreticorum vitandum.*
*Pulchra cõparatio inter fermentum & doctrinã hæreticam.*

ELEGANTER in hoc loco vir doctiſsimus Tertullianus aduerſus Apellem & eius virginẽ Philumenem, quam angelus quidam Diabolici ſpiritus & peruerſus impleuerat, hũc eſſe ſcribit angelũ, cui multò anteꝗ Apelles naſceretur, ſpiritus Sancti vaticinio ſit anathema per Apoſtolũ prophetatum. *Tomo 6. lib. 1. Comment. in cap. 1. ad Galat. fol. 122. facie 2.*

*Philumenã virginem hæreticã, angelus diabolici ſpiritus impleuerat.*

SICVT



SICVT tunc maior frater Iſmahel lactentem adhuc & paruulum perſequebatur Iſaac, ſibi circunciſionis prærogatiuam, ſibi primogenita vendicans: ita & nunc ſecundum carnem Iſrael, aduerſum minorẽ fratrem de gentibus populũ Chriſtianum ſuſtollitur, inflatur, erigitur. Conſideremus inſaniam Iudæorum: qui & Dominũ interfecere, & prophetas & Apoſtolos, perſecuti ſunt, & aduerſantur voluntati Dei: & videbimus multo maiores perſecutiones, quas nos etiã hiſtoriæ docent, à Iudæis in Chriſtianos, quam à gentibus concitatas. Miramur de Iudæis: hodie quoque hi qui in Chriſto paruuli ſunt & viuunt carnaliter perſequuntur eos, qui ex aqua & ſpiritu nati ſunt, & cum Chriſto reſurgentes, ea quæ ſurſum ſunt, nõ deorſum faciant, quod volunt: cum Iſmahele perſequantur Iſaac: eijcientur foras cum ancilla mater AEgyptia: Nec accipient hæreditatem: quam ſolus, qui de repromiſsione natus eſt conſequetur. Eleganter autem & illud, quod is qui ſecundum carnem natus eſt, perſequitur ſpiritualẽ. Nunꝗ.n. ſpiritualis perſequitur carnalẽ: ſed ignoſcit ei ruſticano fratri: ſcit eũ poſſe proficere per tẽpus. Et ſi quãdo AEgyptiæ filium viderit iraſcentem, recordatur vnius patris, qui lucem, boues crearit & culicem, & in magna domo, non ſolum eſſe vaſa aurea & argẽtea, ſed lignea & fictilia. Itaque cum Apoſtolo Paulo dicamus: Non ſolum ancillæ filij, ſed liberæ, & renouati in Chriſto, audiamus verba Domini ad Iudæos loquentis: Si manſeritis in ſermone meo, cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Hac libertate & Apoſtolus liberatus, aiebat: Cum enim ſim liber ex omnib. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Ille, quia ſe ab omnib. vitijs liberum, ab omni concupiſcentia & errore ſciebat alienum, rectè in Chriſti libertate gaudebat dicens: Non ſumus ancillæ filij ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberauit. *To. 6. lib. 2. Com. in cap. 4. ad Galatas fol. 144. fac. 2.*

*Perſequutiones hæreticorum, Iudæorum, Paganorum contra Eccleſiam.*

*Iudæi excitarunt maiores perſecutiones contra Eccleſiam, quàm Gentiles.*

*2. Timoth. 2*
*Ioan. 8.*
*1. Cor. 9.*
*Ioan. 8.*

SED & generalis explanatio ad ſpecialem interpretationem trahi poteſt: quod ſeruet vnitatẽ ſpiritus in vinculo pacis: qui non rapiatur omni vento doctrinæ: neque in morem ſtulti quaſi luna mutetur, nunc diabolo ſeruiens nunc Deo. habeat autem vnum corpus bonorum operum, & ſemper carnem ſuam Deo templum exhibeat. Et vnum ſpiritum, eadẽ ſemper ſentiens: in vna ſpe vocationis: vt nequaquã de repromiſsionib. ambigens, in reſurrectione & reſtitutione omnium, ſolida mente confidat. *Tom. 6 lib. 2 com. in cap. 4 ad Epheſios fol. 177 fac. 1.*

*Hæreticorũ incõſtantia.*

PORRO blaſphemia non ſolum aperta eſt, & de ira naſcitur, ſed & abſq; ira mente ſedata profertur. Si autem de mundi iſtius quiſpiam gubernatione cauſetur, & dicat, illud ſic eſſe non debuit, hoc verò, eſſe ſic debuit: aut certè in eccleſia conſtitutus, & credens in Deum, labatur in dogmatibus, quæ ignorare non licitum eſt, aliter de patre, & filio & ſpiritu ſancto ſentiens, quam rei ipſius veritas habet, nõ ita credens in reſurrectione mortuorum, vt ſcripturæ docent. vel certæ alienæ inuidens ſapientiæ, cum male ſentire cõmemoret, qui catholicæ fidei eſt, & rurſum hæreticum pro adulatione, qua ſibi obſequitur, catholicum eſſe conteſtans, qui dicit dulce amarũ & amarum dulce, vnde omni ſtudio legendæ nobis ſcripturæ ſunt, & in lege domini meditandũ die ac nocte, vt probati trapezitæ, ſciamus quis nummus probus ſit, quis adulter. *Tom. 6 lib. 3 cõ. in cap. 4 ad Epheſ. fol. 184. fac. 1.*

*Blaſphem. hæretici.*

LICET non ſunt digni fide, qui fidem primam irritam fecerunt, Marcionem loquor & Baſilidẽ, & omnes hæreticos, qui vetus laniãt teſtamentum: tamen eos aliqua ex parte ferremus, ſi ſaltem in nouo continerent manus & non auderent Chriſti (vt ipſi iactitant) boni Dei filij, vel Euangeliſtas violare vel Apoſtolos. Nunc verò cùm & Euangelia eius diſputauerint, & Apoſtolorũ epiſtolas, non Apoſtolorũ Chriſti fecerint eſſe. ſed proprias: miror quo modo ſibi Chriſtianorũ nomen audeant vindicare. vt enim de cæteris epiſtolis taceam, de quibus quicquid contrarium ſuo dogmati viderant, eraſerunt: nonnullas integras repudiãdas crediderũt: ad Timothæũ videlicet vtramq;, ad Hebræos, & ad Titũ quam nunc conamur exponere. *Tom. 6 in Proœ. in epiſtol. ad Titum à principio.*

*Hæretici nõ ſunt digni nomine Chriſtianorum, cũ violent [illegible] Teſtamentum.*

*Hæretici quicquid ſuo dogmati aduerſatur eradunt ex ſcripturis.*

POSSVMVS & aliter interpretari hoc quod dictũ eſt, turpis lucri gratia: vt putemus Apoſtolum communi verbo vſum, quo omnes hæretici cùm peruerſa docent, ſe hominum ſolent aſſerere lucratores: cùm nõ lucrum ſit, ſed perditio animas interficere deceptorum. Contra qui errãtem fratrem ſuum iuxta Euangelium corripuerit: ſi fuerit ille cõuerſus, lucratus eſt eum: Quod enim maius lucrum poteſt eſſe: aut quid pretioſiùs, quã ſi humanam animam quis lucretur? Omnis igitur doctor Eccleſiæ, qui ad fidem Chriſti recta ratione perſuadet, honeſtus lucrator eſt, Et omnis hæreticus, qui quibuſdam præſtigijs homines fallit, & fallitur, loquitur quæ non oportet, turpis lucri gratia. *Tom. 6. lib. 1. Com. in ca. 1. ad Titum fol. 201. fac. 1.*

*Hypocrytæ hæretici ſimulant ſe lucrari animas, cùm perdant.*

*Hæreticus fallit præſtigijs lucri cauſa.*

ET in Cathedra peſtilentiæ non ſedit] pro peſtilentibus in Hebræo deluſores habet: quod ſcilicet omnes diſcipulos peruerſus doctor illudat, vnde Hieremias: Non ſedi, ait, in conſilio ludentium. *Tom. 7. Com. in 1. Pſalm.*

*Hierem. 15.*
*Diſcipulos illudunt hæretici.*

PROPTER inimicos meos] hoc eſt, viã tuam rectam fac propter inimicos meos, qui inſidiantur mihi. Quæ autem eſt iſta via? lectio ſcripturarum: hoc eſt, ne in ſcripturis tuis, per quas ingredi cupio, In Eccleſiam tuam corruam. Omnis enim qui malè intelligit ſcripturas, in via Dei corruit. *To. 7. in Pſalm. 5. fol. 4. fac. 2.*

*Lectio ſcripturæ via & porta in Eccleſiam.*

QVONIAM non eſt in ore eorum veritas] deſcribuntur hæretici, deſcribitur vir ſanguinarius & doloſus, quem abominabitur Dominus. Non eſt in ore eorum veritas, Non habent Chriſtum veritatem in ore ſuo: quia nec in corde habent. *Ibidem.*

*Hæretici mẽdaces.*

SEPVLCHRVM patens eſt guttur eorum] Infelices ſunt hæretici, qui ſepulchra ſunt dealbata, plena oſsibus mortuorum, Sepulchrum patens eſt guttur eorũ. Arius Eunomius & cæteri hæretici linguas ſagittas habent: fauces ſuas ſepulchrum habent. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, & rectè dixit, patens. Quandocunque enim vult aliquis deceptus intrare, paratus eſt hæreticus & ſuſcipit. Nunquam hæretici claudunt os ſuum, ſed ſemper aperiunt os ſuum. *Ibidem.*

*Hæretici ſepulchra dealbata.*

LINGVIS ſuis doloſè agebant] aliud in corde tenebant, aliud in ſermone pollicebantur. Pietatem loquebantur, & impietatẽ cęlabant, Chriſtum loquũtur, & occultant Antechriſtum. Sicut enim

*Hypocriſis hæreticorũ*

ut enim quod nemo poſsit indici, ſi proferant Antichriſtum. Lucem proferũt, vt cælent tenebras, vt per lucem ducant ad tenebras. *Ibidem*

DECIDANT à cogitationibus ſuis] Quotidie hæretici immutant dogmata ſua. Denique ſi vir Eccleſiaſticus de ſcripturis eruditus contenderit contra eos, & de ſcripturis ſanctis coarguerit eos, ſtatim requirunt, quo modo aliud nouũ dogma reperiant. Non quærunt quo modo ſaluentur, ſed quo modo ſuperent. propterea nunc dixit: Decidant à cogitationibus ſuis & te habeant vnam cogitationem. *Ibidem.*

*Nouorum inueniendorũ dogmatum cupidi hæretici.*

PORTAE mortis ſunt ſtudia parentum, qui colebant diuerſos deos dæmoniorum. Ipſi erant portæ mortis, quorum doctrina ad mortem ducebat. aliter: portæ mortis hæreticorum doctrina, de quibus portis exaltata eſt Eccleſia, & miſſa eſt in portas filiæ Sion, quæ ſunt portæ vitæ. Sicut per malam doctrinam quaſi portas mortis intelligimus, quæ nos ad interitum ducunt: ita & portas vitæ intnlligemus bonos prædicatores, q nos per ſuam doctrinam ad vitam æternam ducunt. *Tom.7.com.in pſal.9 fol.9.fac.1.*

*Portæ mortis hæretici.*

SALVOS facis à, reſiſtentibus dexteræ tuę tripliciter, dæmones Deum, Iudęi Chriſtum, hæretici Eccleſiam. *To.7.in pſal.10.fol.16 fac.1.in fine.*

VT excludant eos qui probati ſunt argento] Et propterea ſimpliciores decipiũt: hoc eſt, multitudinem vt veniant vſque ad ſanctos, & excludant eos de regno cælorum vel in tauris, duces Iudæorum, qui perſecutionem in dominum, vel in ſanctos eius intulerũt, iudicat, vt illud: Tauri pingues obſederunt me. In vaccis verò ſtultas populi ſequentis animas demõſtrat. Quod ibi oſtẽditur, cum vaccas aureas in Samaria ſub Hierobaam adorauit. Ergo conſilium eorum, quod habent vt ſanctos de via iuſtitiæ retrahant, in eorũ animabus requieſcat, iuxta illud: Gladius eorũ intret in cor ipſorũ; vt hi non excludantur à regno Dei, qui per multas tribulationes tanquam aurum probati, inuenti ſunt iuſti. Tale conſiliũ præuidebat Iacob cum diceret: In conſilio eorũ nõ introeat anima mea. *To.7.in pſal.67.fo.82.fa.2.in fine.*

*Simplicem multitudinẽ decipiunt.*

*Pſalm.21.*

*3.Reg.12.*

*Pſalm.36.*

*Geneſ.49.*

VBI ſunt Iudæi, vbi ſunt ſimiles Iudæorum: qui ſecundum litteram tantum ſunt intelligentes: quomodo vſque ad nubes eſt veritas Dei? ſilius Dei dicit: Ego ſum via, veritas & vita: & deſcendit in terris, & cum hominibus conuerſatus eſt: Et quomodo vſque ad nubes veritas tua? Manifeſtus eſt ſenſus, quod de Apoſtolis loquitur & de ſanctis, vt imbrem ſuum non pluant ſuper Iudæos, ſed ſuper gentes, ſicut ſcriptum eſt: Mandabo nubibus meis, ne pluãt ſuper Iſrael imbrẽ. In iſtis ergo nubibus, veritas Dei eſt. Si autem in iſtis nubibus veritas Dei eſt, quomodo Montanus dicit, & Cataphrygæ dicunt: Quod non eſt reuelatum Apoſtolis, nobis reuelatum eſt. *Tom.7.com.in Pſal.107.fol.138 fac.2.*

*Ioan.14.*

*Baruc.3.*

*Eſaiæ.5.*

*Hæretici iactant ſibi, non Apoſtolis prius reuelatũ Euangelium.*

QVEMADMODVM ſerpens quãdo viderit aliquẽ venientem ad percutiendum, circũ facit totius corporis ſui, & in medio cælat caput, vbi ſcit habere ſe vitam: ita & iſti hæretici per ſermonem Philoſophorũ & Ariſtotelis & cæterorum vidẽtur ſe abſcondere, & quaſi protegere & defendere. Sed Eccleſiaſticus vir quaſi in virga, hoc eſt, in cruce ſoluit circulum, & inuenit caput latens, & ibi eum percutit hoc eſt, teſtimonium profert de ſcripturis. *Ibidem in Pſal.139.fol.173 fac.2.*

*Hæretici ſerpentibus cõparantur.*

SEMPER nobis laqueos tendunt aut hæretici, aut dæmones, vitia enim vicina ſunt virtutibus. Laqueum mihi poſuerunt in eleemoſyna, ſi extendero manum meam, vt videant homines, & quaſi bonum faciens, venero in vitium, & in peccatum. Si autem dedero tunicam fratri vt alter videat, laqueũ mihi poſuerũt. Sẽper ceruis tendũtur retia, & laquei eis ponuntur, vt veſtigia eorum deprehendat venator. Ceruus autem accipitur in ſancto: quia altus eſt, & cornua grandia habet & interficit ſerpẽtes: Propterea dicit alibi: Qui perfecit pedes meos tanquã ceruorum. Talis enim dicitur eſſe virtutis, vt ſpiritu nariũ ſuarũ protrahere ſerpentes de cauernis, & ſic comedere valeat. Ipſi ergo ſerpentes ponunt nobis ſcãdala, hoc eſt, dæmones in ipſis veſtigijs noſtris vbi gradimur: In virtutib. in eleemoſyna, vt corã hominib. faciam⁹ ꝓpter vanã gloriã. In ieiunio, in oratione, in veſtiẽdo ciliciũ & oſtendẽdo hominibus. Qui enim veſtitur cilicio, debet lugere ſua peccata: non gloriari & oſtendere hominib. *Ibidem in Pſal.140.fol.175.fac.1.*

*Cerui & ſancti comparatio.*

*Pſalm.17.*

*Ceruorum & dæmonũ comparatio.*

QVORVM filij ſicut nouellæ plantationes in iuuentute ſua] Plantatio eorũ non eſt vetus, ſed nouella eſt. Non eſt enim de veteri lege, non eſt de Prophetis, non eſt, de Apoſtolis: ſed de nouis magiſtris eſt. filiæ eorũ ſicut nouellæ plantationes in iuuentute ſua. In iuuẽtute ſua: ſemper iuuenes ſũt. Licet multæ ſint hæreſes veteres, tamẽ quotidie mutantur, & nouæ quotidie inueniuntur. Nouæ ſunt ipſæ hæreſes licet veteres ſint. tamen cùm quotidie doctrinas ſuas innouant nouæ ſunt. non enim ſunt veterum magiſtrorũ doctrina contenti, ſed quotidie ipſi noua reperiũt: quorum filij ſicut nouellæ plantationes in iuuẽtute ſua. *Tom.7 Com.in Pſal.143.fol.177.fac.2.*

*Hæreſes nouellæ plantationes.*

*Inſtabilitas hæreſeõn.*

CELLARIA eorum plena: eructantia ex hoc in illud, Parati ſunt ad contendendũ. Si illos tenueris in vno teſtimonio ad aliud tranſeunt. Cellaria eorũ plena: eructantia ex hoc in illud. cellarium proprie dicitur, quod diuitias compoſitas habet. Hæretici cellaria habẽt. Habẽt enim præparata verba quibus contendant. Cæterum Eccleſiaſtici ſimplices ſunt. nihil habent præparatũ, Aperiunt os, & repletur a Domino: ſecundũ quod dicitur: Aperi os tuũ & implebo illud. Et nolite cogitare, quid reſpondeatis illis: dabit enim vobis pater veſter in illa hora, quid dicatis videtis quoniam non habemus cellaria præparata: ſed diuitiæ nobis ſubditæ ſunt. *Ibid.fol.178.fac.1.*

*Contentioſi hæretici.*

*Pſalm.10.*

*Matth.10.*

OVES eorum fœtoſæ. Multos habent filios, multus enim numerus hæreticorum eſt. Oues eorum fætoſæ. vnde dicitur & in Oſeę propheta: Domine da illis. Quid dabis illis? vuluam ſterilem, & vbera arentia, hoc de quibus dicitur? de hæreticorum magiſtris, qui ſibi in numero diſcipulorum applaudunt, oues eorum fætoſæ, abundantes in egreſsibus ſuis. Non dixit, in ingreſsibus ſuis, ſed in egreſsibus. Non enim ingrediuntur in eccleſiam, ſed egrediuntùr de Eccleſia, id eſt, ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis. Si enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcũ. Abundantes in egreſsibus ſuis. de Eccleſia de qua dicitur? omnis gloria eius filiæ regis ab intus. Boues eorum craſsi. vidit & Pharao in ſomnis boues craſſos. Iſrahelitici populi tenues ſunt, AEgyptij craſsi. videtis enim magiſtros hæreticorum nihil aliud facere, niſi ſtudere diuitijs. diuitijs ſtudent & pauperẽ Chriſtum contemnunt. boues eorum craſsi. pulchrè dixit, boues craſsi: quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione eorum. Non eſt ruina maceriæ neque tranſitus. Nonne videtur obſcurum eſſe quod dicitur: Non eſt ruina maceriæ neque tranſitus, neque clamor in plateis eorũ? difficilè hæreticos inuenies imperitos. Omnes enim magiſtri inſtructi ſunt ſcientia ſeculari. Non habent rete Apoſtolicum, ſed catenulas Dialecticas. Non eſt ruina maceriæ neque tranſitus. Si quando ſunt in diſputationibus, quando tecum cæperint diſputare, ſic verba eorum breuia ſũt, ſic artifici ſermone cõcluſa vt euadere inde diſſicile ſit. Cum enim te ligauerint ſyllogiſmis ſuis, & te clauſerint & quaſi maceriem ſyllogiſimum tibi texuerint atque ædificauerint, non potes cõuerti: non potes tranſire, teneris incluſus. Non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus. Cumque ibi te tenuerint, quaſi quodam gyro incluſum, tunc non eris in anguſta via, quæ ducit ad vitam: ſed in lata quæ ducit ad mortem. Neque clamor in plateis eorum. clamor Ieſu in via anguſta eſt: in plateis hæreticorum non eſt: Beatum dixerunt populũ cui hæc ſunt. Multi neſcientes beatos tales putant. Ceterum nobis ſimplicitas Chriſtiana eſt: Nolumus eloquentiam Platonicam, ſed volumus ſimplicitatem Apoſtolicam. Piſcator iſte rete tenet, lutatos habet pedes, & manus ex opere calloſas habet. Beatus populus, cuius eſt Dominus Deus eius. Beatus eſt populus, qui pro omnibus diuitijs Chriſtum habet. Illi habent filios & filias, & cellaria, & oues fœtoſas, boues craſſos & nitidos atque formoſos Cæterum nos non habemus multitudinem: ſed ſcimus illud dictum in Euangelio: Vbicumque fuerint duo aut tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum ſum, Ne timeas grex paruule: quia complacuit Deo habitare in te. *Tom.7.fol.178.fac.1.*

*Hæreticorũ magnus numerus.*

*Oſeæ 9.*

*1.Ioan.3.*

*Pſalm. 44.*

*Geneſ.41.*



*Phil.3*

*Hæretici fereſimi periti philoſophi.*

*Matth.7.*

*Hæretici docent viam latam non anguſtam*

*Ioan.7.*

*Diſsimilitudo, hæreticorum & Catholicorum*

*Matth.8.*

DOMINE libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa] dicit hoc de omnibus hęreſibus, dicit de Iudæis, dicit de Arianis, dicit de Manichæis, dicit de cæteris hæreſibus: Quando dicit Arianus, pater maior, filius minor quid dicemus nos? Domine libera animam meam à labijs iniquis & á lingua doloſa. Quandò dicit Manichęus, & ſimiles Manichæorum, Dominus nõ reſurrexit in corporis veritate, & vt ſcias nõ fuiſſe verum corpus, clauſis ingreſſus eſt oſtijs: nos quid dicemus? Domine libera animam meam à labijs iniquis & à lingua doloſa. Maiora vulnera ſunt linguę, quam gladij. Gladius interficit corpus, animam non interficit. lingua animam interficit. Lingua mala res eſt. malum magnũ: Modicum quidem membrum, ſed magna exulcerat. Quanta mala habeat lingua, legite Epiſtolã Sancti Iacobi. lingua nihil medium habet: aut grande malum eſt, aut grande bonum. Grande bonum, ſi Chriſtum Deum confitetur. Grande malum, ſi Chriſtũ Deum negat. Ergo ne putet aliquis, & dicat interim, opere non peccaui: ſi peccaui, lingua peccaui. Quod eſt maius peccatũ, quam blaſphemia in Deũ? & tamẽ lingua peccat: Diabolus cur de cælo cecidit: quia furtum fecit? quia homicidium fecit? quia adulterium commiſit? Et hæc quidem mala ſunt: ſed diabolus non propter hoc cecidit, ſed propter linguã ſuã cecidit. Quid enim dixit? in cælum aſcendam, ſuper ſydera cæli ponam thronum meum & ero ſimilis altiſsimo. *Tom.7.Com.2.expoſitio.in Pſal.119.fol.188.fac.2.*

*Hæreticorũ doloſa & blaſphema lingua*

*Ioan.20.*

*Iacob.3.*

*Linguæ virulentæ mala.*

*Eſaiæ.14.*

FILIAE eorum compoſitæ. ſermo compoſitus eſt, & ſenſus ſordidus. in ſcripturis ſanctis, cogitationes ſemper filij dicũtur: verba, filiæ. vide ergo quid dicit: cogitationes eorum, hoc eſt, filij noui ſunt. verba verò eorum, hoc eſt hęreticorũ, quæ habent ſapientia ſæculari, compoſita ſunt. verba enim compoſita habent, lautum ſermonẽ. filiæ eorum compoſitæ videntur quidem eſſe cõpoſitæ: ſed quia filiæ ſunt & non filij; vires non habent. *Tom.7.com. Pſal.143.fol.178.fac.1.*

*Hæreticorũ lautus ſermo.*

## *Articul.V. Hæreticos in ſectas ſolere eſſe diſſectos, &c.*

RHODON, genere Aſianus, à Tatiano, de quo ſupra diximus, Romę in ſcripturis eruditus, edidit plurima: præcipuũq; aduerſus Marcionẽ opus, in quo refert, quomodo ipſi quoque inter ſe Marcionitæ diſcrepent, & Apellem ſenẽ aliũ hæreticum à ſe quondam fuiſſe conuentum, & riſui habitum, eo quod Deum, quem coleret, ignorare ſe diceret. *Tom.1.de viris Illuſtrib.in Rhodone.*

*Marcionitæ hæretici inter ſe diuiſi.*

HINC præſidijs fulta mundi Ariana rabies fremit. hinc in tres partes ſciſſa eccleſia ad ſe rapere me feſtinat, Monachorum circa manentium antiquã in me ſurgit auctoritas. Ego interim clamito, ſi quis Cathedræ Petri iungitur, meus eſt, Meletius, vitalis, atque Paulinus tibi hærere ſe dicunt. *Tom.2.epiſtol.58.ad Damaſum in medio.*

*Eccleſia in tres partes ſciſſa.*

TVNC Simon magus, & Menander, diſcipulus eius, Dei ſe aſſeruere virtutes: tunc Baſilides ſummum Deum Abraxas, cum trecentis ſexaginta quinque æditionibus commentus eſt: tunc Nicolaus, qui vnus de ſeptẽ Diaconus fuit, die noctuque nuptias faciens, obſcenos & auditu quoque erubeſcẽdos coitus ſomniauit. Taceo de Iudaiſmi hęreticis qui ante aduentum Chriſti, legem traditam diſſiparunt: quod Doſitheus, Samaritanorum princeps; prophetas repudiauit: quod Sadducæi, ex illius radice naſcentes, etiam reſurrectionem carnis negauerunt: quod Phariſæi, à Iudæis diuiſi, propter quaſdam obſeruationes ſuperfluas nomen quoq; à diſsidio ſuſcepêrunt: quod Herodiani Herodem regem ſuſcepêre pro Chriſto. ad eos venio hæreticos qui Euangelia laniauerũt, Saturnium quendã, & Ophitas, & Gnoitam & Carpocratem, & Cerinthum, & huius ſucceſſorem Hebionem & cæteras peſtes: quorum plurimi, viuente adhuc Ioãne Apoſtolo, eruperunt: & tamen nullum eorũ legimus rebabtiſatum. *Tom.2.in Dialogo contra Luciferianos cap.8.in medio.*

*Hæretici diuiſi innaſcẽte Eccleſia.*

*Actorum 6.*

*Hæretici Iudaiſmi diuiſi.*

*Hæretici qui laniauerunt Euangelia*

EVNOMIANI, Ariani, Macedoniani, nominibus ſeparati, impietate concordes, nullum nobis laborem faciunt: loquuntur enim, quod ſentiunt. Sola hæc hæreſis eſt, quæ publice erubeſcit loqui, quod ſecreto docere nõ metuit. Magiſtrorum ſilentia profert rabies diſcipulorum. *To.2.aduerſus Pelagium ad Cteſiphontem Ca.4.in fine.*

*Triplices Ariani nomine quidem ſed impietate concordes*

ET tu ergo, doctor egregie, aut defende quod locutus es & ſententiarum tuarum acumina adſtrue

ſtrue eloquio ſubſequenti; ne, quando tibi placuerit, neges quod locutus es: aut, ſi certè erraſti quaſi homo, liberè confitere; & diſcordantium inter ſe redde concordiam. In mentẽ tibi veniat, tunicam Saluatoris nec à militibus fuiſſe conſciſſam. fratrum inter ſe cernis iurgia, & rides atque lætaris, quod alij tuo nomine, alij Chriſti appellentur, Imitare Ionam & dicito Si propter me eſt iſta tempeſtas, tollite me, & mittite in mare. Ille humilitate deiectus eſt in profundum, vt in typum Domini glorioſus reſurgeret. tu per ſuperbiam ad aſtra ſuſtolleris, vt de te loquatur Ieſus: videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem. *Ibid. Cap. 5 fol. 267. in principio.*

*Hæreticorũ minimè concors diſcordia. Ioan. 19. Tunicam Saluatoris conſcindunt hæretici. Ioan. 2.*

HOSTILI inter ſe Samaritani atque Iudæi. diſcordant odio; & cum omnes oderint gentes, proprio contra ſe furore bacchantur, dum vtrique de legis poſſeſsione contendunt, & intantũ ſe mutuo perſequuntur, vt poſtquam Iudæi de Babylonia ſunt reuerſi, ædificationem templi Samaritani ſemper impedierint. Cumq́ue vellent & ipſi cum eis ædificare templum, reſponderunt Iudæi: non licet nobis & vobis ædificare Domum Domini. Deniq; pro ſua iniuria phariſæi exprobrabant Domino: Nõne Dæmoniũ, habes & Samaritanus es? Et in parabola de Hieruſalẽ deſcendentis Hiericho, Samaritanus ponitur pro ſigno atque miraculo, ꝙ malus benefecerit: & ad puteũ Samaritanæ ſcriptum eſt: Nõ enim congruunt Samaritani Iudæis. *Tom. 3. epiſt. 151. ad Algaſiam queſt. 5.*

*Samaritanorum & Iudæorum diſcordia ſumma. 1. Eſdr. 4.*

IVXTA Anagogen facilis interpretatio: Quod regnante Achas rege impio, rex Aram, qui interpretatur excelſus atque ſublimis (vt iudicet arrogantiam ſapientiæ ſecularis) & Phacer filius Rometiæ (qui & ipſe iuxta Oſeę prophetam ex tribu fuit Ephraim, de qua Hierobaam filius Nabath vitulos aureos in Bethel & Dan conſtituerat: & à domo Dauid Dei populum ſeparet) refertur ad hæreticos, conſentientes ſibi vt expugnent eccleſiam. Quod cum audierit domus Dauid: quem in Ezechiele bonum paſtorem legimus ſuſcitandum & populus eius, ſimpliciter credens in Dominũ, pertremiſcet. Et ideo pertremiſcet, quia non arboribus frugiferis, ſed infructuoſo ſaltui conparatur. Eoſdem autem hæreticos atque gentiles cõtra domum Dauid argumentorum & dialecticæ artis gladijs dimicare nulli dubium eſt: vt qui inter ſe diſcrepant, in Eccleſiæ oppugnatione conſentiant: iuxta illud quod Herodes & Pilatus, inter ſe diſcordantes, in Domini paſsione amicitia fæderantur. *To. 4. lib. 3. Com. in Cap. 7. Eſaiæ fol. 26 fac. 2.*

*Oſeæ 1. 3. Reg. 12. Ezech. 34. Hæretici inter ſe diſcrepant, ſe in eccleſiæ oppugnatione cõſentiunt. Lucæ 23.*

LEGAMVS Regum & Paralipomenon volumina & inueniemus Samariæ inter ſe bella ciuilia: dum alij pro alijs regibus dimicant: & quomodo ſuis regibus interfectis in Iudæ expugnationem concordent. Secundum tropologiam: auferet Dominus caput & caudam, maiorem pariter ac minorem. Caudam appellans non homines ſed iumenta hæreticos eſſe demõſtrat: quæ hoc membro vtuntur ad ſtercora protegenda, & ad arcenda parua animalia. Et poſt caput & caudam, incuruantem iungit & deprauantem: quod legis præcepta ſubuertant, & rectam deprauant viam. Longæuum quoque qui caput eſt & pſeudoprophetam, qui in cauda ponitur, diſperdet, & magiſtros pariter & diſcipulos: alios qui propter munera laudãt peccatores: alios, qui laudati ſua mala non ſentiunt, nec agunt pœnitentiam. Propter hoc in iuuenibus eorum non laudabitur Dominus: væ enim ciuitati cuius rex adoleſcens Et qui Deum patrem vel Dominum perdiderunt; Non impetrabunt miſericordiam: Omnis enim hæreticus hypocrita eſt, aliud agens, & aliud ſimulans. & quicquid loquitur, videtur eſſe ſapientia, tamen ſtultitia eſt. Propter hæc extendit manum ſuam ad funiculum, & omnes impietates eorum, quaſi ſpinas vorax flamma cõſumet, Et verba abſq; virtutibus, quæ infructuoſo ſaltui comparantur, inuoluũtur fumi ſuperbia. Ad eorum pænam contremiſcet omnis humus & decepti populi, æternis tradentur ardoribus: quia turpis lucri gratia, ne ſuis quidem parcunt. ſed certatim de deceptis populis prædas agunt, relinquentes bona, & in peſsimis immorãtes. Cum ſemper ſiniſtra inueniant, tamen ſuis nunquam ſatiantur erroribus, vorantes carnem brachij ſui, & aduerſum eccleſiam pari ſtudio dimicantes. Propter luxuriam & voluptates, & lucra de populis inter ſe habent diſcordiam vt de vna hæreſi duæ fiant, & rurſum ipſæ diuidantur in partes, vt proprios abducant greges & deuorent domos viduarum & mulierum peccatricum, ſemper diſcentium, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientium. In omnibus his non auertetur furor Domini conſumens vitia atque ſubuertens: ſed quanto illi proficiunt ad peccandum tanto iſte amplius manum ſuam extendit ad pœnas. *Tom. 4. lib. 4. Com. in cap. 9. Eſa. fol. 36. fac. 1.*

*Samariæ inter ſe bella ciuilia typus diſſenſionis inter hæreticos. Eccleſia. 10. Hæretici hypocritæ. De vna hæreſi duæ fiũt, & rurſum ipſæ diuidãtur in partes. Luca 10. 2. Timo. 3.*

ET erit quaſi damula fugiens, & quaſi grex ouium, &c] cælo terraque commotis, fugiet Diabolus coluber tortuoſus, & omne dogma contrarium veritati: quod in magiſtros ac diſcipulos ſcinditur: quorum priores propter ὀξυδερκείαν Græco ſermone Dorcades, id eſt, capreæ nuncupantur. Sequentes quaſi bruta animalia, & huc atq; illuc errantia non habent qui eos dirigant: perdiderunt enim, eum de quo ſcriptum eſt; à Domino greſſus hominis diriguntur: qui liberati à magiſtris peſsimis, conuertentur ad populum ſuum: & ſinguli ad terram ſuam fugient, de qua orti ſunt, qui verò inuentus fuerit, occidetur ſiue iugulabitur. Hoc autem non ſolum in conſummatione mundi, ſed vſque hodie fit in Eccleſia: quando magiſtris ſuperatis, grex deceptus rẽuertitur ad populum, & ad terram ſuam, & in eo quod inuenitur, occiditur: vt hæreticus eſſe deſiſtat. Et quicumq́ue ſuperuenerit, cadet in gladio ſprituali. Tunc infantes eorum & paruulos qui nondum ad perfectam venerunt erroris ætatem, allident in oculis magiſtrorum: deripientq́; eorum domus & vxores eorum violabunt, prauam ſcientiam & doctrinam peruerſam. vnde pro huiuſmodi patribus, quorum interficiendi ſunt paruuli, debemus orare & dicere, Da eis Domine. Quid dabis eis? vuluam ſterilem & vbera arentia, Parturierunt enim iniquitatem, conceperunt dolorem & genuerunt iniuſtitiam. *Tomo. 4. lib. 6. Com. in Cap. 13. Eſaiæ fol. 64. fac. 2.*

*Iob 26. Hæreſiarchæ & diſcipuli inter ſe ſcinduntur. Prouerb. 20. Oſeæ 9. Pſalm. 14*

ET eſt ſenſus: Cum Philoſophi tumeant: & omnis ſapientia ſecularis, de ſublimibus diſputans ſimplicitatem contemnat eccleſiæ: cur tu quoque excelſa ſectaris? Quę LXX. σιμαντινόττερον δωμάτα μάταια. i. vana tecta interpretati ſunt: vt oſtenderent eſſe & aliud tectum, de quò ſaluator deſcendere prohibet: Quod tamen non ſit tectum vanum. denique, Apoſtolus Petrus hora orationis ſexta aſcendit in tectum. Nunc autem vt oſtenderet multam hæreſeon varietatem: Non vnũ tectum ſed tecta plurima nominauit. *To. 4. lib. 7. Com. in Cap. 22. Eſaiæ fol. 84. fac. 1.*



*Matth. 24. Actor. 10. Hæreſeon varietas.*

CLAMORIS &c] doctrina hæreticorum nõ in ſenſu ſed in multiloquio & clamore verſatur. Vnde ob multitudinem deceptorum, frequens ciuitas appellatur: & exultans, propter ſuperbiã. Inflati enim tument, & ſacratiores ſe inueniſſe gloriantur. *Ibidem.*

*Clamor & multitudo hæreticorum*

INTERFECTI &c] Maxima pars abſque vllà certamine & diſceptatione, hæreticorum deceptionibus ſupplantatur: & eſt turba quàm plurima. Interfecti igitur, ſiue vt LXX. trãſtulerunt. vulnerati vallis Sion, non ſunt interfecti & vulnerati gladio, ſed voluntate propria ad hæreticos trãſierunt, & comparatione eorum, qui poſt præliũ victi ſunt, infelicius ille vulneratus & interfectus eſt, qui ſponte ſe tradidit: Quomodo & in Martyrio, qui poſt pœnas victus manus dedit, leuioris pœnę eſt eo, qui abſque vlla neceſſitate, & dolore cruciatum Chriſtum negauit. *Ibidem fac. 2.*

*Turba plurima deceptorum ab hæreticis.*

CVNCTI Principes tui &c] In hoc loco Lxx. interpretationem ſecuti ſumus: quia non multũ ad Hæbraico diſtat in ſenſu. Cæterum vt verbum ex verbo de Hebræo transferam, ita apud eos legitur: omnes primates tui migrauerunt ſimul ab arcu ligati ſunt: quam editionem & alij interpretes ſecuti ſunt. Migrauerunt enim oẽs hæreticorum Principes, ad ſynagogam Satanæ à Chriſti Eccleſia: & tranſierunt ſimul diſcordes in perſidia, in tranſitu concordes: & ligati ſunt ab arcu: de quo Pſalmo ſcriptum eſt: Ecce peccatores intenderunt arcum: parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde: & mittant ignita diaboli iacula quæ vulnerent pariter & ligent. Ideoq́; durè ligati ſunt, quia obturauerũt aures ſuas, ſicut aſpides ſurdæ, & obturantes aures, quæ non exaudient voces incantantium, nec venefici incantantis ſapienter. Ob quam cauſam & Apoſtolus Paulus, Hæreticum poſt vnam commonitionem peruerſitati ſuæ præcipit relinquendum: Quia peruerſus eſt, & proprio iudicio condemnatus. Ex nobis enim exierunt, ſed non erant ex nobis: ſi enim ex nobis fuiſſent, manſiſſent vtiq́; nobiſcum, Horũ principũ fugitiuorum ille princeps eſt: quẽ idem Eſaias vocat, Draconem fugientem, colubrum tortuoſum: Qui cum verba mortifera in aures miſerit deceptorum durè eos ligat, & de vinculis ſuis exire non patitur, de quib. ſanctus erutus gratulatur in Pſalmo: Anima mea ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium. Et in alio loco gaudens, quod euaſerit, loquitur ſuſceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus ſperabo in eum. Quoniam ipſe eruit me de laqueo venantiũ, & à verbo aſpero, ſiue turbulento: ꝙ propriè hereticorum doctrinã ſignificat. *Ibid. fac. 2.*

*Hæretici diſcordes in perfidia in tranſitu concordes. Pſal. 10. Pſalm. 57. Timot. 3. Eſa. 27. Pſalm. 123. Ibidem 90.*

OMNES qui inuenti ſunt &c] adhuc ſermo prophetæ contra vallem Sion, cuius habitatores aſcenderunt in tecta vana, & clamauerunt clamore confuſo: Et vulnerati ſunt abſque prælio: cuius principes omnes fugerunt, & durè ligati ſunt: & qui fortes inter eos erant, longius aufugerunt. Quantò enim quis in hæretica peruerſitate prudentior eſt, tanto longius recedit à domino. Quod autem dicit iuxta hæbraicum: omnes qui inuẽti ſunt in te, hoc notare debemus, quod & hæretici eos, quos deceperunt, inueniſſe ſe dicant: ſed inuentio eorum perditio eſt. denique pariter colligantur & procul fugiunt. Nec mihi placet illa expoſitio, ſecundum diuerſitatem hæreſeon diuerſa eſſe ſpacia fugientium, cũ ſcriptura ſancta dicat: omnes qui ab hæreticis ſunt reperti pariter colligatos, & fugiſſe longiſsimè dicente Domino: Qui nõ eſt mecum, cõtra me eſt. Et qui mecũ nõ colligit ſpargit. vnde de Moyſe dicitur: Appropinquabat Moyſes ſolus ad Deũ, cæteri verò non appropinquabant. Deus enim ſanctis ſuis Deus appropinquans eſt, & non de longe dicit Dominus. *Ibidem fac. 2.*

*Diuerſitas hæreſeôn. Lucæ 12. Exod. 24. Hierem. 23.*

PROPTEREA dixi: Recede, &c.] Et Samuel plangebat Saul: & Dominus atque ſaluator flebat Hieruſalem, & Apoſtolus ſcribit ad Corinthios. Nec cùm rurſus venero ad vos, humiliet me Deus, & lugeam multos, qui ante peccauerunt, & non egerunt pænitentiam. vnde compatientis affectu & ad alios loquitur: Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur & ego non vror? Igitur & propheta videns populum quondam viſionis vana tecta conſcendere: & in clamore verſari: cunctoſq́ue principes eius fugiſſe, & ligatos eſſe vinculis peccatorum: erũpit in lachrymas, & abigit conſolantes: & fletu amariſsimo ſe flere teſtatur: non ſuper filio ſed ſuper filia populi ſui: Quæ virilitatis perdidit dignitatem. Dies enim iudicij & interfectionis & conculcationis nequaquam erit Hieruſalem, quæ interpretatur viſio pacis: ſed, antiqui nominis, Ihebus, quæ interpretatur cõculcatio: fletũ quoque ſiue erroris, vt LXX. tranſtulerunt, à Domino Sabaoth: nõ quo fletus & error à Domino ſit: ſed per occaſionem ſanctarum ſcripturarum quas Dominus dedit legendas, illis naſcitur erroris occaſio, qui poſſunt dicere. Quare nos errare feciſti à via tua? Et alio in loco: Dominꝰ eis miſcuit ſpiritum erroris, vt nõ in viſionis monte, ſed in Sion valle conſiſterent. Hæc autem ipſa dies, quæ à Domino exercituum, in valle oritur viſionis, vt ſingulorum opera demõſtret, ſcrutatur murum hæreticorum, quem aduerſum eccleſiam, quaſi firmiſsimum propugnaculum conſtruxerunt: & magnificum glorioſumq́ue: id eſt doctores eorum qui ſe ſuper Chriſto monte conſiſtere gloriantur. De quo alibi legimus: venite aſcendamus in montem Domini, & in domum Dei Iacob: & anũciabit nobis viam ſuam. Porro quod LXX. tranſtulerunt πλανῶνται ἀπὸ μικροῦ εἰς μεγάλου πλανῶνται ἐπὶ τὰ ὄρη, id eſt, errant à mimimo vſque ad maximum, errant ſuper montes: hoc ſentire debemus, in maiore ſcelere eſſe eos, qui maiores ſunt: & tamen à minimo vſque ad maximum errare cunctos, & errare ſuper mõtes, Moyſen, Hieremiam, cæteroſq́ue prophetas, Euangeliſtas, & Apoſtolos. Cumq́ue in valle verſentur, mirum in modum errant in montibus. *Ibidem fol. 85. fac. 1.*

*1. Reg. 15. Luc. 19. 2. Cor. 12. Ibidem 11. Per occaſionem ſanctarum ſcripturarum hæreticis naſcitur occaſio erroris. Eſa. 63. Ibidem 29. Eſa. 2. Hæretici mirum in modũ errant in mõtibus.*

ET Elam ſumpſit pharetram, currum, &c.] Elam quod interpretatur aſcenſus eorũ, ſiue ἐλαμίται, vt LXX. tranſtulerunt, quos in contemptores

ptores vertimus, ſumpſerunt pharetram, vt ſagittēt in obſcuro rectos corde: & qui ſunt in curru equites hominum, vt parietem Sion, & Eccleſiæ firmamenta ſuo clypeo, & impugnatione denudent. Erunt autem, inquit, electæ valles tuæ, id eſt, humilia dogmata ô vallis Syon, plenæ quadrigarum, quas Dominus cum Pharaone ſubmerſit: quarum equites & aſcenſores ponent ſedes ſuas in portis tuis, vt obſeſſos in te atque concluſos non patiantur exire. Tunc omnipotens Deus per Eccleſiaſticos viros, reuelabit operimēta Iudæ, & vniuerſa ſecreta eorum, qui in confeſsione fidei conſtituti ſunt: & tunc videbis ô vallis Syon in die illa, & in claro lumine veritatis omnem armaturam Apoſtoli, & domus ſaltus, in quo gentium turba conſiſtit. Sicut CXXXI. Pſalm. canitur. Ecce audiuimus eam in Ephrata, inuenimus eam in campis ſyluæ. Cùm autem operimentum Iudæ, atque ſecretū, quod prius propter myſterium celabatur, fuerit reuelatum, & videris armaturam Eccleſiæ: tunc intelliges ſchiſmata ciuitatis Dauid, quæ multiplicaſti, vt deceptos tibi populos congregares. Iſti Elamitæ iuxta editionem LXX. non habent vnam pharetram, ſed plures, & aſcenſores ſunt hominum, in quorum equitant animabus: & plurima multitudo eſt ad pugnam ſe præparans contra Eccleſiam: ita vt omnes valles illius cōpleantur: & equites obturent ſenſus eorum: & dimicatione ſua Eccleſiaſticum virum, qui interpretatur Iudas, prouocent ad certandum: quo proferente teſtimonia ſcripturarum, & cuncta redarguente mendacia, videbunt hæretici domos ciuitatis Dauid: & omnia prius ſecreta cognoſcent: quomodo in arce Dauid qui interpretatur, manu fortis, hoc eſt, Chriſti, omnia ſunt dogmata veritatis. Obſcura loca ſunt, nō ſolùm iuxta hiſtoriam, ſed & iuxta ἀναγωγήν. Quibus ergo noſtra diſplicuerint, debent proferre ſua: vt explanationi eorum, ſi vera ſint, acquieſcamus. *Ibid.*

*Exod. 15.*

*Multiplicata ſchiſmata ciuitatis Dauid.*

*In arce Dauid Eccleſia Chriſti omnia dogmata veritatis.*

ET congregaſtis aquas piſcinæ inferioris, &c.] vos qui ſciſſuras ciuitatis Dauid, id eſt, Eccleſiæ videbitis vel videtis, quæ in toto orbe multiplicatæ ſunt: qui congregaſtis aquas piſcinæ veſtræ atque doctrinæ, non ſuperioris ſed inferioris, & domos Hieruſalē numeraſtis, ſiue deſtruxiſtis: vt muniretis murum veſtrum: non fodiſtis puteos, qui vitales haberent, & æternas aquas, ſed lacus contritos, qui aquas non valent continere: & feciſtis eos inter duos muros noui & veteris inſtrumenti: & aquam piſcinæ veteris neglexiſtis: nec conſideraſtis datorem legis Deum, & operatorem mundi penitus neglexiſtis. Hoc iuxta Hębraicum. Cæterum iuxta LXX. conſiderauerunt Hæretici, quod multi eſſent: & hac multitudine confidentes, doctrinam veteris teſtamenti auerterunt à ciuitate Dei, quæ eſt Eccleſia, & deſtruxerunt domos Hieruſalem: vt ædificarent conciliabula malignantium: dumq́ue vetus reprobāt inſtrumētum, nec nouum ſecuti ſunt: quia nouū veteris inſtrumenti teſtimonijs roboratur. Propterea inter duos muros veterem & nouum, fecerunt ſibi nouas aquas, quas interiores eſſe putāt, & maiora continere myſteria, quam in teſtamēto veteri continentur: & nō reſpexerunt Deum, qui veteris inſtrumenti conditor eſt, & factorem eius ne longe quidem videre voluerunt. *Ibidem fol. 85. fac. 2.*

*Sciſſuræ Eccleſiæ.*

*Hierem. 2.*

*Nouum inſtrumentum veteris inſtrumenti teſtimonijs reprobatur.*

CVM hoc AEgyptus audierit, quæ hebraicè dicitur Miſtium מצרים: quod interpretatur ἐκθλίϐουσα id eſt, tribulās & coartans: etiam ipſe terrebitur, ſe quoque intelligēs eadem, quæ Tyrus paſſa eſt, eſſe paſſuram. Quod cum ad omnia vitia referatur, poteſt & in hæreſeon diuerſitate ſentire: quando alia capta hæreſi, alia pertremiſcit, & in alterius confuſione, aliter à ſe eſſe capiendam ſentit. *Tomo 4. lib. 7. Com. in cap. 23. Eſaiæ fol. 87. fac. 2.*

*Diuerſitas hæreſeôn.*

SACERDOTES ipſi, ſecundus in Eccleſiaſtico honore gradus, & prophetæ qui videntur habere ſcientiam ſcripturarum, & omnes habitatores Hieruſalem, pro varietate peccatorum complentur: ſiue Iuda, vt addidere LXX. Cùmq́ue ebrij fuerint, diſperguntur à ſocietate ſui, Patreſq́ue à filijs & filij à patrib. ſeparantur, vt diuerſis polluantur hæreſibus, & ſub Chriſti nomine inter ſe digladientur, & dimicēt contra matrē ſuā, quæ eos genuit, Eccleſiam. *Tom. 4. lib. 3. Com. in Cap. 13. Hieremiæ fol. 259. fac. 2.*

*Hæreſiarchæ à diſcipulis ſeparati contra matrem Eccleſiam dimicant.*

POTEST hoc ipſum referri & ad noſtrā Hieruſalem: quando magiſtri contra diſcipulos, id eſt, patres contra filios, & diſcipuli contra magiſtros, id eſt, filij aduerſum Patres ſeditione mutua concitantur, & impletur illud quod per Apoſtolum dicitur: Si autem inuicem mordetis & accuſatis: videte ne ab inuicem conſumamini. Vnde & Propheta myſtico ſermone cantabat: Cùm appropinquarent aduerſum me qui affligunt me, vt comederent carnes meas. Et Iob ſimile quid loquitur: Si autem dixerunt ancillæ meæ: Quis det nobis de carnibus eius vt comedamus? Et ſuper magiſtris qui lucra ſectantur de diſcipulis, ſalutiſque eorum nullam curam gerunt, dicitur; Qui deuorant populū meum ſicut cibum panis: De quibus & Euangelium: Et comedunt, inquit, domos viduarum. *Tomo lib. 2. Com. in Cap. 5. Ezechie. fol. 343. fac. 1.*

*Galat. 5.*

*Pſalm. 26.*

*Iob 31.*

*Pſalm. 52.*

*Matth. 23.*

*Matth 12.*

*Lucæ 20.*

MONTIBVS dicitur Iſrael φ diſperdat Deus excelſa eorum, in quib. adorabāt homines fictos Deos & aras ſimulachraq; confringat, Et cultores eorum in conſpectu Phanorum interfici faciat: vt iaceant cadauera mortuorum, vbi prius iacebant hoſtiæ, & diſpergantur oſſa, non montium, ſed eorum qui iacebant in montibus, in circuitu ararum, & in cunctis vrbibus vinculiſque Iſrael. Hoc iuxta litteram, alioquin & ſuper eos qui eriguntur in ſuperbiam, & de quibus Apoſtolus loquitur: Scientia inflat, charitas autem ædificat, inducitur gladius, vt omnia eorum ſimulachra, quæ de ſuo finxerunt animo, conterātur & interfecti iaceant, & mortuos ſe eſſe ſentiant: nihil ſibi ſimulachra ſua, atq; figmēta prodeſſe cernētes. Quodq́ue diſpergere ſe dicit oſſa mōtium circa aras, fortiſsimos quoſq; eorū à ſe mutuo indicat ſeparandos. Prodeſt enim peruerſæ ſcientiæ malos à malis diuidi. Et vt illi, qui cō ſenſu peſsimo ædificabant turrem pro vtilitate propria, diſsipati ſunt, diuiſæq; linguæ eorum, ne conſenſus peſsimus peiores eos faceret: ita oſſa montium diſpergentur, vt vanos conatus ſuos intelligant. *Tom. 4. lib. 2. Com. in cap. 6. Ezechielis fol. 344. fac. 2*

*1. Cor. 8.*

*Hæretici ædificantes turrim Babylonis ſeparātur.*

*Geneſ. 11.*

QVI varijs ducuntur erroribus, & quotidie mutant fidem, circumferunturq́ue omni vento doctrinæ: iſti cæduntur gladio, & diuiduntur in partes, vnitatem Eccleſiaſticæ fidei relinquentes. Qui verò ſpirituales non habet cibos, fame morietur: neſciens eum, qui dixit; Ego ſum vita. Porrò qui vel ſingulis vel pluribus deditus vitijs, ab eis non poteſt ſeparari: quaſi quodam veterno peſtilentiæ corruit. *Tomo. quarto libro ſecundo Co. in cap. 6. Ezech. folio 345. faci. 2.*

*Hæretici quotidie mutant fidem & in partes diuiduntur.*

*Ioan. 14.*



PORRO quod in LXX. legitur: ſoror es ſororum tuarum, quæ repulerunt viros ſuos, & filios ſuos, non habēt ſenſum. Quas enim alias ſorores habebant Sodoma & Samaria, quæ ſorores ſunt Hieruſalem: Et hoc quærendum, quos viros Sodoma Samariaq́ue dimiſerunt, & quos proiecerint filios. Niſi fortè poſſumus hoc dicere, quod ſemper errantium fluctuent pedes, nec ſint ſolida veſtigia, quæ contra veritatem ſunt, ſed huc illucq́ue diſcurrant, & circumferuntur omni vento doctrinæ, dum de ſalſitate tranſeūt ad aliam falſitatem. Et cùm in primis fruſtra ſe ſudaſſe cognouerint, ad ſecunda tertiaq́ue tranſcendūt. *Tom. 4. lib. 5. Comment. in cap. 16. Ezech. fol. 377. fac. 1.*

*Inſtabilitas hæreticorū.*

*Epheſ. 4.*

SEDET Draco diabolus Pharao ſiue cubat in medio fluminum ſuorum: non vnius fluminis, ſed multorum: quæ in diuerſis hæreſibus accipimus: per quas fluxit in Aegyptum ſæculi iſtius, & irrigauit animas ſeductorum: non pluuijs de cælo veniētibus, ſed de terra aquis turbidis: quas bibere nos prohibet Hieremias dicens: Quid tibi & viæ Aegypti, vt bibas aquam Geon. *Tom. 4. lib. 9. Comment. in cap. 29. Ezech. fol. 422. fac. 1.*

*Diuerſæ ſectæ hæreticorum.*

*Hier. 2.*

ET non ſolùm montes, qui ad impietatis verticem peruenerunt, ſed colles quoque, hoc eſt, inferiores diſcipuli montis Seir, & valles, quæ in ima depreſſæ ſunt: ſiue torrentes, qui turbidas habent aquas, & hinc inde collectas, venienteſq; de ſuperbia: vel iuxta LXX. campi, qui medij inter colles & valles ſunt. Hi omnes interfecti, cadent gladio Domini, & extentæ manus eius, atque percutientis: vt redigantur in ſolitudines ſempiternas: & ſi quæ erant ciuitates, hoc eſt, conciliabula malè habitationes, & ipſæ diſpereant & deſinant in malam partem habere conſenſum & diuidantur linguæ eorum, ne turrem blaſphemiæ contra Deum poſsint extruere, & redactæ in ſolitudinem atque deſertū, cognoſcant quod ipſe ſit Dominus. *Tom. 4. lib. 11. Com. in cap. 35. Ezech. fol. 4[illegible]2 fac. 1.*

*Hæreticorū, qui in malā partem habent conſenſum linguæ à Deo diuiduntur.*

ET vocabo aduerſum illum, hoc eſt, Hæreticorum principem Gog, in cunctis mentibus eius gladiū: vt principes exercitus eius, gladio Domini conficiantur. Tunc hæreſis dimicabit aduerſum hæreſim; quorum inter ſe cōpugnatio noſtra victoria eſt: Et iudicabo, inquit, eum morte, vel peſte, & ſanguine, & imbre vehementi: & lapidibus immenſis ſiue grādib. Iudicatur autē Gog morte ſua, & ſanguine quem effudit, & imbre vehementi ſermonibus eruditi & perfecti viri: & lapidibus immenſis, qui eum obruant teſtimonijs ſcripturarū: ſiue grandinis, qui calorē illius faciant refrigeſcere. Omnes enim adulterantes, quaſi clibanū corda eorū. Ignem, inquit, & ſulphur pluam ſuper eum per quæ demonſtratur pœna iudicij ſempiterni. Et non ſolū ſuper eum qui author peruerſitatis fuit, ſed & ſuper omnē exercitū & multitudinē eius, & ſuper populos multos, qui ſunt cū eo. Plures enim habēt hęretici ſocios, imò diabolus princeps eorū infinita multitudine circundatus. *Tom. 4. lib. 11. in Cap. 38. Ezechiel. Fol. 450. fac. 2. in fine.*

*Hæreſis vna aduerſus alteram dimicat & hæreticorum inter ſe pugna noſtra victoria eſt.*

*Oſeæ 7.*

QVOMODO hi, qui circūferuntur omni vento doctrinę, inſtabiles ſunt & in diuerſa fluctuant: ſic qui illo riſu cachinnant, quē Dominus in Euangelio fletu dicit mutandū, errore ſæculi raptantur & turbine: Nō intelligentes ruinam peccatorum ſuorum, neq; præterita vitia plangentes: ſed putantes breuia bona eſſe perpetua, & in his exultātes, quæ magis digna ſunt planctu: Poteſt hoc & de hæreticis accipi, qui falſis dogmatibus acquieſcentes, læta ſibi & proſpera repromittunt. *Tom. 5. Com. in caput 2. Eccleſiaſt. fol. 4. fac. 2. in medio.*

*Eph. 4.*

*Lucæ 6.*

*Inconſtantes hæretici.*

IN omnib. prophetis, ſed præcipuè in Oſeæ decē tribus referuntur ad hæreticos, quorū multitudo maxima eſt, duæ aūt tribus, quę appellantur Iuda, Eccleſię perſonā poſsident, quę de ſtirpe Dauid regnabāt. Arcus igitur hæreticorum, de quibus ſcriptum eſt: filij Ephraim intendentes & mittentes arcum, conuerſi ſunt in die belli: confringetur in valle ſeminis Dei, de quo humilia & terrena ſenſerunt. *Tom. 5. lib. 1. Com. in cap. 1. Oſeæ fol. 37. fac. 1.*

*Diuiſio hæreticorum ex typo decem tribuum*

*Pſal. 77.*

SVPER tritico & vino falſis myſterijs corporis & ſanguinis Chriſti, qui dicit in Euāgelio: Niſi ceciderit granū tritici in terrā & mortuū fuerit, ipſū ſolū manet. Et in alio loco: Ego ſum vitis vera: & niſi biberitis ſanguinē meū: ſuper hoc ergo tritico & vino hæretici cōcidūtur, & diuerſa ibi cōſtruunt tabernacula: ſiue pręſcinduntur ab Eccleſiæ corpore, & legē Dei meditari & ruminare ſe ſimulāt. ſed hoc faciētes recedūt à Domino, qui docuit eos in Eccleſia, & dedit eis fortitudinem, qua cōtra aduerſarios dimicarent. Illi verò cogitauerūt malitiā contra Dominū, impijſsimas hæreſes extruentes, & reuerſi ſunt in ſtatum gentium, abſq; Dei notitia & iugo. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 7. Oſeæ fol. 55. fac. 2.*

*Ioan. 12.*

*Ioan. 15.*

*Ibidem 6.*

*Hæretici concidūtur & diuerſa conſtruunt tabernacula*

IVXTA hebraicū congregabuntur in Eccleſia Dei, qui fuerant ante diſperſi, & mercedis ſibi conduxerant nationes, & quieſcent ab onere regis (ſuper quo Apoſtolus ſciſſos ab Eccleſia increpat, dicens: ſine nobis regnatis: atq; vtinā regnetis) Et à principibus, quos habent in ſynagogis diaboli conſtitutos. *Tom. 5. Com. lib. 2. in cap. 8. Oſeæ fol. 57. fac. 2.*

*Sciſſi ab Eccleſia diſperſi.*

*1. Cor. 4.*

DIES vltionis & retributionis, quidā interpretantur diē iudicij: quādo affligetur Iſrael, q. nūc Deū ſe videre iactat, & nō S. ſpiritu regitur, ſed dæmoniaco in partes varias circūfertur, neſciens quid loquatur, dicens Dei filium creaturā, ſanctum ſpiritum Deum negans. Et rurſum alium Deum bonum, alium mundi aſſerens creatorē: quorum veſania multiplex eſt, quia & iniquitates fuēre quam plurimæ. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 9. Oſeæ fol. 59. fac. 2.*

*Dæmoniaco ſpiritu hæretici in varias partes circumferūtur.*

HAERETICI dum eſſent in Eccleſia plātati, & creſcerēt in domo Dei, vocabātur vinea Sorech, & afferebāt vberrimos fructus, poſtea verò quanto plures facti ſunt, tāto ſibi multiplicauerūt magis altaria, vt pro vno altari, φ verum eſt, plures erroris ſui aras extruerēt, & iuxta vbertatē terræ ſuæ exuberauerunt ſimulacris. Hæreticorū terra fœcunda eſt, qui à Deo acumen ſenſus & ingenij percipientes, vt bona naturæ in Dei cultū verterent, fecerunt ſibi ex his idola. Nullus enim poteſt hęreſim ſtruere, niſi qui ardētis ingenij eſt, & habet dona naturæ, q̄ à Deo artifice ſunt creata.

*Pro vno altari vero plures erroris ſui aras extruunt.*

*Hæreticorū eruditio.*

Talis fuit Valētinus, talis Marcion quos doctiſſimos legimus. Talis Bardeſanes, cuius etiã philoſophi admirantur ingenium. Iſti ergo terræ ſuæ bona verterunt in titulos mortuorum: quia omnis doctrina earum non ad viuentes refertur, ſed ad mortuos, tã eos, quos colũt, quã illos quos decipiunt. *To.5.lib.2.Cō.in ca.10.Oſeæ fol.62.fac.1.*

*Hæretici diuiſi.*

HAERETICORVM corda inter ſe diuiſa, & contrarijs repugnare ſententijs, etiã ipſi non negant, dum diuerſa ſentiunt: vnde diſperdentur, & confringet ſiue ſuffodiet Dominus ſimulacra vel altaria eorum, quæ de ſuo corde finxerunt, & vaſtabit titulos, quibus ſinguli ſuis appellantur nominibus, & vocauerunt nomina ſua ſuper terras ſuas, vt nequaquam Chriſti Eccleſiæ, ſed illius, vel illius eſſe dicantur. *Ibid.fol.62.fac.2.*

*Hæretici ſinguli ſuis appellantur nominibus.*

*Hæretici nō habent Eccleſiã Chriſti.*

SED mittet Dominus ignem in domum Hazael, quã ipſi vocãt hazael חזאל, id eſt, viſionē Dei: Ignē qui ligna in eis ſtipulãq; conſumat, & deuoret fundamenta filij Ader. Debemus enim & iuxta LXX. dicere, ne nos fruſtra propoſuiſſe videamur. Ader interpretatur ευπρέπεια quem nos decorē poſſumus dicere: eò, ꝙ omnis ſermo hæreticorum concinnus atq; cōpoſitus, & habēs pulchritudinem eloquētiæ ſeçularis, faciliùs decipiat audientes. Vectes aũt Damaſci, quaſi ſacre robuſtiſſimæ atq; fortiſſime, hi intelligantur, qui inſtructi ſunt arte diabolica, & argumentis philoſophorũ. verbi gratia, Oſtiũ vocatur, qui falſum dogma cōcepit & peperit, vt Arius in Alexãdria: vectes eius & firmiſſimæ ſeræ eius, Eutichius & Ennomius: qui ſyllogiſmis & euthymematibus, immò ſophiſmatib. & ψευδομένοις atq; σωρείταις, quę ab alijs malè inuenta ſunt, roborare conantur. Cumq́ue contriti fuerint atq; confracti vectes Damaſci, Diſperdet etiam habitatores de Campo ὤν, quod interpretatur labor ſiue dolor. Omnes enim hæretici labore nimio ac dolore quærendi aliquem ordinem & conſequentiam hæreſeos ſuæ reperire conati ſunt. Et cōcidam tribum ex viris Charran, quod lingua noſtra in foramina vertitur. Non enim habent feneſtras, per quas ad eos lumen veritatis introeat: ſed foramina quędã & occultos meatus, per quos noxia & immũda ingrediãtur animalia. Et captiuus ducetur Arã, popul⁹ excelſus atq; ſublimis: qui erectus in ſuperbiã, & ſic cæleſtia repromittit, vt capiatur in ſalutem ſuam, & iuxta Hebraicum in Hienen, vbi vocatio Dei eſt, transferatur. *To.5.lib.1.Com.in cap.1. Amos.fol.93.fac.1.*

*Eloquentia hæreticorũ.*

*Arianorum factio.*

QVANDO viſitare cœperit Dominus pręuaricationes Iſrael (qui prius Deũ mente cernebat) viſitabit, & ſuper altaria Bethel: non vnũ altare, ꝙ habet Eccleſia: ſed altaria hęreticorũ plurima: Tot enim habent altaria, quot ſchiſmata. *Tom.5.lib.1.Com.in cap.3. Amos fol.101.fac.2.*

*Plurima hæreticorũ altaria.*

*Tot habent altaria hæretici, quot ſchiſmata.*

QVICQVID iuxta literã dicitur cōtra poplũ Iudæorum, hoc omne refer ad eos, qui ſub nomine Chriſti venerantur idola, & praua ſibi dogmata cōfingentes, portant tabernaculũ regis ſui diaboli & imaginē ſtatuarũ & idolorũ ſuorum. Non enim vnũ colunt idolũ, ſed pro varietate doctrinę diuerſos adorãt deos, & ſydus Dei ſui. Qui cũ ſit angelus Satanæ, trãsfiguratur in angelũ lucis, & cadit de cęlo quaſi fulgur, & imitatur Chriſtũ Antichriſtus. Pulchreq; intulit, quę feciſtis vobis: Nō enim ea à Deo acceperunt, ſed de propria mente finxerũt. vnde migrare eos faciet Dominus trans Damaſcũ, vt non bibant ſanguinē Domini: ſed traſeant Babylonē, & audiant prophetam. Calix aureus Babylon inebrians oēs gentes. Damaſcus enim, vt crebrò diximus, interpretatur ſanguinem bibens: ſiue ſanguis cilicij, vt per pœnitentiã ad bibendũ Domini ſanguinē prouocemur. *To.5.lib.2.Cō.in ca.5.Amos fol.112.fa.2.*

*2.Cor.11.*
*Lucæ 10.*
*Pro varietate doctrinæ hæretici diuerſos adorant deos.*
*Hierem.51.*

PVLCHRE eorum capita diuiduntur, qui ab eo, qui eſt caput omniũ, ſua ſponte diuiſi ſunt atque dixerunt: Nō habemus regem, niſi Cæſarē: qui voce impia clamauerunt: crucifige, crucifige talē. Et: ſanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Quæ omnia & ad hæreticos referre poſſumus: quorũ altare percutitur, & oēs initiationes & ſacramenta ſacrilega commouentur: qui auaritiam habuerunt in capitib. ſuis, clamante per eos perdice, & cōgregate, quos non peperit, & faciente diuitias abſq; iudicio. Vnde & nouiſſima eius, ſiue reliquias Dominus interficiet, vt cœptum capitulũ compleatur, & nouiſſimũ eius erit inſipiens. Cùm aũt Dominus percuſſerit cardines, & induxerit ſuper eos gladiũ, nullus erit, q. poſſit euadere, & impendentē Domini gladium declinare. Simulq́; & hoc erit notandũ, quod ſtãte ſuper altare Domino, primũ percutitur ꝓpitiatoriũ, ſiue cardines tēpli: deinde cōmouentur veſtibula: tertiò capita omniũ diuiduntur: quartò qui reliqui ſunt, interficiuntur gladio. Niſi enim ſuperbiã hæreticorum ſuo Dominus calcauerit pede, & peruerſam ſceleratãq; doctrinã ſpirituali mucrone percuſſerit, & magiſtros eorũ, q. accipiũtur in capitibus, inter ſe diuiſerit, atq; in bonam partē occiderit, nō poſſunt diſcipuli viuificari: ſecũdũ illud ꝙ ſcriptũ eſt: Egò occidam, & viuificabo: ego percutiã & ſanabo. Occidũtur & percutiũtur magiſtri, vt viuificentur diſcipuli: capita diuiduntur, vt cętera membra ſanentur. *Tom.5.lib.3.Com.in cap. 9. Amos, fol.122.fac.2.*

*Iudæi et hæretici, tam à capite Chriſto, quã inter ſe diuiſi.*
*Ioan.19.*
*Hierem.17.*
*Deus magiſtros hæreticorum inter ſe diuidit & ſic eos perdit.*
*Deut.32.*

ET in die illa veteres abijciet errores, ciuitatesque illius, quę malè munutę fuerant, venient in concluſionē ſiue in diuiſionem, & diuidentur ab Aſſyrijs, de Tyro quoq; (quæ interpretatur συνοχή, id eſt, anguſtia) cōſurgent alię fortitudines, & erit ſeditio vſq; ad eos, qui ſęculi huius reumate delectantur, & libidines generant in hominibus. Et de mari vſq; ad mare, & de monte vſq; ad mōtem inuicē bella conſurgent: vt amaritudo pugnet contra amaritudinē, & erigens ſe humilianda ſublimitas, cōtra aliã dimicet altitudinem & tũc verè cōpleatur: venite deſcendamus, & confundamus linguã eorum, ne audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui: prodeſt quippè fortitudines peſſimas inter ſe non habere concordiam. Et cũ Sathanas aduerſus ſathanã diuiſus fuerit: tũc demũ omne regnum illius deſtruetur: Et quod frequēter in magnis exercitibus, euenire ſolet: vt interfecto tyrãno, ſatellites eius regnũ inter ſe diuidant, contra ſeq; conſurgant, & inteſtinũ inter eos bellũ ſit. Hoc & in cōſummatione mũdi fiet: quando Hieruſalē maceriæ fuerint ædificatæ, & Babylō corruerit: Aſſyrijq́; & Tyrij de flumine & de mari; & de montib. id eſt, vniuerſæ inter ſe pugnabunt dęmonũ nationes, & diſſipato regno illo, fiet regnum Domino Ieſu, & omne genũ flectetur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & vniuerſa lingua confitebitur, quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei patris. *Tom.5. lib.2. Com. in cap.7. Micheæ fol.169.fac.1.*

*Confuſio Babyloca hæreticorum.*
*Gen.11.*
*Matth. 12.*
*Philip. 2.*

SICVT



*1.Cor. 11.*

SICVT Eccleſiæ & omnis viri Chriſtus eſt caput: ita cunctorum dæmonum, qui in hoc ſæculo debacchantur, caput eſt Beelzbub princeps Dæmoniorum, & ſingulæ eorum turmæ habent capita & principes ſuos, verbi gratia: ſpiritus fornicationum habent propoſitum ſuum: ſpiritus auaritiæ habent ἄρχοντα ſuũ, ſpiritus vanæ gloriæ, ſpiritus mendacij, ſpiritus infidelitatis, habent præſides malitiæ ſuæ. Deus itaq; clementiſſimus, qui miſerat in capita iniquorũ mortem: qui ſuſcitauerat vincula vſq; ad collum: in finē diuidit etiam capita potentiũ in ſtupore: vt primum principes ſeparet à ſubiectis, & quaſi corpus decollet à capite, & vbi caput peſſimum fuerat, ibi caput optimum reponatur: Ponamus exemplũ, vt quod dicimus manifeſtius fiat. Si quãdo tyrannus detruncatur: imagines quoq; eius deponuntur & ſtatuæ, & vultu tantummodò cōmutato, ablatoq́; capite, eius qui vicerit facies ſuperponitur, vt manēte corpore capitibuſq́; præciſis, caput aliud cōmutetur. Hoc mihi intelligere libet, de hæreticorum conciliabulis: quod capitibus hæreſeôn à cæteris populis ſeparatis, in loco eorum caput eſſe Chriſtus incipiat. Simulq́ue conſidera ſcripturæ ſanctæ ſignificantiam, quod non dixerit, præcidiſti vel ſuccidiſti capita potentium, ſed diuiſiſti: Quod enim diuiditur, non tam amputatur & perditur, quàm ſeparatur in partes: vt quomodo in fabricatione turris lingua, quæ malè vnita fuerat, ſeparata eſt, & peſſimum fœdus vtili diuiſione cōciſum. Sic & capita hæc, quæ cum corporibus ſuis inter ſe videbantur habere conſenſum (plura enim hæreticorum capita ſunt: quæ cùm diuerſos oculos habeant: tamen in vna, vt ita dicam lingua blaſphemiæ aduerſum Eccleſiam latrant) diuiderentur in partes, & à deceptis corporibus ſeparata, bono capiti locum facerent. *Tomo quinto Commentario in caput tertium Habacuc folio 303. facie prima.*

*Quomodo hæretici à ſe inuicem diuidantur à ſimili illuſtratur.*
*Gen.13.*

SVPRA dixerat: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta: Nunc infert quid poſt prædicationem ſequatur. Ad fidem Chriſti totus orbis contra ſe diuiſus eſt: vnaquæq́ue domus & infideles & credentes habuit: & propterea bellũ miſſum eſt bonum, vt rumperetur pax mala. Tale quid & in Geneſi aduerſus rebelles homines, qui moti fuerant de oriente, & turrem extruere feſtinabant (per quam cæli alta penetrarent) feciſſe ſcribitur Deus, vt diuideret linguas eorum: Vnde & in Pſalmo Dauid precatur: Diſſipa Domine gentes, quæ bella volunt. *Tom.6.lib.1.Com. in cap.10. Matth. Cano.17.fac.2.*

*Gen.11.*
*Linguæ hæreticorum diuiſæ.*
*Pſalm.67.*

DVAE hæreſes erant in Iudæis: vna Phariſæorum, altera Sadducæorum. Phariſæi traditionũ & obſeruationum, quas illi δευτερώσεις vocant, iuſtitiam præferebant: vnde & diuiſi vocabantur à populo. Sadducæi autem, qui interpretantur iuſti, & ipſi vendicabant ſibi, quod nō erant: prioribus & corporis & animę reſurrectionem credentibus, confitentibuſq́; & angelos & ſpiritum: ſequentes (iuxta Acta Apoſt.) omnia denegabant. Iſtæ ſint duę domus, de quib. Eſaias maniſeſtiùs docet, ꝙ oſtenſurę ſunt in lapidē ſcãdali. *To.6.lib.3.Com.in cap.22. Matth. Can. 88.fac.1.*

*Sectæ ſynagoga.*
*Actor.24.*
*Eſai.8.*

NON ambigo, & hæc quidem iuxta literam futura quæ ſcripta ſunt: ſed mihi videtur regnũ contra regnum: & peſtilentia eorum, quorũ ſermo ſerpit vt cancer, & fames audiendi verbum Dei, & cōmotio vniuerſę terrę & à vera fide ſeparatio, in hæreticis magis intelligi: qui contra ſe inuicē dimicantes Eccleſiæ victoriam faciũt. Quod autem dixit: hæc autem omnia initia ſunt dolorum melius transfertur, parturitionum: vt quaſi conceptus quidam aduentus Antichriſti, non partus intelligatur. *Tom.6.lib.4.Com.in cap. 24.Matth. Cano.52.fac.1.*

*Hæretici cōtra ſe inuicem dimicãtes Eccleſiæ victoriam faciunt. eſt Hilarij ſimilis ſententia*

VERBVM translationis in Geneſi primum legimus: vbi Enoch tranſtulit Deus, & non inueniebatur. Et in regnorum poſtea libris: quando Achab à cultu Dei ad Idolorum venerationem tranſtulit vxor ſua Iezabel, vt faceret iuxta omnia quæ facit Amorręus, quem diſperdidit Dominus à facie filiorum Iſrael. Sed cùm ſit vtraq; trãslatio illa Dei eſt, hæc diaboli Qui trãsfertur á Deo, nō inuenitur ab inimicis ſuis: nec ei poteſt inſidiator obrepere. Hoc quippè ſignificare æſtimo, & non inueniebatur. Qui verò transfertur à diabolo: in hoc transfertur, quod videtur eſſe, ſed non eſt. Sapientes quoque ſęculi eos, qui de dogmate transferuntur ad dogmata, translatos vocant: Vt Dyoniſius, cuius fuit ante ſententia, dolorem non eſſe malum: poſtquam oppreſſus calamitatibus, & dolore cruciatus, cœpit affirmare, quod dolor eſſet ſummum omniũ malorum, ab his appellatus eſt tranſpoſitus ſiue translatus, quod ſcilicet à priore decreto recedens in contrarium receſſiſſet. *Tom.6.lib.1. Com.in cap.1. ad Gal. fol.121.fac.1.in fine.*

*Gen.5.*
*3.Reg c.22.*
*Hæretici cur vocentur translati*

SOLICITI ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis &c.] Hic locus vel maximè aduerſum hęreticos facit: Qui pacis vinculo diſſipato atq; corrupto, putant ſe tenere ſpritus vnitatē: cùm vnitas ſpiritus in pacis vinculo cōſeruetur. Quãdo enim non idipſum oēs loquimur, & alius dicit: ego ſum Pauli, ego Apollo, ego Cephę, diuidimus ſpiritus vnitatē, & eam in partes ac membra diſcerpimus. Nec ſtatim aliquis illud opponat. Quo modo ergo diuerſę ſunt gratię, & varia chariſmata, cùm vnitas cuſtodienda ſit ſpiritus? ſunt quidem varię donationes. ſed in eodē ſpiritu: & diuerſa miniſteria, ſed idem Dominus: & multiplices operationes, ſed ipſę Deus, qui operatur omnia in omnibus. *Tom.6.lib.2.Com.in cap. 4.ad Epheſ.fol.176.fac.2.*

*Hæretici diuidunt ſpiritus vnitatē.*
*1.Cor.1.*
*1.Cor.12.*

ET miror qua conſequentia in vno vocabulo, eodem opere, & eodem ſacramento, naturę diuerſitatē Arius, Macedonius & Eunomius ſuſpicentur (concordãte in impietate diſcordia) & creaturę in filio & ſpiritu ſancto cœnoſum fontē tenentes, diuerſos hęreſeos riuulos duxerint. *Tom.6.lib.2. Comment.in cap.4. ad Epheſ.fol. 177.fac.1.*

*Arianorum concors in impietate diſcordia.*

RESPONDEANT amici ſolius hiſtorię: quomodo Deus maxillam percutiet & confringet dentes peccatorum, pugilum contra ſe more certantium. Dentes peccatorum contriuiſti. Principes Iudęorum, dentes vel hęretici doctores, vel verba ipſorum. *Tom.7. Comment.in Pſalm.3.fol. 3.fac.1.*

*Hæretici pugilum cōtra ſe more certant*

PRAECIPITA Domine & diuide liguas eorũ] In aqua aliquis ſępè pręcipitatur. Ergo hi ita demergantur ſicut in diluuio: & diſperguntur diuiſis liguis ſeu factum eſt in ędificatione turris. *Tom.7.in Pſalm.54.fol.67.fac...*

*Gen.7.*
*Ibidem. 11.*

O quanta myſteria, ô quanti flores. Non dico dies, ſed & totus menſis ad intelligentiã iſtius Pſalmi nõ poteſt ſufficere. In ſingulis verbis ſenſus ſunt. habemus & theſaurum in vaſis iſtis fictilibus. Multi hoc interpretantur de corpore & de ſpiritu ſancto, hoc eſt, habemus theſaurum in vaſis fictilibus. Eſt quidem & iſta intelligẽtia: ſed iſta multò melior eſt; quoniam habemus theſaurum precioſiſsimum in vaſis fictilibus, hoc eſt, in verbis ruſticis ſcripturarum. filij Ephrain intendentes & mittentes arcum cõuerſi ſunt in die belli, & cætera. legimus in Regum libris: Quoniam ſub Roboam filio Salomonis. Ieroboam filius Nabath ſcidit populum à reliquo populo, & decem tribus duxit in Samariam. &c. *Tom.7. Com.in Pſalm.77.fol.9*[illegible]*.fac.1.*

*Scisſio populi ſub Hieroboam deſignat ſciſsionẽ hæreticorum*

*Ephe.4.*

DISPERSI ſunt Iudæi in diuerſis partib. ſed & ille diſpergitur per diuerſa, qui circũfertur omni vento doctrinę, & in Dei firma nõ conſiſtit ſtatione. *To.7.Com.in Pſalm.105.fol.135.fac.1.*

ERIPE & libera me de aquis multis] Quoniã deſcendiſti, quoniam inclinaſti cælos & miſiſti, manum tuã de alto, & humanã carnẽ dignatus es aſſumere, & multi crediderunt in te: pro vna aqua, plures aquę eſſe cœperunt: videas diſperſas in toto orbe eſſe hæreſes diuerſas. Eripe me & libera me de aquis multis, & pręſta mihi fontẽ viuentẽ. Vnus eſt enim Deus, vna fides, vnũ baptiſma, libera me de aquis multis. Illæ enim aquæ multæ nõ generant filios tuos, ſed filios alienos. *To.7.in Pſal.143.fol.277.fac.1.in fine.*

*Diſperſæ in toto orbe hæreſes diuerſæ.*

## *Articulus VI. Per fœminas hæreticas plurimi in hæreſim impulſi, & quantum indulgeant fœminis hæretici.*

CVM hæc ita ſe habeant, quod volunt miſeræ mulierculæ oneratæ peccatis, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ, diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes; & cæteri muliercularũ ſocij, prurientes aurib. & ignorantes quid audiant, quid loquantur, qui vetuſtiſsimum cęnum, quaſi nouam ſuſcipiunt temperaturam; qui iuxta Ezechielem, liniunt parietem abſque temperamento, & ſuperueniente veritatis pluuia diſsipantur? Simon Magus hæreſim condidit, Helenę meretricis adiutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor, choros duxit fœmineos. Marcion Romam præmiſit mulierem, quæ decipiendos ſibi animos præpararet. Apelles Philomenem ſuarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi ſpiritus prædicator multas Eccleſias per Priſcam & Maximillam nobiles & opulentas fœminas primum auro corrupit, deinde hæreſi polluit. Dimittã vetera, ad viciniora trãſcendam. Arius, vt orbem deciperet, ſororẽ principis ante decipit. Donatus per Aphricam, vt infelices quoſque fœtentibus pollueret aquis, Luciliæ opibus adiutus eſt. In Hiſpania Agape Elpidium, mulier virum, cæcum cæca duxit in foueam, ſucceſſoremque ſui Priſcilianum habuit, Zoroaſtris magi ſtudioſiſsimum, & ex Mago Epiſcopum; cui iuncta Galla non gente, ſed nomine, germanam huc illucque currentem, alterius & viciniæ hæreſeos reliquit hæredem. Nunc quoque myſterium iniquitatis operatur. Duplex ſexus vtrumque ſupplantat, vt illud propheticum cogamur aſſumere: Clamauit perdix, congregauit, quæ non peperit, faciens diuitias ſuas, non cum iudicio. In dimidio dierum derelinquet eas, & nouiſsimum eius erit inſipiens. *Tom.2.aduerſus Pelagium ad Cteſephontem Cap.2.in fine fol.265.*

*2.Tim.3.*

*Ezech.13.*

*Nouem exempla eorũ qui per fœminas inducti in hæreſin*

*2.Theſ.2.c.*

*Hier.17.*

*Pſalm.9.*

VNDE Apocryphorum deliramenta conticeſcãt, quæ ex occaſione huius teſtimonij, ingeruntur Eccleſijs Chriſti. De quibus verè dici poteſt, quod ſedeat Diabolus in inſidijs cum diuitibus Apocryphis, vt interficiat innocentem. Et iterum: Inſidiatur in Apocrypho quaſi Leo in ſpelunca ſua: Inſidiatur, vt rapiat pauperem. Aſcenſio enim Eſaiæ, & Apocalypſis Heliæ hoc habent teſtimonium. Et per hanc occaſionẽ, multaque huiuſcemodi Hiſpaniarum, & Luſitaniæ deceptæ ſunt mulierculæ, oneratæ peccatis, quæ ducuntur deſiderijs varijs ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes: vt Baſilidis, Balſami atque theſauri, Barbilonis quoque & Leuſiboræ, ac reliquorum nominum portenta ſuſciperent. De quibus diligentiſsimè vir Apoſtolicus ſcribit Irenæus, Epiſcopus Lugdunenſis & martyr multarũ Origenes explicãs hæreſeôn, & maximè Gnoſticorũ, qui per Marcum Aegyptium Galliarum primum circa Rhodanum, deinde Hiſpaniarum nobiles fœminas deceperunt, miſcentes fabulis voluptatem, & imperitiæ ſuæ, nomen ſcientiæ ſuæ vendicantes. *Tomo quarto libro 17. Cõment.in cap.64.Eſaiæ fol.212.fac.1.*

*Apocryphorum deteſtatio.*

*2.Tim.3.*

*Per Apocrypha ſcripta deceptæ mulierculæ.*

*Hæretici miſcent fabulis voluptatem vt nobiles fœminas decipiant.*

SVPRA ad Prophetas diuinus ſermo ductus eſt, qui luto liniebant parietem, quod non haberent, nec vllum poſſet parieti ſiue maceriæ robur tribuere: nunc aduerſus filias populi Prophetiſſas iubetur faciem ſuam ponere ſiue dirigere, & vt LXX. tranſtulerunt, obſeruare. Quomodo autem aduerſum Prophetas alij pſeudoprophetæ inſpirabantur diabolico ſpiritu, vt Dei mandata ſubuerterẽt: ita aduerſum Prophetiſſas, qualis fuit Debora, & Holda, & in Act. Apoſt. Philippi Euangeliſtæ quatuor filiæ prophetantes, inſpirabantur dæmoniaco ſpiritu: aliæ eiuſdem ſexus: quarũ fuit Priſca & Maximilla, quæ vaticinatione mendacij fidem ſubuerterunt veritatis. Has aũt dicunt Hebræi maleficis artibus eruditas, per Necromãtias & Pythicũ ſpiritum: qualis fuit illa, quæ viſa eſt animam ſuſcitaſſe Samuelis. Et in Actib. Apoſtol. cùm diuinatio multos dominis reditus acquirebat: de qua ad Apoſtoli Pauli imperiũ immũdus eiectus eſt ſpiritus. *To.4.lib.4.Cõ.in cap.13.Ezechelis fol.363.fac.2.*

*Iud 5.*
*2.Reg.22.*
*Actor.21.*

*Pſeudoprophetiſſæ dæmoniaco ſpiritu inſpiratæ.*

*1.Reg.28.*
*Actor.16.*

## *Articulus VII. Ab hæreticis ſcripturam ſacram peruerti, & ad ſenſum falſum torqueri.*

*Pſalm.11.*

ET ne putes modica eſſe, quæ deprecor: margaritum de Euangelio poſtularis: Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum: Scilicet commentarios Fortunatiani, & propter notitiam perſecutionum Aurelij victoris hiſtoriam, ſimulq; epiſtolas Nouatiani, vt dum ſchiſmatici hominis venena cognoſcimus, libentiùs Sancti martyris Cypriani bibamus antidotum. *Tom.1.epiſt.21.in fine.*

*Venena ſchiſmaticorum.*

EXORTVS



EXORTVS eſt ſubitò Vigilantiùs, ſeu verius Dormitantiùs, qui immundo ſpiritu pugnet cõtra Chriſti ſpiritũ, & martyrũ neget ſepulchra veneranda, dãnandas dicat eſſe vigilias: nunquã niſi in Paſcha Alleluia cantandũ; continentiam, hęreſim; pudicitiã, libidinis ſeminariũ. Et quo modo Euphorbus in Pythagora renatus eſſe perhibetur, Sic in iſto Iouiniani mẽs praua ſurrexit: vt in illo, & in hoc diaboli reſpõdere cogamur inſidijs. Cui iure dicetur, Semen peſsimum, para filios tuos occiſioni peccatis patris tui. Ille Romanę Eccleſiæ authoritate dãnatus, inter Phaſides aues & carnes ſuillas, nõ tam emiſit ſpiritum quã eructauit: Iſte caupo calaguritanus, & in peruerſum propter nomen vinculi mutus Quintilianus, miſcet aquã vino; & de artificio priſtino ſuæ venena perfidiæ Catholicę fidei ſociare conatur, impugnare virginitatẽ, odiſſe pudicitiã, in conuiuio ſæculariũ contra ſanctorum ieiunia proclamare; dũ inter phialas philoſophatur & ad placentas liguriens, Pſalmorũ modulatione mulcetur, vt tantùm inter epulas, Dauid & Idithũ & Aſaph, & filiorũ Chore cantica audire dignetur. Hæc dolentis magis effudi anima, quã ridentis; dum me prohibere nõ poſſum, & iniuriã Apoſtolorũ ac martyrum ſurda nequeo aure tranſire. *Tom.2.aduerſus Vigilantium cap.1.in medio.*

*Venena perfidiæ Catholicæ fidei ſociant hæretici.*

NON noui Vitalem, Meletium reſpuo, Ignoro Paulinũ. Quicunq; tecũ non colligit, ſpargit: hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Nunc igitur proh dolor, poſt Nicænã fidem, poſt Alexandrinũ iuncto pariter occidente decretũ triũ Hypoſtaſeon ab Arianorũ præſule & Cãpenſibus, nouellũ à me homine Romano nomẽ exigitur. Qui quæſo, iſta Apoſtoli prodidêre? Quis nouus magiſter gentiũ Paulus hæc docuit? Interrogamus, quid tres Hypoſtaſes poſſe arbitrentur, intelligi tres perſonas ſubſiſtẽtes, aiunt. Reſpondemus nos ita credere. Non ſufficit ſenſus, ipſum nomen efflagitãt: quia neſcio quid veneni in ſyllabis latet. Clamamus, ſi quis tres Hypoſtaſes, aut tria enypoſtata; hoc eſt, tres ſubſiſtentes perſonas nõ cõfitetur, anathema ſit. Et quia vocabula nõ ediſcimus, hæretici iudicamur. Si quis aũt hypoſtaſin vſian intelligens, nõ in tribus perſonis vnã hypoſtaſin dicit, alienus à Chriſto eſt: & ſub hac cõfeſsione vobiſcũ pariter cauterio vnionis inurimur. *To.2.epiſt.57.ad Damaſ.in medio.*

*Venena latent ſub verbis hæreticorum.*

QVOD faciunt & Manichæi & Gnoſtici, & Hebionitę, & Marcionis ſectatores, & aliæ hæreſes, numero 80. quæ de puriſſimo ſcripturarũ fonte aſſumentes teſtimonia, non ita interpretantur vt ſcripta ſunt, ſed ſimplicitatẽ ſermonis Eccleſiaſtici, id volunt ſignificare, quod ipſi ſentiunt. *To.2.epiſt.60.ad Ioannẽ Hieroſolomitanũ c.2.in fin.*

*Puriſsimum fontem ſcripturarũ corrumpunt hæretici.*

ADIVNGETVR domui Iacob, qui electi ſunt per Apoſtolos, gentium multitudo: & tenebunt reliquias domus Iſrael, & adducẽt eos in locum ſuum vt habitent in tabernaculis eorũ: & poſsidebit eos domus Iſrael ſuper terram Domini in ſeruos & ancillas. Prodeſt quippè malis vt ſeruiant bonis. Vnde & Eſau dicitur: ſeruies fratri tuo. Et ad Iacob: Seruiet tibi frater tuus. Et accipient eos, qui ſe ſophiſmatibus ante deceperant: Et exactores ſuos, qui omnia lucri cauſa faciunt, redigent in ſeruitutem. Poſtquã autem requieuerit Iacob & Iſrael à labore ſuo, quod multum contra ſæculum & hæreticos pugnando laborauerat: & à concuſsione & ſeruitute ſua, qua malignæ interpretationi & falſis dogmatibus ante ſeruierat: tunc ſumet planctum atq; parabolam contra regem Babylonis: ſermonem videlicet hæretici erroris & confuſionis. *Tom.4.lib.6. Com.in cap.13. Eſaiæ fol.66.fac.1.*

*Gen.27.*

*Malignæ interpretationi ſeruiunt hæretici.*

IPSA verborum conſequentia trahimur ad intelligentiam ſpiritualem, vt omnes peruerſorum dogmatum principes, qui corruerũt de ſublimitate ſenſus ſanctarum ſcripturarum & ad humilia deuoluti ſunt, ſciamus in Syon valle verſari. Tale quid puta & Salomonem in Prouerbijs dicere: Oculum qui irridet patrem, & deſpicit ſenectutem matris, effodiant eum corui de conuallibus & comedant illum pulli Aquilarũ. Statim enim vt ſenſus hæreticorum irriſerit, creatorem patrem, & ſenectutem matris Eccleſiæ deſpexerit, effoditur à tetris & immundis volucribus: quæ referuntur ad contrarias fortitudines, nec poſſunt iſtiuſmodi dicere: leuaui oculos meos in montes. Vnde veniet auxilium mihi: Sed in modum brutorum animantium ad terrena depreſsi ſunt. *Tom.4.lib.7.Com.in cap.22. Eſaiæ fol.84.fac.1.*

*De ſenſu ſcripturarum corruunt hæretici.*

*Prouerb.30. Secundum LXX.*

*Senectutem matris Eccleſiæ deſpiciunt hæretici.*

*Pſalm.120.*

SACERDOTES & Prophetæ hæreticorum exciderunt mente propter ſiceram, & abſorpti ſunt propter vinum, quales fuerũt Priſca & Maximillã earumque princeps Montanus: qui quid dicerent, neſciebant: vino inebriantur, quando ſcripturas ſanctas malè intelligunt, atq; peruertunt. ſicera, quãdo ſæculari abutuntur ſapientia, & dialecticorum tendiculis, quæ non tam vincula ſunt appellanda, quam φάγματα, id eſt, vmbrę quædam & imagines, quæ citò pereunt atq; ſoluuntur. Iſtiuſmodi conſiliarios maledictio poſſidebit: qui quæſtum putant eſſe pietatem, & cũcta faciunt propter auaritiam: de hoc phaſmate & Apoſtolus loquebatur: Attendentes ſpiritib. erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium. *To.4.lib.9. Com.in cap.28. Eſaiæ fol.102.fac.2.*

*Scripturas malè intellĩgunt hæretici.*

*C.vino diſt.37.*

*1.Tim.4.*

IVXTA Anagogen illud Hebraicũ, in quo diximus: Omnes enim menſę eorũ repletę ſunt vomitu ſordibuſq;, ita vt nõ ſit vltra locus: ad hæreticos, & ad ſcribas, ac phariſeos ſic referri poteſt; vt vniuerſam doctrinã eorum, & cuncta myſteria dicamus vomitu plena & ſordium, dum ſcripturarum ſanctarum non digerunt cibòs: nec vniuerſo corpori faciunt eſſe vitales, ſed immaturos & fœtentes egerũt, ita vt nullum in eis Deus reperiat locum. *ibidem.*

*Scripturarũ cibos non rectè digerunt hæretici.*

ET à propheta vſq; ad ſacerdotẽ cuncti faciunt dolũ alij in prophetãdo mendaciũ, alij peruerſè interpretando legẽ Dei. Dicit enim & alio loco propheta. Quærite legem à ſacerdotibus. *Tom.4. lib.2.Com.in cap.5. Hierem. fol.245 fac.2.*

*Apocal.9. & 11.*
*1.Tim 6.*
*Aggiæ 2.*

QVO modo in priori populo mentiebantur prophetæ, atque dicebant. Hæc dicit Dominus: Et vidi Dominum, & verbum Domini quod factum eſt ad illũ, ſiue illum: Sic hæretici aſſumũt teſtimonia ſcripturarũ de veteri, & nouo teſtamento: & furãtur verba Saluatoris, vnuſquiſq; à proximo ſuo, prophetis & Apoſtolis & Euangeliſtis, & aſſumunt linguas ſuas, vt cordis venena ore pnuncient, & dormitãt dormitationẽ de quibus verè dictum eſt. Dormitauerunt ſomnũ ſuũ & nihil inuenerũt. Siue iuxta Hebraicũ: Et aiunt dicit: vt ſubaudiatur Dominus: aut certè ſermo

*Pſalm.75.*

*Hæretici furãtur verba Saluatoris.*

diuinus. Cõminatur itaque Dominus ſeipſum contra huiuſcemodi magiſtros eſſe venturũ, qui ſeducunt populum eius in mendacijs ſuis, & in ſtuporib. atq; miraculis. Magna enim & incredibilia & ingentia repromittunt, vt ſeducant miſeros, qui nihil profuerunt populo Dei. Et illud implẽt Apoſtolicũ: docentes quæ nõ oportet turpis lucri gratia: qui ſolent malis proſpera, & bonis contraria nunciare. *Tom. 4. lib. 4. Com. in cap. 23. Hierem. fol. 282. fac. 1.*

*Hæretici ſibilant more ſerpentis*

HOC in conciliabulo malignantiũ & hodie cõprobatur, vt magiſtri eorũ non doceant verbum Dei, ſed inſtar colubri ſibilẽt. Peritq; in eis vox gaudij, voxq́; lætitiæ, vt nunquam audiant illud Apoſt. Gaudete, iterũ dico gaudete, vox quoq; ſponſæ, Eccleſiaſticę fidei, & vox ſpõſi, Domini Saluatoris. Qui enim habet ſpõſam, ſponſus eſt, vox molæ, vt non cõterantur in ea frumenta, & populis veſcẽda tribuantur. Et lumẽ lucernæ: doctrina videlicet, & ſciẽtia prophetarũ. Deniq; & de Ioan. Bapt. dicitur: Ille erat lucerna lucẽs: Et alius propheta: lucerna, inquit, pedib. meis verbum tuum Domine: & lux ſemitis meis, vniuerſa, inquit, terra hæreticorũ erit in ſolitudinẽ & in ſtuporẽ, cũ nouiſsimũ eius inſipiens fuerit demõſtratũ. *To. 4. lib. 3. Com. in c. 25. Hier. fol. 284. fa. 2.*

*Phil. 4.*
*Ioan. 3.*

*Hæretici Pſeudoprophetæ ob malam intelligentiam ſcripturarum*
*Prouerb. 6.*

SECVNDVM tropologiã, Pſeudoprophetas eos debemus accipere: qui aliter ſcripturarũ verba accipiunt, quã ſpiritus S. ſonat. Et diuinos eos, qui cõiectura mentis ſuæ, incerta futurorũ quaſi vera pronunciant, abſq; diuinorum auctoritate verborũ. Somniatores quoq;, qui nõ audiunt illud ſcriptũ: Nec dederis ſomnũ oculis tuis, neq; dormitationẽ palpebris tuis: de quib. Iudas Apoſtolus loquitur. Similiter & hi ſomniantes, carnẽ quidẽ maculant, dominationẽ autem ſpernunt: quarũ mens nequaquã vigilat, ſed arrogantię & ſoporis errore depreſſa, noctis horrore circundatur: quibus loquitur & Apoſtolus Paulus: Eleuare, qui dormis: & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. *Tom. 4. lib. 5. Com. in cap. 29. Hierem. fol. 493. fac. 1.*

*Epheſ. 5.*

*Abutuntur ſcripturis hæretici.*

FACILIS ſenſus eſt iuxta tropologiam: quod aurum & argentum; ſenſus & eloquia ſcripturarum, quæ electa ſunt mundi, & quæ nobis in ornamentũ data ſunt, hæretici poſuerunt in fomẽtum & materiã ſuperbiæ: & imagines diuerſorũ dogmatum & abominationem offendiculorum ſuorũ fecerunt ex eis: vt per quæ poterãt colere & adorare Deum, ex his Deum offenderunt. *To. 4. lib. 2. Com. in cap. 7. Ezech. fol. 349. fac. 2.*

*Oſeæ 3.*

*Teſtimonia ſcripturarum ab hæreticis truncantur*

VAE hæreſib. hiſq́; doctrinis, quæ requiẽ pollicentes omnem ætatẽ ſexumq́; decipiunt: vt capiãt animas miſerorũ, & contaminent me ad populũ meum, dũ credor diligere voluptatẽ, & hoc nõ propter corũ & hemicorũ hordei, vt in Oſeæ legimus: ſed propter pugillum hordei, quo bruta veſcuntur animãtia, & fragmentũ panis: nõ panem integrũ, nec ſolida teſtimonia ſcripturarũ: ſed quę hęretica prauitate fracta & decurtata, atque imminuta ſunt: vt ſanctos quoſq́; decipiãt, & ad mortẽ trahant, & peccatores vanis promiſſionib. viuificare cõtendant. Propterea clemens & miſericors Deus nõ ipſas propheti ſſas interficit, ſed diſrũpit puluillos earũ: qui inſtar retium volãtes animas capiũt: vt poſtquã rupti fuerint, liberã volandi habeant facultatẽ. Et ſcindit volamina, ſiue ceruicalia, in quib. deceptorũ capita operiebantur: cũ Apoſtolus doceat virorũ capita non velanda, ſed reuelata facie Domini gloriã contẽplandam: vos enim, inquit, falſis terrorib. ſeruientiũ Deo animo ſfrangebatis, & ꝓmiſsiõibus fraudulentis, impios tenebatis incluſos: ne agentes pœnitentiã, vitam reciperent, quã perdiderant. Propterea vanas nequaquã videbitis viſiones, nec vocabo veſtra mẽdacia prophetias, ſed diuinationes: de quib. ſcriptũ eſt. Nõ eſt auguriũ in Iacob, neq; diuinatio in Iſrael: vt eruam populum meum de manibus veſtris, & opere cognoſcatis me eſſe Dominũ, qui perditas liberaui. *To. 4. lib. 4. Com. in cap. 13. Ezech. fol. 364. fac. 1.*

*Nume. 23.*

*Ex ſcripturis faciunt hæretici idola.*

CREBRO diximus aurũ ad mentem, argentũ ad eloquium pertinere. Tribuatq́; nobis Dominus, vt diuinum ſenſum accipere mereamur atq; ſapientiam, & id q̄ mente concipimus eloquij venuſtate proferre, & nequaquã ex his facere idolum, ſicut faciunt hæretici, de quib. ſcriptũ eſt: Dedi eis argentũ & aurũ, ipſi verò ex argento & auro fecerũt Baal. Et hoc magis iuxta intelligentiã ſpiritualẽ, ornatui aptũ eſt fœminarũ. Alioquin argenti vilior materia, ruſticarũ & pauperum ancillarũq́; ornatus eſt, qui non conuenit Hieruſalẽ, quę in reginam dicitur profeciſſe. *To. 4. lib. 4. Cõ. in cap. 16. Ezech. fol. 371. fac. 1. in fine.*

*Oſeæ. 2.*

*Malè connectunt hæretici ſcripturas.*

NOSTRA aũt Hieruſalem, quę interpretatur viſio pacis, ab hæreticis ſcinditur, quando vnũ & alterum teſtimonium ſcripturarũ de proprijs carpentes locis, conantur aſſuere his, quibus non queunt coaptare. Ad quos & ſupra dictũ in hoc eodem propheta legimus: væ his qui conſuunt ceruicalia ſub omni cubito manus, & faciũt operimenta ſuper caput vniuerſæ ætatis: quod Dominus fieri prohibens loquitur in Euangelio: Nemo aſſumit commiſſuram panni rudis in veteri veſtimento: Alioquin tollit de plenitudine eius, & peior ſciſſura fiet: nec mittunt vinum nouum in veteres. Tales ſunt Nazarei, qui veteris legis obſeruantiã, euangelicæ gratiæ aptare conantur. Et omnes hæretici, qui teſtimoniũ in ſuo loco alteri ſenſui congruens, alteri nituntur aſſuere, cum Dominica tunica deſuper texta per totum, ſcindi omnino non poſsit, ſed texta Spiritu Sancto nullam recipiat ſciſsionem. *Tomo 4. lib. 4. Com. in Cap. 16. Ezechie. Fol. 372. fac. 2.*

*Matth. 9.*
*Ioan. 19.*

*Idola fabricant ex ſcripturis hæretici.*

IVXTA intelligentiã ſpiritualem, de auro & argento ſanctarum ſcripturarum idola facimus, quando gratiã ſenſus & eloquentiæ, hæretica prauitate corrumpimus, & ponimus in cælo os noſtrũ, & lingua noſtra pertranſit in terrã. Maſculinæ autem dicuntur imagines, in quib. omnis hæreſis fornicatur: ex eo, quod vnuſquiſq; ſe putet robuſtiſsima colere, & habere quæ finxit, nec vlla poſſe oppugnatione ſubuerti. Hæ ſunt imagines, quas de noſtro corde confinximus, & quæ in cæleſti Hieruſalem deſtruendæ ſunt: de quib. propheta pronunciat: Domine in ciuitate tua imaginem ipſorum diſsipabis. Quicumq; enim homo eſt & Dei nomen amiſit, dicitur de eo: veruntamẽ in imagine perambulat homo, veruntamen fruſtra conturbatur. Nos autem vnum habemus virum, & vnam veneramur imaginem quæ eſt imago inuiſibilis & omnipotentis Dei. *Ibidem.*

*Pſalm. 72.*
*Pſalm. 72.*
*Ibidem 28.*

IN omnib. viarum principijs fabricatur lupanar ſuũ, qui ad peruerſitatẽ doctrinę, teſtimonijs malè abutitur ſcripturarũ, & dicit: hęc ait Eſaias





*Idololatræ hæretici abutentes ſcripturis.*

Hæc dicit Oſeæ, hæc locutus eſt Moyſes, hæc Daniel. Et pulchrè non in medijs vijs, nec in viarũ terminis ponit lupanar ſuum, ſed in principio. Si enim ad ſcientiam, & profunda diuinorum venerit librorum, errare non poterit. Excelſum quoque ſuum ſiue baſin facit in omni platea, ethnicorum ſe & impiorum laſciuiæ vitijsq́ue permittens: etiam inter ipſos hæreticos cùm ab eis fuerit deturpata, non habens gratiam ſed patens cõtemptui: quia facile præteritam fidei perdidit caſtitatem. *Tomo 4. lib 5. Com. in Cap. 16. Ezechie. fol. 375. fac. 1.*

*Gal 5.*
*Eſaiæ. 8.*

DENIQVE ſequitur: Et conturbabas aquas pedibus tuis: iuxta illud Apoſtoli: Qui autem conturbat vos, portabit iudicium. Non vult enim aquas Siloe bibere, quę vadunt cùm ſilento, ſed aquas AEgypti turbidas, atque cænoſas, quæ antequam pedibus conculcarẽtur draconis, purę erant, ſuo fluentes ordine: poſtquam autem pedibus illius conturbatæ ſunt, curſus ſui ordinem perdiderunt. Neque enim vtuntur hæretici teſtimonijs ſcripturarum ſibi cohærentibus, ſed conturbãt omnia. *Tom. 4. lib. 10. Com. in Cap. 32. Ezechie. fol. 431. fac. 2.*

*Turbãt ſcripturas & allegationes nõ cohærent.*

HAEC aduerſum paſtores locutus eſt: nunc loquitur ad oues, id eſt, ad populũ, & ad vtriuſq; pecoris gregem, id eſt, ouium & caprarum: & nõ ſolũ ad oues & capras, ſed & ad arietes & hircos, qui ſunt in gregibus principes: quibus ait: Nõne vobis ſatis erat, quod bonis ſcripturarũ paſcuis veſcebamini? ſed inſuper reliquias paſcuarũ veſtrarum conculcabatis pedibus: Et cùm aquam eloquiorum Dei puriſsimam biberetis, reliquas aquas pedibus turbabatis: vt populus meus conculcatus à vobis, paſcuas, & turbidas aquas manducaret & biberet, & veſtro vitio, quod per ſe bonum erat, corruptum violatumq́ue ſuſciperent. Quod & omnes quidem hæretici faciunt, vt carpant eloquia ſcripturarum, & quantum in ſe eſt, maculent. Sed & Eccleſiaſtici viri, qui dogmatũ non cuſtodiunt veritatem, ſed de ſuo corde confingunt, magiſtramq́ue habent præſumptionem ſuam, ſimili errore retinentur. Qui cùm populo perſuaſerunt vera eſſe, quæ fingunt, et in theatralem modum plauſus concitauerũt, & clamores immemores fiunt imperitiæ ſuæ, & adducto ſupercilio, libratiſq́ue ſermonibus atque trutinatis, magiſtrorum ſibi aſſumunt auctoritatem. *To. 4. lib. 11. Com. in Cap. 34. Ezechie. fol. 440 fac. 1.*

*Hæretici corrumpunt ſcripturas*

*Chriſti poſſeſsionem hæretici ſuam cupiunt facere hæreditatem.*

DICENT Saba, & Dedan, & negotiatores Tharſis, & omnes ſancti, qui leonũ catuli nuncupantur: vel certè villæ, habitationesque credentium, ô Gog nunquid iccirco venis vt ſpolia rapias Eccleſiæ: & ideo multitudinem congregaſti, vt Chriſti poſſeſsio tua fiat hæreditas? aut putas te argentum & aurum, quod in eloquio ſenſuq́ue intelligitur, eccleſiæ poſſeſſurum, vt auferas ſupellectilem, omnemq́ue ſubſtantiam, & diripias manubias infinitas, Chriſti victorijs congregatas? *Tom. 4. lib. 11. Com. in Cap. 38. Ezechie. fol. 450. fac. 1.*

IVXTA tropologiam, dicendum eſt, quod omnes hæretici & doctrina contraria veritati (quę aſſumit prophetarum verba, & teſtimonijs diuinæ ſcripturæ abutitur ad ſuum ſenſum: & dat bibere hos, quos decipit, & cum quibus fornicata eſt) tollet vaſa templi Dei, & inebrietur in eis: & non Deum cuius vaſa ſunt, ſed Deos laudet aureos & argenteos, & æneos, ferreos, ligneosq́ue & lapideos. Aurei mihi videntur hi, qui in ſęculari ratione compoſiti ſunt. Argentei, qui habent eloquij venuſtatem, & rethorica arte conſtructi ſunt. Qui autem inferunt fabulas poetarum & vetuſtis vtuntur traditionibus, habentes inter ſe multam vel elegantię vel ſtultitiæ differentiam, Iſti vocantur ænei & ferrei. Qui autem penitus inepta proponunt, lignei & lapidei appellantur. Quos omnes in duas partes Deuterõnonium diuidit, ſcribens: Maledictus qui facit ſculptile & conflatile, opus manuum artificis, & ponit illud in abſcondito. Abſcondunt enim omnes hæretici, & operiunt mendatiorum ſuorum dogmata, vt ſagittent in obſcuro rectos corde. *To. 5. lib. 1. Cõ. in Cap. 5. Daniel. fol. 506. fac. 2.*

*Deut. 27.*

*Hæretici abſcondunt mandatorũ ſuorum dogmata.*
*Pſal. 10.*

NVNQVAM hæretici ſuo errore ſatiantur, nec ceſſant à fornicationis turpitudine, & quotidie nõ cuſtodiendo legem & ſcripturas ſanctas, dominum relinquunt, inſaniunt & inebriantur, & perdito mentis iudicio adorant idola, quę de ſuo corde finxerunt: fornicationiſq́ue Spiritu poſsidentur. *Tom. 5. lib. 1. Com. in Cap. 4. Oſeæ fol. 45. fac. 1. in fine.*

*Scripturas ſacras non cuſtodiunt.*

*Teſtimonia ſcripturarum ad dogmata peruerſa deprauãt.*

PORRO ſecundum tropologiam, Galaad interpretatur tranſmigratio teſtimonij, & contẽnit Deum, dum teſtimonia ſcripturarum ad peruerſa deprauat dogmata, & omnia opera illius vana ſunt: conturbatque eccleſiæ aquas, & de puriſsimis fontib. cænoſos & ſordidos riuos facit, qui maculent potius quam mundent baptizatos: Omniſq́ue fortitudo huius vrbis, quaſi viri piratæ eſt: dum imitatur diabolum, qui in huius ſæculi mari, in quo naues pertranſeunt, inſidiatur his qui ad portum peruenire contendunt. Denique Symmachus manifeſtius interpretatus eſt, dicens: Et fauces tuæ quaſi viri inſidiatoris. De iſtiuſmodi piratis in Iob legimus: Non eſt dilatio piratis. Quamuis enim in præſenti ſæculo ſe iactare videantur, & conturbare aquas, & operari vana, & exercere piraticam, tamen non eſt mora pœnarum, quæ eos velociter comprehendent. *Tom. 5. lib. 2. Com. in Cap. 6. Oſeæ fol. 52. fac. 1.*

*Aduerſus dominum legis & prophetarum euangelij verba vertunt.*

SI Deus eſt veritas, quicquid contrarium eſt veritati, mẽdatium eſt & nihil nominatur. Hoc hæreticis conuenit, qui inſtructi ſunt de ſcripturis ſanctis, aduerſum dominum legis & prophetarum, & Euangelij verba vertunt, & ſunt quaſi arcus doloſus ſiue peruerſus. Doloſus arcus atq; peruerſus eſt, qui percutit dirigentem, & vulnerat Dominum ſuum: ſiue facti ſunt quaſi arcus intentus, parati ſunt ad pugnam & contentiones, in ſubuerſionẽ audientium. Vnde principes eorum, id eſt, hæreſiarchæ, Domini mucrone feriẽtur, propter inſaniam linguæ ſuæ, qua Dominũ blaſphemauerunt: hoc idem facientes in falſi nominis Eccleſia, quod faciebant eo tempore quo in Aegypto ſæculi morabantur, hoc eſt, quando gentiles erant. Omnes enim hæreticorum & gentilium quæſtiones eædem ſunt, quia non ſcripturarum authoritatem, ſed humanæ rationis ſenſũ ſequuntur. *Tom. 5. lib. 2. Com. in Cap. 7. Oſeæ. fol. 55. fac. 1.*

*Hæreticus comparatur arcui doloſo.*

PROIICIT Dominus hæreticorum vitulos, & Samariæ: qui ſe dicũt legis præcepta ſeruare. Qui vituli hærent humo, operantur in terra, non Spiritu, nec oculos ad cælum leuant: & ideirco iratus

co iratus eſt furor Domini ſuper nos, & miratur quæ ſit tãta peruerſitas, vt noluerint relinquere idola, quæ ſibi fabricati ſunt, & amẽt ſordes hæreticas pro Eccleſiæ munditijs, Quos vitulos nõ accepit Iſrael (qui Dominum videre ſe fingit) à cæteris gentibus, ſed de ſcripturis ſanctis ſibi ipſe conflauit intelligentiæ prauitatem, & artifex eſt Dei ſui: qui cito peribit, & aranearum telas imitabitur, quæ leui rumpuntur attactu. *Tom. 5. lib. 2. Com. in Cap. 8. Oſeæ. Fol. 56. fac. 2. in fine.*

*De ſcripturis conſlant ſibi intelligentiæ prauitatem.*

QVIA verò Galaad interpretatur, translatio teſtimonij, & Galgad, volutabrum, hoc dicere poſſumus, quod principes hæreticorum teſtimonia veritatis transferant in mendacium, & quicquid colunt, idolum ſit, & ſacrificia eorum habeant ſimilitudinem, vel aceruorum de lapidibus congregatorum, vel teſtudinum. Quo modo enim θινὲς, & aceruі hinc atque illinc de lapidibus & ſabulo congregantur, ita & hæretici de ſapientia ſeculari & argutijs hominum fraude atque mendacio ſimulacra componunt. Et cum hæc fecerint, tardi greſsibus in vno mouentur loco, & totum orbem occupare non poſſunt. Teſtudo tardigrada & onerata, imo oppreſſa põdere ſuo, non tam ambulat quam mouetur; hæreticorum grauiſsima peccata ſignificans: qui ſuis in cæno & volutabro luti erroribus immolant: adorantes opera manuum ſuarum, & inſtar boũ cũcta pro terrenis frugibus laborantes. *Tom. 5. lib. 2. Com. in Cap. 12. Oſeæ. Fol. 71. fac. 1. in fine.*

*Hæretici teſtudini comparãtur.*

SED & veſtimenta ſua ligantes funibus, velamina faciunt iuxta altare, prætendentes fidem Chriſti. Quotquot enim in Chriſto baptizati ſunt, Chriſtum induerunt, & veſtimẽta ſua, quę peccatorum funibus ligauerunt, opponunt oculis videntium, ne corũ cernantur flagitia: vt qui altare reſpicit, ſtuprum non ſuſpicetur. Hoc faciunt omnes hæretici ſub Chriſtiano nomine fornicantes, & erroribus ſuis atq; mendacijs obtendentes teſtimonia ſcripturarum. Vnde & Apoſtoli veſtimẽtis ſuis ſtrauerunt pullum aſinę, vt mollius ſederet dominus, & ex lege ac prophetis ſtratam calcaret viam. E contrario hæretici non ſubſternunt veſtigijs Saluatoris veſtimenta ſua. ſed ligant ea iuxta altare, & prætendunt pęccatis ſuis, vt bibant vinum de calumnia damnatorum, qui ex eo quod egreſsi ſunt de eccleſia damnati ſunt. Hoc vnum eſt Sodomorum, furoris draconum & aſpidum: quod qui biberit, ſanari non poterit. Bibũt autem vinum nõ in domo Dei, vbi templum eſt & Hieruſalem: ſed in domo Dei ſui, quem ſibi artifici ſermone finxerũt. *Tom. 5. lib. 1. Cap. 2. Amos Fol. 97. fac. 1.*

*Gal. 3.*

*Hæretici ſub nomine chriſtiano fornicantur et mendacijs obtendunt teſtimonia ſcripturarum.*

*Matth. 21.*

*Deut. 32.*

QVICQVID de Iudæis diximus, tam ad ethnicos, quam ad hæreticos referri poteſt: quorum alij omnes ſcripturas ſanctas abominantur, in quibus verbum Dei eſt. Alij dum peruerſe intelligunt ꝙ legunt abominationẽ ponunt in domo Dei. *To. 5. lib. 2. Cõ. in Cap. 5. Amos. Fol. 109. fac. 2.*

*Ethnici abominantur ſcripturas & hæretici malè intelligunt.*

QVANTVM ad myſticos intellectus: quia Samaria ſemper in hæreſibus accipitur, Hieruſalẽ in eccleſia, dicimus verbum Domini fieri ad humilem, & ad cohæredem Chriſti, de peruerſis dogmatibus, & de eccleſia, ſi quà forte peccata cõmiſerit, & totius voluminis ordinem contexi. Quod autem Samaria & decem tribus, quæ ſciſſæ ſunt ſub rege Hieroboam à ſtirpe Dauid accipiantur in perſona hæreticorum, & omnis quidem ſcriptura teſtatur, ſed maximè propheta Oſee, & hic ipſe liber: qui hæreticos impios, & eccleſiaſticos peccatores vocat. Statim. n. ſequitur: Quæ eſt impietas Iacob, nonne Samaria? & quod eſt peccatum domus Iuda, nonne Hieruſalem? Hoc duntaxat iuxta Septuaginta translatores. Cæterũ in Hebraico quo modo legatur, poſt paululum ſubijciemus. Sed & illud ꝙ hæretici ſemper in dogmatum ſuorum ſibi quaſi ſublimitate confidant, & eccleſiæ ſimplicitatem deſpiciant, in alio loco dicitur: væ qui deſpiciũt Sion, & confidunt in mõte Samariæ: de Sion enim egredietur lex, & verbum Domini de Hieruſalem. Porrò Samaria fabricata eſt ſibi de proprio ſenſu vitulos aureos: habentes quidem in ſuperficie pulchritudinẽ, ſed vitalẽ ſpiritũ nõ habentes, & fabricata eſt in domo Dei, quod interpretatur Bethel Nec enim recipere poterat populus Iſrael Deos, niſi qui de ſcripturis, & in domo Dei fabricati ſunt. *Tom. 5. Com. in Cap. 1. Micheæ Fol. 144. fac. 1.*

*3. Reg. 12.*

*Samaria & decem trib. ſciſſæ typus hæreticorũ.*

*Hæretici in dogmatum ſuorũ ſublimitate confidunt & ſimplicitatem Eccleſiæ deſpiciunt.*

*Amos 6.*
*Eſaiæ. 2.*

*Samaria fabricata ſibi de proprio ſenſu vitulos aureos.*

NVNQVID iuſtificari poteſt qui abſque ſtatera & pondere congregat fraudulenter de teſtimonijs ſcripturarum diuitias ſuas: quæ diuitiæ theſauri iniquitatis ſunt? Nam cùm præcipiat Dominus: Non erit in ſacculo tuo pondus grande & munus: hi turpis lucri gratia ſemper perſonam accipiunt in iudicio, & in eadem cauſa diuites ac pauperes non iuxta negocium, ſed iuxta facultatum diuerſitatem aliter atq; aliter iudicant: & inhabitatores terræ ſuæ (quã prauis dogmatibus, peruerſaq; doctrina à ſe ornari putãt) loquuntur mendacium, & ponunt in excelſum os ſuum & ſimplicitatẽ eccleſiaſtici populi deſpiciunt. Vnde Clementiſsimus Deus nõ eos pariter percutit: ſed paulatim per plagas nititur cõmouere, dicens: Et ego incipiam te percutere perditione propter peccata tua, & eſt ſenſus: O ciuitas quam hæretici volunt extruere, percutiam te, vt pereas, nõ in abolitionẽ, ſed iuxta id quod peccatrix es. Sequitur: comedes, & non ſaturaberis: legunt enim, & non intelligunt: veſcenteſq; ſermonibus ſcripturarum, veritatis inopiam patiuntur. Et eijciam, inquit, te & apprehendes & non ſaluabis, & quicunque ſaluati fuerint, gladio tradentur. Tuo te, ait, iudicio derelinquam, & poſtquam multa quærens nihil repereris, intelligens errorem tuum, videbis te ex vniuerſis dogmatibus tuis non poſſe ſaluari. Quicunque autem ſe putauerint ſaturatos, & non erecti fuerint à ſe, nec comprehenderunt veritatem, tradẽtur gladio, & pœnis erudientur. Seminabis ergo, ô tribus, & ô peſsima ciuitas, quam igne & iniquitate & contumelijs, & ſtathera doloſa, & ſacculo fraudulendo hæretici extruunt, & non metes: premes oliuam, & non vngeris oleo, & vuas, & non bibes vinum. Prodeſt quippe tibi errore cognito ne habeas diſcipulos: ne caput tuũ oleo vngas peccatorum, ne vino Sodomorum bibentes inebries: & diſpergẽtur legitima populi mei, ſiue Amri: & omnia opera domus Achab: corũ qui in hæreſibus patriachæ: & principes extiterunt: Quos poſſumus, vel ad contrarias referre virtutes, vel ad hæreſiarchas, vt fuit Marcion & Baſilides, & nuper Arius & Eunomius. Et ambulaſtis in voluntatibus eorum: Amri videlicet & Achab. Pulchreque, ait, in voluntatibus eorum, doctrina enim magiſtrorum nequam, nõ eſt doctrina

*Fraudulẽter theſauros iniquitatis congregant de ſcripturis.*
*Deut. 25.*

*Hæretici legunt ſcripturas, & non intelligunt.*

*Domus Achab eſt typus hæreſiarcharum.*



ctrina Dei, ſed adinuentiones cordis illorum. Et traham te in perditionẽ: vt pereas iuxta id quod hæretica es. Et habitatores tuos in ſibilum: vel vt paſtoris boni iuxta Zachariam ſequaris ſibilum dicentis: Sibilabo eis, & congregabo eos, quia redemi eos, vel certè in ſibilum draconis, id eſt, in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat, & correpti diſcant non blaſphemare. Et hoc totum patiẽtur vt intelligant errorem ſuum, quod omnium gentium multorumque populorum opprobria & peccata portauerint. *Tom. 5. lib. 2. Cõmen. in cap 6. Michiæ. Fol 165. fac. 2.*

*Doctrina hæreticorum non eſt Dei doctrina, ſed adinuentio cordis illorũ*
*Zach. 10.*

*1. Cor. 5.*

*2. Tim. 1. c4.*

SICVT Abraham credidit &c.] Ab hoc loco vſque ad eum vbi ſcribitur: Qui ex fide ſunt benedicentur cùm fideli Abraham Marciõ de ſuo Apoſtolo eraſit. Sed quid profuit hoc tuliſſe, cũ cætera quæ reliquit, inſaniæ eius aduerſa ſint. *Tom. 6. lib. Com. in Cap. 3. ad Gala. Fol. 131. fac. 2.*

*Marciõ hæreſiarcha trũcauit ſcripturas.*

VNVSQVISQVE contra Deum loquitur, aut cuius mens in ſtulta arrogantiæ vanitate ſuperfluit, nec ſpiritualiter ſcripturis intendens, vitioſa eas interpretatione corrumpit, ipſe ſe proprio interimit pugione. Et ſicut ad Apoſtol. pax eorum, ſi indigna ſit domus reuertitur: ita & in corda iſtorũ gladius, contra inſontẽ euaginetur, infigitur. vel gladius eorũ intret in corda ipſorũ hoc eſt, vindicta in animas ipſorum. Et arcus eorum confringatur, tendicula ipſorum. *Tom. 7. Com. in Pſal. 36. Fol. 46. fac. 2.*

*Scripturis malè intellectis quaſi proprio pugione ſe interimunt hæretici.*

CONTAMINAVERVNT teſtamentum eius] Quia non intellexerunt Dominum Ieſum ſanctorum virorũ præconio repromiſſum. *Ibi. in Pſal. 54. Fol. 68. fac. 1.*

ET diuiſi ſunt ab ira vultus eius.] Ab ſpirituali prouidentia, diuiſa eſt contemplatio eorum: ideò pars eorum cùm infidelibus poſita eſt: Poſt eorũ exprobrationem ad Iudam ſermo refertur dicens: Et appropinquauit cor illius; vt impletus à diabolo traderet Chriſtum, Contaminauerunt teſtamentum eius, & diuiſi ſunt ab ira vultus eius, id eſt, hæretici, qui voluerint contaminare teſtamentũ Dei, diuiſi erunt in die iudicij quãdo accipient ſententiam damnationis: Ite maledicti in ignem æternum. *Ibidem.*

*Hæretici Dei teſtamẽtum cõtaminant.*

ET appropinquauit cor illius. voluntas eius: quia quod intelligunt de ſcripturis, in malum vertunt, quia de fide trinitatis non rectè credunt vnde dictũ eſt: Oportet eſſe hæreſes, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis. *Ibidem.*

*Matth. 35.*
*Scripturas in ſuum malum vertunt*
*2. Cor. 11.*

HAERETICI ſcrutantur ſcripturas ſanctas: & non ſpiritualiter tractantes, vanas exinde proferunt quæſtiones, quibus nos per iniquita[illegible] & dolum cupiunt illaqueare: ſed nil pręualentes, ipſi potius à Deo ſcrutati atque examinati, relicti ſunt vacui. *Ibidem in Pſal. 63. Fol. 76. fac. 1.*

*Hæretici laqueos ſtruũt ex ſcripturis*

QVONIAM Angelis ſuis mandauit de te & c] Iſtum locum Diabolus ſuper Domino interpretatus eſt: Eo enim tempore quo tentauit Dominum: Si inquit filius Dei es mitte te deorsũ. Scriptum eſt enim de te quoniam angelis ſuis mandauit de te ne forte ad lapidem offendas pedem tuũ. Mediam partem dimiſit. Hic enim dicitur: Quoniam angelis ſuis mandaui de te: vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Hoc non dixit, cuſtodiant te: ſciebat enim contra ſe eſſe. Poterat enim Dominus ei reſpondere: Si cuſtodit me Dominus in omnibus vijs ergo & à te cuſto dior, Tacuit ergo quod ſciebat contra ſe eſſe; & poſuit quod pro ſe erat. verè Dabolus quaſi Diabolus, interpretatur de ſaluatore, quod non eſt de ſaluatore. Si enim de ſaluatore eſt totius pſalmus, ſicut interpretaris ô diabole, & de ipſo eſt, quod dicitur. *Tom. 7. in Pſal. 90. Fol. 116. fac. 2.*

*Diabolus quoque ſcripturas peruerſæ intelligit.*

HVNC morem habeo, vt quotieſcunque ab Apoſtolis, de veteri inſtrumento aliquid ſumitur, recurram ad originales libros, & diligenter inſpiciam, quomodo in ſuis locis ſcripta ſint. Inueni itaque in Deuteronomio hoc ipſum apud LXX. interpretes ita poſitum: Maledictus omnis homo, qui non permanſerit in omnibus ſermonibus huius legis, vt faciat illos: & dicet omnis populus, fiat. Apud Aquilam verò ſic: Maledictus, qui non ſtatuerit verba legis huius. vt faciat ea. & dicet omnis populus, verè. Symmachus: Maledictus, qui non firmauerit ſermones legis iſtius, vt faciat eos: & dicit omnis populus, amen. Porro Theodotio ſic tranſtulit: Maledictus qui nõ ſuſcitauerit ſermones legis huius facere eos: & dicit omnis populus, amen. Ex quo intelligimus, Apoſtolum, vt in cæteris, ſenſum magis teſtimonij poſuiſſe quàm verba: & incertum habemus vtrum LXX. interpretes addiderint, omnis homo, & in omnibus, an in veteri hebraico ita fuerit, & poſtea à Iudæis deletum ſit. In hanc me autẽ ſuſpicionem illa res ſtimulat, quod verbum, omnis & in omnibus, quaſi ſenſui ſuo neceſſarium ad probandum illud quod quicunque ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſint, Apoſtolus vir hebrææ peritiæ, & in lege doctiſsimus nunquã protuliſſet, niſi in hebræis voluminibus haberetur: quam ob cauſam Samaritanorum Hebræa volumina relegens inueni כל quod interpretatur, omnis, ſiue omnibus, ſcriptum eſſe, & cùm LXX. interpretibus concordare. fruſtra igitur illud tulerunt Iudæi. ne viderentur eſſe ſub maledicto, ſi nõ poſſent omnia complere, quæ ſcripta ſunt: cũ Antiquiores alterius quoque gentis literæ id poſitum fuiſſe teſtentur *Tom. 6. lib. 2. Com. in Cap. 3. ad Galatas Fol. 134. fac. 1.*

*Deut. 27.*
*Sec. Græc.*

*Iudæi mutilant & truncant ſcripturas.*
*1. Col.*

SVBREPIT in hoc loco Marcion de poteſtate creatoris, quem ſanguinarium, crudelem infamit & vindicem, aſſerens nos redemtos eſſe per Chriſtum, qui alterius boni Dei filius ſit. Qui ſi intelligeret quẽ differret, emere & redimere (qa qui emit, alienum emit: qui autem redemit, id emit proprie quod ſuum fuit, & ſuũ eſſe deſinit) nunquam ſcripturarum verba ſimplicia, in calumniam ſui dogmatis detorqueret. *Tom 6. lib. 2. Com. in Cap. 3. ad Galat. Fol. 134. fac. 2. in fine.*

*Marciõ ſcripturarum verba in calumniã ſui dogmatis detorquet.*

CAETERVM vt ad nos redeat diſputatio, ſcire non poſſum quare Apoſtolus in eo quod ſcriptum eſt: Maledictus à Deo omnis qui pendet in ligno, vel ſubtraxerit aliquid vel addiderit. Si enim ſemel auctoritatem LXX. interpretum ſequebatur debuit ſicut ab illis editũ eſt, & Dei nomen adiungere: Sin verò vt hebræus ex Hebręis, id quod in ſua lingua legerat, putabat eſſe veriſſimum. nec omnis, nec in ligno, quæ in Hebræo non habentur, aſſumere. Ex quo mihi videtur, aut, veteres Hebræorum libros aliter habuiſſe, quam nunc habent: aut Apoſtolum (vt ante iam dixi) ſenſum ſcripturarum poſuiſſe, non verba: aut quod magis eſt æſtimandum, poſt paſsionem Chriſti, & in Hebræis, & in noſtris codicibus ab aliquo Dei nomen appoſitum, vt infamiam nobis inureret, qui in Chriſtum maledictum à Deo credimus.

*Deut. 21.*

*Iudæi vt infamiam inurant Chriſtianis ſcripturas deprauant.*

credimus. Audaci itaque pede ad hoc procedo certamẽ, vt ad libros prouocem, nullo loco ſcriptum à Deo quemquam eſſe maledictum, & vbicunque maledictio ponitur, nunquam Dei nomen adiunctum. Maledictus tu ab omnibus beſtijs, dicitur ad ſerpentem. Et ad Adam: Maledicta terra in operibus tuis. Et ad Cain: Maledictus tu ſuper terram. Et alibi: Maledictus Chanaan puer, famulus erit fratribus ſuis. Nec non in alio loco: Maledictus furor eorum, quia audax & ira eorum quia dura. longum eſt ſi vniuerſas maledictiones: quæ in Leuitico, & in Deuteronomio, & in Ieſu Naue ſcribuntur, enumerem, & tamen in nulla earum, Dei nomen eſt additum, intantum vt etiam ipſe Satanas, cùm de Iob pollicere tur, quod ſi grandibus preſſus fuiſſet anguſtijs blaſphemaret, à meliori parte hoc ſignificauerit, dicens: Niſi te benedixerit in faciem. Et in regnorum libris. Naboth propterea lapidatus refertur, quia benedixerit Deum & regem. *Ibid. Fol. 135. fac. 2.*

*Geneſ. 3. Gen. 9. Sec. 70. Gen. 49. Sec. 70. Gen. 49. Sec. 70. Iob. 1. 3. Reg. 2.*

HAERESES magis de carnali ſcripturæ intelligentia, quam ne opere carnis noſtræ, vt plurimi æſtimant, ſubſtiterunt. *Tomo 6. libro 3. Com. in Cap. 5. ad Galatas. Fol. 150. fac. 1.*

*Ex carnali intelligentia ſcripturæ hæreſes.*

HI qui circũcidi Galatas volebant, diſſemi nauerant alia, Paulum facere, alia prædicare, & ſuum opere deſtruere ſermonem, quod qui legẽ aſſereret abolitam, ipſe inueniretur in lege. Hác opinionem, quia non poterat Paulus apud omnes præſens ſubuertere (prohibebatur quippe vinculis, quæ ob Chriſti martyrium ſuſtinebat) ſeipsũ per litteras repræſentat. Et ne aliqua ſuppoſitæ epiſtolæ ſuſpicio naſceretur, ab hoc loco vſque ad finem, manu ſua ipſe perſcripſit. Oſtendens ſuperiora ab alio exarata, Quod autem ſub nomine eius à falſis doctoribus epiſtolæ mitterentur, ad Theſſalonicenſes quoque demonſtrat ſcribens: Rogamus autem vos fratres per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum, vt non cito moueamini à veſtro ſenſu, nec terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam tanquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini, ne quis vos ſeducat vllo modo. Et vt totam epiſtolam quam mittebat, ſuſpicione erueret falſitatis, manu ſua in fine ſubſcripſit; dicẽs: Salutatio mea manu Pauli, ꝙ eſt ſignũ in omni epiſtola, ita ſcribo: Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum omnibus vobis. Ad Colloſſenſes etiã, quas dictauerat litteras, manu ſua ſimiliter ſubnotauit: Salutatio mea manu Pauli: memores eſtote vinculorum meorum. Et vbicunque ſciebat falſos adeſſe doctores, qui poſſent, per Apoſtoli authoritatem noua dogmata ſeminare, epiſtolam manu propria ſubſcribebat. Denique & ad Corinthios ſcribẽs, in quibus erant ſchiſmata & hæreſes, vnoquoque dicente: Ego ſum Pauli, & ego Apollo, Ego autem Cephæ, epiſtolam ſuam tali annotatione ſignauit: Salutatio mea manu Pauli. Si quis non amat Dominum Ieſum Chriſtum, anathema ſit, maranatha & cætera. Propter hoc igitur vt omnem occaſionem falſis auferret doctoribus, qui & Galatas à veritate Euangelij deprauarant, finem epiſtolæ manus ſuæ annotatione compleuit, dicens: videte qualib. litteris ſcripſi vobis: non quod grandes litteræ fuerint, hoc quippe in Græco ſonat πηλίκοις, ſed quod ſuæ manus eſſent eis nota veſtigia; vt dum literarum apices recognoſcunt, ipſum ſe putarent videre qui ſcripſerat. *Tom. 6. lib. 3. Com. in Cap. 6. ad Gala. Fol. 158. fac. 2. in medio.*

*Suppoſititiæ epiſtolæ ſub nomine Pauli. 1. Theſ. 2. Col. 4. Falſi Doctores ſub prætextu Apoſtolicæ authoritatis noua dogmata ſeminabant. 1. Cor. 1. Galat. 6.*

POTEST & altius intelligi: qui furabatur, iã non furetur, & reliqua, propter illud quod ſcriptum eſt, de pſeudoprophetis: Qui furantur ſermones, vnuſquiſque à proximo ſuo: & in euangelio: omnes qui venerũt ante me fures fuerunt & latrones. Et ad Romanos, Qui prædicas non furandum furaris: Quod furta prohibeamur facere ſpiritualia. Neque enim hoc quod ſequitur, magis autem laboret operando manib. ſuis quod bonum eſt, ad vitæ huius neceſſaria digne referri poteſt, vt bonum dicatur quodcunque periturũ eſt, & ad mammonã iniquitatis pertinet. Quamuis enim iuſtus labor opes habeat abſque tergiuerſatione quæſitas ſatis habebit ſi non dicantur malę: cæterum bonę non valent appellari. Igitur bonum operatur, qui declinat à mala & facit bonum, & operatur in agro animæ ſuæ, vt ſpiritualibus panibus impleatur, & poſsit commodare eſurienti, & neceſsitatem ſuſtinenti, dans in tempore cibaria conſeruis ſuis. Si autem talis eſt qui operatur bonum, ergo & is furatur, conſequẽter verba furatur & dogmata, de furto viuens, de furto ſibi ceruicalia conſuens, & ſcripturarum pannos hinc inde colligens, vt poſsit tunicam facere conſciſſam, quę deorſum eſt, non de ſurſum. Tunica enim eccleſiæ, hoc eſt, corpus Chriſti, deſuper contexta eſt, & nulla ex parte conſutilis, quæ ne ab inimicis quidem ſcindi poteſt. *Tom. 6. lib. 2. Comen. in Cap. 4. ad Epheſ. Fol. 182. fac. 2 in medio.*

*Hæretici furantur Dei ſermones. Hæretici verba furantur & dogmata & de furto viũt. Hier. 23. Ioan. 10. Rom. 2.*

LICET non ſint digni fide, qui fidem primam irritam fecerunt, Marcionem loquor & Baſilidem, & omnes hæreticos, qui vetus laniant teſtamentum: tamen eos aliqua ex parte ferremus, ſi ſaltem in nouo continerent manus ſuas, & nõ auderent Chriſti (vt ipſi iactant) boni Dei filij, vel euangeliſtas violare, vel Apoſtolos, Nunc verò cùm & euangelia eius diſputauerint, & Apoſtolorum epiſtolas, non Apoſtolorum Chriſti fecerint eſſe, ſed proprias: miror quo modo ſibi Chriſtianorum nomen audeant vindicare. vt enim de cæteris epiſtolis taceam, de quibus quidquid contrarium ſuo dogmati viderant, eraſerunt: nõnullas integras repudiandas crediderũt; ad Timotheum videlicet vtramq;, ad Hebręos, & ad Titum, quam nunc conamur exponere. *Tomo 6. in Proœmio ad Titum Fol. 196.*

*Quicquid hæreticis aduerſatur in ſcripturis eradunt.*

ET quidem ſine ſcripturarum auctoritate garrulitas non haberet fidem, niſi viderentur peruerſam doctrinam etiam diuinis teſtimonijs roborare. Hi ſunt de circunciſione Iudæi, qui tunc temporis naſcentem Chriſti eccleſiam ſubuertere nitebãtur, & introducere præcepta legalia: de quibus & ad Roma. & ad Galatas plenius Paulus exequitur. Et nos ante paucos menſes, tria volumina in epiſtolæ ad Galatas explanatione dictauimus. Tales homines doctor eccleſiæ, cui animę populorum creditæ ſunt, ſcripturarum debet ratione ſuperare, & ſilentium illis teſtimoniorum pondere imponere: qui non vnam aut paucas domos, ſed vniuerſas cum domibus familijſque ſubuertunt: docentes de ciborum differentijs, de ſabbathi iam olim abolitione, de circunciſionis iniuria: atque vtinam hoc ipſum zelo fidei facerent ex parte aliqua poſſet ignoſci dicente Apoſtolo. Confiteor, zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Verum quia Deus eſt venter ipſorum, turpis lucri gratia volunt proprios facere diſcipulos: vt quaſi magiſtri à ſectatoribus ſuis alantur. *Tom. 6. lib. 1. Com. in. Cap. 1. ad Titum. Fol. 201. fac. 1.*

*Peruerſam doctrinã diuinis teſtimonijs roborãt hæretici. Rom. 10.*



BENEDICTIO adulationis, maledictionem infert. Amaritudo enim ad id refertur: quia dulcia eloquia Dei malè ſentiendo, in ſuam pernitiem amara fecerunt. Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt: quia & ſibi & alijs nocet eorum doctrina: & in futuro condemnat &c. *Tom. 7. in Pſal. 13. Fol. 13. fac. 1.*

*Dulcia eloquia Dei malè intelligendo in ſuam perniciem amara faciunt hæretici*

LAC cùm natura ſuaue ſit: corruptum tamen vitio coagulatur & areſcit. Ita & ſuperbi, id eſt, hæretici dulce cor de ſanctis ſcripturis prius habuerunt: ſed peruertentes eas in ebrietate ſenſus ſui: coagulati atque acerrimi facti ſunt. *Tom. 7. in Pſal. 118. Fol. 156. fac. 2.*

QVI cogitauerunt iniquitates in corde] De hæreticis dicit. *Tom. 7. in Pſal. 139. fol. 173. fac. 1.*

VENENVM aſpidum ſub labijs eorum] Quoniam videntur amicitiæ verba habere, ſed plena ſunt veneno mortifero. *Ibidem.*

IVXTA iter ſcandalum poſuerũt mihi] Hoc eſt, de ſcripturis proferentes teſtimonia, quæ quaſi videbantur rationem aliquam habere, tentabant me decipere.

## *Articulus VIII. Hæreticos etſi doctrinam veram & Eccleſiam ſe habere iactent & promittant, tamen reſiſtere veritati.*

TANGAM breuiter, quomodo hæreticorum cænoſos deuitauerit lacus, & eos inſtar habuerit ethnicorum. Quidam veterator callidus, atq; vt ſibi videbatur, doctus, & ſciolus, me neſciente cæpit ei proponere quæſtiones, & dicere: Quid peccauit infans, vt à dæmone corripiatur? in qua ætate reſurrecturi ſumus? ſi in ipſa, qua morimur: ergo nutricibus poſt reſurrectionem opus erit, ſi in altera: nequaquam erit reſurrectio mortuorum ſed transformatio in alios. &c. *Tom. 1. epiſtola 27. ad Euſtochium Cap. 11. in principio.*

*Hæretici ſũt inſtar Ethnicorum habẽdi.*

IVXTA traditiones eccleſiarum, & Apoſtolum Paulum illud eſt reſpondendum: quod in virum perfectum, & in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti reſurrecturi ſumus, in qua & Adam Iudæi conditum autumant: & Dominum ſaluatorem legimus ſurrexiſſe: & multa, quæ de vtroque teſtamento in ſuffocationem hæretici protuli. Ex quo die ita cæpit hominem deteſtari, & omnes, qui eiuſdem dogmatis erant, vt eos voce publica hoſtes Domini proclamaret. *Ibid. Cap. 12. in principio.*

*Hæretici hoſtes Domini proclamandi.*

O portentum in terras vltimas deportandũ. Rides de reliquijs martyrum, & cùm authore huius hæreſeos Eunomio, eccleſijs Chriſti calumniam ſtruis: nec tali ſocietate terreris, vt eadem contra nos loquaris, quæ ille contra eccleſiam loquitur? Omnes enim ſectatores eius baſilicas Apoſtolorum & matyrum non ingrediuntur, vt ſcilicet mortuum adorent Eunomium cuius libros maioris authoritatis arbitrantur, quam euãgelia: & in ipſo credunt eſſe lumen veritatis: ſicut aliæ hęreſes paracletum in Montanum veniſſe contendunt, & Manichæum ipſum dicunt eſſe paracletum. Scribit aduerſum hæreſim tuã, quæ olim erupit contra Eccleſiam, (ne & in hoc quaſi repertor noui ſceleris glorieris) Tertullianus, vir eruditiſsimus, inſigne volumen, quod Scorpiacum vocat, rectiſsimo nomine: quia arcuato vulnere in Eccleſiæ corpus venena diffudit; quę olim appellabatur Caina hæreſis, & multo tempore dormiens, vel ſepulta, nunc à Dormitantio ſuſcitata eſt. *Tom. 2. aduerſus Vigilantium Cap. 3. in fine.*

*Calumniam ſtruunt Eccleſijs Chriſti hæretici & contra eccleſiam loquuntur. Hæretici Eunomium tãtum non adorant. & eius libros maioris authoritatis cẽſent, quam Euangelia. Hæreſes antiquæ repullulant.*

TESTIMONIA de Ioannis euangelio congregata, quæ tibi quidam Montani ſectator ingeſsit, in quibus ſaluator noſter ſe ad patrem iturum, miſſurumq; paracletũ pollicetur, in quod promiſſa ſint tempus, & quo completa ſunt tempore apoſtolorum acta teſtantur *Tom. 2. epiſt. 54 ad Marcellum aduerſus Montanum in principio.*

*Montani ſectator ingeſſit falsò intellectas ſcripturas.*

APERTA eſt conuincenda blaſphemia dicentium, Deum primum voluiſſe in veteri teſtamẽto per Moyſen, & prophetas ſaluare mundum; ſed, quia nõ potuerit explere, corpus ſumpſiſſe de virgine, & in Chriſto ſub ſpecie filij prędicantem, mortem obijſſe pro nobis. & quia per duos gradus mundum ſaluare nequierit, ad extremũ per ſpiritum ſanctum in Montanum, Priſcam, & Maximillam inſanas fæminas, deſcendiſſe, & plenitudinem, quam Paulus non habuerit, dicens: Ex parte cognouimꝰ & ex parte prophetauimꝰ; & nunc videmus per ſpeculũ in ænigmate, abſciſum & ſemiuirũ habuiſſe Montanũ. *Ibid. in fine.*

*Montaniſtarum præſumptio & falſa iactantia. 1. Cor. 13.*

PRISCILLIANVS in Hiſpania pars Manichæi, de turpitudine cuius te diſcipuli diligunt plurimum, verbum perfectionis & ſcientiæ ſibi temerè vindicantes, ſoli cùm ſolis clauduntur mulierculis, & illud eis inter coitum amplexuque decantant: Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther. Coniugis in gremium lætæ deſcendit; & omnes Magnus alit; magno commixtus corpore, fœtus. *Tom. 2. aduerſus Pelagium ad Cteſiphontem Cap. 2. in principio.*

*Priſcillianiſtæ temerè ſibi vindicãt ſcientiam ſcripturarũ. Impudicitia hæreticorũ & mixtio cum fœminis*

MIROR autem, Montanum & inſanas fęminas eius, abortiuos prophetas, Domino promittente, atque dicente: vado & alium paracletum mittam vobis: & poſtea, Luca euangeliſta narrante; quod Apoſtoli acceperunt quod promiſſum eſt: id multo poſt tẽpore in ſe dicere fuiſſe cõpletum. Apoſtolis enim promiſſum eſt: Ego mittam ſponſionem patris mei in vos: & vos ſedete in ciuitate, quoaduſque induamini virtute ex alto: & reſurgens, in Apoſtolos inſufflauit, & non in Montanum, Priſcillam, & Maximillam: & illis, id eſt Apoſtolis, ait: Quorum dimiſeritis peccata, dimittuntur eis; & quorum retinueritis retẽta ſunt. Apoſtolis, inquam, præcepit, ne diſcederent ab Hieroſolymis, ſed expectarent promiſſum patris. Et poſtea, quod promiſſum eſt, expletum legimus: Repleti ſunt omnes ſpiritu Sancto, & cæperunt loqui varijs linguis, prout ſpiritus S. dabat eloqui illis. Spiritus enim Sãctus, vbi vult ſpirat. Et quando dicit Dominus, alium paracletum mittam vobis, & ſe oſtendit eſſe paracletum, qui appellatur conſolator. Vnde & Deus pater hoc cenſetur nomine, Deus miſerationũ & totius conſolationis. *Tom. 3. epiſt. 150. ad. Hedibiam quæſtione 9. Fol. 420.*

*Ian 4. Actor. 1. 2. Actor. 1. Promiſsiões de ſpiritus S. aduentu dicebat Mõtanus in ſe primũ complẽtas. Ioan 20. Act. 2. Ioan. 3. 14.*

SED & hoc poſſumus dicere, quod omnia con trariæ

*Dogmata hæretica amara, sola dulcia Catholica.*

traria dogmata veritati amara ſint, & ſola dulcis veritas. Vnde cauendum eſt, ne pro veritate ſequamur mendacium, ne pro lumine tenebras: Multæ enim ſunt viæ, quæ videntur hominibus rectæ: & nouiſsima eorũ perueniunt in profundum inferni. Eſt quoque iuſtus periens in iuſtitia ſua: cui dicitur: Ne ſis iuſtus multum. Quas ob cauſas Iſrael repromittit ſe via ambulaturum regia, nec ad ſiniſtram, nec ad dextram declinaturum. & vt loquar quod ſentio, difficile hoc male dicto quis carere poteſt: cùm & malis frequenter adulemur propter potentiam, & bonos deſpiciamus propter inopiam. Vnde ſignificantius interpretatus eſt Aquila: Væ qui dicunt malo, bonus es: & bono, malus es: Et in hunc congruit ſenſum illud quod Salomõ in prouerbijs loquitur. Qui iudicat iuſtum iniuſtum, & iniuſtum iuſtũ, abominabilis eſt, vterq; apud Deum. Scribæ quoque & Phariſæi verba Saluatoris non recipientes, ſed traditiones hominũ & aniles fabulas, fecerunt bonum malum, & malum bonum: *Tom. 4. lib. 2. Com. in Cap. 5. Eſaiæ. Fol. 20. fac. 2.*

*Prouer. 14.*
*Eccleſ. 7.*
*Deut. 9.*
*Regia via ambulandũ.*
*Prouer. 17.*
*Sec. 70.*
*Col. 2.*
*1. Tim. 4.*

DVAS autem caudas torrium fumigantium: vt prius diximus, vocat ſapientiam ſecularem, hæreticumque ſermonem, quorum finis exuſtio eſt. Qui fruſtra inierunt conſiliũ, vt aſcenderent cõtra Iudã: & quaſi negligentẽ & dormientẽ caperẽt & ſuis errorib. copularẽt: ponerentq; ſuper eum regem filium Tabeel: hoc eſt, bonũ Deum Vterque enim aduerſarius apud ſe veritatem, apud ſe exiſtimant optimam eſſe doctrinam. Denique Marcion hæreticus, boni Dei filium, hoc eſt, alterius putat eſſe Chriſtum, & non iuſti, cuius prophetæ ſunt, quem ſanguinarium, crudelem, & iudicem vocat Hæc illis dicentibus Dominus comminatur, quod non ſtet conſilium ipſorum: ſed interim nunc quamdiu mundus iſte ſtat: & ea, quæ mũdi ſunt in ſuis finibus, & in ſuis vrbibus dominentur. Cùm autem conſummationis tempus aduenerit, hoc eſt, ſexaginta quinque anni; & tam mundi res, quæ in ſex diebus factæ ſunt, quam omnia, quæ ad quinque ſenſus pertinent, finem acceperint: tunc vniuerſa eſſe ſoluenda, quæ gentiles & hæretici futura non credunt, & propter infidelitatem non intelligunt quæ dicuntur. *Tom. 4. lib. 3. Com. in Cap. 7. Eſaiæ, Fol. 27. fac. 2.*

*Hæretici & philoſophi falſo exiſtimant apud ſe eſſe optimam doctrinam.*

VERBVM ſuum miſit Dominus ad Eccleſiam, quæ priorem populum ſupplantauit: & cecidit in Iſrael, hoc eſt, in hæreticos, qui Deum videre ſe iactant. Scient itaque principes eorum, & omnes, qui habitant in Samaria, hoc eſt, qui Dei legem cuſtodire ſe dicunt, & in vbertate eſſe virtutum, & fructus afferre iuſtitiæ: hoc enim interpretatur Ephraim qui in ſuperbia cordis ſui deſpiciunt eccleſiam: & ſimplicitatem eius arbitrantes imperitiam, dicunt: Pro lateribus illius, quadris lapidibus atque fortiſsimis ædificabimus eccleſias noſtras, & pro infructuoſis arboribus, citoque perituris, cedros ſublimiſsimas extruemus: Quas conteret Dominus, & quas iuſtus ſub perſona impij vidiſſe ſe narrat, & non inuentum locum earum. *Tom. 4. lib. 4. Com. in Cap. 9. Eſaiæ Fol 35. fac. 2.*

*Hæretici iactant ſe videre Deum.*

VNDE & Hæretici relinquunt fontem aquæ viuentis, Dominum: & fodiunt ſibi lacus contritos, qui aquam non valeant continere. *Tom. 4. lib. 7. Com. in Cap. 13. Eſaiæ Fol. 68. fac. 1.*

SOLENT Hæretici regi ſuo vel Pharaoni dicere: filij ſumus ſapientum, qui ab initio doctrinam nobis Apoſtolicam tradiderunt: filij ſumus regum antiquorum qui appellantur reges Philoſophorum: & habemus ſcientiam ſcripturarum iunctam ſapientiæ ſæculari: Quos nunc interrogat ſcilicet ipſum regem hæreticorum, vbi ſint ſapientes eius, qui contemnebant eccleſiaſticam ſimplicitatem: & reſpondere compellit, quid cogitauerit Dominus Sabaoth ſuper AEgyptum iſtius mundi: & quid in cõſummatione facturus ſit, Stulti ſunt approbati principes Taneos, qui humile hæreticorum habuere mandatum. Emarcuerunt omnes Principes Mempheos, qui eloquẽtiæ & oris pollucre iactantia: Memphis enim os vel ex ore, interpretatur, & μεταφορικῶς ſermonẽ ſonat Quodque ſequitur: Deceperunt AEgyptum angulum populorum eius, ſiue iuxta LXX. πλανήσουσι Αἴγυπτον κατὰ φυλάς, id eſt, decipient AEgyptum per tribus, hoc ſignificat, quod regnum ſapientiæ ſecularis ſtultum eſſe monſtretur & ſingulorum dogmatum principes, qui interpretantur tribus, arguantur ſtultos habuiſſe doctores. Dominus enim miſcuit eis ſpiritum vertiginis ſiue errorum, iuxta illud quod ſcriptum eſt: Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobũ ſenſum. Et quomodo qui ſanctus eſt, cùm Eſaia dicere poteſt: Spiritum ſalutis tuæ faciemus ſuper terram: Sic q. peccator eſt, faciet ſpiritũ erroris, hoc eſt, malitiæ ſpiritum, ſecundum quod & in Hieremia legimus. Arguet te præuaricatio tua, & malitia tua corripiet te. Sin autẽ ſcandalizatur hæreticus, qui vetus nõ recipit teſtamentum, quod Dominus miſcere dicatur erroris vel vertiginis ſpiritum: audiat ſcriptum in Apoſtolo; hoc eſt, in nouo teſtamẽto: Tradidit eos Deus in deſiderijs cordis ſui in immunditiam. Et iterum: propterea tradidit eos Deus in paſsiones ignominæ. Et rurſum; Tradidit eos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant quæ non conueniunt. Traduntur autem in deſiderijs cordis quia mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum & reptilium. Quod quidem non ſolum in epiſtola ad Romanos, ſed & ad Theſſalonicenſes de Antichriſto legimus: Pro eo quod charitatem veritatis non ſuſceperunt, vt ſaluarentur, mittet eis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, & iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed complacuerunt ſibi in mendacio: quod puto Apoſtolum Paulum de præſenti Eſaiæ lectione ſumpſiſſe, in qua dicit: Dominus miſcuit eis ſpiritum erroris, & errare fecerunt AEgyptum in omnibus operibus ſuis, ſicut errat, inquit, ebrius & vomens, qui inebriatus eſt vitijs. De quibus ebrijs idem loquitur: væ qui ebrij eſtis abſque vino. Et non ſolum ebrij ſed & vomentes furorẽ Draconum: & furorem aſpidum inſanabilem: vt poſtquam huiuſmodi vinum euomuerint, intelligant ebrietatem ſuã atque cognoſcant: quod quamdiu ebrij fuerint, nec principium habuerint, nec finem, id eſt, nec caput, nec caudam; ſed truncum ex vtraque parte animal. *Tom. 4. lib. 7. Com. in Cap. 19. Eſaiæ. Fol. 79. fac. 1.*

*Hæretici audent iactare ſe habere Catholicam & Apoſtolicam doctrinam.*
*Rom. 1.*
*Hierem. 2.*
*Rom. 1.*
*2. Theſſa. 2.*
*Deut. 32.*

PRO eo quod nos diximus: Manda, remanda, manda remanda: expecta, reexpecta: expecta reexpecta: modicũ ibi, modicum ibi: in Hebraico ſcriptum eſt, Sau laſau, ſau laſau: kau lakau, kau lakua, zeer ſam zeer ſam. זעיר שם זעיר שם צו לצו צו לצו קו לקו קו לקו, hiſq; verbis abuti ſolet, immundiſsima hæreſis apud ſimplices quoſq; atque deceptos, vt terrorem faciant nouitate ſermonum, ꝙ ſcilicet, qui hæc verba cognouerit, & in coitu eorũ meminerit abſq; vlla dubitatione tranſeat ad regna cælorum. *Tom. 4. lib. 9. Commen. in caput vigeſimum octauum Eſaiæ folio 103 fac. 1.*

*Temeraria iactantia hæreticorum.*

OMNIA quæ nunc dicuntur contra Ariel, referunt ad hæreticos, qui doctrinam ſuã Dei exiſtimant lucem: & expugnandi ſunt à vero Dauid: omneſq; ſolẽnitates eorũ auferendæ, & gaudium præſens futura triſtitia cõmutandum: quibus præcipiat Deus, vt agant pœnitẽtiam, ne incipiant comedere cum Moabitis, & ſimiles eſſe gentilium. Ipſe enim expugnabit Ariel, & omnem virtutem eorum, atq; diuitias ſuo circũdabit exercitu. Turribuſq;, hoc eſt, magiſtris Eccleſiæ humiliabit in terra ſermones eorum, vt nequaquam ponant in cælũ os ſuum, ſed ſcribantur in terra, loquantur quæ de terra, & ſiant quaſi puluis excuſſus rota: Omneſq; diuitiæ impiorum puncto & momento temporis comparentur: quando viſitauerit eos in ſua maieſtate, deſcendens in turbine & tempeſtate & igne ſupplicij: & intellexerint omnes diuitias ſuas, pompãque ſermonum & argumentorũ ſtrophas, fruſtra comedentis & bibentis ſomnio comparari: qui militauerunt contra Hieruſalem, viſionem pacis, ſiue aduerſum Ariel leonem fortiſsimum & ad extremum cõtra montem Syon, ſuper quẽ Eccleſiæ ciuitas ſita latere non poteſt. *Tom. 4. lib. 9. Commentar. in cap. vigeſimum nonum Eſaiæ folio 107. fac. 1.*

*Hæretici doctrinam ſuam dei exiſtimant lucem.*

OMNES gentes, quæ idolorum ſequuntur errorem, interrogentur à nobis, vt reſpondeãt vnde ſint. Et hæc erit vniuerſarum reſponſio, ꝙ omnes vanitatem ſequantur & ventos, & adorent opera manuum ſuarum. Quicquid de Idolis & gentibus diximus, referamus ad dogmata prauitatis & ad principes eorum hæreſiarchas, quod Chriſto Eccleſiæ pacem nunciante & monſtrante eis veritatis viam, ipſi ſequantur errorẽ: & vento ac turbini comparentur. *Tomo quarto libro duodecimo Commentar. in caput 41. Eſaiæ folio 139. facie 2.*

*Vento ac turbini comparantur hæretici.*

NON erit tibi amplius ſol ad lucendum, &c.] Ex hoc capitulo cogimur omnia, quæ dicta ſunt & dicenda ad vltimum referre tempus: Quando cælo terraque tranſeuntibus, Solis ac Lunæ ceſſabit officium. Et erit Dominus ipſe lumen perpetuum: vt quæ χιλιασταὶ carnaliter aſſerunt eſſe cõplenda, nos ſpiritualiter futura credamus: in qualitate promiſſarum, non in tempore diſcrepantes. Quibus breuiter reſpondendum eſt: quod pſeudoprophetis & peccatoribus Sol occidat meridie, & è contrario timẽtibus Dominum ſemper oritur ſol iuſtitiæ, ille qui dicit: Ego ſum lux mundi: qui lucet in tenebris, & tenebræ eum non comprehenderunt; per diem quippe ſol non vret nos, neque luna per noctem. Quia habemus Dominum lucem perpetuam, & dies luctus noſtri cõplebuntur, nequaquam plangentibus, in ſubuerſione Hieruſalem, ſed lætãtibus in extructione Eccleſiæ. *Tom. quarto libro decimoſeptimo Commentarior. in cap. ſexageſimum, Eſaiæ fol. 203. fac. 1.*

*Pſeudoprophetis occidit ſol meridie.*
*Ioan. 8.*
*Pſal. 120.*

QVICQVID de Idolis diximus, ad omnia dogmata quæ ſunt contraria veritati referri poteſt. Et ipſi enim ingentia pollicentur, & ſimulachrũ vani cultus de ſuo corde confingunt. Iactant grandia, & ad decipiendos ſimplices quoſque, quaſi aureis ſenſibus, & eloquijs argenti ſplendore fulgentibus imperitorum obſtringũt aciem, & à ſuis inuentoribus ſublimantur: in quibus nulla eſt vtilitas, & quorum cultura propriè gentium eſt, & eorum, qui ignorant Deum. *To. quarto libro ſecundo Comment. in cap. 10. Hierem. folio 253. facie 1.*

*Iactant grãdia hæretici.*

NVLLVS ſimilis eſt Deo vero, eorum deorum, qui hæretica arte finguntur. Omnes timebunt eum, quia rex gentium eſt. Principium enim ſapientiæ timor Domini, & de eo proficimus ad charitatem veram. Tuum eſt, inquit, decus. In veritate decor, in mendacio turpitudo, quamuis hæretici iuxta ſapientiam mundi, quæ deſtruitur, ſibi ſapientes eſſe videantur: tamen in omnibus regnis, quibus lacerant Eccleſiam nullus eſt ſimilis tui, dicente ſermone diuino: perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Simul ſapientes & fatui ſunt. Doctrina eorum pro qualitate ingenij vel vilis eſt, & ligno comparatur: vel ſimili argento, propter eloquij venuſtatẽ. Affertur de Tharſis. Tharſis vel regio Indiæ eſt, vt vult Ioſephus: vel certè omne pelagus Tharſis appellatur, & cæli habet ſimilitudinem, & tamen inuoluta eſt verborum artificio producta. Si enim voluerit; decipere, non poterit. Et aurum de Ophaz: ſeptem nominibus apud Hebræos appellatur aurum: quorum vnum Ophaz אופז dicitur, ꝙ nos dicere poſſumus obrizum, vt ſpendeat in ſuperficie Idolorum, quod intrinſecus lignum eſt, viliſque materia, Hiacyntho operiuntur, & purpura, vt ſuperficie ſui oculos decipiant, dum cælorum ſibi colorem & regna cæleſtia pollicentur; & tamen opera ſapientum ſunt vniuerſa hæc, qui in ſæculo ſapientes putantur, cæterùm apud Deum ſtulti ſunt. Dominus autem Deus noſter, Deus verus eſt: Illa ergo vniuerſa mendacia. Et ipſe Deus viuens: igitur illa mortua, quæ finguntur. Et ille rex ſempiternus. Hæreticorum vmbræ ad tempus præualent, ſed longo tempore corrumpuntur. *Ibidem.*

*Prou. 9.*
*Hæretici videntur ſibi ſapientes.*
*Eſaiæ 29.*
*ſec. 70.*
*1 Cor. 1.*
*Hæreticorũ vmbræ, ad tempus præualent ſed longo tempore corrumpũtur.*

NOLITE credere, ô vulgus indoctum Prophetis, vobis falſa annunciantibus: qui dicunt, hæc locutus eſt Dominus: pax erit vobis, Non veniet ſuper vos malum. Vnde enim poſſunt Dei noſſe ſecreta, aut quo annunciante Dei didicere conſilium, quomodo ad eos diuinæ diſpoſitionis ſermo peruenerit. Quidam noſtrorum in hoc loco reperiſſe ſe putant, vbi Dei deſcribatur ſubſtantia. *Tomo quarto libro quarto Commentar. in caput vigeſimum tertium Hieremiæ, folio 280. facie 2, in fine.*

ECCE turbo, ſiue tempeſtas, &c.] Qui ſuprà dixerant: locutus eſt nobis Dominus, Pax erit vobis, & quos corripuerat, quod nõ poſſent ventura cognoſcere, nec Dei noſſe ſententiam: nũc oſtendit per contraria eos omninò neſcire, pro pace enim & ſecuritate, tẽpeſtatẽ venire ſup Babyloniã, & venire nõ ſuper quoſlibet, ſed ſuper capita impiorũ, vel vniuerſi populi, vel eorum

*Pſeudoprophetæ vera ſe prædicere falsò iactãt.*

qui falſa populo nunciabant. Nec ſicut in præteritis temporibus Dei iram furoremque placandum: ſed quod prædixit, & ſæpiſsimè comminatus eſt, opere complendum, & cogitationem illius, atque ſententiam, impiorum ſupplicijs comprobandam. Cùm, inquit, extremũ captiuitatis tempus aduenerit, & obtinuerit vos victor exultans, & manus ſtridore vinxerit cathenarum. tunc intelligetis conſilium eius: quod vos fruſtrà nunc ſcire iactatis. *Ibidem.*

*Hæretici habent paleas.*

QVID ſibi volunt hæreticorum paleæ ad triticum Eccleſię? de quo Ioannes Baptiſta pleniùs loquitur: Quòd purget Dominus aream ſuam, ventilabro, & paleas ventorum flatibus diſpergendas, vrendaſque ignibus derelinquat: triticum autem, condat in horrea, vt fiat cæleſtis panis, & loquatur vnuſquiſque credentium: Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. *Tom. 4. lib. 4. Comment. in cap. 23. Hierem. fol. 281. facie 2.*

*Math. 3.* *Pſalm. 33.*

CVM Prophetarum nomen ſecundum regulam ſcripturarum bonis maliſque commune ſit, in eo differũt, quod boni prophetæ dicuntur eſſe ſapientes, mali autem ſtulti & inſipientes: quorum alterum refertur ad Eccleſiaſticos viros, alterum ad omnes hæreticos, qui Dei ſpiritum relinquentes, ſequuntur ſpiritum ſuum: quia nequaquam diuino inſtinctu, ſed proprio corde vaticinantur, vnde & nihil vident. Qui autem ſapiens eſt, non cordis ſui cogitationes, ſed Dei ſpiritũ ſequitur, iuxta illud, quod & in ſuperioribus, animalia & rotæ ſpiritum Dei ſequebatur. Et propheta dicit: poſt Dominum Deum tuum ambulabis: Et in alio loco: Deduc me in ſemitam rectam. Et iterum: ſpiritus tuus bonus, ipſe deducet me in terram. Et populo Dei, columna ignis & nubes erat dux in ſolitudine. Et Hieremias loquitur: non laboraui ſequens te, quis autem hæreticorum, qui ſequitur ſpiritum ſuum, non impingat in tenebris, & cæcus cæcos ducat in foueam? vnde licet ſibi in myſterijs, immò orgijs ſuis plura Eccleſiaſticis doctorib. videre tamẽ videantur, nihil omninò vident, quia ſolem iuſtitiæ perdiderunt: fruſtraque imitantur eos, qui prius vocabantur videntes, & quibus dicitur: Qui vides, vade: recede in terram Iuda & in Bethel nõ prophetabis. Quam obrem viſio Eſaiæ & Abdię ponuntur in titulis. Et Dominus Apoſtolis præcepit: Leuate oculos veſtros, & videte. Et Propheta ſuppliciter deprecatur: Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. *Tomo quarto libro quarto Comment. in cap. decimum tertium Ezechielis folio 362. facie prima.*

*Pal. 118.* *Pſalm. 142.* *Exd. 13.* *Hiere. 17.* *Sec 70.* *Hæretici ſequuntur ſpiritum ſuum & cæcos ducunt in foueam.* *Amos 7.* *Ioan 4.* *Pſalm. 118.*

QVI prætermiſſa lege Dei, aureos culturæ ſuæ vitulos addiderunt: & appellantur Oola, id eſt, tabernaculum; non Dei, ſed erroris & dæmonum; & ſoror maior ac ſenior, propter multitudinem & captiuitatem ab Aſſyrijs fornicata eſt, contra Deum: Quia dereliquit fidei veritatem, & inſaniuit in hæreticorum principes amatores ſuos: qui veſtiti erant Hyacinthinis excelſa illi & cęleſtia promittentes: & aſcenſores, de quibus dictum eſt: hi in curribus & hi in equis: electos filios Aſſyriorum, & duces ac magiſtratus, qui ſcientiam ſibi & eloquentiam repromittunt. Hoc autem propterea fecit, quod eaſdem fornicationes, quas habuerat in Aegypto, id eſt, antequam crederet, & adhuc in ſæculo verſabatur, etiam in hæreſi exercuit. Et deuirginata eſt á viris Aſſyrijs, qui in malitia perſeuerant, ſine vltoribus. Aduerſarius enim noſter diabolus, ipſe eſt inimicus & vltor. Illi confregerunt vbera Samariæ, & virginitatem eius, quam habuerant in Eccleſia, perdiderunt. *Tomo quarto libro ſeptimo Commentar. in caput vigeſimum tertium Ezechielis, folio 399. facie ſecunda.*

*Hæretici reliquerunt fidei veritatẽ.* *Excelſa promittunt hæretici.* *Pſalm. 19.* *1. Pe 5r. 5*

ISTE draco fluminibus ſuis, quaſi cornibus ventilabat plurimas nationes, quæ ſuper Marcione, Valentino, Ario, & Eunomio cæteriſque hęreſeôn principibus intelligere poſſumus: qui imitantur Eccleſiaſticos viros, dicentes ad Dominum Saluatorem: In te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & non ventilant ad ſalutem, vt de terra ad cælum leuent, ſed vt in profundum abijciant. *Tomo 4. lib. 10. Comment. in cap. 32. Ezechie. fol. 431. fac. 2.*

*Hæretici volunt imitari Eccleſiaſticos viros.* *Pſalm. 43.*

SEPVLCHRVM Gog non erit in montibus, ſed in depreſsis vallibus, & in confragoſis locis, quæ Hebraicè appellantur ge גיא, quę hæretici cùm in Occidente ſint, Orientis loca eſſe confingunt: vt decipiant viatores, eos videlicet, qui ſeculum iſtud pertranſeunt, & non ſunt habitatores, ſed peregrini: dicentes illud propheticum. Aduena ſum ego, & peregrinus, ſicut omnes patres mei. Quis enim prætereuntium, de quibus ſcriptũ eſt: & non dixerunt, qui pręteribunt, benedictio Domini ſuper vos: non admiratur, & obſtupeſcit, cùm vallem viderit viatorum; quę viatoribus vallis, habitatoribus mons videtur. *Tom. 4. lib. 11. Com. in cap. 39. Ezech. fol. 452. facie 1. in principio.*

*Pſalm. 38.* *Pſalm. 128.*

AD ſuperiora reſpondit, dixerat enim. Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam & linum, & oleum & potum meum: quę vniuerſa ſuſceperat, vt in Dei cultum verteret. Illa vero panem, & vinum, qui confirmat, & quod lętificat cor hominis, & oleum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & argentum, de quo ſępè diximus: Eloquia Domini, eloquia caſta: argentum igne examinatum, probatum terrę, purgatum ſeptuplum. Et aurũ de quo legimus: Si dormiatis inter medios cleros, pénę columbę deargentatę, & poſteriora dorſi eius, in virore auri: vertit in Idola, & fecit Baal, quod interpretatur ſuperior; & deuoratio: dum aut maiora ſe putat habere dogmata, quã Eccleſia: aut in ipſa falſę opinationis ſcientia deuoratur. *Tomo quinto Commentar. libro primo in caput ſecundum Oſeæ, folio 39. fac. 1.*

*Pſalm. 103.* *Ioan. 1.* *Pſalm. 11.* *Pſalm. 67.* *Hæretici maiora ſe putant habere dogmata quam Eccleſia.*

QVAE de Iudęa diximus refer ad hęreticos, qui prima fronte, doctrinam & ſcientiam promittentes, egreſsi de Eccleſia deſeruntur à Deo, & omnis eorum ignominia in conſpectu amatorum ponitur, quos prius deceperant, & traditi beſtijs, quas Propheta declinat, dicens: Ne trãdas beſtijs animam confitentium tibi, earum morſibus derelinquentur. *Ibidem folio 40. facie prima.*

*Pſalm. 73.*

HAERETICI ſublimitatem ſibi dogmatũ repromittunt, & ſacrificant ſubter quercum & populum, & Terebinthum infructuoſas arbores; ficum & vineam non habentes, ſub quibus Sanctus requieſcere dicitur, aſſumant autem ſibi





*Eſa. 6.* *Geneſ. 18.*

interdum Terebinthum, quæ iuxta Eſaiam folia non habet, vt Abrahæ imitati videantur exemplum. *Tomo quinto libro 1. Comment. in cap. 4. Oſeæ fol. 45. fac. 2.*

HOC ipſum & ad hæreticos referri poteſt, & dicitur ad Iudam, id eſt, ad virum Eccleſiaſticum: quia Ephraim, qui interpretatur καρπόφορος, falſam ſibi doctrinæ vbertatem, & frugifera dogmata promittit, & ſemel amicus eſt dæmonum, dimitte eum atque contemne: præſertim cùm ſacrificia eorum à tuis ſint ſacrificijs ſeparata. Hoc eſt enim quod dicit: ſeparatum eſt conuiuium eorum, ſemel fornicati ſunt, & principes eorum infelicem populum deceperunt, & pro Dei cultu imbuerunt eos ignominia idolorum: & ligauit eos diaboli ſpiritus in alis ſuis: qui circumferuntur omni vento doctrinæ, & ſtabili in Eccleſia fide permanere non poſſunt. Qui verò in ſuis ſacrificijs confundentur, quia panis eorum panis luctus eſt. Quodque dicitur, prouocauit Chananæos: eodem ſenſu referri poteſt ad hæreticos: ꝙ tam ſpurca pleraque hæreticorum & nefanda confinxerint, habeantque immunda ſacrificia, vt Idololatria inferior ſit, vel certè quia Chananæus interpretatur, negotiator ſiue μετάβολος, id eſt, tranſlator: omnes qui in domo patris faciunt negotiationes, & lucra quærunt de populis, & Eccleſiæ veritatem transferunt in mendacium, Chananæi appellandi ſunt. *Ibidem fol. quadrageſimo ſeptimo fac. prima in principio.*

*Promiſſa inania hæreticorum.* *Hæretici cur Chananæi.*

SED & hoc dici poteſt, quod Domino Saluatore poſt effuſionem ſanguinis ſui, & Eccleſiã ſuam, tam de Iudæis, quàm de gentibus congregatam, volente populi peccata ſanare, & eos ad pœnitentiam reducere: ſubitò Ephraim qui vbertatem falſorum dogmatum repromittunt, & populus Samariæ, qui ſe dicit Dei præcepta ſeruare, ſurrexerunt & operati ſunt idolum falſorum dogmatum & per illud ingreſſus eſt fur & latro diabolus in Eccleſiam: ſiue ipſa doctrina hæreticorum ingreſſa eſt, quaſi fur & latrunculus: de quibus Saluator dicit in Euangelio: omnes qui venerunt ante me fures fuerunt & latrones. Fures inſidiantur, & occulta fraude decipiunt. Latrones audacter aliena diripiunt. Qui enim furantur, nocte furantur & in tenebris: vnde ſignificanter ait, quod fur ingreſſus clam ſit, & latrunculus expoliet foris. Non enim poſſunt expoliare veſte Chriſti, quos docuerũt, niſi eos de Eccleſia foris eduxerint, & in peruerſa doctrinarum ſuarum via fecerint ambulare. fures & latrones, qui venerunt ante Dominum non Moyſen & Prophetas, qui ſemper Saluatoris ore laudãtur, ſed pſeudoprophetas debemus accipere, & poſtea hæreticos, qui non miſsi ſunt à Domino, ſed ſua voluntate venerunt. *Tomo 5. lib. 2. Comment. in cap. 7. Oſeæ, folio 53. facie prima in principio.*

*Vbertatem falſorum dogmatum repromittunt.* *Ioan. 10.* *Hæretici fures & latrones.*

QVARTA pœna eſt diſcordantium, vt capiantur laqueo: qui non in cælo poſitus eſt, ſed in terra: de quo, quod euaſerit, Sanctus gloriatur & dicit. Anima noſtra ſicut paſſer recepta eſt de laqueo venantium, laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Iſte eſt contritus laqueus, de quo Apoſtolus loquitur ad credentes; Deus conteret Sathanam ſub pedibus veſtris velociter. Rurſumque in Dauid legimus. Iuxta ſemitam ſcandalum poſuerunt mihi. Non enim poſſunt decipere ſimplices credentium, niſi nomen Chriſti propoſuerint, vt dum putamus nos Chriſtum inuenire pergamus ad Antechriſtum. *Tomo quinto libro primo Commentar. in caput tertium Amos, folio nonogeſimo nono, facie ſecunda.*

*Pſal. 123.* *Rom. 16.* *Pſalm 139.* *Sub nomine Chriſti hæretici ſuos ducunt ad Antichriſtum.*

TRANSEAMVS ad LXX. interpretes, & quid nobis iuxta anagogen videatur in ſingulis breuiter diſſeramus: neque enim ſi in vtraque editione vtrumque dicere voluerimus, librorum patitur magnitudo. Ingreſsi eſtis in Bethel, id eſt, in domum Dei, quod ſentitur Eccleſia, & impiè egiſtis in Dominum, illius præcepta calcantes. In Galgala autem, quod interpretatur, reuelatio ſiue volutabrum, impietates multiplicaſtis, ſanctarum vobis ſcripturarum ſcientiam vendicantes, & dum erigimini in ſuperbiã, eſtis in cœni vltima deuoluti: Intuliſtis quoq; mane hoſtias veſtras, die tertia decimas veſtras, transfigurati in angelum lucis, & triplicem intelligẽtiã ſcripturarum, (de qua nobis præceptum eſt, vt deſcribamus eam tripliciter in cordibus noſtris) in vnius diei ſententiam coarctantes. Debemus enim ſcripturam ſanctam primo ſecundum literam intelligere, facientes in Ethica quæcunque præcepta ſunt. Secundo iuxta allegoriam, id eſt, intelligentiam ſpiritualem. Tertio ſecundum futurorum beatitudinem. Vos autem primam, inquit, & ſecundam contemnentes diem, ſpiritualia vobis quædam ſigmenta componitis ſine fundamento, & parietibus tectum deſuper imponentes. Nec hoc ſunt hęretici (de quibus & ad quos dicitur) impietatis fine contenti: ſed legerunt foris legem Dei, de Eccleſia recedentes, & ſingulis dogmatibus ſuis, quæ peruerſo corde ſimularunt, confeſsiones & teſtimonia ſociare conati ſunt: ſiue ſacrificauerunt de fermento, ſuper quo in Euangelio dicitur: Cauete vobis à fermento, id eſt, doctrina Phariſorum. Et hæc fecerunt non errore, ſed ſtudio: Non fortuita voluntate, ſed malorum charitate pleniſsima. Vnde vltionem ſuper his comminatur Dominus: dabo, inquiẽs, vobis ſtuporem dentium, qui Gręcè γομφιασμός dicitur. Si quis enim ſecũdum Ezechielem vuam acerbam comederit, ſtupebunt dentes eius: vt non benè ſcripturarum ſanctarum teſtimonijs abutentes, comedentesque ea immatura, & abſque ſua dulcedine, perdant robur dentiũ: ne poſsint dura cõmolere, & in aluum toto copore profutura tranſmittere. Hunc ſtuporẽ dentium, ciborũq; penuriam dabo, & in cunctis vrbibus atq; in omnib. locis veſtris, vt patiamini famem ſermonis Dei & eius panis, qui de cælo deſcendit, & de quo in Pſalm. ſcriptum eſt. Panẽ Angelorum manducauit homo: Quę vniuerſa feci, non ob crudelitatem & ſæuitiam (vt hęretici calumniantur) truculenti & triſtis iudicij: ſed vt conuerteremini ad me: iuxta illud, quod ſcriptum eſt: fruſtrà percuſsi filios veſtros, diſciplinam non recepiſtis. *Tomo quinto libro ſecundo Commentar. in caput 4. Amos folio 103. facie 2.*

*Vendicant ſibi ſcripturarum ſcientiã.* *Triplex ſenſus ſcripturæ.* *Prouerb 22.* *Malè interpretantur ſcripturas.* *Math. 16.* *Ezech. 18.* *Ioan. 6.* *Pſalm. 77.* *Hierem. 2.*

CAETERVM perſpicuum eſt, quod & diabolus & antechriſtus & hęreticorũ peruerſa doctrina ædificẽt ciuitatẽ in ſanguinibus id eſt, Eccleſiam ſuam in eorum quos deceperunt interitu & præparent vrbem in iniquitatibus: loquentes

*Hæretici ædificant Eccleſiam ex falſis dogmatibus.*

contra Deum iniquitatem, & ponentes in excelſo os ſuum. Quod cùm fecerint, manifeſtè oſtenditur, quia ex ſemetipſis ædificent ciuitatem in ſanguinibus, & præparent eam in iniquitatibus. Sequitur enim: Non ſunt hæc à domino omnipote, id eſt, talis ædificatio non eſt à Domino Sabaoth: quem nunc LXX interpretati ſunt omnipotentem. Deficient enim multi populi, & quãuis infinitæ gentes, in eorum ducuntur errorem, tamen vel laſſabuntur, quod magis ſignificat, ὀλιγοψυχήσαν: vel certè coartabuntur in anguſtum, & Eccleſiæ multitudini non poterunt cõparari. *Tomo quinto Commentar. in cap. 2. Habacuc fol. 193. facie prima.*

*Pſalm. 10.*
*2 Cor. 3.*
*Ibidem 6.*
*Ioannis 14.*

DESCRIBITVR error humanus, quod argẽtum, aurum, gemmas, & ſericum, quibus vel obuoluta, vel operta ſunt idola, præ fulgore materiæ deos exiſtimant: cùm formam quidem potuerit artifex dare, animam autem, qua vegetantur artus, nequiuerit. Et è contrario: Dominus dicitur in templo ſancto ſuo: non in templo manu facto, ſed vel in cælis, vel in vnoquoq; ſanctorum iuxta Apoſtolum dicẽtem: an neſcitis, quoniam templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? Et alibi: corpora veſtra templum Dei ſunt. Vel in filio, ſicut ipſe ait; Pater in me manens, ipſe facit opera. An certè iuxta illud: Quod cælos, & terras, & maria, & vniuerſum mundum, ſpiritus intus alit: totamq; infuſa per artus, mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet: mundus omnis, qui cælo conſtat & terra, & cælorum circulis clauditur, Dei domus eſſe phibetur. Vnde & Apoſtolus confidenter: in ipſo enim, ait, viuimus, & morimur & ſumus. Quod ſi quis oppoſuerit: quo modo ſpiritus in idolis non eſſe dicatur, cum omnibus ſimulacris aſsideant immũdi ſpiritus: diſcant ſcripturæ ſacræ conſuetudinem, nunquam ſpiritum peruerſum abſolutè, ſed cum additamento aliquo ſpiritum nuncupari; ſicut ibi: ſpiritu fornicationis ſeducti ſunt. Et in Euangelio: Cùm autem ſpiritus immundus exierit de homine, & cætera his ſimilia. Spiritus autem vbicunque ſolus & abſolutè, ſine aliquo additamento legitur, ſemper refertur ad bonam partẽ, id eſt, ad ſpiritum S. vt eſt illud Apoſtoli: qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Et alibi: Fructus autẽ ſpiritus, eſt charitas, gaudium, pax Et alio loco: ſpiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Neque hoc dicimus, quod non & ſpiritus ſanctus cum additamento ponatur: vocatur enim & ſpiritus ſanctus, & ſpiritus principalis, & ſpiritus rectus, & ſpiritus Dei, & cætera his ſimilia: Sed quod ſpiritus ſanctus, & cum additamento, & ſolus ſępè ponatur: ſpiritus autem peruerſus, nuſquam niſi cum additamento lectus ſit. Sed & illud dici poteſt, ſi quis contentioſè ſpiritum peruerſum in hoc voluerit accipere, quod aliud ſit. Omnis ſpiritus non eſt in eo: aliud ſi dixiſſet: Omnis ſpiritus non eſt circa eum. Poteſt enim aſsidere ſimulachris, cæterùm intrinſecus eſſe non poteſt. Vnde & Aquila ſignificantiùs vertit Hebraicum, dicens. Et ſpiritus eius non eſt in viſceribus, ſiue in medio eius. Præterea ſciendũ in quibuſdam Hebraicis voluminibus non eſſe additum, omnis: ſed abſolutè ſpiritum legi. Quod ſi quis ratione ſuperatus in bonam partem acceperit ſpiritum, & quæſierit, cur cùm de ſpiritu ſancto dictum ſit, cum additamento legatur: Et omnis ſpiritu non eſt in eo? ſciat omnem ſpiritum diuerſas gratias intelligi ſpiritus ſancti, vt ſit ſenſus: nihil in ſe gratiæ, nihil poterit habere virtutis. Quod quidem & iuxta Tropologiã magis intelligitur, quod in vniuerſis idolis hæreticorum, & figmentis diaboli, nulla ſit gratia ſpiritus ſancti, ſed imaginem diuinitatis, & pulchritudinem dogmatum præferre videatur, cũ in illis nihil ſpirans ſit & vitale. *Tomo 5. ibidem folio 195. fac. 1. in fine.*

*Virgilius.*
*Actor. 17.*
*Omnibus ſimulacris aſſident immundi ſpiritus.*
*Oſeæ 4.*
*Lucæ 11.*
*Galat. 6.*
*Ibidem 5.*
*In vniuerſis idolis hæreticorum & figmentis Diaboli nulla gratia ſpiritus ſancti.*

*Hæreticorũ alta phantaſia eſt.*

SI quis voluerit, hoc quod dicitur. dedit abyſſus vocem ſuam, altitudinem phantaſiæ ſuæ, in malam partẽ accipere: illo vtetur argumento, quod poſt diſperſas aquas itineris (quæ vtique in malam partem acceptæ ſunt) & hoc rectè in cõtrario ſentiatur. Simulque cerne, quod non dixerit altitudinem ſuam, ſed altitudinẽ phantaſiæ ſuæ, id eſt vmbrę & imaginis; videtur. n. habere altitudinem, & ſcientiam ſcripturarum: ſed omnis altitudo eorum, veritati comparatur, phantaſia eſt, & fruſtrà extollit vocẽ, quia aquę itineris iã diſperſæ ſunt. Quæramus in ſcripturis, ſicubi phantaſiam in bonam partem inuenire poſſumus, & cùm raro vel nunquam fuerit inuenta, firmius abyſſum, & phantaſiam eius in malam partem interpretabimur. *Tomo quinto Comment. in caput tertium Habacuc folio 201. facie prima in fine.*

*Hæretici reputantur vt Sodoma & Gomorra.*
*Eſaiæ 1.*
*Daniel 13.*
*Apocal. 11.*

VIDE Hæreticos in Dialectica ſibi & Rhetorica & omnium ſophiſmatum dogmatibus applaudentes, contemnere Eccleſiæ ruſticitatem & quaſi indignam myſterijs ſuis, quæ ſibi quaſi idola confinxerunt, deſpicere & habere pro nihilo, & non quæres, quæ ſint opprobria Moab, & contumeliæ filiorum Ammon, in quibus exprobrauerint populo Dei. Iurauit itaq; Dominus per ſemetipſum dicens: viuo ego dicit Dominus. Et pulchrè ad diſtinctionem mortuorum deorum, qui appellantur idola, ſe viuentẽ dicit Deus Iſrael, hoc eſt, populi videntes Deũ, quod blaſphemantes hæ gentes, id eſt, Moab & filij Ammon, de quibus ſuprà diximus, ſicut Sodoma & Gomorra erunt. Videntur quidem ſibi in eo, quod gentiles non ſunt, exiſſe de Sodomis & Gomorris, ſed qui blaſphemant populũ Dei, & contra Iſrael faciunt, vt Sodoma reputabuntur & Gomorra, & ita delebuntur, vt illæ deletæ ſunt ante, nullum in ſe habentes veſtigium viroris & vitæ. Nec mirum ſi hoc de hæreticis intelligamus, quod reputentur quaſi Sodoma & Gomorra, cùm etiam ad Eccleſiaſticos, qui Dei non obſeruauère mandata, & egreſsi ſunt à præceptis eius, dicatur per Eſaiam: Audite verbum Domini principes Sodomorum, & attendite in legem Domini, populus Gomorræ. Et ad presbyteros cupientes ſub figura Suſannæ, Eccleſiæ corrumpere caſtitatem, dicat Daniel, hoc eſt, iudicium Dei: Semen Chanaan, & non Iuda. Et vt ſciatis, quotieſcunque Sodoma & Gomorra, & AEgyptus nominatur, non de his dici prouincijs, quas oculis cernimus, ſed de alijs ſpiritualibus, quibus ſermo Propheticus comminatur: legite in Apocalypſi Ioannis: locus autẽ in quo Dominus crucifixus eſt, vocatur ſpiritualiter Sodoma & Aegyptus. Si ergo Hieroſolima, in qua crucifixus eſt dominus, vocatur ſpiritualiter Sodoma & Aegyptus: quare



*12. Reg. 12.*

quare non è Contrario AEgiptus & Sodoma & Gomorra, ſi opera fecerunt Hieruſalem, & terræ Iudæi, in terram fortis Domini transferantur? Denique & Dauid non erat de Sacerdotibus, nec licebat ei comedere panes propoſitionis, ſed quia per ſingula creſcebat opera, & perſecutio Saul virtutum illius profectus erat: propterea in fuga ſua, dum neſcit, ſubitò antiſtes efficitur, & accipit panes propoſitionis, & non violat mandatum Dei. *Tomo quinto Commentar. in caput ſecundum Sophoniæ folio 217. fac. 1.*

*Termini Domini ab hæreticis diripiuntur.*

ET Moab igitur, & Ammon, & Damaſcus, qui ſe ſe aduerſus Domini ſcientiam parauerunt, & blaſphemauerunt populum Dei, & dixerunt in eum plurimas contumelias, & voluerunt dilatare terminos ſuos in terra Eccleſiæ, & populum Dei poſsidere, deſertæ erunt & deſtructæ, & reliqui de populo Dei, hoc eſt, viri Eccleſiaſtici, in ſcripturis dominicis eruditi eripient eos, & reſidui gentis dominicæ, poſsidebunt eos, & hoc eis erit pro contumelia, qua exprobrauerunt, & magnificati ſunt contra Dominum omnipotentem, vide clementiam, vide miſericordiam domini: contumeliam patitur, blaſphematur, diripiuntur termini eius, & ille quid facit? mittit ad reliquias populi ſui, de quibus diximus: vt ſibi blaſphemantes diuidat, & in ſuam ducat poſſeſsionem. Multò enim ſtulto melius eſt ſeruire ſapienti, & ſatuitatem eius Domini ſapientia corrigi, quàm ſuæ eum ſtultitiæ derelinqui, veniet itaque Dominus omnipotens, & manifeſtus erit ſuper eos, (quem nunc neſciunt, quem ignorant) & diſperdet omnia dogmata, id eſt, Deos eorum, & diuerſarum gentium idola: vt poſtquam ſimulachra, quæ de ſuo ſibi ſenſu compoſuerant, euerſa fuerint, conuertatur gentes ad Dominum, & vnuſquiſque in loco ſuo adoret eum, quem neſciebat ante. *Ibidem facie 2.*

*Eſaiæ 3.*
*Deute. 32.*
*Hier. 5.*

LAVS hæreticorum & oleum ipſorum, quo vngunt capita hominum, & repromittunt eis regna cælorum, impinguat eis caput. Omne autem pingue reprehendit Scriptura, ſicut dicit: Et manducauit Iacob, & ſaturatus eſt, & calcitrauit: dilectus incraſſatus eſt; impiguatus, dilatatus eſt. Manna autem angelorum tenue eſt. *Tomo ſeptimo in Pſalm. centeſimum quadrageſimum, folio centeſimo ſeptuageſimo quarto fac. 2.*

LIBERA me de aquis multis, &c.] Non enim ſunt tui filij, qui naſcuntur in multis aquis: ſed alieni filij ſunt. *Ibidem folio centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, facie ſecunda.*

QVORVM os locutum eſt vanitatem, &c.] Scientiam ſibi repromittunt, & erigunt os contra creatorem ſuum, poſuerũt in cælo os ſuum, quorum os locutum eſt vanitatem. Scientia illorum, vanitatis ſcientia eſt. *Ibidem.*

*Pſalm. 108.*

ET dextera eorum, dextera iniquitatis, &c.] Vtrumque condemnatur, os & manus, & ſcientia & opera. Quorum os locutum eſt ad ſcientiam, & dextera eorum, dextera iniquitatis. Dextera in opere, dexteram ſe habere dicunt, ſed toti ſiniſtri ſunt. Dextera iniquitatis eſt & non eſt æquitatis. Vnde & tali ſiniſtræ dicitur: Stet diabolus à dextris eius. Qui talem habet dexteram, & iniquitatis dexteram, ſtat diabolus á dextris eius. *Ibidem.*

## *Articulus IX. Hæreticorum mendacia idololatriæ, fraudes & verſutiæ explicatæ, atque etiam pulchris ſimilitudinibus expreſſæ.*

*Seditioſi hæretici.*
*Romanæ fidei fons puriſſimus.*
*Lucæ 16.*
*Hæreticorũ fraus erumpit tandem.*

IN hac tranquilla Domini ſeruitute, hæretica in his prouincijs exorta tempeſtas cuncta turbauit; & in tantam rabiem concitata eſt, vt nec ſibi, nec vlli bonorum parceret: & quaſi parum eſſet hic vniuerſa nouiſſe, nauem plenam blaſphemiarum Romano intulit portui; inuenitque protinus pãtella operculum; & Romanę fidei puriſsimum fontẽ cæno lutoſa permiſcuere veſtigia. Nec mirum ſi in plateis, & in foro rerum venalium, fictus Ariolus ſtultorum verberet nares, & obtorto fuſte dentes mordentium quatiat, cum venenata ſpurcaque doctrina Romę inuenerit, quos induceret. & paulò pòſt. Laudat Saluator in Euangelio villicum iniquitatis, quod contra Dominum quidem fraudulenter, attamen pro ſe prudenter fecerit. Cernentes hæretici de parua ſcintilla maxima incendia concitari, & in ſuppoſitam dudum flammam iam ad culmina perueniſſe, nec poſſe latere, quod multos deceperat, petunt, & impetrant Eccleſiaſticas epiſtolas: vt communicantes Eccleſiæ, diſceſsiſſe viderentur. *Tomo 1. epiſt. 16. ad principium in medio.*

*Gen. 7.*
*Ioan. 6.*
*Sub ouium pellibus lupos tegunt.*
*Matth. 7.*

GRANDIS labor, ſed grande premium, eſſe quod Martyres, eſſe quod Apoſtoli, eſſe quod Chriſtus eſt, quæ quidẽ vniuerſa tunc proſunt, cũ in Eccleſia ſiunt, cũ in vna domo Paſcha celebramus: ſi arcã ingredimur cũ Noe, ſi pereũte Hiericho, Rachab, meretrix iuſtificata nos cõtinet, cæterũ virgines, quales apud diuerſas hęreſes, & quales apud impuriſsimũ Manichæũ eſſe dicuntur, ſcorta ſunt exiſtimãdæ, nõ virgines, ſi. n. corporis earum auctor eſt diabolus, quo modo poſſunt honorare plaſmationẽ hoſtis ſui? ſed quia ſciũt virginale vocabulũ glorioſũ, ſub ouiũ pellib. lupos tegunt. *To. 1. epiſt. 22. ad Euſtachiũ, c. 17. in principio.*

*Hæretici feritate lupos rapacitate miluos vincunt.*
*Pſalm. 90.*

QVANTOS cernimus Ethnicos, atque Iudęos, hæreticos, atque diuerſorum dogmatum homines, volutari in cœno libidinum, madere ſanguine, feritate lupos, capacitate miluos vincere, & nihilominus flagellum non appropinquare tabernaculis eorum, nec eos cum hominibus verberari, & icircò ſuperbire contra Deũ, & tranſire vſque ad cælum os eorum? cum ſanctos è contrario viros ſciamus ægrotationibus, miſerijs, & egeſtate torqueri, qui forſitan dicũt: Ergo fruſtra ſanctificaui animam meam, & laui inter innocentes manus meas. *Tom. 1. epiſtola 33. ad Caſtrutium, in principio.*

*Romanæ Eccleſiæ laus.*

QVONIAM vetuſto oriens inter ſe populorũ furore colliſus, indiſciſſam Domini tunicã, & deſuper textam minutatim per fruſta diſcerpit; & Chriſti vineam exterminant vulpes; vt inter lacus cõtritos, qui aquam non habẽt, difficilè, vbi fons ſignatus, & hortus ille cõcluſus ſit, poſsit intelligi: ideò mihi cathedrã Petri, & fidẽ Apoſtolico ore laudatã, cenſui cõſulendã, inde nũc meæ animę poſtulans cibum, vnde olim Chriſti veſtimẽta ſuſcepi. Neq; verò tãta vaſtitas elementi liquẽtis, & interiacẽs longitudo terrarũ, me à pretioſę margaritę potuit inquiſitione phibere. Vbicũq; fuerit corpus, illic cõgregabũtur & Aquilę:

profligato à ſobole mala patrimonio, apud vos ſolos incorrupta pátrum ſeruatur hæreditas. Ibi ceſpite terra fœcunda, dominici ſeminis puritatem centeno fructu refert: hic obruta ſulcis frumenta in lolium auenaſque degenerant. *Tom. 2. epiſto. 57. ad Damaſum.*

*Lolium hæreticorum.*

LVCIFER d. valenter quidem, & fixo gradu me tibi in faciem dimicantē repellis: ſed poſt tergum cæderis, & nuda à ſpiculis dorſa non protegis. Eſto quippè, apud Arianos in baptiſma quidem eſſe, & ideò ſpiritum ſanctum ab eis nō poſſe dari, quia necdum remiſsionem peccatorum acceperunt: totum hoc victoriæ meæ proficit; & argumentorum tuorum Paleſtra mihi palmam victoriæ ſudat. *Tom. 2. aduerſus Luciferianos cap. 5. in princip.*

*Sub melle dulcium verborum latēt venena hæreticorum.*

SONABANT verba pietatem; & inter tanta illa præconia nemo venenū inſertum putabat. *Tom. 2. in Dialogo contra Luciferianos cap. 7.*

DISPENSATIO ac libratio iſta prudens verborum indoctos decipere poteſt: cautus auditor & lector ſcitò deprǣhendet inſidias, & cuniculos, quibus veritas ſubuertitur, apertè in lucc demonſtrabit. Et Ariani, quos optimè noſti multo tempore propter ſcandalum nominis ὁμούσιον ſe damnare ſimulabant, venenaq; erroris circumlinebant melle verborum: ſed tandem Coluber ſe tortuoſus aperuit, & noxium caput, quod ſpiris totius corporis tegebatur, ſpirituali mucrone confoſſum eſt. Recipit, vt ſcis, Eccleſia pœnitentes, & numero ſuperata peccātium, dum deceptis gregibus conſulit, paſtorum vulneribus ignoſcit. Eadem nunc in veteri & noua hæreſi conſuetudo ſeruatur, vt aliud populi audiant, aliud prędicent ſacerdotes. *Tom. 2. epiſt. 61. ad Pammachium cap. 1. in fine.*

*Cuniculi hæreticorum.*

QVANDO plaſmauit Deus hominem ex limo, & per gratiam proprię inſufflationis, ei animam tribuit; vtrum anima illa fuerit ante, & ſubſtiterit, & vbi verſata ſit, quæ Dei poſtea inſuflatione donata eſt; an in ſexto die, quādo corpus ex limo firmata eſt, & eſſe, & viuere, Dei poteſtate, ſuſceperit. De hoc taces: & quod quæratur, ſcire diſsimulans, in ſuperfluis quæſtionibus occuparis. Origenem relinquis intactum, & contra Marcionem, Apollinarem, Eunomium, Arium, Manichæum, cæterorumque hæreticorum ineptias debaccharis, manum peteris, & pedem porrigis: & tamen dogma, quod retines, latenter inſinuas, ſic nos ruſticos placas, vt tuis penitus non diſpliceas. *Tom. 2. epiſt. 61. ad Pammachium cap. 5. in medio.*

*Doloſi hæretici.*

SCIEBAM hominem hæreticum laqueos in ſermone quærere, tandem reperi eum, ex quo corpus animaſſet, ex tunc eam dicere animam nuncupatam, quæ prius vel dæmon vel angelus Sathanæ, vel ſpiritus fornicationis, aut in parte contraria, dominatio, poteſtas, adminiſtrator ſpiritus, aut nuncius appellata ſit. *Ibidem in fine.*

*Laqueos quærunt in ſermone.*

VIDETE quanto circumitu, quod non quærimus, eloquatur. Scimus, quod de terra Deus plaſmauit hominem: nouimus, quod inſufflauit in faciem eius, & factus eſt in animam viuentem: non ignoramus, quod animæ rationalis ſit, & proprij arbitrij: & ſcimus, quod Dei illa conditio ſit. *Ibidem capt. 16. vltra p.*

*Circuitu magnaque circuitione vtūtur hæretici*

QVIDAM Conſtantius, quomodo, inquit, damnabimus, quos Synodus Nicena non tetigit? quæ enim damnauit Arium, damnaſſet vtique & Origenem, ſi illius dogmata reprobaſſet. Scilicet vno medicamine omnes ſimul morbos debere curari. Et iccircò Spiritus ſancti neganda maieſtas eſt, quia in illa Synodo ſuper ſubſtantia eius ſilentium fuit. De Ario tunc, non de Origene quæſtio fuit; de filio, non de ſpiritu ſancto. Confeſsi ſunt, quod negabatur, tacuerūt, de quo nemo quærebat. Quanquā latenter Origenem fontem Arij percuſſerunt: damnantes enim eos, qui filium de patris negant eſſe ſubſtantia, illum pariter Ariumque damnauerunt, alioqui hoc argumento, nec Valentinus, nec Marcion, nec Cataphryges, nec Manichæus damnari debent: Quia Synodus Nicena eos non nominat; quos certè ante Synodum fuiſſe non dubiū eſt. Quod ſi quando vrgeri cœperint; & aut ſubſcribendum eis fuerit, aut exeundum de Eccleſia: miras ſtrophas videas. Sic verba temperant, ſic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, vt & noſtram & aduerſariorum confeſsionem teneant; vt aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat: quaſi non eodem ſpiritu & Apollo Delphicus, atque Loxias oracula fuderit Creſo & Pyrro diuerſis temporibus, ſed pari illudent ſtropha. *Tom. 2. epiſt. 65. ad Pammachiū & Oceanum cap. 1. in fine.*

*Auctoritas Nicenæ Synodi.*

*Strophæ hæreticorum miræ.*

CREDIMVS inquiunt reſurrectionem futuram corporum. Hoc ſi benè dicatur, pura confeſsio eſt. ſed quia corpora ſunt cæleſtia, & terreſtria, & aer iſte, & aura tenuis, iuxta naturam ſuā corpora nominantur: corpus ponunt, non carnem; vt orthodoxus corpus audiens, carnem putet, hæreticus ſpiritum recognoſcat. Hæc eſt eorum prima decipula: quæ ſi deprehenſa fuerit, inſtruunt alios dolos, & innocentiam ſimulant, & malitioſos nos vocāt, & quaſi ſimpliciter credentes, aiunt: Credimus reſurrectionem carnis. Hoc verò cùm dixerint, vulgus indoctum putat ſibi ſufficere, maximè quia id ipſum & in ſymbolo creditur. Interroges vltra: circuli ſtrepitus cōmouetur, fautores clamitant: audiſti reſurrectionem carnis; quid quæris amplius? Et in peruerſum ſtudijs cōmutatis, nos Sycophantæ, illi ſimplices appellantur. Quod ſi obduraueris frōtē, & vrgere cœperis; carnē digitis tenēs, an ipſam dicāt reſurrecturā, quę cernitur, quæ tangitur, quę incedit & loquitur: primo vident, deinde annuūt: Dicentibuſq; nobis, vtrū capillos & dētes, & ventrē, manus, & pedes, cęteroſq; art' ex integro reſurrectio exhibeat: tūc verò riſu ſe tenere nō poſſunt, cachinnoq; ora ſoluētes, tōſores nobis neceſſarios, & placentas, & medicos, ac ſutores ingerūt. Vltroq; interrogāt, vtrū credamus & genitalia vtriuſq; ſexus reſurgere, noſtras genas hircas, fœminarū leues fore, & habitudinem corporis pro maris ac fœminæ diſtinctione diuerſam, q ſi dederimus; ſtatim expetūt vuluam & coitum, & cætera quæ in vētre ſunt, & ſub ventre. Singula membra negant; & corporis q conſtat ex mēbris, dicūt non reſurgere. Nō eſt huius temporis, cōtra dogma peruerſum, rethoricū iactare ſermonē. Nō mihi diues Ciceronis lingua ſufficiat; nō feruens Demoſthenis oratio animi mei poſsit implere feruorem; ſi velim hæreticorū frudulentias prodere, qui verbo tenus reſurrectionē fatentes, animo negant: Solēt .n. mulierculę eorum mammas tenere, ventri applaudere, lumbos, & femora, & putres attrectare axillas, & dicere: quid nobis prodeſt reſurrectio, ſi fragile corpus reſurget, & futuræ angelorum ſimiles, habebimus & naturam? Dedignantur videlicet cū carne & oſsibus reſurgere, cùm quibus reſurrexerit & Chriſtus. &c *Ibidem. Cap. 2. in principio.*

*Decipula hæreticorū.*

*Fraudulentia hæreticorum, qua quod verbis affirmant animo negāt.*



QVAE cùm legiſſem, contuliſſemque cùm Gręco, illico animaduerti, q̄ Origenes de Patre, & filio, & Spiritu Sancto impiè dixerat, & quæ Romanæ aures ferre non poterant, in meliorem partem ab interprete commutata: cætera autem dogmata, de angelorum ruina, de animarū lapſu, de reſurrectionis præſtigijs, de mundo vel mūdis Epicuri de reſtitutione omnium in æqualem ſtatum, & multo his deteriora, quæ longum eſſet retexere, vel ita vertiſſe, vt in Græco inuenerat vel de commentariolis Didymi, qui Origenis apertiſsimus propugnator eſt, exaggerata, & firmiora poſuiſſe: vt qui in trinitate catholicum legerat, in alijs Hæreticum non caueret. *Tomo 2. lib. 1. aduerſus Ruffinum Cap. 2. vltra principium.*

*Damnanda fides quā Romanæ aures non poſſunt ferre.*

HOMO, cui incumbit neceſsitas mentiendi, diligenter attendat, vt ſic vtatur interdum mendacio, quo modo condimento, atque medicamine; vt ſeruet menſuram eius; ne excedat terminos, quibus vſa eſt Iudith contra Holofernem & vicit eum prudenti ſimulatione verborum. Imitetur Heſter, quæ Artaxerxis ſententiam diu tacita gentis veritate correxit: & in primis Patriarchā Iacob, quem legimus benedictiones Patris artifici impetraſſe mendacio. Ex quo perſpicuū eſt, quod niſi ita mentiti fuerimus, vt magnum nobis ex hoc aliquod quæratur bonum, iudicandi ſumus, quaſi inimici eius, qui ait: Ego ſum veritas. *Ibidem Cap. 4. fere in fine.*

*Iud. 11.*

*Heſter 2.*

*Geneſ. 27.*

VIS ſcire totas argutiarum tuarum ſtrophas, & vulpecularum inſidias, Quæ habitant in parietinis: de quibus Ezechiel loquitur: Quaſi vulpes in deſerto prophetæ tui Iſrael? *Tom. 2. lib. 3. aduerſus Ruffinum Cap. 3. in medio Fol. 253.*

*Hæretici vulpeculæ.*

*Ezech. 13.*

SIC Euſtathius, Antiochenus epiſcopus, filios dum neſcit, inuenit: ſic Athanaſius, Alexandrinę vrbis Pontifex, teriam Arſenij amputauit manū, duas enim qui mortuus prius fingebatur, viuens poſtea habere monſtratus eſt, Talia & condiſcipuli tui & magiſtri nunc de eiuſdem eccleſię ſacerdote confingunt & auro, id eſt, tuis tuorumque viribus oppugnant fidei veritatem. Quid loquar de hæreticis, q licet foris ſint, tamē ſe nomināt Chriſtianos? aduerſum impijſsimos Celſum, atque Porphyrium, quanti ſcripſere noſtrorum? quis, omiſſa cauſa, in ſuperflua criminū obiectione verſatus eſt? Quæ non chartę eccleſiaſticę, ſed libelli debent iudicium continere. Aut quid refert, ſi cauſa cadas, & crimen ſupereſt? Non neceſſe eſt, vt cum periculo tui capitis accuſes. vno percuſſore conducto, ſatis potes facere deſiderio tuo. *Tomo ſecundo libro Tertio aduerſus Ruffinum Cap. 10. Fol. 262. fac. 2.*

*Theodoretus lib. 1. c. 0. Hiſto. Eccle. Socrates li. 1. c. 20. 21. Nicephorus c. 49 lib 8. Sozomenus li. 2. c. 24. 21 22. 27. Euſeb. in vita Conſtantini lib. 4. c. 41.*

*Confingunt hæretici mēdacia de Catholicis.*

ET iuxta illud Lucretij: ac veluti pueris Abſinthia tetra medentes, Cùm dare conantur, prius oras pocula circum, contingunt dulci mellis flauoque liquore: ita illi vnū Iohannē in ipſius libri poſuit principio. Quem & Catholicum & ſanctum fuiſſe non dubium eſt; vt per illius occaſionem cæteros, quos poſuerat hæreticos eccleſiæ introduceret. *Tomo ſecundo aduerſus Pelagium ad Cteſiphontem Cap. 2. Fol. 264. fac. 2.*

*Simili probat fraudes hæreticorū.*

QVOD ſermone coguntur dicere mente condemnant, & ſi quando aperta blaſphemia publicis auribus fuerit reuelata, & viderint contra ſe audientium turbam circumfremere: tunc ſimulata ſimplicitate dicunt audiſſe ſe primum quæ magiſtrum dicere ante neſcierint. Cumque eorum ſcripta teneantur, voce negant, quod litteris confitentur. *Tomo ſecundo epiſtola. 78. ad Pammachium. & Marcellam 303. fac. 1*

*Voce negant quod literis confitentur.*

DEMVS operam, vt pernicioſiſsima hæreſis de eccleſijs auferatur, quæ ſemper ſimulat pęnitentiam, vt docendi in eccleſijs habeat facultatem, ne, ſi aperta ſe luce prodiderit, foras expulſa moriatur. *Tomo ſecundo epiſtla 94. ad Auguſtinum Fol. 324. fac. 1.*

*Hypocritæ hæretici.*

HABVIT & Ioſaphat naues quas mittebat in Tharſis: ſed contritæ ſunt, in Aſiongaber. Habuit & Salomō, quæ ibant in Tharſis, & poſt tres annos reuertebantur, afferebantque regi argentum & aurū, ebur & ſimias, ſed quia rex vterque peccauerat, alius deditus voluptati, & externarum gentium amans fœminas, alius ſe cùm rege Samariæ copulans: quod vtrumque ad Ethnicos refertur, & hæreticos in quibus nihil eſt aliud, niſi fulgor eloquentiæ: & ſenſus dialectica arte conſtructus, & ſermo mortuus, quod intelligitur in eburneis dentibus: & ſimilitudo rationis humanæ, quod ſentitur in ſimijs: iccirco in Pſalmis legimus: In ſpiritu violento cōfringes naues Tharſis. *Tomo quarto libro primo Commentariorum in Cap 2. Eſaiæ Fol. 9. fac. 2. in fine.*

*3. Reg 22.*

*3 Reg 10.*

*In hæreticis nil niſi fulgur eloquētiæ.*

*Pſalm. 47. Hæretici ſunt ſimiæ.*

VESPERTILIO autē, nocturna auis, quę congruum nomen ab eis accepit, *νυκτερὶς*, eo quod in nocte volitet, paruum animal eſt, & muriū ſimile, non tam voce & cantu reſonans, quam ſtridore: quod cùm videatur volitare, luciſugum eſt, & ſolem videre non patitur. Iſtiuſmodi animantibus Idola comparata ſunt, quæ cæca & tenebroſà colūtur à cæcis, & omnia dogmata contraria veritati, quæ cùm in die Domini fuerint derelicta ingredientur ei, qui proiecerint ea in fiſſuras petrarum, cauernaſque ſaxorum: vt non in terræ puluere & vili luto, ſed in firma ratione verſentur, & inueniant ſibi diuerſa virtutum foramina, per quæ ad veritatem valeant peruenire. *Tō. quarto libro primo Commentar. in cap. 2. Eſaiæ fol. 10. facie Prima.*

*Hæretici idololatræ veſpertilionib. comparantur.*

SI autem gigantes rebelles Dei ſunt: & Omnes hæreſes contrariæ veritati rebellant Deo, omnes hæretici gigantes ſunt, qui gaudent in errore ſuo; & tunc maximè gloriantur, quando Eccleſiæ contumeliam fecerint. *Tomo quarto lib. ſexto Commentar. in caput 13. Eſaiæ folio 63. facie prima.*

*Giganti comparatur hæreticus.*

LEGIMVS in alio loco: perdam ſapientiam ſapientum, & intelligentiam prudentum reprobabo. Non quod vera ſapientia & vera prudentia perdatur à domino, ſed falſè nominis ſcientia: qui ſibi theſaurizant linguam mendacij: & deficiūt ſcrutantes ſcrutinio, & inueniunt nihil loquentes iniquitatatem in excelſum & ponentes in cælum os ſuum. Vnde propriè hæreticorum ſuperbia veritatis iniuria nominatur. *Ibidem folio 64. fac. 2.*

*Lingua mēdax hæreticorum.*

DOCTRINA hæreticorum quæ pardis & pręſ-

*Hier 13. Pſalm. 118.*

uaricatorib.cõparatur deſerta erit, & deducetur ad nihili: Pardi ſunt, quorũ in Hier. varietates & maculæ nõ mutãtur, apoſtatæ: de quib. in Pſalmo legimus: Præuaricatores reputaui omnes peccatores terræ. Omnis quoque herba & germen & quicquid in ſermone eorũ viride videbatur, exaruit. Et ſecundum magnitudinem peccatorum à Deo viſitati ſunt: vt quem per beneficia non ſenſerant, per flagella cognoſcerẽt. Deniq; ducẽtur ad vallem ſiue torrentẽ ſalicũ: vt nullus in eis fructus permaneat, hanc enim ſeminis harum arborum dicunt eſſe naturam: vt qui illud in poculo hauſerit liberis careat. Vnde & ſancti, qui propter peccata in confuſione huius mundi eſſe cœperunt: in ſalicibus Babyloniorum fluminum ſuſpendunt organa ſua. *Tomo 4. lib. 6. Cõment. in cap. 15. Eſaiæ fol. 72. facie 1.*

*Hæretici pardis comparantur.*

*Idololatræ hæretici.*

POSSVMVS ſecundum Anagogen & hoc dicere: quod omne dogma cõtrarium veritati, adoret opera manuum ſuarum: & conſtituat idola in terra ſua, & incuruetur homo, & humilietur vir, & ſe erigere non poſsit, quia ſit à diabolo colligatus, niſi illum erexerit Dominus: Exemplo illius mulieris, quam Sathanas vincerat annis decem & octo: vt nequaquam cælum, ſed terram ſemper aſpiceret. *Tom. quarto libro primo Commentar. in caput ſecundum Eſaiæ folio octauo facie ſecunda.*

*Lucæ 13.*

*Dogmata falſitatis idola.*

ET incuruabitur ſublimitas hominum: & humiliabitur altitudo virorum, &c.] Tamdiu videtur humanus ſermo habere rationem, quàm diu diuinæ ſcientiæ non fuerit comparatus. Cũ autem mendacium veritati, quaſi ſtipula igni appropinquauerit, citò voratur, & deperit: & omnia dogmata falſitatis, quæ nunc idola nominantur, ab eò, quòd ſimulata ſint atque conficta, penitùs conterentur. *Ibidem folio decimo facie prima.*

*Canes hæretici impudẽtes.*

IVXTA tropologiam, omnes, qui Dei religione contẽpta reuertũtur ad vomitum ſuũ, & perdito nomine filiorum, impudẽtiſsimi canes appellantur: ineunt cõſilium, non per Dominum, & ferunt fœdus, non per ſpiritum Domini, adduntq; peccata peccatis, vt ſuperati blandictib. vitijs, etiam dogmatum recipiant prauitatem & deſcendant in Aegypti tenebras quærentes auxilium Pharaonis, qui regnat in Aegypto; cuius ꝓtectio ducit in ignominiã, & in opprobriũ ſempiternum. Sunt enim in Tanis, in mandato videlicet, humili atq; deiecto, principes eius peſsimi nuncij, qui fruſtra laborãt ſuper populo, qui eis prodeſſe non poterit. Sicut enim ſanctos magiſtros iuuat diſcipulorum ſalus, ſic perditio ſeductorum perdit Patriarchas eorum, qui ad Aegypti auxilium confugerunt. *Tomo 4. lib. 9. Commen. in cap. 30. Eſaiæ fol. 110. fac. 2.*

NOS iuxta tropologiam, vt quæ necdum propoſuimus, diſſeramus, dicimus omnes qui creatore deſerto ſeculi erroribus ſe dederũt, eſſe quadrupedes in deſerto iſtius ſæculi, à quo fruſtra ſperent auxilium, cùm verum Dei auxilium dereliquerint. *Ibidem in fine.*

*Idololatria hæreticorũ.*

QVICQVID de idolis dictum eſt, poteſt referri & ad hæreſeõn principes, qui ſimulacra dogmatum ſuorũ atq; mendacij artifici corde componunt, & venerãtur ea, quæ à ſe ſciũt eſſe ſimulata. Nec ſufficit eis error proprius, niſi ſimplices quoſq; eorũ adoratione deceperint. Qui quæſtũ putant eſſe pietatem, & deuorant domos viduarũ, abutẽteſq; vulgi imperitia, ita arte Dialectica quaſi aſcia, & terebro, luna, & runciua formant Deũ ſuum, & cudunt malleo, atq; inaurant ſermonis Rhetorici venuſtate: quorũ Deus venter eſt, & gloria in confuſione eorum. *Tom. 4. lib. 12. Com. in cap. 44. Eſaiæ fol. 146. fac. 1.*

*1. Tim. 6. Lucæ 20.*

*Philip. 3.*

POSSVMVS hæc ſecundum tropologiam & ſuper hæreticis accipere, qui filij perditionis, & ſemen peſsimum, ſiue mendacij. Ab initio enim mendaces ſunt, ſicut Diabolus, qui eſt pater eius, qui eſt pater omnis mẽdacij. Iſti vocant eos, quos deceperunt ad idola, ſiue ad ſimulacra dogmatum ſuorũ ſubter frondoſas arbores, atq; nemoroſas, voluptates, illis & delicia pollicentes, ſiue cælantes impunitates ſuas. Vnde & Adam poſtquam peccauerat, abſcondit ſe in paradyſo ſubter arborem, ne Dei pateret aſpectui. Nec dubiũ eſt, quin iſtiuſmodi perditionis filij & ſemen iniquum, habeant plurimos filios quoſcunq; deceperunt, & occidant in profundis vallibus, & in barathro impietatis ſubter imminentes petras, quæ ſemper minantur ruinas: quæ pro diuerſitate mendacij & varietate dogmatum peruerſorũ plures appellantur petræ. Nos autẽ vnam habemus petram, quæ ſemper ſequitur populũ Dei, de qua bibebat quondam populus Iſrael, quando familiaritate Domini fruebatur. *Tomo quarto libro decimoſexto Commentar. in cap. 57. Eſaiæ folio 186. facie prima.*

*Idola falſorum dogmatum.*

*Geneſ. 3.*

HAERETICI quoque, quorum cor eleuatur in ſuperbiam, & qui Eccleſiaſtica humilitate contempta ſibi excelſa promittunt, aſcendunt dogmatum ſuorum montes ſubtiliſsimos, nec illic ſuum dæmonibus cubile proſtituũt. Et quia ſecundum prophetam conuerſi ſunt retrorſum, imitantes vxorem Loth, mutantur in ſtatuam ſalis, habentes imaginem Eccleſiaſticę cõditurę, & ſoporem penitus non habentes: qui proijciuntur foras, & in nihil vtiles ſunt, niſi vt cunctorum pedibus conterantur. Quamobrem monet Dominus in Euangelio, vt q aratri ſtiuã tenet, poſt tergum non reſpiciat. *Ibidem folio 186. facie ſecunda.*

*Vxor Loth, quomodo typus hæreticorum.*

*Gene. 19. Matth. 5. Luc. 8.*

QVOD quidem & de hæreticis poſſumus dicere, qui derelicto Deo ſuo, ſequuntur errores, & putant ſe aliquid plus habere: cum ſequentes mendacia, perdiderint veritatem, & multiplicauerunt fornicationem ſuam, non in vno dogmate, ſed in plurib. Et fecerint à ſe Eccleſiarũ præſides angelos recedere: qui non contenti fornicatione vicina, mittunt legatos vltrà terminos ſuos ad gentilium dogmata, & errores gentium barbararum, vt nouitate ſermonum decipiant, audientes. *Ibidem folio 187. facie 1.*

*Fornicatio ſpiritualis eſt hæreſis.*

OMNIS hæreticus contemnens Eccleſiaſticam ſimplicitatem ſacrificat in montibus, & exprobrat Deo, dum eius præcepta contemnit. *To. 4. libro decimo octauo, Comment. in caput 65. Eſaiæ. folio 216. fac. ſecunda.*

CERTE iuxta Anagogen: Leones intelligamus aduerſarias poteſtates, aut hæreticorũ principes, qui terram Eccleſiæ deſolantes, omnes illius vrbes hæretico incendio vaſtauerunt, & illo igne; de quo ſcriptũ eſt: omnes adulterantes, quaſi clibanus corda eorum. Illi enim verè dant vocem ſuã, & in hoc eodẽ propheta ſub perdicis perſona clamant: congregant quæ non pepererunt, faciuntq;

*Perdicibus hæretici comparantur.*

*Oſeæ 7.*



faciuntque diuitias non cum iudicio. Propterea autem vrbes illius vaſtatæ ſunt & deletæ: quia non habent habitatorem Deum, dicente ſcriptura: & non eſt, qui habitet in eis. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 2. Hier. fol. 233. fac. 1.*

VTAMVR hoc ſermone aduerſum hæreticorum conciliabulum, qui in ſuis erroribus gloriantur. *To. 4. lib. 1. Com. in cap. 3. Hier. fol. 237. fa. 1.*

ERGO ſaltem amodò voca, &c.] Erubeſcant hæretici, qui volunt ad meliora conuerti, nec regredi ad patrem creatorem ſuum, & audiant: ſaltem amodò voca me pater meus, dux virginitatis meæ es tu. Ipſe deſpondit animam veſtram amplexibus ſuis, & docet, quo modo orare debeat, & agere pœnitentiam. Quantò autem ille clementior, qui ſalutis poſt fornicationem oſtẽdit viam: tantò miſerior meretrix, quę non vult poſt vulnera recipere ſanitatem. *Ibidem.*

*Hæreſis meretrix impudens.*

DVM non putabam, inquit, tabernacula quõdam & pelles meæ Babylonio exercitu furente, populata ſunt: & in prædam hoſtiũ mea quondã ceſſêre hoſpitia: loquitur hoc idem Deus, quando ſeditionis turbas, atque diſcordias cernis in Eccleſia & in conuenticulis ſuis clamare perdicem & Dei requiem in bella conuerti. *Tom. 4. li. 1. Com. in cap. 4. Hierem. folio 240. fac. 2.*

SI rectas feceritis vias veſtras, & cogitatio veſtra non abierit poſt errorem, & ſecuti fueritis iuſtitiam, & malum non feceritis, neque effuderitis ſanguinem innocentem: ſimplices quoſque non ſcandalizantes, & poſt deos alienos, non ambulaueritis, peruerſa adorantes dogmata, quæ de veſtro corde ſimulaſtis in malum vobiſmetipſis. *Tomo quarto lib. 2. Com. in cap. 7. Hierem. fol. 247. fac. 1.*

AIVNT Scriptores naturalis hiſtoriæ, tam beſtiarum & volucrum, quàm arborum herbarumque, quorum principes ſunt apud Græcos, Ariſtoteles & Theophraſtus, apud nos Plinius ſecundus, hanc perdicis eſſe naturam, vt oua alterius perdicis, id eſt, aliena furetur, & eis incubet foueatque: cùm fœtus adoleuerit, auolare ab eo, & alienum parentem relinquere, huiuſmodi diuites ſunt, qui aliena diripiunt, & abſque cogitatione iudicij Dei; faciunt diuitias, non cum iudicio, quas in medio tempore relinquunt ſubità morte ſubtracti, quando dicitur eis: Stulte hac nocte repetent animam tuam à te: quæ autem præparaſti, cuius erunt? Nihilque inſipientiùs, quàm non prouidere nouiſsima & breuia putare perpetua. Alij verò & propter ſuperiorem hiſtoriam, propter alteram, qua dicunt perdicem eſſe pugnaciſsimum & immundum ita vt victũ polluat, Diabolum ſub eius nomine interpretantur, quod alienas ſibi diuitias congregarit, dicẽs ad Dominum: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens, adoraueris me. Quem reliquent diuitiæ ſuæ, quę malè ab eo fuerint congregatæ: Et per Apoſtolos conuertentur ad Dominum, & qui ſibi videbatur eſſe prudentiſsimus, erit omnium iudicio inſipiens. Quodque à LXX. dicitur: clamauit perdix, ad hæreticorum conciliabula referendum eſt: quod perdix iſte Diabolus, clamauerit per principes hæreticorum, & congregauerit, quæ non peperit & deceptorum ſibi multitudinem congregarit, quæ poſtea dimittat eum & omnium iudicio ſtultiſsimus comprobetur. *To. 4. lib. 3. com. in cap. 16. Hierem. fol. 268. facie 1.*

*Lucæ 13.*

*Matth. 14.*

*Perdix diabolus clamat per hæreticos.*

OMNIS hæreticus derelinquit Deum, & alienum facit locum habitatione Dei, quẽ ſua fraude pollũerit, & libat dijs alienis, quos nec ipſe nouerat, nec patres eius Apoſtoli videlicet, & Apoſtolci viri: reges autem Iuda, hoc eſt, hęreticorum Patriarchæ implent locum quondam Dei, ſanguine deceptorum & innocentium. Niſi enim ſtultus & ſimplex fuerit, non citò ſubuertitur. Et ædificant excelſa Baalim, dum de ſublimibus diſputare ſe dicunt. Et comburunt filios ſuos Idolo, quos in hæreſi genuerunt. Quæ omnia ignorare ſe dicit Dominus, nec vnquam aſcẽdiſſe in cogitationem ſuam. *Tomo quarto libro 4. Commentar. in caput decimum nonum Hieremiæ folio 272. facie prima.*

*Hæretici idololatræ.*

IN Lamia quippè duplicitas Iudęorum, & fictio hypocritarum exprimitur. Lamia autem humanam faciem habet, ſed corpus beſtiale: ſic & populus Iudæorum ſpecietenus culturam Dei ſimulabat, ſed feroci animo ſemper illi contrarius exiſtebat. Quod benè per Eſaiam oſtenditur, cùm dicitur: Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè eſt à me. Similiter omnes hypocritæ in prima facie, quod oſtendunt, quaſi ex ratione ſanctitatis eſt. Sed beſtiale eſt, quod ſequitur, corpus: quia valdè iniqua ſunt, quæ ſub boni ſpecie moliuntur. Poſſunt in lamia, hæretici accipi: qui humanam quidem faciem, ſed beluina per impietatem corda geſtant. Hi nunc mammam nudant, quando errorem ſuum liberè prædicant. Tunc catulos lactãt, quando malè ſequaces paruulorum animas, dum peruerſa inſinuant, ad impietatem nutriendo confirmant. Filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto. Sicut in lamia, ſic & in ſtruthione fictio & immanitas hiſtorialiter Iudæorum, et ſecundum myſticum ſenſum, ſimulatio & immanitas hypocritarũ deſignatur, qui fingere ſciunt virtutum opera, non veraciter agere. De hoc ſtruthione inter alia, & in libro Iob legitur: Inducatur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui, fruſtrà laborauit nullo timore cogente. Indurata eſt ergo crudelis ſynagóga Iudæorum cõtra Apoſtolos & Prædicatores noui teſtamenti, qui de ipſa gente nati fuerant, quaſi non eſſent filij ſui: odio eos habens, & externos deputans: crudeliter illos vbiq; in deſerto gentium perſequebatur, propter Euangelium Chriſti, quod & ipſa veritas videtur eis prænũciare, cùm ait: Hæc locutus ſum vobis, vt non ſcandalizemini abſq; ſynagogis facient vos: ſed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo: Et hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem, neq; me. *Tom. 4. lib. 3. Com. in cap. 4. Lamẽ. Hieremiæ fol. 324. fac. 2.*

*Fictio hypocritæ ... comparantur.*

*Hæretici cum lamiis.*

*Hæretici & Iudæi ſtruthioni comparantur.*

*Iob. 39.*

*Ioan. 16.*

CAETERVM & nobis orandum eſt, ne ſeuiores Dominus Iſrahel ſeptenariũ numerum, qui eſt ſanctus, per ſeptem decades multiplicantes, ſtent in erroribus ſuis, & adorent picturas idolorum: vaporque ſacrilegij aſcendat, ſiue conſurgat reſiſtens Deo. Quando viderimus plebem peſsimam congregatam: de qua ſcriptum eſt: odiui Eccleſiam malignantium, & peiores plebe præpoſitos, nequioremque principem, qui præfectus eſt plebi atque præsbyteris: Iechoniam ſtantem ante picturas, & ſingulos habere turibula in manibus ſuis: non Dei maieſtatem, ſed proprias ſententias adorantes: & nequa-

*Hæretici idololatræ.*

& nequaquam odorem bonæ fragrantiæ ad Deum, ſed fœtorem ad idola peruenire. *Tomo quarto lib. 3. Com. in caput octauum Ezech. folio 351. facie ſecunda.*

*Pſeudoprophetæ comparantur vulpibus.*

DICAMVS primum iuxta Hebraicum. Prophetæ Iſrael vulpium ſimiles ſunt, quotidie domeſticarum auium furta facientes: qui habitant iuxta Aquilam & LXX. in deſertis: iuxta Simmachum & Theodotioné, in parietinis atq; ruinoſis, qui non poſſunt aſcendere ex aduerſo, neque murũ pro domo Iſrael opponere.

*Num. 16.*

Legimus Aaron aduerſum ignem Iſraelis populum deuorantem occurriſſe, & ſtetiſſe medium, & oppoſuiſſe murum pro ſalute populi.

*Hier. 7.*

Hieremiæ quoque dicitur, ne occurrat Domino, neque ſtet contra iram eius orationis perſeuerantia.

*Dei ſententia ſanctorũ precib. quaſi muro interpoſito frãgitur.*

Sicut enim murus hoſti opponitur, & aduerſario occurri ſolet ex aduerſo contraque venienti, ita Dei ſententia ſanctorum precibus frangitur.

*Exod. 32.*

Vnde & Moyſi dicitur: Dimitte me, & delebo populum iſtum. Cui enim dicitur: Dimitte me, oſtenditur quod tenendi habeat facultatem. Iſti ſtare non poſſunt in prælio in die Domini, vt pro populo precibus dimicent, & reſiſtant obſecrationibus ſententiæ Dei. Quia igitur vana conſpiciunt, & diuinant mendacium, & à Domino miſſos eſſe ſe dicunt, cùm non ſint miſsi ab eo: & perſeuerant in erroribus, & ſuum cupiunt firmare ſermonem, arguuntur, quod omnia ſint caſſa quæ prædicant, ſuum mendacium Domini ſermonem eſſe dicentes.

*Hæretici cur vulpib. ſimiles.*

*Matth. 8.*

Porrò iuxta LXX. hic ſenſus: omnes hæretici, propter fraudulẽtiam ac nequitiam vulpium ſimiles ſunt, de quibus Saluator loquitur: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos. Et de Herode ſcriptum eſt: dicite vulpi huic.

*Lucæ 13.*

*Cant. 2.*

Et de eiuſdem vulpibus, quæ paruulos ſimpliceſque decipiunt, & populantur vineã Chriſti; Salomon loquitur: Capite nobis vulpes paruulas diſsipantes vineas. Et in Pſalmo ſuper his, qui eorum fraudulentia ſupplantãtur, canitur:

*Pſalm. 62.*

Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.

*Matth. 16.*

Hi prophetæ, qui vulpium ſimiles ſunt, non ſteterunt in firmamento: nec cum Petro audire meruerunt: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam. Moyſi ſimiles ſunt, cui dictum eſt:

*Deuter. 5.*

Tu verò hic ſta mecum. Nec illius, qui dicit: ſtatuit ſupra petram pedes meos, ſed fluctuauerunt omni vento doctrinæ.

*Pſalm. 39.*

Nec ſteterunt in firmamento: de quo in octauo decimo Pſalmo legimus: Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Iſti congregauerunt irrationabiles quoſque & propter nimiam innocentiam pecudum ſimiles contra domum Dei. Vnde nunc dicitur: Et congregauerunt greges ſuper domum Iſrael: Nec ſurrexerunt ipſi, nec alios ſuſcitare potuerunt: ſed quæcunque egerunt & agunt, plena mendacijs ſunt. Quodque ſequitur: Et cœperunt ſuſcitare ſermonem: illud ſignificat, quod velint quidem conſurgere, & ſe ad excelſa ſuſtollere, ſed quæ cupiant, implere non poſſunt. Diciturque eis: Nonne viſionem falſam vidiſtis, & diuinationes vanas locuti eſtis? *Tomo quarto libro quarto Commentar. in caput decimum tertium Ezechielis folio 362. facie ſecunda à principio.*

ET ſumpſiſti, &c.] Subauditur imagines maſculinas, vt omnem cultum, quem acceperat ad vtendum, verteret in blaſphemiam. Hoc facimus, quotiens prudentiæ, temperantia, fortitudine, iuſtitia, cultuſque virtutibus hæreticam circundamus prauitatem, & ſub occaſione earum, ſimplices quoſque decipimus: vt videntes mella virtutum, vitiorum venena non caueant. *Tomo quarto libro quarto Commentar. in caput decimum ſextum Ezechielis, folio 372. facie ſecunda.*

*Hæretici mella virtutum propinant, vt ſimpliciores vitiorum venena non caueant.*

ET oleum meum, &c.] Oleum de quo ſuprà diximus, & thymiama ſiue incenſum, de quo Pſalmiſta proclamat. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: & panes propoſitionis, quos Deo iubemur offerre: ſimilã quoque ſenſum puriſsimum ſcripturarum, & mel quod guſtauit Ionathan, & aperti ſunt oculi eius, & confortatus eſt, poſuit miſera Hieruſalem in conſpectu Idolorum, ſiue coram imaginibus maſculinis: vt eſſet his in odorem ſuauitatis. Quæ materia ſua dulcia ſunt atque ſuauiſsima, ſed dum offeruntur idolis falſiſque doctrinis, vertuntur in amaritudinem. *Ibidem.*

*Pſalm. 140. Spiritualis fornicatio hæreticorũ.*

*1. Reg. 14.*

NOSTRA quoque Hieruſalem, ſi hæretica fraudulentia ſupplantata fuerit, tollit filios ſuos, qui robuſtiores ſunt in fide & filias quæ non habent natura fidei fortitudinem: aut certè filios, qui myſtica quæque cognoſcunt: filias quæ ſimplicem ſequuntur hiſtoriam: & tradit dæmonibus deuorandos: & cùm interficiat eos, viuificare ſe credit, & placare ſimulacra, quorum occiſione ſaturantur. Quodque dicitur iuxta LXX. hoc eſt, ſuper omnem fornicationem tuam, & abominationes tuas: illud ſignificat, quod cunctis peccatis & fornicationibus peior ſit doctrina hæreticorum, quæ Dei filios facit filios dæmonum: immò interficit eos, quos vel multo labore genuerat Deo, vel ſuos fecerat filios, quos in fornicatione generauit. *Tomo quarto libro quinto Commentar. in caput decimum ſextum Ezechielis, folio. 373. facie prima.*

*Hæreticorũ doctrina peior eſt cũctis peccatis & fornicationibus.*

QVOD ſemel & iterum atque iterum diximus, in perpetuum dixiſſe ſufficiat: ſub perſona mulieris poſt multa mariti beneficia fornicantis deſcribi fornicationem Hieruſalem quo modo à Deo receſſerit, & iuncta ſit idolis, nec occulta fuerit fornicatione contenta, ſed ædificauerit ſibi lupanar, & in omni via ſignum tranſeuntibus poſuerit: vt venirent ad ſcortum & ſatiarent libinem, non tam ſuam, quam eius quæ diuaricauit crura ſua omni tranſeunti, & pulchritudinis magnitudinem fornicationis magnitudine deturparit, & inter cætera etiam AEgyptijs vicinis ſuis amorem magnarum carnium proſtituta ſit. *Ibidem facie ſecunda.*

IDOLOLATRIA tua non in occulto, ſed tota libertate commiſſa eſt: vt in omnibus viarum principijs & compitis poneres aras, & baſim ſiue excelſum tuum, de quo ſupra diximus, faceres in omni platea. Nec imitata es callidas meretrices, quæ ſolent difficultate augere libidinis precium, & ex hoc magis amatores ad inſaniam prouocare. Siue iuxta LXX. non fuiſti quaſi meretrix congregans mercedes, ſed dediſti quę accipere debueras: vt nec in eo, quod fornicata es, & ſecuta dæmones, eorum protegereris auxilio: ſed varijs oppreſſa captiuitatibus ſentires calamitates tuas. Quod quidem & ad omnem animam Chriſtianam referri poteſt, quæ

*Diſsimilitudo fornicationis hæreticæ & meretricum.*

deſerto



deſerto culto Dei, vitijs ſe, luxuriæque permiſit, & ſecularem ſecuta viam, ne in ea quidem egit feliciter; Sed & diuitias religionis perdidit, mũdi diuitias non accepit: Nec in conſtuprando eam fuit aliqua difficultas, ſed ipſa ſe ingeſsit amatoribus. Eſt autem & alia fornicatio ſpiritualis, quando deſerentes eccleſiam hæreticis iuugimur, & ædificamus lupanar noſtrum in capite omnis viæ, quibus præcipit ſermo diuinus: State in vijs, & quærite ſemitas Domini ſempiternas, & videte quæ ſit via bona, ambulate in ea, Moyſi videlicet, Ieſu, Iudicum, & Regum libris, Eſaiaque & Hieremia, & alijs prophetis. *Tomo quarto libro quinto com. in caput 16. Ezechielis fol. 375. fac. 1.*

*Hiere. 6. Fornicatio ſpiritualis deſerere eccleſiã & iũgi hæreticis.*

IDOLA autem, id eſt, ſimulacra quę de ſuó corde finxerunt, omnes hæretici faciunt: ad quæ leuant cordis oculos, qui falſitatem eorum atque mendacium putauerunt veritatem. Domus autem Iſrael ſimulacra dicuntur, quæ reperiuntur in eccleſia, & per occaſionem falſi nominis ſcientiæ, ſimplices quoſque ſeducunt: & Philoſophorum dogmata introducunt in Domum Iſrael: eorum ſcilicet, qui Deum mente conſpiciunt *Tomo quarto libro ſexto commentariorum in cap. decimum octauum Ezechielis folio 384. fac. 1.*

SED & nobis quãdo eximus de AEgypto, iubetur offenſiones oculorum noſtrorum abijciamus: ne ſcilicet his delectemur, quibus antea delectabatur in ſęculo: ne ſimulacris AEgypti polluamur, adinuentonib⁹ videlicet Philoſophorũ atque hæreticorum. quę rectè idola nominantur. A ſpectaculis quoque imo offenſionibus AEgypti remoueamus oculos, arenæ, circi, theatrorum, & omnibus, quæ animæ contaminant puritatem & per ſenſum ingrediuntur ad mentem: impleturq; quod ſcriptum eſt: Mors intrauit per feneſtras veſtras. *Tomo quarto libro ſexto commentariorũ in caput vigeſimũ Ezechielis folio 389. facie 2.*

*Adinuentiones philoſophorum & hæreticorum rectè appellantur idola.*

PROPHETAE ſiue duces lenonibus comparantur. Principes autem quos inferioris homines gradus intelligimus, luporum imitantur rapinã, vt effundant ſanguinem, non corporum ſed animarum: & auarè ſectentur lucra. *Tomo quarto libro ſeptimo commentariorum in cap. vigeſimũ ſecundũ Ezechielis folio 398 facie ſecunda in fine.*

SI autem hoc ita eſt, vt qui in tempore erroris & perſecutionis idola ſunt ſecuti, quæ de ſuo corde confinxerant, & non ſolum voce ſed & ſubſcriptione manus, aſſeruerunt Dei filium creatũ ram, & ſeruierunt creaturę magis quam creatori, qui eſt benedictus in ſecula: quomodo ſibi ſacerdotale & Pontificale aſſumunt faſtigium, & audent offerre victimas Deo, cultores quondam Idolorum? Sed vt ardentiſsimus poeta teſtatur, quod quicquid à multis peccatur, inultũ eſt: multitudo peccantium, impetrabiliorem facit impijs veniam: vt qui redacti in laicos, priſtina ſacrilegij ſui debuerant ſcelera deplorare, nunc reſupini in pontificali ſolio ſedeant, & ructent nobis ſimulatæ fidei nauſeas, imo opertæ perfidię, aperta compendia. *Tomo quarto libro decimo tertio commentariorum in cap. 44. Ezech. folio 476. facie 1.*

*Hæretici lenonibus & lupis comparentur.*

*Hæretici ructant ſimulatæ fidei nauſeas imo opertæ perfidiæ aperta compendia*

PRINCEPS & caput ſuperbientis amentiæ, & omnium malorum, (iuxta illud quod ſcriptũ eſt: Mundus in maligno poſitus eſt) Gog & Magog appellantur. Quæ gentes inimicæ aduerſarięque ſanctorum, egrediuntur ab angulis terræ: rectam lineam relinquẽtes & diſpoſitionem caſtrorum Dei, quæ narratur in Numeris: & illud teſtimonium neſcientes: multi de oriente & occidente, & ſeptentrione & meridie venient: & diſcumbent cùm Abraham, Iſaac, & Iacòb in regno Dei. et in alio loco: Dicam aquilioni, affer & aphrico, noli prohibere. Adduc filios meos de terra lõginqua: & filias meas ab extremo terræ: Omnes qui vocati sũt nomine meo. Sed nõ tales anguli terrę de quib. egrediuntur Gog & Magog: iuxta quos Angulos ſtat meretrix in prouerbijs, quæ prætereuntes ſtultos iuuenes per plateas: per latam videlicet & ſpacioſam viam, quæ ducit ad mortem decipere feſtinat. Scribæ quoque & phariſæi orãt in angulis platearum vt ab hominibus videãtur, receperunt mercedem ſuam. *Tomo 4. libro 11. commentariorum in caput 38. Ezechielis fol. 449. fac. 1.*

*1. Ioann. 5.*

*Matth. 8. Hæretici rectam ſucceſſionis lineã & diſpoſitionem caſtrorum dei relinquunt.*

*Eſaiæ. 43.*

*Sec. 70.*

*Prou. 7. Hæreſis meretrix iuuenes feſtinat decipere.*

*Matth. 6.*

OMNEM ſcripturam ſanctam mente percutiens (niſi tamen me fallit obliuio) nequaquam reperio, quo ſanctorum quiſquam Deum cadens adorauerit: ſed quicunq; idola & dæmones & res illicitas adorauerit, cadens dicitur adorare: vt in pręsẽti loco nõ ſemel ſed crebrius. Et in euãgelio diabolus loquitur ad Dominũ: Hæc omnia dabo tibi ſi cadens adoraueris me. Sed & hoc dicendũ: Omnes hæreticos, qui fulgore eloquentiæ ſæcularis, falſum dogma componunt, auream ſtatuã facere, vt cadentes adorent idolum falſitatis. *To. quarto lib. 1. com. in capit 3. Danielis fol. 500. fac. 2.*

*Matth. 4.*

*Hæretici diſcipulos ad ſpiritualem idololatriã impellunt.*

HACTENVS Porphyrius vtcunque ſe tenuit, & tam noſtrorum imperitis, quam ſuorum male eruditis impoſuit. De hoc capitulo quid dicturus eſt, in quo mortuorum deſcribitur reſurrectio: alijs ſuſcitatis in vitam æternam, & alijs in opprobrium ſempiternũ? Nec poteſt dicere qui fuerint ſub Antiocho fulgentes quaſi ſplendor firmamenti, & alij, quaſi ſtellę in perpetuas æternitates. Sed quid nõ facit pertinacia? Quaſi cõtritus coluber eleuat caput, & moriturus in eos, qui morituri ſunt venena diffundit. *To. 4. lib. 1. Com. in cap. 12. Danielis. fol. 526. fac. 2. à principio.*

*Hæretici quare ſerpẽtibus ſimiles*

QVO modo decipiant hęretici amatores ſuos, & componantur eloquij venuſtate, ſtructuraque verborum vt mendacio ſimulent veritatem, & coniugalem pudicitiam derelinquant, & incendant Baalim, id eſt, idolis, quę de ſuó corde finxerunt, quotidie cernimus. Non enim habent curã ruſticę ſimplicitatis, quę meretricia ornamenta non quęrit, ſed artificis elegantiſque mendacij, vt amatoribus ſuis diabolis, & dęmonijs placeãt. *To. 5. libro 1. cõ. in capit 2. Oſeæ fol. 40. fac. 1. in fine.*

*Meretricia ornamenta quærunt hæretici.*

QVIDAM Thabor interpretari putant lacũ, id eſt, ciſterna, & pręſenti ſenſui conuenire, quod hęretici foderint, lacum & inciderint in foueam quã fecerũt. *To. 5. lib. Cõ in cap. 5. Oſeæ fol. 47. fac. 2.*

VNDE & Principes dogmatum peruerſorum & populorum Dominus non ignorat: Non quod eius notitia digni ſint: ſed quod nihil eũ lateat eorum, qui occulti fuerũt: quorũ alij deceperunt, alij ſunt decepti. Nec dabunt cogitationes ſuas, vt agant pœnitentiam, qui ſemper in perditione proficiunt. Spiritus enim fornicationis, quo forcati ſunt in eccleſia, & à veró matrimonio receſſerunt in medio eorum: Ideo Dominum non cognouerunt. *Ibidem.*

*Extra matrimonium quod eſt inter eccleſiam & Chriſtũ fornicantur hæretici.*

SICVT nationes corporalia ſimulacra venerantur, ſic iſti Idola Deos putant, quę de ſuo corde finxerunt, & ideò reputabũtur in numero nationum. *To. 5. lib. 2. Cõ. in cap. 8. Oſeæ fol. 57. fac. 2.*

SINGV-

SINGVLI Hæreticorum habent Deos ſuos & quodcunque ſimulauerunt, quaſi ſculptile colunt atque conflatile. *To.5.lib.2.Com.in cap.11.Oſeæ fol.66.fac.ſecunda.*

VNDE & ad hæreticos hoc ipſum refertur, Chanaan quippe interpretari poteſt, quaſi mouentes, & nota quod dixerim, quaſi mouentes, non monentes: Mouentes ſcilicet eos quos deceperint, quaſi monentes illos, quos mouere tentauerint. Sed quia fundati ſunt ſuper petram, nullo poſſunt turbine concuti, nec pedum ſuorum mutare veſtigium. In iſtiuſmodi Chanaan manu, hoc eſt, operibus, ſtathera doloſa eſt & iniqua, quidquid enim hæreticus loquitur, Dei iuſtitiam non habet, & plenum eſt doli & fraudum, vnde & calumniam diligunt, dum deprimunt innocentes, ſiue opprimunt eos per potentiã. Opprimitur pauper eccleſiaſticus, verboſitate & argutijs hæreticorum, qui poſtquam aliquos deceperint, ſolent dicere, diuites facti ſumus, habemus plurimam multitudinem, diſcipulorum turba nos ſequitur, inuenimus idolum vel refrigerium nobis. Iccirco enim vel maxime hæreſes componuntur vt deuorent & domos viduarum, quæ ſemper diſcunt, & nunquam ad ſcientiam perueniunt veritatis. & pulchrè inueni ait, idolum mihi. Omnia enim hæreticorum figmenta, idola ſunt, & ſimulacra gentilium, nec multum differunt impietate, licet in nomine diſcrepare videantur. Solentque dicere: Quicquid fecero quicquid egero, mihi non poterit imputari, habeo enim diuitias meas, argumenta philoſophorum, habeo populi multitudinem, quàm qui aſpexerit me peccare non arbitrabitur. *Tom.5.lib.2.Cõ. in cap.12. Oſeæ fol.70.fac.2.*

*Hæretici calumniatores & fraudulenti.*

*Lucæ 20.*
*2.Tim.3.*

*Hæreticorũ figmenta ſunt idola gentilium.*

LOQVENTIBVS hæreticis, imò principib. hæreticorum, id eſt, Ephraim, horror & tremor inuaſit infelicem populũ, & deliquit in idolis, quæ de corde ſuo confinxit, & moritur cum populo, quem ſeduxit: & non ei ſufficit corruiſſe, niſi linguam quam ad canendum Deum, acceperat, vertat in imagines Idolorum, & artifici eloquio ſimile veritati dogma componat: quod nihil eſt aliud, niſi excogitatio prauitatis humanæ: præcipiuntq; diſcipulis ſuis, vt & ipſi immolent homines: hoc eſt, furentur de Eccleſia Dei, & introducant ad hæreticos, & occidant quos deceperint. Quodq; ſequitur. vituli enim defecerunt, hunc habet ſenſum. Nolite quærere, quos ſeducatis de gentibus, qui vocantur bruta animalia, ſed eos rapite, eos immolate, qui in Eccleſia conſtituti, Chriſti cenſentur nomine, & homines appellantur. *Tom.5.lib.2.Com.in cap.13. Oſeæ fol.72.facie 1.*

*Hæretici furantur homines de Eccleſia Dei.*

QVOD ſi è contrario obiecerit, quare non alijs, quę minora ſunt, periturum Ephraim aſſimulauerit: verbi gratia pulici, qui omnia habet membra, caput, oculos, pedes, ventrem, &c. quæ licet oculis nõ videamus, tamen ſenſu intelligimus: in tantùm vt os pulicis, ac dentes, non vidẽtes oculis, morſibus ſentiamus. Reſpondendum eſt ei, quod ideò vapori, locuſtæ ſiue auræ tenuiſſimæ periturorũ gloria cõparata ſit, quia locuſta noxia eſt, & ſic inimica mortalib. vt famẽ faciat, & ſegetu culta populetur: in tantũ vt arbores quoq; & vineas decorticet: quod pleniùs in Ioel propheta legimus, & huic locuſtę & nubi matutinæ, & rori & pulueri hęretici cõparantur: De quib. & in epiſt. Catholica dicitur: Hi ſunt nubes ſine aquis. Habẽt enim ſpeciẽ prophetarũ, & nubiũ Apoſtolicarũ, ad quas Dei veritas peruenit: ſed nõ habent aquas, id eſt, gratiã ſpiritus S. dicẽte Domino in Euãgelio: Qui credit in me (ſicut dicit ſcriptura) flumina de vẽtre eius fluẽt aquæ viuę: hoc aũt, inquit, dixit de ſpiritu, quẽ accepturi erãt, credẽtes in eum. *Ibidem fol.72.facie 2.*

*Hæretici comparãtur locuſtæ, nubi, rori, pulueri.*

*Ioel.1. & 2.*
*Iudæ.*
*Ioan.7.*

PERCVTIET domum hyemalẽ: eos hæreticos, qui laborant cõtinentia & ieiunijs Xerophagijs, Chameunijs: è quib. Tacianus eſt & Manichęus. Et domũ ęſtiuã: vt Nicolaitas & Eunomianos, & veteris hæreſeos nouos ſectatores: qui propter vẽtris ingluuiẽ, omnem recipiunt voluntatem. *To.5.lib.1. Commentar.in cap.3. Amos.fol.101. facie 2.*

*Veteris hæreſeos noui ſcrutatores.*

FVRES & latrones, qui ingrediuntur nocte (quia filij ſunt noctis & tenebrarum) hæreticos puto, contraria veritati dogmata prędicantes; qui furantur, ſufficientia ſibi & quotidie de Eccleſię gregibus rapere feſtinant: Iſti ingredientes vineã Domini noſtri, quam de Aegypto huius ſæculi tranſtulit, & de cuius genimine vinũ ſe eſſe bibiturum, in regno patris pollicetur: ita cupiunt vniuerſa populari, vt vix racemum relinquant in ea: Sed è contrario Dominus ait: Omnia enim ſecreta eorum, & occulta myſteria & Patriarcharũ Eſau (hos quippè intelligo, qui primi hæreſes adinuenerunt) per ſanctos ſuos & Eccleſiaſticos viros, atq; doctores, profert in mediũ, & prima illius victoria eſt, patere, quę tegebantur occulta. Vnde & cũ admiratione dicitur: quomodo perſcrutatus eſt Eſau, deprehenſa ſunt occulta eius? vide Marcionem, & Valentinum, & omnes hæreticos, quomodo in doctrinis Dæmoniorum, cauteriatam habentes conſcientiam applaudant ſibi, & ſimplices animas, quaſi quibuſdam diuinis myſterijs initiantes compoſito ſermone decipiant: Sed cum triginta Aeonas, & Quadragas & Octoades, & Duodecadas, duplicem Deum & portentoſum Abraxas in medium ſermo protulerit: tunc prudentia Eſau ſtultitia demonſtrabitur & inueſtigabuntur ſecreta eius. *Tom.5.Com.in cap.1. Abdiæ Fol.129.fac. 2. in principio.*

*Hæretici ſunt fures & latrones.*
*Pſalm.79.*
*Matth.26.*

*Hæreſiarchæ patriarchæ Eſau.*

*Locus Pauli 1.Tim. 4. non capitur de Catholicis.*
*1.Tim. 4.*

ET diſperdam ſculptilia tua, & titulos tuos, de medio tui. Sculptilia noſtra ſunt, quæ à loquẽtibus facta ſunt, vel quæ ipſi fingimus nobis. Vnde pręcipitur in lege, ne nobis ſculptile faciamus, & ne titulos in terra noſtra ponamus. Et nequaquam vltra adorabis opera manuum tuarum. Infelix humana conditio, & inſipientiæ plena atque erroris: ſcit de ſuo ſenſu dogmata eſſe compoſita non ignorat à ſe idolum eſſe ſimulatum, & pro Deo adorat opera manuum ſuarum; & curuatur homo, vt deceptus decipiat. *Tomo quinto lib.2. Comment.in caput quintum Micheæ, folio 161.facie 2.*

*Exod.10.*
*Leuit.26.*
*Deut.5.*

*Hæretici idolorum adoratores.*

CAETERVM iuxta Hebraicum verè hæreticorum fœdera, & neceſſitudines, quaſi ſpinæ ſunt, ſe inuicem complectentes & conuiuium eorum atque myſteria (quia & ipſi menſam Dominicam ſe habere dicunt) ſpinearum fœdus eſt, ſimul veſcentium pariterque potantium. Cùm enim ebrij de vinea Sodomorum aduerſus conditorem rabido ore blaſphemant: Nonne conuiuium ſentium eſt? quod tamen cum ſuis conſumetur auctoribus, quaſi

*Hæreticorũ neceſſitudines et pacta ſpinarũ fœdera*

*Hæreticorũ dominica menſa conuiuium ſentium eſt.*



quaſi ſtipula ariditate plena. *Tom.5.Comment.in cap.1.Nahum, fol.173.facie 2.in fine.*

POTEST & de hæreticorum accipi peruerſa multipliciq; doctrina: quod & ipſi hamo ſuo, & reti ſuo, & ſagenis ſuis plurimos piſces capiãt, & reptilia multa comprehendant: & iccirco lætantur, & ſermonem ſuum quo decipere & perſuadere potuerunt, quaſi Deum adorent, & illũ colant, illũ expoliãt: ipſi omni arte deſeruiant, per quem ſciant à ſe tantas victimas interfectas, & tantos potentium atque ſanctorum eſſe deceptos: quos pinguem partem, & electas eſcas Scriptura nũc nominat. Propterea in ſimilitudinẽ beſtiarum, quę guſtatum ſemel ſanguinem ſemper ſitiunt, expandunt rete ſuum; & hoc omne eorum ſtudium eſt, vt nos paucos, ſicut in principio, ſed plures interficiant. Non ambigit de interfectione multarum gentium, qui tantam hęreſeon & peruerſarum doctrinarum multitudinem Diaboli viderit hamo, reti ſagenisque comprehenſam, & tamen capturæ eorum finis interitus eſt. *Tom.5. Comment.in cap.1. Habacuc, Fol.189.facie 2.*

*Hamo & reti callidè inescant & capiant multos hæretici.*

*Cum cruentis leonibus & feris beſtijs comparantur.*

HOC dictũ ſit vt iuxta Tropologiam, ſcire poſſumus, quid ſit inter ſculptile atque conflatile. Legimus in Deuteronomio: Maledictus omnis qui fecerit ſculptile, & conflatile, opus manuum artificis, & poſuerit illud in abſcondito. Sculptile atque conflatile reor dogmata eſſe peruerſa, quæ ab his à quibus ficta ſunt, adorantur. Vide Arrium, ſculpſiſſe ſibi idolum creaturæ, & adoraſſe quod ſculpſit. Cerne Eunomium, conflaſſe imaginem falſam, & conflationi ſuæ curuare ceruicem, ſignanterque Scriptura: & ponet, inquit, illud in abſcondito. Habent enim & ipſi Orgia ſua, & quaſi pro perfectis quibuſque diſcipulis tradunt abſcondita Sacramenta: quæ ſi ad lucem proceſſerint, tamen quod ficta ſunt, arguantur. Nihil igitur eis proderit ſculptura & conflatio ſua. Sculptura, quæ refertur ad lapides: in his dogmatibus intelligitur, quæ ſtultitiam prima fronte demonſtrant: Conflatio eſt ibi, vbi aliqua videtur eſſe ratio ſapientiæ ſæcularis, & veluti quodam auro ita diſciplinis Philoſophorum, & ſplendore eloquentiæ idolum conflatum eſt. Nihil ergo proderit figmentum fictori ſuo. Et mutum ſurdumque ſimulacrum adoratorem ſuum audire non poterit. Si quando videris aliquem nolle credere veritati, & oſtenſa ſuorum dogmatum falſitate incepto ſtudio perſeuerare, congruè poteris dicere: Sperat in figmento ſuo & facit ſimulacra muta vel ſurda. *Tom.5.Commentar.in cap.2. Habacuc.Fol.195.facie 1.in principio.*

*Deuter. 27.*

*Dogmata ſua tanquã idola hæretici adorãt.*

*Abſcondita Sacramenta hæreticorũ.*

*Duplex genus dogmatum hæreticorum.*

QVORVM filij ſicut nouellæ plantationes in iuuentute ſua.] Plantatio eorum non eſt vetus, ſed nouella eſt. Non eſt enim de veteri lege, non eſt de Prophetis, non eſt de Apoſtolis: ſed de nouis magiſtris eſt. Filiæ eorum ſicut nouellæ plantationes in iuuentute ſua. In iuuentute ſua: ſemper iuuenes ſunt. Licet multæ ſint hæreſes veteres, tamen quotidie mutantur, & nouæ quotidie inueniuntur. Nouæ ſunt ipſæ hæreſes, licet veteres ſint: tamen cùm quotidie doctrinas ſuas innouant, nouæ ſunt. Nõ enim ſunt veterum magiſtrorum errore contenti, ſed quotidie ipſi noua reperiũt: quorum filij ſicut nouellæ plantationes in iuuentute ſua. De Eccleſia quid dicitur: de timentibus Dominum? Beati omnes qui timent Dominum: qui ambulant in vijs eius. Quid dicitur de illis? Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ. Circa menſam Chriſti ſunt illi filij: non longè ſunt à menſa Chriſti. Ibi non dicitur filię, ſed tantummodo filij. Cæterùm hæretici habent, & filias, habent & fragiliorem ſexum, voluptates, delitias. *Tom.7.Comment.in Pſal.143. Fol.177.facie 2. in fine.*

*Prophanæ nouitates.*

*Multæ quidem veteres hæreſes, ſed quotidie mutantur, & nouæ quotidie inueniũtur.*

*Pſal.127.*

## *Articulus X. Hæreticos Antichriſtos eſſe.*

CHRISTVM mentitur Antichriſtus, & turpitudinem vitæ falſo nominis honore conueſtiunt. *Tom.1.epiſtola 22. ad Euſtochium, cap. 17. in principio.*

*Chriſtũ mentiuntur [illegible]*

HIS & huiuſcemodi diuinarum Scripturarum teſtimonijs quæ ad peruerſitatem ſui dogmatis callidus diſputator inclinat, quis nõ tentatur etiam electorum Dei? & quod Ioannes Apoſtolus Antichriſtos dicit veniſſe multos, hæc vera eſt Antichriſti prædicatio, quæ inter Ioannem & vltimum pœnitentem nullam facit eſſe diſtantiam. *Tom.2.lib.2. contra Iouinianũ cap.13. in principio.*

*Multi Antichriſti, multi hæretici.*

SICVBI audieris, eos qui dicũtur Chriſti, nõ à Domino noſtro Ieſu Chriſto, ſed à quoquã alio nuncupari, vt puta Marcioniſtas, Valentinianos, Montenſes, ſiue Campitas: ſcito non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe Synagogam. *Tom.2. Dialogo contra Luciferianos, capite nono, in fine.*

*Hæreticorũ conciliabula Antichriſti Synagoga.*

HAERETICORVM corda Diaboli igne ſuccenſa, vt in eis panes coquantur Antichriſti, nemo ambigit: qui iccirco primo quieſcunt in Eccleſia, & loquuntur occultè, & omnia pacifica repromittunt, vt cancer paulatim ſerpat in populos, & fermentum doctrinæ eorum (quod ille Dominus intelligens loquitur: Cauete à fermento Phariſæorum) cùm intumuerit in cordibus deceptorum, tunc in apertam prorumpunt inſaniam, & impletur in eis quod à Ioanne Apoſtolo dicitur: Ex nobis exierunt, ſed non fuerũt ex nobis: ſi enim fuiſſent ex nobis, mãſiſſent vtique nobiſcum. *Tom.5.lib.2. Commentar. in cap.7. Oſeæ.Fol.53.facie 2.*

*Doctrina hæreticorũ eſt cancer.*
*Matth.16.*
*1.Ioan. 2. cap.*

ET catulus leonis, Antichriſtus, & omnis doctrinæ peruerſæ ſermo contrarius. Audiſtis (inquit Ioannes) quia Antichriſtus veniet: nunc autem Antichriſti multi ſunt: tot enim Antichriſti ſunt, quot falſa dogmata. *Tom. 5. in Comment.in cap.2. Nahum, Fol.178.facie 1.*

*1.Ioan.2.*

*Tot ſunt Antichriſti, quot falſa dogmata.*

PLVVIA iſta, quæ domum ſubuertere nititur, Diabolus eſt: Flumina omnes Antichriſti, qui contra Chriſtum ſapiunt. venti ſpirituales nequitiæ in cœleſtibus. *Tom. 5.lib. 1. Commentar. in cap.7.Matthæi, canone 11.facie 1.*

*Antichriſti flumina volunt euertere domum Dei.*

MVLTI enim venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent.] Quorum vnus eſt Simon Samaritanus: quem in Actibus Apoſtolorum legimus: qui ſe magnam dicebat eſſe Dei virtutem: hæc quoque inter cętera in ſuis voluminibus ſcripta dimittens: ego ſum ſermo Dei, ego ſum ſpecioſus, ego paracletus, ego omnipotens, ego omnia Dei. Sed & Ioannes Apoſtolus in epiſtola ſua loquitur: Audiſtis, quia Antichriſtus venturus eſt: nunc autem

*Actor.*
*1.Ioan.2.*

Ii Antichri-

*Omnes hæreſiarchæ ſunt Antichriſti.*

Antichriſti multi ſunt. Ego reor omnes hęreſiarchas, antichriſtos eſſe: & ſub nomine Chriſti ea docere, quę contraria ſunt Chriſto. Nec mirum ſi aliquos ab his videamus ſeduci, cùm Dominus dixerit: Et multos ſeducent. *Tomo ſexto, libro quarto Commentariorum in caput vigeſimum quartum Matthei, canone quinquageſimo ſecundo, facie 1.*

SVRGENT enim pſeudochriſti &c.] Tripliciter locus hic differendus eſt, aut de tempore obſidionis Romanæ, aut de conſummatione mundi, aut de hæreticorum contra Eccleſiam pugna, & iſtiuſmodi Antichriſtis, qui ſub opinione falſæ ſcientiæ contra Chriſtum dimicant. *Ibidem can. 83. facie 1.*

## *Articulus XI. De pœnis & ſupplicijs hæreticorum, mortemque ipſis inflictam non eſſe martyrium appellandum.*

APOLLONIVS, Romanæ vrbis Senator, ſub Commodo Principe, à ſeruo Seuero proditus, quod Chriſtianus eſſet, imperato vt rationem fidei ſuæ redderet, inſigne volumen cōpoſuit, quod in Senatu legit, & nihilominus ſententia Senatus pro Chriſto capite truncatus eſt, * veteri apud eos obtinente lege, abſque negatione non dimitti Chriſtianos, qui ſemel ad eorum iudicium pertracti eſſent. *Tom. 1. de viris illuſtribus in Apollonio.*

** Hæc lex iniuſtè lata contra Chriſtianos, iuſtè pro Chriſtianis contra hæreticos in Codice Iuſtinianeo, & paſſim à religioſiſſimis Imperatoribus executioni mandata.*

*Zelus cōtra hæreticos pro Catholica Eccleſia præclaris exemplis illuſtratur. Numer. 25. 3. Reg. 18. Matth. 10. Actor. 1. 5. & 13. Aurea γνώμη. Deuter. 13.*

FATEBOR tibi dolorem meum. Sacrilegiū tantùm patienter audire nō poſſum. Legi enim Siromaſten Phinees, auſteritatem Eliæ, zelum Simonis Cananæi, Petri ſeueritatem, Ananiam & Sapphiram trucidantis, Paulíq; conſtantiam, qui Elymani Magum, vijs Domini reſiſtentem, æterna cæcitate damnauit. Non eſt crudelitas, pro Deo pietas. Vnde in lege dicitur: Si frater tuus & amic⁹, & vxor, quæ eſt ſinu in tuo, deprauare te voluerit à veritate, ſit manus tua ſuper eos, & effunde ſanguinem eorum, & auferes malum de medio Iſrael. *Tomo ſecundo, epiſtola quinquageſima tertia ad Riparium, in medio ferè.*

*Romana Eccleſia dānat hæreticos.*

ILLE Romanæ Eccleſiæ authoritate damnatus, inter phaſides aues, & carnes ſuillas, non tam emiſit ſpiritum, quàm eructauit: Iſte Caupo, Calagurritanus, & in peruerſum propter nomen viculi mutus Quintilianus, miſcet aquam vino; & de artificio priſtino ſuæ venena perfidiæ Catholicæ fidei ſociare conatur, impugnare virginem, odiſſe pudicitiam, in conuiuio ſæcularium contra ſanctorum ieiunia proclamare; dum inter Phialas philoſophatur, & ad placentas liguriens, Pſalmorum modulatione mulcetur, vt tantam inter epulas Dauid & Idithum, & Aſaph, & filiorum Chore cantica audire dignetur. *Tomo ſecundo aduerſus Vigilantium, in principio cap. 1.*

*Epicureus, Vigilantius.*

NEQVE nunc mihi propoſitum eſt aduerſus omnia Origenis dogmata diſputare. Nihil mihi ſurripuit Origenes, nec in mea generatione fuit; nec propter aliquas res mundi & hæreditatem, odium aduerſus illum pugnaſque ſuſcepi: ſed vt ſimpliciter fatear, doleo, & valdè doleo; videns plurimos fratrum & eorum præcipuè, qui profeſsionem habent non minimam & in gradum quoque ſacerdotij maximum peruenerunt, eius perſuaſionibus deceptos, & peruerſiſsima doctrina cibos factos eſſe diaboli: in quibus completum eſt illud, quod dicitur: Super omnem munitionem ludit, & eſcæ eius electæ, & congregauit ſicut arenam captiuitatem. *Tomo 2. epiſtola 60. ad Ioannem Hieroſolimitanum; cap. 3. in fine.*

*Odium & pugnas contra Origeniſtas cur ſuſceperit. Habac. 1.*

PRIMA illa blaſphemia, quod nec filius patrem, nec Filium poteſt videre Spiritus ſanctus, quibus à te telis confoſſa eſt: Sanctam, inquit, & adorandam, Trinitatem, eiuſdem ſubſtantiæ & coæternam eiuſdem gloriæ, & diuinitatis credimus; anathematizantes eos, qui grande, aut paruum, aut inæquale, aut viſibile in Deitate Trinitatis quicquam loquuntur. *Tomo ſecundo, epiſtola ſexageſima prima ad Pammachium, capite 3. in medio.*

*Hæretici telis confodiendi.*

SI peccauerit homo in hominem; rogabunt pro eo ad Dominum. Si autem in Deum peccauerit; quis orabit pro eo? nunc ediuerſò, ſuper omnia noſtros aduerſarios, immortali odio proſequimur: blaſphemantibus Deum, clementem porrigimus manum. *Ibidem capite decimo quinto in principio.*

*Blaſphemantibus Deum hæreticis clementem manum non porrigemus.*

FVNDENDO ſanguinem, & patiendo magis, quàm faciendo contumelias, Chriſti fundata eſt Eccleſia. Perſecutionibus creuit, martyrijs coronata eſt, aut ſi iſti ſoli, iuxta quod legimus, amant rigorem, & non nouerunt perſecutionem pati, ſed facere: ſunt & hic Iudæi; ſunt variorum dogmatum hæretici, & maximè impuriſsimi Manichæi: cur eorum ne verbo quidem quempiam audent lædere, nos ſolos expellere cupiunt? nos ſoli, qui Eccleſiæ cōmunicamus, Eccleſiam ſcindere dicimur? Oro te, nónne ęqua eſt iſta poſtulatio, vt aut illos nobiſcum expellant, aut nos cum illis retineant: niſi quod in eo magis honorant, quos ſaltem exilio ab hæreticis ſeparant. *Tomo ſecundo, epiſtola ſexageſima ſecunda ad Theophilum, capite quarto in principio.*

*Impuriſſimi Manichæi expellendi & non Catholici.*

NEC mirum, ſi pro Barhaamna, vbi eſt aliqua vocabulorum ſimilitudo, ſcripſeris Barrabam; cùm tantam habeas licentiam nominum immutandorum, vt de Euſebio Pamphilum, de hæretico martyrem feceris, cauendus homo, & mihi maximè declinandus; ne me repente, & neſcio, de Hieronymo Sardanapalum nomines. *Tomo 2. libro primo aduerſus Ruffinum, cap. 3. in medio.*

*Nomina immutant hæretici & ex hæreticis martyres faciunt.*

HAERETICORVM factio, nuper fugata de Aegypto, & Alexandria, ſe Hieroſolymam contulit, & hinc voluit copulari, vt quorum vnus eſſet dolor, vna fieret & accuſatio, quos ille repulit, ſpreuit, abiecit, dicens ſe non eſſe inimicum fidei, nec contra Eccleſiam bella ſuſcipere: quod prius tentauit, doloris fuiſſe, non perfidiæ: nec alterius appetiſſe innocentiam, ſed ſuam probare voluiſſe. Impium putas, poſt ſententias Sacerdotum, imperiale reſcriptum: quod quale ſit, nouerit ille, qui meruit. *Tomo ſecundo, libro tertio aduerſus Ruffinum, capite quinto, Folio 256.*

*Hæreticorū factio pulſa de Aegypto & Alexandria. Poſt ſententias Sacerdotum contra hæreticos impetrabant Catholici imperiale reſcriptum.*

IN ſan-



IN ſancti Epiphanij nomine mira tua tergiuerſatio: vt poſt oſculum, poſt orationem, neges eum contra te potuiſſe ſcribere: quomodo ſi contendas non potuiſſe eum mori, qui paulò antè vixerat, aut certior ſit tui reprehenſio, quā poſt pacem excommunicatio. Ex nobis, inquit, exierunt, ſed non fuerunt ex nobis. Si enim fuiſſent ex nobis, mā ſiſſent vtique nobiſcum. Hęreticum, poſt vnam & alteram commonitionē, vitandum Apoſtolus pręcepit: qui vtique, antequam vitetur atque damnetur, Eccleſiaſtici gregis portio fuit. *Ibidem, cap. 7.*

*Hæreticorū excōmunicatio. 1. Ioan. 2. Titum 3.*

HOC intactum præteriri non patiar, ne doleas falſatorem Schedularum tuarum confeſſoris apud me gloriam poſsidere; cùm tu, eiuſdem criminis reus, poſt Alexandrinum exilium, & tenebroſos carceres à cunctis Origenis ſectatoribus martyr, & Apoſtolus nominaris. *Ibid. cap, 7. Folio 258.*

*Origeniſtæ in exilium pellebantur. Origeniſtæ martyres et Apoſtoli à ſuis nominabantur.*

QVID loquar de * Priſcilliano, qui & ſæculi gladio, & totius orbis authoritate damnatus eſt. *Tomo ſecundo, aduerſus Pelagium ad Cteſiphontem; cap. 2. in principio.*

** Gladio puniti hæretici*

ET ſuccendetur vtrumque ſimul.] Et ſcientia videlicet Iudæorum: & omnia opera quæ faciunt: ſiue & idolum, & Hieruſalem, in qua idolum fuit. Et ſuccendente Domino, nullus extinguere poterit. Quę omnia de contrarijs quoque dogmatibus accipere poſſumus: quod & magiſtri & diſcipuli pariter pereant, & omne opus eorum ignis pabulum ſit. *Tom. 4. lib. 1. Comment. in cap. 1. Eſaiæ, in fine.*

*Omne opus hæreticorum ignis pabulū.*

QVAERIMVS iuxta Anagogen, quomodo hæreticorum domus grandes & pulchræ ſint, quæ cùm iudicij tempus aduenerit, nullum habitatorem habeant. Omnis enim pompa, ſtructuraque verborum & argumenta Dialectica, redigentur ad nihilum. Et quia iuxta Apoſtolum Paulum, Non ſolùm Dei ędificatio ſumus, ſed & agricultura, quam imitantes hæretici ſuffodiuntur, & eradicantur ab Hieremia: idcirco vbi decem iuga boum operantur, faciēt batum vnum, & triginta modij ſementis facient ephi, vt de denario numero, qui in Scripturis ſanctis myſticus atque perfectus eſt, & de tricenario, in quo prophetauit Ezechiel, & Dominus baptizatus eſt, redigantur ad ephi, qui ad comparationem multiplicis numeri, vnione conſtringitur. Quod autem ędificatio & agricultura referatur ad intelligentiam ſpiritualem: etiam alio loco Paulus Apoſtolus docet: Fundatos & radicatos in charitate credentes eſſe conteſtans. Vnde & Eccleſiaſtes: Non ſolùm ſibi ædificauit domos: ſed plantauit vineas, & fecit hortos & pomaria: & inſtituit omnes arbores pomiferas, extruxitque piſcinas, vt irrigaret ſaltum.

*1. Corint. 3. Hæretici eradicantur ab Hieremia. Hierem. 18. Ezech. 1. Lucæ 3. Epheſ. 3. Eccleſiaſt. 2.*

Porrò hæretici imaginem tantùm habentes, vmbramque virtutum, & non ipſam veritatem, abſque fructu operum, verborum folia pollicentur. De quorum arboribus dicit Dominus: Omnis plantatio, quam nō plantauit pater meus cæleſtis, eradicabitur. De vinea enim Sodomorum vinea eorum, & propago eorum, de Gomorra vua eorum, vua fellis, & botrus amaritudinis eis: furor draconum vinum eorum, & furor aſpidum inſanabilis. *Tomo quarto, libro ſecundo Commentariorum in caput octauum Eſaiæ, Folio 19. facie 1.*

*Hæretici abſque fructu bonorum operum verborum folia pollicentur. Matth. 15. Deuter. 32.*

IVBENTVR vlulare ſimulacra Hieruſalem & Samariæ: non ipſa quæ ficta ſunt, ſed ei, qui ea finxerunt: μετωνυμικῶς, ei qui fecerunt, per ea, quæ facta ſunt: vt non ſolùm ei, qui in hæreſibus idola fabricati ſunt, ſed qui in Eccleſia per ignorantiam defendunt pro veritate mendacium, vlulatu & pœnitentia ſe erraſſe teſtentur. *Tom. 4. libr. 4. Commentar. in cap. 10. Eſaiæ, Folio 37. facie ſecunda.*

*Hæretici vlulatu & pœnitentia ſe erraſſe teſtabūtur.*

SECVNDVM Tropologiam: cum Samaria & Hieruſalem Domini iram ſuſtinuerint, & in fabricatione idolorum erraſſe ſe ſenſerint: Tūc deſtruetur ſenſus magnus Aſſyrius: qui in tantam contra Dominum inflatus eſt ſuperbiam, vt ſapientiæ ſuę exiſtimauerit cuncta ceſſura, & quæuis excelſa dogmata, & Dialectica arte munita, concutienda & penitus deſtruenda: intantum, vt in ſimilitudinem pullorum auium non valeant non ſublime conſurgere; & necdum animalia inſenſibilia eſſe atque torpentia; quod ouorum demonſtrat exemplum; & ne mutire quidem, & commouere linguam contra rationem & fortitudinem ſui ſermonis audere. *Ibid. in Fol. 38. facie 1.*

*Hæretici idololatræ Domini iram debent ſuſtinere.*

HOC ipſum & ad hæreticos referri poteſt: Quod poſtquam Eccleſiaſtica doctrina illuxerit, & omnes eorum decipulæ patuerint: tunc ad tantam veniant ſolitudinem, vt de ſaltu & in fructuoſis arboribus, & innumerabili eorū multitudine, quam hæretica fraude deceperant, vix pauci reſideant, qui eorum ſequantur errorem. *Tom. 4. lib. 4. Commentar. in cap. 10. Eſaiæ, Folio 38. facie 1.*

*Doctrina Eccleſiaſtica interimendi hæretici.*

ECCE ego ſuſcitabo ſuper eos Medos, &c.] Inuenimus in Geneſi, quod Madai auctor gentis Medorum fuerit, qui interpretatur menſura, ſiue à potente, ſiue forti. Igitur contra Babylonios, qui mente confuſi ſunt, ſuſcitantur à potente & forti Deo miniſtri ad puniendum fortitudinis: vt reddant vnicuique ſecundum opera ſua. In qua enim menſura menſi ſunt, remetietur eis. Menſuram agitatam, atque concuſſam, & plenam, & ſupereffundentem reſtituent in ſinus eorum. Qui nec argentum, nec aurum, id eſt, nec eloquij pulchritudinem, nec acumen ingenij: in quibus ſibi ante plaudebant, recipiēt: ſed pœnis afficiēt traditos: & paruulis ac lactentibus vteri non miſerebuntur; vt magis miſereantur. Atque vtinam & nos ſuſcitemur à Domino: & hæc nobis detur poteſtas, vt nec argentū, nec aurum velimus eloquentiæ & ſapientiæ ſęcularis: ſed filios hęreticórum, & omnium qui decepti ſunt, interficiamus ſagittis ſpiritualib⁹, id eſt, teſtimonijs Scripturarū: & qui lacte nutriuntur erroris, abſque vlla miſericordia trucidētur, vt clementi crudelitate pereant: nulliuſque miſereamur infantię: & illa beatitudine digni ſimus. Beatus, qui tenebit, allidet paruulos ſuos ad petram. *Tom. 4. lib. 6. Commentar. in cap. 13. Eſaiæ, Fol. 65. facie 1.*

*Geneſ. 10. Matth. 16. Lucæ 16. Hæreticorū filij interficiendi ſagittis ſpiritualibus id eſt, teſtimonijs Scripturarum. Pſalm. 136.*

HOC quoq; conſiderandum, quod poſtquā Eccleſiaſticus ſermo & doctrina, Saluatoris vrbem confuſionis euerterit, ita vt Sodomę & Gomorrę comparetur, nō habitetur à ſanctis viris: nec paſtores requieſcant in ea, qui Chriſti gregē paſcere cōſueuerant: ſed ècōtrariò requieſcāt ibi beſtię & dracones, & ſtruthiones, & piloſi ſaltēt in ea. Quicquid. n. hęretici loquūtur in ſynagogæ ſata-

*Geneſ. 17.*

*Quicquid loquuntur hæretici in ſynagogis ſatanæ nō eſt doctrina Domini, ſed vlulatus dæmonum.*

gæ ſatanæ, non eſt doctrina Domini, ſed vlulatus dęmonum & piloſorum, qui imitabatur Eſau. Et ſirenæ requieſcent in delubris voluptatis: quæ dulci & mortifero carmine animas pertrahunt in profundum: & ſæuiente naufragio, à lupis & canibus deuorentur. Prope eſt ergo, & inſtat quotidie tempus ruinæ hæreticorum, & non differtur ſubuerſio. *Ibidem, Folio ſexageſimo ſexto, facie 1.*

*Apoſtolici viri propagines hæreſeon abſciderunt penitus, ne ex veteribus nouæ renaſcantur.*

HVIVS igitur vineæ Sabama, domui gentium, Apoſtoli, & Apoſtolici viri, flagella & propagines penitus abſciderunt: ne ex alijs hæreſibus, aliæ naſcerentur hæreſes, & infinita errantium fieret multitudo. Et non ſolùm exciderunt propagines Sabama: ſed vſque ad Iazer peruenerunt, quæ interpretatur fortitudo eorum: hoc eſt, ad fortiſsima quæque dogmata hæreticorum, & Dialectica arte conſtructa, in quibus robur ſui habere videbantur erroris: & in tantum eorum mucro bacchatus eſt, vt nouiſsimè errarent in ſolitudine, & quem interficerent non haberent. Cumque illi excederent flagella eius, tamen vitio, radicis peſsimæ propagines aliquæ remanſerunt. Domini autem gentium tranſierunt mare, hoc eſt, tentationes ſęculi huius, De quibus in Pſalmo legimus: veni in profundum maris, & tempeſtas abſorbuit me. Et in alio loco: Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationes in aquis multis: Ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo: Iſti ergo tranſierunt mare, vt opera Domini, & mirabilia eius in profundo tentationum conſpicerent, dum liberantur ex eis. Itaque ſermo Propheticus plangit fortitudinem hæreticorum, id eſt, Iazer, & vineam Sabama, quæ ſe extollit contra ſcientiam Dei. Et inebriabo te lachyma mea Eſebon, cogitationes ſcilicet eorum: & Elcale: Quibus ad excelſa conſcendunt. Cui autem plangit Iazer vineam Sabama, & inebriat Eſebon, & Elcale lachrymis ſuis? vt dum ipſe plorat, & illos plorare doceat. Quoniam, inquit, ſuper vindemiam tuam, & ſuper meſſem tuam, vox calcantium irruit. Vinea enim Moabitarum propter viciniam loci talis eſt, qualis & vinea Sodomorum: de qua dicitur, de vinea enim Sodomorum, vinea eorum, & propago eorum de Gomorra. Et in ſeptuageſimo ſeptimo Pſalmo, legimus de Aegyptia vinea, quam Deus percuſsit grandine. Meſſes quoque Moabiticæ naſcuntur in vallibus, quæ appellantur in Raphaim: falſaque vindemia eius eſt vineæ, de qua ſupra dicitur: Domini gentium exciderunt flagella eius. Iſti enim conterunt vuas amariſsimas, & ſuis calcant pedibus: ne draconis de eis exprimantur venena, & omnes interficiātur bibentes, auferetur quoque lætitia, & exultatio hæreticorum, quæ ante gaudere conſueuerant, vt poſtquam egerint pœnitentiam, illud mereantur audire: Beati lugentes, quoniam ipſi conſolabuntur. Quodque addidit, de Carmelo, hoc ſignificat, non quod hæretici verè Carmelum habeant, id eſt, ſpiritualis circunciſionis notitiam: ſed quod falsò habere ſe iactant. Cumque ſuccisæ fuerint vineæ, & ablata lætitia, & exultatio de falſi nominis ſcientia: tunc nullus erit de priſtinis calcatoribus, qui calcet vuas, quas ante calcauerat: & vox eorum æterno obmuteſcet ſilentio.

*Pſal. 68.*

*Pſal. 106.*

*Deuter. 32.*

*Matth. 5.*

*Tom. quarto, libro 6. Comment. in cap. 16. Eſaiæ, Fol. 73. facie 1.*

SVPER ſpeculam, & cæt.] Stat Propheta in ſpecula Domini, & in illius lumine conſtitutus quæ ventura ſint, proſpicit. Hancque habet cuſtodiam, & hoc ſibi officium delegatum, vt in ſæculi iſtius tenebris quæ ſint futura, conſpiciat. Ecce iſte, inquit, venit: hoc quod ſequitur ſe vidiſſe ſignificans: venire Dominum Saluatorem, ſedentem ſuper bigam, & duobus equis, imò animantibus aſino & camelo, vnum currum iungentem: Qui aſcenſor bigæ deſideranti Prophetæ, & verba eius audire cupienti, Reſpondit & dixit: Cecidit, cecidit Babylon, totius orbis confuſio: & in aduētu meo cecidit, quo humanum corpus aſſumpſi: & penitus in conſummatione mundi ruitura eſt. Et omnia ſculptilia eius contrita ſunt in terra. Pro quo LXX. ſimulacra & manufacta interpretati ſunt, ſignificātes ſcripturas hæreticorum, varioſq; errores hęreſeon, qui fabricatores ſunt idolorum, & adorant, quæ de ſuo corde finxerunt. *Tomo quarto, libro ſeptimo Commentariorum in cap. 21. Eſaiæ, Fol. 82. facie 2.*

*Hæreticorū Babylonica confuſio corruit.*

*Ciuitas Caina typus ſynagogæ hæreticæ.*

HAERETICI quoque & omne dogma contrarium veritati, confidunt in calumnia atque mendacio, & muſsitant iuxta LXX. contra creatorem ſuum: Propterea impietatis eorum ciuitas deſtruetur, quam ædificauit Cain, cui veniet repentina perditio, cum capta fuerit ab Eccleſiaſticis viris, & ita deſtructa & comminuta, vt nihil in ea remaneat, quod poſsit ignem emortuū reaccendere, & ſaltem cænoſam, & paruulam aquam populis præbere ſitientibus. *Tomo. 4. libr. nono, Commentariorum in caput 30. Eſaiæ, Folio 112. facie prima.*

*Repentina ruina Cainæ ciuitatis.*

ET conſiderandum, quod quatuor triſtibus, duo læta ſuccedant! Neque enim ędificari poterant bona, niſi deſtructa eſſent mala: nec plantari optima, niſi eradicarentur peſsima. Omnis enim plantatio, quam non plantauit cæleſtis pater, eradicabitur: & ædificatio quę ſupra petram non habet fundamentum, ſed in arena extructa eſt, ſermone Dei ſuffoditur, atque deſtruitur. Illam autem quam conſumet Ieſus ſpiritu oris ſui: & deſtruet aduentu præſentię ſuę, omnem ſcilicet ſacrilegam, peruerſamque doctrinam, diſperdet in perpetuum. Porrò ea quę eleuātur contra ſcientiam Dei, & in ſua confidunt ſapientia, quæ apud Deum ſtultitia eſt, diſsipabit atque deponet, vt ædificentur pro his humilia, & vt in locum ſuperiorum quæ deſtructa ſunt & euulſa, extruantur atque plantentur, quę Eccleſiaſticę conueniunt veritati, & impleatur illud quod dicit Apoſtolus: Dei ædificatio, Dei agricultura eſtis. *Tom. 4. lib. 1. Commen. in cap. 1. Hier. Fol. 231. facie 1.*

*Matth. 15. Omnis plantatio hæreticorum eradicabitur.*

*2. Theſ. 2.*

*1. Cor. 3.*

QVI Chriſtum reliquerint fontem vitæ, & hæreticorum ſibi foderint lacus, qui aquas doctrinarū continere nō poſſunt, neceſſe eſt, vt leonibus ſubiaceant: qui redigant terram eorum in ſolitudinem, & vniuerſas Eccleſias deſtruant, & vſque ad verticem polluantur, & bibant aquas turbidas, & fluenta Aſſyrij fluminis & Aquilonis, vt exardeſcant mala ſuper terram. *Tomo quarto, lib. 1. Commentariorum in cap. 2. Hier. Fol. 234. facie 1.*

*Hæretici leonibus ſubiacent.*

GRANDIS ſtultitia neſcire cur paſsi ſint, cùm tanta peccauerint, breuiſque ad ambigentes reſponſio: ſicut ſeruiuiſti Deo alieno, id eſt, Baal, vel dijs alienis cunctarum gentium, in terra Iudæa, ſic ſeruietis dijs alienis in terra non veſtra. Haud dubium quin Babylonis atque Chaldeæ. Si enim vos peregrina religio delectat, quid neceſſe eſt longinquam errorem ſuſcipere? Habitate cum talibus, imò ſeruite his, quorum deos colitis. Poteſt hoc & ſuper hæreticis accipi, de quibus ſcriptum eſt; Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis: ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum: quod proijciat de Eccleſia hæreticos Dominus, qui multo tempore ſub nomine eius mendaciorum ſuorum ſimulacra venerati ſunt, vt foris colāt, quod intus prius venerabantur, & paleæ ſeparentur à tritico. *Tomo 4. libro primo Commentariorum, in caput quintum Hieremiæ, Folio 243. facie ſecunda.*



*Peregrinæ religionis cultores traduntur Babylonijs & Chaldæis.*

*1. Ioan 2.*

*Hæretici ex Eccleſia eijciendi.*

NVLLVM ſcandalum eſt, quod impij ſiue omnes hæretici pro tempore floreant: Tu enim Domine noſti me, & vidiſti me, & probaſti cor meum tecum. Quem ita nouit Pater Deus, quomodo filium ſuum? Nemo enim cognoſcit filium, niſi pater: & nemo cognoſcet patrem niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. Licet, inquit, proficiant, licet filios generent, & faciunt fructum hæretici, & prope ſis tu ore eorum, & longè à renibus eorum: id eſt, conſcientia: tamen non parua eſt conſolatio, quod quaſi pecora ſaginantur ad victimam. Congrega eos in vrbem Hieruſalem, ſiue in ſua conciliabula: vt quaſi victimæ cædantur in mortem, & tunc ſanctificentur cum Eccleſiaſtico fuerint mucrone iugulati: interſectio enim hæreticorum, ſalus eorum eſt, qui decepti fuerant. *Tomo quarto, libro tertio Commentariorum in caput 12. Hieremiæ, Folio 257. facie 1.*

*Luc. 13.*

*Hæretici quaſi pecora ſaginantur ad victimā.*

*Eccleſiaſtico mucrone iugulandi hæretici.*

POSSVNT excelſa quæ Hebraicè dicūtur bamoth בָּמוֹת, & cōtra hęreticos accipi, qui poſuerūt in excelſum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit ſuper terram. Qui in tantā veſaniam proruperunt, vt ſoli abſque Spiritus ſancti gratia remanſerint, & perdiderint hæreditatem Domini, priorem videlicet fidei veritatem. vndè & æternum eis paratur incendium: & ſeruitus dęmonum, qui ſunt inimici & vltores. *Tomo 4. libro tertio Commentariorum, in cap. 17. Hieremiæ, Fol. 267. facie 1.*

*Hæretici perdiderunt hæreditatē Domini, id eſt, fidei veritatem.*

*Hæreticis paratur æternum incendium.*

NON putaret ſe populus alienum eſſe à culpa, ſi peruerſis acquieſceret Doctoribus: Nolite, inquit, audire verba Prophetarum, qui vobis prophetant mendacium, & decipiunt vos. Par enim erit pœna & magiſtro & diſcipulo. Non loquuntur ex ore Domini, ſed ea quæ in ſuo corde ſimularunt. Dicunt his qui blaſphemant me: Hæreticis videlicet, atq; peruerſis, ſiue qui abijciunt ſermonem meū quod dicunt, locutus eſt Dominus: pax erit vobis: ne timeatis dura ſupplicia: nec vanis comminationibus terreamini: pax erit vobis, atque tranquillitas, & quicquid dicimus, & annūciamus vobis, locutus eſt Dominus: nec veniet ſuper vos malum, quod timetis pro mala conſcientia: ſed bonum quod vobis locutus eſt Dominus. *Tomo quarto, libro 5. Commentar. in caput decimumoctauum, Hier. Folio 280. facie 1.*

*Par erit pœna magiſtro hæretico & diſcipulo.*

CAVSA perſpicua cur vrbes montium deferendæ ſint, ſcilicet, vt demoliantur excelſa, aræque & idola deſtruantur, delubra pereant, & omnis ſimulacrorum cultura deſiſtat: cadantque interfecti in medio montium, & ſciant quoniam ipſe ſit Dominus. Per quæ occaſio nobis datur, ſpiritualem intelligentiam magis ſequi: vt vrbes hæreticorum, quæ interpretantur Eccleſiæ, & excelſa ſuperbiæ eorum, & aræ peruerſorum dogmatum confringantur, & idola pereant, quæ de ſuo ſibi corde ſimularunt, & conterantur delubra, non templa, quæ contra templum Domini ſurrexerant, Græcoque ſermone τεμένη, id eſt, phana, atque delubra, & omnia opera montium conterantur, quæ non opera Dei ſunt, ſed magiſtrorum falſæ ſcientiæ. Cumque ceciderunt interfecti in medio montium, vel quos ipſi montes interfecerant, vel Eccleſiaſtici viri qui eos malè viuentes in ſalutem ſuam occiderant: tunc finis erit montium ſuperborum, vt cognoſcant quod ipſe ſit Dominus. Poteſt autem fieri, vt de vno populo montium Iſrael, alijs interfectis cognoſcant alij. Peſtilente enim flagellato, ſtultus aſtutior erit. *Tomo 4. libro ſecundo Commentariorum in cap. 6. Ezechielis, Fol. 345. facie 1.*

*Vrbes hæreticorum confringendæ.*

*Vtilis pœna hæreticorū.*

*Prouerb. 19.*

POTEST & hoc dici, quod ideo aliqui de captiuitate Iudaica reſeruati ſint, vt in gentibus recordarentur nominis eius, illiuſque potentiam prædicarent. De hæreticorum quoque populis, qui euadere potuerint gladium perditionis eorum, & peſsimam factionem, quæ contra Deum fuerat concitata, huc illucque diſperſi, recordabuntur nominis Dei: agentes pœnitentiam, & captos ſe à viris Eccleſiaſticis exultabūt. *Ibidem.*

*Ab hæreticis conuerſi ad Catholicos euadunt pœnitētia.*

IVXTA myſticos intellectus, extendit Dominus manum ſuam ſuper omnes, qui hæretico fuerant errore decepti, vt terram eorum, quæ interpretatur Eccleſia, faciat deſolatam à deſerto debilitata, qđ in lingua noſtra παλάθην, hoc eſt, maſſam ficorum ſonat, carycarumque inter ſe compactarum, vt poſtquam inſimulata dulcedine, quæ non erat terræ cultæ, ſed ſolitudinis, amaritudinem repererint, tunc cognoſcant, quia ipſe ſit Dominus. Mel enim diſtillat de labijs mulieris meretricis: quæ ad tempus impinguat veſcentium fauces, & poſtea amarius felle reperitur. Hoc ſignificant & duo calathi ficorum, qui poſiti ſunt in Hieremia contra faciem templi: Vnus ficorum optimarum, & vnus peſsimarum: Quorum alter ad Eccleſiam Chriſti refertur: alter ad congregationem malignantium. *Ibidem. Folio trecenteſimo quadrageſimoſexto, facie 1.*

*Simulatæ dulcedinis hæreticorū amaritudo.*

*Prouerb. 5. Hæreſis meretrici comparatur.*

*Hierem. 24.*

SVB Prophetarum perſona, ſermo contra hæreticos eſt, qui loquuntur vana, & vident mēdacium, & perſeuerant ſuam firmare doctrinam: quod ipſe Dominus contra eos veniat atque conſurgat, & extendat manum ſuam ſuper illos ad percutiēdum, & non contrahat ad parcendum, & cōminatur quod non ſint in concilio populi Domini futuri, nec in Eccleſia eius, ſed in ſynagoga diaboli, nec ſcribātur in domo Iſrael. De quibus in alio loco dicitur: Super terrā ſcribantur, non in terrā Iſrael, quę terra viuētiū eſt, & de qua nunc dicitur, nec in terrā Iſrael ingredientur: ſed in terrā mortuorū & vmbram mortis: vt poſtquā iſta perpeſſi fuerint, ſeparati à cœtu

*Hierem. 17. Hæretici non ſunt in eccleſia Dei, ſed in ſynagoga diaboli.*

à cœtu populi Dei, intelligant quod ipſe ſit Dominus. Pro eo quod nos vertimus, in concilio populi mei non erunt: Lxx. tranſtulerunt, in diſciplina ſiue in correptione populi mei non erunt. Alia enim aduerſariorum, alia filiorum correptio eſt. Vnde & Hieremias: Corripe, inquit, nos Domine, veruntamen in iudicio, & nõ in furore: vt nequaquam paucos nos facias. Effunde furorem tuum ſuper gentes quæ te ignorauerunt, & ſuper regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt. *Tom. 4. lib. 4. Comm. in cap. 13. Ezechielis, Fol. 362. facie 2. in fine.*

*Duplex correptio, alia filiorum: alia infidelium.*
*Ibid. 10.*
*Sec. 70.*

QVOD in vinea & vite intelleximus, ſub alia figura Saluator docet in Euangelio: Bonum eſt ſal: Si autem ſal infatuatum fuerit, ad nihil eſt vtile: niſi vt foras proijciatur, & ab hominibus conculcetur. Et oculus qui totum corpus illuminat, ſi fuerit excæcatus, audit à Domino: Si lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt? comparatione quippe præuaricatoris, & eius qui confeſſum prius negauerit Deum. Lenior pœna eſt eorum qui nunquam habuêre Dei notitiam. *Tom. 4. lib. 4. Commentariorum in cap. 15. Ezechielis, Folio 367. facie 2. in fine.*

*Marc. 9.*
*Comparatione influuia gentiles leuius puniendi quàm heretici.*
*Matth. 6.*

PORRO iuxta intelligentiam ſpiritualem, iuſtus vir Eccleſiaſticus, ſi fidem Euangelicam prædicauerit, & filius eius atque diſcipulus hæretico fuerit errore deceptus, vocabitur peſtilens. De quo & in primo Pſalmo ſcribitur: Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit. Et in Prouerbijs: Confidens & procax & ſuperbus peſtilens appellatur. Iſte effudit ſanguinem deceptorũ, & omnia in ſe peccata congeminat, comedens in montibus ſuperbiæ, & Eccleſiam proximi ſui polluens: egenos & pauperes in ſcientia Scripturarum contriſtans, opprimens atque ſupplantans: rapinam rapiens, eos, quos de Eccleſia ſeduxerit: pignus non reddens, quod à magiſtro acceperat, vt impleret quod ſcriptum eſt: Gratis accepiſtis, gratis date. Et ad idola atque ſimulacra, quæ de ſuo corde finxit, leuans oculos ſuos, cunctaſque faciens abominationes: & dans ad vſuram pecuniam, vt errorem magiſtri, diſcipulorumque augeat diligentiã: & repetens ab his, quibus tribuit amplius quàm dederit: certè viuere non poterit, ſed in ſuo ſanguine morietur. *Tom. 4. lib. 6. Commen. in cap. 18. Ezechielis, Fol. 386. facie 1.*

*Pſal. 1.*
*Prouerb. 15.*
*Matth. 10.*
*Hæreſiarchæ in ſuo ſanguine morientur.*

ADVERSARIVS noſter, Diabolus, ipſe eſt inimicus & vltor. Illi confregerunt vbera Samariæ, & virginitatem eius, quam habuerat in Eccleſia, perdiderunt. Propterea tradita eſt amatoribus ſuis: iuxta Apoſtolum qui ſcribit: Tradi eos Satanæ, vt diſcant non blaſphemare. Et: Tradidi eos in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat. Illi diſcooperuerunt ignominiam miſeræ Samariæ, & omnem iſtius oſtenderunt turpitudinem: filioſque & filias, qui de illa generati ſunt, ſcientiæ præditos, & ſimplices, atque imperitos duxêre captiuos: & ipſam interfecerunt gladio ſpirituali: totiuſque mundi in malam partem ſermone celebrantur, & fiunt famoſi inter cuncta ſæculi dogmata: vt in exemplum omnium fœminarum, turpitudo illius puniatur. *Tom. 4. lib. 7. Commentar. cap. 23. Ezechielis, Folio 400. facie 1.*

*Virginitatẽ Eccleſiæ perdiderunt hæretici.*
*1. Timot. 1.*
*1. Corinth. 5.*

POSSVMVS iuxta tropologiam filios Ammon intelligere (qui de Lot in ſpelunca generati ſunt ſemine, & generati in ebrietate & inceſtu) omnes hæreticos, de quibus dicit & Apoſtolus Ioannes: Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis: Si enim fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum: Iſti enim de inclinatione orti ſunt (hoc enim Lot in linguam noſtram vertitur) Quia omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Aduerſum hos ponitur, ſiue obfirmatur facies prophetalis, vt eos ſua auſteritate cõterat, & dicit eis: Quia inſultaſtis Eccleſię meæ tempore perſecutionis: diuerſorumque vitiorum, quod pollutum eſſet ſanctuariũ meum (ſiue eorum vitio, qui mihi ſeruiebant, ſiue hoſtium crudelitate, qui meos perſequebantur.) Et quod terra Iſrael, hoc eſt, ſenſus videntes Deum, eſſet deſolata virtutum choro, & quo inani filij domus Iuda, id eſt, Deum confitentis, in qua eſt vera fides, & recta cõfeſsio, ducti ſint in captiuitatem, & ſeruire Domino deſierint. idcirco omnis inſultans, traderis filijs Orientalibus, qui de vero lumine ſunt profecti, & traderis in hæreditatem, vt tu quoque diſcas Dominum confiteri. *Tom. 4. libr. 8. Comment. in cap. 25. Fol. 406. facie 2.*

*Geneſ. 19.*
*1. Ioan. 2.*
*Pſal. 13.*
*Auſteritas Hieremiæ Prophetæ in hæreticos.*
*In domo Iuda, id eſt, Eccleſia eſt vera fides & recta cõfeſsio.*

DATVR terra Aegypti deſerta, & ciuitates eius in medio terrarum, & vrbium ſubuerſarũ, quæ non ſunt extructæ de lapidibus, ſed latere & paleis, vt diſpergatur Aegyptus, quæ malè ſibi fuerat copulata & ventiletur in terras, quo ſcilicet frumentum à paleis ſeparetur: & quadraginta annorum fine completo, ſic reſtituto Aegypti, & reducatur captiuitas eius, & collocetur in terra Phatures, quæ interpretatur panis conculcatus: vbi panis ille qui dixerat: Ego ſum panis qui de cœlo deſcendi, prauitate hæretica conculcatus eſt: vt cum venerint ad Eccleſiam, habitent in pane conculcato, & nequaquam eleuentur in ſuperbiam, ſed ſint in regnum humile: & vt etiam cùm reſtituti fuerint in priſtinum ſtatum, ſe per humilitatem deijciant, quod in Aegypto vixerint, & lateritias extruxerint ciuitates, & inter multa regna Eccleſię ſint humiles, & ſciant in quem peccauerint: & vltra non eleuetur Aegyptus ſuper Eccleſias in toto orbe diuiſas, ſed redigatur in paucitatem, & pauci in ea remaneant inter gentes, iuxta illud quod ſcriptum eſt: Da illis Domine. Quid dabis illis? da illis vuluam ſterilem, & vbera arentia: vt nequaquam gaudeant, & extollant ſe in multitudine deceptorum, ſed redigantur in paucos: multi vocati, pauci verò electi. Et vltra non diripiant domum Iſrael, id eſt, Eccleſiam: nec vanam eis ſpem, confidentiamque repromittant, docentes iniquitatem: vt fugiant Eccleſiaſticam diſciplinam, & ſequantur Aegyptias voluptates. Hæc autem fient, vt tertio cognoſcãt Aegyptij, quod ipſe ſit Dominus. *Tom. 4. lib. 9. Comment. in ca. 29. Ezechielis, Fol. 423. facie 2.*

*Ioan. 6.*
*Euchariſtia prauitate hæretica conculcatur.*
*Aegyptus eleuatur ſuper Eccleſias in toto orbe diuiſas.*
*Oſeæ 9.*
*Matth. 20.*
*Hæretici vt fugiant Eccleſiaſticam diſciplinam vanam ſpẽ & confidentiam repromittunt.*

MOSOCH interpretatur inſania, Thubal cõuerſio: non in bonum à malo, ſed de bono in malum: ſiue vniuerſa vt oſtendat omnes hæreticos inſanire, & pari ſtudio ad priora conuerti. Nec mirum ſi inſanientes, & coaceruati in malum habent multitudinem, cùm Aegyptij Regis ſocij ſint, qui gaudent multitudine, omnes hi interfecti gladio, qui dederant formidinem ſuam,

*Omnes hæretici inſaniũt.*



ſuam, non ſemel nec ſecundo, ſed tertio in terra viuentium: de quibus ſupra plenius diximus: Sequitur: Et non dormient cum fortibus, ſiue Gigantibus, cadentibuſque & non circumciſis, qui deſcenderunt ad infernum cum armis ſuis, & poſuerunt gladios ſuos, ſub capitibus ſuis: & & fuerunt iniquitates eorum in oſsibus eorum: quia terra fortium facti ſunt, in terra viuentium. Hi, inquit, qui hęreticorum Principes extiterant, ad tãtum malitiæ peruenêre culmen atque cruciatum: vt nec cum fortibus atque Gigantibus, qui à principio corruerũt, ſimilia meruerunt ferre ſupplicia. Qui nequaquam erroris ſui acta pœnitentia, deſcenderunt ad inferos cum armis ſuis: rebelles contra Deum & Eccleſiam eius: ſecum arma deferentes, de quibus ſcriptum eſt: Filij hominum, dentes eorum arma & ſagittæ. Et poſuerunt, ait, gladios ſuos ſub capitibus ſuis: requieſcentes in animo perduelli, & pro ſumma victoria, ſententiarum ſuarum iacula complexantes: in tantum vt iniquitates eorum fuerint in oſsibus eorum, hoc eſt, fortiſsima figmenta & erroris ſui dogmata poſsidentes. Quia terror fortium facti ſunt in vita ſua ſiue in terra viuentium. Quod quarto dicitur, vt fortiſsimos quoſque & habentes ſcientiam Scripturarum, & qui eſſent de regione viuentium, ſua peruerſitate terrerent: cùm deſcendunt ad infernum cum armis ſuis, & ponunt gladios ſuos ſub capitibus ſuis, & iniquitates eorum vſque ad oſſa perueniunt. *Tom. 4. lib. 10. Comment. in ca. 32. Ezechielis, Fol. 434. facie 2.*

*Hæreſiarcharum grauior pœna.*
*Hæretici ad inferos deſcendunt cũ armis ſuis.*
*Pſal 56.*

OMNES Reges & vniuerſi Principes, de quibus crebrò & Apoſtolus loquitur, terrenis operibus incubantes, & effundẽtes quotidie ſanguinem eorum, quos ſua fraude deceperunt, cum incircunciſis & intumidis dormierunt, & cum his qui deſcenderunt in lacum: de quibus ſuprà diximus: In ipſo comitatu erunt, & Principes Aquilonis: à quo exardeſcunt mala ſuper terram. Et à quo vel in Hieremia, & in hoc eodem Propheta olla illa plena carnium, oſsiumq́; ſuccenditur: Et non ſolùm Principes Aquilonis, verùm omnes Magiſtratus Aſſur: pro quo in Hebraico verius poſitum eſt, vniuerſi Sidonij: quos nos in venatores vertimus: iuxta illud qđ ſcriptum: Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium: pro quo in Hebraico poſitum eſt, Sidoniorum. Qui Sidonij, ſiue venatores deducentur ad inferos pauentes: in ſua quondam confiſi fortitudine: & dormient immundi; & portabunt confuſionem, ſiue tormẽtum ſuum: habentes malæ conſcientiæ pœnitudinem ſempiternam: ita vt ignis eorum non extinguatur, & vermis eorum non moriatur. *Tom. 4. &c. ibid. Fol. 435. facie 1.*

*Philip. 3.*
*Hæretici homicidæ animarum.*
*Hierem. 1.*
*Peſsimi venatores hæretici.*
*Pſalm. 123.*
*Hæretici ad inferos deducentur.*

ET non ſolùm montes, qui ad impietatis verticem peruenerunt, ſed colles quoque, hoc eſt, inferiores diſcipuli, montis Seir, & valles, quę in ima depreſſæ ſunt: ſiue torrentes, qui turbidas habent aquas, & hinc inde collectas, venienteſq́; de ſuperbia: vel iuxta Lxx. Campi, qui medij inter colles & valles ſunt. Hi omnes interfecti gladio Domini, & extentæ manus eius, atq; percutientis: vt redigentes in ſolitudines ſempiternas: & ſi quæ erant ciuitates, hoc eſt, conciliabula malè habitationis, & ipſæ diſpereant, & deſinant in malam partem habere conſenſum, & diuidantur linguæ eorum, ne turrem blaſphemię contra Deum poſsint extruere, & redactæ in ſolitudinem atque deſertum, cognoſcãnt, quod ipſe ſit Dominus. Nec ſufficit de mõte Seir tãta dixiſſe, quæ præteritus ſermo narrauit: Sed hoc quoque per ſuperbiam locutus eſt: Duæ gentes, & duæ terræ, ſiue regiones, meæ ſunt: Idumæa videlicet & Iudæa: & hęreticos & Eccleſiaſticos poſsidebo pariter. Et hoc (inquit) dixiſti, cùm Dominus eſſet ibi, qui ſuo populo præſidebat. Propterea iurat Dominus, & dicit: Viuo ego, dicit Dominus Deus, quod iuxta iram tuam, quã ſæuiebas in populum Dei, & zelum tuum quo perſequebaris Chriſti familiã, odio habens eos, quos poſsidere cupiebas, cum te percuſſero & iudicauero, tũc tibi notus efficiar: Et ſcies, quod opprobria tua & blaſphemias non alio referente cognouerim, ſed ipſe audierim, quæ locutus es contra mõtes Iſrael, dicens: Deſerti nobis dati ſunt ad deuorandum. *Tom. 4. lib. 11. Comment. in cap. 35. Ezech. Fol. 443 facie 1.*

*Gladiõ Domini interficientur hæretici.*
*Pœna hæreticorum vt diuidantur eorum linguæ, ne turrem blaſphemiæ contra Deũ poſsint extruere.*

SI hoc ita eſt, vt qui in tẽpore erroris & perſecutionis idola ſunt ſecuti, quæ de ſuo corde confinxerant, & non ſolùm, ſed & ſubſcriptione manus, aſſeruerunt Dei filium creaturam, & ſeruierunt magis creaturæ, quàm creatori, qui eſt benedictus in ſecula: quo modo ſibi ſacerdotale & Pontificale aſſumunt faſtigium, & audeant offerre victimas Deo cultores quondã idolorum? ſed vt ardẽtiſſimus Poeta teſtatur, quicquid à multis peccatur inultum eſt: multitudo peccantium impetrabiliorem fecit impijs veniam: vt qui redacti in laicos priſtina ſacrilegij ſui debuerant ſcelera deplorare, nunc reſupini in pontificali ſolio ſedeant, & ructent nobis ſimulatæ fidei nauſeas, imo opertæ perfidiæ, aperta compendia. Audiant igitur ſaltem ſero, & obſeruent præcepta omnipotẽtis Dei: Omnis alienigena incircunciſus corde, & incircunciſus carne non ingrediatur ſanctuarium meum. Licet ille ſit filius, licet cognatione ſociatus, licet antiqua nobis hæreat neceſsitudine: ſi incircunciſus corde & carne eſt, non introducatur in ſanctuarium Dei: ne miniſtros Antichriſti, noſtros faciamus miniſtros, & pro carnalibus refrigerijs, altaria Domini polluamus. *Tom. 4. libr. 13. Commentariorum, in cap. 44. Ezechielis, Folio 476. facie 1.*

*Rom. 1. ed.*
*Arriani Epiſcopi redigebantur in laicos.*
*Epiſcopos lapſos in Arrianiſmum non vult eſſe recipiendos in priorem ſtatum.*

AVDIAT hoc ſacerdotalis gradus (& Arrianæ perſecutionis ardore ſuperatus, ac verę poſtea fidei, ne opibus careat, potentia colla ſubmittens) ſufficere tibi, ſi non expellatur ex templo: Si priſtini nominis vmbram quandam & imaginem teneat, & non reſupinus ructans delitias, quaſi immaculatus & purus, de excelſo throno nobis imperitiæ ſuæ. & barbaræ garrulitatis ructet nauſeam. *Tom. 4. libr. 14. Comment. in cap. 48. Ezech. Fol. 491. facie 2.*

*Arriani Epiſcopi perſecutionis Arrianæ ardore ſuperati Catholicæ fidei colla ſubmittebant, ne opibus carerent.*

ERAT autem Ioachim diues valdè, & erat ei pomarium vicinũ domui ſuæ, &c. ] Referebat Hebræos iſtos eſſe Achab & Sedechiam, de quibus ſcribit Hieremias: Faciat te Dominus ſicut Achab & Sedechiam, quos frixit Rex Babylonis in igne, propter iniquitatem quam fecerant in Iſrael, & adulterarãt vxores ciuium ſuorum. *Tom. 4. lib. 3. Commentar. in cap. 13. Danielis, Folio 528. facie 1.*

*Hierem. 29.*
*Pſeudoprophetas frixit Rex Babylonis in igne.*

HAERETICIS quoque, & Eccleſiæ negligenti,

*Deus vertitur hæreticis in Pantherē & Leonem.*

genti, Deus in Pantherem vertitur & Leonem: & tollet ab his prædam, quam Eccleſiæ ante rapuerunt: vt capti ſaluentur qui liberi perierant, & nequaquam habitabit in conciliabulis peruerſorum, ſed reuertetur ad locum ſuũ, de quo dicit: Ego in patre, & pater in me, & eos ſpernet atque deſpiciet, donec deficiant in impietate, & quærant eum per pœnitentiam à quo fuerant derelicti. *Tomo quinto, libro ſecundo Commentar. in cap. 5. Oſeæ, Fol. 50 facie 2.*

*Ioan 14.*

*Pſeudoprophetæ occiſi.*

PRÆCIDI quod eſt dolaui in Prophetis, Lxx. tranſtulerunt, ἀπεθέρισα τοὺς προφήτας ὑμῶν, id eſt, ſuccidi Prophetas veſtros, ipſos pſeudoprophetas occiſos à Domino intelligentes: vt qui cauſa erroris fuerant, proſpera promittentes interfecti verterētur in occaſionem ſalutis: Et eſt ſenſus, ne diceretis, Prophetis credidimus, etiã ipſos interfeci, vt omnis vobis peccandi tolleretur occaſio. Legimus in Regum Volumine, quadringentos, quinquaginta Prophetas Baalim interfectos, ſub Helia, & aliam innumerabilem multitudinem ſub Iehu, qui ſubuertit domum Achab. Hæc eadem & ad hæreticos, & ad verum Iudam, qui ſimilia perpeſſurus eſt, dicta ſentimus: quod prouocet eos Dominus ad miſericordiam, & reuerti cupiat ad ſalutem. Sed illi delitias huius ſæculi & refrigeria, quaſi nubem & rorē, qui cito tranſeat, conſectentur, quibus in Euangelio dicitur: Stulte hac nocte repetent animam tuam à te, quæ autem paraſti cuius erunt? Et diues ille purpuratus, qui ante ianuas ſuas iacentem Lazarum contemnebat, omne quod fruitus eſt, inſtar nubis ac roris tranſiſſe cognouit. Semper autem Prophetas hæreticorum interficit Deus: dum æterna eis ſupplicia comminatur, & auſert de vera vita, & morti ſcelerum derelinquit. Non autem nubem delegamus illam, quæ perpetua eſt, & quæ à mundi huius ardore non protegit: cui ſedens Dominus venit in Aegyptum, & omnia Aegyptiorum ſimulacra confregit. Amemus illum rorem, de quo Moyſes loquitur: Deſcendant ſicut ros verba mea. Et de quo Eſaias dicit: Reſurgent mortui, & reſuſcitabuntur, qui in ſepulchris ſunt: ros enim qui à te eſt, ſanitas eorum eſt. Sunt qui Prophetas interfectos verè ſanctos exiſtiment, eo quod cauſa populi peccatores etiam Prophetæ occiſi ſunt, & hoſtibus traditi. *Tom. 5. lib. 2. Comment. in cap. 6. Oſeæ, Fol. 51. facie 2.*

*1. Reg. 18.*
*4. Reg 10.*
*Luc. 12.*
*Luc 16.*
*Prophetas hæreticorũ interficit Deus.*
*Eſai. 19.*
*Deuter. 32.*
*Eſai 26.*
*Sec. 70.*

*Hæretici excordi columbæ comparãtur.*

MAGISTROS contrariorum dogmatum, qui Chriſtum reliquēre ſapientiam, & de Eccleſia ſunt egreſsi, rectè inſipientem & excordem columbam poſſumus dicere: qui terrena deſiderantes Aſſyrijs traditi ſunt. Et cum profecti fuerint de Eccleſia, expandit Dominus ſuper eos rete ſuum, teſtimonijs Scripturarum, & artifici ſapientiæ ſermone contextum: vt eleuantes ſe contra ſapientiam Dei, & inſtar auis ad excelſa volãtes, ad humilia detrahat, & corripiat eos comminatione, & auditione pœnarum, vt correpti non pereant in æternum. *Tom. 5. lib. 2. Comment. in cap. 7. Oſeæ, Fol. 55. facie 1.*

*Contextore tiex Scripturis vincendi hæretici.*

SECVNDVM anagogen iniquitates, id eſt, ἀνομίαι & ἀδικίαι vocantur, quas ante Baptiſmũ commiſimus, & quæ nobis in Baptiſmate ſunt dimiſſæ. Peccata autem, quę poſt Baptiſmum egimus, de quibus & in Pſalmo ſcriptum eſt: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Quæ omnia imputabuntur hereticis: vt & veteres iniquitates, & noua eis peccata reddantur. Qui enim de Aegypto exierũt per confeſsionem Chriſti, perfidia in Aegyptũ ſunt reuerſi. Oblitus & Iſrael factoris ſui, & creatore contempto, alium ſibi finxit Dominum. Iudas quoque, id eſt, vir Eccleſiaſticus, in malis operibus, & in ſanctarum Scripturarum interpretatione peruerſa, ædificauit ſibi vrbes munitas: non auxilio Dei, ſed artifici mendacio: quas Dominus igne ſui ſpiritus ſuccenſurum eſſe ſe dicit: & deuoraturum βυρεῖς eius, id eſt, magnas & in modum turrium ædificatas domos, & fundamenta malè põſita ſubuerſurum, ne poſsint ſacrilega contra Deum delubra conſtruere. *Tomo 5. libr. 2. Commentarior. in cap. 2. Oſeæ, Folio 58. facie 1.*

*Pſal. 31.*

*Veteres iniquitates, & noua peccata imputantur hæreticis*

QVI à Deo receſſerunt, cùm in profundum venerint peccatorum, & deſperauerint ſalutem ſuam, vniuerſa contemnent. Denique & Iſrael recedens à lege Dei, & colens idola, ex multis gentibus, vnam gentem eſſe ſe dicit: gaudens & gratulans, quod à Dei notitia receſſerit, & ſit gens miſta cum cæteris, & propterea nunc corripit eos, & dicit: ne gaudeas, ne læteris, nec putes te talem eſſe, vt ſunt cæteræ nationes. Aliter enim neſciens Deum, aliter punitur recedens à Deo: quia ſeruus qui ſcit voluntatem Domini ſui, & non facit eam: vapulabit plagis multis. Mercedem fornicationis tuæ, areas multas, & torcularia reputaſti, vt rerum omnium abundantia fruereris: Ideo area & torcular triticum, vinum non facient, & mentietur eis torcular, ſiue negabit vinum ſuum, quo ſe inebriandos putabant. Legimus ſub Achab rege Iſrael, & Heliæ Propheta famem grauiſsimam fuiſſe in Samaria, ita vt matres filiorum ſuorum cadaueribus veſcerentur. Eo tempore iuxta litteram, area & torcular non pauit eos, & vinum mentitum eſt eis, & in egeſtate tabuerunt. Dicitur & ad hæreticos, ne exultent atque lætentur, & putent ſe cæterarum ſimiles nationum. Illæ enim non crediderunt in Deum: iſti verò ſub nomine Dei idola colunt, & fornicantur à Deo ſuo, & plures ſibi areas, & torcularia infinita multiplicant, & comedunt triticum, de quo efficitur panis luctus, & bibunt vinum Sodomorum, quod cùm aſpidum felle calcatur. Et quia ſibi plura torcularia, & multas areas præpararunt, idcirco de vera, & de vna area, & de torculari quod calcauit Dominus Ieſus, non veſcentur, & non bibent: ſed quodcunque ſe habere putauerunt, mendacio deprauabitur. *Tomo 5. libro ſecundo Commentariorum in cap. 9. Oſeæ, Folio 58. facie 2.*

*Prouerb. 18.*
*Grauius puniendi hæretici quàm pagani.*
*Luc 12.*
*4. Reg. 6.*
*Hæretici ſub nomine Dei idola colunt, & fornicantur à Deo ſuo.*
*Deuter. 31.*
*Eſai. 63.*

DICITVR & ad hæreticos: Cùm dies ſolemnis aduenerit, quid facturi eſtis? Pro die ſolemni Aquila interpretatus eſt, tempus. Ex quo manifeſtum eſt, non feſtum diem ſonare, ſed tempus retributionis, ſtatim enim ſequitur: venerunt dies vltionis, venerunt dies retributionis tuæ. Ecce vaſtati eſtis à multis hoſtibus: Aſſyrij vos, Chaldæique iugularunt: fugiſtis ad ſæculum, & cæteris eſtis nationibus comparati: Ibi vos Memphis ſepeliet: quod interpretatur ex ore, & eſt ſenſus: iuxta veſtras blaſphemias recipietis; & quod locuti eſtis, in ſupplicijs ſentietis: deſiderabilia, hoc eſt, dogmata, quæ vobis artifici compoſueratis eloquio (quod interpretatur argentum) poſsidebit vrtica, quæ vos ęterno ardore conſumet, & erit Lappa vel ſpina in tabernaculis veſtris: ſpinę quippe orientur in manib. eorum, qui inebriati ſunt calice Babylonio. Et in Euangelio legimus: turpes cogitationes, & curas huius mundi & inhærentia vitia ſpinas appellari, quæ ſurgentia in herbis frumenta ſuffocent. *Tom. 5. in cap. 9. Oſeæ Fol. 59. facie 1.*

*Blaſphemiæ hæreticorum æterno ardore conſumentur.*



*Prou. 26.*
*Matt. 15.*

SED & ſpiritualis nequitiæ Samaria, quę ſe à populo Dei diuiſerat, fecit regem ſuum tranſire velociter, ſermonem videlicet hæreticorum atque doctrinam quaſi ſpumam cremium ſuper faciem aquæ: quorum aliud dum videtur, repētè diſſoluitur: aliud facile eſt de aquarum ſummitatibus tollere, & in ignem mittere. Tales sũt hęretici ſpumantibus verbis tumentes, & arſura præcepta, baptiſmate ſermonibus illius commiſcentes. *Tom. 5. libro ſecundo Com. in cap. 10. Oſeæ Fol. 64. c. fa. 1.*

*Hæreticorũ doctrina ſpumæ & cremio comparatur.*

SICVT vaſtatus eſt quondam Salmana à Gedeone matre ſuper filijs interfecta: Cuius hiſtoriæ & octogeſimus ſecundus pſalmus meminit: vbi inter cæteros duces Madian, etiam Salmana fuiſſe cõmemorat, dicens: Fac eis Domine (haud dubium quin eos ſignificet, qui contra Dominum inierunt pactum ſiue teſtamentum) ſicut Madian, Syſare. Et poſt reliqua: pone inquit, principes eorum, ſicut Oreb, & Zeb, & Zebę, & Salmana: omnes principes eorum qui dixerat: hęreditate poſsideamus ſanctuarium Dei. Et in hoc eodem Pſalmo duces hęretici deſcribuntur, qui altare Dei ſibi vendicare conati ſunt. Quodque ſequitur: Sic fecit vobis Bethel à facie malitię nequitiarum veſtrarum: proprie hęreticorum principibus coaptatur: quod eis fecerit Bethel, quam ipſi vocant Bethel, hoc eſt Domini Dei, & falſam Eccleſiam: vt ſit ſenſus: Sic vobis faciet Eccleſia veſtra, quam vocatis Domini Dei: Cęterum ex quo à vobis tenetur, appellanda eſt Bethauen, id eſt domus Idoli, propter multitudinem malitiarum veſtrarum. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 10. Oſeæ. Fol. 66. fac. 1.*

*Pœnaducum hæreticorum deſcribitur in pſalmo octogeſimo ſecundo.*

AD hæreticos deceptumque ab eis populum loquitur Dominus: quod niſi egerunt pœnitentiam ponantur, ſicut Adama & Seboim, & nullam ſpem habeant ſalutis. Rurſum vt clementiſsimus pater, dicét ſe ſuám mutare ſententiam & pœnitere quod talia ſit locutus: vt illos quoque ad conuerſionem, & ad pœnitentiam prouocet: Non faciam inquit, in furore meo: nõ diſperdam Ephraim. Quantum, inquit, in me eſt, quantum ego cupio: ſi errorem veritate correxerit, ſi me magis amauerit, quam principes hæreſeos (Deus enim ego ſum, & non homo) lapſis manum porrigam, errantes ad ſalutem vocabo. Et quia ſanctus ſum, propterea non ingrediar ciuitatem, id eſt, conciliabula, & vrbes hæreticorum. Foras exeuntes de vrbibus ſuis libenter recipio: in ciuitates eorum non ingrediar: Hoc quod dixi, non ingrediar ciuitatē & iuxta Lxx. ſequitur: poſt Dominum ambulabo: Quidem ſic interpretati ſunt: vt dicerent Domino populum reſpondiſſe, & eſſe ſenſum: Quia conuerſum eſt cor tuum in te, & non ſecundum peccata noſtra feciſti nobis: ſed imitaris clementiam tuam, & noſtra delicta non punis, & polliceris te ſanctum & clementem in noſtri medio verſaturum: Idcirco & ego malorum hominum nõ ingrediar ciuitatem: nec ero de numero peccatorum: ſed ambulabo poſt Dominum Deum meum. *Tom. 5. lib. 2. Comment. in cap. 11. Oſeæ, Fol. 68. fac. 1.*

*Hæretici impœnitētes æterno incendio tradentur.*
*Pœnitentes hæreticos recipit Deus in gratiam.*

PERDITVS eſt omnis hæreticus, & corruptioni traditus: Qui enim corrumpit templum Dei, corrumpet illum Dominus: & in nullo alio habet auxiliũ, niſi in ſola miſericordia Dei, quam pœnitudine conſequitur. Huius Rex & iudices diabolus & dæmones: ſiue omnes principes dogmatum peruerſorum: qui eos tempore neceſsitatis & anguſtiæ liberare non poterũt: qui dati ſunt in furore, & auferentur in indignatione: non quod Dominus tales voluerit habere Reges alioquin nõ auferret, quos ſpõte dederat, ſed quod dimiſerit eos voluntatibus ſuis: vt comedentes & incraſſati carnibus nauſearēt, & euomerent per nares ſuas, & odiſſe inciperent eos, quos tanto ſtudio ſequebantur. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 13. Oſeæ, Fol. 37. fac. 2.*

*1. Cor. 3.*
*Rex & iudices hæreticorum diabolus et dæmones.*

PEREAT huiuſmodi Nouatianorum Samaria: quia quicquid loquitur, repugnat Deo ſuo, & clemētiam eius vertit in crudelitatem: vſque eò vt qui viri ſunt apud illam, & ad malitiæ ętatem venēre perfectam, ſpirituali mucrone truncentur. Qui autem paruuli atq; lactentes, elidãtur ad petram: De quibus & in pſalmo legimus: Beatus qui tenebit & allidet paruulos ſuos ad petram. Fœtæ quoque atque pregnantes, quę de malo ſemine conceperant, ideo diſrumpentur, ne peſsimos liberos faciant. Tale & in Euangelio nobis ſubijcitur: Væ pregnantibus & nutrientibus in diebus illis. Diebus videlicet tribulationes & anguſtiæ. Interficiũtur autem & bellatores Samarię gladio, & lactentes eliduntur, & prægnantes diſrumpuntur: vt pereunte malo ſemine, zizanijsque eius exuſtis, ſolum remaneat triticum quod in Domini horrea recondatur. *Tom. 5. lib. 2. Comment. in cap. 14. Oſeæ. Fol. 75. facie. 1.*

*Hæretici ſpirituali mucrone truncandi.*
*Pſal. 136.*
*Luc. 21.*

NOS dicamus tempore dominicæ reſurrectionis, vel die Iudicij (vtrumque enim recipimus) & Aegyptum & Idumęam, in eo quod Aegyptus & Idumæa ſunt deſtruendas: Aegyptus dicitur מצרים: quod interpretatur ἐκθλίβοντα, id eſt, ſanctos Dei perſequens & tribulans, Idumæa terrena & cruenta. Quicunque igitur Dei populum perſecutus eſt, & terrenis vacauerit operibus: multitudine delictorum quotidie fuderit ſanguinem innocentem eorum videlicet quos deceperit, erit in perditionem: vt animas quoque martyrum ſub altari clamare cognouimus: vſquequo Domine ſanctus & verus, non iudicas & vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitant in terra. *Tom. 5. Com. in cap. 3. Ioelis Fol. 90. facie. 2.*

*Hæreticorũ extrema perditio.*
*Apoc. 6.*

QVANDO viſitare cœperit Dominus præuaricationes Iſrael (qui prius Deum mente cernebat) viſitabit & ſuper altaria Bethel: non vnum altare, quod habet Eccleſia: ſed altaria hęreticorum plurima: Tot .n. habent altaria quot ſchiſmata. Amputabit & cornua altaris, quod per ſuperbiam vnum ſe habere iactant. Cadentque eorum cornua, id eſt, arrogantia in terram: & percutiet Domũ Hyemalē: eos hæreticos, qui laborant continentia, & ieiunijs, Xerophagijs. Chameunijs: è quib. Tatianus eſt & Manichęus. & domum

*Tot altaria habent hæretici quot ſchiſmata.*
*Interitus hæreticorum.*

Et domum æſtiuam: vt Nicolaitas & Eunomianos, & veteris hæreſeos nouos ſectatores: qui propter ventris ingluuiem, omnem recipiunt voluntatem. Et peribunt domus eburneæ quæ artifici dente & rhetorici nitoris ſplendore compoſitæ ſunt. Et diſsipabuntur ædes multæ, quæ in toto orbe diſperſę ſunt. Vna enim veritate ſurgente, multa mendacia deſtruentur. *To. 5. lib. 1. Com. in cap. 3. Amos, Fol. 101. facie 2.*

*Eſaiæ 50.* *3. Reg. 12.* *Ioan. 14.* *Hæretici diaboli ardoribus comburentur.*

Et qui à crebro domũ Ioſeph (propter Hieroboam, qui à ſtirpe Dauid populum Dei ſeparauit, & vaccas fecit aureas in Dan & in Bethel, & dixit, non eſt pars nobis in Dauid, neq; hæreditas in filio Ieſſe) ad perſonam hæreticorũ retulimus: qui ſermone compoſito, decora atq; formoſa, & vt ita dicam aurea ſimulacra finxerũt, & adorant opera manuum ſuarũ, & agriculturæ ſub vaccarũ ſpecie ſibi imaginem repromittũt, dicitur ad eos: Quærite Dominum & viuite: cũ qui dixit, Ego ſum via, veritas, & vita: vt poſtquam ambulauerint in eo, & inuenerint veritatem, tunc incipiant viuere, qui prius mortui erant. Et niſi hoc fecerint, diaboli comburentur ardoribus: nullusq; poterit inueniri de principibus eorum (qui & ipſi hæretico igni ſuccenſi ſunt) qui poſsit vorantem cuncta flammam reſtinguere, & præcipue Bethel, quæ falsũ ſibi domus Dei nomẽ aſſumit. *To. 5. l. 2. C. in c. 5. Amos.*

*Hæretici primi ducuntur ad pœnã.* *Pſal. 19.* *Ibid. 32.* *Deut. 17.* *Iob 39.* *Zach 9.* *Hier. 5.* *Hebr 6.* *Perpetua mors hæreticorum.* *Geneſ. 19.* *Ezech. 18.* *Lucæ. 9.* *Pſal. 49.*

PRINCIPES hæreticorum, qui propter delicias ſuas populum meũ deuorarunt, & nihil patiebantur ſub contritione Ioſeph, primi ducentur ad pœnas, & auferetur hinnitus equi ex Ephraim. Qui in ſcripturis ſanctis dupliciter accipitur: aut in ſuperbiam potentiamque eorũ qui hinniunt: aut in libidinis magnitudinem. In ſuperbiam malorumque conſenſum, vt ibi. Hi in curribus, & hi in equis. Et, fallax equus ad ſalutem. Et regib. Iſraël præcipitur, ne ſibi multiplicent equos. Et in libro Iob, vox equi clangori tubæ comparatur. In Zacharia quoq; legimus (quod Euangelici quoque teſtimonio comprobatur, & refertur ad præſentiã Saluatoris) Gaude nimis filia Sion, prædica filia Hieruſalem. Ecce rex tuus venit tibi iuſtus, & Saluator ipſe manſuetus, & aſcendens ſuper Aſinam & pullum Aſinæ: & diſperdet quadrigas ex Ephraim, & equos de Hieruſalem. In libidinis verò magnitudinem & effrenatum coitus deſiderium, vt in Hieremia: qui luxurioſos adulteroſq; deſcribẽs intulit: vnuſquiſque ſuper vxorem proximi ſui hinniebat. Tales equos Chriſti aduentus & ira Dei ſubneruat. Et iurat Dominus per ſemetipſum (quia maiorem per quem iuret non habet) ſe deteſtari omnes hæreticorum contumelias, & vniuerſas regiones eorum odiſſe. Quicquid .n. loquuntur iniuria eſt, & dignum Dei odio. Et ablaturum ciuitatem, & conciliabula eorum, cũ his qui habitant & populum videlicet & magiſtros: Etiam ſi reliqui fuerint decem viri (qui ſi fuiſſent in Sodomis & Gomorris, nequaquam ſuper eas deſcendiſſet incendium.) omnes eſſe morituros eã morte quæ ducit ad tartarum, de qua Ezechiel ſcribit: anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Iſtorum oſſa ſepeliunt propinqui & domeſtici eorum, de quibus dicitur: Sine, mortui ſepeliant mortuos ſuos. Et ille qui foris eſt, & domum non ingreditur mortuorum, ſed magis mortuos foras eijcit, imperat ei, qui comburit mortuos, & diſſoluit in cineres, & eorum oſſa comminuit vt taceat, & puriſsimum Dei nomen mortuo ore non maculet. Peccatori enim dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Vnde & nos prouidere debemus, ne mortui ſepeliamus mortuos: ſed & magis viuentes eos qui sũt mortui perducamus ad vitam. Quod ſi non fecerimus imperatur nobis & dicitur: Tace quia indigni Dei nomine iudicamur. *Tomo quinto libro tertio Commentariorum in caput ſextum Amos Fol. 115. facie 1. in fine.*

*Pſal. 7.* *Hæretici bibunt calicẽ diaboli.* *Habac. 2.* *Sec. 70.* *Exod. 3.* *Heſter. 14.*

IVXTA eſt ô hęretice dies Domini ſuper omnes gentes: propè eſt tempus iudicij in quo omnes iudicandæ ſunt nationes: Sicut feciſti contra eccleſiaſticos conuertetur in caput tuum, dolor tuus, & in verticem tuum iniquitas tua deſcendet. Quo modo enim in nece eorum lętatus es, conuiuiumque celebraſti, & in monte ſancto meo, hoc eſt, Eccleſia mea, bibiſti non meum calicem, ſed diaboli; de quo & in Habacuc dicitur: væ qui potat proximum ſubuerſione turbida: ita vniuerſæ gentes, vel fortitudines contrariæ ſupplicijs delegatæ, vel aduerſariæ quæque virtutes, bibent & abſorbebunt ſanguinem tuum, & ad extremum in cunctos veniente cruciatu, ipſæ quoque erunt quaſi non ſint. Qui enim perit ei qui eſt, & qui dicit ad Moyſen. Qui eſt miſit me ad vos, ſecundum regulam ſcripturarum non eſſe dicitur: vnde & in Heſter legimus: Ne tradas Domine regnũ tuũ, his qui non ſunt. Poſſumus hunc locum & aliter interpretari: Quia lætati eſtis in ruina ſeruorum meorum, eadem perſecutio cõtra vos quoque veniet & patiemini quæcunq; feciſtis. Et ſicut lætati eſtis, aduerſum populũ meũ cum gentib. ita omnes gentes lætabuntur contra vos, & deuorabũt, & bibent, perſecutione ſimili conterent. *To. 5. Comment. in ca. 1. Abdiæ Fol. 130. fac. 2.*

*Ciuitas hæreticorum inutilis eſt ſubuertenda.* *Matt. 26.* *Ignis conſumet idola hæreticorum.* *Lucæ. 12.* *Diuitiæ de paterna hæreditate venientes ſunt apud Catholicos non apud hæreticos.* *Dulcia hæreticorum carmina inſtar Sirenarum.* *Hieruſalem typus Eccleſiæ & Catholicorum: Samaria hæreticorum.*

QVIA verò Samariam, hæreticorum ſemel intelleximus Eccleſiam (quæ ſeparata à Deo, populi facta eſt conciliabulum ipſe Dominus cõminatur poſiturum ſe eam in pomorum cuſtodiam: in agrum & in plantationem vineæ. Multo enim melius eſt ſubuerti inutilem ciuitatẽ, & lapides eius quibus extracta fuerat, in pręceps detrahi, & præparari eam in pomarium plantationemq; vinearum, quam in ædificatione peſſima permanere. cum enim deſtructa fuerit, & reuelata fuerint fundamenta eius (quibus ſua videbtura calare myſteria, & firma habere dogmata, in quibus ſtabat, & omnia Idola quæ ſpeciem videbãtur habere, & pulchritudinem artifici ſermone compoſitam & à miniſtris Dei fuerint conciſa, id eſt, à viris Eccleſiaſticis) tunc in loco ædificationis peſsimæ, varia Eccleſiæ poma naſcentur, & non ſolum naſcentur, verum etiam cuſtodientur, & plantabitur vinea Sorech, de qua fit vinum, quod ſe Dominus in regno patris habiturum eſſe promiſit. Non ſolum autem fundamenta eius, quæ prius terra premebantur, aperientur, & proferentur in medium, & idola quæ ſibi fixerat, concidentur: ſed gloria quoque & diuitiæ quas de fornicatione videbatur habere, & errore ſuo, igne meo conſumentur: de quo dixi in Euangelio: Ignem veni mittere ſuper terram, & quam volo vt ardeat, atque comburentur, &



redigentur ad nihilum: quia non de veritate contracta ſunt dogmatum, ſed de fornicatione animæ, & errore hinc inde collecta ſunt. Heretici quippe non habent diuitias de paterna hæreditate venientes, ſed quotidie, quod colãt, reperiunt, & idola ſibi artifice manu & curioſa mente confingunt. Propter hoc cum conuerſus fuerit ager eorum in pomorum cuſtodiam, & præparatus ad vineas, & lapides quibus ædificata erat ciuitas, detracti in profundum & reuelata fuerint fundamenta eorum, & omnia ſculptilia conciſa & incenſa, & mercedes quas ſibi vana ſpe pollicebantur, & quicquid velut Deum colere videbantur, redactum ad nihilum: quia de fornicatione animæ omne ſibi pretium compararant. Tunc intelligentes errorem priſtinũ in ſimul conuerſi plangent, in quibus ante ridebant & lugebunt in quib. prius fornicantes quodammodo lætabantur. Deponentque de pedibus ſuis, quicquid mortiferum habuerant, & erunt diſcalciati: quia terra in qua ſtaturi ſunt, locus eſt ſanctus: Et veſtimenta fornicationis ſuæ vniuerſa proijcient: eruntque nudi, vt poſsint Chriſti indui veſtimento, & faciant planctum quaſi draconum. Plancturi ſunt quippe aliquãdo & dracones, quãdo viderint draconum maximum captum, & in hamo pendere piſcantis, & merè deſolatum. Et lugebunt quaſi filiæ Sirenarum: dulcia enim ſunt hæreticorum carmina, & ſuaui voce populos decipientia. Nec poteſt eorum Cantica præterire, niſi qui obturauerit aurem ſuam, & quaſi ſurdus euaſerit. Propterea autem hac iſtiuſmodi Samaria planget & lugebit: Quoniam ſagitta Domini vulnerata & plagam ſermonis accipiens ſuum cognoſcet errorem. Non ſolum autem ipſa peccauit, ſed iniquitatem & errorem ſuum in Iudæ quoq; portas voluit introducere. Vnde dicitur de ea: venit vſque ad Iudam, & tetigit vſq; ad portas populi mei vſque ad Hieruſalem. Portas, inquit, tetigit, quas aures intelligimus. Cæterum vrbẽ mediam intrare non potuit; quod ſi intraſſet, feciſſet de Hieruſalem Samariam. Quoties videmus de Eccleſia aliquos ad hæreticorum ſermones ſcandalizari, & quærere quomodo eorũ reſpondeant quæſtionibus nec tamen recedere de Eccleſia dicamus: venit Samaria, ſine plaga Samariæ, vſque ad populum confitentem: vſq; ad aures populi Dei, vſq; ad aures Hieruſalem. *Tom. 5. lib. 1. Commentar. in cap. 1. Micheæ Fol. 145. facie 2.*

*Simili oſtenditur quomodo Dei ſpiritus finem imponat hæreſibus.*

QVO modo in vulneribus putridis, ne cãcer ſerpat, & emortuũ corpus viuas carnes depaſcatur, medici ſtatuunt vulnus & vrunt cauterio, vel puluere καυσικῷ: ita ſpiritus Dei finẽ poſuit mendacio, ne vltra populus Dei pſeudoprophetarum vocibus ſubuertatur. *Tom. 5. lib. 1. Com. in caput ſecundum Micheæ, Folio. 151. facie ſecunda in fine.*

*Hæreticorũ pœna vt moriãtur errori.*

NEQVAQVAM ô hæretici animæ deceptorum ex dogmatibus veſtris ſuſcipient nomina; quæ prius inuocauerant ſuper terras ſuas: ſicut 48. pſalmo figuraliter canitur. Et proderit vobis hæc ipſa ceſſatio ſationis, quæ prius animam ſeminantis, deinde eius in quo ſeminabat, interficere conſueuerat. Morientur ergo tibi errorum dogmata: ſed & tu qui prius tibi viuere videbaris morieris errori, & bono tuo mortuus, idola quæ colebas, habebis ſepulchrum. Atque ita fiet vt de pectore tuo, quod ante templum Dei tui, quem ſimulaueras, fuerat, omnes auferantur errores. Hæc autem euenient tibi, qui quondam aduerſus Dominum contraria cogitabas: cum Dei ſermo, qui ſemper aſcendit in montes in animas videlicet excelſas atque ſublimes ad te velociter venerit: calcatiſque priorum errorum fluctibus, & in tranquillum redactis, pacem tibi fidei ſenſumque tibi reddiderit. *Tom. 5. Commentariorum in cap. 1. Nahum Fol. 174. facie 2.*

*Matt. 4.* *Traduntur in deriſum.* *Pſal. 103.* *Iob. 40.* *Sec. 70.*

SERMO diuinus congregabit, quaſi arenam Chaldaicæ captiuitatis, & delectabitur in regibus, & tyranni ludicra eius erunt: videns potentiſsimum quõdam diabolum & regna eius (quę ſaluatori quoque oſtendens ait: hæc omnia dabo tibi, ſi procidẽs adoraueris me) eius aduentu eſſet deſtructa: deliciæ prouidentiæ ſunt & voluptas ſapientiæ cum ſtultitia deſtruitur, & Tyrannorum quondam potentia ſuperata atq; deiecta, vertitur in deriſum. Neque enim ſolũ draco formatus eſt, vt luſui haberetur à Domino: Qui eſt principiũ blaſphematiõis eius, factus eſt angelus ludicrus. Neque illum ſolum dabit Deus, quaſi paſſerem paruulum: ſed ſi quis etiã alius crudelis & mentis tyrannicæ fuerit, tradetur ſermoni Dei in deriſum. Et ipſe ait, in omnem munitionem illudet. *Tom. 5. Com. in cap. 1. Habac. Fol. 187. foc. 2.*

VT autem manifeſtius loquar, hæreticorum eloquentiam quæ contra veritatem & Eccleſiã fluit, intellige flumina quibus iraſcitur Dominus. Animas verò eorum, quæ circunferuntur omni vẽto doctrinæ & ſemper malitia fluctuãt & falſis gurgitibus obruuntur, animaduerte mare, ſuper quod impetus Domini fit: vt ſentiat eius aduentum, & ſciat quibus terminis & obice concludatur & audiat: In te conterentur fluctus tui. *Tom. 5. Commentariorum in caput tertium Habac. Fol. 199. facie 2.*

*Hæreſes ad breue aliquod tempus durant.*

DEVS omnes aquas, quę à peruerſis dogmatibus conculcatæ ſunt, diſperget cum diſsipauerit cõſilia principum & ſapientiam mũdi huius. Si quando videris, ad breue aliquam hæreſim floruiſſe, & poſtea Dei gratia diſsipatam, dicito eſſe completum: diſperges aquas itineris: Poteſt autem hoc quod dicitur, itineris ſubaudiri diabolici, vt ſit ſenſus: Aquas diabolus conculcauit, & quæ multis in ſe præbuerunt iter, id eſt, multis patuerunt erroribus, diuidet Dominus atque diſperget. Vnde & cæteri interpretes furorem volentes hæreticum deſcribere, tranſtulerunt: Illuſio vel impetus aquarum tranſiet. Feruntur enim, prono eloquentiæ curſu: & pręcipites vt quemcunque obuium & leuent inuenerint ſecum trahant. *Ibid. Fol. ducenteſimo octuageſimo primo facie 1.*

## *Articulus XII: Hæreticos niſi ad Eccleſiam Catholicam redeant, ſaluos eſſe non poſſe, quamuis perſecutionem, aut etiam mortem pro Chriſto pati videantur.*

NON multum tempus in medio, ſuccedit in Pontificatũ vir inſignis Anaſtaſius: quẽ diu

*Holocauſta & victimæ hæreticorũ à Deo non ſuſcipiuntur.*

diu Roma habere nõ meruit, ne orbis caput ſub tali epiſcopo truncaretur:immo idcirco raptus, atque tranſlatus eſt,ne ſemel latam ſententiam precibus ſuis flectere conaretur:dicente Domino ad Hieremiam:Ne oraueris pro populo iſto, neque depreceris in bonum. & ſi holocauſta & victimas obtulerint, non ſuſcipiam eas, in gladio enim & fame, & peſtilentia ego conſumam eos. *Tom.1.epſt.16.ad Principiam cap.4.in fine.*

*Damnationis ſententia lata in hæreticos.*

DICAS,quid hæc ad laudem Marcellæ?Dãnationis hęreticorum hęc fuit principium;dum adducit teſtes,qui prius ab eis eruditi, & poſtea ab hæretico fuerant errore correpti,dum oſtendit multitudinem deceptorum,dum impia περὶ ἀρχῶν ingerit volumina, quæ emendata manu ſcorpij monſtrabantur, dum acciti frequẽtibus litteris hæretici, vt ſe defenderent venire non ſunt auſi, tantaque vis conſcientiæ fuit, vt abſentes damnari,quam pręſentes coargui,maluerint. *Ibid.cap.5.in initio.*

*Marcion primogenitus diaboli.*

CVM Polycarpo fortuito obuiam fuiſſet Marcion,& diceret cognoſcis nos? Reſpondit: cognoſco primogenitum diaboli.Poſtea non regnante M. Antonino & L. Amelio commodo, quarta poſt Neronem perſecutione, Smyrnæ, ſedente Proconſule,& vniuerſo populo in Amphitheatro aduerſus eum perſonante, igni traditus eſt.*Tom.1.de viris Illuſtribus in Polycarpo.*

*Montanus & inſanæ eius pſeudo prophetiſſæ ſuſpendio perierunt. Muneribus corruptus Montanus.*

APOLLONIVS,vir diſertiſsimus,ſcripſit aduerſarius Montanum Priſcillam, & Maximillam inſigne & longum volumen,in quo aſſerit Montanum & inſanas vates periſſe ſuſpendio: & multa alia,in quibus de Priſcilla,&Maximilla refert:Si negant eas accepiſſe munera,confiteantur non eſſe prophetas,qui accipiunt:& mille hoc teſtibus approbo.*Ibid.in Appollonio.*

SI Ariani hæretici ſunt, & hæretici omnes gentiles ſunt: & Ariani gentiles ſunt. Si autem Ariani gentiles ſunt,& conſtat nullam ſocietatem Eccleſiæ eſſe cum Arianis,id eſt gentilibus: manifeſtum eſt,veram Eccleſiam,quæ ab Arianis,id eſt,à gentilibus,Epiſcopos ſuſcipit, non tã Epiſcopos recipere,quam de Capitolio ſacerdotes; ac per hoc Antichriſti magis ſynagoga, quã Chriſti eccleſia,debeat nuncupari. *To. 2.in Dialogo contra Luciferianos cap.1.*

*Hæretici gẽtilibus comparantur, ſuntq; extra Eccleſiæ ſocietatem.*

VT ſal omnem cibum condit;nec eſt aliquid per ſe tam ſuaue, quod abſque eo guſtum demulceat.Ita mũdi totius,& proprie Eccleſiæ cõdimentum Epiſcopus: qui ſi infatuatus fuerit, ſiue per negationem, ſiue per hæreſim, ſiue per libidinem,& vt ſimul dicam per vniuerſa peccata,à quo alio poterit condiri, cum ipſe fuerit omnium condimentum? Sacerdos quippe pro laico offert oblationem ſuam,imponit manum ſubiecto,reditum Sancti ſpiritus inuocat, Atq; ita eum,qui traditus fuerat Satanę in interitum carnis,vt ſpiritus ſaluus fieret, indicta in populum oratione,altario reconciliat; nec prius vnũ membrum reſtituit ſanitati,quam omnia ſimul membra confleuerint.*Ibid.cap.2.*

*Epiſcopus hæreticus infatuatus, inſulſus, non poteſt alios condire.*

HAE ſunt ſagittæ quibus confoderis, hæc tela,quib⁹ notata Epiſtola vulneraris:excepto eo, quod tuis genib. aduolutus,ſanctã canitiẽ, ſepoſito parũper ſacerdotis honore, ſubſternens, depecatur ſalutẽ tuã, & his verbis loquitur: præſta mihi,& tibi,vt ſalueris ſicut ſcriptũ eſt, A generatiõe peruerſa:&recede ab hęreſi Origenis,& à

*Actor. 2.*

cunctis hæreſibus dilectiſsime. Et infra: Propter defenſionem hæreſeos aduerſum me odia ſuſcitantes rumpitis charitatem, quam in vobis laudaui,intantum,vt faceretis nos etiam pœnitere,quare vobis communicauerimus: ita Origenis errores & dogmata defendentibus. *To. 2. epiſt.61.ad Pammachium,cap.3.*

*Origeniſtæ vitandi.*

DICIS animam non eſſe de Dei ſubſtantia. Pulchrè: Damnas enim impijſsimum Manichæum,quem nominare pollutio eſt. *Ibidem, capite ſexto.*

*Manichæũ impijßimum nominare eſt pollutio.*

DENIQVE Eſaias, de quo ponis teſtimonium,Comburentur,inquit,peccatores, & iniqui ſimul: non addidit, in æternum. Et qui relinquunt Deum,conſummabuntur. Propriè hoc de hæreticis loquitur, qui rectum fidei tramitẽ relinquentes,conſummabũtur, ſi noluerint ad Dominum reuerti,quem dereliquerunt. Quæ ſententia & tibi parata eſt, ſi neglexeris ad meliora conuerti.*Tom.2. lib.1. Dialogorum aduerſus Pelagianos,cap.9.Fol.276.facie 2.*

*Hæreticorũ perditio, qui rectum fidei tramitem reliquerunt.*

PORRO ſecundum Tropologiam, difficilis intelligentia: quomodo Eccleſia hæreticã vincat libidinem: niſi hoc fortè poſſimus dicere, quod ſeruus qui ſcit voluntatem Domini ſui, & non facit eam,vapulabit multis: & quod hæretici foris nefanda committant,& extra arcam Noe naufragio pereant.*Tom.4.lib.7.Comm.in ca. 23.Ezech.Fol.400.facie 2.*

*Lucæ 12. Hæretici extra arcam Noe naufragio pereunt.*

SI voluerimus iuxta prophetiam Oſeæ, quæ penè omnes ad decem tribus dirigitur,id eſt, ad Ioſeph & Ephraim & Samariã, & Iſrael,intelligere falſi nominis ſcientiam, & diuerſas turbas hæreticorum,hoc dicimus,quod in vltimo tempore quãdo ſubintrauerit plenitudo gentium, & omnis Iſrael ſaluus fuerit: tunc enim aduerſarij populi,qui contra domum Iudæ & confeſſionem Eccleſiæ pugnauerunt, tradant ſe Eccleſiaſticæ fidei:& vniuerſis erroribus derelictis,& Principibus mundi iſtius qui deſtruuntur & patriarchis ſuis, qui eos in blaſphemiarum barathrum deduxerunt: conſurgant & relinquant idola ſua,& abominationes ſuas,quas de ſuo corde confinxerant: & de cunctis ſedibus ſuis, in quibus peccauerunt,tranſeãt ad Eccleſiaſticam fidem: & mundentur,& ſint populus Chriſti,& ipſe ſit Deus eorum. *Tom. 4. lib.11.Comm.in cap. 37.Ezech. Fol.448.facie 1.*

*Geneſ.25.*

*Roman.11.*

*Hæretici cõuerſi ad Eccleſiam ſalui ſiunt.*

NE ſemper triplici explanatione tendamus volumina,hoc rarò admonuiſſe ſufficiat, quæ dicta ſunt conuenire Iudæis, negantibus Chriſtum,& hæreticis fidem Domini relinquẽtibus: quorum fornicatio propriè inter vbera eſt,& in artificio idolorum & variorum dogmatũ corde verſatur: qui reuertentur ad diem natiuitatis ſuæ: vt ſi non egerint pœnitentiam,Ethnicis comparentur.*Tom.5.lib.1.Commen.in ca.2. Oſeæ, Fol.38.facie 2.*

HAERETICI qui abiecti ſunt à Domino, ſi non redierint ad priſtinam domum, ſic omnium rerum patientur penuriam, vt etiam quod verum habere videntur, redigatur ad nihilum. *Ibidem in fine.*

IMMVNDVM vas,ſiue inutile, Hebræi matulam vocant: qua ad ſuſcipienda, & proijcienda ſtercora vti ſolemus. Huic immunditiæ idololatras,& hæreticos comparat: qui miſcentur gentibus, dum Dei non cuſtodiunt veritatem, & facti

*Hæretici matulæ comparantur.*



& facti vas in honorem,conuerſi ſunt in vaſa cõtumelię.Quid enim immũdius dæmoniaco ſpiritu, & hæreticorum dogmatibus, quæ eos ethnicis miſcuerunt? Talis erat Iechonias Idolis mancipatus, de quo per Hieremiam loquitur Deus:Inhonoratus eſt Iechonias, ſicut vas cuius nulla eſt vtilitas. E contrario Paulus qui dicere poterat, An experimentum quæritis qui in me loquitur Chriſtus?appellatur vas electionis aureum,& argenteum:quia habebat ſapientiam & eloquium, quo Chriſti Euangelium prædicaat. Quod autem dicit deuoratus eſt vel abſorptus:hoc ſignificat,quod mixtus idolis, & nationibus,proprium Iſraelis & Chriſtiani nomen amiſerit.*To.5.lib.2.Com.in cap.8. Oſeæ,Fol.57.fac.1.*

*Hiere.22. 2.Cor.13.*

AD eos quoque qui ab hæreticis ſeducti ſunt, dicitur vt reuertantur ad Dominum: qui mauult pœnitentiam peccatoris quam mortem: ipſum enim eſſe qui eos eduxerit de terra Aegypti,id eſt,de tenebris & errore gentilium. Et ne forſitan peccati memores tardius reuertantur: adhuc,inquit ſedere vos faciam in tabernaculis, ſicut in diebus feſtiuitatis: vt quod facit baptiſma,hoc faciat pœnitentia,& habitent in tabernaculis Saluatoris,hoc eſt in Eccleſijs:de quibus dicitur: Plantati in domo Domini,in atrijs domus Dei noſtri florebunt: Et ne putent hæreſiarchas & principes erroris ſui Dei locutos ſpiritu: Ego ſum; inquit, qui locutus ſum ad prophetas, & ad magiſtros veſtros, & ego viſiones multiplicaui,& in manu prophetarum meorũ, qui ſunt in Eccleſia conſtituti, aſsimilatus ſum. *To.5.lib.2.Com.in cap.12.Oſeæ.Fol.71 fac.1.*

*Paræneſis ad hæreticos vt conuertãtur.*

*Pſal. 91.*

QVAE omnia poſſunt & hæreticis coaptari, vt deſerto errore quem finxerunt,redeant ad eccleſiam,& oderunt priora dogmata: diligantq; in Eccleſia Domini veritatem, & iudicium verum exerceant in portis vitiorum & virtutum: relinquentes illa & ad has tranſeuntes, & ſperẽt miſericordiam qui ex faucibus diaboli euadere quiuerint. *Tom.5.libr.2.Commentariorum in cap.5. Amos Fol.110.facie 2.*

*Hæretici ad Eccleſiam reuertentes ex faucibus diaboli euadunt.*

CVM abſcondita Eſau, & quaſi ſacramenta magnifica(quibus prius populi fuerant irretiti) prolata fuerint in medium, ita vt vir Eccleſiaſticus poſsit dicere:Non enim ignoramus eius aſtutias:derelinquent terminos Edom,& dimittent eum,& vſque ad terminos Eccleſię trãſmigrantes,proferent doctrinas peſsimas: Tunc illudent & reſiſtent quondam magiſtro ſuo: dicẽtes falſa eſſe quæ didicerant, & præualebunt cõtra eum,& eruditi fide Eccleſiæ, falſum dogma conuincent. Illi qui quondam comedebant apud hæreticos (nõ panem Euchariſtię,ſed panẽ luctus, & panem ſubcinericium qui non reuerſatur )proponent quæſtiones de ſcripturis: tendent inſidias Idumæo atque terreno, & in omnibus carneo præceptori. Hæreſes enim ad Galatas in[illegible]r carnis opera numeratas legimus, & tunc oſtendetur non eſſe prudentia in Edom. *Tomo quinto Commentariorum in cap.1. Abdiæ Fol.129. facie 1,in fine.*

*2.Cor.2. ca. Quomodo affecti diſcipuli hæreticorũ conuerſi ad Eccleſiam. Oſeæ.7.*

*Gal.5. Hæreſis opus carnis.*

POSTQVAM hi qui prius decepti erãt conuerſi fuerint ad Eccleſiam,tũc ipſo Domino dimicãte peribunt ſapientes Idumæę:quę carnalia & terrena ſapiebãt:& auferetur de monte Eſau, quæ eleuabatur cõtra ſcientiã Dei: Et qui prius pro Eſau & Idumæa dialectica arte pugnabant & erant in præſidijs Theman (quod interpretatur conſummatio) deſinet pugnare pro magiſtris prioribus:ſiue,qui ante lumen ſibi ſcientiæ promittebant,& putabant ſe eſſe in meridie, timebunt & formidabunt Eccleſiaſtico viro obtinente ſophiſmã eorum: in tantum vt nullus reſideat,qui poſsit vel Regis conſilio, vel pugnatoris viribus pro hæreticorum ſuperbia, & falſo dogmate dimicare. *Ibid.Fol.129.facie 2.*

*Quomodo affecti diſcipuli hæreticorũ aduerſus magiſtros poſt conuerſionẽ.*

POPVLVS Dei & oues paſcuæ eius, quæ prius paſcebantur abſq; grege Domini,& extra Eccleſiam eius,in ſaltu verſabantur errorum,poſtea transferuntur ad notitiam veræ circunciſionis,& ſeruient Deo in Spiritu, & gloriabuntur in Domino,& non in carne confident, & erunt vera circunciſio,& non conciſio. Cumque paſti fuerint ſpirituali circunciſione, intelligẽtes peccata priſtina,confundentur in vitijs ſuis, & erubeſcent,& erunt in confuſione, quæ ducit ad vitam:quia eſt & alia confuſio quæ ducit ad mortem:in qua habitauit quondam Og, rex Baſan: ſiquidem Baſan, interpretatur confuſio:de qua confuſione peſsima & Dominus repromittit liberaturum ſe populum ſuum.*Tom.quinto,lib.2. Commentariorum in caput ſeptimum Michcæ,Folio 169.facie 2.in medio.*

*Diuerſimodè affecti hæretici ante & poſt ſuã conuerſionẽ.*

*2. Corint. 7.*

PORRO ſecundum altiorem intelligẽtiam, Ephraim refertur ad hæreſium multitudinem, quæ interpretatur καρποφορία: id eſt, vbertas & frugum abundãtia:de quibus ſcriptum eſt in ſeptuageſimo ſeptimo Pſalmo: Filij Ephraim intendentes,& mittentes arcũ,conuerſi ſunt in die belli. De his quadrigis & curribus legimus: hi in curribus,& hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus: Ipſi obligati ſunt,& ceciderunt,nos autem ſurreximus, & erecti ſumus. Equus qui diſperditur de Hieruſalem,ille eſt de quo legimus: Fallax equus ad ſalutem. Et in Hieremia: qui luxuriæ vacabant & libidini,audiunt: Equi inſanientes in fœminas facti ſunt mihi: vnuſquiſq; ad vxorem proximi ſui hinniebat. Vndè reuocantur ad pœnitudinem,dicente Pſalmographo:Nolite fieri ſicut equus & mulus, in quibus nõ eſt intellectus: Cumque diſperſerit Deus currus Ephraim, & equum de Hieruſalem: qui de iſtiuſmodi equis & curribus fuerint liberati,transferentur in Domini ſeruitutem,& afficientur Cherubim,& de ipſis dicetur:Currus Dei decem millium multiplex,millia lætãtium. Et:Equitatui meo in curribus Pharaonis aſsimulaui te proxima mea. Et: aſcendes ſuper equos tuos,& equitatio tua ſalus. diſsipabitur armis belli, vt non mittantur ignita iacula,quę voluptuoſorum poſsint corda percutere. Et loquetur pacem gentibus: de quibus ſcriptum eſt: Ipſe erit expectatio gentium. Et rurſum: Super ipſum gentes ſperabunt. Et poteſtas eius à mari vſque ad mare, & à fluminibus vſque ad fines terræ. Hoc non eſt extenuandum per allegoriam,ſed credendum verè completũ, ſecundum illud quod legimus: Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam,& poſſeſsionem tuam terminos terrę.*Tom.5.lib.2.Comm.in cap.9.Zachar.Fol.255.facie 1.*

*Pſalm.19.*

*Pſalm.32.*

*Pſalm.5.*

*Pſalm. 31.*

*Liberati ab hæreſi,transferuntur in Domini ſeruitutem.*

*Ibid.67. Cant.1. Habac.3.*

*Geneſ.19. Eſaiæ 11.*

*Pſalm.2.*

IVXTA Tropologiam hic locus ſic explanari poteſt. Extenditur Iudas in arcu, cùm Dominus atq; Saluator à Patre in hunc mundum mittitur,qui ipſe eſt & arcus,& ſagittarius,& ſagitta

Kk Arcus,

*Cant. 2. Sec. 70. Eſaiæ 49.*

Arcus, vt in præſenti loco. Sagittarius, vt in 44. Pſalmo: Sagittæ tuæ acutæ potentiſsimæ, quibus qui fuerit vulneratus, dicit: vulneratus charitate ego ſum. Sagitta verò ipſe eſt, qui loquitur per Eſaiam: Poſuit me ſicut ſagittam electam, & in pharetra ſua abſcondit me. Sagitta electa, verbum Dei eſt: Pharetra in qua ſagitta abſcõditur, diſpenſatio carnis aſſumptæ. Hac impletur Ephraim, vt cùm armatus fuerit, & paratus ad bellum, & ipſe cùm gentibus ſagittis Domini vulneretur: ex cuius tribu primus populum ſcidit Hieroboam, quem in hæreticorum perſona accipi Oſee Propheta plenius demonſtrat, & quod

*Oſeæ 5. & 6. Pſalm. 77.*

ſuprà diximus: Filij Ephraim intendẽtes, & mittentes arcum, conuerſi ſunt in die belli. Suſcitãte enim Domino filios Sion, hoc eſt filios Eccle-

*Ibid. 44.*

ſiæ, & contrariorum dogmatum magiſtri, & Philoſophorum omnis aſſertio atq; argumẽta gentilium deſtruentur: quia ipſe Dominus gladius fortiſſ eſt, de quo dicitur: accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſsimè. Specie tua & pulchritudine tua, intende proſperè, procede & regna: Propter veritatem & manſuetudinem, & iuſtitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. Hoc gladio Aethiopes vulnerantur, de quibus ſcriptum eſt: Et vos Aethiopes vulnerati meo gladio eritis: qui poſtquam Chriſti gladio fuerint vulnerati, deponent tetrum colorem, & exultantes loquentur: Erit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos: quod & Dauid ſibi poſt pœnitentiam repromittit: Lauabis me, & ſuper niuẽ dealbabor. Iſte eſt gladius, de quo ſcribit Apoſtolus: viuens ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſq; ad diuiſionem animæ ac ſpiritus. *Tom. 5. lib. 2. Comment. in cap. 9. Zachar. Fol. 256. facie 1.*

*Gladio Domini deſtruuntur hæreſes.*

*Sophon. 2. Pſalm. 89. Ibid. 50. Hebr. 4.*

Nos referemus cuncta ad intelligentiam Saluatoris, de quo ſupra dictum eſt: Extende mihi Iudam quaſi arcum: Quo extento & hæreticis atq; gentilibus à Sion filijs interfectis, apparebit gloria Domini, & egredietur vt fulgur iaculũ eius: de quo fulgure & in Habacuc legimus: In luce ſagittarũ tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ. Quod fulgur & ſplendor, alio vocabulo tuba appellatur & clãgor: vt cùm ſanctus clamor inſonuerit, dicat qui prius ſurdis auribus fuerat. Diſciplina Domini aperuit mihi auris, & dedit mihi aurem ad audiendum. *Ibidem.*

*Sagittis diuini verbi trãsfodiendi hæretici. Habac. 2.*

IN illo tempore (hoc ſignificat dies, quando obſeſſa fuerit Hieruſalem: ita vt Iudas quoque eam obſidere cogatur) & carnaliter & ſpiritualiter percutiet Dominus omnes aduerſariorum equos in ſtuporem: ita vt omnes ſtupeãt, qui eos viderint eſſe percuſſos, & aſcenſores eorum, malorum premente magnitudine, vertuntur in amentiã, & ſuper domũ Iuda, quæ contra metropolim ſuam facere aliquid cogebatur, aperiet Dominus oculos ſuos, vt eorum miſereatur, & eos dignos faciat ſuo aſpectu, oculorumq́ue ſuorum illuſtret lumine: omnes autem equos populorum æterna percutiet cæcitate. Qui ſpiritualiter equi intelligendi ſint, ſupra diximus: Fallax equus ad ſalutem. Et: Hi in curribus, & hi in equis, & cętera his ſimilia. Aſcẽſores quoq; eorũ, vel dęmones, vel falſos magiſtros dixim⁹, qui oẽs in ſtuporẽ vertentur & amentiã, vt nihil ſapere cõuincantur, ſed palpabiles eos opprimãt tenebræ: quales fuerunt quando Aegyptiorum primitiua percuſſa ſunt. Super domum autem Iuda, id eſt, populum qui confitetur Deũ, & fractus perſecutionis anguſtijs ac timore perterritus, videtur eſſe in numero perſequentium, aperiet Dominus oculos ſuos vt pleroſq́ue reſpiciat dicẽtes ad ſe: Reſpice in me, & miſerere mei, & mereantur audire: Erit tibi Dominus lumen æternum. Hæc eſt grauiſsimi lapidis laceratio, quam in aduerſarios ſuos; qui Hieruſalem leuare & vexare conati ſunt, Dominus cõminatur. *Tom. 5. lib. 3. Commentar. in cap. 12. Zachariæ Fol. 264. facie 1. in fine.*

*Aeterna cæcitate percutiendi hæretici. Pſalm. 31. Pſalm. 32.*

*Exod. 10. Aegyptiacæ & palpabiles tenebræ hæreticorũ. Pſal. 75. Eſaiæ 60.*

Nos dicamus quod tempore perſecutionis Eccleſiæ, duces & tribũ nominis Chriſtiani (de quibus ſupra diximus) cum Dominus pacẽ reddiderit Hieruſalem, & interfecerit aduerſarium ſpiritu oris ſui: futuri ſint quaſi caminus ignis in lignis, vt deuorent infructuoſas arbores, & ſicut faces in ſtipula: vt quodcunq; frumentum non habet, & circumfertur omni vento doctrinæ, tradatur incendio. Et deuorabunt (inquit duces Iuda & tribuum ad dextram & ad ſiniſtram eos qui in medio itinere incedere noluerunt: neſcierunt ὑπερβολὰς εἶναι κακίας, vnde Dei populus pollicetur: nec ad dextram nec ad ſiniſtram declinabimus: via regia gradiemur. *Ibid. Fol. 265. facie 1.*

*Duces & tribum nominis Chriſtiani quaſi caminus ignis in lignis hæreticorũ. Numer. 20.*

Nos dicimus, omnes perſecutores, qui afflixerunt Eccleſiam Domini, vt taceamus de futuris cruciatibus, etiam in præſenti ſæculo recepiſſe quæ fecerint. Legamus Eccleſiaſticas hiſtorias: quid Valerianus, quid Deci⁹, quid Diocletianus, quid Maximinianus, quid ſęuiſsimus omniũ Maximin⁹, & nuper Iulian⁹ paſsi ſunt, & tũc reb⁹ probabimus etiã iuxta litteram, prophetiæ veritatem eſſe completam: quod computruerint carnes eorum, & oculi contabuerint, & lingua in pedorem & ſaniem diſſoluta ſit. Porrò ſi ex hoc dicto hæreticis crudelitas Dei videtur oſtendi, audiant hæc vniuerſa fieri, vt deficientibus malis ſuccreſcant bona. Qui enim in Domino & cum Domino ſteterit, defluent eius carnalia, vt oriantur ſpiritualia: & oculi qui malè videbant, ardeant de foraminib⁹ ſuis, vt alij reponantur, qui poſsint Dominum ſuſcipere cum propheta dicente: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Et lingua blaſphemans ideo computreſcet, vt altera lingua naſcatur, quę glorificet Deum, & poſsit dicere: lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam, tota die laudem tuam. Vnde & Simeon ſuſcipiens in vlnis infantem, & futura prænuncians, ait: Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & reſurrectionem multorũ: vt mala cadant, & optima ſuſcitentur. Vnde & Dominus: In iudicium, inquit, ego veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant. Non videbat gentilium populus, & poſt fidem Chriſti cœpit veritatis lumen aſpicere, quæ loquitur per prophetam: Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me: euãgelizare pauperibus miſit me, prædicare captiuis remiſsionem, & cæcis vt videant, & illuminentur ſapientia, de qua ſcriptum eſt: Sapientia hominis illuminat faciem eius: Et in Pſalmis legimus: Dominus illuminet cæcos, ſiue ſapientes facit: Hoc enim magis ſignificat σοφοῖ. Videbãt Iudæi, & quia lumen recipere noluerũt, æterna

*Pœnæ perſequutorum eccleſiæ imperatorum gẽtilium & hæreticorũ.*

*Pſal. 122. Ibid 70. Lucæ 2. Ioan. 9. Eſaiæ 61. Pſal. 8. Pſal. 145.*

cæci.



cæcitate cõoperti ſunt. *Tom. 5. lib. 3. Com. in cap. 14. Zach. Fol. 271. fac. 2.*

*Hæretici qui habent veſtem bonæ vitæ non recipiendi ob dogmatum nequitiam.*

NON omnis qui dicit mihi Domine Domine: &c.] Sicut ſupra dixerat, eos qui haberent veſtem bonæ vitæ, non recipiendos propter dogmatum nequitiam: ita nunc è contrario aſſerit, ne hic quidem accommodandam fidem, qui cũ polleant integritate fidei, turpiter viuunt, & doctrinæ integritatem malis operibus deſtruunt. Vtrunque enim Dei ſeruis neceſſarium eſt: vt & opus ſermone & ſermo operibus comprobetur. Huic ſententiæ poteſt illud videre contrarium: Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in ſpiritu Sancto. Sed moris eſt ſcripturarum, dicta pro factis accipere: vt ſtatim in conſequentibus approbatur refutari eos qui iactant ſine operibus habere ſcientiam Domini, & audiunt à Saluatore: diſcedite à me operarij iniquitatis, neſcio vos. Et Apoſtolus in hunc ſenſum loquitur: confitentur ſe noſſe Deum factis autem negant. *Tomo ſexto, libr. 1. Commentar. in cap. 7. Matth. Cano. 10. facie 2.*

*1. Cor. 12. Lucæ 13. Titum 1.*

SPIRITVALITER poſſumus dicere: Cum perſecuti nos fuerint in vna ciuitate, hoc eſt, in vno ſcripturarum libro vel teſtimonio: nos fugiamus ad alias ciuitates, id eſt, ad alia volumina. Quamuis contentioſus fuerit perſecutor, ante præſidium Saluatoris adueniet: quam aduerſarijs victoria concedatur. *Tom. 6. libro primo Commentariorum in cap. 10. Matthæi Canone 16. facie ſecunda in ſine.*

*Hæretici ſcripturis conuincendi.*

QVOD autem dicitur: Ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul & frumentum: datur locus pœnitentiæ & monemur ne cito amputemus fratrem: quia fieri poteſt, vt ille qui hodie noxio deprauatus eſt dogmate, cras reſipiſcat, & defendere incipiat veritatem. Illud quoque quod ſequitur: Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem: videtur illi præcepto eſſe contrarium Auferte malum de medio veſtrum: & nequaquam ſocietatem habẽdam cùm his qui fratres nominentur, & ſunt adulteri & fornicatores. Si enim prohibetur eradicatio, & vſque ad meſſem tenenda eſt patientia: quomodo eijciendi ſunt quidam de medio veſtrum? Inter triticum & zizania, quod nos appellamus lolium, quamdiu herba eſt, & nondum culmus venit ad ſpicam, grandis ſimilitudo eſt, & in diſcernendo aut nulla aut perdifficilis diſtantia. Præmonet ergo Dominus, ne vbi quid ambiguum eſt, cito ſententiam proferamus: ſed Deo iudici terminum reſeruemus: vt cum dies iudicij venerit, ille non ſuſpicionem criminis, ſed manifeſtum reatum de ſanctorum cætu eijciat. Quod autem dixit, zizaniorum faſciculos ignibus tradi, & triticum congregari in horrea: manifeſtum eſt hæreticos quoſque & hypocritas fidei, gehennæ ignibus concremandos: Sanctos verò qui appellantur triticum, horreis, id eſt, manſionibus cæleſtibus ſuſcipi. *Tom. 6. lib. ſecundo Commentariorum in caput decimum tertium Matthæi. Cano. 26. facie 2. in principio.*

*Antinomia duorum locorum reconciliatur. 1. Col 5.*

*Hæretici gehennæ ignib. cremandi.*

PORRÒ ἀνάθεμα verbum propriè Iudæorum eſt, & poſitum eſt tam in Ieſu Naue, quam in numeris: Quando omnia quæ erant in Hiericho & Madianitarum, deteſtationi & anathemate habenda Dominus imperauit. Interrogemus eos, qui Chriſtum & Apoſtolũ Paulũ, boni Dei & vſq; ad illud tempus ignorati; vel filium aſſerũt eſſe vel ſeruum, qui maledicere neſciat, nec nouerit aliquem condemnare: quo modo nunc Apoſtolus eius verbo, Iudæorum, id eſt, creatoris vtatur, & perire vel Angelum vel Apoſtolum velit, cùm ipſe non ſoleat vlciſci. Quod autem addidit: ſicut prædiximus, & nũc iterum dico, oſtendit ſe & in principio hoc ipſum cauẽtem denunciaſſe anathema eis, qui aliter prædicaturi erant, & nunc poſtquam prædicatum eſt, id anathema decernere quod ante prædixerat. Propterea autem & ſibi, quem aliud in Iudæa facere, aliud docere in gentibus criminabũtur, & angelo, quem maiorem etiam præceſſoribus ſuis Apoſtolis eſſe conſtabat, anathema denunciauit. vt non magna Petri & Ioannis putaretur authoritas: cùm nec ſibi liceret, qui eos ante docuerat, nec Angelo aliter prædicare, quàm ſemel didicerant: Se itaq; & Angelum nominatum poſuit: alios verò abſq; nomine. Si quis; inquit, vobis euãgelizauerit vt in generali vocabulo, nec præceſſoribus faceret iniuriam, & tamẽ nomina eorum latenter oſtenderet. *Tom. 6. lib. 1. Commen. in cap. 1. ad Galat. Fol. 1 : 2. facie 1.*

*Ioſue 6. cap. Nume. 21.*

*Anathema denunciatur hæreticis.*

*Seueritas noui teſtamenti in hæreticos.*

OBSERVANDVM quod operari virtutes dicantur in his, qui non tenent Euangelij veritatem, ſicut in illis qui Dominum non ſapientes, in nomine eius ſigna faciebant: Ioanne vel maximè conſequente, Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non ſequitur nobiſcum: Hoc aduerſum hæreticos, qui approbationem fidei ſuæ ex eo ſi ſignum aliquod fecerint, arbitrantur. Qui cùm manducauerint & biberint in nomine Domini (habent quippe & ipſi altare ſacrilegum) & ſigna multa inuocato Saluatore feciſſe ſe iactent, in die iudicij merebuntur audire: Non noui vos, diſcedite à me qui operamini iniquitatem. *Tomo ſexto, libro primo Commentariorum, in tertium ad Galatas, Folio 131. facie ſecunda in medio.*

*Lucæ 13.*

SENSVS itaque iſte: Nolite putare paucorum hominum, qui in Iudæa venientes aliud docẽt, inſidias contemnendas. Scintilla res parua eſt, & pene dum cernitur, non videtur, ſed ſi fomitem comprehenderit, & incrementa ſui quamuis paruus ignis inuenerit; mœnia, vrbes, latiſsimos ſaltus, regioneſq́ue conſumit. Fermentum quoque, cuius ad aliam partem in euangelio parabola temperata eſt, res modica videtur & nihili, ſed cum farinæ conſperſum, totam maſſam ſuo vigore corruperit, in illius vim trãſit omne quod mixtum eſt: Ita & doctrina peruerſa ab vno incipiens vix duos aut tres primũ in exordio reperit auditores, ſed paulatim vt cancer ſerpit in corpore, & iuxta vulgare prouerbium, vnius pecudis ſcabies, totum commaculet gregem. Igitur & ſcintilla ſtatim vt apparuerit, extinguenda eſt, & fermentum à maſſæ vicinia ſemouendum, ſecandæ putridæ carnes, & ſcabioſum animal à caulis ouium repellendum, ne tota domus, maſſa, corpus, & pecora ardeat, corrumpatur, putreſcat, intereãt. Arius in Alexandria vna ſcintilla fuit, ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt, totum orbem eius flamma populata eſt. *Tomo ſexto libro tertio Commentariorum in caput quintum ad Galatas, Folio centeſimo quadrageſimo octauo facie 2.*

*Vis hæreſeos quatuor ſimilibus illuſtratur.*

*1. Timoth. 2.*

*Hæreſis ſtatim initio opprimenda.*

*Antipophora obiectionis.*

VTINAM & abſcindantur, qui vos conturbant, &c. ]Quæritur quomodo Paulus diſcipulus eius, qui ait: Benedicite maledicentibus vobis: & ipſe loquens: Benedicite, & nolite maledicere: & in alio loco: Neque maledici regnum Dei pòſsidebunt: Nunc & maledixerit eis, qui Eccleſias Galatiæ conturbabant: & cùm optantis voto maledixerit: vtinam & abſcindantur, qui vos conturbant. Tam enim deteſtanda abſciſionis eſt paſsiò, vt & qui inuitis eã intulerit, legibus publicis puniatur, & qui ſeipſum caſtrauerit, infamis habeatur. Vt enim illud (aiunt) verum ſit: viuit in me Chriſtus, & hoc: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus, certè maledictionis vox, non poteſt eius intelligi, qui dicit: diſcite à me quia mitis ſum & humilis, & manſuetus corde. Et magis putatur Iudaico furore, & quadam effrenata inſania ſe non potuiſſe cohibere, quàm imitatus eſſe eum, qui tanquam agnus coram tondente ſe, non aperuit os ſuum, & maledicentibus non remaledixit. Tradidit autem ſe morti condemnatus. Ad quod qui pro Paulo reſpondebit, hæc dicet: Non tam furoris in aduerſarios, quàm dilectionis in Eccleſia Dei verba eſſe quæ locutus ſit. Videbat quippe totam Prouinciam, quam ipſe ſuo ſanguine & periculis ab idololatria ad Chriſti transduxerat fidem, ſubita perſuaſione turbatam, & dolore Apoſtolico, dolore patris ſe tenere non poterat: mutabat vocem, & quibus blanditus fuerat, iraſcebatur, vt quos nequiuerat lenitate, ſaltem obiurgatione retineret. Non mirum eſt, ſi Apoſtolus vt homo, & adhuc vaſculo clauſus infirmo, videnſque aliam legem in corpore ſuo captiuantem ſe, & ducentem in lege peccati, ſemel fuerit hoc locutus: in quod frequenter ſanctos viros cadere perſpicimus. Sed & illud dici poteſt (licet ſuperfluum quibuſdam videatur) quod Paulus non tam maledixerit eis, quàm orauerit pro illis: vt eas partes corporis perderẽt, per quas delinquere cogebantur. Et quomodo in Euangelio dictum eſt: melius eſſe aliquẽ ſine oculo, & ſine manu, & ſine pede, & qualibet alia parte membrorum intrare in regnum cælorum, quàm totum ire in gehennam: Ita & nunc optare eis magis vnam partem corporis perdere, quàm per occaſionem integri corporis perpetuo igne damnari. Hic locus ſi quando ab Ethnicis reprehenditur: quomodo eis reſponderi poſsit, oſtendimus. Nunc à nobis contra hæreticos proferatur: Marcionem videlicet & Valentinum, & omnes qui contra vetus latrant teſtamentum: qua ratione illi, qui creatorem ſanguinarium, ſeuerum bellatorem, & tantùm iudicem criminantur, hoc in Apoſtolo Dei boni valeant excuſare. Et certè, nullam puto in veteri lege tam trucem, tam cruentam in aliquos eſſe ſententiam, quam vtinam abſcindantur, qui vos conturbant. Nec poſſunt dicere oraſſe Apoſtolum pro inimicis Chriſti, qui eius Eccleſias conturbabant: nec ex dilectione prolatum, quod tumore & indignatione plenum, ipſo verborum pondere demonſtratur. Quicquid ergo illi pro Apoſtolo excuſationis attulerint, hoc nos pro lege veteri defendemus. *Tomo 6. lib. 3. Commentatior. in cap. 5. ad Galat. as, Fol. 149. facie prima.*

*Lucæ 6.*
*Rom. 12.*
*1. Cor, 15.*
*1. Cor 13.*
*Matth. 11.*
*Eſaiæ 53.*
*1 Petr. 2.*
*Zelus Pauli pro Eccleſia contra hæreticos.*
*Roman. 7.*
*Matth. 18.*
*Seueritas nõ ſolùm veteris, ſed & noui teſtamenti in hæreticos.*

QVIA verus ſol, ſicut occidit ſuper malos Prophetas, iuxta illud quod ſcriptum eſt: Occidit ſol ſuper Prophetas veſtras meridie, ita etiam ſuper omnes occidit peccatores: nequaquam eis ortus ſui lumen indulgens: præcipit nunc Apoſtolus, ne talia faciamus furore ſuperati, per quæ nobis ſol occidat, & principale cordis tenebris inuoluatur. *Tom. 6. lib. 2. Commen. in cap. 4. ad Epheſ. Fol. 182. facie 1.*

*Amos 8.*
*Sol occidit hæreticis.*

HAERETICVM hominem poſt vnam correptionem, ſiue vt in Græco melius habetur νουθεσίαν deuita, νουθεσία autem commonitionẽ magis & doctrinam abſque increpatione ſignificat. Legitur in Latinis Codicibus (quod verum Papa quoque Athanaſius approbabat) poſt vnam atque alteram correptionem, quod ſcilicet non ſufficiat tantum ſemel eum corripi, vel commoneri, qui aliquo ſit deprauatus errore, ſed & ſecunda ſit ei adhibẽda doctrina: vt in ore duorum aut trium teſtium ſtet omne verbum. Quare autem poſt primam & ſecundam correptionem deuitandus ſit, reddit cauſas dicens: quod ſubuerſus eſt eiuſmodi, & peccat cùm ſit à ſemet ipſo damnatus. Qui enim ſemel biſque correptus, audito errore ſuo non vult corrigi, errare exiſtimat corrigentem, & è contrariò ſe ad pugnas & iurgia verborum parans, eum vult lucri facere à quo dicitur. Propterea verò à ſemetipſo dicitur eſſe damnatus: quia fornicator, adulter, homicida, & cætera vitia per Sacerdotes de Eccleſia propelluntur: Hęretici autem in ſemet ipſos ſententiam ferunt, ſuo arbitrio de Eccleſia recedentes; quæ receſsio, propriẹ conſcientiẹ videtur eſſe damnatio. *Tom. 6. libr. primo Commentariorum in caput tertium ad Titum, Fol. 209. facie 1. in fine.*

*Hæretici quoties corripiendi.*
*Hæretici vitandi.*
*Matth. 18.*
*Hæretici proprio iudicio condemnati.*

IN fouea mortis, quam patefecerat ipſe prior perijt, ſicut de Ario ſcriptum eſt, hoc eſt, niſi conuerſi fueritis: niſi egeritis pœnitentiam, diabolus ſemper paratum habet arcum, emittet ſagittas, quibus nos percutiat. *Tom. 7. Commentariorum in Pſalmum ſeptimum, Folio ſexto, facie 2. à fine.*

*Arij interitus.*

OMNIA conciliabula hæreticorum, foueæ diaboli ſunt. *Ibidem.*

NON mouebor à generatione carnali, in generationem ſpiritalem, id eſt, de terra cum corpore in cœlum conſcendam, ſine malo: ac ſi dicat, ſine vlla iniuria. Cùm voluerit aſcẽdere ad montem Olíueti, Dominus eum interficiet ſpiritu oris ſui. Voluit vnus de membris ſuis Simon Magus cælum conſcendere, ſed interijt. *Tom. ſeptimo Commentariorum in Pſalmum 9. Folio 9. facie 2.*

*Simonis Magi mors.*

ET hæreticorum filij ſimiliter condemnationem habebunt. Qui ſunt reliquiẹ eorum: ipſorum diſcipuli, qui de illa mala doctrina eorum regenerati ſunt. *Tom. 7. Comment. in Pſal. 16. Fol. 17. facie 1.*

FRAMEA intelligitur anima vniuſcuiuſque ſancti: Quia Deus per animas ſanctas facit vindictam: ſicut per Petrum facit de Anania & Sapphira, & per Eliam de quinquagenarijs viris. *To. 7. Comm. in Pſal. 34. Fol. 42. facie 2.*

*Ananiæ & Sapphiræ pœna.*
*Actor. 5.*
*4. Reg. 1.*

NVNC & ipſi hæretici licet per Ariſtotelem & Platonem videantur ſimplicitatem Eccleſiæ contemnere: tamen quãdo venerint ad ſcripturas, ſtatim abſorbẽtur à petra, hoc eſt, à Chriſto, & conuertentur ad eum. Abſorptio enim pro victoria dicitur: ſicut Apoſtolus dicit: Abſorpta eſt mors in victoria, vbi eſt mors victoria tua? vbi inferne ſtimulus tuus? Victoriam autem dicit ipſam abſorptionem, quam victoriam habebat in abſorbendo. *Tomo ſeptimo Commentariorum in Pſalmum centeſimum quadrageſimum, Folio centeſimo ſeptuageſimoquarto, facie ſecunda.*

*Heliæ anim aduerſio in hæreticos.*



*1. Corin. 15.*

QVANDO videris Arium, Eunomium extra Eccleſiam: intellige diſsipata eſſe oſſa Domini ſecus infernum. Oſſa quæ fortia ſunt, ipſi maiores ſunt, qui videntur aliquid eſſe: Diſsipata autem ſunt, ſecus infernum, quando per multiloquium ipſorum, & per Philoſophiam & contemptionem alij inducuntur in hæreſim. *Ibidem, Folio centeſimo ſeptuageſimo quinto, facie prima.*

VIDES quod iſti ſancti, gladios iſtos ancipites, de ore Domini ſuſceperunt? Dominus ergo gladios de ore ſuo donat ſanctis ſuis. Gladium ancipitem, hoc ẽſt, ſermonem doctrinæ ſuæ. Gladium ancipitem, & ſecundum hiſtoriam, & ſecundum allegoriam, & ſecundum litteram, & ſecundum ſpiritum. Gladius iſte anceps duo capita habet, & de præſenti ſæculo, & de futuro. Et hic occidit aduerſarios, & in cœlo aperit regna cælorum. *Tomo ſeptimo Commentariorum in Pſalmum centeſimum quadrageſimum nonum, Folio centeſimo octuageſimoſexto, facie ſecunda.*

*Gladio ancipiti occidendi hæretici.*

## *Articulus XIIII. Hæretici libros confictis falſis nominibus edunt.*

VNDE ſciam quod Pamphili ſit? videlicet ſtylus & ſaliua docere me poterit. Nunquam credam quod doctus vir primos ingenij ſui fructus quæſtionibus & infamiæ dedicarit: & ipſum nomen Apologetici oſtendit accuſationem: non enim defenditur, niſi quod in crimine eſt. Vnum nunc proferam, cui contradicere vel ſtulti ſit, vel impudentis. Sexti libri Euſebij ſuper Origenis defenſione principium vſque ad mille fermè verſus liber iſte, qui Pamphili dicitur, continet. Et in reliquis ſcriptor eiuſdem operis profert teſtimonia, quibus nititur approbare Origenem fuiſſe Catholicum. Euſebius & Pamphilus tantam inter ſe habuère concordiam, vt vnius animæ homines putes, & ab vno alter nomen acceperit. Quomodo igitur inter ſe diſſentire potuerunt, vt Euſebius in toto opere tuo Origenem Ariani probet dogmatis, & Pamphilus Nicenæ Synodi, quæ fuit poſtea, defenſorem? Ex quo oſtenditur, vel Didymi, vel cuiuſlibet alterius eſſe opuſculum, qui ſexti libri capite truncato, cætera membra ſociarit. *Tom. 2. epiſtola 65. ad Pammachium, & Oceanum, capite 4. in medio.*

*Liber confictus ſub nomine Pamphili excogitato.*

DEFENSOR Origenis & laudator Pamphili, dicit Pamphilum nihil omnino ſcripſiſſe; nec proprij quicquam condidiſſe ſermonis. Et hoc dicit, iam Pamphilo martyrio coronato: ne habeas ſuffugiũ, poſt editos ab Euſebio libros hoc Pamphilũ ſcripſiſſe. Quid facies? Eo libro, quẽ ſub nomine martyris edidiſti, vulneratæ ſunt conſcientiæ plurimorum. & cæt. *Tomo ſecundo, libro primo, aduerſus Ruffinum, capite ſecundo, in medio.*

*Sub commentito titulo Pãphili martyris liber hæreticus editus in lucem*

NVNC tantùm tuis aſſertionibus obuiaſſe ſufficiat, & hoc breuiter prudentem inſtruxiſſe Lectorem, me iſtum librũ, qui in nomine Pamphili ferebatur, vidiſſe primum ſcriptum in Codice tuo; & quia non erat mihi curæ, quid pro hæretico diceretur, ſic ſemper habuiſſe quaſi diuerſum eſſet opus Pamphili & Euſebij; poſtea verò quæſtione mota, ſcriptis eorum reſpondere voluiſſe, & ob hanc cauſam legiſſe, quid pro Origene vnuſquiſque ſentiret; perſpicuẹque deprehendiſſe, quod primus liber ſex Voluminum Euſebij ipſe eſſet, qui vnus ſub nomine Pamphili à te editus eſt, tam Græcè, quàm Latinè, immutatis duntaxat ſenſibus de Filio, & Spiritu ſancto, qui apertam blaſphemiam præferebant. Vnde etiam ante annos fermè decem, cùm Dexter, amicus meus, qui prẹfecturam adminiſtrauit prẹtorij, me rogaſſet vt auctorum noſtrẹ religionis ei indicem texerem: inter cæteros tractatores poſui & hũc librum à Pamphilo editum, ita putans eſſe, vt à te & tuis diſcipulis fuerat diuulgatum. Sed cum ipſe dicat Euſebius, Pamphilum nihil ſcripſiſſe exceptis breuibus epiſtolis ad amicos; & primus liber ſex Voluminum illius, eadem & eiſdem verbis contineat, quæ ſub nomine Pamphili à te ficta ſunt: Perſpicuum eſt, te idcirco librum hunc diſſeminare voluiſſe, vt ſub perſona martyris hẹreſim introduceres. Cumque de ipſo libro, quem Pamphili ſimulas, multa peruerteris; & aliter in Græco, aliter in Latino ſit: Fraudem tuam errori meo imputare non debes. Credidi enim eius eſſe librum, quem titulus prẹferebat, ſicut περὶ ἀρχῶν, & multa alia Origenis opera, plurimorumque Græciæ tractatorum, quæ aut ante non legi, aut nunc compellor legere quæſtione hæreſeos ſuſcitata: vt ſciam, quæ vitare debeam, quæ probare. Vnde & in adoleſcentia Homilias tantùm eius, quas loquebatur ad populum, & in omnibus non tantùm ſcandala tenebantur ſimpliciter rogantibus tranſtuli, nullis præiudicãs ex eis, quæ probantur, illa ſuſciperẽ, quæ manifeſta hæretica ſunt. certè vt compendium longi ſermonis faciam, ſicut ego oſtendo me ab his accepiſſe librum, qui de tuo Codice tranſcripſerunt; ſic tu doce, à quo exemplar acceperis; vt qui authorem libri dare alium non potuerit, ipſe falſitatis reus teneatur. Bonus homo de bono cordis theſauro profert illa, quæ bona ſunt; atque ex pomorum dulcedine generoſi ſeminis arbor agnoſcitur. *Tom. 2. libr. 1. aduerſus Ruffinum, cap. 6. Folio 248. in fine.*

*Sub nominẽ Pamphili ſictus liber editus.*
*Sub nomine martyris Pãphili hæreſim introducere voluerunt.*
*Matth. 12.*

DE Pamphili libro, non ridiculoſa; vt tu ſcribis, ſed ridicula mihi forte res accidit, vt poſtquam Euſebij aſſeruerim illum eſſe; non Pamphili, ad extremum dixerim, etiam annos plurimos me hoc putaſſe, quod Pamphili fuerit, & à te exemplar huius Voluminis mutuatum. Vide quantum timeam cachinnos tuos, vt etiam nunc eadem ingeram. De tuo Codice quaſi Pamphili exemplar accepimus. Credidi Chriſtiano, credidi Monacho: non putaui tantũm ſceleris à te poſſe confingi. Poſteà verò per interpretationem tuam, quæſtione contra Origenem toto orbe commota, in quærendis exemplaribus diligentior fui; & in Cæſarienſi

*Quomodo deprehenſus ab Hieronymo dolus emẽtiti tituli.*

Bibliotheca Euſebij ſex volumina reperi ἀπολογίας ὠριγένους. quæ cùm legiſſem, primũ enim librum deprehendi, quem tu ſolus ſub nomine Martyris edidiſti, de Filio, & de Spiritu ſancto, in bonam partem, pleriſq; blaſphemijs commutatis: & hoc vel Dydimum vel te, vel alium feciſſe, neſcio quem, quod tu apertiſsimè in libris. περὶ ἀρχῶν feciſſe cõuiceras: maximè cùm idem Euſebius, vt iã duobꝰ libris docui, ſcribat, Pamphilum nihil proprij operis edidiſſe; Dic ergo & tu à quo exemplar acceperis: nec mihi ad ſubterfugiendum crimen mortuos aliquos nomines; vt cùm authorem oſtendere non potueris; illum proferas, qui non poſsit reſpondere. Sin autem riuulus ille in tuis ſcrinijs fontem habet: quid ſequatur etiam me tacente non dubitas. verùm fac ab alio quolibet authore Origenis libri huius titulum, & authoris vocabulum commutatum: cur hoc in Latinam linguam vertis: videlicet vt teſtimonio martyris omnes Origenis ſcriptis crederent, præmiſſa munitione tanti autoris, & teſtis. Nec tibi ſufficit doctiſsimi viri Apologia, niſi ſcribas & proprium volumen, pro defenſione eius: quibus permultos diſſeminatis, tuto iam libros περὶ ἀρχῶν, vertis è Græco: & hoc ipſos præfatione commendas, dicens, nõnulla in his ab hæreticis deprauata, quæ tu de aliorum librorum Origenis lectione correxeris. Me quoque laudas ne tibi amicorum meorum quiſpiam contradicat, Origenis κήρυχα prædicas: eloquentiam meam fers in cælum: vt fidem in cęnum deprimas, fratrem & collegam vocas, & mutatorem te mei operis confiteris. Cumq́ue à me tranſlatas Origenis ſeptuaginta Homilias, & nonnullos Tomos in Apoſtolum iactes; in quibus ſic cuncta limauerim, vt nihil in illis, quod à fide Catholica diſcrepet, Latinus lector inueniat: nunc eoſdem libros hæreticos criminaris, & verſo ſtylo, quẽ prædicaueras, quia conſortem putabas, accuſas; quoniam perfidiæ tuæ cernis inimicum. Quis è duobus calumniator eſt martyris? Ego, qui illum dico hæreticum non fuiſſe, nec ſcripſiſſe librum, qui ab omnibus reprehenditur; an tu, qui volumen hominis Arriani, titulo commutato, ſub nomine martyris edidiſti? Non tibi ſufficit ſcandalũ Græciæ, niſi illud & Latinorum auribus ingeras, & inclitum martyrem, tua, quantum in te eſt, tranſlatione deformes. Tu quidem alia mente feciſti; non vt martyrem argueres, non vt me accuſares, ſed vt Origenis per nos ſcripta defenderes. *Tom. ſecundo, lib. 3. aduerſus Ruffinum, capite quarto, in principio.*

*Ruffinus volumen hominis Arriani titulo cõmutato ſub nomine martyris edidit.*

ILLAM temeritatem, immo inſaniam eius, quis digno poſsit explicare ſermone, quod librum Xyſti Pythagorei, hominis abſque Chriſto, atq; Ethnici, immutato nomine Xyſti martyris, & Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi prænotauit: in quo iuxta dogma Pythagoricorum, qui hominem exæquant Deo, & de eius dicunt eſſe ſubſtantia, multa de perfectione dicuntur; vt qui volumen Philoſophi neſciunt, ſub martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis. Denique in ipſo volumine nulla Prophetarum, nulla Patriarcharum, nulla Apoſtolorum, nulla Chriſti fit mentio: vt Epiſcopum & martyrem, ſine Chriſti fide fuiſſe contendat. Vndè & vos plurima contra Eccleſiam vſurpatis teſtimonia. Fecerat hoc & in Sancti Pamphili martyris nomine, vt librum primum, ſex librorum defenſionis Origenis, Euſebij Cæſarieſis, quem fuiſſe Arrianum, nemo eſt qui neſciat, nomine Pamphili martyris prænotaret; quo ſcilicet illa egregia quattuor Originis περὶ ἀρχῶν volumina Latinis infunderet auribus. *Tomo ſecundo, aduerſus Pelagium, ad Creſiphontem, capite ſecundo, Folio 264.*

*Xyſti Pythagorei liber immutato nomine Sixti martyris, & Epiſcopi inſignitus. Hier. 52.*

MISERABILIS Grunnius, qui ad calumniandos ſanctos viros aperuit os ſuum, linguamq́ue ſuam docuit mendacium, Sixti Pythagorei hominis gentiliſsimi, vnum librum interpretatus eſt in Latinum, diuiſitq́ue eum in duo volumina, & ſub nomine Sancti martyris Xyſti, vrbis Romanæ Epiſcopi, auſus eſt edere: in quibus nulla Chriſti, nulla Spiritus ſancti, nulla Dei Patris, nulla Patriarcharum, Prophetarum, & Apoſtolorum fit mentio: & hunc librum ſolita temeritate & inſania, anulum nominauit: qui permultas prouincias legitur, & maximè ab his qui ἀπάθειαν & impeccantiam prædicant. Quo modo igitur Dominus Iechoniam inſtar anuli de manu ſua, & digito ſe proiecturum cõminatur. Ita Lectorem obſecro, vt nefarium librum abijciat, legatq́ue ſi voluerit, vt cæteros Philoſophorum libros, non vt volumen Eccleſiaſticum. *Tom. 4. lib. 4. Comment. in cap. 22. Hier. Fol. 278. facie 1.*

*Sixtus Pythagoricus ſub nomine Sixti martyris et Epiſcopi editus.*

PVLCHRE in Xyſti Pythagorici ſententiolis dicitur: adulter eſt vxoris propriæ, amator ardentior. Quem librum quidem in Latinum transferens, martyris Xyſti nomine voluit illuſtrare: nõ conſiderans in toto Volumine, quod in duas partes fruſtra diuiſit, Chriſti nomen & Apoſtolorum omnino reticeri. Nec mirum ſi gentilem Philoſophum in martyrem, & Romanæ vrbis Epiſcopum tranſtulerit: cùm Euſebij quoque Cæſarienſis primum pro Origene librum, Pamphili martyris vocabulo commutarit: vt facilius tali laudatore, libros impijſsimos περὶ ἀρχῶν, Romanis conciliaret auribus. *Tomo quarto, libro 6. Commentariorum in cap. 18. Ezech. Fol. 384. facie 2.*

*Hæretici vt conciliẽt ſuæ ſectæ authoritatem, confingunt noua nomina & nouos titulos librorum.*

## *Articulus. XV. Cum hæreticis non eſt communicandum ſine ſatisfactione fidei, imo fugiendi.*

CVM obijceret nobis, quare ei communicaſtis, ſi hæreticus erat; audiuit ab omnibus, communicauimus nihil de hæreſi ſuſpicantes. Poſtquam verò à Beato Papa Epiphanio conuentus, tam ſermone, quàm litteris reſpondere contempſit; cunctis Monachis ab eodem Epiphanio ſcripta venerunt, vt abſque ſatisfactione fidei, nullus ei temerè communicaret. *Tomo ſecundo, epiſtola 61. ad Pammachium, capite 15. in medio.*

*Sine ſatisfactione fidei cum hæreticis non eſt cõmunicandũ*

TV autem, dum inter mulſum magiſtrorum, & venena pariter bibis, à magiſtro Apoſtolo receſsiſti, qui docet etiam Angelum, & ſe, ſi in fide errauerint, non ſequendos. *Tomo ſecundo, libro tertio aduerſus Ruffinum, capite quinto, in fine.*

*Etiam angeli in fide errantes non ſequendi. Galat. 2.*

ILLVDQVE per te ſanctæ & illuſtris domus conciliabulum precor atque commoneo, ne per vnum, aut vt multum, tres homunculos ſuſcipiant tantarum fœces hæreſeon, aut vt parum dicã, infamiam: vt vbi primũ virtus & ſanctitas laudatur, ibi præſumptionis diabolicæ, & ſordidiſsimæ ſocietatis turpitudo verſetur: ſciantq́ue qui huiuſcemodi hominibus opes ſuggerunt, hæreticorum multitudinem congregare, & Chriſti hoſtes facere, & enutrire aduerſarios eius, fruſtraq́ue aliud lingua prætendere, cũ manu ſentire aliud comprobentur. *Tom. 2. aduerſus Pelagium ad Creſiphontem cap. 5. in fine.*



*Fœces hæreticorum non ſuſcipiendæ.*

*Hypocryſis hæreticorũ.*

ATQVE vtinam apud vos quoque deponerent Hypocriſim qui occultè dicuntur ſubruere veritatem. de quibus non bene ſentientes, in eis regionibus fratres, hæc me ſcribere prouocarunt. Quamobrem cauete, & effugite huiuſcemodi homines, iuxta quod ſcriptum eſt: Si quis non affert ad vos Eccleſiaſticam fidem, huic nec aue dixeritis. Quanquam ex ſuperfluo faciam, hæc tibi ſcribere, qui errantes potes ab errore reuocare tamen nihil nocet & prudentes & eruditos viros pro ſolitudine fidei commoueri. *To. 2. epiſt. 72. ad Hieronimum.*

*Hæretici ne ſalutãdi quidem.*

INTER micantes gladios, iacentia corpora, riuos ſanguinis profluentes, iunguntur ſæpe hoſtiles dextræ; & belli rabiem pax repentina commutat. Soli ſunt huius hæreſeos ſectatores, qui cum Eccleſiaſticis non valent fœderari: quia quod ſermone coguntur dicere, mente condemnant, & ſi quando aperta blaſphemia publicis auribus fuerit reuelata; & viderint contra ſe audientium turbam circumfremere: tunc ſimulata ſimplicitate dicunt audiſſe ſe primum, quæ magiſtrum dicere ante neſcierint. Cumq́ue eorum ſcripta teneantur, voce negant, quod litteris confitentur. *To. 2 epiſt. 78. ad Pammach. & Marcellam. Fol. 303. facie 1.*

*Hipocryſis & duplex animus hæreticorum.*

1. Cor 5. APOSTOLVS præcipit, cum his qui auerſentur Deum, nec cibum quidem eſſe ſumendum.
2. Ioan. Et amplius: nec aue quidem huiuſmodi dixeritis. Et Saluator Apoſtolus interdicit, ne quen-
Lucæ. 10. quam in itinere ſalutent. Vnde & Heliſeus pergenti ad ſanandum puerum Giezi ſalutationẽ
4. Reg. 2. interdicit. Moris eſt lugentibus ferre cibos, & præparare conuiuium: quæ Græci περίδειπνα vocant, & à noſtris vulgo appellantur parentalia:
Prou. 31. eo quod parentibus iuſta celebrentur. Dicit & alibi ſcriptura: Date vinum, & his qui in luctu ſunt, vt videlicet obliuiſcantur doloris. Præcipitur ergo prophetæ, ne vllum de populo conſoletur, ne ſe miſceat inimicorum Dei conuiuijs, ne iuſta celebret ſuper funeribus defunctorum. Aliud eſt enim mori communi lege naturæ, aliud Dei occidiſſe ſententia. Abſtuli, inquit, pacem meam de populo iſto, miſericordia indigni ſunt, nulliq́ue ætati parcam, ſed & grandes & parui pariter interibunt, ita vt ſepultura quoque careant. Nec ſe incident, inquit, neque caluitium fiet pro eis. Mos hic fuit apud veteres, & vſque hodie in quibuſdam permanet Iudæorum, vt in luctibus incidant lacertos & caluitium faciant, quod etiam Iob feciſſe legimus.
Iob. 1. et 22. Vnde & prophetæ dicitur: ne frangat inter eos panem, nec ingrediatur ad conſolandum pro mortuo, neque potum tribuat, neque ingrediatur domum conuiuij, & ne miſceatur eis qui Dei ſententię præparati ſunt. Si autem hoc de lugẽtibus dicitur, quid fiet de hæreticis, quorũ ſermo ſerpit vt cancer: & quotidie proſternunt in Eccleſia funera deceptorum? *To. 4. lib. 3. Com. in c. 16. Hieremiæ, Fol. 265. fac. 2.*

*Hæretici nõ lugendi.*

*Cum hæreticis non eſt communicãdum.*

2. Tim 2.

NVLLI ergo credatis vobis Prophetarum, nec accommodetis aurem decipienti blanditiæ diuinorum: quia ſi inter chara nomina & cõſanguinitatis affectum rara eſt fides; quanto magis in his qui adulantes vobis mentiuntur præ præda ſua, & quaſi ægrotantibus, non quid vtile ſit ſed quid delectabile, & placens imperant? Nolite credere amico, & Achitophel quippe conſurrexit aduerſum Dauid, & verus Acithophel Iudas aduerſus Chriſtum. Et nolite fidere in duce: vt viri Sichem in Abimelech: ipſi enim eum fecerunt regem, & oppreſsi ſunt. Ab ea quę dormit in ſinu tuo cuſtodi clauſtra oris tui: ne patiaris quod Samſon à Daliſa perpeſſus eſt. Quia filius cõtumeliam facit patri: Abſalon videlicet Dauid, non ſolum regnum, ſed & cõcubinas patris inceſto coitu maculauit. Filia conſurgit contra matrem ſuam. Cuius rei cum interim de ſcripturis ſanctis teſtimonium non reperiamus, tanta exempla ſunt quotidianæ vitæ, vt magis lugere, quàm quærere debeamus. Nurus contra ſocrum ſuam: vt vxor Eſau conſurrexit contra Rebeccam. Inimici hominis viri domeſtici eius. Hic exempla non quæro: cum plura ſint, quam vt teſtimonijs indigeamus. *Tom. 5. lib. 2. Com. in c. 7. Michææ Fol. 166. facie 1. in fine.*

*Quanta diſſidia oriantur ex hæreſi etiam inter intimos.*

*2. Reg. 15. Matt 26. Iudicum. 9.*

*Ibid. 16. 2. Reg. 19.*

*Geneſ. 26.*

IVXTA tropologiam verò præcipitur nobis, qui Chriſti cenſemur nomine, ne in viam gentium, & hæreticorum ambulemus errorem: vt quorum religio ſeparata eſt, ſeparetur & vita. *Tomo ſexto libr. 1. Commentarior. in cap. 10. Matthæi, Canone 16. facie 2.*

*Quorum eſt ſeperata religio ſeparãda & vita.*

CAETERVM ſecundum Anagogen, non licet magiſtris aurum & argentum & pecuniam, quæ in zonis eſt, poſsidere. Aurum ſæpe legimus pro ſenſu, argentum pro ſermone, æs pro voce: Hæc nobis non licet ab alijs accipere, ſed data à Domino poſsidere: Neque hæreticorum & philoſophorum peruerſæq́ue doctrinæ ſuſcipere diſciplinas: non ſæculi pondere premi, neque duplici eſſe animo, neq; pedes noſtros mortiferis vinculis alligari, ſed ſanctam terram ingredientes eſſe nudos: neque habere virgam, quæ vertatur in colubrum: neque in aliquo pręſidio carnis inniti: quia iſtiuſmodi virga & baculus arundineus eſt, quem ſi paululum preſſeris, frangitur, & manum transfodit incumbẽtis. *Ibid. Cano. 16.*

*Hæreticorũ & philoſophorum peruerſæ doctrinæ fugiẽdæ. Eſaiæ. 36.*

NEC vllus eſt inter eos fidus affectus, quorũ diuerſa eſt fides. *Ibid. Canone. 16. facie 2.*

*Titum. 3.*

SINITE illos cæci ſunt, & duces cæcorum, &c.] Hoc eſt quod præceperat Apoſtolus: hereticum hominem poſt vnam aut alteram correptionem deuita: ſciens quod peruerſus ſit huiuſcemodi, & à ſemetipſo damnatus. In hunc ſenſum & ſaluator præcipit doctores peſsimos dimittendos arbitrio ſuo: ſciens eos difficulter ad veritatem poſſe trahi, & cœcos eſſe & cœcũ populum in errorem trahere. *Tom. 6. Comment. in caput 15. Matthæi Canone 30. facie 2. in fine.*

## *Articulus XVI. hæreticis non eſt parcendum ſed acriter & ſerio ijs reſiſtēdum grauiterque refellendi ſunt, & fides catholica ſtrenuè defendenda.*

ADVERSVS eos autem, qui me dicunt hoc opus inflammatum inuidiæ facibus ſcribere, breuiter reſpondeo, nunquam me hæreticis peperciſſe; & omni egiſſe ſtudio, vt hoſtes Eccleſiæ mei quoq; hoſtes fierent. Heluidius ſcripſit contra ſanctæ Mariæ virginitatem perpetuam. Nunquid, vt ei reſponderé, ductus inuidia ſum, quem omnino in carne non vidi? Iouinianus, cuius, ô Pelagi, à te nunc hæreſis ſuſcitatur. Romanam fidem, me abſente, turbauit, tam elinguis, & ſermonis putidi, vt magis miſericordia dignus fuerit, quàm inuidia. Illi quoq; reſpondi, vt potui. Ruffinus nō vni vrbi, ſed orbi blaſphemias Origenis, & περὶ ἀρχῶν libros, quantum in ſe fuit, intulit: ita vt Euſebij quoq; primum librū defenſionis Origenis ſub nomine Pamphili martyris ederet; & quaſi ille parum dixiſſet, nouum pro eo volumen euomeret. Num inuidemus ei, quia reſpondimus, & tanta in eo eloquentiæ fuere fulmina, vt me à ſcribendi atq; dictandi ſtudio deterrerent? Palladius, ſeruus nequitiæ, eādem hæreſim inſtaurare conatus eſt & nouam translationis Hebraicæ mihi calumniam ſtruere. Num & illius ingenio nobilitatiq; inuidimus? Nunc quoq; myſterium iniquitatis operatur: & garrit vnuſquiſq; quod ſentit: ego ſolus ſum, qui cunctorum gloria mordear; & tam miſer, vt ijs quoque inuideam, qui nō merentur inuidiam. vndè, ſcripſi, vt omnibus probarem me non odiſſe homines, ſed errores, nec aliquorum infamiam quærere, magisq; dolere vicem eorū, qui falſi nominis ſcientia ſupplantentur. *Tomo 2. in Proœmio, in Dialogos aduerſus Pelagianos, Folio 268. facie 2.*

*Hoſtes Eccleſiæ et noſtri hoſtes habendi.*

*Contra quos hæreticos quaq; cauſa motus ſcripſerit Hieronymus.*

CRITO. cogis, vt ad inuidioſum illud veniam, & dicam tibi: Quid enim peccauerunt? vt ſtatim in me populorum lapides cōijcias, & quē viribus non potes, voluntate interficias. Atti. Ille hæreticum interficit, qui eſſe hæreticum patitur. Cæterùm noſtra correptio, viuificatio eſt: vt hæreſi moriens, viuas Catholicæ fidei. Crito. Si nos ſcitis hæreticos, cur non accuſatis? Atti. Quia Apoſtolus me docet hæreticum poſt vnā & ſecundam correptionem vitare, nō accuſare, ſciens quia peruerſus ſit, & ſuo iudicio damnatus. Alioqui ſtultiſsimū eſt, ſuper fide mea me ex alterius pendere iudicio. Quid enim, ſi te alius Catholicum dixerit, ſtatim ne aſſenſum tribuam? Quicunq; te defenderit, & peruerſa credentem benè ſentire dixerit; non hoc agit, vt te infamia liberet, ſed vt ſe infamet perfidiæ. Multitudo ſociorum nequaquam te Catholicū, ſed hæreticum eſſe demonſtrabit. verùm hęc Eccleſiaſtico calcentur pede, ne quaſi paruulis flentibus triſtior quædam imago mōſtretur. Hoc nobis praſtet Dei timor, vt omnes alios contemnamus timores. Proinde aut defende, quod credis; aut relinque quod defendere non potes. Quemcunq; in defenſionem tui adduxeris, non patronum ſed ſocium nominabis. *To. 2. lib. 3. Dial. aduerſ. Pelag, cap. 6. in princ.*

*Corripendi hæretici, vt hæreſi morientes, viuāt Catholicæ fidei.*

*ad Tit. 3.*

*Dei timore omnes alij timores contemnendi.*

SVPER nefaria hæreſi, quod multā patientiam geris, & putas Eccleſiæ viſceribus incubātes tua poſſe corrigi lenitate, multis ſanctis diſpicet: ne dum paucorum pœnitentiam præſtolaris, nutrias audaciam perditorum, & factio robuſtior fiat. *Tom. 2. epiſt. 68. ad Theophilum.*

SANCTVS Epiſcopus Agatho, cum dilectiſſimo Diacono Athanaſio in Eccleſiaſtica directus eſt cauſa: quam cùm didiceris, non ambigo quin noſtrum ſtudium probes, & in Eccleſię victoria glorieris. Namque Origenis hæreſim in monaſterijs Nitriæ quidam nequam & furioſi homines ſerere & fundere cupientes, Prophetica falce ſucciſi ſunt. quia recordati ſumus commonentis Apoſtoli: Argue eos ſeuerè. Feſtina igitur & tu, partem huius præmij recepturus, deceptos quoſq; emēdare ſermonibus. Optamus, ſi fieri poteſt, in diebus noſtris Catholicam fidē, & Eccleſiæ regulas cum ſubiectis nobis populis cuſtodire, & omnes nouas ſopire doctrinas. *Ibi. epiſt. 69. ad Hieronymum.*

*Catholica fides et Eccleſiæ regulæ cuſtodiendæ & omnes nouæ doctrinæ ſopiēdæ.*

NVPER tuæ beatitudinis percepi ſcripta, emendantia vetus ſilentium, & me ad ſolitum officium prouocantia. vnde licet per ſanctos fratres, Priſcum & Ebulium, tuus ad nos ſermo ceſſauerit: tamen quia vidimus illos, zelo fidei concitatos, raptim Palæſtinæ luſtraſſe regiones, & diſperſos regulos vſque ad ſuas latebras perſecutos; breuiter ſcribimus, quod totus mundus exultet, & in tuis victorijs glorietur; erectumque Alexandriæ vexillum crucis, & aduerſus hæreſim trophæa fulgentia, gaudens populorum turba proſpectet. Macte virtute, macte zelo fidei, oſtendiſti quod hucuſque taciturnitas diſpenſatio fuit, non conſenſus. Liberè enim tuæ reuerētiæ loquor. Dolebamus te nimium eſſe patientem; & ignorantes magiſtri gubernacula, geſtiebamus in interitum perditorum. Sed vt video, exaltaſti manum diu, & ſuſpēdiſti plagam, vt ferires fortius. *Tomo ſecundo, epiſtola ſeptuageſima ad Theophilum.*

*Aduerſus hæreſim trophæa fulgentia gaudens populorum turba proſpectat.*

DVPLICEM mihi gratiam beatitudinis tuæ litteræ præſtiterunt; quod & ſanctos & venerabiles Agathonem Epiſcopum, & diaconum Athanaſium habuerint portitores, & aduerſum ſceleratiſsimam hæreſim zelum fidei demonſtrarint. Vox beatitudinis tuæ in toto orbe pertonuit, & cunctis Chriſti Eccleſijs lætātibus diaboli venena ſiluere. Nequaquam amplius antiquus ſerpens ſibilat; ſed cōtortus & euiſceratus, in cauernarum tenebris deliteſcens, ſolem clarū ferre non ſuſtinet. qui quidem ſuper hac re, & antequam ſcriberes ad occidentem epiſtolas miſeram, ex parte ſtrophas meæ linguę hominibus indicans. Ex diſpenſatione Dei factum puto, vt eo in tempore tu quoq; ad Anaſtaſium Papam ſcriberes, & noſtram dum ignoras ſententiam roborares. verùm à te nunc admoniti, magis ſtudium accommodabimus, vt hic & procul ſimplices ab errore reuocemus. Nec timeamus ſubire odia quorundam: non enim debemus hominibus placere, ſed Deo: quamquam ardentius ab illis defendatur hæreſis, quàm à nobis oppugnetur. *Tomo ſecundo, epiſtola 71. ad Theophilum in principio.*

*Zelus fidei in Theophilo.*

*Ad Pontificem referebatur cenſura de hæreſibus.*

MEAM iniuriam patienter tuli: impietatem contra Deum ferre non potui. *Tom. 2. epiſt. 75. ad Vigilantium, in fine.*

VBI



*Hæreſes ſimulant ſe habere conſenſum ſanctorum Patrum.*

VBI nūc eſt Coluber tortuoſus? vbi veneno ſiſsima vipera? Prima hominis facies, vtero cōmiſſa luporum. Vbi hæreſis, quę ſibilat in mundo; & in me, & Papam Theophilum ſui iactabat erroris; latratuq; impudentiſsimorum canum ad inducendos ſimplices, noſtrum mentiebatur aſſenſum? oppreſſa eſt eius authoritate, & eloquentia & in morem dæmoniacorū ſpirituum de terra loquitur. Neſcit enim eum qui deſurſū veniens, ea loquitur quæ ſurſum ſunt. Atque vtinam ſerpentum generatio aut ſimpliciter noſtra fateatur, aut conſtanter defendat ſua: vt ſcire valeamus, qui nobis amandi ſint, qui cauēdi. Nunc autem, nouum pœnitentiæ genus, oderūt nos quaſi hoſtes: quorum fidem publicè negare non audent. Rogo, quis eſt iſte dolor, qui nec tēpore nec ratione curatur? *Ibid. epiſt. 78. ad Pamach. & Marcellam.*

QVAMVIS Ananias filius Azur repugnet Hieremiæ: & Semeias Nehelamites prophetam mitti cupiat in carcerem, & Sophonias Sacerdos in pſeudoprophetarum verba coniuret: tamen veritas claudi & ligari poteſt, vinci non poteſt: quæ & ſuorum paucitate contenta eſt, & multitudine hoſtium non terretur. Erige itaque cum Moyſe ad cælum manus, & antiquum ſerpentē in eremo ſuſpende: ſtatimque & Amelech delebitur, & venenati morſus non præualebunt: ſecuruſque populus Domini cum Ieſu Iordanis fluenta tranſibit, & poſt vaſtam ſolitudinem, comedet panem, qui in Bethlehem noſtro natus eſt viculo. *Tom. 4. in proœmio libro quintǫ Commen. in Hieremiam.*

*Veritas Catholica ligari poteſt vinci nō poteſt.*

*Exod. 12.*

*Quomodo ſuperandi ſerpentes hæretici.*

DIXIMVS iuxta hiſtoriā, tranſeamus ad intelligentiam ſpiritualem, vt cum ſenibus audire poſsimus: aſcendet gens ſuper terram Dei: animam videlicet humanam. Omnes enim animę Dei ſunt: ſicut anima patris, ſic & anima filij: & aſcendit gens principum mundi iſtius, & tenebrarum, & ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus: aduerſus quas nobis eſt lucta atq; certamen, de quibus dicitur: Si ſpiritus poteſtatem habentis, aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris: cuius gentis dentes ſunt ſicut dētes Leonis, de quo Petrus Apoſtolus loquitur: aduerſarius noſter diabolus, quaſi Leo rugiens circumit, quærens quē deuoret. Et molares illius quaſi catuli Leonis. Catulum leonis, vel eum intellige, qui eleuatur, contra omne quod dicitur Deus & religio: vel certè omne dogma peruerſum. De cuius contritis molaribus, qui intrinſecus latent, & nō videntur, ne facilè vitentur, etiam pſalmiſta lętatur dicens: molas termini confringet Dominus. Si ergo dederimus locum huic genti, vt aſcendat in nobis, ſtatim ponet vineam noſtram in deſertū, de qua vinū facere ſolebamus, quod lætificat cor hominis: & ficus noſtras decorticat ſiue confringit, ne habeamus in nobis ſpiritus Sāncti dona dulciſsima: ne ſub noſtra vinea & ficu, vir ſanctus requieſcat: ſub quibus cum fuerit, aduerſariorum impetus non timebit. Nec ſufficit huic genti vineam diſperdere, ficumque cōfringere: niſi ſcrutans ſcrutetur eas, & quicquid in illis vitale fuerit, interficiat: vt omni virore conſumpto, albi atq; emortui ramuſculi remaneāt, & compleatur in nobis: ſi in viridi ligno hoc faciunt, in ſicco quid facient? *Tom. 5. Co. in cap. 1. Ioelis. Fol. 79. facie prima in fine.*

*Ezech. 18.*

*Ephes. 6.*

*Eccleſ. 10.*

*1. Theſſ. 2.*

*Catuli leonū dogmata hæreticorum.*

*Pſal. 57.*

*Pſal. 103.*

*Lucæ. 23.*

Qui ante præmiſerat: Non veni pacem mittere, ſed gladium, & diuidere homines aduerſū patrem & matrem, nurum & ſocrū, ne quis pietatem religioni anteferret, ſubiecit dicens: Qui amat patrem aut matrem plus quam me. *Tomo ſexto libro primo Commentariorum in cap. 10. Matthæi Canone. 17. facie 2.*

AFFECTVM ſubicit religioni. *Ibid. in fine.*

## *Articulus. XVII. Hæreſes ex Philoſophia naſci.*

SCIEBAM hominem hæreticum laqueos in ſermone quærere, tandem reperi eū, ex quo corpus animaſſet, ex tunc eam dicere animā nuncupatam, quæ prius vel dæmon, vel angelus Satanæ, vel ſpiritus, aut in parte contraria, dominatio, poteſtas, adminiſtrator ſpiritus, aut nūcius appellata ſit, *Tom. 2. epiſt. 61. ad Pammachium cap. 5. in fine.*

ARGVMENTA illa puerorum, & infantiū, & ſenum, & ciborum, & ſtercorum, quib. aduerſum Eccleſias vteris, non ſunt tua, de gentilium fonte manarunt, eadem enim opponunt nobis ethnici. Qui chriſtianum eſſe te diligis, gentiliū arma depone. *Ibid. cap. 11. in medio.*

*De gentiliū fonte manāt hæreſes.*

SED fac me erraſſe in adoleſcentia, & philoſophorum id eſt, gentilium ſtudijs eruditum, in principio fidei dogmata ignoraſſe chriſtiana; & hoc putaſſe in Apoſtolis, quod in pythagora, & platone & Empedocle legeram. *Tomo ſecundo epiſtola 62. ad Pam. & Oceanum cap. 2. in medio.*

PVLCHRE quidam noſtrorum ait: Philoſophi patriarchæ hæreticorum, Eccleſiæ puritatem peruerſa maculauēre doctrina. *Tom ſecundo aduerſus Pelagium ad Cteſiphontem epiſt. 66. cap. 1. Fol. 264. facie 1.*

*Tretullianus ait philoſophos eſſe patriarchas hæreticorum.*

QVID loquar de Melitone, Sardenſi Epiſcopo? quid de Apollinario, Hieropolitanæ Eccleſiæ ſacerdote, Dionyſioque Corinthiorum Epiſcopo, & Taciano, & Bardone, & Herenæo, Photini martyris ſucceſſore: qui Origenis hæreſeon ſingularum venena, ex quibus philoſophorum fontibus emanarunt, multis voluminibus explicarunt? *Tom. 2. epiſt. 84. ad Magum Oratorem Ro. Fol. 310. facie 1.*

*Venena hæreſeon Origenis ex fontibus philoſophorum manarunt.*

ET dabo (inquit) Moab in hæreditatem: vt qui modo filiorum Ammon non eſt memoria, vltra in gētibus, ſic & in Moab vltiones faciam & iudicia: vt cognoſcant, quod ego ſim Dominus, qui Iudam tradidi pro peccato, & in filios Ammon & in Moab vltor exiſtam. Vſque hodie autem Moab, qui interpretatur ex patre & Seir, qui in piloſum vertitur & hirſutum, deſpicit & contemnit, domum Iuda, in qua vera cōfeſsio eſt, & putat tam facile eam poſſe ſubuerti, quam cæterarum ſubuertuntur vrbium munimenta. Vnde & Dominus comminatur aperturum ſe ſiue diſſoluturum omnem fortitudinē Moabitarum: vt habere ciuitates deſiſtant & nequaquam in dialectica arte confidant: ſed cūcti illius termini, quos pro illiſione fluctuum vocāt promontoria, deſtruantur, & inclitæ atque electæ terræ Beth Ieſimoth, quæ interpretatur domus ſolitudinis atque deſerta, & Beelmeon, quę & ipſa vertitur, habens fontem, ſiue ſuper fontem, & Cariathaim, quam LXX. ciuitatem maritimam tranſtulerunt, pereant. Quamuis enim

habeant robora pugnatorum,& inclita pergant ad prælium arte pugnandi, & ex omni parte,circunſepti,munitiq́ue gradiantur: tamen inclita eorum terra,non eſt domus habitationis,ſed domus ſolitudinis. Quodq́ue ſe putant habere fontem ſcientiæ,& vrbem maritimam, quę cunctas ſuſtinere poſsit ſæculi tempeſtates, patentiam ſibi & fortitudinem promittentes,tamen illuc cónuertentur,& vt ipſi tradantur, filijs Orientis,veri in Chriſto luminis: ſicut traditi ſunt filii Ammon,qui ſibi in hæretica multitudine cóſidebant. Et conſideremus profectum, atque in ipſa comminatione clementiam Dei, vt tradantur cum filijs Ammon,filijs Orientis,in hæreditatem,& nequaquam hęreſis vlla nominetur in gentibus, ſed factus in Moab iudicijs ſuis, & vltionibus pro arrogantia, rerum fine cognoſcât, Dominum eſſe qui cuncta diſpenſet. Ad approbandum autem quod Moab in præſenti loco ſuper Philoſophorũ intelligatur ſuperbia,de quibus dicitur: Perdam ſapientiam ſapientium, & intelligentia intelligentium reprobabo, pauca de Prophetis exempla replicanda ſunt. Amos loquitur: Hæc dicit Dominus: Super tribus impietatibus Moab,& ſuper quattuor non auerſabor eum,pro eo quod conbuſsit oſſa regis Idumææ in cineres. verè enim quicquid in ſęculo dogmatum peruerſorum eſt, quicquid ad terrenam ſcientiam pertinet, & putatur eſſe robuſtum, hoc Dialectica arte ſubuertitur, & inſtar incendij in cineres,ſauillasq́ue diſſoluitur: vt probetur nihili quod putabatur eſſe fortiſsimum. Sed Eſaias ſuperbiam arguit Moab, dicens: Audiuimus contumeliam Moab: contumelioſus eſt nimis: ſuperbiam eius abſtuli. Hieremias quoque contra omnes vaticinans nationes,propriè loquitur ad Moab: Quoniam confidebas in munitionibus tuis. Et poſt paululum,habebas fiduciam in gloria tua. & iterum: Quo modo dicitis, fortes ſumus? ac deinde: Iuxta eſt dies Moab vt veniat,& malitia eius velox nimis. Et manifeſtius: dicite quo modo contritus eſt baculus glorioſus, virga magnificentiæ? Et iterum: Contritum eſt cornu Moab. Hęc autem dicuntur, vt ſub nomine Moab ſtulta ſæculi in cælum ſe efferens, ſuperbia conteratur. *Tom.4.lib.8.Comment.in cap. 25. Ezech.Fol.407.facie 2.*

*Hæreſes ex Philoſophorum gentilium ſuperbia.*
*1.Corin.1.*
*Amos.2.*
*Eſaiæ 16. Sec.70.*
*Hier.48.*
*Ibidem.*
*Ibidem.*

CONSIDEREMVS Sapientes Græciæ & Aegyptiorum atque Perſarum,Indorumq́; Gymnoſophiſtas,& Samaritanos,& varias inter ipſos ſententias,& Iudæos Phariſęoſq́ue eorum,& Saducæos,& Eccleſiæ multiplicis hæreſes,& videbimus attelabum à terra ſe paulum ſubleuantẽ, & locuſtam volantem quidem, ſed non pleno curſu,& quia non habeat calorem ſolis iuſtitię, frigentq́ue in Deum charitate, ſedere in ſpinoſis ſepibus. Omnia enim dogmata eorum cùm frigeant,& volare non poſsint,ſedem ſibi & requiem,inter Ariſtotelis & Chryſippi ſpineta reperiunt. Inde Eunomius profert: Quod natum eſt,non fuit antequam naſceretur. Inde Manichæus,vt Deum à conditione malorum liberet, alterum mali inducit auctorem. Inde Nouatus, ſubtrahit veniam,vt tollat pœnitentiam. Et vt ſimul breui cuncta concludam ſermone: De illis fontibus vniuerſa dogmata argumentationum ſuarum riuulos trahunt,ita vt loca quoq́; ipſa,de quibus argumenta ſumuntur τοποι nd ſuperſcripſerint. *Tom.5.Commen.in cap.3. Nahum, Fol.83.facie 1.*

*Dogmata hæreticorum ex Philoſophia.*

QVICQVID loquuntur non habet vocem ſententias explicantem, ſed tumultum clamoremq́ue & ſonitum: Et omnes munitiones tuæ, ſiue quæ mutata ſunt, vaſtabuntur: non enim teſtimonijs ſcripturarum, ſed arte Dialectica, & argumentis Philoſophorum munita ſunt atque conſtructa. *Tom.5.lib.2.Commen.in cap.10. Oſeæ, Fol.66.facie 1.*

DOCTOR Eccleſię, qui ſpiritualem conficit panem, & eum populis diuidit, ſi vel propter humanam gloriam, vel lucra ſæculi quæ gloriam cóſequũtur, loquatur in populos,& diuitibus blandiatur,& honoret peccatores, & iuxta Iacobum ſuſcipiat eos,qui cum anulis aureis ad ſe veniunt,& pauperes ſanctos repellat,nomen Dei deſpicit,& panem polluit doctrinarũ, & in ipſum Deum iacit contumeliam: menſam ſcripturarum eius,menſis idolorum, ſæcularisq́ue doctrinæ putans eſſe communem. *Tom.5. Comm.in cap.1.Malach.Fol.277.facie 1.*

*Iacob.2.*
*Inter menſam ſcripturarum, & ſecularis doctrinæ magna diſtãtia.*

## *Articulus XVIII. Suſpicio grauis criminis hæreſeos amolienda.*

NOlo in ſuſpicione hęreſeos quemquam eſſe patientem: ne apud eos,qui ignorant innocentiam eius,diſsimulatio conſcientia iudicetur,ſi taceat: licet ſuperfluum ſit eius ſcientiam, quærere,& extorquere ſilentium,cuius apud te litteras teneas. *Tom.2. epiſt.61. ad Pammach.cap.1.in medio.*

# *Caput XIII. De officio & authoritate Magiſtratus,aduerſus hæreticos.*

## *Articulus I. Regibus & Imperatoribus Eccleſiam diuinitus datam in tutelam contra hæreticorum inſultus.*

LVCIFER, Caralitanus Epiſcopus,cum Pancratio,& Hilario Romanæ Eccleſiæ clericis, ad Conſtantium Imperatorem à Liberio Epiſcopo pro fide Legatꝰ miſſus,cùm nollet ſub nomine Athanaſij Nicęnam damnare fidem,Palæſtinam relegatus,miræ cóſtantiæ,& præparati animi ad martyrium, contra Conſtantium ſcripſit librum,eiq́ue legendũ miſit: ac non multò poſt,ſub Iuliano principe Caralis reuerſus, Valentiniano regnante obijt. *Tom.1.de viris Illuſtr.in Lucifero.*

*Conſtantius vtpote Arrianus abuſus eſt poteſtate ſibi conceſſa, pro Eccleſia contra Eccleſiam.*

CHRISTI te aduerſum hoſtes Catholicæ fidei bella bellare & tuis litteris, & multorum relatione cognoui; ventoſq́ue eſſe contrarios, & in perditionem mutuam fautores eſſe perditionis,qui defenſores ſæculi eſſe deberent: tamen ſcias in hanc prouinciam nullis humanis auxilijs,ſed propriè Chriſti ſententia pulſum eſſe. nó ſolùm de vrbe,ſed de Palæſtinæ quoque finibus Catilinam; noſq́; dolere plurimum, quod cum Lentulo multi coniurationis ſocij remãſerunt, qui in Ioppe remorantur. *Tom.2.epiſtola 55. ad Riparium.*

*Hæretici ſeditioſi & Roma, & Palæſtinæ finibus pellebantur.*

CVM cuncti Valentem ad cælum laudibus tollerent



tollerent & ſuam in eum ſuſpicionem cum pœnitentia damnarent. Idem Claudius, qui ſupra legere cæperat,ait: Adhuc ſunt aliqua,quæ ſubterfugerũt Dominum, & fratrem meum Valẽtem: quæ ſi vobis videtur ne quis ſcrupulus remaneat,in commune damnemus. Si quis dixerit filium Dei eſſe quidem antea omnia ſæcula, ſed non ante omne omnino tẽpus, vt ei aliquid anteferat,anathema ſit. Multaq́ue alia quæ ſuſpicioſa videbantur,ad pronunciationem Claudij Valens condemnauit. *Tom.2.in Dial. aduerſus Lucif.cap.7.in medio.*

*Valens Arrianus ſictus Catholicus abuſus vt et Conſtantius ſua authoritate.*

OMNES Epiſcopi, qui de proprijs ſedibus fuerant exterminati,per indulgentiã noui principis ad Eccleſias redeunt. Tunc triumphatorem ſuum Athanaſium Aegyptus excepit: tunc Hilarium de prælio reuertentem Galliarum Eccleſia complexa eſt: tunc ad reditum Euſebij lugubres veſtes Italia mutauit. Concurrebat Epiſcopi, qui Ariminenſibus dolis irretiti, ſine conſcientia hæretici ferebantur, conteſtãtes corpus Domini, & quicquid in Eccleſia ſanctum eſt,ſe nihil mali in ſua fide ſuſpicatos. *Ibidem.*

*Conſtantini laus à defenſione eccleſiæ ducta.*

ET ædificabunt filij peregrinorum muros &cætera. ] Inter cætera quibus ædificatur Eccleſia, & vrbs ſaluatoris extruitur: Alienigenæ quoque & filij peregrinorum ædificant muros eius,ne hoſtis poſsit intrare, ne locum inuenire perfidia. Alienigenæ autem & peregrini, propriè ſignificant populum nationum qui verè extruxerunt Eccleſiam Chriſti. intantum vt reges eorum & principes miniſtrent, ſiue aſſiſtant ei. Quod vel carnaliter accipitur, vel ſpiritualiter: Si carnaliter, videmus Cæſares Romanos Chriſti iugo colla ſubmittere, ædificare Eccleſias expenſis publicis,& aduerſus perſecutiones gentium,atque inſidias hæreticorum legum ſcita pendere: Si ſpiritualiter: quicunque in eis continentia,eloquentia,ſanctitate principes ſunt, & animæ imperio ſubiugant ſeruitutem,ipſi adminiſtrant,aſsiſtunt vel auxiliantur ei: quam Deus ſæpe propter negligentiam deſerit vel perſecutorum percutit virga, vt rurſum propter ſui miſericordiam diligat. Vel certè hoc dicendum: quod Eccleſiam afflictam quondam, & captiuitati traditam in populo Iudæorum,in vocatione gentium reconciliet ſibi: ita vt portæ eius ſemper apertæ ſint, & nec die nec nocte claudantur,& ſaluari cupientibus iugiter pateant: id eſt,vt ei in gaudio & in tribulatione volentibus credere, introitus non negetur, Et adferatur ad eam fortitudo,ſiue diuitiæ gentiú & reges earum miniſtrent ſiue adducantur ei quaſi captiui: tunc intelliges, cum videris eloquentiſsimos adduci ad fidem Chriſti, & ſtultam fieri ſapientiam ſapientum ac prudentiam prudentum reprobari, vt fatuum Dei ſapientius ſit hominibus: Gentes autem & reges earũ, quæ ſeruire Eccleſiæ noluerint bonam & vtilem ſeruitutem, vt in Apoſtolicam tranſferantur dignitatem,peribunt ea perditione,quæ impijs præparata eſt,& quicquid in eis fuerit, redigetur in ſolitudinem,qui habere noluerunt hoſpitem Deum. *Tomo quarto libro vigeſimo ſeptimo Commentariorum in cap. ſexageſimum Eſaiæ, Folio 201.facie ſecunda in fine.*

*Reges & Principes miniſtrabũt Eccleſiæ.*
*Aduerſus inſidias hæreticorum legũ, ſcita ferunt Imperatores*
*1.Cor.1.*
*Reges ſeruiunt eccleſiæ.*

## *Articulus II. Reges atque Imperatores habere ius hæreticos corrigendi.*

O BEATA domus in qua morantur Anna vidua virgines prophetiſſæ, geminus Samuel nutritus in templó,ô tacta felicia,in quibus cernimus Machabæorum martyrum córonis cinctam martyrem matrem. Nam licet quotidie Chriſtum confiteamini,dum eius pręcepta ſeruatis: tamen ad priuatam gloriam publica hęc acceſsit vobis & aperta confeſsio, quod per vos ab vrbe veſtra Ariani quondam dogmatis virus excluſum eſt: *Tom.1.epiſt.43. ad Chromatium in fine.*

*Ab vrbe Ariani dogmatis virus excluſum.*

PHOTINVS de Gallogręcia,Marcelli diſcipulus,Sirmij Epiſcopus ordinatus, Hebionis hæreſim inſtaurare conatus eſt: poſtea, à Valentiniano principe pulſus Eccleſia, plura ſcripſit volumina, in quibus, vel præcipua ſunt contra gentes,& ad Valentinianum libri. *To.1.de viris Illuſtribus in Photino,Fol.130.*

*Photinus Hebionita à Valentiniano pulſus Eccleſia.*

LVCIVS poſt Athanaſium Arianæ partis Epiſcopus vſque ad Theodoſiũ principem, à quo & pulſus eſt Alexandrinam Eccleſiam tenuit. *Ibid.in Lucio.*

*Lucius Arianus Epiſcopus à Theodoſio pulſus.*

IMPERATORVM ſcripta, quæ de Alexandria, & Aegypto Origeniſtas pelli iubent, me ſuggerente dictata ſunt. Vt Romanæ vrbis póntifex miro eos odio deteſtetur, meum conſiliũ fuit. Vt totus orbis poſt tranſlationem tuam in Origenis odia exarſerit,quem antea ſimpliciter lectitabat,meus operatus eſt ſtylus. *Tom.2.lib.1. aduerſus Ruffinum cap.3.*

*Origeniſtæ Alexandria & Aegypto pulſi.*

CARPAMVS reliqua, & ipſa Epiſtolæ ponamus verba. Quamuis igitur fides noſtra, perſecutionis hæreticorum tempore,cum in ſancta Alexandrina degeremus Eccleſia in carceribus & exilijs,quæ pro fide inferebantur,probata ſit. Miror quod non adiecerit,vinctus Ieſu Chriſti & liberatus ſum de ore Leonis: & Alexandriæ ad beſtias pugnam: & curſum conſummaui,fidẽ ſeruaui: ſupereſt mihi corona iuſtitiæ. Quæ malum,exilia, quos iſte carceres nominat? pudet me apertiſsimi mendacij: quaſi carceres & exilia abſque iudicum ſententijs irrogentur, volo tamen ipſos ſcire carceres, & quarum prouinciarum ſe dicat exilia ſuſtinuiſſe, & vtiq; habet copiam de multis carceribus & infinitis exilijs vnũ aliquod nominandi, prodat nobis confeſsionis ſuæ acta, quæ hucuſque neſciuimus: vt inter alios Alexandriæ martyres huius quoque geſta recitemus,& contra latratores ſuos poſsit dicere: De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini noſtri Ieſu Chriſti in corpore meo porto. *To.2.li.2. Apolog.aduerſus Ruffinum,ca.1.*

*Ironia acris in Ruffinum.*
*2.Timoth.4.*
*1.Cor.15.*
*Carceres & exilia de iudicum ſententia irrogabãtur hæreticis*
*Gal.6.*

QVEM Demetrius Alexandri vrbe pepulit, toto orbe fugat Theophilus: ad quem Lucas ſcripſit Actus Apoſtolorum,qui ex amore Dei nomen inuenit. *Tom.2.epiſt.78.ad Pammach. & Marcellam Fol.303.*

*Actor.1.*

CAIVS Cęſar, & Octauianus Auguſtus, & Tyberius ſucceſſor Auguſti,leges promulgauerant,vt Iudęi qui erant in toto Romani imperij orbe diſperſi,proprio ritu viuerent, & patrijs cęremonijs deſeruirent: Quicunque igitur circuncisus erat,licet in Chriſtum crederet, quaſi Iudæus habebatur à gentibus. Qui vero abſq; circuncisione ſe non eſſe Iudæum pręputio præferebat,

*Romanorum Cæſarum edicta de religione Iudaica.*

*Metu perſequutionis hæretici ſimulant religionem.*

rebat, perſecutionibus tam gentilium quam Iudæorum ſiebat obnoxius. Has igitur perſecutiones hi qui Galatas deprauauerant, declinare cupientes, circunciſionem pro defenſione diſcipulis perſuadebant, quam nunc Apoſtolus cõfidentiam in carne vocat: quod ſcilicet tam Gẽtilibus quos timebant, quam Iudæis quibus volebant placere, circunciſionem in perſecutione proponerent. Nam nec Iudæi perſequi eos poterant, nec Gentiles quos videbant & Proſelytes circuncidere, & ipſos legis præcepta ſeruare. *To. 6. lib. 3. Commentariorum in caput 6. ad Galatas Fol. 158 facie 2.*

## *Articulus III. Hæreticos fremere fretos authoritate magiſtratus ſecularis.*

*Actor. 9.*

*2. Cor. 11.*

PAVLVS ex perſecutore fit prædicator, oculis carnalibus excæcatur, vt mente plus videat, & qui vinctos Chriſti famulos ducebat ad Concilium Iudæorum, ipſe poſtea etiã de Chriſti vinculis gloriatur. Ego igitur, vt ante iam ſcripſi, Chriſti veſtem in Romana vrbe ſuſcipiens, nunc Barbaro Syriæ limite teneor. Et ne putes alterius hanc de me fuiſſe ſententiam: quid mererer ipſe conſtitui. Verum, vt ait, gentilis Poeta, cælum, non animum mutat, qui trans mare currit. Ita me neceſſabilis inimicus poſt tergum, ſecutus eſt, vt maiora in ſolitudine bella patiar. Hinc enim præſidijs fulta mundi Ariana rabies fremit, hinc in tres partes ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat. Monachorum circa manentium antiqua in me ſurgit auctoritas. Ego interim clamito, ſi quis cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis, atq; Paulinus tibi hærere ſe dicunt. Poſſem credere, ſi hoc vnus aſſereret: nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. *Tom. 2. epiſt. quinquageſima octaua ad Damaſum.*

*Arriana hæreſis totius mundi præſidijs fulta fremebat.*

*Secti atque diſſecti Arriani.*

*Authoritas Romani Põtificis.*

*Prou. 9.*

*Ibid. 28.*

SALOMONIS prouerbium eſt, imo mandatum. Noli arguere malos, ne oderint te. Et è cõtrario de bonis præcepit: Argue ſapientem, & diliget te. In alio quoque loco: Qui arguit, inquit, hominis vias, gratiam habebit magis quàm is, qui loquitur, quæ delectant. Itaque & Amos dilectionis affectu loquebatur ad populum, & ex ſermonibus Dei terribilia minabatur: vt agẽtes pœnitentiam, reuerterentur ad Deum, & idola defererent. Tunc ſacerdos Bethel, in qua erat vitulus aureus, quem conſtituerat Hieroboam filius Nabath: & alij qui illi in Imperio ſucceſſerant, mittit ad Hieroboam nepotem Ieſu, qui ei nunciet dicens: Rebellauit contra te Amos, ſiue congregationes facit: atque conuentus in medio regni tui Iſrael, & tanta loquitur, vt terra regni tui verba eius ſuſtinere non poſſit. Audet enim mittere ad Regem Iſrael quaſi pontifex: metuens ne ſi populus conuertatur ad cultum Dei, ille ſacerdotij perdat gloriã: Cumque duo audierit demolientur excelſa Idoli, ſiue aræ riſus, & ſanctificationes vel ceremoniæ Iſrael deſolabuntur, & conſurgam ſuper domum Hieroboam in gladio (eo quod Idola penitus deſtruantur, quibus præerat Amaſias ſacerdos, & contra Hieroboam Deus conſurgat in gladio niſi egerit pœnitentiam (ille de ſua non mandat iniuria, vt de Regis tantum contumelia dolere videatur. Hæc enim (inquit) dicit Amos. Erras calumniator. In omnibus enim ſermonibus ſuis non quaſi ex ſe propheta loquitur, ſed ſemper præponit in titulo: Hæc dicit Dominus. Igitur quæ locutus eſt Dominus Amos prophetam dixiſſe commemorat, vt magis regem prouocet ad vindictam. Quæ ſunt, quæ dicit Amos? In gladio morietur Hieroboam. Et in hoc mentiris: Non enim dixit, morietur: ſi enim hoc dixiſſet, videbatur non ſuſcipere pœnitentiam: ſi conſurget Dominus ſuper domum Heroboam in gladio, cõminans pœnam, non inferens. Nec dixit: In gladio morietur Hieroboam, ſed conſurgam in gladio ſuper domum Hieroboam. Hieroboam quippe gladio non eſt mortuus ſed domus eius, id eſt, filius Zacharias Deo percutiente deletus eſt. Et Iſraël captiuus migrabit de terra ſua: adde & cætera, ſi non egerit pœnitentiam. Porrò Hieroboam vaniſsima Amaſiæ mandata contemnens, nihil ad ea quæ ille mandauerat voluit reſpondere: vnde ipſe ſibi aſſumit authoritatem ſacerdotalis faſtigij & loquitur ad Amos. Qui vides, gradere, fuge in terram Iuda. Prophetę (vt crebro diximus) prius appellabantur videntes: quia quæ ventura dicebant, cordis oculis intuebantur. Quærat prudens lector, quare videntem vocet, & nomine prophetali, quem de terra Iſraël exire compellit? Cui reſpondendum aut cum irriſione cum dicere κατὰ ἀντίφρασιν, quod omnia mentiatur: aut quia videbat multos eſſe in populo, qui eum libenter audirent: propter quod & Regi retulit, congregationes facit contra te Amos: Apertè iniuriam non audet facere, ne audientes lædere videatur. Vade, inquit, in terram Iuda, in qua natus es: vbi libenter audiuntur inſani, & comede ibi panem tuum, vel ibi viue: aut certe exerce artem tuam, per quam tibi reperias cibos, & ibi vaticinare, qui habes multos quos conſueuiſti ſeducere: In Bethel autem in qua ego ſum ſacerdos, vltra non adijcies prophetare: quia ſanctificatio Regis eſt, & domus regni. Et hoc quaſi falſus ſacerdos loquitur, adulans regali faſtigio, vt non dicat; ſanctificatio Dei noſtri eſt & domus Idoli, ſed ſanctificatio regis & domus regni: hanc habentibus cunctis qui falſos Deos colunt conſuetudinem, vt ſuperbiam ſuam Regibus imputent, vt quod ipſi faciunt, Rex feciſſe videatur. * Omnia quæ de Amaſia & Hieroboam, & Iſrael, & Amos interpretati ſumus τροπολογικῶς ad hæreticos referenda ſunt: quorum ſacerdos Amaſias ſolet interdum mittere ad Hieroboam regem hæreticum, atque hæreticorum patronum, & ſanctos viros ac præcones fidei accuſare apud eum, & iubere doctoribus, ne prædicent in Iſraël, ne contra regis faciant voluntatem: quia Bethel, hoc eſt, domus Dei, & falſa Eccleſia, ſanctificatio regis ſit, & domus regni. Solent enim dicere: Imperator nobis communicat, & ſi quis eis reſtiterit, ſtatim calumniantur: ergo tu contra imperatorem facis? Auguſti mandata contẽnis & tamen conſideremus, quod multi reges Chriſtiani qui perſecuti ſunt Eccleſiam Dei, & Arianam impietatem in toto orbe fũdare conati ſũt vincant

*Amaſias Pſeudopropheta hæreticorum typus: Amos Catholici Doctoris figura Hieroboã hæretici Principis vel regis imago.*

*1. Reg. 9.*

*Falſi ſacerdotes & hæretici adulãtur regali faſtigio vt ſuperbiam ſuam regib. imputent, vt quod ipſi faciunt rex feciſſe videatur.*

** ἀπόδοσις*

*Inſultãt proteruè Catholicis hæretici freti authoritate Principum.*



*Comparatio Hieroboam & Arrianorum imperatorum.*

vincant in ſcelere Hieroboam regem Iſrael. Ille enim falſi ſacerdotis mandata deſpexit, nec ad ſuggeſtionem eius quicquam voluit reſpondere: iſti autem cum multis Amaſijs ſacerdotibus ſuis, fame & penuria, carceribus & exilijs Amos prophetam, & ſacerdotes Domini necauerunt. *Tom. 5. lib. 3. Commentariorum in cap. 7. Amos Fol. 118. facie 2. in fine.*

## *Articulus IIII. Vtile fuiſſe hæreticis Imperatorum legibus ab erroribus abſtrahi, atque ad Eccleſiam Catholicam pœnarum terroribus reuocari.*

*Formidine pœnæ prius Tiberianus Priſcillianiſta manſit Catholicus.*

TIBERIANVS Bęticus, ſcripſit pro ſuſpicione, qua cum Priſcilliano accuſabatur hæreſeos, apologeticum, tumenti, compoſitoque ſermone: poſtea, poſt ſuorum cædem, tædio victus exilij, mutauit propoſitum: & iuxta ſanctã ſcripturam: canis reuerſus ad vomitum ſuum, filiam, deuotam Chriſto virginem, matrimonio copulauit. *Tom. 1. de viris Illuſtribus in Tyberiano Folio 131.*

*Luca. 15.*

EGO ſepiam viam tuam ſpinis ſiue ſudibus, ne poſsis ire quo deſideras, & interponam maceriam ſiue murum & ſemitas tuas quas crebro triueras pede, non inuenies: ne apprehendas eos quos tanto ſtudio ſequebaris, & rerum neceſsitate compulſa reuertaris ad virum tuum & dicas illud de Euãgelio: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autẽ hic fame pereo. Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam illi: Pater, peccaui in cælum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis. Ex quo intelligimus, quod prouidentia Dei, ſæpe nobis accidant mala, ne habeamus ea quæ cupimus, & varijs calamitatibus huius ſeculi, ac miſerijs ad Dei ſeruitutem redire cogamur. Amatores autem Hieruſalem, & gentis Iudæę ſecundum hiſtoriã illius temporis, Aſſyrios eſſe Chaldæos & Aegyptias nationesque cæteras intelligamus, cum quorum Idolis fornicata eſt: à quibus bellorum tempore & prementibus malis, fruſtra ſperauit auxilium. Hos amatores iuxta intelligentiam ſpiritualem, ſequuntur hæretici: à quib. ſępe deſerti malorum pondere ad ſinum matris Eccleſię reuertuntur. Per omnia enim flagella atque tormenta eruditur Iſrael, *To. 5. lib. 1. Com. in ca. 2. Oſeæ, Fol. 39. facie 1.*

*Hæretici malorum pondere preſſi ad ſinum matris Eccleſiæ reuertuntur. Hier. 6. Sec. 70.*

## *Articulus V. Non debere Magiſtratus liberam relinquere plebi religionem.*

CHRISTI te aduerſus hoſtes Catholicæ fidei bella bellare & tuis litteris & multorũ relatione cognoui; ventoſque eſſe contrarios, & in perditionem mutuam eſſe fautores perditionis, qui defenſores ſæculi eſſe deberent: tamen ſcias in hac prouincia nullis humanis auxilijs, ſed propriè Chriſti ſententia pulſum eſſe, non ſolum de vrbe, ſed de Palæſtinæ quoque finibus Catilinam, noſque dolere plurimum quod cũ Lentulo multi cõiurationis ſocij remanſerunt, qui in Ioppe remorantur. Nobis autem melius viſum eſt locum mutare, quam fidei veritatem: Aedificiorumque & manſionis amænitatem amittere, quam eorum communione maculari, quibus in præſentiarum aut cedendum erat, aut certe quotidie non lingua, ſed gladijs dimicandum. Quanta autem paſsi ſumus, & quo modo Eccleſia manus Chriſti pro nobis in hoſtem ſæuierit, puto te celebri nuncio omnium cognouiſſe. Quæſo ergo te, vt arreptum opus impleas nec patiaris, te pręſente non habere Chriſti Eccleſiam defenſorem. Certè ſcit vnuſquiſque, quod vel tibi ſufficiat pro virili parte: quia nõ viribus corporis, ſed caritate animi dimicandũ quæ ſuperari nunquam poteſt. *Tomo 2. Epiſtola 55 ad Riparium.*

*Hæretici Catilinarij de Palæſtinæ finibus pellũtur.*

*Locum mutare præſtat quam fidei veritatem.*

*Contra hæreticos gladijs etiam dimicandum.*

NESCIO qua tentatione diaboli factum ſit, vt & tuus labor, & ſancti Innocentij presbyteri induſtria, & noſtrum deſiderium ad pręſens nequaquam videatur habere effectum. Deo gratia, quod te ſoſpitem & fidei calore feruentem in ipſa tentamenta Diaboli cognoui. Hoc meũ gaudium eſt, quando in Chriſto audio filios meos dimicare; & ipſum zelum in nos ipſe confirmet, cui credimus; vt pro fide eius ſanguinem voluntariè fundamus. Euerſam nobilem domum funditus doleo; & tamẽ, quid in cauſa ſit, ſcire non potui. Neque enim portitor litterarum noſſe ſe dixit, vnde dolere poſſumus pro amicis communibus, & Chriſti, qui ſolus potens & Dominus eſt, & eius clementiam deprecari: licet ex parte Dei mereamur offenſam, qui inimicos Domini fouerimus. Optimum autem facies, ſi cunctis rebus omiſsis, orientem, & precipuè loca ſancta petas. Hic enim quieta ſunt omnia, & licet venena pectoris non amiſerint, tamen os impietatis non audent aperire, ſed ſunt, ſicut aſpides ſurdæ, & obturantes aures ſuas. *To. 2. epiſt. 56. ad Apronium.*

*Dei merentur offenſam qui hæreticos Domini inimicos fouẽt.*

NOBIS in monaſterio hoſpitalitas cordi eſt; omnesque ad nos venientes læta humanitatis fronte ſuſcipimus. veremur enim, ne Maria cũ Ioſeph locum non inueniat in diuerſorio, ne nobis Ieſus dicat excluſus: Hoſpes eram, & non ſuſcepiſtis me. Solos hęreticos non recipimus, quos vos ſolos recipitis. *Tom. 2. lib. 3. aduerſus Ruffinum cap. 5. Fol. 256.*

*Hæretici nõ recipiendi ſub prætextu hoſpitalitatis.*

*Lucæ. 2.*

*Matt. 25.*

NVNQVID ſciui, quod iraſcereris, ſi contra hæreticos ſciberem? Dixeras te de Origenis libris hæretica ſuſtuliſſe: fautorẽ te hæreticorum, iã non eſſe credebam: & ideo nõ in te, ſed in hæreticos inuectus ſum; in quo ſi vehementior fui, ignoſce mihi, putaui quod & tibi placerem. *To. 2. lib. 3. aduerſus Ruffin. cap. 9. Fol. 260.*

DEPONE gladium, & ego ſcutum abijciam. In vno tibi conſentire non potero, vt parcã hæreticis, vt me Catholicum nõ probem. Si iſta eſt cauſa diſcordię, mori poſſum, tacere non poſſũ. *Tom. 2. lib. 3. aduerſus Ruffinum cap. 11. fac. 2. Fol. 262.*

*Moriendum potius quam parcendum hæreticis.*

## *Articulus VI. Imperatores in hæreticis damnandis apoſtolicæ ſedis & Epiſcoporũ iudicium eſſe ſecutos.*

DICAS, quid hæc ad laudem Marcellæ? Dãnationis hęreticorum hęc fuit principium dum adducit teſtes, qui prius ab eis eruditi, & poſtea ab hæretico fuerant errore correpti, dum oſtendit multitudinem deceptorum; dum impia περὶ ἀρχῶν ingerit volumina, quæ emẽdata manu ſcorpij monſtrabantur; dum acciti frequentibus

*Hæretici frequentibus litteris acciti emanentes ſunt abſentes damnati*

tibus litteris hæretici, vt ſe defenderent, venire non ſunt auſi; tantaq; vis conſcientiæ fuit, vt abſentes damnari, quàm præſentes coargui, maluerint. Huius tam glorioſæ victoriæ origo Marcella eſt; tuque caput horum, & cauſa bonorum, ſcis me vera narrare: quem noſti vix de multis pauca dicere, ne legenti faſtidium faciat odioſa replicatio; & videar apud maleuolas ſub occaſione laudis alternis ſtomachum meum digerere. Pergam ad reliqua. De occidentibus partibus ad orientem turbo tráſgreſſus, minitabatur plurimis magna naufragia, tunc impletum eſt: Putas veniens filius hominis fidem inueniet ſuper terram? Refrigerata caritate multorum, pauci qui amabant fidei veritatem, noſtro lateri iungebantur: quorum publicè petebatur caput; contra quos opes omnes parabantur, ita vt Barnabas quoque duceretur in illam ſimulationem, immo apertum parricidium; quod nõ viribus, ſed voluntate commiſit. Et ecce vniuerſa tempeſtas, Domino flante, deleta eſt, expletumque vaticiniũ prophetale: Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Et illud Euangelicum: Stulte, hac nocte auferetur anima tua à te: quæ autem preparaſti, cuius erunt? *Tom. 1. epiſt. 16. cap. 5. ad Princip.*

*Lucæ 18.*

*Vniuerſa tẽpeſtas hæretica deleta eſt.*

*Galat. 2.*

*Pſalm. 103.*

*Imperiales literæ in negotijs religionis Epiſcopos Romam contraxerant.*

CVM Orientis & Occidentis Epiſcopos ob quaſdam Eccleſiarum diſſenſiones Romam imperiales litteræ contraxiſſent, vidit admirabiles viros, Chriſtique Pontifices, Paulinum, Antiochenæ vrbis Epiſcopum, & Epiphanium, Salaminæ Cypri, quæ nunc Conſtantia dicitur: quorum Epiphanium etiam hoſpitem habuit; Paulinum, in aliena manentem domo, quaſi proprium humanitate poſſedit, quorum accenſa virtutibus, per momenta patriam deſerere cogitabat, non domus, non liberorum, non familiæ, non poſſeſsionũ, non alicuius rei, quæ ad ſæculũ pertinet, memor: ſola, ſi dici poteſt, & incomitata ad eremum Antoniorum, atq; Paulorum pergere geſtiebat, tandemque exacta hyeme, aperto mari, redeuntibus ad Eccleſias ſuas Epiſcopis & ipſa voto cum eis ac deſiderio nauigauit. *To. 1. epiſt. 27. ad Euſtochium, cap. 2. in medio.*

*De conſilio Hieronymi Imperatores pepulerunt Origeniſtas.*

IMPERATORVM ſcripta, quæ de Alexandria & Aegypto Origeniſtas pelli iubent, me ſuggerente dictata ſunt. Vt Romanæ vrbis Pontifex miro eos odio deteſtetur, meum cõſilium fuit, vt totus orbis poſt translationem tuam in Origenis odia exarſerit, quem antea ſimpliciter lectitabat, meus operatus eſt ſtylus. *Tom. 2. lib. 1. aduerſus Ruffinum, cap. 3. in medio.*

QVI paruulum Chriſtum fouerant, adultũ fidei calore defendunt: vt qui per illos effugerit Herodis manus, effugiat hæreticum blaſphemantem. Quem Demetrius Alexandri vrbe pepulit, toto orbe fugat Theophilus: ad quem Lucas ſcripſit Actus Apoſtolorum, qui ex amore Dei nomen inuenit. *Tom. 2. epiſt. 78. ad Pammachium & Marcellum, Fol. 303.*

*Actor. 1.*

## *Articulus VII. Gladium portare Imperatores etiam contra hæreticos.*

*Priſcillianus et ſæculi gladio & totius orbis authoritate damnatus.*

PRiſcillianus, Abitæ Epiſcopus, qui factione Hylarij, & Ithatij, Treueris à Maximo tyrãno cęſus eſt. *Tom. 1. de viris Illuſtribus, Fol. 131. in Priſcilliano.*

QVID loquar de Priſcilliano, qui & ſæculi gladio, & totius orbis authoritate damnatus eſt? *Tomo ſecundo aduerſus Pelagium ad Cteſiphontem, cap. 2. in principio.*

ROGEMVS Deum, vt hanc habeamus gloriam, vt gladius de ore noſtri Saluatoris egrediẽs, armet noſtras manus. Qui hanc Romphæam habet, ſæculi gladium non timet. Rem vobis dico nouam. Frequenter gladius iſtius ſæculi concidit illum gladium. Frequenter euenit, vt ſæculi gladius donet nobis illum gladium. Si enim iſtum timuerimus, illum non accipiemus. *Tomo ſeptimo Commentar. in Pſalmum 149. Folio 187. facie prima.*

*Sæculi gladius aliquando defendit gladium diuini verbi.*

FINIS TOMI PRIMI.